



MARTINI

ANTONII DELRII

EX SOCIETATE IESV

SYNTAGMA

TRAGOEDIÆ LATINÆ

In tres partes distinctum.

Quid in ijsdem contineatur, sequens pagina indicabit.





ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Viduam, & Ioannem Moretum.
M. D. XCIII.
Cum gratia & priuilegio.

PARTE PRIMA CONTINENTVR

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΩΝ LIBRI III.
ſcilicet:
De Tragœdia Lib. I.
De L. Annæi Senecæ vitâ & ſcriptis Lib. I.
De Verſibus tragicis, maximè Senecæ, Lib. I.

FRAGMENTA VETERVM TRAGICORVM.

OPINATIONES IN EADEM.

PARTE SECVNDA

L. ANNAEI SENECAE TRAGOEDIAE NOVEM.

INCERTI AVCTORIS, OCTAVIA.

ADVERSARIA IN HAS TRAGOEDIAS, *olim excuſa, ſed nunc emendata.*

PARTE TERTIA

COMMENTARIVS NOVVS IN EASDEM, &

INDICES TOTIVS SYNTAGMATIS.



AD ILLVSTREM LÆVINVM TORRENTIVM, ANTVERPIÆ EPISCOPVM, MARTINI ANT. DELRII PRÆFATIO.



VI fit, PRAESTANTISSIME TORRENTI, vt, cùm mortales ferè cuncti ſcire & ſapere deſiderent, interno quodam & æterno doctore mentibus illud vetus occinente;

Οὐκ ἐστὶ σοφίας κτῆμα τιμιώτερον; &,
Ἀναφαίρετον κτῆμ᾽ ἐστὶ παιδεία βροτοῖς:

Non eſt ſapientiâ poſſeſſio pretioſior. Quæ auferri nequit poſſeſſio eſt doctrina mortalibus.

vel nullos tamen, vel vnum de mille, ſcientiæ & ſapientiæ poſſeſſiunculam aliquam tenere videamus? An, quia finem in diſcendo nullum certum & indubitatum ſibi præfigunt; & ſi quem, non rectum; ſin etiam rectum, non eâ, quæ ad illum fert, viâ gradiuntur? Vt enim nihil prodeſt cuiquam diligens conatus aliquò perueniendi, niſi ſimul tenuerit, quod eò perducit, quò cogitat: ita cùm eò venerit, ſi non antè ratum aliquem σκοπὸν ſibi præſtituerit, in quem actiones & meditationes ſuas collimet vniuerſas; euenit neceſſariò, vt nullum ad exitum curæ, vigiliæ, cogitationeſque perueniant: veluti nautæ, quibus nullus portus propoſitus fuit, in vaſto mari, incerto curſu, certo ferè diſcrimine, dubij ac vagi fluctuant, & tandem in minùs commodum portum feruntur, vel naufragi in litus eiiciuntur. Qui verò non rectum finem eligunt, iis ſimiles, qui ſponte in Syrtes, aut præruptos ſcopulos nauigium adigunt; quos Æolo & Neptuno ludibrium, amicis mœrorem, gaudium hoſtibus, exitium ſibi debere, nemo ſanus vnquam dubitauit. Syrtes & ſcopuli in ſcientiæ Oceano tres, portus tuti duo. Hos nullæ Rhetorum ſcholæ, nullæ Philoſophorum academiæ, ſed na-

uarchi Ecclesiæ,ostendunt. In his D.Bernardus,qui Symplegades istas,non Dodoneâ columbâ, sed SANCTO SPIRITV duce, superauit, cuius grauissimis & disertissimis verbis nihil certius,verius,salutarius. *Quo*(ait)*fine?* [s. studendum] *Vt non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile; sed tantùm ad ædificationem tuam, vel proximi. Sunt namque,qui scire tantùm volunt, vt sciant, & turpis curiositas est: & sunt qui scire volunt, vt sciantur ipsi, & turpis vanitas est; qui profectò non euadent subsannantem Satyricum, & ei, qui huiusmodi est, decantantem,*

Serm.36 in Cantic.

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter:

& sunt item qui scire volunt, vt scientiam suam vendant, verbi causâ pro pecuniâ, pro honoribus, & turpis quæstus est. sed sunt quoque qui scire volunt, vt ædificent, & caritas est: & item qui scire volunt vt ædificentur, & prudentia est. Horum omnium soli vltimi duo, non inueniuntur in abusione scientiæ: quippe, qui ad hoc volunt intelligere, vt benefaciant. Denique intellectus bonus omnibus facientibus eum. reliqui omnes audiant, Scienti bonum, & non facienti, peccatum est ei. Infames ergo naufragiis scopuli, *Blanda pericla maris, terror quoque gratus in vndis*, & in quibus delectat naufragiũ, *Nec dolor vllus erat, mortem dabat ipsa voluptas;* Vana gloria,curiositas, & cupiditas,quâ diuitiarum,quâ honorum. Quot verò,qui hoc mundi senio,cui litterarum cura maxima, virtutum minima; ad hoc enituntur, vt tam aliis, quàm sibi prosint? prætexũt omnes malo panno purpureum clauum, bonum reipub.; sed iidem vanitate diffluentes, inanem & falsam famæ immortalitatem dictis, factis, scriptis aucupantur; & misera gloriæ animantia, vilia mancipia ambitionis,per mentis elationem,nescio quem doctrinæ principatum mutuò deferunt,& leuem atque futilem prorsus gloriolę γαργαλισμὸν mutuis laudibus excitant:hinc illi vanę adulationis tituli, maximi, termaximi, diuini; quos qui legunt, vel rident, vel miserantur. quorum, quia seipsos glorificant, gloria nihil est, & nouissima plena pudoris & confusionis. Mentis homines vanæ, vel nullius. si qua foret, vel recta foret, frenaret illa tam insolentes animos.

Psal. 110.

Iac. 4.

ψυχῆς

ψυχῆς μέγας χαλινὸς ἀνθρώποις ὁ νοῦς. *Animi magnũ frenum est hominibus, mens.*
nunc digni audire;
ὡς οὐδὲν ἡ μάθησις, ἣν μὴ νοῦς παρῇ. *Quàm nil est eruditio, nisi mens adest.*
verè nihil, nisi flabellum insolentiæ, & tympanites lethalis eius quæ inflat scientiæ; quam qui apponit, apponit ad dolorem. Tales, quia existimant se scire aliquid; nondum cognouêre, quemadmodum oporteat eos scire. *1. Cor. 8.* proinde nil mirum si operam & oleum perdunt, si ad cæca hęc & breuia naufragium faciunt. Ex illis ipsis, qui prudentiæ & charitatis portus sibi proponunt, plerique, quod optant, nunquam cõsequuntur; quia rectum nauigationis cursum non tenent, interdum etiam ad Syrenum scopulos adhærescunt, aut falsa pro veris, cassa pro solidis amplectuntur. Quibus accidit, quod imperitis vindemiatoribus; qui sufficere credũt, vineti emtionem, & stercorationem, & pastinationem: sed iugationis & palmitum deinde curam abijciunt. Lubenter hac vtor comparatione, quia PATRIS æterni æternam SAPIENTIAM vitibus persimilẽ esse sacræ litteræ testantur; & ab illâ SAPIENTIA cuncta mortalium sapientia profluxit, vt appareat hanc illi multis in rebus non dissimilẽ. Sapientiæ igitur studium tale in eius amatoribus sit oportet, quale in vitiũ culturâ prudentes vindemiatores adhibent. Si viti, siue iugatam, siue pedatam, siue compluuiatam, siue arboream malis, defuerint adminicula, quæ clauiculis tanquam manibus apprehendat; flexuoso & multiplici lapsu per terram repens; domini spem, putrescentibus racemis, plerunque frustrabitur. Sapientia, nisi Dei timor adminiculetur, nisi pietas doctrinam erigat, nisi scientiam caritas sufflaminet, non inutilis tantùm & infructuosa ceteris; sed noxia quoque, & perniciosa cultoribus, & possessoribus suis exsistit, quos verticosus tandem typhon, vel ecnephias dementatos, in miseriarum barathrum præcipitat, hæreses dico, vel quam aliam impietatem. Illis ergo vitis adminiculis fulcienda. cùm fulcieris, & capita iugaueris; proximus labor, frondibus & ramusculis impendendus. prę stantior illis racemus, sed ipsa quoque folia necessaria. nulli

rei pampini ſine gemmis, quę ſuccum lætificum promittant: aſpectu pulchri, ſed ſine fructu parum vtiles. imò inutiles, ſi luxuriari ſinas, & ὑλομανεῖν: vaſtent vineam & defrugent. ideo ſæpe putatione, ſæpe pampinatione nimia hubertas ſarmentorum & foliorum compeſcenda, multæ quotidie frondariæ fiſcinæ implendæ. Verumtamen ſi teneriuſculis adhuc acinis, intempeſtiuè nimis largâ manu palmites defringas, aut ferro putes, aut frondes auellas; contra æſtum, & algum, & aliam cæli intemperiem, indefenſi & inueſtes botri, hinc humore ruptis folliculis defluent, illinc retorridi ſolibus exareſcent. Veſtes enim & integimenta racemorum, pampini, dant gemmis, vt moderato igne & aquâ decoctæ queant miteſcere, & maturatæ dulceſcere. Non aliter ſapientię, quidam racemi, quidam pampini. grauiores diſciplinæ, philoſophicę, medicæ, ciuiles, theologicæ; quæ corporeæ ſanitatis, vel pacis publicæ, vel animarum æternæ beatitudinis, & DEI OPT. MAX. gloriæ ſatagunt; illæ ſolidum fructum, dulces vuas, ferunt: quæ tamen nunquam ſatis mites, aut ſuaues, ſed acerbiuſculæ futuræ; niſi, interea dum creſcunt, pampinis humiliorum & humaniorum litterarum contecti obumbrentur. Si non viriditate ſuâ vinetum oculos ſpectantium alliciat, manuſque ipſas amœno riſu quaſi irritet; ſi nuditate ſuâ vileſcat, & horrore quodam deformis & inhonori ſarmenti, deſiderium tollat, & carpendi ſitim penitus exſtinguat; quomodo, aut quando,

Silueſcere ſeu ſarmenturire.

Diſtendet vacuas pinguis vindemia cellas?

Arcet pleroſque & repellit, cùm ætatis, tum animorum nimis delicata teneritudo, à reconditis & arcanis ſapientiæ voluminibus: impares illi ferendis, qui ſubeundi, laboribus: reſtat in poëtarum, hiſtoricorum, & oratorum viridaria inuitentur, quorum nec aditus difficiles, & non laborioſa perambulatio. capiantur primò amœnitate culmi virentis, mittent poſtea falcem in meſſem maturam: inuitentur à pampino, manum ad vuas porrigent. inſerendi animulis puerulorum ſurculi, quorũ illi tunc odore & aſpectu, poſtea liquore

& fructu nutriantur. Φυτεύσω (inquiebat prudens agricola) ταῖς μὲν ἐν ἡλικίᾳ παιδικῇ ψυχαῖς μοσχεύματα, ὧν ὁ καρπὸς αὐτὸς τιθυνήσεται. quales verò hi, mi Philo, ſurculi? cùm alij, tum præcipuè ἡ τῶν παρὰ σοφοῖς ποιηταῖς ἀκριβὴς ἔρευνα. Equidem hanc non vereor futuris etiam Theologis commendare: minùs metuo, ne qui, quòd aliter ſentiunt, ſuccenſeant. illis; ſi nares contrahant, aut frontem caperent ſeueritudine; me quidem eripiam; ſed ipſorum ex caſtris alios multarum palmarum athletas, triumphis actis nobiles imperatores opponam. non quia rationes deſint, ſed quòd iſtorum apud illos meritò auctoritas maxima. Quid illi magno Baſilio, eloquentiâ, doctrinâ, ſapientiâ, ſanctitate illuſtriſſimo, reſpondeant, qui Poëtarum, & Grammaticorum, & Rhetorum, & omnium omnino hominum libris nos vti iubet, vnde aliquid emolumenti ad animæ incolumitatem ſit acceſſurum? ſic enim; ἐπὶ τούτῳ παρασκευὴν, καὶ ποιηταῖς, καὶ λογοποιοῖς, καὶ ῥήτορσι, καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ὁμιλητέον, ὅθεν ἂν μέλλῃ πρὸς τὴν τῆς ψυχῆς ἐπιμέλειαν ὠφέλεια τίς ἔσεσθαι. Quid Synæſio dicent, quid D. Nazianzeno, quid D. Cypriano, D. Hilario, Damaſo, Paullino, Prudentio, Damaſceno; qui cuncti, non modò poëſis lectores, ſed egregiorum poëmatum ipſi auctores? Quid Iuſtino Martyri, Clementi Alex. duobus Cyrillis, Theodoreto, Chryſoſtomo, Hieronymo, quibus nulla profanæ litteraturæ portio incognita; & fuere, qui Poëtarum libellis noctu, pro puluinis, vſi? Diem dicant Moſi, Danieli, & D. Paullo. nam primus ſapientiæ nomen adeptus apud omnes maximum, priùs Ægyptiorum diſciplinis mentem excoluit, quàm ad eius, QVI EST, contemplationem procederet. Daniel poſtquam Babylone Chaldæorum ſapientiam didicit, tunc demum diuinas attigit doctrinas, vt ſcribit D. Baſilius; & D. Hieronymus priùs illi datam teſtatur ſcientiam omnium ſæcularium litterarum; Symmachus, nominatim artis Grammaticæ peritiam. Demum S. Paullus, vas electionis, (quod à Clemente Alexand. fuit obſeruatum) non erubuit Poëtarum carmina euoluere, & ad aliorum medicinam, Arati, Menandri, & Epimenidis teſti-

Philo Hebr. lib. de Agricultura.

Exacta eorum quæ ſapientiae à Poetis dicta inueſtigatio.

In Orat. quomodo ex Gentil. lib. profic.

אֲשֶׁר אֶהְיֶה

In 1. c. Daniel.

Actor. 17. 1. Cor. 15. ad Tit. 1.

testimonia laudare. Etenim quemadmodum infectores purpurarij priùs lanam medicamentis sufficiunt, quàm conchylio tingant: fabri ferrum inauraturi, priùs cærulo imbuunt, quam auri bracteolas inducant: in Olympiis depugnaturi, domesticis antè sciamachiis exercentur, & futurę pugnæ pręludunt: qui solis iubar volunt irretortis oculis intueri, infirmam priùs aciem in aquam vel vitrum intendunt, vt vel sic radiato lumini assuescant: ita quibus est animus imbuere se penitus germanâ sapientiâ; qui meliorem sui partem induere, & vndique armare diuinæ doctrinæ sacris disciplinis meditantur; qui cum malis moribus, vitiis, erroribus, passionibus, omnium certâminum difficillimum obire gestiunt; qui, vt veri haliæthi, terrenæ prudentiæ nubila visu transmittere, & ad cælestium cognitionem lumine intelligentiæ transuolare desiderant, oportet antea huic æquori, huic crystallo assuefaciant oculos; in huius stadij vmbratili pugnâ vires comparent; his se priùs pigmentis colorent; his se quasi pumicibus, vulsellis, strigileculis pumicent, læuigent, expoliant. Sed nonnulla in talibus libris non innocua. fateor. plura tamen, vel totidem, pellendis animi morbis, efformandis moribus apta & accommodata. Quid rosâ pulcrius? quid odoratius, quid cerebro conducibilius? an desunt illi spinæ quæ lacerent, & qui pungant sentes aculeati? an ex rosariis venena minùs phalangij, quàm mella sugunt apiculæ? doceantur pueri spinas & hamulos vncinatos cauere, rosas legere; nectar Hyblæum sugere, non tetrum virus. præceptorum ista officij, docentium hoc munus: quid arripiendum, quid abijciendum; quid laude, quid vituperatione dignum, ostendere. Familiam inter poëtas consensu omnium ducunt, & vtilitatis huius plurimum adferunt tragici. Sapiens Epictetus, apud Arrianum tragœdiam definit, speculum eorum, qui à fortunâ pendent. cuiusmodi cuncti, perpaucis exceptis; qui fortuita euenta præuidere, & secum antè solent peragere, séque ita præmunire, vt præuisi casus fortuiti leuiùs feriant, & fortiùs ipsi excipiant inuadentes. plurimum huic rei contulerint

Lib. 1. de dict. Epict. c. 4.

rint exempla Regum & Heroum, quæ proponit & exponit orcheſtra. plurimum iuuerint breues, ſed animoſæ, & ſucci plenæ ſententiæ, interlocutorum, & chori ex mediis plerumque Philoſophorum Lycæis deſumti. In hos hortulos pueri deducendi; ex iiſdem adoleſcentes educendi. nam qui in illis conſeneſcat, cauſam non dico, quin cenſores illi, quam velint, notam inurant. cui vinitor videatur probus, qui pampinis contentus, racemos negligat? qui maturis vuis, vieta & caduca folia legat? ad botros tum potiùs manus extendendæ; non oculi paſcendi tantùm, ſed vuæ ſanguine & viribus, vires iuuentæ roborandæ, adoleſcentiæ ſanguis fouendus, vt vegetam & viridem ſenectam pariat. Tenello lacte nutriti, ſolidiore mox cibo confirmandi. Equidem hoc mihi in *Syntagmate* iſto propoſitum; quo, quantum in me fuit, reliquias *Romanæ tragœdiæ* collegi, caſtigaui, illuſtraui. Collegi, ex ruderibus priſcorum Grammaticorum, & digeſſi in ordinem aptiorem. emendaui, collatione exemplarium, iudicio, coniectura. illuſtraui, libellis additis, opinationibus, commentario. iſthæc recèns. nam quæ olim penè puero exciderant *Aduerſaria*, recognoui tantùm, & quas illis iudicij, ingenij, & doctrinæ infirmitas, vel feruor ætatis lubricæ maculas aſperſerat, ſeuerâ ſpongiâ & retractatione, ſuſtuli, deleui, Fabij conſilio, D. Auguſtini exemplo. In fragmenta quidem illa cothurni Latialis, parcior; quia minùs vtiliter quis apud illa deſideat. genus ſcribendi totum, vt Apollodorus aiebat, ἄπορον καὶ προληπτικόν. iccirco nuncupaui *Opinationes*. Fuſior & liberalior in fabulas integras *Commentarius*. Hîc enim, quia quod non rectè legitur, non rectè intelligitur; & quod perperam intellectum eſt, perperam explicatur; dedi operam, vt emendata lectio enarrationem præcederet; illam verò ſequeretur explicatio non merè Grammatica (quamquam huius habita ſtrictim ratio, quæ debita) ſed philoſophica potiùs, quæ non loquendi modò, ſed viuendi quoque normam tradat: non linguam inani dumtaxat verborum ſtrepitu inſtruat, ſed affectiones etiam corrigat, & homines ad meliora

Quinctilian. lib 5 c. 6.

D. Aug. libb. Retract.

Ambiguum & præſumtum.

impellat. Non audio Criticos; qui à solis litteratoribus, aut antiquariis ista petenda, qui solis eorum testimoniis vtendum iudicant. audio potiùs, quem vtinam & ipsi, diuum Bernardum; qui clamat tali ordine discendum; vt hoc priùs, quod maturius ad salutem: tali studio, vt hoc ardentiùs, quod vehementius ad Dei amorem. Vereor ne palliati nolint audire virum pari sapientiâ & sanctitate, quia cucullatus. Audiant ergo, palliatum, Sex. Chæroneum. ille negat Poëtas à Grammaticis explicari posse, contendit à solis sapientiæ studiosis. Dicite mihi comtuli, venusti, faceti, vrbani Critici, talésne Sextus postulat; qui de ritibus, formulis, voculis, syllabis, litteris, perpetuùm altercantur? non opinor, dicetis. initia hæc dicetis, & quæ ad rerum cognitionem, ad vitæ integritatem, ad iugem beatitatem viam debent sternere. Propterea capere me, non retinere par fuit cancellos Logodædaliæ vestræ; illos egressum fortè seriùs quàm decebat, egressum tamen, inuitare lectores æquum fuit, à mulctris ad mensas & dapes salubriores, sæculi Philosophorum, Academicorum, Peripateticorum, Pythagoricorum, & Stoicorum: ita tamen inuitare, vt tempestiuè ad colles illos apricos clarissimis diuinæ lampadis radiis perducerem. nam aliæ mensæ non vsquequaque salutares, nec illi satis idonei magistri, quibuscum exigatur æuum. Verbis enim audaces & strennui fuere, vitâ ignaui & timidi: quicquid animo laudatæ formæ imprimebant, moribus id factísque rursus inducebant. de Stoicis, nónne queritur hoc Epictetus? queritur Seneca? quos Sextus scribit Laconum fuisse maximè dissimiles; qui manu non calamo fortes, virtute constantes non linguâ. Stoicis (de quibus loquor, quia volunt ceteris meliores) simulata frugalitas, quæstus huberrimus: pia verba, mens impia. animam illi humanam cum belluarum cadaueribus eodem sarcophago includebant; verbis autem supra ceteros in maius efferebant. Maiestatem Dei laudare & ornare videbantur: verè tamen diuinitatem vilissimis animalculis largiebantur: Deum ipsum corporeum, & igne periturum, nunc extra mundum positum

d. serm. 36.

Contra Mathemat. fol. 52

positum figuli modo hanc molem contorquere, & per materiam sic decurrere, quomodo mel per fauos; vnum Deum alio meliorem, & huic materiam æqualem, sapientem verò præstantiorem, nugabantur. *Hæc Tertull. contra Hermogenem, aduersus Marcion & in Apologet.* Accedit, quòd vt dogmata, sic ipsorum ratio quoque loquendi scribendique, prætextu & colore quodam masculo libertatis humanæ, plurima & admodum grauia vitia parit atque nutrit. Nam si quis superbus & sibi fidens; si quis gloriæ cupiditate tenetur; huic indet Stoa maiorem ambitionis sitim; illum verò assuefaciet omnem in seipso fiduciam ponere, diuinam gratiam non expetere, superiorem potestatem contemnere, ludere petulanter in magistratus populos, reges. est aliquis indole ferox, trux, sæuus? acuent huius Chrysippæi crudelitatem; & quicquid humanitas indidit miserationis, radicitus exstirpabunt. alius mordax, dicax, impudens? trahent statim in detractionem, & maledicentiam, in affectatam scurrilitatem, & in verbis parum modestis ac pudicis vilem pudorem. capiunt interea & decipiunt ornatis & compositis dictis, & auro venena propinant. serpsit hoc malum & proserpsit,

—— dedit hanc contagio labem,
Et dabit in plures. sicut grex totus in agris
Vnius scabie cadit & porrigine porci,
Vuaque conspectâ liuorem ducit ab vuâ.

Quare conatus sum poculis illorum, succum panaceæ infundere & immiscere; mortifera indicare gramina, & sub frondibus nepam latentem digito commonstrare: insuper ostendi duces itineris securiores, quibus veræ fidei, veræ lucis lumen illuxit: quorum pectus inhabitante SANCTO SPIRITV plenum, solidam spirat sapientiam, puram putam spirat virtutem, auram spirat penitus salutarem: sententias istorum sparsi Gentilium dictis, verba verbis, sacra non sacris, vt recentes hoc imbuantur odore testæ: veteres verò paullatim perfusæ, veteris sensim fermenti acorem deponant. Tertius iam annus effluxit, cùm apud Bituriges Vibiscos æger, etsi verè dictum sit ἀσθενεῖς οὐκ ἄργοι, quæsiui tamen *Ægri non otiosi.*

 aliud

aliud in otio negotium: & quia me Theologi non ſatis firmum reijciebant, ad quorum caſtra à ſubſelliis Iuriſconſultorum transfugeram; non ad litigioſos illos, ſed ad comes & faciles Aönides me recepi, in quorum contubernio manerem, donec per quartanæ querqueram tyrannidem, ad proprium munus, & ſeueriores doctores redire liceret. Non licuit ante decurſum à ſole Zodiaci circulum. interea dum per ſua veſtigia annus in ſe labitur, acerbo ſanè preſſus morbo peplum iſtud pertexui, vellem non morboſum; febri iactatus iſta, qualiacumque, concinnaui, optarim non febriculoſa: laudem illa non ſperant, ſed veniam; applaudi ſibi non poſtulant, explodi deprecantur. nihil hîc Phydiacum, aut quod in Palladis arce; ſed quod in diuinæ gloriæ, & caritatis proximorum (quibus SOCIETAS IESV ſua deuouit omnia) gazophylacium cum pauperculæ viduæ denariolo reponatur. Et viſum maioribus meis, aliis etiam doctis hominibus, nonnullam vtilitatem iuuentuti, nonnullâ cum voluptate allaturum, ſi lucem aſpiceret hoc ægri ſomnium: verùm ex morbo pallidum, pauidum, palpitans non audebat ſine duce, ſine patrono. nec immeritò. verebatur, ne confeſtim in petulantiam ſciolorum, in Criticorum temeritatem, in zoilorum incurreret inuidiam. Occurrit in pręmoleſtiâ commodùm tui memoria; qui fidus amicus, fortis patronus, ſponſor locuples: cui grata, iuſta, facilis defenſio. grata, quia clientis, &, quæ tua humanitas, olim amicitiæ & ſimilium ſtudiorum vinculis colligati. iuſta, quoniam contra laceſſentes eum, qui nullâ prouocauit iniuriâ; qui bene mereri conatus. facilis, ſiue te, ſiue rei naturam intueor. Quid enim carpent? deeſſe flores eloquentiæ, & cincinnos orationis? non diffiteor. neque iuriſprudentia, neque theologia hoc profitetur, & ego fui ſemper ſtudioſior rerum, quàm vocularum. Prolixum dicent in comparatione Græcorum cum Latinis, priſcorum cum recentioribus, ethnicorum cum Chriſtianis, ſimilium cum ſimilibus? ſed nihil in hoc genere dulcius, nihil fructuoſius. Longiorem in fabularũ myſteriis eruendis?
cre-

credidi oportere: cùm tota poësis tecta quædam & laruata ſapientiæ doctrina ſit. Nimis cumulatum in verbis auctorum, quos produxi, adſcribendis? conſulere volui pauperiorum egeſtati, quibus anguſta res libraria; & occupatorum diſtrictioni, quibus non vacat fontes ipſos adire. Multum in tradendis morú præceptis, in gentilium deliriis refellendis, in Catholicâ veritate confirmanda? hoc malo, quàm λεπτολογεῖν. agnoſco. poſtulabat religioſæ vitæ inſtitutum; poſtulabat militia, cui nomen dedi; poſtulabat hoc æuum, quò inceſta pro caſtis placent, falſa ſanis præferuntur, & bene loquendi multa, bene agendi ferè nulla monita Criticorum ſcriptis proponuntur. At acerbiùs aliquando & ſeueriùs locutus. non nego. fuere pſeudoſapientum fraudes detegendæ, ne falsâ quadam bonitatis & fortitudinis ſpecie iuuenibus ſurreperent, & quas iam perſentiſcimus ſtrages impietatis prophani ſcriptores porrò dare pergerent. Nam (mutuabor à doctiſſimo Tertulliano) ſæcularis ſcientia *temeraria interpres eſt diuinæ ſapientiæ. hæreſes à philoſophia ſubornantur; & de Philoſophorum gentilium ingeniis omnis hæreſis ordinatur. hæreticorum patriarchæ Philoſophi. mimicè Philoſophi affectant veritatem, & affectando corrumpunt, vt qui gloriam captant: Chriſtiani eam neceſſariò appetunt, & integrè præſtant, vt qui ſaluti ſuæ curant.* Philoſophia D. quoque Paullo, concuſſio veritatis viſa. *Athenis enim* (ait idem Tertull.) *expertus linguatam ciuitatem, cùm omnes illic ſapientiæ atque facundiæ caupones deguſtaſſet, inde præcepit præmonitorium illud edictum*; quod ad Coloſſenſes miſit: βλέπετε μήτις ὑμᾶς ἔϛαι ὁ συλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης, κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων, κατὰ τὰ ϛοιχεῖα τοῦ κόσμου, καὶ οὐ κατὰ Χριϛόν. Numquid ergo lentiùs agendum, videnti Philoſophorum omnium fallaciſſimam porticum tam effusè paſſim laudari, & placere nonnullis gloriæ & eloquentiæ ſolius libidinoſis, eoſque trahere poſt ſe complures, & non florere hortulos illorum bono odore, ſine mali afflatu? nónne aſperiùs aliquando ducendus calamus, & duriùs hæc licentia retundenda, & malus nodus impietatis forti veritatis cuneo perfringendus?

De friuolis nugis ſubtiliter diſſerere.

Lib. de reſurrect. mort.
Lib. 1. aduer. Marcion.
Lib. contra Hermog.
In Apologet.

Lib. de animâ.

Coloſſ. 2. Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum.

 vide-

viderint; si Stoicos, orthodoxis patribus; si gentiles histori-cos, Ecclesiasticis scriptoribus prætulerunt; si sapientiam humanam adfectatricem & interpolatricem veritatis, tam exquisitis, & toties iteratis præconiis ad importandam curiositatem inculcarūt. An quod illis seminare mali seminij licuit, nobis herbescens euellere non licebit? an non, quæ hunc in modum de nidoribus philosophiæ, candidum & purum aërem veritatis infuscant, ea fuere Christiano enubilanda? An non interdum manus cum iis conserendæ, *aduersus quos* (ait D. Irenęus) *victoria est, sententiæ illorum manifestatio*? Si ergo, vt idem scribit, conatus sum *vniuersum malè compositum vulpeculæ corpusculum in medium producere, & apertum facere manifestum*, huic labori non reprehensio aut odium, sed venia, & amor nonnullus debetur. Quemadmodum enim si ex denso nemore lupus insidiator in greges transeuntes impetum faciat, multasque conuulneret, & abripiat: qui siluam frondibus & arbustis nudant, & latebras omnes detegunt, bene de pastoribus ouium meriti censentur, quibus belluam effugere aut telis inuadere & confodere, vt esset non difficile, effecerunt: sic cùm in conspectum omnium (nullo scriptorum, sed sententiarum odio) abstrusa illa & mentis penetralibus inclusa Stoę mysteria produxerim, facilè quiuis poterit pedicas vitare, & Circęum poculum non delibare, vel in solum effundere. Aduersus huiusmodi obstrepitacula, an non facilis tibi defensio? fauet veritas. Nec minùs expedita, tali patrono; qui vult, qui potest. Facultas ab eruditione, eloquētiâ, dignitate. Dignitas summa quidem, sed quam virtute exornas, & cui non minorem, quàm illa tibi, concilias dignitatem: & id Antuerpiæ, quæ me nascentem excepit gremio, & natum suis aluit vberibus. Eloquentia fluens à natura, aucta studio & vsu legationum grauissimarum, abundans verbis, copiosa sententiis. Eruditio, complectens vno fasce, quæ vix alij singillatim; historiæ, philosophiæ, iuris, rerum diuinarum humanarumque cognitio. Nam de poësi quid dicam? carmen μεμουσωμένον, splendidum, luculentum, plenū luminibus imi-tatio-

Verba sunt eiusdē Tertull.

Lib. 1. contra hæres. in fine.


Docent commentarij in Suetonium, & sacra poëmata.

A musis concinnatum.

tationis & ingenij, ſonorum, grande, purum, preſſum, prudens; Horatiano ſimillimum, niſi quòd Chriſtianum; & tu Catholicæ fidicen & princeps lyræ, tanto pleriſque noſtri ſæculi Poëtis excellentior, quanto diuina humanis, ſacra prophanis; tanto cultior & dulcior, quanto felix Auguſti imperium nitidius & mellitius rudi & horrido Ennij & Lucilij ſeculo; tanto melior & ſanctior, quanto largior in Dei & cælitum laudes, in quas illi parci, vel (nefas!) blaſphemi. Adiungit ſe ad huiuſmodi facultatem, quæ à virtute, voluntas, benefica & conſtans. ego defenſionis indigens: tu iuuandi & innocentes tuendi cupidus. tu, quos amore tuo dignos ſemel iudicaſti, nunquam deſeris. Tueberis ergo (PRAESVL AMPLISSIME) Syntagma Romanæ Orcheſtræ, à Caniculâ maleuolentiæ, ſub tutelæ & præſidij tui ſypariis, vt,

——ſicut Parnaſſia laurus
Parua ſub ingenti matris ſe ſubijcit vmbra;


ita nunc lucem aſpiciens tenellus pullus, ſub vmbellâ nominis tui deliteſcens, adoleſcat, & ætatem ferat. VIVE, VALE. LOVANII, A. D. IX. KAL. IVN. CIↃ.IↃ.XXCIX.



PRO COMMENTARIIS HISCE

I. LIPSI CARMEN,

Ad ipsum Mart. Antonium Delrium.



SI quemquam è veteri nouaq; classe
Scriptorum colo diligóque, totâ
Mente & pectore; is est vterque scriptor,
Cui nomen SENIVM *dedit seni expers.*
Namque alter superat Thalem vel ipsum,
Qui scriptis sapientibus reclusit
Quidquid in Sophiæ sinu latebat.
Alter, carmine se probat diserto,
Et pleno grauitatis & sonoris,
Quod suum quoque Pallas ipsa dici
Vellet. Hunc tenebræ sed occuparant,
Anne æui vitio? ánne quòd rotundè
Dicta pleraque erant, satisq; acutè?
Hoc tu DELRIE, *corculum Mineruæ,*
Sermones vtriusque doctæ linguæ,
Vidisti: & faculam statim ecce tollens,
Hanc præfers adeò aptè & eruditè,
Vt quem raro aliquis vir antè lêgit,
Nunc legant capiantq; vel puelli.

ΠΡΟ-

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΩΝ LIBER PRIMVS.

DE TRAGOEDIA.

Quid sit tragœdia, & vnde dicta.

CAPVT. I.

ETSI *varia poëtices genera, summa tamen tria Platoni lib. 3. de Repub. & Diomedi lib. 3. vt omnia poëmata sint vel* δραματικὰ, *vel* ἐξηγηματικὰ, *vel* μικτὰ; *quæ nonnulli* κοινὰ, *vt & illa priora* μιμητικὰ *nuncupant.* Mixtum, *partim ab auctoris, partim ab aliarum in eo commemoratarum personis dependet; vt Epica pleraque, Æneis, Pharsalia, Ilias: in* exegematicis *sola auctoris persona attenditur; vt in Lycophronis Cassandrâ, & mul- Horatij Odis:* dramatica, *personarum, rerum, collocutionum viuâ expres- e variantur; & in iis, quid à quoque dictum, gestum, cogitatumq́; sit, pro- itur. huius generis sunt* comœdia *&* tragœdia. *Hæc priùs* τρυγῳδία *llata, vel quòd in Atticâ vindemialibus inuenta sit* κατὰ τὸν τῆς τρύγης *ὸν, inquit Athenæus lib. 2. olim namque* τρὺξ, *vinum recens dicebatur, & demia* τρυγητὸς; *& apud Atticos Liberi patris cantoribus, Liberalibus, orollario vinum dabatur, cuius rei Diomedes lib. 3. Lucilium laudat au- em. primi verò illi tragici, nihil præter Dithyrambos canebant. Vnde i* videtur Aristophanes, in Acharnens., salsè Euripidis tragœdiam, ῳδίαν nominasse, quasi parum sobrij auctoris fabulam. Tragœdiam ta- alij* dici malunt, quasi* τραχεῖαν ᾠδὰν *ab aspero & graui sono, qualis est bantorum barritus; qui non sonant* λεπτὸν, *sed (vt Plutarchus in Pyrrho) ρὰν* ᾗ *τραχεῖαν vocem edunt, vt *suspicer apud Lucianum in Zeuxide dosè illis stridorem tribui, & pro* τετριγότων, *dicendum;* τραχυτήτων. *desunt qui ab hirco nomen ducunt, qui* τράγος *Græcis: vel quod ille Bac- ostia Virgilio, Ouidio, cæteris, & tragœdia initiò solas Bacchi laudes con- bat: vel potiùs à præmio tragœdorum, quod hircum fuisse, censent Seruius clog. & Donatus in Terent. & Horatius ad Pisones;*

Carmine qui tragico vilem certauit ob hircum.

ane vter musto plenus, si Diomedi & Thomæ Mag. credimus; qui priscæ τρυγῳδίας *analogiam reddunt. Significat etiam* τρὺξ *vini fecem; & olim peruncti fecibus ora tragœdi recitabant, putant nonnulli nominis am inde profluxisse. propterea Aristophanes in Nubibus, hosce actores* ῳδαίμονας *vocat; quia (inquit Scholiastes)* τὴν τρύγα χριόμενοι, ἵνα μὴ ιμοι γένωνται, οὕτω τὰ αὐτῶν ᾄδων ποιήματα κατὰ τὰς ὁδοὺς, ἁμα- ἐπικαθήμενοι: *quod expreßit Horatius;*

τρὺξ mustū, Hesychio & Athenæo lib. 15.

*Dissentit Scholiastes, immeritò.

*Tzacius, & Phauorinus.

Non exilem, sed terribilē, & atrocem.

*Suspicor, nō censeo.

*Pro elephantorū stridore audito, *legi debere*: horrido sono elephantorum.

Feculentos dæmones, quia se fecibus oblinût, vt nō dignoscantur, cùm poëmata sua in viis recitant plaustris superstantes.

Ignotum tragicæ genus inueniſſe camœnæ
Dicitur, & plauſtris vexiſſe poëmata Theſpis,
Quæ canerent, agerentque peruncti fecibus ora.

Addit & alias nominis notationes Etymologiſtes, quæ minùs placent; dictam, quòd chori tragici tetragoni formam obtinerent: quòd choris ad voluptatem ſpectantium, Satyri adhibebantur, qui τράγοι *dicti, vel illudendi & conuiciandi causâ, vel propter hirſutum & ſetoſum corpus, vel hircinum in morem ad res Venereas propenſionem; quòd denique perſonarum, quæ chorum agebant, capilli caprorum inſtar erigerentur. Addit idem tragœdiæ nomen, antiquitus comœdiæ commune fuiſſe, quod ipſum ex Ariſtophanis Scholiaſte, & emendatis Suidæ codicibus colligitur. Non minùs dubium, quomodo definienda tragœdia. Theophraſtus definit,* ἡρωικῆς τύχης περίστασιν. *ſed non omnis Heroicæ fortunæ narratio tragœdia eſt. Rectiùs Scaliger; Eſt imitatio illuſtris fortunæ exitu infelici, oratione graui, metrica. ſed mihi, ſi Thyeſtem Senecæ quis proſâ oratione reddat, tragœdiam durè cenſebitur. Fuſior Mynturnus, ſcribit, imitationem eſſe inſignem, ſeriamq́ aliquam, & abſolutam, & magnitudine quadam comprehenſam actionem oratione ſuaui exprimentem: ita vt eius partes ſuo ſingulæ quidem loco, atque ſeorſim adhibeantur; nec ſimplici narratione, ſed inductione illorum, qui ita agant ac dicant, vt miſerationem terroremq́ concitent, ad id genus morborum expiationem. & quaſi concisè nimis hæc tradita, pergit illa poſtmodum prolixiùs explicare. quæ eadem rectiùs Ariſtoteles, cui eſt in poëticis:* Μίμησις πράξεως σπουδαίας καὶ τελείας μέγεθος ἐχούσης, ἡδυσμένῳ λόγῳ, χωρὶς ἑκάστου τῶν εἰδῶν ἐν τοῖς μορίοις δρώντων, οὐ δι' ἐπαγγελλίας, ἀλλὰ δι' ἐλέους, καὶ φόβου περαίνουσα τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν. *Imitatio actionum ſeriarum & grauium, earumq́ exitum ac finem ſuaui oratione complectens, cuius ſingulæ quidem partes ſeorſim aptè exprimantur, omnes tamen eò ſimul tendant, vt metus & cammiſeratio in animis ingenerentur, ad huiuſmodi morborum expiationem.*

Lib. 1. art. Poët. c. 6.

Lib. 3. de Poët. fo. 184.

Quomodo diſtinguatur à comœdia & dithyrambo. CAP. II.



AVDAT *Plutarchus lib. de Athenienſ. gloriâ, & lib. de poët. audien. Simonidem, qui poëſim dixit eſſe picturam loquentem, & picturam eſſe tacentem poëſim. nam vtraque in rerum & naturæ verâ imitatione poſita eſt; pictura quidem vultum & res ipſas; poëſis, mores etiam, voces, actiones, & euenta ante oculos ponit. Zenoni poëſis vniuerſa diuinarum humanarumq́ rerum repræſentationem complectitur, teſte Laërtio lib. 7. Verùm cùm tanta ſit actionum, morumq́ humanorum diuerſitas, tam frequens rerum omnium commutatio, fortunæq́ viciſſitudo: neceſſe fuit diuerſa poëmatum genera excogitare, ad hanc diuerſitatem idoneè explicandam: quæ quidem omnia verum imitari conantur, ſed ſuo quæq́ modo. aliter enim* Tragœdia, *aliter* Epopeïa, *aliter* Comœdia, *aliter* Dithyrambi-

Vide Plutar. lib. de gloria Athenienſ. Theonem & Aphton. in Progymnaſ.

rambica, *aliter* Auletica, *aliter* Citharistica *eo munere fungitur. has enim species Aristoteles tradit: sed Cicero, quòd duæ vltimæ orationis experies sint, earum loco, in lib. de Opt. genere Orator.* Melicam, *seu* Lyricam, *substituit: Eorum omnis imitatio (in hoc enim consentiunt) fit numero, sermone, aut harmonia, iisq́; vel singulis, vel coniunctis.* Numerus *in temporis mensuratione & dimensione positus est, quam pedum obseruationem dicunt:* Harmonia, *in concentu tam vocum, quàm instrumentorum, vt citharæ, vnde Citharistica; vel tibiæ, vnde Auletica:* Sermo *in oratione consistit.* Melici *sermonem harmoniæ & numero solent coniungere: cæteri Poëtæ, harmoniam negligunt, numeros retinent, & sermoni vacant; aliquando quidem carminũ legi orationem astringentes, nonnunquam tamen, prosâ oratione narrationem contexentes, & Dialogos, vel Historiam confingentes. Meliorum namque iudicium secutus, contra vulgi sententiam, arbitror poëseos vim & (vt vocant) essentiam, non in metro, sed in imitatione ponendam, & illum abunde Poëtæ nomen mereri, quicumque aliquid scriptione repræsentat, vel fingit, licet soluta oratione, vt Lucianus, Heliodorus, Achilles Statius, Martianus Capella, & in Eutopia Tho. Morus. nec aliter reor sensisse Aristotelem; qui Poët. c. 7. poëtam ab Historico, non carmine vel prosâ oratione, sed veritate aut falsitate discerni fatetur; nec priscos legislatores Solonem & alios, qui iura publica carmine sunt complexi; nec etiam Romanos, qui xij. tabularum & alias leges, vt ex Cicerone lib. de Legib. & Liuio lib. 1. apparet, carmina nominabant; nec Iurisconsultos, qui librorum suorum, quas lineas dicimus, versus appellabant. Vt enim hæ à vertendo* versus; *& illæ à canendo* carmina; *ita etiam historia quæuis ad lubitum conficta, quouis illa modo conscripta sit, à fingendo vel faciendo* poëma *potest appellari. Sed ad rem. Tragœdia harmoniam, numerum & orationem cum Epopeiâ, Comœdiâ, Dithyrambicâ, Melicâ, & (si vis) Mimiambicâ communem habet: sed à reliquis (præter comœdiam) differt, quòd reliquæ simul iis & eodem vbique ferme modo vtuntur; tragœdia verò separatim in diuersis partibus. nam extra choros, numeros & orationem tantùm retinet, in choris harmoniam adiungit. In comœdiâ idem principiò obtinuit, postea sublati chori, & in eorum locum sola harmonia recepta: ita vt post singulos actus tibiis paribus vel imparibus concineretur. Altera differentia, quòd prologos comœdia nunquam omittit; tragœdia, nunquam admittit, sed eorum loco quasdam quandoq; προφάσεις reponit. Causam produnt, quia Regum calamitates, regnorum euersiones, similesq́; clades proponit tragœdia, quas nemo creditur ignorare: ideo prologis non indiget. Comœdia verò priuatorum hominum mores & casus describit, quos vix vllus, nisi edoctus, scire solet. Caussa ergo desumpta à præcipuâ tragœdiæ notâ & proprietate; quam sic proponit Diomedes lib. 3. In tragœdiâ introducuntur Heroës, duces, reges; in comœdiâ, humiles atque priuatæ personæ. in illâ luctus, exilia, cædes; in hac amores, & virginum raptus. denique in illâ (sic lego) frequenter, & penè semper lætis rebus exitus tristes, & liberorum fortunarumq́; priorum in pœnis agnitio. Differunt ergo euentis & exitu, personarum quoque, negotiorum, & fortunarum qualitate, denique actione, stylo, & exhibendi modo, de quibus postea.*

Natalis lib. 1. Mytolog. c. 4.

Sed & origine. nam comœdia à Phallicis, tragœdia à Dithyrambicis fluxit, si Aristotelem audimus: significauit & cetera non obscurè suâ definitione idem Aristoteles: qui cùm grauium & illustrium rerum imitationem esse dixit, innuit materiam eius esse Regum, Heroumq́; facta & res, non priuatorum mores ac vitam: cùm desinere illam scribit in misericordiæ aut terroris commotionem; hoc ait, exitus eius timore & mœrore plenos esse debere: cùm postulat conuenientem rebus actionem; qualia verba, qui gestus esse debeant, significat: nempe debere non motus & corporis habitum modo graues, & maiestatem quandam præ se ferentes esse, sed verba quoque & dictionem materiæ respondere, grandem, sublimem, à vulgi consuetudine remotam: cùm è contra comœdiæ sermo humi repat, nec è plebeiâ fece emergat. hæc risus & leuiores affectus concitat; molestiores illa & robustiores animi affectiones excitare conatur. permittit tamen Horatius contentionis huius aliquam remißionem:

Versibus ornari tragicis res comica non vult.
Indignatur item priuatis, ac propè socco
Dignis carminibus narrari cæna Thyestæ.
Singula quæque locum teneant sortita decenter.
Interdum tamen & vocem comœdia tollit,
Iratusque Chremes tumido delitigat ore:
Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri.

nimirum, quia, vt subiungit, ——Tristia mæstum
Vultum verba decent; iratum plena minarum,
Ludentem lasciua, seuerum seria dicta.

& olim in tragœdiâ Satyris lasciua verba tribuebantur, vt idem indicat eadem in Arte poëtica, & patet ex Cyclope Euripidis, vbi, Satyrici dramatis exemplum, Sales à Sileno & liberis eius admiscentur. Sed postquam ratio & eruditior norma, Satyris omnino remotis, obtinuit; tam Græcis quàm Latinis Demetrij Phalerei præceptum placuit; qui lasciua & salacia omnia, ridicula, & iocosa, ab Orchestrâ repellit. Nihil ergo nisi serium in tragœdiam introducendum: lenioribus tamen verbis vtetur, & ad comicam moderationem se paululum deflectet, vocemq́; demittet, quando minarum expers, sine iracundiâ, sortem suam deplorabit. cauendum interea ne quid de ornatu & orationis magnificentiâ decedat. omnino namque ornata, & condita suaui grauitate debet esse tragici oratio. id consequetur, si pedum aptâ collocatione, & numerorum varietate, & iucundo chororũ cantu demulcens aures, simul etiam verborum figuris, pondere sententiarum, dictis seueris, rebusq́; illustrioribus, auctoritatem sibi comparare, & spectatoribus admirationẽ incutere conetur. planè seueram esse debere tragœdiam, violentam, animosam, & quæ grauitate genus omne scripti vincat, Horatius & Ouid. docuerũt. Illius illud laudarim;

Aristot. in Poët. cap. 1.

Horat lib. 4. Odar. Ouid. lib. 3. Eleg. & li. 2. Trist.

Effutire leues indigna tragœdia versus;
Vt festis matrona moueri iussa diebus
Intererit Satyris paullum pudibunda proteruis.

Ad hæc mirum, quàm oportuna sint, & quantum attentioni parandæ præstent, crebra diuerbia, frequentes & incitatæ collocutiones, quæ vel singulis versibus,

verſibus, vel dimidiatis conſtent. excellunt autem illa diuerbia, quæ ſenten-ias continent acutas & erectas, maximè ſi repugnantes eſſe videantur: qui-bus noſter vtitur, in Hercule Furente, *vbi Lycus & Megara; in* Oedipo, *vbi Oedipodes & Creon; in* Thyeſte, *vbi Atreus & ſeruus; in* Octauiâ, *vbi Nero & Seneca ſic altercantur. vtuntur his Græci in ſuis fabulis; ſed fortaſ-ſis frequentiùs noſter, accuratiùs etiam & ornatiùs. Illud denique diſcrimen occurrit, comœdiam liberè fingi à quoque poſſe: tragœdiam res non fingere, nec fabulas receptas commutare, ſed vti ſemel receptæ fuerint (quod Ariſto-teles præcipit) retinere: ſanè in his quæ ad primariam pertinent actionem: in ceteris verò, quæ quaſi ornamenta & adiectitia & ad* οἰκονομίαν *tantùm fa-bulæ pertinent, vt Sophoclem & Euripidem ſæpe à ſe mutuò, & ab vtroque Senecam videmus diſſentire; liberum quoque aliis; quæ inſtituto ſuo aptiora amplecti. Veteres tamen contra veritatem finxiſſe fabulam conſtat. nam Me-dea liberos non occidit; ſed id ab Euripide confictum, vt indicat Ariſtoteles, 2. Rhetor. & de Poët. & Ælianus teſtatur lib. 5. var. hiſtor. verùm quia iam recepta hæc fictio, nobis illam mutare non liceret. Quod diximus in tragœ-diâ, initia ſedatiora, exitus funeſtos & horribiles; contrà in comœdiâ, prin-cipia perturbatiora, exitus lætos & pacatos eſſe debere; id & verum eſt, & Ariſtoteli d. operis c. 11. conſentaneum, cùm ait ex felicitate in miſeriam fieri debere commutationem; & à ſecundâ fortunâ in aduerſam; à lætâ & moderatâ, in infelicem & atrocem: non tamen diffitetur ipſe cap. 5. tragicam actionem ex atroci calamitate in inopinatum gaudium erumpere poſſe, vt in Euripideis,* Oreſte, Alceſtâ, Andromachâ, Hippolyto, Iphigeniâ poſte-riore, Iöne, *& aliqua ex parte* Oetæo *Senecæ videmus. ſed hæ à tragœdiæ naturâ non parum degenerant. Scitum enim quod Euripides Archelao pe-tenti vt de illo tragœdiam componeret, reſpondit auerſatus, Ne (inquit) tãtum mali permittat Iuppiter, vt quid tibi tragœdia dignũ accidat. ſignificans eam non eſſe niſi euentuum infelicium poëma. Vnde fit, vt in tragœdiâ potiſſimùm vita moreſq; fugiendi, in comœdiâ vt plurimum vitæ genus, quod capeſſere oportet, proponatur. hæc etiam fingit res quas exhibet; illa rerũ geſtarum veris vtitur argumentis. Hinc tanto humanæ vitæ vtilior iſta, quanto vera fictis præſtant. Fatetur hoc Timocles Comicus luculentis verſibus;*

Narrat Diomedes lib 3.

Citant Athenius in Euripidẽ, Athenæus lib 6. c. 1. Stobæus ſerm. 133.

Ω τ' ἀν ἄκουσον ἤν τι σοι δοκῶ λέγειν,	Aduerte, quæſo, num quod ex vſu eſt loquar.
ἄνθρωπός ἐστι ζῶον ἐπὶ πονον φύσει,	Eſt calamitoſum animal ſuâ naturâ homo,
καὶ πολλὰ λυπηρ' ὁ βίος ἐν ἑαυτῷ φέρει.	Multasque ſecum vita fert moleſtias:
παραψυχὰς οὖν φροντίδων ἀνεύρετο	Mali leuamen repperit ſed hoc ſui,
ταύτας. ὁ γὰρ νοῦς τῶν ἰδίων λήθην λαβὼν,	Vt calamitatis immemor iam mens ſuæ,
πρὸς ἀλλοτρίῳ τε ψυχαγωγηθεὶς πάθει,	Habensque ab alieno malo ſolatia,
μεθ' ἡδονῆς ἀπῆλθε, παιδευθεὶς θ' ἅμα.	Documenta capiat recreata paullulum,
τοὺς γὰρ τραγῳδοὺς πρῶτον, εἰ βύλει, σκόπει,	Primùm tragœdi quanta commoda adferant,
ὡς ὠφελοῦσι πάντας. ὁ μὲν γὰρ ὢν πένης,	Perpende ſodes. ſi quis eſt pauperculus,
Πτωχότερον αὐτοῦ καταμαθὼν τὸν Τήλεφον	Maiore preſſum ſi videbit Telephum
γενόμενον, ἤδη τὴν πενίαν ῥᾷον φέρει.	Mendicitate, leniùs ſuam feret
ὁ νοσῶν δὲ μανικῶς ; Αλκμαίων' ἐσκέ-ψατο.	Mendicitatem. inſanus eſt ne quiſpiam? Furioſum is Alcmæona proponit ſibi.

ὀφθαλμιᾷ τις; Οἰδίπουν εἶδε τυφλόν.	Captus quis oculis? aspicit cæcum Oedipum:
Τέθνηκέ τῳ παῖς; ἡ Νιόβη κεκούφικε.	Gnatus obiit? Niobe dabit solatium.
χωλός τις ἐστί; τὸν Φιλοκτήτην ὁρᾷ.	Claudus aliquísne est? is Philoctetem aspicit.
γέρων τις ἀτυχεῖ; κατέμαθε τὸν Οἰνέα.	Miser aliquis senex? tuetur Oeneum,
ἅπαντα γὰρ τὰ μείζον' ἢ πέπονθέ τις	Alterius etenim quisquis ærumnas viri
ἀτυχήματ' ἄλλοις γεγονότ' ἐννοούμενος,	Esse grauiores viderit, quàm sint suæ;
τὰς αὐτὸς αὐτοῦ συμφορὰς ῥᾷον φέρει.	Animo æquiore miserias feret suas.

qua parte Epicis præstant. nam hi simplici narratione per aures irrepũt: Tragici per oculos etiam, quasi vi, in animos spectãtium viam aperiunt. minimum mouere solent, quæ per aures tantùm intrant; plurimum quæ sunt oculis subiecta fidelibus. Illud quoque notandum, initiò Romæ fabulas omnes Græcanicas fuisse, hoc est à Græcis desumptas, vt sunt Plauti, Terentij, Attij, Ennij, Pacuuij pleræque, & hæ Senecæ philosophi. Quæ conuersæ è Græcis, vel Græcorum gesta continentes, etiamsi non versæ ex Græco, Palliatæ *dicebantur: sed posteaquam,*

Horat. in Epist.

——Vestigia Græca
Ausi deserere, & celebrare domestica facta,
Vel qui Prætextas, vel qui decuere Togatas;

Fabulæ Romanæ non iam Palliatæ, *sed vel* Prætextatæ *seu* Prætextæ, *vel* Togatæ, *vel* Tabernariæ *appellari cæperũt. Comædiæ quidem,* Togatæ *dictæ, quia toga viliorum, & comici popularibus argumentis ludebant: Tragædiæ,* Prætextatæ, *quia Prætexta magistratuum, quorum casus cothurno quàm socco aptiores.* Tabernariarum *mixtum fuit argumentum, & in iis personæ togatæ simul cum prætextatis introducebantur, vt ex Sex. Pompeio docti homines obseruarunt. Quod mixtum mediumq́ poëmatis genus, valde suspicor* Hilarotragœdiam, *vel (vt Plautus)* Tragicocomœdiam *dictum; quòd nec ad Tragœdiæ dignitatem assurgebat, nec ad Comœdiæ humilitatem deprimebatur: huiusmodi est* Amphitryo *Plauti, & Græcorũ* Hercules Licymnius. *Dithyrambica poëmata tragicis breuiora sunt, & turgida potiùs sunt, quàm grauia aut seuera, vtpote quæ Bacchantium vesaniam, non Heroum aut Regum maiestatem repræsentant; nec etiam in actus distribuuntur, nec interloquentium personarum varietate exornantur Satyrica initiò fuêre partes tragœdiæ, & comœdiæ. Quod vt intelligatur, paucis ex obseruatis à Fr. Robortello lib. de Satyra, & in poët. Aristot. Fluxisse non à comœdiâ Satyram, vt censuit Fran. Floridus, sed à Satyra comœdiam ortam additis multis personis, & auctâ mole operis scenarum & actuum diuersitate. Satyricæ enim personæ vna tantùm initiò Satyrus quispiam Sycinnida saltans (de quâ consulendus Athenæus); postmodũ quinque, Satyrus canescens, Satyrus pubescens, Satyrus impubis, Silenus, & Papposilenus, de quibus Pollux lib. 4. & Dionys. Halycarnass. lib. 7. habitum nobis eorum describens; eorum oratio in peruellendis & carpendis hominum vitiis tota versabatur, & huiusmodi scommatismis risum ciebat. Abiit in desuetudinem postea: nam delicatiores hominum aures continuam conuiciandi licentiam non ferebant. sed sic abiit, vt ad tragœdiam se adiungeret. cùm enim hæc, atrocitate & seueritate rerum, quas exhibebat, animos spectatorũ grauaret atque defatigaret: tragici, ne paullatim*

Vide Comment. in Festum.

exple-

ploderentur, iocos Satyricos intermiſcere optimum duxerunt, quibus ſpe-
atores aliquantulum exhilararent. quare (vt ait Horatius) agreſtes Satyros
udarunt, & incolumi grauitate iocum tentarunt, vt illecebris & gratâ no-
tate ſpectatores morarentur. Placuit hoc diu Græcis, Æſchylo, Euripidi, So-
ocli, Achæo, ceteris. Euripidis Cyclops exſtat Satyricũ drama quod luctuo-
m, à Tragicâ perſonâ, quæ ingentẽ calamitatẽ patitur, & à quâ inſcriptio:
liculũ & ſalſum, à Satyrorũ luſibus immixtis. ideo inſcriptionẽ geminã da-
t. talis enim Aſtydamãtis Hercules Satyricus; Achæi Alcmæon Satyricus, et Athenæus
lcanus Satyricus. Admiſcebãt etiã cæteris tragœdiis huiuſmodi ludicra, vt lib. 10. c. 1.
ctariũ quoddam aduentitiũ; non vt neceſſariã operis partem: indeq; factum, lib 4. c. 21. & lib. 14. c. 17.
cum ipſis ſcriptis tragicis non edita in lucem, poſtmodum interierint. Se-
rior deinde Criticorum trutina, has Satyricas inſertiones improbauit, licet
ò; fortaßis paullo ante Ariſtotelis æuum; qui hoc indicat, ἔτι δὲ τὸ μέγεθος Lib. de Poët.
μικρῶν μύθων καὶ λέξεως γελοίας, διὰ τὸ ἐκ Σατυρικοῦ μεταβαλεῖν ὀψὲ
πεσεμνώθη. Ad hæc ad magnitudinem ab exiguis fabulis, & à ridiculâ
ctione Satyris excluſis ad grauem habitum prouecta, ſerò tandem
ieuit. *Latinis poſtea placuit genus illud Græcæ Satyrotragœdiæ: nam fra-*
enta quædam ex Danaë, Proteſilao, Laodamiâ, Centauris, Atalantâ,
aliis, huiuſmodi quid ſubindicant. An tamen Latini Satyras puris tragœ-
s vt ἀπροσδιόνυσα *quædam immiſcuerint & interiecerint, mihi nondum*
uet. Nec arbitror Menippeas huc reducendas. hæ namque non Satyrotragi-
dramata, ſed puræ putæ Satyræ; niſi ſi quæ euentu tragicâ, vt nõnullæ Var-
ianæ. Noſtris temporibus, inter Hiſtriones & Scenicos Italos, viget hoc
us Satyrotragœdiæ; non quidem purum putum illud vetus, ſed quod leni-
Bucolicâ ſuauitate. Paſtoritias, *appellant. tragœdiæ ſingulis actibus vnũ*
colicum drama interſerunt, quod aliquâ ex parte cum tragœdiæ illius ſen-
cohæreat. Vulgò præterea, qui Latinas fabulas exhibent; ridicula & iocoſa
lta, grauibus actionibus immiſcent, vt ſpectantium animi relaxentur. vix
m patiatur hæc ætas ſolidam tragœdiam: fucari illam mauult inani qua-
petulcaq; iocoſitate. Quod, quia peruicêre mores, & præſcriptum quo-
nmodo; vt planè probare non poſſum, ita nec improbare penitus auſim.
o dumtaxat monendi videntur Hilarotragœdi noſtri; ne vernacula &
bara commiſceant; & ne nimis ridiculis, vel laſciuiâ fractis abutantur,
nores huius Horatiani;


> Verùm ita riſores, ita commendare procaces
> Conueniet Satyros, ita vertere ſeria ludo,
> Nequicumque Deus, *&c.*

nma. iudicium his in rebus, regulam ac normam eſſe. Sed an vlla tragœ-
ſolutâ oratione ſcribi queat? cenſeo non temere id admittendum: etſi
tetem Thebanum Tragicum memorent id factitaſſe: & ſanè propterea Robortellus in Ariſtot. poët. ex Suida & Laërtio.
ædia eſſe non deſinat. Rectiùs noſtri, Tres Græcos ſuperſtites, & Sene-
imitabuntur.

Quotuplex sit tragœdia.

CAP. III.

De his copiosè Mynturnus lib. 3.



I ætatem spectes, tragœdia alia vetus *est, partim Dithyrambica (nam ex Dithyrambis fluxit tragœdia, teste Aristotele) partim Satyrica; quæ nihil aliud fuit, quàm chori continuum carmen, admirandum aliquem euentum continens; accessit postea altera persona, quæ alternis responderet; mox tertia; denique sic actio excreuit, vt quinque actus expleuerit: alia* recentior *est, quæ sales cũ satyris reiecit, Dithyrambum verò, vt partem dumtaxat operis, idq́; raro admisit. Iocosum etiam fuit illud in quo pleraque quibusdam veris assumtis fingebantur, vt Agathonis ἄνθος; de quâ Aristoteles de Poët. Ælianus var. histor. lib. 14. Athenæus, Lucianus, & alij. Si loci ratione malis diuidere; alia erit* Latina, *quæ &* Prætextata, *vt* Octauia, *& veterum* Brutus, Decius, Paullus, Scipio: *alia* Græca, *quales Senecæ nouem. A genere argumenti, duplex quoque tragœdia: quædam* pura, *quæ sola nomen meretur: alia* mixta, *quæ salibus respersa, vel prospero exitu clausa, in quo genere Achæus excelluit. Aristoteles quatuor species prodidit, πεπλεγμένην, implicatam euentibus, & peripoetiis, qualis est* Oedipus; *παθητικὴν, affectuosam, qualis* Hippolytus; *ἠθικὴν, moribus formandis institutam, vt Sophoclis* Philoctetes; *denique θεολογικὴν, in qua ab humanis rebus aliena spectantur, & Deorum colloquia inseruntur, vt* Prometheus vinctus *Æschyli. priora duo genera maximè tragica sunt, in quibus hæ decem Latinæ versantur. Scaliger lib. 1. cap. 8. etiam* Grammaticæ *cuiusdam meminit; quæ inutilis est, & ad impuras pertinet.*

De partibus tragœdiæ, quas vocant κατὰ τὸ ποσὸν.

CAP. IIII.



ARTES *tragœdiæ, iuxta Aristotelem, considerantur, vel penes* molem *seu quantitatem, vel penes naturam &* qualitatem; *κατὰ τὸ ποσὸν, καὶ κατὰ τὸ ποιόν.* Molis *partes diuidimus in actionem scenicam & choricam.* Scenicam *histriones peragunt, & argumentum propositum exhibent, & constat actibus tantùm quinque, ex Horatij præcepto;* Néve minor, neu sit quincto productior actu. Actus *Latini, δράματα Græci, ab agentium imitatione. ὅτι μιμοῦνται δρῶντας, quòd agentium & negociantium mores imitentur. Sunt autem quasi singula tragœdiæ membra, quibus singulatim partes illius exhibentur. Hinc patet vnumquemque actum partem aliquã fabulæ absoluere debere; ita tamen, vt à præcedente subsequens quodammodo trahatur, vtq́; res non dissipata, sed aptè distributa videatur. scio, quid alij, de actuum modo: sed ego nullos vltra septimam scenam productos apud veteres inuenio; & quis hodie spectatorum ferat, si ad decimam vsque singuli extendantur? Omnino namque curandum, vt totius tragœdiæ, intra vnius potissimum solis vel paullo plus minúsve, periodum*

Aristot. Poët. c. 8.

actio

ctio sit; hoc est, vno ferme die absoluatur. Nam & Aristoteles hoc disertè præcipit, & veteres omnes factitarunt. & Æschylus reprehensus, quod Nioben triduò exhibuisset, vt colligitur ex Suidâ & Aristotele. Rursus hanc actionem Scenicam accuratiùs diuidere possumus dupliciter. primò in πρόλογον, ἐπιζόδιον, ἔξοδον, καὶ χορικὸν: *Deinde in* Protasim, Epitasim, & Catastrophen. Prologi *nomen latè sumimus, vt commune tragœdiæ & comœdiæ; nam pressiùs,* prophasis *in tragœdia; quod* prologus *in comœdia;* exordium *in oratione,* procemium *in cæteris; pars scilicet, quæ primum chorum antecit, & qua patefit aditus ad fabulam. ea vt plurimum extra fabulam est, licet non semper, vt in* Hercule Furente *apparet; vbi Iunonis actio nec omnino in fabulâ, nec prorsus extra fabulam.* Episodium, *secunda pars tragœdiæ, complectitur id omne, quod intra choros est, vt sunt plerumque secundus, tertius, & quartus actus: atque ita plerumque tria in vnaquaque tragœdia sunt Episodia. Nam cùm principiò tragœdia tantùm simplici chorico (hoc est Dithyrambis) carmine constaret, ad augendum poëma, tollendúmque fastidium, excogitata, quæ choris intericerentur, Episodia, quasi introductiones ad ipsa cantica: ea sunt vel extrinsecus accersita, vt in* Hercule Furente, *quæcunque ad Creontis mortem, Lyci tyrannidem, Megaræ & filiorum & soceri à Lyco pericula pertinent; vel in ipsâ fabulâ nata, vt omnia quæ Herculis ab inferis reditum consequuntur, vsque ad Exodum. In* Hippolyto *Episodia sunt, colloquia nutricis & Phædræ, et vtriusque cũ Hippolyto & Theseo. In* Thyeste, *Atrei & serui, &c.; denique quidquid in tragœdiis præter rem, cum re tamen coniunctum, ad amplificandum ornandumq́; poëma apponitur. At* Exodus *dicitur, reliquum scenicæ actionis, quod euentum & exitum fabulæ continet, quo peracto, spectatores dimittuntur; nempe quicquid vltimum chorum subsequitur: qualis est ferè semper quinctus actus. quia rarenter quinctum actum chorus sequitur, nec nisi vt pars & interlocutoris personã gerens; vt ex* Hercule Oetæo, Oedipo, & Octauiâ *colligitur.* Protasis *prologi vice est, seu loco prophaseos; in qua sæpè vnus, sæpè Sophoclis & Æschyli more duo colloquendo fabulam inchoant, & magnam argumenti partem, non omnem tamen declarant, vt in* Thebaid., Thyeste, Oedipo, Agamemn. *huc spectat præceptum illud Mynturni lib. 3. vt neque ab vltimis, neque à nimis remotis incipiat. exemplo sint Sophocles in* Lorario, *qui non ab armorum iudicio, quæ causa Aiacis insaniæ, sed ab ipsâ orditur insaniâ; idem in* Oedipo tyranno, *non à Laÿ cæde, sed ab oraculo illam expiari iubente; & Euripid.* in Phœniss. *qui non à bello Thebanis illato, sed à pace per Iocastam frustra tentatâ; & in* Alceſtide, *non ab oraculo Admeti, sed ab illâ moriturâ; & noster in* Medeâ, *non vt Ennius & Euripides ab Argus ædificatione, sed à Iasonis nuptiis cum Creusâ; aliàs etiam semper vel ab ipsâ re, vel à non remotis orditur.* Protasis *ergo fabulæ priorem partem exponit, & periculum intentat, partem tamen potissimam reticet, vt ipsâ suspensione & ignoratione spectatoribus auiditatem exitus cognoscendi ingerat, & rerum maximarum exspectatione ad catastrophen vsque lactet. Quod ipsum in Epitasi studiosiùs adhuc curandum. nihil enim aliud est* Epitasis, *quàm ipsa inuolutio & perturbatio rerum om-*

nium, in qua pericula, & iræ, & minæ crescant, & malorum præparatio contineatur, mutatioq; rerum, dubiâ quasi luce, incipiat se prodere. Magnâ hic curâ & acri iudicio opus est, vt tota series dramatum, quasi cathenæ annelli, cohæreat; posteriora vt mediis, media prioribus respondeant, semperq; vnum ex alio quasi nascatur: vt nihil adducatur, quod non aut necessariò, aut valde probabiliter consequi videatur. Epitasis ergo totum id continet, quod inter propositionem & conclusionem fabulæ, hoc est inter protasin & catastrophen, intercedit. Catastrophe *enim est, quæ exitum argumenti & conuersionem fortunæ in melius, vel in deterius exponit, integra demonstratio & absolutio fabulæ. In qua præceptum Horatij obseruandum;*

Ne pransæ Lamiæ viuum puerum extrahat aluo:
Ne pueros coram populo Medea trucidet:

vt stupra, cædes, parricidia, cetera nimis atrocia, fœda, aut incredibilia, ab oculis remoueantur, & quasi intus gesta, à personis idoneis, quibus maximè comperta sint; quæq; misericordiam, terrorem, indignationē mouere queant auditoribus, narrentur. fit tamen aliquando, vt tam atrox sit præparatio in Epitasi posita, vt nequeat satis assurgere catastrophe, nisi crudelia facinora in ipsâ scenâ peragantur; quod in Senecæ Medeâ contigit. Scio quartam partem à nonnullis adiici Prologum; *sed eius loco tragicis, vt dixi, protasis est, vel prophasis:* catastasis *etiam, quam addunt alij, aptiùs ad epitasin reducitur. Igitur tres tantùm partes tragœdiæ, & prologus cum prophasi, episodium cum epitasi, exodus cum catastrophâ cōuenit. Hæ porrò partes, cunctæ Scenicæ sunt. nam chorìcum non habet partes, nisi singulos choros, de quibus suo loco.**

Myntum. lib. 3. Scalig. lib. 1. c. 9.

De exodio nihil addo, quia vere non fuit pars tragœdiæ. vide comm. antiquum in Iuuen. Sat. 3.

De partibus Tragœdiæ.

κατὰ τὸ ποιόν. Cap. V.



HAS *Aristoteles Poet. cap. 5. quinque commemorat, μῦθον, ἤθη, διάνοιαν, λέξιν, ὄψιν, μελοποιΐαν, fabulam, mores, sententiam, elocutionem, actionem, modulationem; siue, vt vertit Mynturnus, fabulam, mores, verba, sententias, spectationem, cantica; siue, vt Scaliger cap. 10. lib. 1. fabulam, mores, sententiam, dictionem, apparatum, melodiam.* Fabulæ *Philosophus seriem seu tractationem τὴν σύστασιν attribuit: tractationi verò subiicit περιπέτειαν, ἀναγνώρισμον, πάθος; quas singulas deinde explicat; vt περιπέτεια significet euentum vel exitum rei memorabilis, incredibilis, inexspectatæ, quando actio in contrarium, quàm putabatur, euentum exit: vt cùm Corinthius senex læta cupiens Oedipo nunciare, in magnas illum coniicit molestias, in Senecæ* Oedipo: *ἀναγνώρισμος seu agnitio, quando ex ignotis noti, vt Orestes & Iphigenia,* in Iphigen. Aulidensi; *ex hostibus amici, vt Atreus & Thyestes, in* Thyeste; *ex amicis inimici fiunt, vt Phædra & Hippolytus, in* Hippolyto. *πάθος verò, inquit, est πρᾶξις φθαρτικὴ ἢ ὀδυνηρὰ, actio calamitosa & molestiæ plena, vt exhibitio vulnerum, cædium, cruciatuum, sicut Medeæ parricidium, Hippolyti distractio, Astyanactis præcipitatio, & similia. Fabulæ ergo omnes vel sunt simplices, vel connexæ,*

Myntum. lib. 3. de Poet.

æ,vel patheticæ. Simplices vocant quæ vnam actionem complectuntur, e vllâ agnitione, sine vllâ rerum quæ aguntur mutatione inexspectata, vt rip. Medea, Antigona, Hecuba; & Æschyli ferè omnes, & Senecæ edea, & Octauia. Connexæ sunt, quæ vel agnitionem, vel inopinatam tationem referunt, vel rem vtramque ex ipso rerum contextu ita nexam, ex his quæ euenerunt aut sit necesse, aut sit verisimile sic euenisse; vt apud rip. in Iphig. Taurica, & in Ione, apud Senecā in Oedipo, & in vtro- e Hercule. Patheticas nominant, quæ per cædes, per vulnera, per suppli- & huiusmodi, tristes exitus habent, vt Medea, Hippolytus, Thyestes, ferè omnes Senecæ; cuius pleræque fabulæ mixtæ sunt ex connexis & pa- ticis. hæc de fabula.

Mores & personas rectè Tragicus exprimet, si cuiusque indolem, inge- m, institutum, affectiones, consuetudinem, quâ verbis, quâ actione decla- t, iuxta Ciceronis 3. de Orat. & Horatij in Arte ad Pisones normam. ribus connexæ sunt perturbationes; quibus ita se affectos, qui agunt, de- strant, vt miserationem, terrorem, iram in auditorum animis accendant. mores pertinet, mites, asperos, liberales, auaros, intemperantes, modestos, bos ac improbos proponere; ad perturbationes verò, infelices, miseros, cala- osos. In Hippolyto vides expressum pudici, rigidi, seueri adolescentis inge- m, in Phædrâ, improbæ amantis, nimium se demittentis effigiem; in The- principem trucem, iræ impotentem, præcipitem, in quo tamen paterni amo- igniculi nondum penitus exstincti: in Atreo, tyrannus vindictæ cupidus, manis, crudelis, perfidus, & quales hodie (proh dolor) nonnulli, exprimitur; o cum quo tyrannus consilia communicat, fidi & probi serui indolem cer- nus; in nutrice Phædræ, fidam alumnæ, vel vltra aras, at impudentem & eratam anum: atque ita deinceps de ceteris personis earumq; moribus, deq; urbationum exemplis, fusißimè Mynturnus d. lib. 3. à pag. 192. & ea de mouendis affectibus, locisq; ad id idoneis, à pag. 241.

Elocutio, siue dictio perspicua sit oportet, non humilis tamen, nec abiecta. spicua erit, si propria, & penè cum rebus ipsis nata. Lecta verba & illustria ectanda, quæ plenum quiddam & sonans auribus ingerant; obsoleta & cta abijcienda. quanquam interdum prisca quædam, & quæ nunc in hono- on sunt, augere videntur orationis dignitatem; vt apud Senecam, clepere, dere, anquirere, obducere, sublimus; apud Virgiliū, mî, olli, actutum. spicuam præterea reddes orationem, si nihil deficiat, nihil redundet, nec ni- longo ambitu conclusio circumferatur; ambiguitas, obscuritas, loquacitas, i & vacui verborum ductus fugiantur. at inusitata, peregrina, nouata, flata, si modicè adhibeas, dici nequit quantum ornatus addant, quantumq; itatis adijciant: splendent enim & relucent vt sereno cælo stellæ noctur- rident vt verni viridanti in prato flores. Inusitata quidem velim intelli- non quæ nostrâ temeritate confinguntur, sed quæ aureâ illâ Augusti æta- & paulo pòst ad Traiani vsque, eiusmodi ducebantur, & è bonis scriptori- postmodum recepta fuerunt; quamuis nunc plerisque incognita, obsoleta antur. Peregrina voco, quæ claßici scriptores, vel ex Græcâ, vel ex aliâ

linguâ sunt mutuati; non quæ hodie Galli, Hispani, Germani, Itali, patrio in solo nata, Latij iure donare conantur: nouata, quæ veteres aut deriuatione, aut litteræ, syllabæve additione, vel detractione, aut aliâ ratione (de quo Mynturnus consulẽdus à pag. 449.) nouarunt: tralata quæ dicantur notũ est; quorum species ab eodem Mynturno quiuis potest petere, vt & numeri, & structuræ, quomodo sit interpungenda oratio, rationem. Accedet denique noua lux elocutioni, si verborum & sententiarum figuris comatur & varietur oratio: nam ista quasi color & habitus sunt orationis. sed ea tractatio communis est poësi vniuersæ, & ad Rhetores pertinet. Pete, si lubet, à Mynturno lib. 6. à pag. 509. de exornationũ verò locis à p. 538. de variis etiam dicendi generibus à p. 548.

à pag 454. & à pag 464.

Sententiam ex *Aristotele idem d. lib. 6. describit, qua vir grauis, earumq́; rerum de quibus agit peritus, non quod lubeat, sed quod sequendum sit, vt præstantius, & quod vt deterius fugiendum, vniuersè non singulatim pronunciat. hæ vel rationi subiunguntur, vel subiunctam habent rationem; vel solæ sine vlla ratione sumuntur quia simplices sunt, & cuiuis credibiles. Robur accipiunt si à senibus & grauibus viris dicantur; vim amittunt, quando ab adolescentulis vel mulierculis pronunciantur. cauendũ ne palàm falsæ, ne ineptæ, ne perplexæ, ne obscuræ sint, ne sæpius & passim, sed suis tantùm locis collocentur. Nec vulgares & concisæ omnino improbandæ. aptissimæ namque sunt diuerbiis (sine quibus friget tragœdia & hebetatur) quòd aduersus eas facilè sit cuique, prout institutus affectúsque est, disserere. Ænigmaticæ quandoque, sed rarissimè admittuntur.*

Immeritò id in Senecæ tragœdiis quidam reprehendit.

Spectatio, *siue apparatus*, κοσμὸς ὄψεως, *potiùs alterius artificis videtur, quàm poëtæ. Spectat enim ad Choragum, propter machinationum & instrumentorum, rei ob oculos exhibendæ necessariorum, constructionem. Debet tamen hic artifex à tragœdo instrui & doceri, vt apta sint illa & accommodata actioni, vtputa quando Medea in äerem à duobus draconibus sublata rapitur; quando Iuno ex theologio loquens inducitur; quando Myrrha in arborem mutatur. Decorum etiam in personarum habitu seruandum, ne miser pictis, felix pullis, senex iuuenilibus, plebeius purpuratis vestibus induatur, sed pro suâ singuli conditione exornentur. qui locus elegans est, & à Mynturno ita copiosè tractatus lib. 3. de poëta pag. 242. vt ineptus sim, si brassicam hanc recoctam vobis apponam.*

Restat Melopiâ, *quæ, vt aduertit Iulius d. c. 11., prorsùs aliena est ab ipso poëtâ. nam quoad sonum, ad modulatorem; quoad gesticulationem, quæ interdum cantui adijcitur, ad saltatorem; quoad actionem, ad histrionem pertinet.*

De personis tragicis. Cap. VI.

PERSONÆ *tragicæ primarum, secundarum, vel tertiarum partium sunt* πρωταγωνισαὶ, δευτεραγωνισαὶ *(quos Æschylus) &* τριταγωνισαὶ *(quos Sophocles addidit). Primis præcipuum tragœdiæ pondus incumbebat, & his etiam cedebant voce reliqui, etiam si plus poterant, vt Cicero docet, & Plautus; & ex iis, aliisq́; præterea Budæus in Commentar.*

ling.

ng.Græc. & Cælius lib. 5. antiq. lection. Personæ verò omnes vel sunt actuū, el chororum. Actuum personæ, scenicæ; chororum, choricæ vocantur. Scenicæ ntroducuntur, quibuscunque miserabile, horrendū, vel admiratione dignum uid euenerit, boni, improbi, hostes, amici, affines, alieni, ciues, peregrini. In uibus id obseruandum monent, ne vltrà quàm quinquies eadem persona rediatur, vt Donatus iubet. Dauus tamen in Andriâ sæpius exit. Quamis tamen in scenam plures simul personæ prodeant aliquando, tres tamen loui tātùm par est, Horatio Censore; —nec quarta loqui persona laboret. edo, ne loquentium multitudo confusionem pariat, & mentem auditorum in uersa distrahat. Diomedes tamen lib. 3. admittit quattuor interlocutores, d addit non frequenter faciendum: Plautus hac in re, vt in aliis plerisque, lex est. Tutius reor, si quartam non admittamus, nisi minimum quid vel sem, vel cum aliâ persona obiter loquentem, quod apud Terentium obseruaui Andr. act. 3. & 4. & Senecam in Troade & Agamemn. Expediet etiam ndem aliquando personam aliquot actibus in scenâ relinquere, dummodo ceat. sic Senecæ Medea videtur per actus aliquot è scenâ non abiuisse, & Heba Euripidis non paucioribus ante fores humi iacuisse. Vitiosum enim foret, In Hecuba. vel minimo momento scena nuda remaneret. quare prospiciendum, sub actis singulis, ne, donec absoluantur, personæ omnes ita discedant, vt nulla in eatro reliqua maneat; sed semper aliqua relinquenda ad actionem contiuandam, & prudenter aliæ sufficiendæ, quæ cum remanentibus colloquanr. Vnoquoque autem actu finito, tunc omnibus personis scenicis discedentis, rectè theatrum nudatur, vt chorus vices suas obeat; non rarò tamen si res stulat, personarum aliqua, cum choricis locutura, non tamen cantatura, nisi rtè vt præfica, remanet. Porrò hic se commodum offert illa dubitatio, an cæes in scenam inducendi? ait Plato, negat Aristoteles. placent qui sententiam udunt, vt Comicis id nullo modo liceat, quod Plautus ipse in Prologo Amitryonis non dissimulauit: tragicis tum demum concedatur, cùm, vt ait ille, —dignus vindice nodus inciderit.— veluti quando enarranda, quæ mini fas non est scire, vt sunt futura, & præterita prorsus obliuione sepul- quod in protasi quidem continget, quando postea nunquam, vel non ita mmodè fundamentum totius actionis iaceretur; vt apud Eurip. in Alcesti, road. & Hippolyto coronato, Sophoclem in Aiace Lorario, nostrum in ercule Fur. in Epitasi fit eisdem de causis, si se potiùs illic offert oportuni-: in catastrophâ quoque, cùm se aliter fabulæ exitus explicare nequit, vt in uripidis Hippoly. & Ione, in Senecæ Oetæo. hoc enim Plato in Cratylo, Cicero lib. 1. de nat. Deor. permiserunt. Rarius est, nec imitandum, quòd quando maior totius actionis pars Deo tribuitur, vt apud Æschylum in ometheo vincto, & Euripid. in Bacchis. Ex hac consuetudine natum Vide Adagi. & Cæl. um lib 8. antiq. lect c. 8. ouerb. Græcorum, Deum ex machinâ loqui. Quod de cælitibus introducen- dixi, idem de inferis accipiendum, vt in quauis actionis parte, si res poscat, ocentur; non ex machinâ, sed ex loco vnde ceteræ personæ, vel potiùs hiante deducto tabulato, quasi ex terræ visceribus prodeuntes: sicut apud Eurip. odit vmbra Polydori in Protasi, apud Senecam in eadē Megara & Thyestes:

at in Octauiâ, prodit Agrippina in Epitasi. Ceteræ personæ tragædiarum (vt dixi) illustres & graues esse debent, vt Reges, Principes, Duces, Vates, Sacerdotes, &c. præcipuæ quidem, quibus fabulæ pars potißima quasi fundamentis incumbit: nam & aliæ minùs illustres personæ, vt serui, nuncij, pastores, nutrices, rerum gestarum ordine exigente, solent interseri. Quòd si his vilioribus personis præcipuæ partes attribuerentur, ex Palliatis vel Prætextis, in Tabernarias fabulæ degenerarent.

De choris. Cap. VII.



Horvm *definiunt partem tragædiæ inter actum & actum. non satis aptè. quid enim si post vltimum actum ponatur? placet ergo, quod Scaligero lib. 1. cap. 9., vt chorus sit pars fabulæ post actum introducta cum concentu. Est velut altera fabulæ pars, constans præter histriones certo personarum numero ex viris aut feminis, vrbanis vel rusticis, pro argumenti varietate. interponendi chori causa, vel festiuitas, vel ornatus & pompa, vel ipsa necessitas: vt cum scenicus sermonem conferret, vel alia aliqua, quæ muneris eius erant, exsequeretur. quando in ipsa actione chorus interuenit, loquitur, in ipsâ statim parodo. (nam quod in Oedipode Tyranno Sophoclis in primâ parodo chorus non loquitur; id fit quia proprius chorus non est, sed puerorum qui vnà cum sacerdote ab aris recedunt, vt notauit Robortellus.) aliàs, inter actum & actum canit, aliquando bonis fauens, vt Eurip.* Iphig. Aulidensi, *& Senecæ* Hippol. *vel amicis consulens, apud Senecam* Octauiâ *& Eurip.* Oreste; *vel iratorum impetum refrenans, vt Sophocl.* Aiace, *Euripid.* Electrâ *&* Heraclid. *Senecæ* Hippoly. *vel secreta tegens, Euripid.* Hippoly. *vel Deos laudans, vt* Oedipo *&* Agamemn. *vel deniq. pro miseris preces fundens, aut superbis diras imprecans: quæ breuiter Horat.*

Actoris partes chorus, officiúmque virile
Defendat: neu quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat & hæreat aptè.
Ille bonis faueátque, & concilietur amicis,
Et regat iratos, & amet peccare timentes:
Ille dapes laudet mensæ breuis, ille salubrem
Iustitiam, legésque & apertis otia portis:
Ille tegat commissa; Deósque precetur & oret,
Vt redeat miseris, abeat fortuna superbis.

Sed & quando calamitas tanta, vt consolationem respuat; tunc eâ omißâ luget cum lugente, vt in Oedipode tyranno Sophoclis, & in Hercule Oetæo Senecæ, & in Troadibus, & Octauiâ. Choros dictum est, principio tragædiæ & comœdiæ communes fuisse; à comicis relictos, tragicis proprios factos. antiquissimi Satyris constabant, personis hirsutis, nudis, & hircino more comam struentibus, vt auctor est Etymologistes, & Horatius;

Mox etiam agrestes satyros nudauit, & asper
Incolumi grauitate iocum tentauit, eo quòd

Illece-

Illecebris erat, & gratâ nouitate morandus
Spectator. ——— *non diu hæc obscœnitas viguit. repudiati Satyri,*
& aliæ, pro ratione fabulæ quæ agebatur, cuiusuis ætatis, sexus, conditionis
ersonæ receptæ: quarum numerum scribit Diomedes lib. 3. definitum non
se. Æschyli tempore quinquaginta personas recepit; vt asserunt Victor lib.
e Comœdia, & Pollux lib. 4.; sed cùm ille tot Eumenidibus introductis Athe-
iensium coronam consternasset, lege latâ sancitum, vt pauciores adhiberen-
ır. Non ergo sponte minuit Æschylus chorum; sed causa fuit, cur Athenien-
um lege minueretur. Sic enim illud Aristotelis, καὶ τὰ τοῦ χοροῦ ἠλάττωσε,
t quę circa chorum sunt imminuit, *ad quod nihil vir doctissimus in com-*
entar. putarim accipiendum. ita aliquamdiu chorus duodecim personis con-
itit: deinde Sophocles tres addidit, vnde cœpit quindecim habere. has in duos Vide Pollucem d. l. 4. c. 15.
dines diuidi solitas aiunt. nam Cyclicus ille chorus apud Xenophontem in
economi. ad tragicum nō spectat, sed ad dithyrambicū poëma; eius hæc forma:



tragœdiis chori ingrediebantur vel hoc modo;



hoc ζύγον seu iugum *vocabant, retento prisco nomine: quia priùs in duas* Scalig. lib. 1. poët. c. 9.
ntùm partes diuidebatur chorus. vel ingrediebantur quini tribus ordinibus;



od στοῖχον siue versum *nominabant. priore modo κατὰ ζυγὰ per iuga in-*
edi, posteriore κατὰ στοίχους per versus dicebantur. Hos ego ordines vnà
m quindecim personarum numero introductos puto. nam quando incerta &
mia illa Æschyli multitudo vigebat, arbitror singulos, vel sanè binos Or-
estrā ingredi solitos; quando duodecim tantùm, vt ab Æschyli obitu, vsq;
Sophoclem obtinuit, arbitror ternos ingressos. atq; ita intelligo quod Etymo-
gistes scribit, chori formā tetragonā fuisse, scilicet vel à fronte ingredientiū,

vel sanè ab eorundem latere

n enim video quomodo aliter ab errore scriptor ille vindicetur. Singulos
e striatim credo quouis tempore ingredi potuisse: rarò tamen id factitatum,
c, nisi vestium dissimilitudo, vel qua alia causa hortaretur. Semper etiam
uit chorum in duas partes diuidere, idq; διχορία dicebatur; ipsæ verò partes
Cantica, quæ tum alternatim proferebantur, ἡμιχόρια & ἀντιχόρια, teste
lluce. Sic ergo distributi, peractâ protasi (nam insolens est fabulæ initium à
oro duci, vt apud Æschylum in Persis, *& Eurip.* in Rheso) *solo* chorago*
ecedente, chorici subsequebantur, à sinistrâ quidem theatri parte egredien-
tes,

*Choragus erat dux chori, eiq. curæ chori ducēdi & reducēdi, & ornamētorum asseruatio suppeditatioque.

tes, si vrbanâ multitudine constabant; à dextrâ verò, si rusticanâ & peregrinâ, & ad choragi normam, mouebantur, consistebant, lugebant. Mouebantur in ingressu & aditu: consistebant calamitatem canere incipientes: lugebant & miserabantur, quando suam vel communem miseriam deplorabant: suam, in Troa lib. & Herc. Oetæo; *communem,* in Oedip. *chori prima persona, coryphæus; secunda, παράςατης; tertia, τριτόςατης vocatur, vt docent Didymus in Pindarum, & Faustus Victor. lib. de comœd. Coryphæo itaque inchoante, chorus in hanc atque illam partem mouebatur, primùm quidem à dextrâ in læuam, imitatione primi cælestis orbis, qui ab Oriente in Occidentem voluitur, quem motum ςροφὴν vocant: deinde à læuâ in dextram, ad similitudinem stellarum errantium, quæ contrario motu ab occasu in ortum nituntur, qui reditus ἀντίςροφη nuncupatur: postremò cùm ita vestigia sua relegissent, in medio, & quasi in conspectu Deorum consistebant, terræ situm in tanta cælorum rotatione immobilem significantes. semper autem ita se mouentes, & quasi saltantes, simul concinebant. canticum autem quod durante ςρόφη canebatur, ᾠδὴν vocabant; quod dum ἀντιςροφὴν conficiebant, ἀντῳδὴν; quod stantes concinebant, ἐπῳδὸν, ἐκ τοῦ ἐπᾴδεσθαι, quia prioribus accineretur. Hunc morem à Theseo ex Cretâ redeunte in memoriam intorti & flexuosi labyrinthi institutum vult Victorinus. Chorum ad tibiam olim canere cōsueuisse, ex Horatio constat, & aptum fuisse concentum, si cum præëunte magistro conueniret, numeris & modis eius respondens, docet ex Xenophontis Oeconom. Columella; item si luctuosum harmoniæ genus, mæstum, flebile, summissum, pacatum, minimè incitatum, ipso sono calamitatem præ se ferret. Omisso quoque cantu, chorus interdum loquebatur, idq́ vel loquēte vno pro omnibus, vel pluribus simul, vel etiam cunctis, vt Diomedes notauit lib 3. addens tunc omnes loqui debere, quasi vnâ voce confusâ, & concentum* (sic repono) *in vnā personam reformātes: & hoc voluit Aristot. dum asserit chorum tanquam vnum actorem æstimari debere. Vt plurimum tamen vnum loqui expediet, idq́ in fine vel initio actus, si id fiat ad actuum connexionem, & alio id genere versuū, quàm quo canētes fuerant vsi, vt videre est apud Sen.* in Her. Fur. act. 1.

Videtur Lambinus in Horat. putare perpetuò vnum duntaxat loqui debere: sed fallitur, nec voluit id Aristoteles.

Sed mæsta venit, *&c. &* in Oedip. *act.* 1. *&* in Agamemn. *& alibi: vel, si necesse sit, in mediis actibus, vt* in Thyeste. *tunc tamen summopere cauebit, ne intempestiuè intercinat,*

Quod non proposito conducat & hæreat aptè.

Ex quibus chori officiis quattuor illæ partes natæ, quas quidā choro tribuunt, πάροδος, primus in theatrum ingressus; ἐπιπάροδος, iteratus ingressus; ἄφοδος, finalis egressus; & μετάςασις, medius digressus, quando scilicet in medio fabulæ vtramque in partem chorus digrediebatur. sed Aristotelem sequor, qui concisiùs, & agnoscit tantùm πάροδον, ςάσιμον, κόμμον: vt πάροδος sit, prima chori locatio siue expositio; ςάσιμος seu statarius, ipsum chori canticum; κόμμος, communis chori & scenicorum, qui in theatro remanserunt, lamentatio. Postremò his peractis, chorus eodem quo ingressus fuerat ordine, egrediebatur, non tamen semper totus; sed vt plurimum chori pars dimidia in scenâ permanebat: tum vt vel inter se, vel cum spectatoribus colloquerentur, & futuris

...ris viam aperiret, tum ne vnquam scena vacaret. Interdum totam fabulam laudebat; quod quando faciebat, graues quasdam & splendidas, sed perbreues ...ntentias pronunciare consueuerat, vt fit in Euripid. Hecuba, & Iphigen. ...onnunquam à choro intus aliquid gerebatur, quod in theatro exaudiretur, ...uod παρηγόρημα vocabant, vt facit ranarum chorus apud Aristophanem: sed ...istimo hoc à tragœdiis alienū. Quòd si quæ poëta loqui astantibus instituit, ... transiens chorus enarret: transitionem nuncupabant: sed ea tragicis minùs ...equens est. Vsi Sophocles in Hippone, & Euripides in Danaë, teste Polluce ...4. cap. 16. Chori mulierum vel virorum fuêre; quia pueri minùs idonei, ...opter ætatem & rationis infirmitatem in rebus agendis & cognoscendis: ...are munia chori nequibant exsequi. Apud Sophoclem in Oedipode tyranno, ...eri illi cum sacerdote hymnum concinunt vt Deum placent, chori verò vi...n non ipsi, sed senes Thebani funguntur.

De apparatu tragico. Cap. VIII.

APPARATVS iste, vel personarum est, vel loci: personæ scenicæ, vel choricæ sunt: vtræque, pro saltationis & actionis diuersitate, varius modis exornandæ. Scribunt Phrygiam Dithyrambis, Lydiam Musicam comœdiæ, Doricam tragœdiæ propriam fuisse, & ...ctore Plutarcho vtramque suum peculiare saltationis genus habuisse. Vnde ...n raro legimus Nioben & Capanea saltatos. quare conijcio, paratus reuoca... ...i quis aliter me doceat, tragœdias solitas saltari, non à planipedibus, qui ...dis pedibus vel in tenui socco extra orchestram agebant; sed in orchestrâ à ...mis ὀρχηστοδιδασκάλοις; qui planipedibus paulo digniores. Exhibēdæ tra...diæ duo fuere modi, saltatorius, &, vt ita vocem, gradarius: hoc, vteban... quando personæ suas partes viuâ voce agebant; illo, quando histrio seu tra...dus res gestas solo corporis motu exprimebat, quo pacto Nero Herculem ...rentem egit. Saltatio tragica ἐμμέλεια; huius saltationis species multas in...ere Æschylus & Telestes; qui hac in re excelluit, vt & Bathyllus, & Py...es (de quibus videndi Pollux lib. 4. Athenæus lib. 1. & Plutarch. lib. 6. ...npos. c. 8.) & ille incertus tempore Neronis (fortè, Latinus) de quo & De...rio mira Lucianus in lib. περὶ ὀρχήσεων. hic mos, altero retento, paulatim ...t in desuetudinem. De gradario itaque seu ambulatorio & vocali dicen...n, non de muto illo & saltatorio. Personati agebant, hoc est, personis tecti, ...x Aristotele & Demosthene probè Lambinus; sed hoc vltimò. nam primò ...io fœdati, postea cerussâ faciem obliti egerūt, vt Suidas de Thespide scri... & addit postmodum illum portulacâ faciem obtexisse, denique personæ ex ... linteo confectæ vsum inuenisse, quod & Diomedi videtur lib. 3. certiùs ...men personarum inuentum Æschylo deberi. quamuis enim nonnulli perso...um & scenæ ornatui initium dedisse Cherilum circa Olympiadem LXIV ...umant; ijdem tamen non adimunt inuentionis laudem Aeschylo; cui præter ...ma, & personam, cothurnum quoque Porphyrion in Horat. asserit, & plu... ...ræterea Philostratus in vitâ Apollonij, quæ suis locis referentur. Vt vt

Natalis lib. 8. Mythol. c. 4. Plutarchus lib. de Musica. Robortell. in poët. Arist. pag. 15.

Sueton. in Neron.

Persona est vultus fictus seu larua.

C est,

est, schema, & vestis habitus ornatusq́, pro qualitate fortunæ, vel personæ agentis, ætate, moribusq́ varius erat. Communia tragicis omnibus; syrma seu ciclas oblonga & humum verrens; item cothurnus, seu, vt Thomas Magister, Pollux & Ammonius vocant, ἔμβατα vel ἐμβάδια, calceamēti altioris genus, quod (vt loquitur Tertull. lib. de spectaculis) tragœdos extollebat: crediderim simile illi, quo Hispanienses feminæ vtuntur, vulgo chapines *dicunt. Suadet hoc Iuuenalis illud:* ——Breuiórque videtur
Virgine Pygmæâ nullis adiuta cothurnis.

Scalig. lib. 1. c. 16. Myntur. lib. 3. Lilius Dial. de Poëtis 6.

Persona cuique proprias vestes enumerant Scalig. lib. 1. poët. & Mynturn. mutuati à Polluce lib. 18. Onomast. cap. 19. quibus hoc tantùm addiderim, notatum Lilio, Vlyssem semper solitum induci palliatum, ob singularem fortè sapientiam & astutiam; Achillem & Neoptolemum, quòd nunquam se Agamemnoni subiecerint, neque eius bello Troiano imperium agnouerint, diademata, sed sine sceptro, gerentes.

Reliquum vt de theatri structurâ & ornamentis nonnulla, de quo fusissimè egisse video Pollucem lib. 4. cap. 19. Vitruuium lib. 5. de architect. à cap. 5. vsque ad 9. D. Isidorum lib. 18. Orig. cap. 39. cum tribus seqq. Cassiodorum lib. 4. Variar. epist. vlt. & recentiores Budæum Annotat. priorib. in Π. *Politianum in Miscellan., Rhodiginum in Antiqu. lib. 5. cap. 8. Scalig. d. lib. 1. cap. 21. & Lilium d. dial. 6. à pag. 708. quare nonnulla tantùm mihi delibanda. Primò theatrum ex nudo cespite erigebatur: de quo Cassiodorus ita scribit,*
» *Theatri frons* scena *dicitur, ab vmbrâ luci densissimâ, vbi à pastoribus in-*
» *choante verno tempore diuersis sonis carmina canebantur. ibi actus musicus*
» *& prudentissimi seculi dicta floruerunt. Deinde artificiosum theatrum, & sumtuosum fieri cœpit, cuius partes præcipuæ, scena, scalæ cum ordinibus sedilium. de caueâ & scalis nihil hoc tempore dicendum. Scena triplex fuit, tragica, columnis, fastigiis, signis, reliquisq́ notis palatinis magnificè apparata; comica, ædificiorum priuatorum specie, ianuis, fenestris, menianis aptè instructa; & satyrica, arboribus, speluncis, montibus, & cetero decore agrorum, topiario opere deformatis. Propriè loquēdo scena vocatur interior tabulati pars, in qua latebant actores, priùs quidem aulæis tecti, posteriùs supparis (vt in Donati codicib. legitur) vel potiùs syparijs, quæ Festo veli mimici genus: hæc scena fuit aliquando aurea, vt Petreij; vel argentea, vt Antonij & Murenæ; aliquando marmorea, vt Scauri; aliquando lignea; eaq́ vel versatilis, vt Curionis,* vel ductilis, vel stabilis. Aliquando verò sumitur scena, pro quadam tabulati parte quæ nonnunquam in proscenio excitabatur. Proscenium dicitur locus ante scenam porrectus, in quem scenici acturi prodibant. supra scenam episcenium erigebatur, seu podium. Ante proscenium paullo demissior erat orchestra: in quâ vt plurimum thymele, siue pulpitum id esset, siue ara; & vt in scenâ histrionum, sic in orchestra chori partes peragebantur, auctore Polluce: quam orchestræ & scenæ distinctionem potissimùm Græcis in vsu fuisse docet Vitruuius, his verbis: Ampliorem habent orchestram Græci, & scenam recessiorem, minoréque latitudine pulpitum, quod λογεῖον appellant. ideoq́ apud eos tragici & comici actores in scena peragunt; reliqui autem artifices,*

Vide Amphitheatralia Iusti Lipsij.

Donati locus.

*Vide Plin. lib. 36 Valer. Max. lib. 2. cap. 1.

Hunc quidā lib. vet. Albertus E b. & alij eius sæculi semper vocant Vitruinum.

sices, nempe chorici & thymelici, suas per orchestram præstant actiones.
a vt scena altior esset proscenio eiusq; pulpito, & isto humilior orchestra.
Quibusdam fabulis in orchestræ latere hemicyclum exstruebant, ad quem lo-
m naufragi agebantur, vel in eo saltem vrbes longinquæ effingebantur.
extrâ scenæ parte peregrini & hospites egrediebantur; in sinistrâ, carcer
at; medium locum Regia obtinebat. Mediæ parti duæ præterea portæ ad-
nctæ erant, quarum postibus, ornatus gratiâ, duæ machinæ affigebantur, ab
iis περίακτοι dictæ, nos versiles vel circũductiles appellamus; quibus repentè
exspectati nuncij, peregrini, exules, aut ciues postliminio redeuntes exhibe-
ntur. ad læuam narrabantur, quæ in vrbe dicta factá ve fuissent, aut futura
derentur; ad dextram, quæ foris. Læua etiam porta Deos aquaticos emitte-
. Eumenides & cæteri Dij inferi imis gradibus (ἀναβαθμοὺς vocant)
siliebant; vmbræ & simulachra, vt Agrippina & Thyestes Senecæ, scalis
aronijs, quæ non erant machinæ, sed machinis similes. Vnde necesse fuit, in
hyeste, vtrumque simul adhiberi, vt Tantalus ex scalis Charonijs eodem
mpore, quo Megera ex imis gradibus, prodiret. Dij superi ex improuiso ma-
nâ quadam ex loco editiore, vt opinor, supra episcenium, demittebantur:
ολόγειον nominabant; non quidem vt planè in episcenio consisterent, sed
asi in aëre penderent: quæ machina in comœdiis κράδης iuxta quosdam, in
gœdia absolutè μηχανὴ dicebatur. hac Iuno in Hercule Fur. & Hercules
è in Oetæo inducuntur. Aliud instrumentum γερανὸς, quo in aërem per-
æ rapiebantur, vt à Boreâ Orithyia, ab Aurorâ Memnon, ab anguibus Me-
. quamquam hæc vna cum curru alio illo machinæ genere potuerit in sub-
e ferri, quod rectiùs (meo iudicio) alij non tantùm in comœdiis, sed & in
gœdiis vsurpatum censent; quod à ficus similitudine Pollux κράδην voca-
o scripsit, & vncus erat ferreus cum vinculis annexis attractum retinen-
is, quibus potuère personæ eleuari, & semel in altum adductæ, eoris postea
aërem ferri & sustineri. dicuntur enim ἐώραι restes seu funes vehemen-
s intensi, quibus per aëra Heroes Diiq; agebantur. His non dissimilis ma-
na versatilis στροφεῖον, quâ Heroes in Deos transferebantur, vt Alcides
Oetæo. Aliud pegmatis genus fuit ἔξωστρα siue ἐγκύκλημα; sedes quædam
licis elata, strata longuriis, deputata vt circũuoluta ostẽtaret ea quæ secretò
edibus patrata fuissent; vt in Thyeste Atrei parricidiũ, in Oedipo eius
ecatio. Acrobatica erat machina scansoria: κεραυνοσκοπεῖον erat alia circũ-
tilis, quæ fulmina excelso post scenam loco iaculabatur; alia sub scena toni-
effingebat quæ βροντεῖον nominabatur; cuiusmodi apud Festũ Claudiana
itrua. Fuere & alia αὐτόματα, quæ sponte ac minimo impulsu agebantur;
re & νευροσπαστικὰ quæ vnius nerui vel fili cõuersione varios motus & vsus
bebãt; de quibus Aristot. in lib. de Mũdo, Apuleius lib. de mũdo, & Gellius
14. cap. 1. Hæc inter secretiora; publica verò & externa ornamenta scenæ
runt vela, parapetasmata & aulæa, siue carbasina, siue byssina, siue stellata;
ci, picturæ, tabulæ, signa, fontes per sedilia ducti, ebur, argentum, aurum,
ituosæ sparsiones, vt florum, croceæ aquæ, croci triti, scobis aureæ, & similia
us immodici. Nobis ille apparatus amplectendus, qui quandam admiratio-

 nem

nem terrori & mæstitiæ mixtam mentibus inserat, nihil tamen monstrificum vel portentosum contineat. Monstra enim quamuis terribilia sint, naturæ tamen repugnant: tragœdia verò naturales & humanas actiones imitatur. quare monstra sunt remouenda, & qualis in ipso poëmate terror animis ingeneratur, ad talem conseruandum retinendumq; idoneus apparatus comparandus; vt actioni ipsi quàm fieri poterit maximè sit accommodatus.

A quo inuenta & exculta sit tragœdia. CAP. vltimum.

Scriptores præcipui, vnde Tragici inferiùs laudati, excerpti à nobis (ne sæpius nominare cogamur) hîc bona fide nominati.

Græci.

Athenæus, Aristoteles, Clemens Alexandrinus, Iustinus Martyr, Plutarchus, Sextus Empyricus, Secundus Philosophus, Maximus Tyrius, Eusebius, Laërtius, Galenus, Demetrius Phalereus, Pollux, Philostratus, Hermogenes, Vlpianus Rhetor, Strabo, Pausanias, Stephanus, vterque Tzetzes, Harpocration, Hephæstion, Hesychius; Eustathius, & scholiastę Pindari, Apollonij, Aristophanis, Hesiodi, Arati & Theocriti.

Latini.

Cicero, Plinius, & ceteri quorum fit mentio in fragmentis antiquorum tragicorum.

IN *vltimum locum hæc distuli, quoniam de illis ante multos annos in aduersariis non indiligenter egeram; sed nunc multis additis, accuratiùs tractanda. Plato* in Minoë *tragœdiam antiquissimam fuisse docet, Aristoteles* in Poët. *in Peloponneso à Doriensibus inuentam, & à Dithyrambis fluxisse, quibus initiò solis constabat, vt antè docuimus. Verùmtamen quis tragœdiæ primus auctor fuerit, non satis constat. Natalis in Mytholog. nescio quem Glaucum nobis obtrudit; plerique cum Horatio, & Donato in Terentium, Thespim Atheniensem, qui fecibus ora inungebat, vel etiam minio, & in plaustris actitabat: minij meminit Tibull. lib. 2. eleg. 2.*

Agricola, & minio suffusus Bacche rubenti,
Primus inexpertâ duxit ab vrbe choros.

fecium ceteri; Horatius:

Ignotum tragicæ genus inuenisse Camœnæ
Dicitur, & plaustris vexisse poëmata Thespis
Quæ canerent, agerén̄tque peruncti fecibus ora.

Sidonius; Pictum fecibus Æschylum secutus. *Thespim, cùm ita è plaustris ædicularum in morem contectis, quorum etiam apud Sidonium mentio est, fabulas recitantem Solon audisset, inhibuit, ne ampliùs tragœdiam exhiberet, quod mendacium inutile existimaret, auctoribus Aristotele, Plutarcho & Laërtio. Suidas tamen docet ab aliis Epigeni Sicyonio hanc inuentæ tragœdiæ laudem tribui; à quo Thespim secundum, vel etiam sextumdecimum*

cimum statuunt nonnulli, referente Mynturno lib. 3. Thespis successores
nere Phrynichus & Æschylus: ille mulieres in scenam introduxit; hic perso-
rum vsum & pleraque scenæ instrumenta excogitauit, ideo personæ, &
llæ honestæ repertor ab Horatio vocatur. sed ab iis incultè tradita, tandem
phocles & Euripides, expolita & illustrata perfecerunt; de quibus, non tam
id ego (cui Sophocles excellit) quàm quid Fabius iudicarit, ascribam; Tra- "
dias (inquit lib. 10. Orat. instit. c. 1.) primùm in lucem Æschylus protulit, "
blimis & grauis & grandiloquus, sæpe vsque ad vitium, sed rudis in ple- "
sque & incompositus, propter quòd correctas eius fabulas in certamen de- "
rre posterioribus poëtis Athenienses permiserunt: suntq; eo modo multi co- "
nati. Sed longè clariùs illustrauerunt hoc opus Sophocles atque Euripides; "
orum in dispari dicendi viâ vter sit melior poëta, inter plurimos quæritur. "
q; ego sanè, quoniam in præsentem materiam nihil pertinet, iniudicatum "
inquo. Illud quidem nemo non fateatur necesse est, iis qui se ad agendū com- "
rant, vtiliorem longè Euripidem fore. Nam is sermone, quo ipsum repre- "
ndunt, quibus grauitas & cothurnus & sonus Sophoclis videtur esse subli- "
or; magis accedit oratorio generi, & sententiis densus; & in iis quæ à sa- "
ntibus tradita sunt penè ipsis par; & in dicendo atque respondendo cuilibet "
um, qui fuerunt in foro diserti, comparandus; in affectibus verò cùm om- "
bus mirus, tum in iis qui miseratione constant facilè præcipuus & admi- "
ndus maximè est, vt sæpe testatur, & eum secutus, quamquam in opere di- "
rso, Menander. hæc Fabius. Aristoteles c. 11. poët. censet Euripidem, tam- "
i aliqua parum rectè dispenset, omnium poëtarum maximè tragicum videri
se. De vtroque Sophocle & Euripide tradit Origenes contra Celsum, ab
pollinis oraculo sapientes vocatos. De Æschylo Philostratus, in Apollonij
anæi vita, cùm artem tragicam confusam nimis, & crudelem immitémque
deret, eam aliquantum moderatum. nam in vnum (sic enim Lilius Latinè
ddidit) choros contraxit, qui antea disiuncti fuerant: abstulit & frequentes
brasq; histrionum responsiones: neces insuper in scena fieri vetuit, ne sci-
t præsente populo homines trucidarētur: addidit præterea habitus heroicos,
ornatiores apparatus, item pulpita, quo è sublimi recitantes faciliùs & vi-
entur, & audirentur: quare Æschylum Athenienses tragœdiæ parentem
ellauere, mortuumq; etiamnum in Dionysiis vocabant. hactenus Philostra-
. Eum Scholiastes septuaginta fabulas edidisse scribit, alij nonaginta volūt;
em supersunt; à Sophocle iuuene victum Plutarchus memorat. Sophoclis,
hili Colonei filij, tragœdiæ centum & viginti fuisse traduntur; quarum to-
ē (nisi fallor) quot Aeschyli, habemus. Hoc paullo iunior, etiamsi prior, mor-
s obiit Euripides, incertum quibus parentibus natus; in Ethicis Socratis, in
ysicis Anaxagoræ, (quem scenicum Philosophū vocant Vitruuius & Athe-
us) in rhetoricis Prodici auditor; Varrone auctore, tragœdias scripsit, quin-
& septuaginta, vt Lilius, duas & nonaginta; ego præter decem & octo,
t omnino exstant, (nam Rhesus Euripidis non est) possem non magno la-
e ex probatis scriptoribus Græcis & Latinis, quinquaginta & quinque no-
nare; quæ si illis octodecim addantur, duabus exceptis, Varronis numerum

aquabunt: Ita ex innumera Græcarum tragœdiarum multitudine hodie triginta tres supersunt, cùm dumtaxat Aeschyli, Sophoclis, & Euripidis vel plusquam trecentæ, vel saltem plusquam ducentæ & sexaginta fuerint. Reliquorum tragicorum, vt numerus magnus, ita fabulæ propè infinitæ. ingeram doloris causam, &, quorum mentionem reperi, nomina vobis adducam.

Veteris tragœdiæ Græcæ scriptores, ad Aeschylum vsque fuerunt: quos quidem ab aliis sparsim nominatos inuenire potui; primo loco Epigenes *Sicyonius, cuius Bacchas citat Athenæus; quæ fabula, si quibusdam credimus, adagioni* οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον *dedit originem; quod tamen Theætetus & Chamæleon improbarunt.*

Thespis *Atheniensis, cuius fabulæ (cùm fabulas nomino, hoc quidem libro tragœdias intellige) Phorbas, Pentheus, & aliæ.* Polyphradmon *Thespidis F.* *Polyphradmonis F.* Phrynichus *Thespidis discipulus, propter vnam, ex nouem fabulis, quas docuit, nimis luctuosam, mille drachmis mulctatus, Strabone, & Herodoto, & Plutarcho auctoribus.*

Phrynichus *Melanthæ F. cuius fuère Andromeda & Erigone.*

Alcæus, *cuius meminit & Macrobius & Pollux.*

Phormus *seu Phormys Siculus, mihi etiam tragœdias scripsisse videtur; nã* Cepheus, Alcyones, Ilij depopulatio, *nõ apparẽt Comœdiarũ nomina.*

Chærilus, *seu, vt alij, Chærillus, non Iassæus, sed Atheniensis, alius ab illo inepto,* CXX. *tragœdiarum auctor.*

Cephisodorus *Atheniens. quem Tragicum censent; sed fabulæ quas referunt, Antilais, Trophonius Deus, & Sus; mihi omnes comœd. redolent;* Amazones, *fortè tragœdia.*

Apollophanes *Atheniensis, cuius,* Daulis, *tragœdia videtur, nimirum Terei & Procnes & Philomelæ atrocia facta comprehendens: etsi Suidas contra sentiat. de Dauli, Pausan. in Phocaic.*

NOVÆ TRAGOEDIÆ AVCTORES.

Æschylus, Sophocles, & Euripides *de quibus dictum est: hi suo exemplo, & posteros tragœdiæ successores habuerunt.*

In primis Aeschyli duo filij Euphorion & Bion, *tragici fuere.*

Iophon, *Sophoclis F. ex Nicostrata, Valerio Max. cognitus, fecit Ilium, Achillem, Telephum & Actæonem.*

Philocles *Polypithis, Aeschyli vel fratris vel sororij F. adeò asper vt* χολὴ *vocaretur, centum fabulas composuit, & in his Oedipũ, Erigonem, Nauplium, Oeneum, Priamum, Penelopen, Philoctetem: è quibus (ni fallor) hæ duæ postremæ ex earum genere sunt, quæ trucem & mæstum exitum non habent.*

Morsimus *Philoclis F. Polypithis (vt puto) N. ab Aristophane vexatus.*

Astydamas *Morsimi F. Philoclis N. Isocratis auditor, tam sui laudator, vt Prouerbio causam præbuerit,* CC. & XL. *docuit.*

Astydamas *Astydamantis F. Morsimi N. cuius octo fabulæ.*

Euripides, *vel Iunior eius quem habemus nepos, vel secundùm alios senior eiusdem auus: huic tribuuntur Medea, Orestes, Polyxena; ego & Rhesum illi tribuerim.*

Ex

Ex Sophoclis genere etiam alij duo Sophocles *fuere.* vnus Aristonis *F. Sophoclis nostri N. auctor* XL. *fabularum*: alter *hoc posterior, vnus eorum quos, Pleiada Tragicam, nominarunt, qui quindecim tragœdias composuit.*

Tragicorum autem Pleias circa Ptolemæi Philadelphi tempora hæc erat, teste Isaacio & Hephæstione.

- Alexander *Aetolus seu Pleuronius.*
- Philiscus *Corcyræus, cuius produntur fabulæ* XLII. *quem agnoscit etiam Theocriti Scholiastes. Existimo Themistoclem fabulam, quæ Philisco Comico tributur, tragœdiam de Themistoclis obitu, & quidem huius tragici fuisse.*
- Sositheus, *quem alij Atheniensem, alij Alexandrinum ex Troade, alij Syracusium asserunt.*
- Homerus Iunior *Myrûs poëtriæ F.*
- Anantiades, *sic enim vocat Hephæst. at Schol. Theocriti, Aeantidem.*
- Sosiphanes, *quem ab aliis* Sosiclem *vocari reor.*
- Lycophron, *cuius tragœdias nominat Suidas.*

Alcestis, *qui cùm iactitaret se centum triduo versus composuisse, quo vix ...nos Euripides extuderat; meritò ab Euripide illud audiuit, Alcestidis car... na vix triduum victura, sua in omne æuum duratura.*

Philocles *alius*, φροχέφαλος *vocatus.*

Pratinas *Phliasius, cum Aeschylo & Chærilo certasse, & innumerabiles ...nè scripsisse traditur.*

Ion Chion, *cuius Isocrates, Strabo, & alij meminerunt, ab Aristophane ...llicatus, tanti à Platone æstimatus, vt eius nomine dialogum de poëtica in...ipserit; ad quadraginta fabulas docuit.*

Crates *Thebanus Cynicus, de quo Demetr. Phaleræus in Rhetor. & alij.*

Anaxandrides *Colofonius vel Camyræus, fabulas* LXV. *scripsit (fortè & ...quas comœdias, vt indicat* Gerontomania *ab Aristot. citata. hic (vt canit ...uidius in Ibin) cùm parum stabili carmine læsisset Athenas, inuisus, desi...nte cibo, periit.*

Aristarchus *Tegeates, ex fabulis* LXX. *duabus tãtùm victor: huius,* Achil... *in Plauti Pænulo prologus meminit; quem ex eo conuersum ab Ennio, mihi ...oque* Festus *Pompeius persuasit.*

Achæum *Eretriensem quidam* XLIV., *pauciores alij, tragœdias scripsisse ...adunt.*

Achæus *autem Syracusanus decem tantùm composuit.*

Hippias *Eleensis, de quo Plato in Hippiâ.*

Chærephon *Socratis amicus, quem propter lucubrationes,* noctuam; *pro...er contractum studiorum aßiduitate pallorem,* buxeum *vocarunt, teste ...aërtio, & Philostrato.*

Plato *Philosophus, eodem Laërtio testante.*

Carcinus *Agrigentinus, etsi illum quidam Comicum facere videantur.*

Carcinus *Atheniensis, de quo apud Harpocrationem Lysias, centum sexa...nta scripsit, vicit vnâ.*

Calli-

Callimachus, *cuius inter libellos octoginta, aliquot tragœdiæ; meminit Apollonij Scholiastes.*

Gorgias, *quem in Symposiac. Plutarchus reprehendit.*

Sannion *tragicos choros docuit, vt testantur Vlpianus Rhetor & Hermog.*

Nicomachus *Atheniensis, qui aliquando Euripidem vicit: huius sola fabula, Oedipus, laudatur; ceteræ ignobiles fuere.*

Nicomachus *Alexandrinus, qui præter comœdias, etiam tragicas fabulas docuit; cuiusmodi puto fuisse eius Eriphylen, Neoptolemum, Oedipum, Persas, Polyxenam, Teucrum, Alcmæonem, & Tyndarum.*

Theognis, *quem à poëmatum frigiditate* χιόνα *dixerunt.*

Morychus, *ille ganeo apud Aristophanem.*

Stheneli, *Lysias in oratione pro Diogene, & Aristoteles, meminerunt.*

Acatus Argiuus ἰλιόσπερσιν *scripsit tragœdiam, teste Athenæo.*

Polyides *Sophista, cuius Iphigeniam citat Aristoteles, de Poëticâ.*

Dionysius Iunior, *teste Plinio, item Luciano.*

Dion *huius affinis & hostis.*

Agathon, *apud Aristophanem, & Aristotelem.*

Antiphon Rhamnusius, *socius in tragicis Dionysio tyran. apud Philost.*

Melitus *impius Socratis accusator.*

Strattis *Atheniensis, Medeam, Phœnissas, & alias xiij. fabulas cõposuit.*

Timesitheus, *cuius fuerunt vndecim tragœdiæ.*

Diogenes *Oenomaus, cuius citantur, Hercules, Helena, Thyestes, Medea, Achilles, Oedipus, & Semele.*

Diogenes *Alexandrinus ex Troade, obsoletorum verborum aucupator.*

Melanthius, *de quo Hesiodi scholiast. Athenæus & alij.*

Aristodemus *Atheniensis, quem ex Cicerone D. Aug. lib. 2. de Ciuitate Dei tragicum* auctorem *vocat; nisi cum Lilio malis legere,* actorem: *quod satis verisimile videtur. nam in Claudiano quoque id mendum irrepserat lib. in Eutrop.* —— damnóque nefandum Acturus pretium —— *vt nos in notis ex fide n. l. reposuimus.*

Spintharus Heracleotes, *qui Semelen Fulminatam & Herc. Ardentem edidit.*

Dicæogenes *apud Valer. Harpocrationem.*

Theodectes *Phaselites, auctore Stephano,* L. *scripsit, ex quibus Mausolum citat Higynus; qua tragœdia (de hac enim id accipio) Græci schol. referunt ab eo victos, Isocratem Iuniorem, Naucratem, & alios: eiusdem Philoctetem laudat Aristoteles: videtur & sacra quædam composuisse, qua de re postea.*

Theopompus *Chius.* }
Naucrates *Erythræus.* } *victi à Theodecte.*

Theodotus, *qui cùm Mnesarchum tyrann. quadam fabulâ perstrinxisset; ab eo in Apollinis templo, quò confugerat, occidi iussus est: quam rem Ouidius in Ibin significat. hunc aliquoties in Præparat. Euangel. citat Eusebius.*

Isocrates *Orator.* XXXVII. *tragœdiarum auctor dicitur: huius vitam Plutarchus & Philostratus ediderunt.*

Isocra-

Isocrates *Oratoris discipulus, vel Apolloniates, vel Heracleotes, & ipse à* *heodecte superatus.*

Asclepiades *huius iunioris Isocratis condiscipulus.*

Eubulides *Milesius, Megaricus Philosophus, multas docuit.*

Cantarus *Comicus, videtur etiam tragœdias fecisse; hanc mihi eius, Me-* *a, suspicionem iniecit. Idem suspicor de* Chæremone *Comico. nam, Pen-* *eus, fabula quæ illi tribuitur, tragœdia videtur fuisse; & scripsisse dramata* *agica subindicat Aristoteles.*

Neophron *seu Neophon Sicyonius, cui* C. *&* XX. *tragœdiæ ascribuntur;* *Medeam Euripidis, illi plerique tribuunt.*

Nearchus, *qui cum Callisthene in Alexandrum traditur conspirasse.*

Neanthes, *nonnullas tragœdias Empedocli traditur dedicasse.*

Empedocles *ipse, si Neanthis vera est opinio. nam Heraclides Serapio-* *s F. tragœdias quæ Empedocli tribuuntur, alterius fuisse censuit.*

Carcinus, *cuius Medeam refert Aristoteles in Poëticâ: hic Medeam intro-* *uxit, fugâ liberis suis consulentem: puto Atheniensem illum, de quo priùs* *heophilus, apud Athenæum, lib. 13.*

Cleophon *Atheniens. cuius Thyest. & alias decem citat Suidas; repre-* *nditur ab Aristotele non semel.*

Alcimenes *Megarensis, aliis dicitur Alcimedes.*

Æschines *antequam se reipub. addiceret, tragœdiis actitandis & compo-* *endis vacauit, vt ex Demosthene & Cicerone didici.*

Euphantus *Olynthius, Eubulidis discipulus, Antigoni præceptor, cui lib.* *regno inscripsit.*

Rhinton *Tarentinus, Tragicomœdiarum vel Hilarotragœdiarũ inuen-* *r; eius generis* XXXIIX. *docuit, Varroni, Columellæ & aliis non incognitus.*

Apollodori *Tarsensis sex fabulas inuenio, & inter eas, Thyestem.*

Heraclidem *Ponticum scribit Aristoxenus in music. suas tragœdias sub* *hespidis nomine publicasse.*

Aristophon, *cuius Philoctetem refert Plutarchus.*

Lysippus, *Athenæo & Suidæ.*

Callias *Atheniensis, aliorum iudicio, tragicus fuit, nam eius Gramma-* *a tragœdia, ex qua quædam Athenæus adducit, item Atalanta, Cyclo-* *, &c. laudantur.*

Theodorum *quendam, quem credo* XX. *loco ponit Laërtius, multas tra-* *dias docuisse ferunt.*

Aristeon Chius, *quem propter maledicentiam in exsilium pulsum scribit* *utarchus: alius ab Aristone Chio Philosopho, de quo Cicero; & ab* Aristo- Syracusano *tragœdo, de quo Liuius.*

Heliodorus *apud Galen. lib. 2. de antidotis.*

Cyliscus, *nisi nomen apud Plinium lib. 35. corruptum; quem Protogenes* *editantem depinxit. suspicor esse,* Phyliscum.

Nothippus, *apud Athenæum, ab edacitate Opsophagus dictus.*

Pythangelus, *homo flagitiis, quàm fabulis nobilior.*

Parthenij *Herculem & Iphiclum, quas citat Steph., tragœdias puto.*

Leonteus *Argiuus, quem Amaranthus in lib.* περὶ σκηνῆς *testatur Iubæ regi familiarem fuisse.*

Diodorus *Alexandrinus ex Troade, Augusti tempore, apud Strabon.*

Nicolaus Damascenus *Peripateticus, Augusto, vt referunt Athenæus & Plutarch.; & Herodi regi, vt docent Ioseph. & Hegesipp gratissimus.*

Sacas, *quem fortè Pausan & Plutarch.* Sacadan *vocant.*

Simonides *Leoprepis F., cuius inter cetera opera etiam tragœd. feruntur.*

Pindarus *non Scopelini, sed iuxta veraciores Daiphanti, vel Pagonidæ F.*

Philostratus *Lemnius, à quo plus minus* XXXXIII. *sunt scripta.*

Artabazes *Armeniæ rex, testibus Appiano in Parth. Plutarcho & aliis.*

Isagoras *M. Antonini tempore, apud Philostratum in Sophist. & (vt finiam)* Timones *duo*, Herillus, Hipparchia *Metroclis soror*; Lucianus *Pasiphontes*, Arion, Autocrates, Aristonymus, Anaximander, Xenocles *Atheniens.* Dionysiades *Mallotes*, Dionysides *Alexandrinus*, Epicharmus, Ephippus, Philoxenus, Demologus, Dorillus, *de quibus Hephæstion, Harpocration, Athenæus, Plutarch., Laërtius & Suidas. Imperatorem denique* Titum *Vespasiani filium Græcè tragœdias composuisse, Suetonius, Eutropius & D. Isidorus prodiderunt. Sacras veteris vel noui Testamenti historias tragœdiis Græcis prosecuti sunt non pauci: ego sequentium dumtaxat memoriam habeo.* Theodectes *Phaselites, iam nominatus, cùm in quadam tragœdiâ quædam fidei veræ mysteria vulgasset, oculorum cæcitate fuit multatus, nec nisi multorum dierum supplicationibus visum recuperauit. auctores sunt Ioseph. lib. 12. antiquit. & Aristeas Ptolemæi regis Hyperaspistes in lib. de septuaginta duobus veteris Testamenti interpretibus.*

Ezechielus *quidam, quem Clemens Alexandrin. in Stromat. Iudaica Græcis tragœdiis complexum fuisse refert.*

Sozomenus in eccles. histor. scribit Apollinarem *Syrum res sacras tragœdiis inclusisse, atque Euripidem iis imitatum fuisse.*

D. Gregorij *Nazianzeni Christus tragœdia exstat etiam nunc.*

Stephanus *Monachus Christianus, ex D. Sabbæ sectatoribus, cuius Græci festum celebrant* v. *kal. Nouemb. cuiusdam tragœdiæ de Christi nece auctor creditur.*

Timotheus *tempore Anastasij Imp. Demosium Christianam tragœd. composuit. Denique omitto Homerum (quem Tragicis Plato annumerat, in Theæteto) ne Epicos cum nostris confundam.*

Ita Græcorum tragicorum plus minus centum & duodetriginta nomina supersunt, quorũ plus bis mille tragœdias fuisse suspicor: exstant vix triginta. Pauciores fuere Latini tragici; sed pro numero tragœdiarum reliquarum, haut scio an par calamitas Latij. Id vt appareat, quam Græcis, eandem Romanis tragicis, ex Grammaticorum libris eruendis operam impendamus.

Igitur ab excessu Sophoclis, annis plus minus C. *&* XXX. *Roma ab* V. C. *anno penè* D^mo *Cethego & Tuditano coss. tragœdia cœpit; quam primus docuit* L. Liuius Andronicus. *hunc subsecuti sunt,*

Q. Ennius

Q. Ennius *Rudius, cuius ex Telepho, Alcmaeone, Andromachâ, Thyeste, Medea (quam ex Euripidis transtulit) Hecuba, Achille & aliis supersunt multa fragmenta.*

Cn. Naeuius, *qui praeter comoedias etiam tragoedias scripsisse videtur, eius enim citantur, Alcestis, Lycurgus, Aegisthus, Tereus; quae sunt indubitata dramata tragica.*

M. Pacuuius *Brundusinus, Ennij, iuxta Plinium, ex sorore; iuxta Eusebium, ex filiâ nepos.*

L. Attius, *seu* Actius, *seu* Accius; (*his enim tribus modis scriptum inuenias; mihi prima scriptura placet, marmorum, numismatum, Dionis, & Victorini auctoritate confirmata) quinquaginta annis iunior, cum Pacuuio tamen iisdem Aedilibus fabulam docuit.*

L. Afranius *Comicus, tragoedias etiam, sed minùs tragicè, auctore Cicerone composuit.*

M. Attilius, *Ciceroni tribus in locis, durissimus & planè ferreus scriptor.*

Sulpitius *trib. pl. (vt Asconius testatur) non orator modò insignis, sed & tragicus bonus fuit, & tragoedias suas* Iulij *nomine inscripsit.*

Puppium *Lilius lib. 8. tragicum facit. sanè Horatius eius poëmata lacrymosa vocauit.*

Rutilij Gemini, *Astyanax à Placiade citatur.*

M. Terentius Varro, *Romanorum doctissimus; de quo tamen non est omnino certum, tragoediásne quoque docuerit, an verò è Satyris aliquas tragoediarum dumtaxat nominibus inscripserit.*

Q. Catulus, *dubium est an tragoediam dederit.*

C. Iulius *L. F. Q. Catuli frater vterinus, cuius lenitatem tragoediarum Cicero in Bruto praedicauit; Festus eius Adrastum citat: Victorinus, Tecmusam, (id est Tecmessam) eumq; docet etiam Strabonem, Sesquiculum, & Voiscum dictum, nisi nos codices fallunt.*

C. Iulij Caesaris *Dictatorē laudat Sueton. timeo ibi aliquod vulnus subesse.*

Q. Cicero, *Marco Cicerone teste, tragoediam scripsit.*

P. Virgilius Maro, *secundùm nonnullos, in hunc numerum referendus est, quos Donatus & Seruius referunt; à quibus traditur Virgilius,* Thyestem *tragoediam composuisse, & Varij vxori (cui nimis familiaris erat) dedisse, quam Varius postea pro suâ recitarit: atque hoc occultè ab ipso Virgilio in Bucolicis illo versu significari,*

Quem mea carminibus meruisset fistula caprum.

Sed, siue tragoediam Maro composuit, siue non; alienam hanc à Virgilij castissimis moribus narrationem puto; & Varium potuisse suo Marte fabulam componere, Horatij & Ouidij testimonio patet.

C. Octauius Augustus, *Achillem teste Suida; & Aiacem imperfectum, teste Suetonio.*

Cassij Seueri Parmensis *Thyestem, Porphyrion citat: eius opuscula Horatius laudat. Fuit & eodem tempore alius* Cassius Seuerus; *quem Ouidius in lib. de Ponto scribit Regale carmen Latio dedisse: quo tempore Parmensis*

 ille,

ille, iam Augusti iussu, à Vario fuerat interfectus.

L. Varius *à Tacito, Fabio, & Horatio laudatus. caue hunc cum Quinctilio Varo confundas.*

Turranius, *de quo Ouid. 4. de Ponto;*

Musáque Turani tragicis innixa cothurnis.

Iunius Gracchus; *qui, auctore Terentiano, Thyestem, docuit: Vnde Ouidius;* Cùm Varius Gracchúsque darent præcepta tyranno.

C. Cilnius Mæcenas, *citante Seneca composuit Prometheum, & citante Prisciano Octauiam. Sed profectò vel mendosus est Priscianus; vel* Octauia *cuiuspiam recentioris est Mæcenatis. Si* Melissi Mæcenatis *contendas; de quo Grammatico Suetonius, & quem Plinius Octauianæ bibliothecæ ab ipso Augusto præpositum, & sexagesimo ætatis anno Iocorũ libros composuisse scribit; vicißim hanc Octauiam non tragœdiam, sed comœdiam fuisse contendam. hic enim Mæcenas Melissus togatarum, quas trachatas vocabant, primus auctor fuit, & ab Ouidio & Acrone in album Comicorum refertur; vt & alij obseruarunt. Verùm putarim potiùs Cilnij Mæcenatis* Octauiâ, *infelix Marci Antonij & Octauiæ matrimoniũ descriptum. vel non fabulã, sed quid aliud: nam constanter m. s. Prisciani lib. 10. habent,* Mæcenas in Octauiam.

Asinius Pollio, *de cuius tragœdiis, præter Seruium, etiam Horat. in Od.*

Aristius Fuscus, *tragicus, teste Acrone. nam Porphyr. Comicum facit.*

P. Ouidij Nasonis *Medea celebratur, à Fabio, Tertulliano, & aliis.*

M. Aimilius Scaurus *(alij* Mamercum *faciunt) à Tiberio occidi iussus, Atreum fabulam composuit, testibus Tacito & Dione.*

Iul. Maternus, *cuius Medeam, Thyestem, Catonem, Tacitus memorat.*

P. *vel* Q. Pomponius Secundus *(alius à L. Pomponio Attellanarum scriptore, quem Seneca & Cicero laudant, & cuius Grammatici plus minus xxx. comœdias referunt) Germanico, Caligulæ, & Claudio carißimus, consulatu, & triumphalibus ornamentis; sed Poëmatibus, maximè tragœdiis, nobilior; valde à Quinctiliano commendatur; & Plinius Secundus duos de vita eius libros conscripsit.*

Trabeas, *non ille senior Cæcilius Trabeas Comicus, sed alius recentior, apud Tacitum.*

Cornutus Stoicus, *teste Lilio dialog. 4.*

L. Annæus Seneca, *cui nouem has tribuerim.*

M. Annæi Lucani *Medeam, Statius & Fabius laudant.*

Neronis Imp. *tragœdiarũ, Philostratus & Tacitus mentionem fecerunt.*

P. Statius Papinius, *ex Iuuenale Sat.* VII. *videtur composuisse fabulam Agauen, & egestate pressus illam Paridi histrioni vendidisse.*

Codrus *quidam, (incertum an Cordus) de quo ita Commentarius antiquus in Iuuenalem, ad illud;* Rauci Theseide Cordi. *Cordus hic Poëta fuit vitiosus, qui tragœdiam Thesei scripsit; de quo Virgilius dixit,*

—— Sedet æternúmque sedebit infelix Theseus. *ex quibus verbis duo colligo, primum nouam versiculi Virgiliani explicationem in Æneid* VI. *Alterum tragœdiam fuisse inscriptam,* Theseus; *vel potiùs legendum,* Theseid.

eid. *pro* Theseidem. *nam inscriptionem*, Theseis; *Satyricus ridet. Hunc* *amen Seruius in 1. Æneid.* Codrum *vocat.*

Ex Iuuenali quoque colliguntur & alij quidam tragici, sed mali & inepti. *am Sat. 7.* Alcithoën Pacci, Thebas & Terea Fausti. *vbi notat Comment. hæc nomina & fabulas esse malorum Poëtarum. Mox;*

Non minor antiquo Rubrenus Lappa cothurno
Cuius & alueolos & lænam pignorat Atreus.

Tragicum Poëtam dicit idem Comment. & supellectilem fœnori opposuisse *t Atreum componeret.* Pelopeam *quoque &* Philomelam *in eâdem Satyrâ* *ctissimo nomina tragœdiarum.*

Alius quidam Varro, *quidam etiam* Bassus *tragici à Martiale nominan*-*ur, quorum vnum laudat, alterum vituperat.*

Scæua Memor Auruncus, *frater Turni nobilis Satyrici, tempore Domi*-*iani Imp. tragœdias docuit: horum fratrum bis Martialis, semel Probus in* *uuenalem, & semel Sidonius meminerunt: eius tragœd. Herculem, citat Pla*-*iades, meminit etiam Comment. Iuuenalis. Idem Placiades citat quendam* Crispinum *in Heraclea, seu vt v. l.* Crispilium, *sed puto comœdiā vel histor.*

L. Verum L. F. Antoninum Imp. *suspicor etiam Tragœdias factitasse* *x iis, quæ de illo refert Sex. Aurelius.*

Denique cuiusdam Lampridij *tragici mentio exstat apud Sidonium Apol*-*inarem lib. 8. Epist. 11.*

Atque hic vltimus est veterum Latinæ tragœdiæ scriptorum, de quo aliquid *compererim: ex horum plus quàm triginta Poëtarum fabulis, decem integras* *habemus; quas quidam spernunt, alij admirari solent: his vt gratum facere*-*mus, non exiguo labore, satis prolixis commentariis, ad vnam omnes vel orna*-*uimus, vel onerauimus. Tribui solent L. Annæo Senecæ, cuius vitam Xicho* *Polentinus (ridiculi sunt, qui illam D. Augustino ascribunt) Rod. Agricola,* *Pet. Crinitus, Lilius Gregorius, & Ambrosius Morus Cordubensis ita de*-*scripserunt, vt coniecturâ tantùm niti, & solo ferè Cornelio Tacito auctore* *vsi videantur; méque excitarint magis, quàm deterruerint ad seriò Seneca*-*rum vitam, ex ipsorummet libris, ex Tacito etiam, Dione, Suetonio, ceteris* *contexendam: nam aliorum, qui potuissent elegantiùs, nihil præter nudas pol*-*licitationes mihi contigit videre. hæc illis si probabuntur, bene est: sin minùs,* *sua promant. gaudebo, & melioribus plaudam, reipub. verò litterariæ gratu*-*labor. Interea boni lectores, meo, qualis qualis est, labore nonnihil iuuabuntur.*

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΩΝ
LIBER SECVNDVS.
DE L. ANNÆI SENECÆ VITA ET SCRIPTIS.
De nomine Senecæ. CAP. I.



VCIOS *vel à Lucumonibus Hetruscis, vel quòd initio lucis nati erant, appellatos, Valerius Maximus lib. x. & Sex. Pompeius scribunt. Annaeam familiam Hispaniensem fuisse, Cordubensem videlicet, & equestrem, constat: de orthographia non liquet. Pintianus vir impensè doctus,* Annæus *cum diphthongo vult scribi, ex Terentiani sententia, hoc versu;*

In Castigat. Senecæ, & in annotat. Plinianis.

Annæus Seneca & Pomponius ante Secundus.

id Martialis confirmat;

Annæi faceret manus Sereni.

& non semel antiquæ VRBIS *epigrammata à Iacobo Mazochio vulgata. Antiqua tamen vtriusque Senecæ, L. Flori, Lucani, Cornuti exemplaria (in inscriptione librorum) Symmachi P.V. lib. 2. epist. 283. & Π. Florentinæ l. 1. ad S.C. Trebell.* Anneus *continent, vt & Latinus codex D. Hieronymi, Ecclesiasticor. scriptorum, & Lactantij non semel; Sophronij quoque Græca D. Hieronymi interpretatio,* Ἄννεως; *Xiphilini liber in octaui forma excusus perperam,* ἄννιος, *pro* ἀνναῖος. *mihi placet,* Annæus. *Annij Romani, Annæi Bæthici, vt & Mela Pomponius, ex aliâ opinor familiâ, etsi Lilius dissentit; certè non Cordubensis.* SENECAM *Caßiodorus inde dici putat, quòd, cui primùm hoc cognomen impositum, canus sit natus, vt de Numa Pompilio traditur; & de Ergino Argonautâ, à Pindari scholiaste; & de Tarcone & Cycno ab Eustathio. Frequentius sanè;*

Φύονται δὲ καὶ νέοις ἐν ἀνδράσι πολιαὶ
θαμὰ, καὶ παρὰ τὸν ἁλικίας ἐοικότα χρόνον

Nasci (inquit Pindarus Olymp. 4.) frequenter iuuenibus canos, & præter tempus congruum ætatis. Tyrrhenum ab ineunte pueritiâ incanuisse, Strabo; Xiphilinus in Galbâ, id puero cuidam sacrificanti accidisse; Gellius in Albaniâ cuidam genti peculiare, docet. Ei scio Patri quondam meo, bono & laudato viro, vnius noctis peruigilio & mortis metu, quoniam medicos conclamantes audierat, vix tertio ætatis lustro, planè capillos omnes canuisse. Fieri potuit vt qui in Annæâ gente primus Seneca dictus est, hoc habitu corporis natus sit, & ita posteris cognomen cesserit, vt de Ciceronibus, Cæsaribus, Scipionibus, Priscianus lib. 2. prodidit. An Senecæ gentilis fuerit Seneca ille XII. *Hierosolymorum Episcopus, apud Eusebium lib. 4. Eccles. hist. & Nicephor. lib. 3. an verò nomen mendosum sit; an præter Annæos, aliis hoc nomen receptum; mihi, nil quod statuam, certi est.*

De

De Maioribus Senecæ.* Cap. II.

SENECAM *Cordubensem (notißima Bæthicæ ciuitas Corduba, quæ in nummis Tiberij vocatur* PATRICIA COL.) *Annæâ, equestri familiâ, ortum nemo ignorat. Patrem habuit L. Annæum Senecam, matrem Elbiam, vt ex inscriptione Controuers. & Suasoriar. & lib. de Consolatione ad Elbiam* colligitur. Nec est, quòd quis vulgaum errorem sequi pergat, & Declamationes Controuersiasq. Philosopho triuat, quæ res multos* in errorem induxit : id enim fieri non posse, fuit ab aliis ccuratè demonstratum*. Senior itaque Seneca (sic patrem deinceps vocabinus) fuit priscis moribus, litteris mediocriter imbutus, philosophiæ, quam odeat, caußâ, Philosopho Senecæ minùs quàm fratribus æquus, memoria singuari & propè stupendâ : quæ quidem omnia ipsorummet testimonio comproantur. Initio Declamationum* se iam senem illas conscripsisse testatur, quo empore filij ad honores se accingebant: mortuus fuit ante Philosophi exsilium, vt postea conuincam : se condiscipulum Portij Latronis, Marulli Rhetoris discipulum facit,* quo loco de memoriæ suæ vi in hunc modum gloriatur; Hanc aliquando in me floruisse, vt non tantùm ad vsum sufficeret, sed in miraculum vsque procederet, non nego. Nam & duo* millia nomina recitata, quo ordine erant dicta, reddebam : & ab his, qui ad audiendum præceptorem meum conuenerant, singulos versus à singulis datos, cùm plures quàm ducenti efficerentur, ab vltimo* incipiens vsque ad primum recitabam. Nec ad complectenda tantùm quæ vellem velox erat mihi memoria; sed etiam, ad continendum, quæ acceperat,* fida. Nunc* autem & ætate quassata, & longâ desidiâ, quæ iuuenilem quoque animum dissoluit, eò perducta est, vt etiam si poßit aliquid præstare*, tamen promittere non poßit. Et diu ab illâ nihil repetiui. solebat bonæ fidei esse. nũc, quia iubetis, experiar quid poßit, & illam omni curâ scrutabor*. ex parte enim spero bene. Nam quæcumque apud illam aut puer, aut iuuenis deposui, quasi recentia & modò audita, sine cunctatione, profert. At* si qua illi intra proximos annos commisi, sic perdidit & amisit, vt etiamsi sæpius ingerantur, totiens tamen tamquam noua audiam. Itaque ex memoriâ meâ, quantum vobis satis est, superest. Martiali doctus dicitur, Volaterrano eruditißimus. Inter Elbiæ laudes singulares, rara in aduersis æquitas animi, magna felicitas fuit ingenij. sic enim Philosophus; Nullam tibi (inquit) fortuna vacationem dedit à grauißimis luctibus. amisisti matrem statim nata, imò dum nascereris, & ad vitam quodammodo exposita, creuisti sub nouerca; quam tu quidem omni obsequio & pietate, quanta vel in filia conspici potest, matrem fieri coëgisti. Nulli tam magno constitit & bona nouerca. Auunculum indulgentißimum optimum ac fortißimum virum, cùm aduentum eius exspectares, amisisti. Et, ne sæuitiam suam fortuna leuiorem ducendo faceret, carißimum virum tuum, ex quo mater trium liberorum eras, extulisti. Lugenti tibi luctus nunciatus est, omnibus quidem absentibus liberis: quasi de industriâ in id tempus coniectis malis tuis, vt nihil esset, vbi se dolor tuus reclinaret. Transeo tot pericula, tot metus. quos sine interuallo vitæ incursan-*

* Sic m. s. Hispanic. & Burdéga en. vulgo, *Albinam*, exstat. Elbiam legit etiã auctor Sophilagij.

* Agricolam, Xichonem & alios.

* Lips. in Elect. & meminit Volaterran li. 19.

* Initio lib. 1.

* In præfat. declamation.

* Sic m. s. Burd.

V. l. *suscipiens.*

* *fida*, deest v. l. vt & *autem.*

* Idem m. s. Burd. *præstare, non poßit promittere.* si- ne, *tamen.*

* Iidem lib. *De p. e. bene spero.*

* Sic ex membranis lego.

* Lib. ad Helbiam cap. 2.

» *cursantes pertulisti. Modò in eundem sinum, ex quo tres nepotes emiseras, os-*
» *sa trium nepotum recepisti. Intra vicesimum diem, quàm filium meũ in ma-*
» *nibus & in oculis meis mortuum funeraueras, raptum me audisti. Hoc adhuc*
» *defuerat tibi, lugere viuos.* Obiit ergo materna Senecæ auia partu; auus aliam
vxorem duxit. Pater Declamator, ante Philosophi exsilium, relictis tribus
dumtaxat liberis, decessit: ipsa Elbia, quando obierit, non magis scitur, quàm
quis ille auunculus eius fuerit: ad exsilium vsque filij vixisse, tribus nepotibus,
Epist. 109. in his vno Senecæ filio, superstitem, apparet. De patre sic alibi scribit; *Patre*
» *meo rogante, qui non calumniam timebat, sed philosophiam oderat.* Malebat
nimirum filios ad rempub. accedere, quàm in studiis ociosis (vt horrida iudica-
bat antiquitas) tanquam ad saxum adhærescere. Sanè nec vxori Elbiæ permi-
sit auidum litterarum animum exsaturare. Hoc vtrique parenti filius testi-
» monium perhibet, in matris laudes liberalior. *Noui* (matrem affatur) *animum*
» *tuum nihil in suis præter ipsos amantem. viderint illæ matres, quæ potentiam*
» *liberorum muliebri impotentiâ exercent; quæ, quia feminis honores non licet*
» *gerere, per illos ambitiosæ sunt; quæ patrimonia filiorum & exhauriunt &*
» *captant; quæ eloquentiam commodando aliis fatigant. Tu filiorum tuorum bo-*
» *nis plurimum gauisa es, minimum vsa. Tu liberalitati nostræ semper impo-*
» *suisti modum, cùm tuæ non imponeres. Tu filiafamilias locupletibus filiis vl-*
» *tro contulisti. Tu patrimonia nostra sic administrasti, vt tanquam de tuis la-*
» *borares, tanquam alienis abstineres. Tu gratiæ nostræ, tanquam alienis rebus*
» *vtereris, pepercisti: & ex honoribus nostris ad te nihil, nisi voluptas, & im-*
» *pensa pertinuit. Nunquam indulgentia ad voluptatem respexit. Non potes ita-*
» *que, erepto filio, desiderare, quæ incolumi nunquam ad te pertinere duxisti.*
De consolat. c. 14. *Et postea; A te plus exigit vita ab initio fortior. non potest muliebris excusatio*
contingere ei, à qua omnia vitia muliebria abfuerunt. Non te maximum sæ-
» *culi malum impudicitia in numerum plurium adduxit. non gemmæ te, non*
* Sic o. l. quos vidi. * *margaritæ flexerunt. non tibi diuitiæ, velut maximum generis humani bo-*
num, refulserunt. non te, bene in antiquâ & seuerâ institutam domo, pericu-
» *losa etiam probis, detorsit peiorum imitatio. non te fecunditatis tuæ, quasi ex-*
» *probraret ætatem, puduit. numquam, more aliarum; quibus omnis commenda-*
» *tio ex forma petitur; tumescentem vterum abscondisti, quasi indecens onus,*
» *nec intra viscera tua conceptas spes liberorum elisisti. non faciem coloribus, ac*
» *lenociniis polluisti. numquam tibi placuit vestis, quæ ampliùs nudaret, quàm*
» *componeret. vnicum tibi ornamentum pulcherrima, & nulli obnoxia ætati*
» *forma, maximum decus, visa est pudicitia. Non potes itaque ad obtinendum*
» *dolorem muliebre nomen prætendere, ex quo te virtutes tuæ seduxerunt: tan-*
» *tum debes à feminarum lachrymis abesse, quantum à vitiis.* Mox etiam ita
» scribit; *Itaque illò te duco, quò omnibus, qui fortunam fugiunt, confugiendum*
» *est; ad liberalia studia: illa sanabunt vulnus tuum, illa omnem tristitiam tibi*
* Malè vulgo; assuesces. » *euellent. His etsi numquam assuesses*, nunc vtendum erat: sed, quantum tibi*
patris mei antiquus rigor permisit; omnes bonas artes, non quidem compre-
» *hendisti, attigisti tamen. Vtinam quidem virorum optimus pater meus, minùs*
» *maiorum consuetudini deditus, voluisset te sapientũ præceptis erudiri potiùs,*
quàm

quàm imbui. Non parandum tibi nunc contra fortunam esset auxilium, sed proferendũ. propter istas, quæ litteris non ad sapientiam vtuntur, sed ad luxuriã instruuntur; minus est indulgere studiis passus: beneficio tamẽ rapacis ingenij, plus quàm pro tẽpore hausisti. iacta sunt disciplinarũ omniũ fundamẽta. Nunc ad illas reuertere, tutã te præstabũt illæ, consolabũtur illæ, &c. Existimo Elbiam Cordubâ, vel nescio alicunde, Romã venisse, filiorũ videndorum causã; mox reditum in patriam cogitasse, iisq́ valedixisse: tertiò pòst, à discessu illius die, pulsum Senecam in exsilium. Quod quidem mihi sequentia persuadent: *Nam hoc quoque aduersus te crudeliter fortuna molita est, quòd tę ante tertium demum diem quo percussus sum, securam, nec quicquam tale metuentem, * aggredi voluit. bene nos locorum longinquitas diuiserat. bene aliquot annorum absentia huic te malo præparauerat. redisti: non, vt voluptatem ex filio perciperes; sed ne consuetudinem desiderij perderes. Si multo antea fugisses; fortiùs tulisses, ipso interuallo desiderium molliente. Si non recessisses; vltimum certè fructum, biduo diutius videndi filium, tulisses. Nunc crudele fatũ ita composuit; vt nec fortunæ meæ interesses, nec absentiæ assuesceres: sed quanto ista duriora sunt, tanto maior tibi virtus aduocanda est. &c.* Viuebat hoc tempore Senecæ auus, Elbiæ pater; viuebat & Senecæ* matertera. Vtriusq́ memoriam ille obliuionis tenebris eripuit. de auo; *Numerarem* (inquit) *inter magna solatia, patrem quoque tuum, nisi abesset: nunc tamen, ex affectu tuo, quid illius intersit cogita. intelliges quãto iustius sit, te illi seruari, quàm mihi impendi. quotiens te immodica vis doloris inuaserit & te sequi iubebit; patrem cogita. cui, tu quidem tot nepotes, pronepotésque dando effecisti, ne vnica esses: consummatio tamen ætatis actæ feliciter, in te vertitur. illo viuo, nefas est te, quod vixeris, queri.* Materteræ laudatissimæ feminæ, fusiùs meminit, dignæ matronæ, cuius nemo laudes conticescat. *Maximum* (ait) *adhuc solatium tuum tacueram, sororem tuam, illud fidelissimum pectus tibi, in quod * omnes curæ tuæ pro indiuiso transferuntur, illum animum omnibus nobis maternum. Cùm hac tu lachrymas tuas miscuisti. in hac tu primùm respirasti. Illa quidem affectus tuos semper sequitur: in meâ tamen persona, non pro te dolet. illius manibus in vrbem perlatus sum. illius pio, maternóque nutritio, per longum tempus æger, conualui. Illa pro Quæsturâ meâ gratiam suam extendit: & quæ ne sermonis quidem, aut claræ salutationis sustinuit audaciam, pro me vicit indulgentiâ verecundiam. Nihil illi seductum vitæ genus, nihil modestia* [&] *in tantâ feminarum petulantiâ rustica, nihil quies, nihil secreti, & ad ocium compositi mores obstiterunt: quo minùs pro me etiam ambitiosa fieret. Hæc est, mater karissima, solatium, quo reficiaris. Illi, quantum potes, te iunge, illius artissimis amplexibus alliga. Solent mœrentes ea quæ maximè diligunt fugere, & libertatem dolori suo quærere. tu ad illam te, & quicquid cogitaueris, confer: siue seruare istum habitum voles, siue deponere; apud illam inuenies vel finem dolori tuo, vel comitem. Sed, si prudentiam perfectissimæ feminæ noui, non patietur te nihil profuturo mærore consumi, & exemplum tibi suum, cuius ego etiam spectator fui, narrabit. Karissimum virum amiserat, auunculum nostrum, cui virgo nupserat, in ipsa nauigatione: tulit tamen,*

Ad Elbiam cap.16.

* Posset etiã legi, digredi.

d. lib. c. 15.

*Nempe vxor auunculi, Elbiæ fratria.

d. cap. 16.

* Ita conieci legendum.

* Mallẽ [&] deleri.

E *eodem*

eodem tempore, & luctũ & metũ, euictisq́; tempestatibus corpus eius naufraga euexit. O quàm multarũ egregia opera in obscuro iacent! Si huic illa simplex ad memorandas virtutes contigisset antiquitas; quanto ingeniorũ certamine celebraretur vxor, quæ oblita tempestatis, oblita metuendi etiam firmißimis maris, caput suum periculis pro sepulturâ obiecit, & dum cogitat de viri funere, nihil de suo timuit! Nobilitatur carminibus omniũ, quæ se pro coniuge vicariam dedit: hoc amplius est, discrimine vitæ sepulchrum viro quærere. maior est amor, qui pari periculo minus redimit. Post hoc nemo miratur, quod per sedecim annos, quibus maritus eius Ægyptum obtinuit, nunquam in publico conspecta est, neminem prouincialem in domum suam admisit, nihil à viro petiit, nihil à se peti passa est. Itaque loquax & ingeniosa in contumelias præfectorum Prouincia; in qua etiam qui vitauerunt culpam, non effugerunt infamiam; velut vnicum sanctitatis exemplum suspexit: &, quod illi difficillimum est, cui etiam periculosi sales placent, omnem verborum licentiam continuit, & hoc die illi similem, quamuis nunquam speret, semper optet. Multum erat, si per sedecim annos illam Prouincia probasset: plus est, quod ignorauit. Hoc non ideo refero, vt laudes eius exsequar, quas circumscribere potiùs est, tam parcè discurrere: sed vt intelligas, magni animi esse feminam; quam non ambitio, non auaritia, comites omnis potentiæ & pestes, vicerunt; non metus mortis eam, exarmatâ naui naufragium suum spectantem, deterruit, quo minùs exanimi viro hærens quæreret, non quemadmodum exiret, sed quemadmodum efferret.* *De Senecæ maioribus plura non habeo.*

*Vt puto posterior. fortassis Gallio Senior.

d. Consolat. ad Elb c. 17.

De Senecæ fratribus. CAP. III.



DVOS *tantùm, ex Elbiâ, fratres habuit; quorum vnus Gallio honores gessit; alter, equestri ordine contentus, à magistratu se abstinuit, Mella. Sororis nulla mentio, nec aliorum fratrum: neque Elbiam biuiram fuisse, nec Declamatorem Senecam, præter Elbiam, aliam vxorem habuisse, quisquam (quod sciam) prodidit. Duo ergo dumtaxat eius fratres fuere; de quibus ita scribit: Respice fratres meos, quibus saluis fas tibi non est accusare fortunam. In vtroque habes, quod te diuersâ virtute delectet. alter honores industriâ consecutus est, alter sapienter cõtempsit. Acquiesce alterius filij dignitate, alterius quiete, vtriusque pietate. Noui fratrum meorum intimos affectus. alter in hoc dignitatem excolit, vt tibi ornamento sit: alter in hoc se ad tranquillam quietámque vitam recepit, vt tibi vacet. Bene liberos tuos & in auxilium, & in oblectamentum fortuna disposuit. poteris alterius dignitate defendi, alterius otio frui. Certabunt in te officiis, & vnius desiderium duorum pietate supplebitur. Audacter tibi possum promittere, nihil tibi deerit præter numerum. Idem priùs scripserat; Karißimum virum tuum, ex quo mater trium liberorum eras, extulisti. Ipse Seneca pater hos suorum filiorum mores descripsit, commendans Mellæ ingenium, qui mihi natu minimus fuisse videtur: Hæc eo lubentius (inquit) ô Mella fili karißime refero, quia video animum tuum à ciuilibus officiis abhorrentem, & ab omni*

Consolat. ad Elb. cap 16. d. oper. c. 2.

omni* ambitu auersum, hoc vnum concupiscentem, nihil concupiscere, vt eloquentia tantùm studeas. Facilis ab hac in omnes artes decursus est. instruit etiam, quos nō sibi exercet. Nec est, quòd insidias putes tibi fieri, quasi id agam, vt te bene crediti studij labor teneat. Ego verò non sum bonæ mentis impedimentum. Perge, quò inclinat animus, &, paterno cōtentus ordine, subduc fortunæ magnam tui partem. Erat quidem tibi maius ingenium, quàm fratribus tuis, omnium bonarum artium capacissimum: est & hoc ipsum melioris ingenij pignus, non corrumpi bonitate eius, vt eo* malè vtaris. Sed quoniam fratribus tuis ambitiosæ curæ sunt, foroq; se & honoribus parant, in quibus ipsa quæ sperantur timenda sunt: ego quoque aliquando eius processus auidus, & hortator, laudatorq; vel periculosæ, dum honestæ modò, industriæ, duobus filiis nauigantibus, te in portu retineo. Sed proderit tibi, quam tota mente agitas, declamandi exercitatio, &c. Mellam hunc consentiunt omnes Lucani poëtæ patrē fuisse ex Acilia; de quo Lucano adhuc puero accipio illa Senecæ matrem suam alloquentis; Ab his ad nepotes quoque respice, Marcum blandissimum puerum, ad cuius conspectum nulla potest durare tristitia. nihil tam magnum, nihil tam recens in cuiusquam pectore fuerit; quod non circumfusus ille permulceat. cuius non lachrymas illius hilaritas supprimat? cuius non cōtractum sollicitudine animum illius argutiæ soluant? quem non in iocos vocabit illa lasciuia? quem non in se conuertet, & abducet infixum cogitationibus, illa nemimem satiatura garrulitas? Deos oro contingat hunc habere nobis superstitem. In me omnis fatorū crudelitas lassata consistat. Quidquid* matri dolendum fuerit, in me transierit; quidquid auiæ, in me. Floreat reliqua in suo statu turba: nihil de orbitate, nihil de conditione meā querar. Fuerim tantùm nihil ampliùs dolituræ domus piamentum. Superuixisse Lucano Senecam, constat ex Eusebio, qui tradit Senecam interemtum anno Domini LXVII. Lucanum verò, anno LXVI. postea anno LXX. Mellam filij bona impetrasse; quæ illi fuere exitio. Audite Tacitum; Mella (inquit) quibus Gallio & Seneca parentibus natus, petitione bonorum abstinuerat, per ambitionem* præposteram, vt eques Romanus Consularibus potentiâ æquaretur. simul acquirendæ pecuniæ breuius iter credebat, per procurationes administrandis Principis negotiis. Idem Annæum Lucanum genuerat, grande adiumentum claritudinis: quo interfecto, dum rem familiarem eius acriter requirit, accusatorem cōciuit Fabium Romanum, ex intimis Lucani amicis. Mixta inter Patrem filiumq; coniurationis scientia fingitur, assimulatis Lucani litteris. quas inspectas Nero ferri ad eum iussit, opibus eius inhians. At Mella; quæ tum promtissima mortis via; exsoluit venas, scriptis codicillis; quibus grandem pecuniā in Tigellinum, generumq; eius Cossutianum Capitonem erogabat, quo cætera manerent. addidit in codicillis tanquam de iniquitate exitij,* querens ita scripsisset: se quidem mori nullis supplicij causis, Rufum autem Crispinum & Anicium Cerialem vitâ frui, infensos Principi. Duo ergo dumtaxat Senecæ fratres, ambo Germani; quorum vnus honores contemsit Mella, alter honoribus defunctus, Iunius Gallio, vt Euseb. Tacitusq; vocant. Quid igitur sibi vult inscriptio non vno loco Declamationum repetita? AD NOVATVM, SENECAM &

Marginal notes:
*Repugnat Tacit. Annal. XVI.
*Tacitè philosophiæ studium in aliis filiis reprehendit.
In Præfat. lib. 2. Declamat.
Lib. de consolat. ad matrem cap. 16.
*Viuebat ergo M. illius mater, vnde patet non agere Senecā de filio suo; cùm & ipse hoc tempore orbus fuerit.
In chronic.
Annal. XVI.
*Nescio Tacito, an parenti credere debeam.
*Sic habetur in ant quo ante Beroaldi tempora excu'o. malè Lugdunens. anni LXXXIV. exsilij.

Malè lib. 5. Controu. inscribitur SENECA NOVATO & MELAE FILIIS; pro, Senecæ, Nouato, &c.
* Patet ex Præfat. lib. 2. Declamat.
* Consolat. ad Elb. cap. 16.

& MELAM FILIOS. Rodolfus Agricola censet hos tres Senecæ Philosophi filios fuisse. Sed falsus fallit. primò quia hic Mella, Tacito & Eusebio testibus, Senecæ Philosophi, non filius, sed frater fuit. tũ quia ipse Philosophus paulloante, ad matrem scribens, se filiis orbum fuisse docet, exsilij tempore: at hoc opus ante exsilium conscriptum fuit, nondum gestis à Philosopho aut Gallione honoribus. cùm tamen Seneca exsulabat, iam fuerat Quæsturam functus; iam Gallio in repub.* florebat, iam erat honores industriâ consecutus. Et sanè hodie nefas est doctis, opus illud Declamationum senioris Senecæ negare. Ipse Seneca lib. III. Nat. quæstion. in prin. Gallionem vocat fratrem suum, vt & Tacitus annal. XV. Quis ergo Nouatus ille Senecæ frater? opinor & ego Annæum Nouatum adoptione in aliam gentem transiuisse, & mutato nomine, Iunium Gallionem vocatum; & suspicor apud Quinctilian. lib. 9. c. 2. pro* P. Nouanius Gallio, *legendũ* Iunius Nouatus Gallio. *sed suspicor tantùm: Neminem fallat, quod me aliquamdiu torsit, Iunij Gallionis frequens mentio in illo Declamatoris Senecæ libello. Duo fuêre Galliones. Senior alter, qui se iisdem studiis dedit, quibus Seneca senior, clarus orator, quem Seneca pater nostrum vocat (fortè affinitatis causa, quòd sororem eius Elbiam duxerat; vel quòd frater Declamatoris erat). Hoc, inquit, nemo præstitit vnquam Gallione nostro decentiùs. Iam adolescens, dum declamaret, aptè & conuenienter, &c. Præfat. lib. 7. Declamat. Item; Monstrabo vobis libellum, quem à Gallione » nostro petatis. Præfat. lib. 10. Verum est, quod de illo dicit Gallio noster, Cùm » diceret, rerum potiebatur. Præfat. lib. 3. Primum Tetradeum quorũ faciam » quæritis? Latronis, Fusci, Albutij, Gallionis. Hi quotiens conflixissent, penes » Latronem gloria fuisset, penes Gallionem palma: reliquos, vt vobis videtur, » componite. Præfat. lib. 10. Declamat. & lib. 6. Controuers. Gallio noster » putat. Controu. 14 Hoc nemo præstitit vmquam Gallione nostro decentiùs. Lib. 4. Controuers. De eodem illa accipio lib. 1. Suasor. in fine Suasor. 3. » Solet autem Gallio noster hæc aptißimè ponere. Memini vna nos ab auditione » Nicetis ad Messallam venisse. Nicetes suo impetu valde Græcis placuit. Quæ» rebat à Gallione Messalla, quid illi visus Nicetes esset? Gallio ait,* PLENA » DEO. *Quotiens audisset aliquem ex his Declamatoribus, quos Scholastici caldos vocant, statim dicebat,* PLENA DEO. *Ipse Messalla* nunquam aliter eum agnouit ab hominis auditione venientem interrogat nihil aliud, quàm vt » diceret, Numquid* PLENA DEO? *Denique hoc ipsi iam tam familiare erat, » vt inuito excideret. Apud Cæsarem, cùm mentio esset de ingenio Haterij, con» suetudine prolapsus dixit, & ille erat* PLENA DEO. *Quærenti deinde, » quid hoc esse vellet, versum Virgilij retulit, & quomodo hoc semel sibi apud » Messallam excidisset, & nunquã posteà potuisset excidere. Tiberius ipse Theo» doreus offendebatur Nicetis ingenio, atque delectatus est fabulâ Gallionis. » Hoc autem dicebat Gallio Nasoni suo valde placuisse. Itaque fecisse, quod in » aliis multis versibus Vergilius fecerat, non surripiendi caussâ, sed palàm imi» tandi; hoc animo vt vellet agnosci. Esse autem in tragœdia eius;* Feror huc il» luc, vt plena Deo, *&c. Vnde etiam intelligimus hunc Gallionem Tiberij familiarem, Ouidij verò amicũ fuisse. Illis verò libris cùm exercitationes eorum*

*Dubia est vtraque coniectura: nec liquet mihi vtra verior.

*Mendosus locus.

orato-

*oratorum referantur, qui iuuene adhuc seniore Senec. à florebāt, quorum non-
nulli Ciceronem viderunt; stolidus sit qui de Philosophi fratre illa accipiat; qui
quo tempore ei hæc à patre suo narrabantur, iuuentutem nondum excesserat,
nec sanè à patre in os laudatus fuisset; nec Ouidio familiaris esse potuit, eo tem-
pore relegato, quo fortassis nondum natus erat iunior Gallio. Duo ergo Gallio-
nes, vt & duo Senecæ, oscitanter pro vno accepti, has tenebras offuderunt. Se-
nioris huius Gallionis fragmenta sunt, quæ nobis Seneca senior ab interitu
eripuit lib.* II. *Controu.* I. II. V. VI. VII. XI. XII. XIV. XV. XVII. XXII. *& deinceps
vsque ad* XXXIV. *De eodem ait Seneca Philosophus; Illud mihi in ore erat Do-* ‹‹
mini mei Gallionis; qui cùm in Achaiâ febrim habere cœpisset, protinus na- ‹‹
uim ascendit, clamitans, Non corporis esse, sed loci morbum. Epist. 105. *Huius* ‹‹
*tinnitus vnà cum Mæcenatis calamistris reprehendit auctor libri de Claris
Oratoribus. hunc disertissimum oratorem vocat Eusebius, & anno* LXVI. *quo
Lucanus obiit, scribit sibi necem consciuisse. De eodem loqui arbitror D. Hie-
ronymum in Præfat. lib. 8. in Esaiam, & sacras litteras in Act. Apostolo-
rum cap.* 18. *Alter fuit Annæus Nouatus seu Iunius Gallio, Senecæ Decla-
matoris F. Philosophi frater, quem laudat Papinius, in Genethl. Lucani, lib* II.
Siluar. Lucanum potes imputare terris.
Hoc plus, quàm Senecam dedisse mundo,
Aut dulcem generasse Gallionem.
*Fuit enim facetus ac comis, suauissimisq́; moribus, nec remisso aut fracto, sed
forti magnoq́; animo. Huic lib. de vita beata dedicatur. Huius meminit Phi-
losophus, verbis his; quæ ex m. s. & coniectura, sicuti puto castiganda, appo-
nam: Solebam tibi dicere Gallionem, fratrem meum, quem modò parum amat,* ‹‹
qui amare plus non potest, alia vitia non nosse; hoc [*s. adulationis*] *eum odisse.* ‹‹
Ab omni illum parte tentasti. Ingenium suspicere cœpisti omnium maximum, ‹‹
& dignissimum, quod consecrari malles, quàm conteri: pedes abstulit. fruga- ‹‹
litatem laudare cœpisti; quæ sic opibus vsa sit, vt illas nec appetere, nec dam-
nare videatur: prima statim verba præscidit. cœpisti mirari comitatem & in-
compositam suauitatem; quæ illos quoque quos transit abducit, gratuitū etiam
in obuios meritum: nemo enim mortalium vlli tam dulcis est, quàm hic omni-
bus: Cùm interim tanta naturalis boni vis est, vbi artem simulationemq́; non
redoleat; nemo non imputari sibi bonitatem publicam patitur: hoc quoque loco
blanditiis tuis restitit. vt exclamares, inuenisse te inexpugnabilem virum ad-
uersus insidias, quas nemo non in sinum recipit. Eo quidem magis hanc eius* ‹‹
prudentiam, & in euitando ineuitabili malo pertinaciam te suspicere confes- ‹‹
sus es. quia speraueras, posse apertis auribus recipi, quamuis blanda dicerentur, ‹‹
quia vera dicebas. Sed eo magis intellexit obstandum. semper enim falsis à ve- ‹‹
ro petitur veritas. Nolo tamen tibi displiceas, quasi malè egeris mimum, aut
quasi ille aliquid iocorum aut doli suspicatus sit. non deprehendit te, sed
repulit. Initio lib. 4. natural. quæstion. Et de Etesiis, lib. 5. natural. quæstion.
cap.* XI. *Propterea quòd (vt ait Gallio) manè nesciunt surgere. De hoc Gallione
scribit ex Dione Xiphilinus, in Claudio; cùm esset consuetudo necatos à car-
nificibus in forum magnis quibusdam vncis trahi, deinde in flumen abijci,*

* Vulgati libri; *quæ sic à nobis resiluit, vt illos nec habere n. d. v.* Membranæ Burdegal. *cœpit. quare sic à nobis resiluit, vti nos nec l. n. d. v.*

*Sic membranæ.

* Malè vulgo, Iouius, pro Iounior.

L. Iunium Gallionem Senecæ fratrem facetè & vrbanè dixisse, Claudium vnco in cælum attractum. Cornelius Tacitus narrata Senecæ & quorundam » aliorum nece, subiungit; at in Senatu, vt cuique plurimum mœroris, in adu- » lationem demissis, Iunium Gallionem, Senecæ fratris morte pauidum, & pro » suâ incolumitate supplicem, increpuit Salienus Clemens, hostem & parrici- » dam vocans; donec consensu Patrum deterritus est, ne publicis malis abuti ad » occasionem priuati odij videretur; neu compositam, & obliteratam mansuetu- » dinem Principis, nouam ad sæuitiam retraheret. lib. XV. Annal. Non diu tamen Gallio superuixit. occisum enim post fratrem Dion tradidit. Nihil ad Annæam Gentem pertinet. alius quidam Iunius Galenus Gallio, apud Dionem » lib. 58. cuius obitum apertiùs narrat Tacitus, his verbis; At Iunium Gallio- » nem, qui censuerat, vt Prætoriani actis stipendiis ius adipiscerentur in quat- » tuordecim ordinibus sedendi, violenter increpuit, velut coram rogitans, quid » illi cum militibus; quos neque dicta, neque præmia nisi ab Imp. accipere par es- » set. reperisse prorsus, quod D. Augustus non prouiderit. an potiùs discor- » diam & seditionem à satellite Seiani quæsitam? qua rudes animos nomine ho- » noris ad corrumpendum militiæ morem propelleret. Hoc pretium Gallio medi- » tatæ adulationis tulit, statim curiâ, deinde Italiâ exactus: &, quia incusaba- » tur facilè toleraturus exsilium, dilectâ Lesbo insulâ nobili & amœnâ, re- » trahitur in vrbem, custoditurq; domibus Magistratuum. Annal. V. At illo tempore Gallio Senecæ frater vix adoleuerat. Plinius lib. XX. natural. histor. quædam à Gallione, nescio quo, mutuatus fuit, vt ipse lib. I. testatur. Non defuère, qui libros Rhetoricorum ad Herenn. cuidam Gallioni adscriberent.*

De vxoribus & liberis Senecæ. CAP. IIII.



OMPERTVM *habeo duas Senecam vxores duxisse. prioris nomen ignoro, quæ ante exsilium mariti decessit. posteriorem Pompeiam Paullinam, tam grandis natu duxit, vel Suetonij Paullini viri Prætorij, & rebus gestis clari, de quo multa Plinius, Tacitus, & Dion; vel potiùs Paullini Pompeij, cuius etiam Tacitus meminit, filiam, ad quem suspicor scriptum lib. de breuitate vitæ; è quo libro patet Principis negotia per procurationes administrasse, & publicæ annonæ curam gessisse. Tu » quidem (inquit) orbis terrarum rationes administras, tam abstinenter quàm » alienas, tam diligēter quàm tuas, tam religiosè quàm publicas. in officio amo- » rem consequeris, in quo odium vitare difficile est. sed tamen, mihi crede, satius » est vitæ suæ, quàm publici frumenti rationem nosse. Istum animi vigorem, re- » rum maximarum capacissimum, à ministerio honorifico quidem, sed parum » ad beatam vitam apto, ad te reuoca, & cogita non id egisse te ab ætate primâ » omni cultu studiorum liberalium, vt tibi multa millia frumenti committeren- » tur. maius quiddam & altius de te promiseras. Et paulo antè; Excerpe itaq; » te vulgo, Paulline karissime, & in tranquilliorem portum non pro ætatis spa- » cio iactatus, tandem recede. Cogita quot fluctus subieris, quot tempestates par- » tim priuatas, partim publicas in te conuerteris. Satis iam per laboriosa & in-*

quieta documenta exhibita virtus est. experire quid in ocio faciat. Maior pars ætatis, certè melior, reip. data sit, aliquid tẽporis tui sume etiã tibi. Cap. XVIII. *Prioris suæ vxoris me commonuit, quando de filiolo ex ea suscepto agit, qui immaturâ morte sublatus fuit: Intra vicesimum diem, quàm filium meum in manibus & in oculis tuis mortuum funeraueras, &c.* Lib. ad Elbiam cap. 2. *at eo tempore nondum Paulinam duxerat, & suspicor nullam tunc vxorem habuisse, quòd eo libro nullam vxoris mentionem faciat. Præterea in orbitatis suæ solatium, (quam eodem opere queritur) vnius ex fratribus (opinor Galitonis) filiolam videtur adoptasse, Nouatillam. sic enim scribit; Tene in gremio tuo, citò daturam tibi Pronepotes Nouatillam; quam sic in me transtuleram, sic mihi adscripseram, vt possit videri, quòd me amisit, quamuis saluo patre, pupilla. hanc & pro me dilige. abstulit illi nuper fortuna matrem: tua potest efficere pietas, vt perdidisse se matrem doleat tantùm, non & sentiat. nunc mores eius compone, &c.* d. lib. cap. 16. *Magnâ concordiâ, & clarissimis mutui amoris notis cum Paullinâ vixit, donec iussu Neronis interfecto, Paullina commori cœpit, vt postea ex Tacito proferemus. Ipse sic ad Lucillium scribit; In Nomentanum meum fugi, quid putas? Vrbem? imò febrem, & quidem surrepentem: iam manum mihi iniecerat. protinus itaq; parari mihi vehiculum iussi, Paullinâ meâ retinente. & paulo pòst. Hoc ego Paullinæ meæ dixi; quæ mihi valetudinem meam commendat. Nam cùm* sciam spiritum illius in meo verti; incipio, vt illi consulam, mihi consulere: & cùm me fortiorem senectus ad multa reddiderit, hoc beneficium ætatis amitto. Venit mihi in mentem, in hoc sene & adolescentem esse cui parcitur. Itaque quoniam ego ab illâ non impetro, vt se fortiùs amet; impetrat illa, vt me diligentiùs amem. Et post pauca; Quid enim iucundius, quàm vxori tam carum esse, vt propter hoc tibi carior fias. Potest itaque Paullina mea, non tantùm suum mihi timorem imputare: sed etiam meũ.* Epist. CV. *Hæc illa est nobilissima illustrissimaq; femina cum qua Dion Senecam nuptias fecisse scribit. nullos ex ea, quod quidem legerim, liberos suscepit; nec illi vlli liberi superuixerunt.*

* Sic lego.

De iuuentute Senecæ & vita sub Tiberio Imp.

Cap. V.

SVB *Octauio natum arbitror Corduba priusquam parens cum Elbia vxore, sub Augusto, Romam venit. initio lib* 1. *Natural. quæst. scribit; Vidimus circa Diui Augusti excessum simile prodigium. Et lib.* 7. *cap.* 17. *Nec est quod putemus eundem visum esse sub Claudio, quem sub Augusto vidimus. Nec asserere, nec refellere, quod quidam adtulerunt, audeo; à Cn. Domitio Ahenobarbo, qui Cordubensium rebellionem pacauit, captum cum duobus fratribus Senecam, Romam perductum, & libertate donatum. nam qui tradunt,* auctoritate carent, & temere Senecam statu motum, libertinum faciunt. Mihi propius videtur vero, Senecam, vt ipse testatur, materteræ manibus, an inter obsides vel cum parentibus? in vrbem perlatum, quod ex iis, quæ suprà retulimus cap.* 11. *non ineptè colli-*

*Xicho Polentinus.

Vide cap. 17. consolat. ad Elbiam.

colligitur. Mox, vt se studiis philosophiæ dare cœpit, diligenter initiò Pythagoreos audiuit, postmodum tamen virilem illam & rigidam Stoicorum disciplinam prætulit, vsus Socione & Attalo præceptoribus: quorum operâ non solùm doctrinæ laudem, sed frugalitatis etiam ac abstinentiæ fuit adeptus, iuuentutemq; transegit, non luxuriosam, sed inprimis sobriam. Ego (inquit epist. CIX.) cùm Attalum audirem in vitia, in errores, in mala vitæ perorantem; sæpè misertus sum generis humani, & illum subliminiorem altioremq; humano fastigio credidi. Ipse regem se esse dicebat, sed plusquam regnare mihi videbatur, cui liceret censuras agere regnantium. Cùm verò laudare paupertatem cœperat, & ostendere, quòd quicquid vsum excederet, pondus esset superuacuum & graue ferenti: sæpe exire è schola pauperi libuit. Cùm cœperat voluptates nostras traducere, laudare castum corpus, sobriam mensam, puram mentem; non tantùm ab illicitis voluptatibus, sed etiam superuacuis, lubebat circumscribere gulam & ventrem. Inde mihi quædam permansêre, Lucilli. magno enim impetu in omnia veneram. Deinde ad ciuitatis vitam reductus, ex benè cœptis pauca seruaui. Inde ostreis, boletisq;* in omnē vitam renunciatum est. hæc enim non cibi, sed oblectamenta sunt ad edendū saturos cogentia, quod gratissimū est edacibus, & se vltra quàm capiunt farcientibus, facilè descensura, facilè reditura. Inde in omnē vitam vnguento abstinemus: quē obtinemus, odor in corpore est. Nullo inde vino calet stomachus. Inde in omnē vitā balneū *fugimus. Decoquere corpus, atq; exinanire sudoribus, inutile simul delicatumq; credimus. Cetera proiecta redierunt: ita tamen, vt quorum abstinentiam interrupi,* modū seruem, & quidem abstinentiæ proximiorē, nescio an difficiliorem: quoniam quædam abscinduntur faciliùs animo, quàm temperantur. Quoniam cœpi tibi exponere, quantum maiore impetu ad philosophiam iuuenis accesserim, quàm senex pergam, non pudebit fateri, quem mihi amorem Pythagoræ iniecerit Socion. Disserebat quare ille animalibus abstinuisset, quam postea Sextius, &c. His instinctus abstinere animalibus cœpi: &, anno peracto, non tantum facilis erat mihi consuetudo, sed dulcis. Agitatiorem mihi animum esse credebam; nec affirmauerim, an fuerit. Quæris, quomodo desierim? In Tiberij Cæsaris Principatum iuuentæ tempus inciderat*, alienigenarum sacra mouebantur. Sed inter argumenta superstitionis ponebatur, quorundam animalium abstinentia. Patre itaque meo rogante; qui non calumniam timebat, sed philosophiam oderat; ad pristinam consuetudinem redij: nec difficulter mihi, vt inciperem melius cænare, persuasit. Laudare solebat Attalus culcitam, quæ resisteret corpori; tali vtor etiam senex, in qua vestigium apparere non solet. Hæc retuli, vt probarem tibi, quàm vehementes haberent tyrunculi impetus primos ad optima quæque, si quis exhortaretur illos, si quis impelleret.*

*Mendosè apud D. Hieronymum in Catalogo Ecclesiast. scriptorum legitur, *Sotionis*.

* Quæ tamē pluris Romę quàm aurū. Vnde intelligitur iocus Martialis lib. XIII. *Argentū atq; aurum facile est togamque lenamq; Mittere; boletos mittere difficile est.*

*Non lotionem frigidę, sed thermas. vide inf. c. 9.

*Sic lego, pro *modò*.

* Hæc de Christianis sunt intelligenda; licet eos cum Iudæis confundat: quæ erat illorum opinio, vt ex Tacito liquet.

De

De vita ſub Caio Caligula. CAP. VI.

VT *ad virilem ætatem peruenit, cauſas egit, & magni fieri cœpit eius eloquentia (teſte Suetonio); & parum abſuit, quin illi exitium ea gloria adferret. Nam (ita ſcribit Dion lib.* LIX. *& ex eo Xiphilinus in Caio) L. Annæus Seneca omnes ſui temporis Romanos,* Apud Dionem & Xiphilinũ corrup c leg tur *ultosq́; alios ſapientia ſuperans, nullo ſuo peccato, ac ne ſuſpicione quidē pec-ti, penè neci datus fuit: ſed quia cauſam quandam præſente Caio in Senatu regiè egiſſet. iam tamen damnatum Caius dimiſit, fidem ſcorto cuidam, o*vtebatur, adhibens, Senecam tabe laborare, nec diu ſuperuicturum affir-nti. Quod & verum erat, vt patet ex epiſt. ad Lucill.* LXXIX.*, & ego eo fa-iùs creditum exiſtimo, quòd frugalitate & ſtudiorum aſſiduitate macilen-& extenuato corporis habitu foret. Iuuenis volumen edidit, de Motu terra-m, cuius meminit lib.* VI. *Natural. quæſtion. cap. 4. Scripſit & imperante io Conſolationem ad Marciam, ſi modò Senecæ illa, vt puto. Sera ſanè con-tio ſit, ſi in poſteriora tempora referas.*

*Ipſe ſcilicet Caius.

De vita ſub Claudio Imp. CAP. VII.

QVO *tempore ad rempub. acceſſerit, nondum inueſtigando potui eruere: putarim Caio imperante honores ambire cœpiſſe. Poſtea quidem in Corſicam, primo Claudij imperij anno, functus iam Quæſtura, pulſus fuit. exſilij cauſam Dion tradit hanc, lib.* LX. *ex eo Xiphilin. in Claudio. cùm Meſſalina, famoſiſſimum illud Iuuenalis minibus proſtibulum, Iuliæ Germanici F. grauiter ſuccenſeret, quòd for-ſuæ æmulam ferre nequiret, neque debitum ſibi honorem exhiberi ab ea leret, neſcio quid etiam verita, quòd cum Claudio ſolam ſolere vidiſſet, il-extorrē egit, fictis cũ aliis, tum adulterij criminibus: ea procella Senecam oluit, conſciũ, vt prætexebant, Iuliæ adulteriorũ. Exſilij caſum fortiſſimè ulit; ſi credimus ipſi, & auctori,* Octauiæ; *vſus philoſophiæ conſolatione.*

Quid me potens Fortuna, fallaci mihi (Octau Act. 1)
Blandita vultu, ſorte contentum mea,
Altè extuliſti; grauiùs vt ruerem edita
Receptus arce, tótque proſpicerem metus?
Meliùs latebam procul ab inuidiæ malis
Remotus, inter Corſici rupes maris:
Vbi liber animus, & ſui iuris mihi
Semper vacabat ſtudia recolenti mea
O quàm iuuabat, &c.

uis ipſe verbis cap. 4. ad Elbiam; Si oſtendero, nihil me pati, propter quod m dici miſer — Ego mihi ipſe ſatis placebo, quod inter eas res beatus ero, ſolent miſeros facere. — Ipſe tibi indico, me non eſſe miſerum: adijciam, ſecurior ſis, nec fieri poſſe miſerum. Et ne iactare ſe gloriariq́; falsò pute-lurimis validiſſimisq́; id argumentis totis octo ſequentibus capitibus con-firmat.

*firmat. Tandem narrat, quid in Corsica egerit, quomodo se in rupibus illis
,, gesserit; Qualem me cogites accipe, lætum & alacrem, velut optimis rebus.
,, Sunt autem optimæ, cùm animus omnis cogitationis expers, operibus suis va-
,, cat, & modò se leuioribus studiis oblectat, modò ad considerandam sui vniuer-
,, sique naturam veri auidus insurgit. Terras primùm sitúmque earum quærit.
,, Deinde conditionem circumfusi maris, cursúmque eius alternos, & recursus.
,, tunc quicquid inter cælos terrasque plenum formidinis interiacet, perspicit,
,, & hoc tonitribus, fulminibus, ventorum flatibus, ac nimborum, niuisque &
,, grandinis iactu tumultuosum spacium. Tunc peragratis humilioribus ad sum-
,, ma prorumpit, & pulcherrimo diuinorum spectaculo fruitur, æternitatisque
suæ* memor, in omne quod fuit, futurumque est omnibus seculis vadit. Cap. vlt.
lib. ad matrem. O felicem exsulem! ô rupicem fortunatum! Scripsit tum, ini-
tio Britannicæ expeditionis, etiam consolationem ad Polybium libertum Clau-
dij Imp. vnum ex Messalinæ mœchis, & ab eadem postea interfici iussum, si
Zonaras non fallit lib. 2. Annal. in Claudio, cuius & opes & petulantiam
Dion perstringit lib. LX. vt & Suetonius in Claudio cap. XXIIX. huic Sene-
ca, suis opinor id tribuens, quibus impurus iste tum obesse, vel prodesse poterat
plurimum, satis demissè blanditur, Consolat. ad Polybium cap. XXI. & XXV.
ipsi Claudio Imp. tam apertè adulatur, suasque lachrymas, & fractum aduer-
sâ fortunâ animum ita profitetur, vt me pudeat nostri. Nihil enim vel Naso,
,, vel Cicero dixêre muliebrius. Non recuso (ait) quicquid lachrymarum for tu-
,, næ meæ superfuit, tuæ affundere. Inueniam etiam nunc per hos exhaustos fle-
,, tibus domesticis oculos, quod effluat; si modò tibi futurum bono est. Cap. XXI.
,, Cogita, quàm non possit is alienæ vacare consolationi, quem sua mala occupa-
,, tum tenent: & quàm non facilè Latina ei verba homini succurrant, quem
,, Barbarorũ inconditus grauisque fremitus circumsonat. Cap. vlt. De Claudio
Imp. loquens, ostendit se spem reditus nunquam abiecisse. sic enim scribit; Hic
,, [Claudius] Germaniam pacet, Britanniam aperiat, & patris triumphos du-
,, cat, & nouos: quorum me quoque spectatorem futurum, quæ ex virtutibus eius
,, primum obtinet locum, promittit clementia. Nec enim sic me deiecit, vt nollet
,, erigere: imò ne deiecit quidem, sed impulsum à fortuna, & cadentẽ sustinuit,
,, & in præceps euntem leuiter diuinæ manus vsus moderatione deposuit. De-
,, precatus est pro me Senatum, & vitam mihi non tantùm dedit, sed etiã petiit.
,, Viderit, qualem volet esse; æstimet causam meam: vel iustitia eius bonam per-
,, spiciet, vel clementia faciet bonam. vtrumque in æquo mihi eius beneficiũ erit,
,, siue innocentem me scierit esse, siue voluerit. Interim magnum miseriarum
,, mearum solatium est, videre misericordiam eius totum orbem peragrantem;
,, quæ cùm ex ipso angulo, in quo ego defossus sum, complures iam multorum an-
,, norum ruinâ obrutos effoderit, & in lucem reduxerit, non vereor ne me
,, vnum transeat. Ipse autem optimè nouit tempus, quo cuique debeat succurre-
,, re. ego operam dabo, ne peruenire ad me erubescat. d. Consolat. ad Polyb. cap.
XXXII. Ita accidit. nam post aliquod tẽpus Agrippina, cùm Claudio nupsis-
,, set; ne malis tantùm (inquit Tacitus Annal. XII.) facinoribus notesceret,
,, veniam exsilij pro Annæo Seneca, simul Præturam impetrat; lætum in pub-
licum*

* Videtur agnoscere animæ immortalitatẽ.

licum rata, ob claritudinem studiorum eius, vtq; Domitij pueritia tali magi- "
stro adolesceret, & consiliis eiusdem ad spem dominationis vteretur. quia Se- "
neca fidus in Agrippinam memoriâ beneficij, & infensus Claudio dolore in- "
iuriæ credebatur. Itaque reuersus nono Claudij anno, octauo verò exsilij sui, etsi magno desiderio Athenas tenderet (ait Schol. Iuuenalis) in palatium adductus, Neronis adolescentiæ regendæ, docendæq; curam suscepit. qua de re Suetonius; Vndecimo ætatis anno à Claudio adoptatus est, Annæóque Senecæ "
iam tum Senatori in disciplinam traditus. Ferunt Senecam proximâ nocte "
visum sibi per quietem C. Cæsari præcipere, & fidē somnio Nero breui fecit, "
prodita immanitate naturæ; quibus primùm potuit experimentis &c. in Ne- "
rone cap. VII. *idem Dion & Zonaras confirmant. Odium Claudij prudenti calliditate dißimulatum dum viueret, in mortuum Seneca impotenter effudit, edito libello, quem vulgò Ludum in mortem Cæsaris Claudij inscribunt; Dion verum titulum prodidit* ἀποκολοκύντωσιν, *quasi dicas de immortalitate fungo parta, Dion lib.* LX. *& Xiphilin. in Nerone. Ea verò Menippæa Satyra est, & frustra vir doctus ambigit, num Seneca Philosophi sit. Porrò in* *Lilius. *Corsica scripsit, quæ exstant Epigrammata; & fortaßis librum,* de tranquillitate animi. *lib.* Cùm mundus prouidentiâ regatur, quare multa mala bonis viris accidant. *lib.* de ira. *lib.* in sapientem non cadere iniuriam; *ex quibus dolori suo medicinam faciebat.*

De honoribus Senecæ. CAP. VIII.

HONORES *maximos geßit. Senatoriâ ante exsilium dignitate, Quæsturam functus fuit: Post exsilium Præturam adiecit, & Consulatū. Senatoriæ dignitatis auctores sunt Sueton. d. cap.* VII. *& Xiphilin. in Caligula, & Tacitus, qui equestri ordine emersisse docet vnà cum fratre Gallione, vt superiùs. Quæsturæ ipsemet meminit, Illa* "
pro Quæstura mea gratiam suam extendit; consolat. ad Elb. cap. 16. neque Præturam aliter gesturus fuit; cuius ab Agrippina impetratæ, modò testem produxi Cornelium Tacitum. Consul extra ordinem creatus, vnà cum Trebellio Maximo, suffectus in locum P. Marij Celsi & L. Asinij Galli anno V.C. DCCCXIV. *vt Vlpianus docet, & Iustinianus Imp. confirmat, ille l. 1. D. ad Trebellian. hic. §. restituta. institut. de fideicom. hereditat. Nec audiendi, qui negant. Nam quod Ausonius in gratiarum actione ad Gratianum Imper. scripsit;* Diues Seneca, nec tamen Consul: *rectè Vinetus de ordinario consulatu interpretatur. Non ergo Ausonius errauit: nec Vlpianus falsi reus agēdus. Zonaræ, ignorantiæ crassæ, diem potiùs dixerim; qui lib. 2. Annal. in Nerone Senecam facit militum Prætorianorum præfectum: quod perspicuè falsum est. nam Nerone regnante hoc munus penes Burrum, Feniúmque, postea penes Tigellinum fuit: nec vnquam militaribus negotiis se noster immiscuit, vt ex Tacito mox liquebit. Zonaram an decepit Dion, de Seneca & Burro perplexè loquens, & ambiguè inquiens alterum militiæ præfectum, alterum pueritiæ moderatorem fuisse, vt etiam nunc ex Xiphilini Nerone apparet?*

An potiùs librarij Græci Senecæ & Burri nomina transposuerunt, & interpretem virum doctum deceperunt? hoc opinor, & Zonaræ contextum ita corrigendũ. Tergeminis ergo honoribus clarus Seneca: nec felicior vnquã Romana respub. nec lætius imperium fuit, quàm primis illis Neroniani regni annis, quibus Senecæ consilia imperatoris in animo hærebant.

De gestis Senecæ, Nerone imperante. Cap. IX.

De Seneca & Burro, φρονιμωτάτω τε ἅμα καὶ δυνατώτατοι τῶν περὶ τὸν Νέρωνα ὄντες.



EX *Dione Xiphilinus prodidit Senecam sapientissimum virum, & maximæ apud Neronem auctoritatis fuisse; eiq́; composuisse, quæ initio imperij tam in Senatu, quàm apud exercitum diceret; illaq́; tanti fecisse Senatum, vt columnæ argenteæ inscribi iusserit, vt ea quotannis in creatione honorũ Coss. legerentur, eâ gratiâ; vt velut ad amussim, iuxta ea præcepta rempub. quamoptimè regerent. Nero tum ætatis* XIX. *agebat annum, cùm imperij habenas suscepit; eodem ad illum Seneca lib. de Clementia scripsit, vt ex lib.* I. *cap.* 9. *colligitur. Constat Agrippinam principiò omnia quæ ad Imperium spectabant administrasse, sed consilio Senecæ & Burri muliebrem potentiam infractam, ipsos autem omnem reip. curam in se deriuasse; quam quo ad vsque obtinuerunt, cuncta optimè & iustissimè administrata. Postmodum Nero, & voluptatibus, quibus se penitus immerserat, & assentatorum blandimentis corruptus, paulatim illorum monitiones negligere cœpit, & ad C. Caligulæ mores vitam suam instituere. Hæc Xiphilinus.*

διῴκησαν ἐφ᾽ ὅσον ἠδυνήθησαν ἄριστα καὶ δικαιότατα.

» *Eadem Tacitus, cui plus tribuo; Ibatur (inquit) in cædes, nisi Afranius Bur-*
» *rus, & Annæus Seneca obuiam issent. Hi rectores imperatoriæ iuuentæ, &*
» *pari in societate potentiæ concordes diuersâ arte ex æquo pollebãt; Burrus mi-*
» *litaribus curis, & seueritate morum; Seneca præceptis eloquentiæ, & comita-*
» *te honestâ; iuuantes inuicem, quo faciliùs lubricam Principis ætatem, si vir-*
» *tutẽ aspernaretur, voluptatibus concessis retinerent. Certamen vtrique vnum*
» *erat, contra ferociam Agrippinæ; quæ cunctis malæ dominationis cupidinibus*
» *flagrans, &c. & mox subdit, monitu Senecæ, specie pietatis obuiam itum summo dedecori, ne Agrippina suggestum Imperatoris ascenderet, & vnà simul præsideret. Vocat etiam Burrum & Senecam, multarum rerum experientiâ cognitos: &, cùm Nero Burrum præfecturâ amouere destinasset, ope Senecæ dignitatem Burro retentam. Idem à Paride Agrippinâ accusatâ, missos ad eam Burrum & Senecam, vt de criminatione cognoscerent: in Suillij quoque damnatione Senecæ meminit. hæc Tacitus Annali* XIII. *Cluuius & Fabius Rusticus Neronis cum matre incestum, tantùm non patratum, Senecæ astu deiectum tradiderunt. Senecam necis Agrippinæ non ignarum fuisse, satis ex Tacito & Xiphilino apparet. Sed Romanus innuit parricidium Senecæ displicuisse; Igitur (inquit) longum* vtriusque silentium, ne irriti dissuaderent: & eo descensum credebant, vt nisi præueniretur Agrippina, pereundum Neroni*
» *esset. Pòst Seneca, hactenus promtior, respicere Burrum, ac si scitaretur, an*
» *militi imperãda cædes esset. Ille Prætorianos, &c. Lib.* XIV. *Annal. Græculus apertè Senecæ vbicunque potest detrahens, ait à permultis fide dignis hominibus*

* Senecæ & Burri.

nibus

ibus proditum, Senecam etiam incitasse Neronem ad parricidium; siue crimen à se deriuare cuperet, siue Neronem ad nefariam cædem perducere, vt eum quàm celerrimè Dij hominesq; pessumdarent. ita Xiphilin. in Nerone. idem inter rebellionis Britannicæ causas numerat; quòd cùm Seneca illis ad CCC. aureorum millia, sub magnis vsuris credidisset, eam summam solidam magnâ vi atque violentiâ exegerit. Verùm neque Sueton. de hac defectione agens, in Nerone cap. 39. neque Tacitus, in Agricolæ vitâ, aut Annal. XIV. huius auaritiæ Senecam accusant. Cornelius quidem lib. XIV. ait auaritiam Britannos in bellum egisse; sed in vitâ Agricolæ eam auaritiam Procuratorum Britanniæ fuisse docet, quo munere Seneca functus non legitur, nec assiduus Neroni fungi potuit. Suspicor Dionis commentum; etiam aliàs falsi. vt cùm scribit Senecam vnà cum Burro Neroni histrioniam facienti, vt magistrum astitisse, & dicenda suggessisse, cumq; dixisset, manibus & vestimẽtis applausisse, vt reliquos ad idem faciendum inuitaret: quod Tacitus expressè soli Burro tribuit; Postremò ipse scenam inscendit, multa cura tentans citharam & præmeditans, assistentibus familiaribus. accesserat cohors militum, centuriones, tribuniq;, & mœrens Burrus, ac laudans. Tuncq; primùm conscripti sunt equites Romani, cognomento Augustanorum, ætate ac robore conspicui & pars ingenio procaces, alij in spe potentiæ. Hi dies ac noctes plausibus personare, &c. Lib. XIV. Annal. Si inter familiares Seneca adfuisset; non minùs illum, quàm inter milites Burrũ nominasset. Sed quis hîc locus Senecæ? credo qui ceteros ludos aspernabatur; auidè alumni sui tantum dedecus aspexisset. potiùs obuiam isse Neroni, quantum potuit dehortatum, opiner. Si Neronis flagitiis assentari voluisset: non illi tyrannus mortis necessitatem imperasset. Quid? quòd ipse Dio scribit, cùm haruspices Neroni respondissent interitum prodigia portendere, & suasissent in aliorum capita periculum auertere; & Nero statuisset multos interimere, prohibitum à Seneca, verè & prudenter suggerente; quamuis cædibus orbem exhauriret, successorem tamen eius interfici non posse. ita Xiphilin. in Nerone. At iam multum de illius potentia decesserat. Mors enim Burri (inquit Tacitus) infregit Senecæ potentiam: quia nec bonis artibus idem virium erat, altero velut duce amoto; & Nero ad deteriores inclinabat. Hi variis criminationibus Senecam adoriuntur, tanquam ingentes*, & priuatum supra modum euectas opes adhuc augeret; quodq; studia ciuium in se verteret; hortorum quoque amœnitate & villarum magnificentiâ quasi Principem supergrederetur. Obijciebant etiam eloquentiæ laudem vni sibi adsciscere, & carmina crebriùs factitare postquam Neroni amor eorum venisset. Nam oblectamentis Principis palàm iniquum, detractare vim eius equos regentis; illudere voces, quotiens caneret. Quem ad finem? Nihil in repub. clarum fore, quod non ab illo reperiri credatur. Certè finitam Neronis pueritiam, & robur iuuentæ adesse. exueret magistrum, satis amplis doctoribus instructus, maioribus suis. At Seneca, criminantium non ignarus, prodentibus iis quibus aliqua honesti cura, & familiaritatem eius magis aspernante Cæsare, tempus sermoni orat, & accepto, ita incipit: Quartus decimus annus est, Cæsar, ex quo spei tuæ admotus sum; octauus, vt imperium obtines. Medio*

* Nero.

* Hæc gesta post quatuor primos imperij Neroniani annos.

F 3 tem-

» *temporis tantum honorum atque opum in me cumulasti, vt nihil felicitati*
» *meæ desit, nisi moderatio eius. Vtar magnis exẽplis, nec meæ fortunæ, sed tuæ.*
» *Atauus tuus Augustus M. Agrippæ Mytilenense secretum, C. Mæcenati*
» *Vrbe in ipsa velut peregrinum ocium permisit; quorum alter bellorum socius,*
» *alter Romæ pluribus laboribus iactatus, ampla quidem, sed pro ingentibus me-*
» *ritis, præmia acceperant. Ego quid aliud munificentiæ adhibere potui, quàm*
» *studia (vt sic dixerim) in vmbra educata? è quibus claritudo venit, quòd iu-*
» *uentæ tuæ rudimentis adfuisse videor; grande huius rei pretium. at tu gratiam*
» *immensam, innumeram pecuniam dedisti; adeò vt plerumque intra me ipse*
» *voluam. Egóne equestri & prouinciali loco ortus proceribus ciuitatis annume-*
» *ror? Inter nobiles, & longa decora præferentes nouitas mea enituit? Vbi est*
» *animus ille modicis contentus? Tales hortos instruit, & per hæc suburbana in-*
» *cedit, & tantis agrorũ spaciis, tam lato fœnore exuberat. Vna defensio occur-*
» *rit, quòd muneribus tuis obniti non debui. Sed vterque mensurã impleuimus;*
» *& tu, quantum Princeps tribuere amico posset; & ego, quantum amicus à*
» *Principe accipere. Cetera inuidiam augent. quæ quidem, vt omnia mortalia,*
» *infra tuam magnitudinem iacet, sed mihi incumbit. mihi subueniendum est.*
» *Quomodo in militia, aut via fessus, adminiculum orarem: ita in hoc itinere*
» *vitæ senex, & leuissimis quoque curis impar, cùm opes meas vltra sustinere*
» *non possim, præsidium peto. Iube illas per procuratores tuos administrari, in*
» *tuam fortunam recipi. Nec me in paupertatem ipse detrudam: sed traditis,*
» *quorum fulgore præstringor, quod temporis hortorum aut villarum curæ sepo-*
» *nitur, in animum reuocabo. Superest tibi robur, & tot per annos nixum fasti-*
» *gij regimen. possumus seniores amici quietè respondere. Hoc quoque in tuam*
» *gloriã cedet: eos ad summa vexisse, qui & modica tolerarent.* Ad quæ Nero,
» *sic fermè respondit: Quod meditatæ orationi tuæ statim occurram, id primùm*
» *tui muneris habeo; qui me non tantùm præuisa, sed subita expedire docuisti.*
» *Atauus meus Augustus Agrippæ & Mæcenati vsurpare otium post labores*
» *concessit: sed in ea ipsa ætate, cuius auctoritas tueretur, quidquid illud & qua-*
» *lecunque tribuisset. attamen neutrum datis à se præmiis exuit. bello & pericu-*
» *lis meruerant. in his enim iuuenta Augusti versata est. Nec mihi tela & ma-*
» *nus tuæ defuissent in armis agenti. Sed, quod præsens conditio poscebat, ratio-*
» *ne, consilio, præceptis pueritiam, dein iuuentam meam fouisti. Et tua quidem*
» *erga me munera, dum vita suppetet, æterna erunt. Quæ à me habes, & fœ-*
» *nus, & horti, & villæ, casibus obnoxia sunt: ac licet multa videantur, plerique*
» *haud quaquam artibus tuis pares plura tenuerunt. Pudet referre libertinos,*
» *qui ditiores spectantur. Vnde etiam rubori mihi est, quod præcipuus caritate*
» *nondum omnes fortunã antecellis. Verùm & tibi valida ætas, rebusq́; & fru-*
ctui rerum sufficiens, & nos prima imperij spacia ingredimur: nisi fortè aut*
te Vitellio ter consuli, aut me Claudio præponis. Sed quantum Volusio longa
parcimonia quæsiuit; tantum in te mea liberalitas explere non potest. Quin,
si qua in parte lubricum nostræ adolescentiæ declinat, reuocas; inornatúmque
robur subsidio impensius regis? Non tua moderatio, si reddideris pecuniam;
nec quies, si reliqueris Principem: sed mea auaritia, meæ crudelitatis metus in
ore

* Assentior iam eo & hoc loco quæ ita decsse, &, *postponis*, ob, *præponis*, legendum.

ore omnium versabitur. Quòd si maximè continentia tua laudetur: non tamen sapienti viro decorum fuerit, vnde amico infamiam parat, inde gloriam sibi recipere. His adijcit complexū & oscula, factus natura & consuetudine exercitus velare odium fallacibus blanditiis. Seneca; qui finis omnium cum dominante; grates agit, sed instituta prioris potentiæ commutat: prohibet cœtus salutantium, vitat comitantes, rarus per vrbem; quasi valetudine infensa aut sapientiæ studiis domi attineretur. Hactenus Tacit. lib. XIV. Annal. Hac ego tempestate iactatum scripsisse puto lib. de beata vita, *cuius cap. 17. & decem sequentib. inimicorum calumnias diluit. Veruntamen ne sic quidem delatorum insidiis se potuit eripere. Nam Romanus (auctore Tacito) secretis criminationibus incusauit Senecam, vt C. Pisonis socium: sed validiùs à Seneca eodem crimine perculsus est. Vnde Pisoni timor, & orta in Neronem insidiarum magna moles, sed improspera*. Sub idem tempus cùm iussu Neronis in Asia & Achaia nullo sacrilegij & rapinæ genere abstineretur, Seneca (vt fertur) quo inuidiam criminum à se auerteret, longinqui ruris secessum orauit; & postquam non concedebatur, ficta valetudine quasi æger neruis, cubiculum non egrediebatur. Tradidêre quidam venenum illi per libertum eius, cui nomen Cleonicus, paratum, iussu Neronis: vitatumq́; à Seneca, proditione liberti, seu propria formidine; dum simplici victu, & agrestibus pomis, ac, si sitis admoneret, profluente aqua, vitam tolerat*. Campana deinde peregrinatione, Parthenopes amœna litora inuisit, vt narrat Lucillio, his verbis; *Nos vtrumque possumus. contenti sumus Baiis, quas postero die, quàm attigerā, reliqui, &c. Item; *Solui mari languido. erat sine dubio cælum graue sordidis nubibus; quæ ferè aut in aquam, aut in ventum resoluuntur: sed putaui tam pauca milia à Parthenope tua* vsque Puteolos surripi posse, quamuis dubio impendente cælo. Itaque quo celeriùs euaderem, protinus per altum ad Nesida direxi. Cùm iam eo processissem, vt mea nihil interesset, vtrùm irem an redirem: primò æqualitas illa, quæ me corruperat, periit. Nondum erat tempestas, sed iam inclinatio maris, ac subinde crebrior fluctus. Cæpi gubernatorē rogare, vt me in aliquo litore exponeret. Aiebat ille aspera esse & importuosa, nec quicquam æquè se in tempestate timere, quàm terram. Peiùs autem vexabar, quàm vt periculum mihi succurreret. Nausea enim me segnis hæc & sine exitu torquebat, quæ bilem mouet, nec effundit. Institi itaque gubernatori, & illum, vellet, nollet, coëgi, vt peteret litus. Cuius vt viciniā attigimus, non exspecto, vt quidquam ex præceptis Virgilij fiat,* Obuertant pelago proras, aut anchora *de prora iaciatur: sed memor artificij mei veteris, frigidæ cultor mitto me in mare, quomodo psychrolutam decet gausapatus. Quæ putas me passum dum per aspera erepo. (sic lego) dum viam quæro, dum facio?* Intellexi nō immeritò à nautis terram timeri. Incredibilia sunt quæ tulerim, cùm me ferre non possem. Illud scito Vlyssem non fuisse tam irato mari natum, vt vbique naufragia faceret: nauseator erat. Et ego quocunque nauigare debuero, vicesimo anno perueniam. vt primùm stomachum, quem scis non cum maris nausea effugere, collegi; vt corpus vnctione* recreaui; occepi mecum cogitare, quanta nos vitiorum nostrorū sequeretur obliuio, &c. Ibi prope Cumas Seruilij Vaciæ villam vidit:*

In fine d. lib. XIV.

* Tacitus lib. XV.

* Epist. LII.

* Ep. LIIII.

* An Lucilius hic Parthenopæus fuit; an verò legendum, à Parthenope adusque, an integra linquéda lectio, & Lucilius Parth nopē versu celebrauit? hoc vltimum perplacet.

* Perperam vulgò, intellexit.

* Olei, non vnguentorum, his enim tota vita abstinuit.

vidit: Linterni in Scipionis villa restitit; vtramque nobis descripsit, ex vtraque, vitæ vtiles meditationes, elicuit, epist. LVI. *& epist.* LXXXVII. *In hoc ocio natus illi lib. de breuitate vitæ ad Paulinum. Habitauit aliquamdiu Baiis supra ipsum balneum, vbi innumera vocum genera, quæ auribus molestiam queunt adferre; sed animi quietem turbare, vel mentem philosophiæ intẽtam, distrahere nequiuerunt, vt ipse elegantissimis verbis epist.* LVII. *narrauit. Nihil toto itinere vel audiuit, vel vidit, vel perpessus fuit, quo non melior ipse fieri, & alios reddere conaretur. fauces illæ tenebricosæ, quibus etiam nunc Neapolim peruenitur, timoris, horroris, mortis contemplationem præstiterũt.*
„ *Sic enim scribit; Cùm Baiis deberem Neapolim repetere, facilè credidi esse*
„ *tempestatem, ne iterum nauim experirer: sed tantum tota viâ luti fuit, vt possim videri nihilominus nauigasse. Totum* athletarum fatum toto illo die mihi perpetiendum fuit. A ceromate nos aphe excepit in crypta Neapolitana. Nihil illo carcere longius, nihil illis faucibus obscurius; quæ nobis præstant, non vt per tenebras videamus, sed vt ipsas. Cæterùm etiamsi locus haberet lucem, puluis auferret, in aperto quoque res grauis & molesta. quid illic vbi in se volutatur, & cùm sine vllo spiramento sit inclusus; in ipsos, à quibus excitatus est, recidit. Duo incommoda inter se contraria simul pertulimus, quia eadem viâ, eodem die, & luto, & puluere laborauimus. Aliquid tamen illa obscuritas, quod cogitarẽ, dedit, &c. Epist.* LIIX. *Hoc eodem anno epistolas ad Lucillium ferme omnes, & lib. naturalium quæstionum composuit, Lecanio & Licinio Coss. quo Lugdun. Colonia incendio absumpta, vt patet ex epist.* 91.

*Toto die labor, sudor, puluis, desatigatio perferenda. Facetè autẽ sudorem luto mixtum *ceroma* Latinè vocat, Græci κήρωμα de aphe fallun tur lexicographi, qui cum pulueris sparsione confundunt, quæ ab aduersariis fit. Aphe enim (ἀφὴ) Latio donatum, significat illum dumtaxat puluerem, quo palæstritæ initio pugnæ inspargebantur vel à seipsis, vel à palæstræ præfecto, vt ceromate lubrici prehendi ab inuicem possint: de quo dumtaxat hîc Seneca loquitur, facetè admodum *aphen* vocans puluerem illius viæ, qui luto & sudore madidum conspersit. De pulueris alia conspersione, Acheloum apud Ouid. lib. 9. Metamorph. non de aphe, accipio; *Ille cauis hausto spargit me puluere palmis, Inque vicem fulua tactu flauescit harena.* Id Græci κονίζειν dicunt Plinius lib. 35. c. 11. *Dioxippum qui Pancratio Olympia citra pulueris iactum (quod vocant aconiti) vicit: coniti, Nemea* Malè vulgò, Græca enim Græcè scribenda, ἀκονιτὶ & κονιτὶ, Lauui *sine puluere, & cum puluere vincere,* inquiunt: ab hoc posteriore, non verò à priore conspersionis genere.

De morte Senecæ. CAP. X.



B *hac peregrinatione reuersus, cùm ad vrbem substitisset, Nero, detectâ Pisonianâ coniuratione, in senem insontem sæuiit. Sene-*
„ *cam (inquit Tranquillus) præceptorem ad necem compulit, quam-*
„ *uis sæpe commeatum petenti, bonisq; cedenti persanctè iurasset,*
„ *suspectum se frustra, periturumq; potiùs quàm nociturum se ei. Tacitus secundum hoc Neronis parricidium disertissimè describit hunc in modũ: Prior*
„ *tamen Natalis totius coniurationis magis gnarus, simul arguendi peritior, de*
„ *Pisone primùm fatetur. Deinde adijcit Annæum Senecam, siue internuncius*
„ *inter eum Pisonemq; fuit, siue vt Neronis gratiam pararet; qui infensus Se-*
„ *necæ omnes ad eum opprimendum artes conquirebat. Item: Sequitur cædes*
„ *Annæi Senecæ, lætissima Principi, non quia coniurationis manifestum com-*
„ *pererat: sed vt ferro grassaretur, quando venenum non processerat. Solus*
„ *quippe Natalis, & hactenus promsit: missum se ad ægrotum Senecam, vt vi-*
„ *seret, conquerereturq; cur Pisonem aditu arceret, melius fore si amicitiam fa-*
„ *miliari congressu exercuissent. Et respondisse Senecam, sermones mutuos &*
crebra

*crebra colloquia neutri conducere: ceterùm salutem suam incolumitate Pisonis inniti. Hæc ferre Granius Siluanus Tribunus Prætoriæ cohortis, & an dicta Natalis, suaq́ responsa nosceret, percunctari Senecam iubetur. Is fortè an prudens, ad eum diem ex Campania remeauerat, quartumq́ apud lapidem in suburbano rure substiterat. Illò propinquâ vesperâ tribunus venit, & villam globus militum sepsit. Tum ipsi, cùm Pompeia Paullina vxore, & amicis duobus epulanti, mandata Imperatoris edidit. Seneca missum ad se Natalem, conquestumq́ nomine Pisonis, quòd visendo eo prohiberetur; se ratione valetudinis, & amore quietis excusauisse, respondit. Cur salutē priuati hominis incolumitati suæ anteferret, causam non habuisse. nec sibi promtum in adulationes ingenium. idq́ nulli magis gnarum, quàm Neroni; qui sæpius libertatem Senecæ, quàm seruitium expertus esset. Vbi hæc à tribuno relata sunt Poppeâ & Tigellino coràm; quod erat sæuienti Principi intimum consiliorum; interrogat, an Seneca voluntariam mortem pararet. Tum tribunus nulla pauoris signa, nihil triste in verbis eius aut vultu deprehensum confirmauit. Ergo regredi, & indicere mortem iubetur. Tradit Fabius rusticus non eo, quo venerat, itinere reditum, sed flexisse ad Fenium præfectum, & expositis Cæsaris iussis; An obtemperaret, interrogauisse; monitumq́ ab eo, vt exsequeretur, fatali omnium ignauia. Nam & Siluanus inter coniuratos erat, augebatq́ scelera in quorum vltionem consenserat. Voci tamen & aspectui pepercit. Intromisitq́ ad Senecam vnum ex Centurionibus, qui necessitatē vltimam denunciaret. Ille interritus, poscit testamenti tabulas: ac denegante Centurione, conuersus ad amicos; quando meritis eorum referre gratiam prohiberetur, quod vnum iam tamen & pulcherrimum habebat, imaginem vitæ suæ, relinquere testatur: cuius, si memores essent bonarum artium, famam tam constantis amicitiæ laturos. Simul lachrymas eorum, modò sermone, modò intentior in modum coërcentis ad firmitudinem reuocat, rogitans; Vbi præcepta sapientiæ? vbi tot per annos meditata ratio aduersum imminentia? cui enim ignaram fuisse sæuitiam Neronis? Neque aliud superesse, post matrem, fratremq́ interfectos, quàm vt educatoris præceptorisq́ necem adÿceret. Vbi hæc atque talia, velut in commune, disseruit, complectitur vxorem, & paullulum aduersus præsentem formidinem mollitus rogat, oratq́ temperaret dolori, ne æternum susciperet: sed in contemplatione vitæ per virtutem actæ, desiderium mariti solatiis honestis toleraret. Illa contrà, sibi quoque destinatam mortem asseuerat, manumq́ percussoris exposcit. Tum Seneca gloriæ eius non aduersus, simul *amore, ne sibi vnicè dilectam ad iniurias relinqueret; Vitæ (inquit) delinimenta monstraueram tibi, tu mortis decus mauis. Non inuidebo exemplo. Sit huius tam fortis exitus constantia penes vtrosque par: claritudinis plus in tuo fine. Post quæ, eodem ictu ferro brachia exsoluunt. Seneca, quoniam senile corpus & paruo victu tenuatum lenta effugia sanguini præbebat, crurum quoque & poplitum venas abrumpit: sæuisq́ cruciatibus defessus, ne dolore suo animum vxoris infringeret, atque ipse visendo eius tormenta ad impatientiam delaberetur, suadet in aliud cubiculum abscederet. Et nouissimo quoque momento suppeditante eloquentia, aduocatis scriptoribus pleraque tradidit, quæ, in vulgus*

*Fortè timore.

» *gus edita eius verbis, inuertere supersedeo. At Nero, nullo in Paullinam pro-*
» *prio odio, ac ne glisceret inuidia crudelitatis, inhiberi mortem imperat. Hor-*
» *tantibus militibus serui libertiq́; obligant brachia, premunt sanguinem incer-*
» *tum an ignaræ. Nam, vt est vulgus ad deteriora promtum, non defuere qui*
» *crederent, donec implacabilem Neronem timuerit, famam sociatæ cum marito*
» *mortis petiuisse; deinde oblata mitiore spe, blandimentis vitæ euictam: cui ad-*
» *didit paucos postea annos, laudabili in maritum memoria, & ore ac membris*
» *in eum pallorem albentibus, vt ostentui esset multum vitalis spiritus egestum.*
» *Seneca interim durante tractu & lentitudine mortis, Statium Annæum diu*
» *sibi amicitiæ fide, & arte medicinæ probatum, orat prouisum pridē venenum,*
» *quo damnati publico Atheniensium iudicio exstinguerentur, promeret: alla-*
» *tumq́; hausit frustra, frigidis iam artubus, & clauso corpore aduersus vim ve-*
» *neni; postremò stagnum calidæ aquæ introit, respergens proximos seruorum*
» *addita voce,* LIBARE SE LIQVOREM ILLVM IOVI LIBE-
» RATORI. *Exin balneo illatus, & vapore eius exanimatus, sine vllo funeris*
» *sollemni crematur. In codicillis præscripserat, cùm etiam tum prædiues & præ-*
» *potens supremis suis consuleret. Fama fuit Subrium Flauium cum Centurio-*
» *nibus occulto consilio, neque tamen ignorante Senecâ, destinauisse, vt post oc-*
» *cisum ope Pisonis Neronē, Piso quoque interficeretur, traderetúrq́; imperium*
» *Senecæ, quasi insonti claritudine virtutum ad summum fastigium delecto.*
» *Quin & verba Flauij vulgabantur; Non differre dedecori, si citharœdus di-*
» *moueretur, & tragœdus succederet. quia vt Nero cithara, ita Piso Tragico or-*
» *natu canebat. hæc Tacitus Annal.* XV. *Dion non immemor liuoris sui in bo-*
nos, hanc tam illustrem mortem, quibus potest calumniis, denigrare conatur. Certò Senecam in Neronis necem coniurasse affirmat; quod Tacitus incertæ famæ adscribit. Addit Græculus Paullinæ necem inferre voluisse Senecam; & vt hominem imbecillo animo Neroni consuetudinē pristinam exprobrasse: nec priùs sibi mortem intulisse, quàm libellum, quem inchoarat, cæteráque scripta sua ipsemet emendasset. Attende, quid possit maleuolentia: non videt homo leuis se disparata dicere. si imbecillo animo necem tulit; qui fieri potest, vt tam ociosè id temporis scripta sua, non quædam, sed omnia recenseat; quædam inchoata perficiat? Si Neroni consuetudinem exprobrauit, eique insultauit; cur illi omnes opes ad ædificiorum cœptorum structuram reliquit? quod eodem loco huic Græculo excidit. Vide Xiphilin. in Dione. Obiit Seneca (vt dixi) vno post Lucanum anno, duobus ante D D. Petri & Paulli martyrium, iuxta D. Hieronymum. Vixit haut dubiè plus annis sexaginta, cùm iuuentæ eius tempus in Tiberij principatum inciderit.

De

De habitu corporis & morbis eius.

CAP. XI.



FVIT illi (*vt ait Tacitus lib.* XV.) *paruo victu tenuatum corpus, &, vt ex ipsius epistolis didici, per varia morborum genera valetudine afflicta. Longum mihi* * *comitatum* (*inquit epist.* LV.) *dederat mala valetudo, repentè me inuasit. Quo genere, inquis? prorsus meritò interrogas, adeò nullum mihi ignotum est. vni tamen morbo quasi assignatus sum; quem quare* * *Græco nomine appellem nescio. satis enim aptè dici* * SVSPIRIVM *potest. Breuis autem valde, & procellæ similis impetus est: intra horam ferè desinit. quis enim diu exspirat? Omnia corporis aut incommoda, aut pericula per me transierunt: nullum mihi videtur molestius. Quid ni? aliud enim quidquid est, ægrotare est: hoc est animam agere. Itaque medici hāc meditationem mortis vocant. Facit aliquando spiritus* * *ille quod sæpe conatus est. Hilarem me putas hæc tibi scribere, quia effugi. Si hoc fine, quasi bona valetudine delector; tam ridiculè facio, quam ille quisquis se vicisse putat cùm vadimonium distulit. Ego verò & in ipsa suffocatione, non desij cogitationibus lætis ac fortibus acquiescere.* Item epist. LXXIX. *Vexari te distillationibus cerebri ac febriculis; quæ longas distillationes & in consuetudinem adductas sequuntur; eo molestius mihi est, quia expertus sum hoc genus valetudinis, quod inter initia contemsi. Poterat adhuc adolescentia iniurias ferre, & se aduersus morbos contumaciter gerere: deinde succubui, & eò perductus sum, vt ipse distillarem. ad summam maciem deductus, sæpe impetum cœpi abrumpendæ vitæ: patris mei indulgentissimi senectus retinuit. Cogitaui enim, non quàm fortiter ego mori possem, sed quàm ille fortiter desiderare non posset. Itaque imperaui mihi vt viuerem. aliquando enim & viuere, fortiter facere est. Quæ mihi tunc fuerint solatio dicam, si priùs hoc dixerim, hæc ipsa quibus acquiescebam, medicinæ vim habuisse. In remedium cedunt honesta solatia, & quicquid animum erexit, etiam corpori prodest. Studia mihi nostra saluti fuerunt. philosophiæ acceptum fero, quòd surrexi, quòd conualui. illi vitam debeo, & nihil illi minus debeo. Multum mihi ad bonam valetudinem contulerunt amici, quorum adhortationibus;* * *vigiliis, sermonibus alleuabar. Hæc Senecæ tabes, quam quisquis illa fuit mulier Caio Caligulæ narrauit, & ea loquacitate Senecam ex imminente nece eripuit, apud Dionem lib.* LIX. *& Xiphilin. in Caligula. Epist.* CV. *ita scribit; In Nomentanum meum fugi. quid putas? Vrbem? imò febrem, & quidem subrepentem. Iam manum mihi iniecerat. protinus itaque parari mihi vehiculum iussi, Paullinâ mea retinente. Medicus initia esse dicebat motis venis, sed incertis & naturalem turbantibus modum. Exire perseueraui.* —— *Quæris ergo, quomodo mihi consilium profectionis cesserit? vt primùm grauitatem Vrbis excessi, & illum nidorem culinarum fumigantium;* * *quæ motæ, quidquid pestiferi vaporis obruerant, cum puluere effundunt; protinus mutatam valetudinem sensi. Quantum deinde adiectum putas viribus, postquam vineas attigi? in pascuum emissus, cibum meum inuasi. Repetiui ergo iam me. non permansit marcor ille corporis*

* Aegri molestiarum seriem pro comitatu habent. suspicor tamé vitiosam esse hanc vocem hoc loco cur enim subdit, repēte me, &c.
* ἄσθμα.
* Sic Plinius vocat.
* Fortè, *illud*, vel potius delendū, *ille*.
* Mallem: of-*ficiis*.
* Fortè: *quæ quicquid no-ctes.*

» *dubij & malè cogitantis. Incipio toto animo studere. Contra hanc corporis*
» *imbecillis molestiam gestatione se vti alio loco tradidit, his verbis; A gestatio-*
» *ne cùm maximè venio, non minùs fatigatus, quàm si tantum ambulassem,*
» *quantum sedi. labor est enim diu ferri, ac nescio an eo maior, quia contra na-*
» *turam est. quæ pedes dedit, vt per nos ambularemus; oculos, vt per nos videre-*
» *mus. Debilitatem nobis induxêre delitiæ, & quod diu noluimus, posse desiui-*
» *mus. Mihi tamen necessarium erat concutere corpus; vt, siue bilis insederat*
» *faucibus, discuteretur: siue ipse ex aliqua causa spiritus densior erat, extenua-*
» *ret illum iactatio, quam profuisse mihi sensi. Epist.* LVI.

De religione & moribus Senecæ.

CAP. XII.



ONNVLLI *Senecam Christianum faciunt: sed mihi id non persuadent. imprimis, quia leuissimis coniecturis nituntur. nam quod D. Paulli amicitia sit vsus; parum ad hoc probandum facit. Gentilium namque amicitiam Apostolus non auersabatur, sed vt omnes lucrifaceret, omnia fiebat omnibus. Quod verò ad Epistolas illorum mutuas attinet, de iis postea videro. Præterea quamuis multæ sententiæ in libris eius occurrant, à Christiana lege non alienæ; commune hoc illi cum Platone, Hermete, & aliis Paganis; & haut pauciores fortassis, plurimas certè, possim numerare fidei nostræ prorsus repugnantes. Animam (quod & Tertullianus vidit) humanam interire censuit non semel; & sicubi contrarium innuit, certè constat dubitasse ea de re; quæ nisi certa sit & indubitata, fidei Catholicæ nil loci relinquatur. Ridet vbique supplicia improborum post mortem. Sapienti nihil Diis opus affirmat, & sapientem Deo multis in rebus antepo-nit. Deo minimarum rerum prouidentiam adimit, & multa prorsus negligere contendit. Vnus an plures Dij sint, vt rem ambiguam, sub iudice relinquit. Deum mundi animam, ipsum mundum diuinum perfectissimumq́ animal perhibet. Paucis ante obitum diebus de Christiana religione agens, superstitionem alienigenarum appellat, epist.* CVIIII. *Moriens, ritu gentilium* IOVI LIBERATORI LIBAT. *hunc; qui mori certus, Christum profiteri vel non audet, vel non vult; i sodes, Christianum nuncupa. Sed (ait vir doctus) Tertullianus occultè nostrum vocat. Memoria laberis homo in Tertulliani lectione diligens. Ille non,* occultè nostrum, *sed* sæpe nostrum *vocat, lib. de anima. propter eam, quam dixi, causam, quia multa religioni nostræ congrua sæpe scribit. Si Christianum putasset Tertullianus; liberum illud & intrepidum, celandiq́ nescium pectus; ἁπλῶς sanè nostrum, non sæpe dumtaxat, dixisset. D. autem Hieronymus illum Ecclesiasticis scriptoribus annumerat, vt ipsemet significat; quia D. Paulli ad eum epistolæ circumferebantur, quibus Ecclesiastica historia lucis aliquid accipere videbatur. Et, si quia in Catalogo Ecclesiasticorum scriptorum à D. Hieronymo Seneca ponitur, Seneca Christianus est Hieronymo; profectò necesse sit, idem de Philone & Iosepho dicere. quod quis ferat? si sanctus Seneca, eam ob causam; iam nihil causæ est, cur non*

Lib de anima.

Laurent. la Barre in scholiis ad D. Lini lib. de passione D. Paulli.

&

& Origenes, & Tertullianus, & Nouatus hæreticus, sancti: quod impium sit dicere. hos tamen omnes eo in libro recenset Hieronymus. Denique D. Augustinus apertè lib. 6. de Ciuitate Dei cap. 10. & 11. nos docet, non auersum quidem Senecam, nec hostili erga Christianos animo præditum, ethnicum tamen fuisse. quod verissimum puto. Nunc de moribus eius videamus; quos cùm perpendo, rectè Lucretium cecinisse intelligo; lib. v. de rerum natura;

——— inuidiâ vt fulmine summa vaporant.

non desunt enim, qui Aristidem, Miltiadem, Catonem, Socratem, Platonem sugillent. Nec defuit qui Senecam bipedum nequissimum fuisse, & mortalium sceleratissimum, persuadere conetur. Is Dion est: cetera diligens historicus; Cassio, Bruto, Ciceroni, Senecæ, bonis omnibus, animi vitio palàm iniquus. ex eo, hæc Xiphilinus, ἐνεκλήθη δὲ καὶ ὁ Σενέκας ἄλλ᾽ ἄττα καὶ ὅτι τῇ Ἀγριππίνῃ συνεγίνετο. οὐ μόνον δὲ καὶ ἐν τούτῳ, ἀλλὰ καὶ ἐν ἄλλοις πάντα τὰ ἐναντιώτατα οἷς ἐφιλοσόφει ποιῶν ἠλέγχθη, *& quæ sequuntur. pudet enim pigétque tantæ impudentiæ. ait* cum aliis Senecam reum multorum criminum factum, potissimùm quòd cum Agrippina id quod mœchi solent. *Vellem alia illa crimina expressisset; quorum ne minimam quidem suspicionem apud ceteros scriptores deprehendas. illam sanè cum Agrippina consuetudinem solus Dion somniauit, quæ non facit ad mores Senecæ. si vnum quempiam Græculum dixisse sufficiat, ad hominis grauissimi & continentissimi damnationem, quæ sedes innocentiæ secura relinquetur? Sed ne confinxisse putes, subiungit,* in aliis etiam plerisque non hac tantùm in re, mores à doctrina, vitam eius à philosophiæ præceptis discrepasse. *Audite ergo quibus in rebus Seneca sapientiæ fucum fecerit.* Qui tyrannidē (*inquit*) improbabat, Tyranni præceptor erat. *Quasi, cùm curam Neronis suscepit, Nero tyrannidem exercuerit: aut accepto à Nerone imperio, liberum vel honestum Senecæ fuerit, aliquâ spe melioris frugis reliquâ, iuuentutem Principis destituere, vt medio mari nauis ventis ac procellis agitantibus à gubernatore deseritur. Statim vt Neroni erudiendo in* palatium adductus (*vtor verbis docti & antiqui comm. in Iuuenalē*) sæuum immanemq. & sensit citò & mitigauit: inter familiares solitus dicere, non fore sæuo illi leoni, quin gustato semel hominis cruore, ingenita rediit sæuitia. *prudentis & prouidi fuit præuidere; sapientis malum differre quamdiu potuit consilij viribus.* Sed amissa spe omni, Nerone in nullū non vitium ruente, relinquere tyrannū debuit. *quid, quæso, sibi ad summam diligentiam reliqui fecit, vt ociosum secessum impetraret? quem non lapidem mouit, vt se curis palatinis eriperet?* Aulicos reprehendebat. *meritò.* ipse à palatio non recedebat. *inuitus retinebatur.* Reginas colebat & libertos, aliquorum etiam laudationes scribebat. *Immáne facinus, eos qui in Principis aulâ gratiâ & potentiâ excellunt, bonis artibus colere, deq́. illis, absque dedecore, quàm optimè mereri. Scire debuit Dion, inter adulatorem, & officiosum hominem multum interesse: aut si non ignorauit, oportuit ostendere Senecam vitiositate illorū non offensum; quidquid agerent approbasse, peccata laudasse, ad virtutem illos non exstimulasse. Si sapientes à Principum familiaritate remoueas, si probos & insontes* ab

ab aulâ iubeas exulare; virtutes vnà, artesq́ bonas omnes è palatio expelles. Mox vitia & pessima quæque morum inuadent regiam, inde in vniuersam rempub. diffundentur. Diuitias immensas sibi, diuitiarum contemptor, parauit, censum septuagies quinquies centenûm millium aureorum: acerbus accusator luxus, quingentos lectulos cedrinos, pares ac planè similes, pedibus fultos eburneis, possidebat; tot lectulis comessabatur. *Non negauerim, quæ de diuitiis Senecæ, & Dion, & Iuuenalis, & reliqui; deq́ supellectilis varietate, de domesticis ornamentis, de hortis, de villis, de fœnore. Miror potiùs exactum Dionis calculum. dicas illum à rationibus Senecæ fuisse: lectulorum numerum, modumq́ digitis mensum; pecuniarũ summam ita subduxisse, ne vnus quidem vt illum teruncius fugerit. Et quis illi non credat? Sed ipse Seneca respondeat, suã per se causam nunc agat. egit enim disertissimè olim, lib. de vita beata cap.* XVII. *his verbis; Si quis itaque ex istis, qui philosophiam cõlatrant, quod solent, dixerit, Quare ergo tu fortiùs loqueris, quàm viuis? Quare superiori verba summittis, & pecuniam necessarium tibi instrumentum existimas, & damno moueris, & lachrymas audita coniugis aut amici morte demittis, & respicis famam, & malignis sermonibus tangeris? Quare cultius rus tibi est, quàm naturalis vsus desiderat? Cur non ad præscriptum tuum cenas? Cur tibi nitidior supellex est? &c.* multis tandem enumeratis, qualia Dion obiicit. *Adiuuabo postmodum conuitia (inquit) & plura mihi quàm putas obyciam. Nunc hoc respondeo tibi. Non tanquam sapiens, sed solùm vt maleuolentiam tuam pascam. Nec erro. Exigo itaque à me, non vt optimis par sim, sed vt malis melior. Hoc mihi satis est, quotidie aliquid ex vitiis meis demere, & errores meos obiurgare. Non perueni ad sanitatem, ne perueniam quidem. Delinimenta magis quàm remedia podagræ meæ compono: contentus, si rariùs accedit, & si minùs fera minatur. Vestris quidem pedibus comparatus debilis, cursor sum.* Cap. XVIII. *Hæc pro me non loquor. Ego enim in alto vitiorum omnium sum, sed pro illo cui aliquid actum est. Aliter, inquit, loqueris, aliter viuis. Hoc per malignissima capita, & optimo cuique inimicissima Platoni obiectum est, obiectũ Epicuro, obiectum Zenoni. Omnes enim isti dicebant, non quemadmodum ipsi vixerunt, sed quemadmodum ipsis viuendum esset. De virtute, non de me loquor: & cùm vitiis conuicium facio, imprimis meis facio. cùm potuero, viuam quomodo oportet. —Exspectabo scilicet, vt quicquam maleuolentiæ inuiolatum sit, cui sacer nec Rutilius fuit, nec Cato. Cur & aliquis non istis nimis diues videatur, quibus Demetrius Cynicus parum pauper est? —* Cap. XIX. *ad nomen magnorum ob aliquam eximiam laudem virorum, sicut ad occursum ignotorum hominum minuti canes, latratis —* Cap. XXI. *Vos quidem qui virtutem, cultoremq́ eius odistis, nihil noui facitis. Nam & solem lumina ægra formidant, & auersantur diem splendidum nocturna animalia, quæ ad primum eius ortum stupent, & latibula, &c. — Nec enim se sapiens indignum vllis muneribus fortuitis putat. Non amat diuitias, sed mauult. Non in animum illas, sed in domum recipit: nec respuit possessas, sed continet, & maiorem virtuti suæ materiam subministrari vult.* Cap. XXII. *Quid autem dubij est, quin maior materia*

teria sapienti viro sit animum explicandi suum in diuitiis, quàm in pauperta- «
te? &c.——Mihi diuitiæ si effluxerint, nihil auferent, nisi semetipsas: tu «
stupebis, & videberis tibi sine te relictus, si illæ à te recesserint. Apud me di- «
uitiæ aliquem locum habebunt: apud te summum. Ad postremum diuitiæ meæ «
sunt: tu diuitiarum es. Cap. XXIII. *Desine ergo Philosophis pecuniam inter-* «
dicere. Nemo sapientem paupertate damnauit. Habebit Philosophus amplas «
opes, sed nulli detractas, nec alieno sanguine cruentas, & alia multa quæ ad- «
dit huiusmodi, dignissima quæ & litteris scribantur aureis, & in cedro asseruentur. *Vno etiam verbo apud Tacitum respondet, non licuisse sibi liberalitati Principis resistere. Laudabat ille ex animo acernos & viles lectulos Tuberonis epist.* XCVI. *&* CX. *&* CXX. *cenabat cedrinis, tribuens id consuetudini, tribuens reipub., tribuens Imperatori, tribuens summis quos gerebat honoribus. Mihi profectò, cùm in tantis opibus, tam parum illis irretitum animum, tam parcum victum considero, vehementer illæ laudem Senecæ augere videntur. O magnum virum, qui tales diuitias non magni fecit! iniurius illi sum. contemsit, atque, quantum potuit, abiecit. plus est diuitias possessas alteri concedere, quàm illas initiò datas repudiare. plures inuenias, qui facilè diuitiis careant, quàm qui adeptas, & in tuto collocatas, amittere atque abijcere valeant.* Attamen ex his ait Dio omnia quæ his consentanea sint, quæque Seneca libidinosè egerit, posse deprehendi. *Virus hominis. diuites ergo cuncti libidinosi, & opes haberi sine nequitiâ, sine libidine nequeunt. Qualem ego te, Dion, putem, qui locupletem te alibi fateris, & hoc loco diuitias vitiorum necessitatem inducere contendis?* Addit feminam illustrissimam sibi matrimonio copulasse. *fatemur. consularem hoc virum, Imperatoris præceptorem, sapientia, dignitate, opibus præstantem decebat. Libertinam credo Dion aliquam, vel de tunicato popello ducere maluisset. En quò præcipitem egerit impotens maledicentia. Et huic soli credā nugatori, tam nefarium fuisse Senecam, vt eo crimine delectaretur, atque in id Neronem induceret, quod grauissimè epist.* XCVI. *detestatur? Vnde tanta tam subitò morum in deterius commutatio? hoc illum facere; qui neque osculi, neque vnà accumbendi potestatem Neroni facere sit solitus? Sed ego ridiculus, qui his refellendis insistam. Dixisse sufficeret; Improbum Senecam Dio affirmat; negant ceteri; quibus credendum? Suetonius sæpe à Nerone commeatum orasse, sæpe illi facultatibus cessisse affirmat. idem Tacitus testatur. en auaritiam & cupiditatem. Addit Cornelius, bonas artes, Neronis autem aurigationes, & histrioniam ceteraq; inquinamenta palàm improbasse; multos libertinos eo tum ditiores fuisse; quamprimum potuit, instituta prioris potentiæ commutasse; comitantes vitasse; salutatorum cœtus prohibuisse; simplici victu, agrestibus pomis & profluente aqua vitam tolerasse; illum tot lectulorum dominum, tam prodigum comessatorem, cum vxore & duobus dumtaxat amicis epulatum; non fuisse illi promtum in adulationes ingenium; sæpius Neronem libertatē eius, quàm seruitium expertum; morte nunciatâ, nihil à tribuno in verbis eius, aut vultu terroris, nulla pauoris signa deprehensa; necessitatem vltimam interritum excepisse; imaginem vitæ suæ, vt quid pulcherrimum & singulare, amicis suis reli-*

reliquisse; eorum lachrymas modò sermone, modò increpatione repreßisse; nouißimo quoque momento aduocatis scriptoribus multa dictasse, quæ diu postea in ore & manibus omnium versata fuerint; paruo victu tenuatum illi corpus fuisse; scilicet idoneum (si voluisset) sceleribus, quæ mendax Græculus affingit: In codicillis adhuc præpotentem & prædiuitem, ne vllo funeris sollemni efferretur perscripsisse. d. lib. XIV. *&* XV. *Annal. An non hæc animum omnis superbiæ, ambitionis, cupiditatis, adulationis & luxuriæ expertem testantur? an non hominem paucis contentum, frugalem, sobrium, fortem, &, vno dicam verbo, verè sapientem conuincunt? quid? quòd erupit inuito Dioni veritas, cùm φρονιμωτάτον (vt diximus) appellauit? D. Hieronymus lib. de viris illustribus, continentißimæ vitæ, vocat. Plinius lib. 14. Nat. hist. c. 4. magno quidem pretio Palæmonis cuiusdam vineam emisse tradidit, omni tamen conuitio abstinet. Delectabatur vineis Seneca, abstemius tamen penè, tam exiguo vtebatur. eo pertinet illud epist.* LV. *Multum virium sibi acceßisse postquã vi-*
» *neas attigit; & lib. 3. nat. quæst. cap. 7. Ego tibi vinearum diligens fossor af-*
» *firmo. Virtutum indicia & notæ paßim in scriptis occurrunt.* Humilitatis,
» *cùm scribit; Non de me nunc tecum loquor; qui multum ab homine tolerabili,*
» *nedum perfecto, absum: sed de illo in quem fortuna ius perdidit.* epist. LVIII.
» *Non perueni ad sanitatem, ne perueniam quidem.* de beata vita cap. XVII.
» *cùm vitiis conuicium facio, imprimis meis facio.* cap. XVIII. & ibidem, *Ego*
» *enim in alto vitiorum omnium sum.* fortitudinis & constantiæ, epist. LV.
» *ego verò & in ipsa suffocatione, non desij cogitationibus lætis ac fortibus ac-*
» *quiescere.* Attentæ & quæ distrahi non poterat contemplationis, *qualem in paucis deprehendas Therapeutis*, epist. LVII. *quam cùm lego, me meæ pudet diuagationis.* Vitatæ superfluæ curiositatis; *quæ sanè nos animi facultates,*
» *errabundum pecus, cogere non sinit*; epist. LXXVIII. *Subitò nobis (inquit)*
» *hodie Alexandrinæ naues apparuerunt, quæ præmitti solent, & nunciare se-*
» *cuturæ claßis aduentum, tabellarias vocant. Gratus illarum Campaniæ aspe-*
» *ctus est. Omnis in pylis Puteolorum turba consistit. In hoc omnium discursu*
» *properantium ad litus, magnam ex pigritiâ meâ sensi voluptatem, quòd epi-*
» *stolas meorum accepturus, non properaui scire, quis illic esset rerum mearum*
» *status, quid adferrent.* Addit, vnde colligas, etiam à senili ætate abfuisse
» proprium senectutis vitiũ, auaritiam; *Olim iam mihi nec perit quicquam,*
» *nec acquiritur. Hoc, etiam si senex non essem, fuerat sentiendum. Nunc verò*
» *multo magis, quia quantulumcunque haberem, tamen plus iam mihi superesset*
» *viatici, quàm viæ.* d. epist. LXXVIII. Auiditatem discendi, & aliquem semper in virtute ac doctrina progressum faciendi, *testatur illa ad Lucilium*
» *epist. qua; Inimicitias (inquit) mihi denuncias, si quicquam ex his, quæ quoti-*
» *die facio, ignoraueris. Vide quàm simpliciter tecum viuam, hoc quoque tibi*
» *committam. Philosophum audio, & quidem quinctus iam dies abiit, ex quo in*
» *scholam eo, & ab octauâ disputantem audio. Bona, inquis, ætate. Quid ni bo-*
» *na? Quid autem stultius est, quàm quia diu non didiceris non discere? quid*
» *ergo? idem faciam, quod trosguli, & iuuenes? Bene mecum agitur, si hoc vnum*
» *senectutem meam dedecet. Omnis ætatis homines hæc schola admittit: in hac*
senesca-

senescamus, vt iuuenes sequamur. In theatrum senex ibo, & in circum deferar, & nullum par sine me depugnabit; ad Philosophum ire erubescam? Tamdiu discendum est, quamdiu nescias, &, si prouerbio credimus, quamdiu viues. Nec vlli rei hoc magis conuenit, quàm huic; tam diu discendum est quemadmodum viuas, quàm diu viuis. Ego tamen hic & aliquid doceo. quæris, quid doceam? etiam seni esse discendum. epist. LXXVII. Frugalitas & abstinentia iuuenilis ætatis *superiùs narrata nobis fuit*: idem senex factitauit, *si non omni, magna ex parte, Thermis calidioribus semper abstinuit: iuuenis planè frigida, senex tepida abluebatur. In omnem (inquit) vitam** *balneum fugimus. decoquere corpus atque exinanire sudoribus, inutile simul delicatumq́; credimus.* epist. 109. *Memor artificij mei veteris, frigidæ cultor mitto me in mare, quomodo psychrolutam decet gausapatus.* epist. LIV. *Singulos dies tibi meos, & quidem totos indicari iubes. Bene de me iudicas, si nihil esse in illis putas, quod abscondam——Hodiernus dies solidus est, nemo ex illo quicquam mihi eripuit. totus inter stratum lectionemq́; diuisus est. Minimum exercitationi corporis datum. Et hoc nomine ago gratias senectuti, non magno mihi constat: cùm me moui, lassus sum. hic autem est exercitationis, etiam fortissimis, finis.** *Progymnasios meos quæris? Vnus mihi sufficit Earinus, puer, vt scis, amabilis; sed mutabitur, aliquem iam teneriorem quæro. Hic quidem ait nos eanden Crisin habere, quia vtrique dentes cadunt. Sed iam vix illum assequor currentem, & intra paucissimos dies non potero. Vide quid exercitatio quotidiana proficiat. Citò magnum interuallum fit inter duos diuerso itinere euntes. eodem tempore ille ascendit, ego descendo: nec ignoras quanto ex his velocius alterum fiat. Mentitus sum. iam enim ætas nostra non descendit, sed cadit. Quomodo tamen hodiernum certamen nobis cesserit, quæris? quod rarò cursoribus euenit Hieram fecimus. Ab hac fatigatione magis, quàm exercitatione, in frigidam descendi: hoc apud me vocatur parum calda. Ille tantus psychrolutes, qui kal. Ianuar. in euripum saltabam: qui anno nouo, quemadmodum legere, scribere, dicere aliquid, sic auspicabar in Virginem desilire: primùm ad Tiberim transtuli castra, deinde ad hoc solium; quod, cùm fortissimus sum, & omnia bona fide fiunt, sol temperat. non multum mihi ad balneum superest. Panis deinde siccus, & sine mensa prandium, post quod non sunt lauandæ manus. Breuissimo somno vtor, & quasi interiungo. Satis est mihi vigilare desiisse. aliquando dormisse nescio, aliquando suspicor. Ecce Circensium obstrepit clamor, subitâ aliquâ & immensâ voce feriuntur aures meæ: nec cogitationem meam excutiunt, nec interrumpunt quidem. fremitum patientissimè fero. multæ voces & in vnum confusæ, pro fluctu mihi sunt, aut vento siluam verberante, & ceteris sine intellectu sonantibus. Quid ergo est? nunc cui animum adiecerim, dicam. superest ex hesterno mihi cogitatio.* epist. LXXXIIII. Item, *Malè mihi esse malo, quàm molliter.——vtraque res detestabilis est, & contractio & torpor. Puto æquè, in odoribus qui iacet, mor-*

* Calidum intellige.

* Hinc colligo Romanis in vsu fuisse seruulos, quos se præcurrentes domini imitabantur, & quasi subsequebantur, & hos progymnasios dictos; ignotû lexicographis & Calepinis no nẽ: quod nolim cũ Gymnasta vel Gymnasiarcho confundi. Earinû ergo Seneca iam adolescẽtem nimis velociter & robustè se gerentem, subsequi senex nequibat. hoc queritur. Quod de *Hiera* addit, scio quid de sacro seu laborioso cursu viri docti, sed (nisi fallor) extra propositum; Coniicio, *Hieram fecimus*, hoc est, quicquid ciborum in corpore erat concoximus, optimum condimentum famem parauimus. nam hira ieiunium intestinum Festo. Euripi, domestici sunt aquæductus, de quibus Cicero 2. de legibus, Plinius, Vitruuius, & alij Virginem accipio non publicam aquam, de quâ Martialis lib. 7. epigr. ad Atticum, & Frontinus lib. 1. de aquæduct. sed quinariam aliquam horti Senecæ (quales concedi Principis beneficio consueuisse idem Frontinus lib. 2.) ex Virgine aqua deriuatam.

,, *tuius est, quàm qui rapitur vnco. Otium sine litteris, mors est, & viui hominũ sepultura.* Epist. LXXXIII. *Solebat lectionem stilo, stilum lectione interrum-*
,, *pere, vt ex quadam epistola didici, vbi scribit; Itinera ista, quæ segnitiem mihi*
,, *excutiunt, & valetudini prodesse iudico, & studiis. Quare valetudinem adiu-*
,, *uent, vides. cùm pigrum me, & negligentem corporis litterarum amor faciat,*
,, *aliena opera exerceor. studio quare prosint, indicabo. à lectione non recessi. sunt*
,, *autē (vt existimo) necessaria. primùm ne sim me vno contentus. deinde vt, cùm*
,, *ab aliis quæsita cognouero, tum & de inuentis iudicē, & cogitem de inuenien-*
,, *dis. Alit lectio ingenium, & studio defatigatum, non sine studio tamen, reficit.*
,, *Nec scribere tantum, nec tantum legere debemus. Altera res contristabit &*
,, *vires exhauriet, de stilo dico; altera soluet, ac diluet. Inuicem hoc illo cōmutan-*
,, *dum est, & alterum altero temperandum; vt quicquid lectione collectum est,*
,, *stilus redigat in corpus. Apes, vt aiunt, debemus imitari, &c.* Epist. LXXXV. *Quomodo sit iter facere solitus, quot impedimentis, quo comitatu, videte; Hoc*
,, *me (inquit) iter docuit, quàm multa haberemus superuacua, & quàm cum fa-*
,, *cili iudicio possemus deponere; quæ, si quando necessitas abstulit, non sentimus*
,, *ablata. Cum paucissimis seruis, quos vnum vehiculum capere potuit; cum pau-*
,, *cissimis rebus, nisi quæ corpore nostro continebantur, ego & Maximus meus*
,, *biduum tam beatissimũ agimus. Culcitra in terra iacet, ego in culcitra. ex dua-*
,, *bus penulis, altera stragulũ, altera opertorium facta est. De prandio nihil de-*
,, *trahi potuit: paratum fuit non magis horâ, nusquam sine caricis, nusquā sine*
,, *pugillaribus. Illæ, si panem habeo, pro pulmentario sunt; si non, pro pane: quo-*
tidie mihi annum nouum faciunt; quem ego faustum & felicem reddo bonis cogitationibus, & animi magnitudine, qui nunquā maior est, quàm vbi aliena seposuit, & fecit sibi pacem, nihil timendo; fecit sibi diuitias, nihil concupiscendo. Vehiculum, in quod impositus sum, rusticum est. Mulæ viuere se ambulando testantur: mulio excalceatus, non propter æstatem. vix à me obtineo,*
,, *vt hoc vehiculum velim videri meum. Durat adhuc peruersa recti verecūdia:*
,, *quotiens in aliquem comitatum lautiorem incidimus, inuitus erubesco. quod*
,, *argumentum est, ista quæ probo, quæ laudo, nondum habere certam fidem &*
,, *immobilem. Qui sordido vehiculo erubescit, pretioso gloriabitur. Parum ad-*
,, *huc profeci. nondum audeo frugalitatem palàm ferre: etiam nunc curo opinio-*
,, *nes viatorum.* Epist. LXXXIIX. *Parentes omni obsequio coluit, vxorē tenerè amauit. nam patris causâ vitam se produxisse, vxoris gratiâ valetudinis magnam habuisse rationem, testatur* Epist. LXXIX. & CV. *Erga amicos tanta beneuolentia, vt mortes eorum nimis molliter ferre videretur, & inter eorum*
,, *exempla esset, quos mæror superauit. Hæc (inquit) tibi scribo, is qui Annæum*
,, *serenum carissimum mihi, tam immodicè fleui; vt, quod minimè velim, inter*
,, *exempla sim eorum, quos dolor vicit. hodie tamen factum meum damno, & in-*
,, *telligo, maximam mihi causam sic lugendi fuisse, quòd nunquam cogitaueram*
,, *mori eum ante me posse, &c.* Epist. LXIV. *Veterum scriptorum non satis æquum æstimatorem fuisse, Suetonius significat, in Nerone cap. 52. & apertè scribit Quinctilianus.*

* Alludit ad morem Kal. Ian. *Caricas* sibi mutuo mittendi, de quo Ouidius 1. Fastor.

De.

De Scriptis Senecæ. Cap. vltimum.



LACTANTIVS Senecam Stoicorum acutißimum vocat, lib. 2. Instit. cap. 9. Quinctiliani censura accuratior, nescio an verior; Ex industria (inquit) Senecam in omni genere eloquentiæ versatum distuli, propter vulgatam falsò de me opinionem, qua damnare eum, & inuisum quoque habere sum creditus. Quod accidit mihi, dum corruptum, & omnibus vitiis fractum dicendi genus, reuocare ad seueriora iudicia contendo. Tum autem solus hic in manibus adolescentium fuit. quem non equidem omnino conabar excutere, sed potioribus præferri non sinebam; quos ille non destiterat incessere, cùm diuersi conscius generis, placere se in dicendo posse, in quibus illi placerent, diffideret. Amabant autem eum magis, quàm imitabantur: tantumq́; ab eo defluebant, quantum ille ab antiquis descẽderat. Foret enim optandum, pares, aut saltem proximos illi viro fieri. Sed placebat propter sola vitia, & ad ea se quisque dirigebat effingenda, quæ poterat: deinde cùm se iactaret eodem modo dicere, Senecam infamabat. Cuius & multæ alioquin & magnæ virtutes fuerunt, ingenium facile & copiosum, plurimum studij, & multarum rerum cognitio: in qua tamen aliquando ab iis, quibus inquirenda quædam mandabat, deceptus est. Tractauit etiam omnem ferè studiorum materiam. Nam & orationes eius, & poëmata, & epistolæ, & dialogi feruntur. In philosophia parum diligens, egregius tamen vitiorum insectator fuit. multæ in eo, claræq́; sententiæ, multa etiam morum gratia legenda: sed in eloquendo corrupta pleraque, atque eo perniciosißima, quòd abundant dulcibus vitiis. velles eum suo ingenio dixisse, alieno iudicio. Nam si aliqua contemsisset, si parum concupisset, si non omnia sua amasset, si rerum pondera minutißimis sententiis non fregisset; consensu potiùs eruditorum, quàm puerorum amore comprobaretur. Verùm sic quoque, iam robustis, & seueriore genere satis firmatis legendus vel ideo, quòd exercere potest vtrumque iudicium. Multa enim (vt dixi) probanda in eo, multa etiam admiranda sunt: eligere modò curæ sit, quod vtinam ipse fecisset. Digna enim fuit illa natura, quæ meliora vellet; quæ, quod voluit, effecit. Hæc Fabius lib. 10. Instit. orat. cap. 1. in fine. Idem in his quos vidit Oratoribus copiam Senecæ, vires Africani, maturitatem Afri, iucunditatem Crispi, sonum Trachali, elegantiam Secundi commendat lib. 12. cap. 10. Plinius Secundus lib. XIV. cap. 4. Principem eruditionis vocat. Tacitus eius verba si mutaret, peruertere se affirmat, lib. XV. Annal. Suetonius, in Caligula, lene & comptum eloquendi genus illi tribuit, his verbis; Lenius comtiusq́; scribendi genus adeò contemnens, vt Senecam tum maximè placentem, commißiones meras componere, & harenam sine calce esse diceret. Martialis lib. 7. facundum vocat;

Facundi Senecæ potens amicus
Caro proximus, aut prior Sereno.

idem Sidonij iudicium: idem grauißimi, & qui Grammaticorum subsellia superarit cuiusque. Nam subsellij imi quidam, cuius nomen incertum est, Noctium Atticarum scriptor (quem Baptista pius, Aleander, Maserius,

Agellium vocandum primus quod sciam Stoa contendit, in fine epog. & sic legitur in Salisberiēsis Policratico. *Editio vetus, & Asulana; *aut vt inepto inaniśque l. s. aut vt l & quasi.*

Lambinus, & plerique A. Gellium, *quo modo etiam à Iacobo Magno citatur; alij verò, vt Salisberiensis lib. 7. Quinctilianus Stoa, Vertranius, Lipsius, Gifanius,* Agellium *vocant;) lib.* XII. *cap.* II. *ita scribit; De Annæo Seneca partim existimāt, vt de scriptore minimè vtili, cuius libros attingere, nullum pretium operæ sit: quòd oratio eius vulgaris videatur, & protrita: res atque sententiæ, aut ineptæ, inaniq́; impetu sint, aut leui quadam & quasi dicaci argutia: eruditio autem vernacula & plebeia, nihilq́; ex veterum scriptis habēs, neque gratiæ, neque dignitatis. Alij verò elegantiæ quidem in verbis parum esse, non inficias eunt; sed & rerum, quas dicat, scientiam doctrinamq́; ei non deesse dicunt; & in vitiis morum obiurgandis, seueritatem, grauitatemq́; non » inuenustam. Mihi de omni eius ingenio, déque omni scripto iudicium censu- » ramq́; facere, non necessum est.* Paullo pòst deinde conuiciis Momar iste » Senecam obruit, quæ adscribam; *Postea (inquit) hoc etiam addit insulsissi- » mè — atque ibi nugator homo Ciceronis errores deprecatur. — sed iam ver- » borum Senecæ piget. Hæc tamen inepti & insipidi & insulsi hominis ioca non » prætereo. — Dignus sanè Seneca videatur studio & lectione adolescentum » — Audias tamen commemorari ac referri, pauca quædam, quæ ipse Seneca be- » ne dixerit — Bene hoc sanè, bene, sed adolescentium indolem non tam iuuāt, » quæ bene dicta sunt; quàm inficiunt, quæ pessimè, multoq́; magis, si & plura » sunt, quæ deteriora sunt. Hæc ille, cuius ego iudicium hac in re non empsitem tituuillitio. homini tam inori inauritum me præbeo. Numerus & nomina librorum, quos Seneca composuit, iniri vel sciri nequeunt: nam pauca ad manus nostras peruenerunt, & suorum scriptorum raram mentionem facit. Quæ non interierunt, hæc sunt.*

1. *Ad Ebutium Liberalem, de beneficiis lib.* VII. *hunc Ebutium sunt qui Lugdunensem putent.*

2. *Ad Lucilium Iuniorem Siciliæ Præsidem, epistolarum libri* XXII. *epistolæ* CXXIV. *fuisse à Seneca in libros tributas docet Gellius d. c. 2. ex quo etiam apparet lib.* XXII. *aliquid deesse. nam fragmentum illud quod Gellius adducit in lib.* XXII. *non inuenio. addendum itaque. Scio hunc Lucilium à multis Balbum vocari; ego tamen malui, Iuniorem nuncupare, vt passim Seneca compellat. Alius fuit Lucilius Balbus Stoicæ quoque disciplinæ addictus, apud Ciceronem lib. de Natura Deor. Iuniorem hunc passim Seneca prædicat, maximè lib. 4. quæstion. natural. poëta fuit non contemnendus; & hæret animo nonnulla suspicio, quædam istius vulgò Lucilio Satyrico tribui.*

3. *De* DIVINA *prouidentia ad eundem lib.* I.

4. *Naturalium quæstionum ad eundem lib.* VI.

5. *De paupertate liber* I. *quem, vix est, vt Senecæ credam.*

6. *De remediis fortuitorum ad Gallionem lib.* I. *quem critici Senecæ auferunt: membranæ Burdegal. tribuunt, sed inscribunt* ad Callionem Poëtam. *inuenitur in iis, id, quod ex Seneca* in Fortuitis, *adducit Tertullianus, in Apologetico, & lib. de anima, & lib. de resurrectione carnis.*

7. *De Ira ad Nouatum lib. 3. de hoc Nouato quæsitum à nobis suprà c. 2. & credo hos libros, antè quàm se in adoptionem daret, ei inscriptos.*

8. *De*

8. *De clementia, ad Neronem lib. 2. videntur initio imperij eius, quòd sæuitiam naturæ Neronis perspectam haberet, conscripti.*

9. *De vita beata, ad Gallionem fratrem lib.* 1.

10. *De tranquillitate vitæ, ad Serenum lib. 2. in vulgatis codicib. sed in schedis Burdegalens. lib. vnicus est, qui vulgò primus: secundus autem sine inscriptione separatim scriptus est, & subiungitur lib. de prouidentia, errore fortaßis librariorum. Hic opinor ille Serenus est, de quo egit epist.* LXIV. *& Martialis lib. 7. epigram. ad Ouidium.*

11. *De breuitate vitæ ad Pompeium Paullinum lib.* 1. *videtur hic Paullinus socer eius fuisse, cum Pisone & Gemino vectigalibus publicis præfectus; vt deprehendunt Critici ex cap. 18. eius libelli. vide sup. cap. 3.*

12. *De consolatione ad Polybium lib.* 1. ἀκέφαλος, *de quo Polybio Suetonius, Dio, & Zonaras in Claudio. vide suprà cap. 6.*

13. *De consolatione ad Marciam lib.* 1. *quem membranæ vt & vulgati libri Senecæ ascribunt, & elegantißimus est, paullo tamen diffusiori & minùs contracto stilo, quã reliqua Senecæ. Hæc Martia fuit Cremutij Cordi F. quem malè Xiphilin.* κρεμουλιον *vocat. eius mortem & gnatæ pietatem celebrat Tacitus in Annal.* IV.

14. *Ad Elbiam matrem de consolatione lib.* 1. *Sic in membranis, non,* Albina, *vt vulgò: & sic semper vocaui. existimo tamen potiùs dictam,* Heluiam. *Heluij noti sunt, vt Heluius Pertinax apud Lampridium in Caracal. & Geta; Item,* Colonia Heluia Ricina *in vet. inscript.* * *Sic ille apud Tacitum vocatur Heluidius Priscus, non Elbidius. Confirmat coniecturã meam mendosißimus locus, in Sophologio Iacobi Magni, scriptoris docti, & digni qui sæculo minùs barbaro nasceretur, qui lib. 8. cap. 9. sic editus exstat;* Seneca Comessatoribus ad Elinam sic loquitur. *Sed scripserat ille;* Seneca ad Eluiam comessatoribus sic loquitur. *Vnde saltem apparet per* v. *non per* b. *scribendum nomen. deprauatio orta inde, quòd Hispani, vt & Vascones ab iis ortundi, has litteras iam olim confundunt. Existimo præterea Senecam hunc & duos præcedentes libros inscripsisse,* De consolatione, *exemplo Ciceronis (cuius fragmenta lib. de consolatione ex Plinio in præfatione, & Lactant. lib. 1. 2. & 3. Instit. & lib. de ira, Andreas Patricius & Car. Sigonius collegerunt. qui verò editus est, mihi quidem nondum persuasum est Ciceronis esse) non verò* Consolationem, *vel* Consulatorium, *vt Plutarchus ad vxorem & ad Apollonium.*

* In Thesauro Hub. Goltzij.

15. Ἀποκολοκύντωσις, *seu Ludus de morte Claudij. imitatus est eo libro Satyras Menippeas M. Terentij Varronis. Vide quæ dicta sunt cap. 7.*

16. *Epistolas scripsisse D. Paulum Apostolum Senecæ, & Senecã D. Paullo, meâ sentẽtiâ peruincit idoneis testibus Xistus Senensis lib. 2. Biblioth. sanctæ, inprimis D. Lino suffragante secundo post D. Petrum P.M. in cuius libro* de passione D. Paulli, *de amicitia Apostoli & Philosophi nostri, ita scribitur; Concursus de domo Cæsaris fiebant ad eum* [Paullum nempe] *sed & institutor Imperatoris* [s. Seneca] *adeò fuit ei amicitia copulatus, videns in eo diuinam scientiam, vt se à colloquio eius temperare vix posset: quo minùs si*

Hic liber primùm Venetiis, nũc iterum Parisiis in volumine Historiæ sacræ à Mich. Sonnio excusus est: sed auctoritatis dubiæ.

„ *ore ad os illum alloqui non valeret, frequentibus datis & acceptis epistolis,*
„ *ipsius dulcedine & amicabili colloquio atque consilio frueretur. De Seneca Salisberiensis lib.* 8. *c.* 13. Desipere videntur, qui quemcunque secuti non
„ venerantur eum, quem Apostolicam familiaritatem meruisse constat.
„ Deinde D. Hieronymus in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, ait;
„ *Senecam non ponerem in Catalogo Sanctorum, nisi me illæ epistolæ prouocarent, quæ leguntur à pluribus Paulli ad Senecam, & Senecæ ad Paullum: in*
„ *quibus, cùm esset Neronis præceptor, & illius temporis potentissimus, optare se dicit eius loci esse apud suos, cuius sit Paullus apud Christianos.* Demum D. Augustinus in epist. 53. ad Macedonium; *Meritò ait Seneca (qui temporibus Apostolorum fuit, cuius etiam quædam ad Paullum Apostolum leguntur epistolæ) omnes odit, qui malos odit. Vnde ego quidem planè existimo verè aliquod litterarum commercium Senecæ cum D. Paullo fuisse. An tamen hæ sint illæ, quæ vulgo circumferuntur, litteræ, prorsus ambigo, & potiùs contendo has non esse. Nam nec D. Lini, nec D. Augustini hoc auctoritate probatur: & D. Hieronymus, non tam ex sua, quàm plurium sententia loqui videtur. Sanè quod ait illis epistolis à Seneca dictum, hodie in quibusdam codicibus ita habetur:* nam qui meus, tuus apud te locus; qui tuus, velim vt meus. *ænigmaticè. in aliis apertiùs*; Nam qui tuus est apud tuos locus, velim vt apud meos sit meus. *Præterea Sophologij lib.* 6. *cap.* 6. *& lib.* 7. *c.* 9. *hæc inuenio*; Seneca epist. 6. ad Paullũ; Feramus æquo animo, vt vtamur foro quod sors concessit, donec felicitas finẽ malis imponat. *Quæ verba in his quæ exstant Senecæ ad Paullum epistolis non inuenio. videndũ an Sophologij scriptor alias nactus sit; an verò quod alicubi ad Lucilium scriptũ fuerit, ad Paullum scriptũ dixerit; nam nec Lucilianas epistolas omnes habemus.*

Propterea quidã bonis humeris Hieronymum, Augustinum non satis circumspectum & prudẽtem scribũt. quasi verò viri illi prudẽtissimi, doctissimi, sanctissimi, has ipsas quę nunc circũferũtur Paulli & Senecæ esse affirmarint: vel Critici, sat omnibus euincãt nullã omnino litterarũ vicissitudinẽ intercessisse inter Apostolum & Senecam. Quin potiùs Hieronymus satis indicat suspectas illas sibi, quæ tũc legebantur.

LIBRI QVI INTERCIDERVNT.

1. *In epistolis illis mentio fit libri Senecæ de copia verborum. huius fides à fide epistolarum pendet.*

2. *Libri de superstitione, ex quibus nonnulla adducit D. Augustinus lib.* 6. *de Ciuitate Dei cap.* 10. *&* 11. *de quibus intelligendus Florens Tertullianus, in Apologet. quando scribit gentilium superstitionem à Seneca seuerissimè reprehensam. Citatur hic liber à Diomede.*

3. *Liber de terræmotu, quem se iuuenem scripsisse testatur lib.* 6. *Natural. quæstionum cap.* 4.

4. *Liber de matrimonio, quẽ laudat D. Hieronymus contra Iouinian. lib.* 1.

5. *Orationes.* }
6. *Poëmata.* } *quorum meminit Fabius lib.* 10. *cap.* 1.
7. *Dialogi.* }

8. *Laudationes Augustarum & Libertorum, quarum mentio apud Xiphilinum in Claudio.*

9. *Historia, fortaßis vt innuit Lactantius lib.* 7. *diuinar. Instit. cap.* 15. *& si quæ illic refert, hodie in Annæi Flori libris leguntur.*

10. *Nouißima verba morientis, quæ vulgata fuisse Tacitus scribit lib.* 15. *Annalium.*

11. *Pars*

11. *Pars quædam libri* XXII. *epistolarum Moralium, vt patet ex A. Gellio lib.12. Noct. Attic. cap.2. Multa quidem in iis epistolis, quæ exstant, Ciceronis & Virgilij mentio, vt epist.* XXI. LIX. LX. LXVII. C. *&* CVIII. *sed iis nihil huiusmodi, quale narrat Gellius, continetur.*

12. *In Sophologio citantur lib.3. cap.1. & lib.7. cap.7. Senecæ liber de matura morte, quem suspicor esse quandam ad Lucilium epistolam: hunc Lactantius lib.1. c.4. fortè vocat, de immatura morte. & liber de natura rerum, qui quis sit nescio, nisi si naturalium quæstionum. Mendosè apud eũdem Iacobum Magnum laudatur Seneca* lib. 4. de Tragœd. *pro,* quarta Tragœdia. *in m.s. enim plerisque hæ tragædiæ vocantur,* prima, secunda, *&c.*

13. *Moralia citat Lactantius lib.2. cap. 2. & ipse se docet de tota morali Philosophia scripsisse epist.108.*

14. *Liber de fortuitis citatur à Tertulliano.*

15. *Liber de officiis citatur à Diomede.*

16. *Exhortationes citantur à Lactantio lib.1. & lib.3. & lib.6.*

17. *Lib. de prouidentia, vt colligitur ex eo quem habemus.*

18. *De forma mundi, citante Boëtio lib. de Geometria, & Caßiodoro in Compend. Astronomiæ.*

19. *De situ Indiæ, teste Seruio in 9. Æneid. & Plinio lib.9. Hist.*

20. *Declamationes & præfationes apud Fabium lib.9. c.11. & lib.8. c.3. & fortè quædam præcepta de arte discendi; vt significatur d. cap.11.*

21. *De sacris & situ Ægypti, apud Seru. in lib.6. Æneid.*

22. *Epistolas Neronis nomine, teste Dione & Fabio lib. 8. c.5.*

23. *Epistolas ad Cæsonium Maxinum (vide Martialem lib.7. epigr. 43. & 44. & Senecam epist.87.*

24. *Notarum libros teste D. Isidoro lib.1. Origin. qui m.s. in Francia inueniuntur.*

LIBRI DE QVIBVS DVBITATVR AN SINT SENECÆ.

1. *Epistolæ illæ ad D. Paullum, quæ exstant.*

2. *De consolatione ad Martiam. Ego tamen eius puto.*

3. *Lib. de quatuor virtutibus, quem plerique prorsus indignum Seneca iudicant, & sunt qui putent esse Martini Dumiensis siue Episcopi siue Abbatis (vtrumque enim traditur) qui vixit circa annum Domini.* DXL. *& eum libellum & alia quædam Mironi, Sueuorum, qui Galleciam Hispaniæ occuparant, dedicauit, & cuius lib. de Christiani Principis institutione, & alius lib. Epistolar. moralium, alicubi reperiũtur manuscripti, nondũ (quod sciã) editi.*

4. *Librum de moribus, ijdem illi Senecæ auferunt, vt puto prorsus meritò: hunc tamen & superiorem membranæ & Sophologij auctor Senecæ ascribũt. Lactantius lib.2. Instit. cap 2. Moralia Senecæ citat, quod non opinor de hoc libello accipiendum; sed potiùs de aliquo alio libro.*

5. *Mimi, seu (vt habent membr. Burdegal. & vt citantur in Sopholog.) prouerb. P. Syri sunt, mixtis nonnullis Laberianis; vt alij iampridem monuerunt.*

6. *Declamationum libri* X. *Suasoriarum & Controuersiarum lib. 6. à L. Annæo Seneca Philosophi nostri patre sunt compositi. vide sup. cap.6.* Hos Salisberiensis lib. 8. tribuit Philosopho, m. a. è.

7. L. An-

7. *L. Annæi Flori historiar. lib.* IV. *quidam membranacei codices L. Annæo Senecæ ascribunt, vt testatur amicus, homo cognitæ doctrinæ, Ælias Vinetus in comment. in Florum, sed, vt idem rectè censet, nostri Senecæ esse nequeunt, cùm scriptor ille Traiani Imp. ætate vixerit. Quid ergo sibi Lactantius vult, „ cùm lib. 7. diuin. instit. cap. 15. scribit; Non inscitè Seneca Romanæ vrbis tem- „ pora distribuit in ætates? Primam enim dixit infantiam sub Rege Romulo fuisse. equidem alterutrum censeo, vel cùm Lactantius scripsisset* Annæus Florus, *librarios mox hoc deprauasse in* Annæus Seneca; *posteriores deinde, omisso* Ann. *solum cognomen retinuisse, quod ita citari à Firmiano solere animaduerterent. Vel, quod ampliùs placet, idem quod priùs Seneca de iuuentute populi Romani dixerat, postea illi Floro placuisse, & alieno dicto suam Historiam ornasse: cui par pari (quod aiunt) sed cum fœnore, tandem Iornandes rettulit.*

8. *Restat difficilis quæstio, de Tragœdiis decem quæ exstant; hoc difficilior, quòd & ea quæ quondam ante* XIV. *annos*, in Aduersariorum præludiis, *tradidi, nunc retractanda; & quæ ab amicis dicta sunt, refellenda; & contrà quàm plerique iudicant disserendum sit. sed tanti veritas est.*

Imprimis has decē Tragœdias vnius auctoris esse, quod olim dixi, non rectè dixi. meliùs Erasmus & Gellius Marmita, diuersorum esse censuerunt: vt patet ex stili tunc temporis à me nondum deprehensa diuersitate: tum quia in membranis etiam emendatioribus vers. 227. & vers. 386. in secunda sede trimetri iambici spondeus collocatur, contra morem reliquarum nouem fabularum. Non solet etiam in aliis nouem, personis extra chorum loquētibus ita frequens anapæstus in ore esse. Nec quemquam paullo antiquiorem scriptorem inuenias, qui, Octauiam, *Senecæ ascribat. Denique cùm vix, ac ne vix quidem, Philosopho Senecæ tribui queat; si ceteræ Philosophi sunt; non vnius auctoris esse, necesse est. Cuius tamen illa sit, mihi non liquet. nū Annæi Statij, qui Senecæ morienti adfuit, & cuius cognomē, in,* Senecæ, *facilè potuit mutari; num verò Annæi Flori, qui Hadriano imperante vixit; postea videro. Nunc de reliquis nouem. Non esse illas Philosophi, voluêre Bocatius & Colluccius, citati à Xichone, Rudolphus Agricola in lib. 1. Declamat. Crinitus lib. 3. de poët. Latin. Lilius Girald. Dialog. de poët. 8. Vinetus d. commentar. statim initio, & Lipsius in Annal.* XIV. *Taciti. Sed hi mirè inter se dissen-* Vinet. d. loco *tiunt. Nam vnus quidem apertè opinatur esse cuiusdam Senecæ, qui Traiano Imp. vixerit: hoc vno fretus, quod ex Lactātio paullo antè retulimus; quòd cùm in illo libello Historiar. contineatur, cuius auctorem Traiani tempora vidisse constat; verisimile sit, hunc, qui Traiani tempore vixit, Tragœdias has conscripsisse. Verùm, hoc est dubia, magis incertis rationum momentis, astruere. Vt enim hoc Seneca, quod in Historia illa exstat, scripserit; quid impedit quin à duobus idem diuersis temporibus scribi potuerit? Nec propterea quòd ille scriptor historiæ, qui, quod Senecæ tribuit Lactantius, scripsit, Traiani imperiū cognouit; etiam Tragœdias, de quibus agimus, illius esse oportet. Vitiosè colligit; qui non videt id quod colligit, non necessariò consequi. Prudentiùs Lipsius, qui has Tragœdias, quæ Senecæ nomine feruntur, eius dūtaxat se non opina-*

opinari tradit; cuius tamen sint, non addidit, sed in aliud tempus rem distulit: postmodum tamen vnam Medeam Philosopho, duobus aliis septem reliquas addicit. Ceteri, dum certo auctori asserere conantur, nugas agunt; præsertim cùm Octauiam *eidem cui ceteras tribuunt; Rudolphus, filio Philosophi; & non coniecturis tantùm, vt falsò Crinitus obijcit, sed inscriptione Declamationum & Suasoriarum nititur: Colluccius ascribit fratri Senecæ, nullo prorsus argumento: alij nepoti ex fratre, quod ego quoque putaui aliquando, eo quòd fratres Senecæ, nō diu post eius obitum, viuo adhuc Nerone perierunt. Sed hoc, vt ad Colluccij sententiam refellendam, qui etiam* Octauiam *fratri Senecæ tribuit, multum valet; ita ad nepoti astruendas tragœdias prorsus infirmum est. Hos omnes, vt nouem tragœdias adimant Philosopho, hæc potissimùm inducunt: Non videri grauitati & seueritati Senecæ consentaneā tragœdiarum compositionem. Nullibi eum tragœdiæ à se compositæ meminisse. In Octauia ipsummet loquentem introduci: Octauiæ tamen eundem, qui ceterarum, scriptorem videri. In Suasoriarum inscriptione Senecæ filij mentionem occurrere: Suasorias autem Philosophi esse. Denique quia Martialis & Sidonius clarissimè duos Senecas nobis proponunt; Terentianus autem Senecam Tragicum Pomponio Secundo multo Iuniorem facit. Eutropius denique, & Diaconus lib. 8. histoRiar. Senecam Tragicum appellant, vt à Philosopho distinguant. Martialis (quem qua de causa auctor Sophologij plusquam* XXV. *locis citans perpetuò vocat* Martialem Cocum; *vt & lib. 7. Policrat. Salisberiensis, an pro lubito, an ad membranarum fidem, nescio.)*

Duosq́ Senecas, vnicumq́ Lucanum
Facunda loquitur Corduba.

Item;

Et docti Senecæ ter numeranda domus.

Sidonius Apollinaris;

Non quod Corduba præpotens alumnis
Facundum ciet, hic putes legendum;
Quorum vnus colit hispidum Platonem,
Incassumq́ suum monet Neronem:
Orchestram quatit alter Euripidis
Pictum fæcibus Æschylum secutus,
Aut plaustris solitum sonare Thespim;
Qui, post pulpita trita sub cothurno,
Ducebat olidæ marem capellæ.
Pugnam tertius ille Gallicanam
Dixit Cæsaris, vt gener socerq́, &c.

Terentianus Maurus.

Annæus Seneca & Pomponius antè Secundus.

Multi nihilominus putant Philosophum harū tragœdiarum fuisse auctorem: Vincentius Lirinensis lib. 9. Speculi histor. cap. 102. Fran. Petrarcha lib. 5. epist. familiar. epist. 10. Item epist. ad Senecam, & lib. 3. rerum memorandar. cap. 3. & lib. 2. de vita solitaria sect. 8. cap. 2. Iacobus Magnus Sopholog. lib. 8.

cap.7. Albertus Eybius, Pij II. Cubicularius, in Margar. poëtica, Ambrosius Morus tomo 1. Histor. Hispan. Erasmus, in Ciceroniano, Daniel Caietan. & Bernardin. Gellius, in Senecam; quorũ aliqui omnes decem Senecæ tribuunt, alij Octauiam excipiunt, quibus, etsi coniecturis nitantur, quia tamen minùs incerti quàm ceteri, subscribo. Primò, quia Octauia (vt dixi) Senecæ Philosophi nequit esse. Deinde quia duos adhuc tantùm L. Annæos Senecas repperi, patrem Declamatorem, & Philosophum filium: duos quoque dumtaxat fratres Seneca habuit, Gallionem & Mellam,* vt non potuerit hic poëta esse frater Philosophi, alioqui etiam eodem & prænomine & cognomine non futurus. Sed nec filius Philosophi fuit, nec nepos ex filio, quoniam iam ante exsilium orbus erat Seneca, mortuo vnico filio puerulo*; nec, si tam nobili ingenio filium habuisset, tam profundo & perpetuo silentio illum inuoluisset: ex Paullina quoque nullos liberos suscepisse patet. At nepos ex fratre fuit. Quæro ex quo? Gallionem namque vllos habuisse liberos nullibi legi; de sola Nouatilla id suspicari possumus*, probare non possumus. Nam quod Catanæus in epist. Plinij Lucanum facit Gallionis F. crassus est error, nec refutatione dignus. Mellæ, præter vnum Lucanum, alium filium non inuenio: Lucani verò tragœdias esse, nemo affirmauit; nec crediderim, si quis asseueret. Si ergo nec frater, nec filius, nec ex filio vel fratre nepos; exspecto me doceant, quis iste Tragicus Seneca, si non idem Philosophus? Nam cognitum illum Quinctiliano mox docebo; quare non est credibile Hadriano imperante vixisse, vaticinantur, qui hoc tradunt. De inscriptionis veritate nondum vidi qui dubitet; in summo scriptorum & impressorum codicum consensu, quorum nullus est, qui non L. Annæo Senecæ astruat. Tertius Seneca præter Declamatorem & Philosophum nõ reperitur: (nam quod Lactantius scribit, de Philosopho ostendi intelligendum) & filij testimonio Declamatorem constat litteris tinctum potiùs, quàm penitùs imbutum fuisse, vt illi ascribendæ non sint: restat vt Philosophus interdicto, vti possidetis, obtineat. Præterea verisimile non est, Statium Papinium, Annææ familiæ viros doctos recensentem, hunc tertium Poëtam Senecam fuisse omissurum; eoq; ipso, quòd vnicum Senecam nominat, satis indicat, non aliũ fuisse poëtam à Philosopho. Martialis quoque duos tantùm Senecas recenset, quos diximus, Declamatorem & Philosophum. nam quòd idem Senecæ domum ter numerandam dicit, meo iudicio ad ternionem illum lectißimorum fratrum, Gallionis, Senecæ, & Mellæ Declamatoris filiorum, est referẽdum. Cornelius Tacitus, Annal. XIV. scribit Philosophum sæpius carmina factitasse, postquam Neroni eorum amor venisset: quare putandum, tum animi causa, tum vt Neroni placeret, tum vt eius quoque studij laudem sibi compararet, tragœdias composuisse. Quinctilianus lib. 10. cap. 1. poëmata à Philosopho composita testatur, quod Plinius Cæcilius lib. 5. epist. 3. confirmat. Alia, inquies; non tragœdias. Imò & tragœdias, & has ipsas. Nam quem semiuersum Fabius ex Medeâ Senecæ adducit lib. 9. Instit. cap. 2. QVAS peti terras iubes? in hac ipsa Medeâ, quam nos Senecæ tribuimus, exstat hodie num. 453. & quos ex Seneca Terentianus adducit in Hercule Fur. etiam nunc leguntur; & quæ Priscianus, in Hippolyt. & Agamemn. & quæ Probus, in Troadibus; &

*Vide suprà cap. 3.

*Vide suprà cap. 4.

*Vide d c. 4.

& omnes hi æquè ac Fabius ἁπλῶς Senecam nominant: nec plures vno videntur poëtas cognouisse, vt nec Luctatius, qui omnibus tragœdiis Periochas adiunxit, scriptor antiquus, cuius in Thebaidem Papinij Commentarius, & in Metamorphosim Ouidij exstant nonnulla. Quòd verò homines eruditi censent hos versus, Duc me pater, summique dominator poli, &c. qui sequuntur epist. CVIII. ex prima tragœdia (sic vocant Herc. Fur.) desumta, verè nihil est: cùm hodie in his decem fabulis non inueniantur: &, vt suo loco, ad has tragœdias non pertinent. propterea hoc argumento non vtor. Prædicta satis euincunt, hanc nostram sententiam, minùs quidem dubiam, & verisimiliorem esse, quàm ceteræ. Etenim cùm omnes codices membranei, chartacei, typis excusi, calamo scripti, veteres, noui, in nomine & inscriptione consentiant; nec vllus L. Annæus Seneca, Philosophi frater, nepos, filius ostendatur; nec patri Declamatori conueniant; & poëmata scripsisse Philosophum manifestum sit; hodie etiam vnicum quidem hemistychium, sed eodem, quo citatur à Quinctiliano, exstet loco; denique ex epist. illa ad Lucill. & Satyra Menippæa, eluceat, propitiis Apolline & Musis Philosophum in poësi versatum: quid est cur has fabulas illi non addicamus? an quæ paullo priùs retulimus? at propter illa nec manum verterim. Quod de grauitate Senecæ dicitur, Plinius, Fabius, Tacitus refellunt. Nescire videntur, qui huc confugiunt, tragœdiæ dignitatem, &, vt ille cecinit, Omne genus scripti grauitate tragœdiam vincere. Nec M. Varronem, nec duos Iulios Cæsares, nec Aug. Octauium, nec Scaurum, nec Thraseam, quibus nihil grauius vidit orbis Romanus, huic scriptioni subsecuias horas impendere puduit. Non meminit suarũ tragœdiarum Seneca. Necesse non fuit. Nec orationum, nec dialogorum, nec poëmatum. falsúsne ergo Fabius, qui ea refert; an hoc argumentum nulli rei? sic opinor. Suasoriæ & Declamationes non Philosophi, sed patris eius sunt. id si sagax nasus Rudolphi subolfecisset, non ille poëtam à Philosopho discreuisset: nec latiore negligentia Lucanum Philosophi ex filio Mella Nepotem autumasset. Octauiam iam remouimus, in qua Philosophus introducitur. Martialis testimonia si rectè accipias, nihil officient; si sequiùs, aut supiniùs, in errorem impellent. Impulêre Sidonium; qui apertè tragœdias Philosopho ademit, eo quòd Declamatorem Philosophi patrem ignorabat. Agricola, Crinitus, & Lilius, videntur in idem saxum impegisse. Perpende hos ipsos Sidonij versiculos, sæpicule illum falli animaduertes. Quis vnquam à Lucano somniauit * Gallicanam Cæsaris pugnam describi? Quis Platonis, quàm Zenonis Senecam fecit sectatorem? quis hispidum Platonem, præter vnum Sidonium, nuncupauit; cuius ex labiis dulce verborum nectar, & Musæum mel stillare credunt, quotquot Platonem nouerunt? Eius, qui hæc tria tam paucis versibus effutiit, iudicium, si tot rationum momentis, & Fabij, Taciti, Plinij auctoritati non præfero, nec temerarius, nec in antiquitatem iniurius mihi videor. Porrò quòd Terentianus, emunctæ naris Grammaticus, Senecæ Pomponium Secundum præposuit, parum me mouet: cùm potuerit Maurus in eodem cum Sidonio errore fuisse, nullas à Philosopho tragœdias scriptas; alioquin etiam sciam Philosophum & Secundum eadem propè ætate floruisse (nam vtrumque Quinctilian. vidit)

* Fortè tamē Gallicanā potuit pro temeraria, sicuti Propertius Gallicū militē: aut, Gallicanū legendum, vt Cæsaris agnomen sit, sicut Africanus Scipionis.

prius tamen à Pomponio, quàm Senecâ (qui, quantum Tacitus mihi significat, multas senex composuit) tragœdias conscriptas, & Pomponij quidem eo viuente, Senecæ verò post obitum eius vulgatas fuisse. Iam enim magnum Pomponij nomen erat, quando Portius Latro, Domitius Afer, Albutius Sylo in pretio * *habebantur. Pomponij, exceptis pauculis fragmentis, omnes fabulæ iam pridem interciderunt. Sola coniecturæ fiducia, ex his nouem aliquas Pomponio addicere, rectè sentiunt; mentis pruritus est. manum tollant. Postremò quod ad Eutropium, sequor censuram Schoonhouij, Pitthoei, Vineti; Basileensem illam editionem fuisse Pseudo-Eutropij colluuiem quandam spurcissimam narrationum ex Diacono & huius farinæ aliis; quorum nihil in vero Breuiario Eutropij, non semel iam excuso, reperitur. Paullus quidem ipse homo Langobardus non est testis assiduus. fuit antiquitatis omnis non apprimè peritus, immani audaciâ; qua Festum Pompeium crudelissimè lancinauit. Eodem illo Historiarum loco; qui Eutropio fuit, vt allium croco, commistus; Plutarchum Neronis imperio ascribit, vt & lib. 7. Histor. Terentium Augusti. Ne tamen semper errasse credamus, malim dicere, Diaconum pro certo habuisse vnū esse Tragicum cum Philosopho. nam Philosophi Senecæ ne eo quidem loco meminit, quo de Philosophis agit, qui Neronis ætate vixerunt: quem tamen vix est vt ignorarit, vel præterierit. Modica igitur castigatione locus ille Paulli sic recenseatur;* Huius temporibus poëtæ florebant Romæ, Lucanus, Iuuenalis, & Persius; Seneca, Trabeas, Musonius atque Plutarchus Philosophi. *Trabeam Diacono Tacitus potuit suggerere. Vulgata lectio illos refellit, qui Tragicum Senecam in Hadriani Imp. reijciunt, ob styli diuersitatem. quam si ad solam* Octauiam *referrent, assentirer: quia vlteriùs tendūt, subsisto; non sequor. gnarus frequenter scriptoribus contingere, vt cum ætate stylum mutent, vt etiam ille animi affectiones quodammodo imitetur. deiecto es animo? iacet & repit: erigeris? assurgit ille & attollitur: lætaris? luxuriat efflorescens: mœres? contrahitur, & quasi exarescit. quantum, quæso, discrimen inter Ouidij Epistolas, & libros Tristium? Lucani Pharsaliam, & carmen ad Pisonem? quàm sibi dissimilis noster in Consolatione ad Marciam, & alterâ ad matrem? Vestra (Critici) si quis conferat, quæ quondam, & quæ nūc conscribitis; vnius esse scriptoris vix credat. Quid, quòd nec ipsi idem sentitis? est qui Thebaidem, est qui Medeam ceteris puriorem contendat. vni Oetæus, alteri aliæ magis scholam sapiunt. quem sequar? continua serie scripta Thebais, sed imperfecta, cui desunt chori. an tu tragœdiam vllam sine choris scriptam illâ putes ætate? Latinior & melior, quàm ceteræ. fateor. sed cur non potuerit tam purè noster? Ignoscite ergo, ex his nouem, nullam nostro adimendā (nisi fortè* Oethæum) *censeo: & à Seneca in adolescentia scriptas* Oethæum *&* Agamemnonem, *quæ modicæ bonitatis: postea* Oedipum, Hippol. Herc. Fur. *&* Troad. *quæ paulo meliores, sed adhuc scholam sapiunt. Maturiores & sene dignæ reliquæ,* Thyestes, Medea, *&* Thebais. *quæ tres ita meo animo arrident, vt quam malim, nō facilè dixerim. Quod addamus de Seneca, reliquum est nihil, nisi de ordine harum tragœdiarum; qui vulgò huiusmodi est;*

1. Hercules Furens. 2. Thyestes. 3. Thebais. 4. Hippolytus. 5. Oedi-

* Rectè Crinit. hoc obseruauit lib. 3. de poët. cap. 53.

Desipiunt typographi Basileensi qui in Festi editione Pontificem fuisse confingunt.

5. Oedipus. 6. Troas. 7. Medea. 8. Agamemnon. 9. Octauia. 10. Hercules Oethæus. *In re prorsus incerta temporis rationem haberi discuperem. futurum id memoriæ legentium. qua in re iuuit me Guilh. Canteri industria, lib. 5. Nouar. lect. cap. 4., vti faciliùs eum ordinem deprehenderem. Medea ab Iasone repudiata, pellicem flammis vlta, propriis filiis necatis, Ægeo Athenarum regi nupsit. huic ex Æthra filius erat Theseus; cui nupta Phædra, priuignum suum Hippolytum de stupro compellauit, & reiecta, crimen in insontis caput retorsit. ille patriam fugiens paternis diris deuotus, curru decidens, ab equis distractus moritur; Phædra facti pœnitentiâ, seipsam gladio confodit. Theseo intima cum Hercule familiaritas intercedebat; quem, cùm liberos & vxorem furore correptus occidisset, Athenas ductum expiauit. Mox post aliquot annos Hercules acceptâ ab altera vxore Deianira, tunicâ Nessæ & Hydræ sanguine imbutâ, doloris acerbitate victus, viuum se in Oetha comburi iussit. Paullo tamen antè Oedipus Thebis Bœotiæ imperarat, qui patre necato, matre verò incestis nuptiis sibi copulatâ, seipsum excæcauit, Iocasta seipsam interfecit. Tam funestarum nuptiarum liberi, furentes imperandi libidine, mutuis vulneribus commortui sunt, Etheocles videlicet & Polynices. Non minora postmodum Mycenis & Argis scelera patrantur à gente Pelopidarum. Thyestes Atrei vxorem adulterio corrumpit: hic illi filios suos epulandos proponit. fit viuum filiorum trium sepulchrum ignarus & infelix parens. Menelaus Atrei F. Helenam vxorem à Paride raptam, cum fratre Agamemnone repetit. Græcia Barbariæ lento bello colliditur: & post decennium Troiâ dirutâ, Calchantis iussu, Hectoris F. Astyanax de Scææ portæ fastigio deijcitur; Polyxena Priami nata, Achilli in inferias mactatur. Ipse rex regum, dux ducum Agamemnon, victor domum rediens, in conuiuio furiali veste irretitus, vnà cum Cassandra, ab vxore iugulatur: Orestes paruulus vindex futurus paternæ cædis, vix sororis ope maternas manus effugit. Hac ergo serie hæ fabulæ legendæ;* 1. Medea. 2. Oedipus. 3. Thebais. 4. Hercules Furens. 5. Hippolytus. 6. Hercules Oethæus. 7. Thyestes. 8. Troades. 9. Agamemnon.

Quas qui contemnunt, id faciunt, vel quia non satis eas intelligunt; vel quia non legerunt, quem lectione indignum iudicant. iis qui non intelligunt, commentarij nostri satisfacere poterunt; qui verò, quem non legerunt, despiciunt, vel doctißimorum virorum censuris fidem sunt opinor adhibituri; vel si ne id quidem, eos non moror. Omißis ergo Sidonij & aliorum citatis testimoniis; primo loco occurrit vir grauis, & pro illo seculo eruditus, Fran. Petrarcha, qui lib. 5. epist. de reb. familiarib. epist. 5. ita scribit; Varro Satyrarum libros edidit, & Seneca Tragœdias, quæ apud Latinos profectò vel primum, vel primo proximum locum tenent. " " "

ANGELVS *Politianus, in Nutricia.*

——suum iactet mihi Corduba vatem,
Cuius ad Herculeum tremefacta Orchestra furorem est.

DES. *Erasmus, in Ciceroniano;*

Age num tibi Seneca videtur Ciceronianus? Nihil minùs. præsertim in ora- "

„ *tione soluta. nam tragœdiæ, quæ probantur à doctis, vix videntur à Seneca*
„ *scribi potuisse.*

PET. *Crinitus. lib. 3. de poët. Latin. cap. 53.*

„ *Scripsit* [Seneca] *tragœdias decem, in quibus propter sublimitatem carminum, grauitatemq́; sententiarum, non vulgarem laudem consecutus est: etsi tempora illa, in quæ incidit, magna ex parte exstiterunt melioribus disciplinis. In suis fabulis Euripidem atque Æschylum traditur imitatus; quæ res facilè intelligitur ab iis, qui paullo diligentiùs eas obseruabunt, &c.*

IVL. *Scaliger Poët. lib. 6. cap. 6.*

„ *Seneca seorsim suas tuetur partes, quem nullo Græcorum maiestate inferiorem existimo; cultu verò ac nitore etiam Euripide maiorem. Inuentiones sanè illorum sunt: at maiestas carminis, species, sonus ipsius. In quibus Sophoclis esse se voluit similiorem, frustra fuit.*

MAR. *Antonius Muretus lib. 2. var. lect. cap. 4.*

„ *Et est profectò* [Seneca] *poëta ille præclarior, & vetusti sermonis diligentior, quàm quidam ineptè fastidiosi suspicantur.*

BARTHOLOMAEVS *Riccius lib. 1. de imitatione.*

„ *Comœdiam subsequitur tragœdia, etsi scio alio ordine hanc natam esse. In hac autem si meum iudicium liberè proferam, vereor magnopere ne contra multorum sententiam satis id poßim sustinere. nam secus quàm ego sentio multis iam pridem persuasum esse intelligo. Sed ne ab hoc quoque deterrear, Nauagerius efficit, qui Terentio hoc modo post multa sæcula aduersus multorum sententiam in comicis locum suum præclarè restituit. Secum igitur in hoc genere fabulæ plerique peßimè actum esse grauiter queruntur, neque id tantùm tragicorum paucitate, qui ad vnum ex frequenti numero sunt redacti (id enim incommodi cum aliis multis artibus illi commune accidisse aliquam consolationem habere posset) sed quia, qui reliquus est, ita eius scripta improbantur, vt ne digna quidem sint, quæ perlegantur, ne dum in vllum eum tragicorum numerum perduxerint. Vtrùm autem id ita sit, iam videamus. Tria sunt, quæ tragœdiæ maximè conueniunt, exspectatio, gestio, exitus: horũ nihil in tot eius tragœdiis desiderari videtur. summam enim hic auditori, cùm magnarum rerum excitat admirationem, tum illum vsque eò suspensum sustinet, vt quorsum tantus apparatus priùs, quàm ad rem ipsam sit peruentum, minimè sentiatur. Quod autem ad rei gestionem, aut ea verbis tantùm explicatur, aut etiam re ipsa ostenditur, & vt vera ante oculos geritur. dictionis quidem id genus est, quod satis tolerabile videatur: certè quicquid habet minus purgatæ locutionis, & illi ætati, & eius fortaßis nationi potuit condonari, aut tanti omnino esse nõ debuit, vt quæ eius cætera multa sunt optima, tam iniquè ex hominum lectione quasi delerentur, præsertim cùm locutionis ratioñe penè totam aliunde petendam esse præcipiamus. Alterum erat, cùm res ante oculos, vt est priùs verè gesta, iterum quasi verè geritur: in quo neque hic exlex aut temerarius est actor. nam etsi Medeam coram populo filios necantem inducit, vt item Herculis à patre furentis sagittis confossos, licere hoc quoque per fabulæ legem, sunt qui grauißimè testentur auctores: & qui Græcam scripsêre*

fabulam, hoc suo arbitratu factitasse constat. At Horatius in Latinis aliter sensit. at etiam rectiùs senserit, & naturam suam & fortasse etiam sua tempora secutus, ab horum spectaculorum immanitate abhorruerit: subsecuta est alia ætas, & alius scriptoribus animus est datus. certè neque Horatio iniuriam, neque mihi nouam legem facio, si ad duarum legum alteram subscriptionem meam accommodo, eius non sequor. Quasi verò & Terentius à comicorum lege non interdum recedat, & non in fabulam bonam meretricem, socrum nurus cupidam, ac prorsus alienas personas ad quoddam certum tempus minimè ineptè introducat. Exitus autem is est, qui maximè tragœdiæ conuenit, luctuosus: quin etiam si paullo lætior adhibeatur, non is tamen est quo minùs fabula probari possit. Tragœdiæ vna grauitas maximè propria est: hæc aut personis, aut re, aut verbis ipsis contineri atque præstari solet. Quod autem ad personas, eæ quidem in hanc sunt inductæ, quæ tragœdiis conueniunt, regiæ, magnæ. Res autem, nisi ea quoque, quæ tragœdias excitet. Postremò verò sic grauiter agit, vt neque rei verba, neque verbis res perampla deesse videatur. in re enim horribili, vbi eius oratio non grauis? vbi non tristis? vbi non atrox? vbi autem remissa? vbi læta? vbi placida? vbi denique cum re tota non consentit atque conuenit optimè? Tragœdiæ verò grauitatem, de qua nunc agitur, adiuuari inprimis grauitate sententiarum, nemo non intelligit. Quis autem vnico Seneca in sententiis est crebrior? quis etiam grauior? cùm in eo quot versus, tot penè grauissimæ sententiæ numerentur, eæq; omnes & suo loco, & cum dignitate positæ atque dictæ sint? Quanto tragœdiæ scriptor magis misericordiam auditori commouebit, quanto rem crudeliorem ac magis atrocem faciet; tanto ab hoc maiorem sibi plausum concitabit, tanto eius gratiam inibit æquiorem. ac Seneca, cùm id exsequitur, vsque eò partem illam integerrimè præstat, vt miras inter questus auditori suo acclamationes commoueat. Chori in tragœdia nisi cum re ipsa consentiant, nisi pleni sint sententiis, nisi æquè scelus atque dignum est lamententur, aut contrà virtutem laudibus efferant paribus, ij vitio aliquo carere non possunt: vbi autem hic noster legem eam non diligenter custodiuerit, ac religiosè conseruarit, vbi non ea omnia cumulatè præstiterit, vbi aliquid admiserit, exspecto qui me doceant: quod tantum abest, vt facilè possint, vt (si cum hoc aliquando æquiore agant animo) in iis ipsis choris scribendis, Græcos omnes, qui exstant, superasse fateantur necesse sit. Id verò mihi in hoc viro permirum videtur, quòd cùm tot fabulas easque tam copiosè omnes perscripserit, nouus tamen semper appareat, numquam sui similis, neque qui, quod à se antea dictum sit, aliàs in alium item mutuetur locum: vt quasi amnem imitetur, cuius idem perpetuò sit cursus, quæ tamen aqua semel præterlapsa est, nunquam relabatur: vt iniquè, atque haut scio an impiè facere videantur, qui tam ob paruam causam vnicum poëtam, ne legendum quidem esse contendant. Siquidem totum hominem leuissima de causa prorsus tollere, belluarum magis quàm hominum est omnino. Equidem cùm in hoc genere plures scripserint, ceterique omnes prorsus interierint, resque Tragica ad vnum hunc redacta sit; huic, cui melior fortuna pepercerit, ab hominibus quoque parcendum; atque in quem eum locum

ea

„ *ea ipsa posuerit fortuna, ab iis quoque retinendum esse facilè censeo.*

IVSTVS *Lipsius in Animaduersionibus*;

„ *De Thebaide: Scriptio (inquit) ita me Deus amet, alta, docta, grandis: „ & quæ suo iure ambulet in cothurnis. Nihil vsquam iuuenile, arceßitum, fu- „ catum. phrasis & verba lecta: sententiarum mira & inopinata acumina. „ & acumina virilia & fortia: quæ me quidem ita feriunt, vt non exciter solùm „ ad ea, sed subsultem. Quid tale in aliis? audebo rem dicere. Scripti gemmula „ hæc est, & quàm lubens retulerim vel ad Augusti æuum. Per bellum quidem „ ciuile eam scriptam, & ex argumenti electione suspicor, & ex versibus qui „ quasi datâ operâ huic rei inserti. Quidquid huius est, tollenda sanè ea, nec vl- „ trà calcanda pedibus ignari vulgi. Vos, Critici, ponite, & habete audacter „ inter prima Romana scripta.*

IDEM *postea, de omnibus decem tragœdiis*;

„ *Duas duorum eximias censeo: quibus laudator ego, non censor. In aliis vir- „ tutes video, sed non sine mixturâ vitiorum. Magnus Scaliger quòd tam lau- „ datum de his testimonium tulerit, vt etiam Græcis antepofuerit, an ex vero? „ non dixeris, nisi ad primas illas adspectu. Nam ceteræ profectò non ascendunt „ culmen istud laudis. Sonus in iis & granditas quædam tragica, fateor: sed „ nónne adfectatio sæpe & tumor? Verba & dictio, an vsquequaque electa? „ Iam sententiæ probæ, acutæ, interdum ad miraculum: sed nónne sæpe & sen- „ tentiolæ? id est fracta, minuta quædam dicta, obscura aut vana: quæ aspectu „ blandiantur, excussa moueant risum. Nec enim lumina, sed scintillæ sunt: nec „ veri fortesq; ictus, sed vt in somnio parui & vani conatus. Quas tamen ipsas „ crebrò nimis & ad fastidium inculcat, nec inuenit, sed arripit: non tam suâ „ fortaßis quàm æui culpâ, cui Scholasticum & Declamatorium hoc genus ita „ placuit,* vt operum omnium (*Fabij verba sunt*) solam virtutem senten- „ tias putarent.

ΠΡΟΛΕ-

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΩΝ LIBER TERTIVS.

DE VERSIBVS TRAGICIS, MAXIME SENECÆ.

De modis tragicorum versuum.

Cap. I.



OMNIA *poëmata esse* systematica, stichica, mixta, *vel* communia, *scribit Hephæstion. Tragica, si diligenter attendas, mixta, partim* κατὰ στίχον, *partim* κατὰ σύστημα, *deprehendes. non sunt omnino* κατὰ στίχον *(sicuti Virgilij Æneis) quia non vno carminis genere constant: nec sunt prorsus* κατὰ σύστημα, *cum multa in iis stichica inueniantur, vt ferè omnes scenæ, & integri sæpe chori: nec deniq; sunt verè cõmunia, quòd vix in illis, nisi initio fortè chori vel scenæ alicuius, simul* τὸ στιχικὸν καὶ συστηματικὸν *reperias.*

Systematum *tragicorum tria sunt genera, vel enim sunt carmina* similiter dissimilia *(quæ diuiduntur in* pericommata, *quæ post pericopam, siue variorum systematum congeriem, aliam planè similem subiungunt, ita vt licet in vtraque congerie sint systemata sibi dissimilia, ipsæ tamen pericopæ similes partes habeant; & in* epodica, *quæ similibus systematibus dissimile adiunctum habent; & in* antistrophica, *quorum strophæ strophis respondent): vel sunt* omnino dissimilia, *quæ partiri solemus, in* monostrophica, *quæ vnicam stropham habent; &* anamiostropha, *quæ nonnullis strophis interiectis interrumpuntur: vel denique systematum carmina sunt* similia, *vt sæpe Senecæ iambica, anapæstica, trochaica, &c. (Horum modorum exempla commodiùs à Sophocle, Euripide, & Æschylo petuntur, quàm à Seneca; qui similiter dissimilium minimam rationem habuit, dissimilibus verò, prorsus pro arbitrio, in choris vtitur). Dissimilia etiam quædam sunt* distropha, *quando post duos versus ad primum reditur; quædam* tristropha, *quando post tres; quando post quatuor,* tetrastropha, *atque ita deinceps.* Vide Gulhelm. Canter. προλεγόμ. in Eurip.

Senecæ versus, aut sunt monocoli, *quando vno tantùm carminis genere scena vel chorus constat; aut* dicoli, *quando duobus; aut tricoli, quando tribus, &c. Rursus sunt vel* monometri, *qui duobus pedibus gradiuntur, vt,*

Falsúmque decus;

vel dimetri, *qui quaternis, vt,*

Lugeat æther, magnúsque parens;

vel trimetri, *qui senis, vt,*

Soror Tonantis. hoc enim solum mihi;

vel tetrametri, qui pauci in Senecæ libris, & imperfecti, vt,

Palladi fauces Auerni, vósque ferales specus,

apud veteres plures & meliores , qualis ille;

Pelle tonsis terga ponti , vela tende. iam pergamus.

vera hæc, quando dipodiâ *scandimus; quod in iambicis, trochaicis, & anapæsticis solùm concedit Seruius; aliàs vetat. Quare si vtamur* monopodiâ, *quæ non sumit duos simul pedes, sed carpit singulos,* dimeter *vocabitur qui duos habet pedes, vt* Adonius; trimeter *qui tres , vt* Glyconius; tetrameter, *vt* dactylicus, *qui quattuor* ; pentameter, *qui, vt* Phaleucius *&* Sapphicus, *quinque* ; senarius, *qui sex, quales* iambici *comici* ; octonarius *qui octo, vt* tetrametri, *quos diximus. atque ita pro scansionis seu percussionis varietate modus carminis, seu potiùs modi nomen mutatur. Apud antiquos tragicos aliquando* septenarij *occurrunt.*

Vide Varrin. lib. 1. Grammat.

De carminum Tragicorum dispositionibus.
Cap. II.



ΠΟΘΕΣΕΙΣ *versuum, cum Atilio Donatiano, dispositiones seu affectiones voco. eæ sunt quattuor. Nam carmina vel sunt* acatalectica, *vel* catalectica, *vel* hypercatalectica, *vel* brachycatalectica. Acatalectica, *dicuntur, perfecta, quæ legitimo fine clauduntur, quibus nihil deest, neque superest.* catalecticis, *vna deest syllaba:* hypercatalectici, *seu* hypermetri, *vnâ exuberant.* brachycatalecticos *gemina syllaba, seu pes integer deficit. auctores Diomedes, Seruius, & qui fusiùs hephæstion. singulorum exempla postea dabo ex Senecâ.*

De Dithyrambico versu. Cap. III.



ÆC *in genere : de singulis nunc formis versuum. primò se vt audacior, dithyrambus ingerit. de illo igitur primo loco nonnulla: tum quòd rarus, & in Latinæ Orchestræ finibus, vno tantùm loco apud nostrum : tum quod ex variis potiùs generibus versuum cinni in morem concinnatus, quàm ad certam carminis speciem referendus. Non enim aliud est, quàm Liberi encomium, constans vario carminis genere, verbis nouatis & magnificè ornatâ dictione, crebræ in eo metaphoræ, crebræ verborum geminationes (teste Demetrio Phalereo) nullâ numerorum, nullâ carminum recurrentium certa lex (vt docent Horat. in Odis, & Aristot. in Problem. & lib. 3. Rhet.), nullæ strophæ vel antistrophæ , sed vnâ velut comprehensione, textura continua. Et quia Bacchus argumentum erat , veteres glossulæ* Dionysiaca, *exponunt* διθυραμβικὰ δράματα. *nam* Hymnus, *Stesichori Himeræi inuentum, Diis omnibus conuenit:* Dithyrambus, *Liberi peculiaris est, vt* Pæan *&* Philælias *Apollinis*, Lithyersis *Rheæ* , Iulus *seu* Vlus *Cereris*, Vpingus *Dianæ apud Træzenios, apud reliquos Mineruæ,* Hypæpus *etiam Dianæ, vt docent Scholiast. Apollonij in lib. 1. vers. 972. Athenæus lib. 14. conuiu. cap. 6. & Theodoret. lib. 4. curat. Græcan. affect. Vnde verò Dithyrambus dictus, non ausim affirmare, eo quòd nec veteres, Diomedes, Phauorinus, Phornutus, Suidas, Izacius, & Thomas Magister ; nec recentiores,*

Calius

Cælius Rhodigin. Lilius, Rapicius, Mynturnus, & Scaliger, conueniant, & omnes illorum Etymologiæ satis verosimiles videantur.

Primum auctorem dithyrambi, sunt qui Corinthium putant, vt indicat Pindarus Olymp. 13. alij Arionem Metymnæum, vt Herodot. lib. 1. alij Lassum Hermionæum, vt Clemens Alex. lib. 1. Stromat. alij denique Pericletum Lesbium, vt Isaacius. vt vt est, hoc carmen vsos inuenio, præter iam nominatos, Arionem, Lassum, Pericletum; apud Horatium, Pindarum; apud Xenophontem, Melanippidem; apud Clementem, Thespin; apud Aristophanem, Cecidem; apud Plutarchum & Isaacium, Philoxenum cum Telesta: apud Athenæum occurrit Pratinas Phliasius, & Cleomenes Rheginus: denique Sex. Empyricus nominat, Polyidum & Diagoram Melium. nec plures repperi: nisi si annumeras Tragicos omnes, qui Æschylum præcesserunt: cùm ad Æschyli vsque tempora, tragœdia, nudus quidam Dithyrambus variarum rerum narrationibus productus & extensus fuerit. eò tamen differebant, quòd Tragicorum chori quadrati, Dithyrambicorum cyclici erant. Solius hodie (quod memini) Pratinæ exstat non totus apud Athenæum, relatus à Scaligero lib. 1. poët. cap. 47. quem quicunque legerit, statim intelliget non esse nudum hyporchema (quod nollem homini sagaci excidisse) sed dithyrambũ saltationi aptatum. est enim illi & metrorum desultoria varietas, & verborum compositio ampullosa, & Baccho dicitur. Hegesandri verò exastichon, quodidẽ Athenæus refert lib. 4. cap. 19. hoc in album referri non debet, etsi verbis audacter nouatis constet. nam nec in Bacchum est, nec numeri satis varij, & leniter nimis fluit. Crediderim magis initium seu particulam aliam esse dithyrambi, fragmentum illud Thespidis, quod Clemens Alexandr. lib. 1. Strom. adducit; quod, Græci codicis defectu, non exhibeo.

Pindarus Dithyrambum βουλάτην *vocat, quoniam antiquitus victori bos præmium; vel potiùs, à clamore & boatu recitantium. nam vox carmini aptabatur, quod tumidum erat, & Bacchantium furorem exprimens, repentinâ quadam mentis alienatione fundi, non studio aut curâ vllâ recitari videbatur: quare lymphaticorum & thyadum personis aptissimum censebant: idq; propter verba insolentiùs composita (vnde Eustathius temeritatẽ, Demetrius licentiam Dithyrambicis tribuit), & versuum connexiones multiplices seu* πολυπλοκάς. *quare temerarium, turgens, & sesquipedalibus verbis productum orationis genus* διθυραμβῶδες *nominant, & qui talem præ se fert audaciam, dicitur* διθυραμβώδης. *sic Platoni in Cratylo* διθυραμβῶδες ὄνομα, *verbi gratia (Eustathij exemplum est) vt si quis lapides, ossa telluris nuncuparet. Idem Plato, quæ in Phædro sublimiùs disserit, à dithyrambis, ait, haud procul abesse: & Suidas scribit, ab hac vesaniâ natum adagionem,* διθυράμβων νοῦν ἔχεις ἐλάττονα, *minus mentis habere dithyrambographis. Metri genus (vt dixi) liberum planè. non tantùm enim ab vno modulorũ genere ad aliud pro libito desilire licuit; sed eorum quoque, quibus vtebantur, carminum leges transilire. ita Horatianum illud accipio, inuitis multis;* Vide Ciceron. 3. de Orat. & Athenæum, qui multa lib. 14. Robortell. in lib. Aristot. de Poëtic. pag. 6.

Seu per audaces noua dithyrambos
Verba deuoluit, numerisque fertur
Lege solutis.

Quod claro Senecæ exemplo conuincitur: qui in illo suo dithyrambo versuum numeros & legem paßim abutitur, & impuros puris mirè permiscet. Nam Iouitæ Rapicio assentior; qui lib. 3. de numero oratorio, chorum secundum Oedipi, dithyrambum esse contendit. est ille in Bacchi laudem, turget verbis tralatis, vario metri genere contexitur, nullum stropharum vel antistropharum certum recursum, nullum stabilem epodων morem retinet; sed euantis more huc illuc rapitur, & maris instar concitati æstuat. Vnde fit, vt vix certa versuum scansio queat adhiberi. conabor tamen, in studiosæ iuuentutis gratiam, eumq; hoc capite laborem exanclabo.

Primi duo versus Hexametri sunt; Tertius trochaicus senarius; Quartus (vt vulgò legitur) nec trochaicus; nam terminatur iambo; nec iambus, quia trochæos habet; nec alius generis vulgati. ideo mihi non potest non esse suspectus de mendo. sic enim exstat;

Quæ tibi nobiles Thebæ, Bacche, tuæ.

credidi aliquando exiguâ transpositione, Asclepiadeum faciendum, & cum sequentibus Glyconiis sic miscendum;

Thebæ, Bacche, tuæ, quæ tibi nobiles
  Palmis supplicibus ferunt:
Huc aduerte fauens virgineum caput.
Vultu sidereo discute nubila,
  Et tristes Erebi minas.

vel, retentâ lectione vulgatâ, sic mixtis & diuisis versibus:

Quæ tibi nobiles
Thebæ, Bacchæ, tuæ
Palmis supp. ferunt, &c.

Sequitur iambicus trimeter, & pòst monometer dactylicus

Cingi floribus:

mox sapphicus impurus;

Te caput Tyriâ cohibere mitrâ.

qui sequitur anapæsticus; cui proximus, initium est iambici. sequuntur inde duodecim sapphici: tum tres hexametri: mox duodecim anapæstici dimetri, vno monometro terminati. Rursus quattuor hexametri, & hos inter & sex alios interiecti septēdecim dactylici dimetri. Subsequitur ille, qui mihi magna crux;

Sensere terræ Zedacum feroces:

de cuius scansione, donec certa lectio stabiliatur, non liquebit. huic proximus dactylicus trimeter. at subsequentes, meo iudicio, sic diuidendi;

Arua mutantes:
Quásque Mæotis
Gentes alluit
Frigida fluctu:
Quas despectat
Vertice summo.

Monometri enim trochaici dactylicis misti, imperfecti perfectis. Qui succedit, Sidus Arcadium, geminúmque plaustrum;

impuri

impuri sapphici speciem præfert: cùm in secundâ sede dactylum habeat. tres sequentes meri sapphici; quos subsequitur vnus Phaleucius; & deinde iterum sapphicus: cui qui subnectitur,

Mites factæ. sacer & Cythæron
Sanguine inundat,
Ophioniáque cæde.

sic ab N. fuit commutatus: cùm in aliis codicibus legeretur;

Mites sunt factæ.
Sacer Cythæron sanguine inundauit
Ophioniáque cæde.

Ego putarim scribendum,

Mites factæ. *nam* (sunt) *meo iudicio melius in q. v. l. abest.*
Sacer cythæron,
Sanguine inundauit
Ophioniáque cæde.

vt sint monometri tres; vnus perfectus, redundantes duo; quartus verò dimeter iambicus catalecticus. his adiunguntur tres sapphici. paullo pòst iterum seiungerem, & ex vno impuro trimetro geminâ syllabâ mutilo, statuerem duos monometros; Meliore pensans
Damna marito.

Subditur adonius, & glyconius, & sapphici duo, mox singuli anapæstici, dactylici, & sapphici: mox iambicus dimeter catalecticus;

Sollemne Phœbus carmen.

excipit sapphicus,

Edit, infusis humero capillis.

proximus sapphicus; huic, asclepiadeus cum alio sapphico. Claudunt chorum sex hexametri, sed Bucolici iuxta nonnullos: non tamen penitus ad leges Bucolicorum: de qua re deinceps.

De Hexametro. CAP. IIII.



TERENTIANVS *& Diomedes tradunt, tam iambicum, quàm hexametrum vocari carmen Heroicum. quare cùm Heroum fortuna tragœdiis narretur, placuit quibusdam æqualiter huic fabulæ vtrumque carmen conuenire. Sed mihi vitiosè id colligere videntur. eadem namque ratione Epicis iambum tribuerim: quod non permittunt. Fateor hexametrum posse quidem, sed illud ipsum *Bucolicum, & rarum inseri, potißimùm si oraculi verba referantur, vt apud Senecam Oedip. Act. 2.*

Mitia Cadmæis remeabunt sidera Thebis, *&c.*

vel in choris, aut dithyrambis, vt Oedip. chor. 2.

Mollia Nissæis armati brachia thyrsis, *&c.*

aut Epithalamiis seu Fescenninis, vt Medeæ act. 1.

Candida thyrsigeri proles generosa Lyæ.

his enim tribus dumtaxat locis eos Seneca inseruit (eosq; ipsos ferme Bucolicos, non planè) adeò parcè, vt totis nouem tragœdiis oraculo sex tantùm, Fescenninis totidem, dithyrambo non continuos, sed hîc illic dispersos, vnum

*Bucolicus versus, teste Seruio, est hexameter, cuius quartus pes orationem terminat: (alij plura requirunt) exemplum; *Rustica siluestri resonat bene fistula Musa.* In Latinis hanc legē vix seruari video: accuratè Theocritus inter Græcos, vt me Lips. monuit.

ſupra viginti conceſſerit; nuſquam verò perſonis loquentibus. In ſolo Euripide, cum admiratione, perpaucos Elegiacos extra chorum ab Andromachâ prolatos, inueni. Carent ergo exemplo, qui tam multos hexametros inſerunt. nec placet ratio, id fieri, quod iambici minùs ab auditoribus percipiuntur, & nimis ſimiles ſint proſæ, nec facilè diſcernantur. id enim ipſorum fortè culpâ fit, qui ad comœdiæ numeros deflexerunt, nec ſeueram Senecæ in iambis & ſpondeis permiſcendis rationem ac normam ſatis accuratè tenuerunt. fit & pronunciantium actorum vitio, qui tonum, ac percuſſionem vocis non ſatis idoneam adhibent. Nec verò tantum imperitis auditoribus tribuendum; vt, dum ipſis placere nitimur, leges omnes tragœdiæ tranſiliamus, & exemplum antiquorum atque auctoritatem planè contemnamus. Noſter hexametri legem exactè ſeruat: niſi quod ad Bucolici carminis conditionem, frequentior eſt in dactylis conquirendis, cæſuris verò vitandis, & vt in vltimâ ſede diſſyllabum vocabulum ſit, ſtudioſè dat operam: ſaltationis credo choricæ causâ, & ad bacchantium lymphationem aptiùs exprimendam. Vnicus eſt apud eum ſpondaicus; Feſta dicax fundat conuicia Feſcenninus.

De hexametro fuſiſſimè Lilius hiſt. poët. Dialog. 1. Erythræus in Indice Virgiliano, Giſanius in Collectaneis Lucretian.

De Iambico carmine. Cap. V.



ACCOMMODATISSIMVS *tragœdiæ iambus, cunctorum rectè ſentientium iudicio, nec magis extra chorum, quàm hexameter epicis deſerendus. eum verſum antiquiſſimum facit Ariſtoteles, & λεκτικὸν καὶ πρακτικὸν vocat, ſermonibus & rebus agendis aptum. Vnde dictus, varia Nicandri & Pindari Scholiaſt. Suidas, Hephæſtion & Heſychius, neque id mihi nunc magnopere curæ: cui ſufficit Ariſtotelis auctoritas, à conuiciando nominatū, quòd eo primùm conuiciari ſint ſoliti* ὅτι ἐν τῷ μέτρῳ τούτῳ ἰάμβιζον ἀλλήλους. *vt nec illud, quis eo primus fuerit vſus; ſiue Ananias, ſiue Arius, ſiue Simonides, ſiue Simmias, ſiue, quæ communis ſententia, Archilochus: hanc tenet Horatius, vehementer aſtruens opinionem meam:*

Archilochum proprio rabies armauit iambo,
Hunc ſocci cepêre pedem, grandéſque cothurni
Alternis aptum ſermonibus, & populares
Vincentem ſtrepitus, & natum rebus agendis.

Sunt qui putant Horatium primum Latio iambos dediſſe: ſed falluntur. dedit Horatius, non iambos ſimpliciter (diu enim ante illum iambicis vſa vetus comœdia & tragœdia) ſed iambos puros Archilochios. teſtis ipſemet;

——Parios ego primus iambos
Oſtendi Latio, numeros animóſque ſecutus
Archilochi. —— *De iambo idem ad Piſones;*

Syllaba longa breui ſubiecta vocatur iambus,
Pes citus: vnde etiam trimetris accreſcere iuſſit
Nomen iambæis, cùm ſenos redderet ictus

Primus

Primus ad extremum similis sibi: non ita pridem,
Tardior vt paullo grauiórque veniret ad aures,
Spondeos stabiles in iura paterna recepit
Commodus & patiens. non vt de sede secundâ
Cederet, aut quartâ socialiter. hic & in AttI
Nobilibus trimetris apparet rarus, & EnnI.

pedis istius vim eleganter ad Paullinum expreßit Ausonius;

Iambe Parthis, & Cidonum spiculis,
Iambe pennis alitum velocior,
Padi ruentis impetu torrentior,
Magni sonorâ grandinis vi densior,
Flammis corusci fulminis vibratior.

Vt minùs tamen humilem pedem, Aristoteles & Demetrius oratori fugiendum monent. frustra. Vix enim effugiunt Oratores vel inuiti, quin in senarios & Hipponactæos sæpe incidant, vt Cicero & Theon in Progym. fatetur.

Iambici duo sunt genera; alterum perfectum, cuius penultima breuis; alterum claudum & imperfectum, cuius vltimam sedem spondeus inuasit, Scazonta seu χωλίαμβον nominant. vtrumque breuiter significauit Ouidius:

Liber in aduersos hostes stringatur iambus,
Seu celer, extremum seu trahit ille pedem:

celer enim τελεῖος, pedem trahit extremum claudicans. Leges eius satis notæ. Diomedes in sinistris (hoc est paribus) semper iambum aut tribrachim, aut pyrrhichium; in dextris (hoc est imparibus) præter hos, etiam spondeum, dactylum, anapestum, & proceleusmaticum tradit recipere. addit, si huic metro trinario quartam dipodiam adiunxeris, fieri versum quadratum seu octonarium, cuius eædem quæ trimetri leges sint: in se autem catalectum habere. Octonariis quidem priscos tragicos vsos, & interdum, sed rariùs, septenariis, ex fragmẽtis eorum patebit, idq; de Græcis Aristoteles testatur. Pyrrhichium in locis paribus non admittit Seruius; &, à comicis, ibidem anapæstum locari tradit. Ex Diomede apparet omnibus locis, præterquam sexto, tribrachum posse statui, quod Mallius Theodorus confirmat à Bedâ citatus, item Seruius. De dactylo locis imparibus, quòd pes ille trochæo similior, dissentit Scalig. lib. 2. cap. 34. verùm Diomedis, Seruij, Mallij, ceterorum potior auctoritas. à quibus stat clarus satis, cætera inuolutus & obscurus Censorinus, his verbis; Trimetros tragicus recipit in prima parte scansionis spondeum, & alio loco dactylum & anapæstum, & pro iambo chorium & tribrachym. *& Terentianus:*

Culpatur autem versus in tragœdiis,
Et rarus intrat ex iambis omnibus;
Vt ille contrà, qui secundo & talibus (*hoc est* paribus)
Spondeon, aut quem comparem receperit.

si culpatur qui in paribus spondeum aut compares recipit; inculpatus, qui in imparibus illos locat. Priscianus lib. 6. de metris comicis sic scribit, ex Iubâ Grammatico, non Rege illo doctißimo; Erit probabilis iambicus versus, &

tragœ-

tragœdiis aptus, ſi ſecundum & quartum pedem nō alios feceris quàm iambos, aut eum qui appellatur tribrachus, aut anapæſtus: quoniam ſunt pares: cacometros autem, ſi aliter. *Deinde reddit rationem. mihi Priſciani locus corruptus videtur. nam anapæſtus non eſt compar iambi: & ceteri omnes anapæſtum ab illâ ſede arcent: idq́; præter iam citatos, etiam Rufinus ex Baſſo in lib. de metris comicis docet. Cenſorini verò locus non rectè habet. nam ſi* chorium *pro trochæo poſuit, falſum dicitur: ſi pro tribrachi (quem ſic appellat Diomed. lib. 3.) altera vox ſuperflua. libens reſcripſerim;* corium, *ſine aſpirationis notâ: quoniam ita vocari pyrrhichium docet Diomed. vt videatur mihi* choræus, *idem cum trochæo;* corius *idem cum pyrrhichio, quamuis ea vulgus confundat. & in vltima ſede pyrrhichius vim obtinet iambi; in aliis ſedibus non æquè. Optimum eſſe conſtat in quo ſoli ſuis locis iambi & ſpondei, vt ille Gracchi:*

Merſit ſequentis humidam plantis humum.

quemq́; Seruius Archilochium vocat;

Matrem fatigat prodigus vitæ furor.

Exactè, quomodo vtatur Seneca, docuit olim Hieron. Auantius. eius ergo, non meis verbis, accipite. Verſus ſenarij vel trimetri ſunt iambici Archilochij omnes, & acatalectici apud Annæum Senecam tragicum, & hanc ſolidam legem ſeruant: vt quamuis ſedes ſecunda, quarta, & nouiſſima ſeruiant vni iambo; ſecunda tamen & quarta non repellant tribrachum iambo comparem. Primus autem pes, vltra iambum, recipit ſpōdeum, & ſpondei diſſolutiones, id eſt dactylum, anapæſtum, & aliquando proceleuſmaticum: tribrachum verò, qui par eſt iambo, in hac primâ ſede admittunt verſus vnus ſupra viginti. tertia ſedes admittit iambum, ſpondeum, dactylum, tribrachum; nunquam in hoc tertio loco inuenies anapæſtum, præter hunc verſum;

Inter ſenem iuuenemq́;, ſed propior ſeni;

niſi dictio inſit quattuor ſyllabarum, quod accidit verſibus viginti. quinctus locus vt ſæpiſſime, imò ſemper, habet aut ſpondeum aut anapæſtum, ita nunquam vtitur tribracho; iambum verò & dactylum non aſſumit, niſi in nouem verſibus, quorum vltimę dictiones ſunt quatuor ſyllabarum, ſcilicet; *nepotibus, cacumine, Prometheus, Caphardes, Polyxena,* & ter, *memoria.* Senecæ igitur trimetri, non cacometri, ſed omnes probabiles appellātur à Victorino & Terentiano, præſertim cùm in nullâ ſede inueniatur trochæus, aut pyrrhichius, & cùm vbique deuitet ſcazonta, cumque nullus verſus conſtet ex iambis omnibus, vt tragicorum lex præſcribit. *Hæc Auantius: ſecundùm quæ ſchema trimetrorum Senecæ hoc fuerit;*

Quæ

‒ ‒	∪ ‒	‒ ‒	∪ ‒	‒ ‒	∪ ‒
∪ ‒	∪∪∪	∪ ‒	∪∪∪	∪ ‒	
∪∪ ‒		‒ ∪∪		∪∪ ‒	
∪∪∪		∪∪ ‒		‒ ∪∪	
‒ ∪∪		∪∪ ‒			
∪∪∪∪					

Quæ extra choros vera ſunt. niſi quis membranas ſequatur, in quibus aliquando in ſecundâ ſede ponitur ſpondeus, ſæpe in Octauiâ, *&* in Herc. Oetæo *ter.verſ.750. & verſ.779.in m.ſ.libris; verſu verò* 1308. *in excuſis. In choris hoc iugum Seneca excuſſit. nam & ſcazontes vſurpauit, & impuros, & mutilos, & redundantes.* Tetrametri, *quibus vno loco vtitur, legem ſeruant trimetrorum, niſi quòd octaua ſedes in ſextæ legem ſuccedit, & eius conditionem ſubit. idem de* dimetris *iudicium. ſed hi ſæpius apud noſtrum exleges. Acatalecticus eſt iſte;*

Procella fortunæ mouet. *Agam.chor.3.*

Hypercatalectici;

Pax alta nullos ciuium cœtus. *Ibid.*
Monitúque Phœbi iuſſus erranti. *Oedip.chor.3.*

Quidam ſunt quos ad trimetros catalecticos queas reducere, quibus vna deeſt ſyllaba, & vt plurimum impuri ſunt:

Tuus ille biſſeno meruit labore. *Agam.chor.4.*
Non vrbe cum totâ populos cadentes. *Oedip.chor.1.*

duos etiam inuenias dicto choro 4. Agam.
vel ad brachycatalecticos;

Quæ ſtella mutat, ſeque mirata eſt. *Agam. act.4.*

ſic enim reſtituo. & illi;

Sonuit reflexo claſſicum cornu. *Oedip.chor.3.*
Aut fœta tellus impio partu.
Latrauit ore lucis ignotæ. *Agam.chor.4.*

Si quis tamen eos, quia ſpondeo terminantur, ſcazontes brachycatalectos, ſeu quinarios, malit vocare, cum eo non velitabor. hoc obſeruari malim, ſæpe in his catalecticis & brachycatalect. in quarta ſede anapæſtum à Seneca ſtatui, credo quia tunc illa ſedes penultima: vt in his;

Carúſque Pelidæ nimium feroci.
Aut cùm ipſe Pelides animos atroces.

Dimetri igitur catalectici hanc legem retinent apud nostrum: rarò in primâ iambum, sæpius ponit anapæstum; in secundâ nunquam, quod meminerim,

◡ –	◡ –	◡ –	◡
– –		– –	–
◡◡ –		◡◡◡	
◡◡◡			

tribrachum; in tertiâ, semel spondeum; Sollemne Phœbus carmen. *Oedip. chor. 2. Dictum, in his dimetris acatalecticis quartum pedem in sextum succedere: tertio loco aliquando Seneca anapæstum collocat, vt,*

Qui virus Herculeum bibit;

nunquam dactylum, quod recorder: primo quoque loco, vix dactylum vel anapæstum recipit: rarus etiam in his illi tribrachus, etsi Grammatici in omnem sedem aditum patefaciant, vt in illo veteris poëtæ;

Agite, fugite, quatite, Satyri.

Quædam de iambicis Scalig. lib. 2. poët. cap. 9.

De Scazonte seu Choliambo. Cap. VI.



SCAZON *iuxta Suidam Hippys Rhegini inuentum, iuxta alios Ananiæ, secundùm plerosque Hipponactis, vnde & Hipponacticum vocari scribit Diomedes; addens à trimetro tantum differre, quòd vltimam sedem spondeo vel choræo largiatur. idem Seruius, & Censorinus. Terentianus Maurus etiam præcipit ne quinto loco præter iambum pes vllus ponatur. nam si spondeum loces, moroso tractu versus languescet;*
Vide Scalig. lib. 2. ca. 34. *si dactylum, nimis propè ad heroicum versum accedes; si quem alium pedem, minùs volubile & incitatum carmen est futurum. sed iugo se huic subdere noluêre ex Græcis Theocritus, ex Latinis Boëtius, & noster, cuius Scazontes sæpe cacometri;*

Vidimus simulata dona molis immensæ. *Agamem. act. 3. & 4.*
Fatale munus Danaum traximus nostrâ.
Vidimus patriam ruentem nocte funestâ.
Cùm Dardana tecta Dorici raperent ignes.

hos non est quòd quis imitetur: longè meliores Catulli & Martialis; qui legem seruant.

De Trochaicis. Cap. VII.



IN *locis paribus spondeum, trochæum, anapæstum, dactylum, tribrachum admittunt, iuxta Seruium & Diomedem; in imparibus tantùm trochæum & eius dissolutiones, secundùm plerosque; & secundùm Seruium, aliquando dactylum. nunc quidam recentiores intacta imparia loca trochæo seruari volunt, & ne tribrachum quidem recipiunt, inter quos Scaliger cap. 35. Quod ad spondeum, viro cuidam docto*

non

non nisi in colo recipiendus videtur. Diomedes & Censorinus hos versus vltra septem & semipedem negant producendos, vt in illo;

Tela famuli, tela properè*, sequitur me Thoas.

Ponit enim hoc exemplum Censorinus, si modò illius illa de metris, quod non facilè crediderim: tamen ille versus vel sex tantùm & semipede graditur, vel claudicat, vel non aptum exemplum. vt vt est, illa traditio soli Archilocho propria. nam Hipponactius tetrameter acatalecticus ad octo peruenit, & octonarius vocatur; Anacreonticus, ad octo & semipedem; Callimachus etiam hypercatalectico tetrametro vtebatur. Exempla Hipponactij & Anacreontici apud Seruium;

Pelle tonsis terga ponti, velà tende, iam pergamus.
Parce iam camœna vati, parce iam meæ vesaniæ.

idem vndecim trochaicorum genera ponit. apud Senecam inuenias tetrametros catalecticos, trimetros & dimetros, puros, impuros, mutilos, integros. Catalectici sunt tetrametri Med. act. 4. & Hippol. act. 5. vbi locis imparibus præter trochæum alij quoque pedes; in primâ sede ter dactylum, semel tribrachum; in tertia ter tribrachum; semel anapæstum; in quintâ bis anapæstum, semel dactylum, sæpius tribrachum: in locis verò paribus dactylum, anapæstum, spondeum, choræum inuenias. Schema huiusmodi;

-u	--	-u	--	-u	--	-u	-
-uu	-uu	uu-	uu-	-uu	-uu		u
uuu	uu-	uuu	uu	uuu			
	-u		-u	uu-	-u		

valde impuri hi;

Suppliciis animæ remissis currite ad thalamos meos. *Med.*
Vltimo quodcunque Proteus æquoris abscondit sinu. *Hip.*

in quo qui pro abscondit *legunt* condit, *ne sic quidem sanant.*

Trimeter purus;

Pectore è medio rapi spolium & sagittas. *Agam. act. 4.*

impuri partim, mutili partim;

Argos iratæ carum nouercæ.
Allegi cælo magnus Alcides.
Sensit ortus, sensit occasus. *Agam. act. 3.*
Nullus hunc terror, nec impotens.
Deseruit fugas noménque genti. *Oedip. chor. 3.*
Si qua feruenti subiecta cancro est *Hipp. chor. 1.*
Protulit tellus, aut anguis imis. *Oedip. chor. 3.*
Vicit acceptis cùm fulsit armis. *Agam. chor. 3.*
Conditos reges bellúmque gestans.
Nube percussâ Stymphalis alto. *chor. 4.*
Hesperum dici, aurora mouit. *vbi & hiatus.*

* Fulcit versum Lipsius, & corrigit, properè, tela, sequitur me Thoas.

De monometris seu inchoatis trochaicis, suo loco. Porrò quoad catalecticos tetrametros attinet, notandum, posse, si Bedæ assentiamur, singulos in duos trochaicos distribui, vt scandendo prior sit dimeter acatalectus, posterior dimeter catalectus. verbi gratia;

Vos precor vulgus silentum
Vósque ferales Deos,
Et chaos cæcum, atque opacam
Ditis vmbrosi domum.

Sed quia hic versus verè ex duobus colis conflandus videtur, & in omnibus exemplaribus sic scribitur, religio fuit quicquam mutare. idem in Prudentio Aldus & Nebrissensis obseruarunt, Stechardus Bedæ sententiam amplecti maluit.

De Anapæsticis. CAP. VIII.



NAPÆSTICVM *à dominante pede nomen sortitum. Spondeum quidem & alios pedes recipit, & nullo inserto anapæsto nomen retinet; sed frequētior ille, aptior, & gratior hospes. Varias species refert Iul. Scaligera decus familiæ lib. 2. cap. 12. vt pateat dormitasse Censorinum, quando Aristolochium, atque adeò omne anapæsticum, Aristophanium appellauit; nec verius est, quod addit, quamuis sedem, quibuslibet quaternorum temporum pedibus calcari posse. Diomedes rectiùs vel solis anapæstis permittit; vel in dextris, etiam spondeo, dactylo, tribracho; in sinistris, spondeo & tribracho, & omnibus quaternorum temporū, excepto dactylo (quod noster Eman. Aluaresius secutus); in vltimâ tamen, trissyllabo nonnisi quando in penultimâ fuit spondeus. Recipit ergo & proceleusmaticum, vt Scalig. obseruauit lib. 2. cap. 36., & in sinistris fortassis quoque dactylum, reclamante licet Diomede. Scaliger credit contra legem dactylum vllâ in sede receptum: debuisse enim omnino ab anapæstico excludi, quia situ contrarius: sicut à dactylico, poëtico interdicto, exsulat anapæstus, à trochaico iambus, ab iambico trochæus. Verumtamen obtinuit, vt quouis loco, præter vltimum, recipiatur. In secundo, non rarenter inuenias, & sunt qui tuentur; nonnulli & vltimo, vt Belga Despauterius. Non accedo suffragator. nam Diomedes apertè interdicit: neque, si id facias, dactylicum ab anapæstico queas discernere: nec auctoritas veterum persuadet. Seneca videtur vno loco Med. vers. 311.*

Non erat vsus nondum Pleiadas.

sed cur non hunc dactylicū credamus? nam vers. 295. Octau. mēdosè excusus;

Sunt bene manes, virgo dexterâ,

pro, dextrâ. *vnico loco fauet Boëtius lib. 1. de consolat. etiam in membran. Siluæ maioris Aquitanici D. Benedicti monasterij;*

Homines quatimur fortunæ salo.

In primâ & tertiâ sede tribrachū stabilire nititur Diomedes: meritò ceteri repudiant. nec videtur admittēdus trochæus. nam illud Seuerini Boëtij, quod adducitur; Totis fratris obuia flammis.
iudicio criticorum coniunctione additâ fulciendum;

Totis

Totis, fratris & obuia flammis;

& fortè potiùs dactylicus cenſendus.

Sequentia certiora. lectiſsimus, qui cæſuris caret, cuius ſingula verba monopodiam conſtituant: duriſsimus, ſi omnes pedes ſpondei: mitior quando ſpondeum dactylus præcedit: nam ſi ſubſequatur, reſilit quodammodo & alliditur. anapæstus contrà, ſuauiùs ſubſequitur ſpondeum, vt illo liquidiſsimo;

Pigram referens hiemem gelidus.

cauendum ne multi, continui maximè, careant anapæstis. Seruius permittit hoc carmen metiri dipodiâ, dactylicum non permittit, rectiùs alij, nec anapæsticum: ideo tetrametros vocabo, quos Seruius dimetros ratione dipodiæ. Scatent his verſibus hæ nouem Senecæ, & decima illa Octauia. ſic vtuntur;

- -	uu -	- uu	- -
- uu	- -	uu -	uu -
uu -	uuu	- -	- uu
	- uu		

Diligenter notandum primâ in ſede nunquam tribrachum poſuiſſe: dactylum in ſecundâ ſemel in Agamemn. & ſemel in Octau.

Qui vultus Acherontis atri.

Aut quid pectore portat anhelo.

Quarto loco ſemel dactylum, vt dixi; ſed ſuſpicor pro Pleiadas *ſcribendum* pluuias: *non tamen affirmo. Iambum non puto in hoc carmen recepiſſe, & ſicubi occurrit, mendoſum. nam illa*

Hederáve mollem Bacchiferâ. *Oedip. chor. 2.*

beneficio cæſuræ defenduntur. mendoſus autem & fortè ſpurius iſte;

Spernit ſuperbos humileſque ſimul. *Octau. act. 1.*

vt &, Audétque vitæ ponere finem. *Agam. chor. 3.*

caſtigandum; Vitæque audet ponere finem. *paullo pòſt quæ vulgò ſic edita;*

Tacitúmque murmur percuſſit aures
Et fremuit malè ſubdolo.

ego lubens ſic diuiderem;

Tacitúmque murmur
Percuſſit aures,
Et fremuit malè ſubdolo

omnino enim chorus ille ex monometris paſsim in impuros verſus malè coaluit. Cacophonos monoſyllaborum & vocalis iteratæ concurſu;

Sed quicquid id eſt, vtinam nox ſit. *Thy. act. 4.*

duriuſculus vnus ex ſolis ſpondeis,

Nudet ſiluas. nunc arbuſtis. *Hippol. chor. 3.*

illi ex meris anapæſtis exquiſiti,

Pharetræque leues date ſæua fero. *Herc. Fur.*
Dolor an metus eſt, an habet lacrymas.

 elegan-

elegantissimus cæsuræ defectu, & quia habet anadiplosin;

Trepidant, trepidant pectora magno. *Thyest.*

frequens apud Senecam in his hiatus, sed in colo:

Linea piscem. hæc innocuæ. *Herc. Fur. chor.* 1.
Phaëthonte tuli. habeo mediæ *Med. act.* 3.
Dona Chimeræ. habeo flammas.
Murmure sæuo. amat insani. *Hipp. chor.* 1.
Nocte silenti Amphionios. *Oedip. chor.* 1.
Canuit Ide, Ide nostris. *Troad. chor.* 1.
Contenta sono. Hectora flemus.
Vicina polo. vbi cæruleis. *Agam. chor.* 1.
Reddit clarum. eia age tantis. *Octau. act.* 1.
Mistam gemitu animam tandem.

Oedip. chor. 1. *cùm in omnibus libris legatur;*

Non suâ silua decorata comâ,

numeris postulantibus reposui;

Non silua suâ decorata comâ.

Vitiosus ille; Troad. act. 1. Bis pulsata Dardana Graio. *nam quod in aliis*, pulsari, *sententia respuit. ego legerim;*

Dardana Graio bis pulsata.

Catalecticis, qui suauissimi in hoc genere, non vsus noster. tales; Vndæ vnde colonus Eoæ
A flumine venit Oronti.

Fusior fui de hoc carmine, quia tragœdiis aptissimum, & ferme neglectum; reuocari in vsum velim.

De Dactylico carmine. CAP. IX.



DACTYLICVM *vbique spondeo patet, interdum vltimo loco etiam trochæo, vt vult Seruius: qui negat dipodia metiendum, & genera recenset vndeuiginti: id quo noster gaudet, Alcmanium tetrametrum acatalecticum vocat; alij Archilochium nominant. falluntur quidam recentiores dum tradunt in tertiâ sede perpetuò dactylum ponendum: de quartâ enim id alij veriùs. Seneca in primâ trochæũ non fugit;*

Aut iniqui flamma tonantis. *Agam. chor.* 3.

vbi etiam spondeus in quartâ statione: nisi anapæsticum impurum contendas. In tertiâ sæpius spondæum quàm dactylum inuenio, in illo Agamemn. chor. 3. *vel dicendum vltimam τὸ* malis *productam, vel duos dimetros pro vno tetrametro acceptos;*

Perdidit in malis extremum decus,

pro; Perdidit in malis
Extremum decus.

Eiusdem chori versus primus;

Heu quàm dulce malum mortalibus additum,

vltimo

vltimo vocabulo addito, mihi non adiutus, sed perditus videtur. quo sublato, purus erit dactylicus;

[Heu quàm dulce malum mortalibus,
Vitæ dirus amor.]

retento, redundat versus, & futurus ventricosus seu προγάστηρ, *contra Senecæ morem, choriambicus. Trimetrum vnum inuenio; Oedip. chor. 3.*

Cæruleum erexit caput.

Agamem. chor. 4. vitiosè dimeter cum iambico monometro hypercatalecto coaluit; Extimuit manus insueta carpi.

pro; Extimuit manus
Insueta carpi.

nisi malis elisâ caninâ litterâ efficere anapæsticum;

Extimuit manus insueta capi.

Paullo antè, vbi hactenus scriptum,

Fregit insultans, duxit ad ortus
Hesperium pecus:

mallem priorem fieri trochaicum inchoatum, posteriorem verò dactylicum tetrametrum; Fregit insultans.
Duxit ad ortus Hesperium pecus.

Ceterùm dimeter acatalecticus est. 3. chor. Agamemn.

Non acies feras. *& Hippol. chor. 4*
Imbriferúmque corum.

nam vltimam syllabam prima sequentis versus absorbet. Ter Seneca vltimo tantùm loco dactylum collocat. Herc. Oet. act. 5.

Agnosco, agnosco victum est chaos.
Vicisti rursus mortis loca.
Arsisti certè verum vltima.

aliquando solo dactylo rapitur;


Vnde meas inhibet lacrymas fragor?

Schema Dactylicorum Senecæ.

–∪∪	–∪∪	–∪∪	–∪∪
– –	– –	– –	– –
∪ –		∪∪∪∪	

De Asclepiadeis & Choriambicis.

Cap. X.



Cio *inter hæc discrimen traditum à Seruio & Diomede; sed quia Senecæ omnes choriambici Asclepiadei sunt, vel Glyconij, pro ijsdem nunc accipio. Cum Diomede plerique volunt Asclepiadeos ab auctore dictos: sed Attilius prodidit ante Asclepiadem hoc versu Sappho quinque libros, multa quoque Alcæum composuisse. potiùs nomen indi-*

inditum, quòd eo genere ceteris antistans Asclepiades. constat spondeo, duobus choriambis & pyrrhichio, vel, vt alij metiuntur, spondeo, dactylo & syllabâ longâ, & duobus tandem dactylis. in eo, vt in Glyconio, multum sibi Seneca permisit, nec imitandus. interdum enim loco primi choriambi, molossum tempore æqualem ponit;

Vt primùm magni natus Agenoris *Oedip. act. 3.*
Sub nostræ ramis constitit arboris.

in prima sede dactylum non effugit;

Effugium, & miseros libera mors vocet. *Agam. chor. 4.*

sicut Martianus Capella lib. 2.

Atque reum rabido findere pectore.

Synæresi vtitur Thyest. chor. 1.

Instat deinde sitis non leuior fame.

Hypergaster est Agamemn. chor. 3. vt diximus, nisi castigetur,

Heu quàm dulce malum mortalibus additum.

Schematismus iste;

– –	–◡◡–	–◡◡–	◡◡
–◡◡	– – –		

De Glyconio Cap. XI.


B *auctore Glycone sic vocatum tradit Hephæstion: solet etiam choriambicum trimetrum dici. constat spondeo & duobus dactylis, vel spõdeo, choriambo, & pyrrhichio. Horatius initiò choræum posuit;* Ignis Iliacas domos, *vt & Boët. lib. 4. de consolat. Phil. metro tertio; idem non semel iambum secutus illud Catulli;*

Puellæ & pueri integri. *Sed nimis hoc in versu liber Anicius. nam & breuis apud illum huius carminis antepenultima;*

Flere dum parat, vlulat.

quod imitari non auderem. æqualis, fateor, dactylo anapæstus, sed situ contrarius; &, nisi priuilegio vltimi loci, tribrachus fuerit. Seneca deditâ operâ choro Oedip. 4. bene tricies in primâ sede choræum statuit, & ibidem sæpissime molossum pro choriambo. ille versus;

Vita decurrente via; *sanandus, hoc modo*
Vita decurrens viâ.

Herc. Oet. chor. 3. catalecticus vnus;

Tunc oblita veneni.


nisi malis trimetrum dactylicum.

Schema Glyconiorum Senecæ.

– –	–◡◡–	◡◡
◡–	– – –	

De

De Phaleucio seu Hendecasyllabo.
CAP. XII.



EGITIMVM, *quod spondeo, dactylo, tribus trochæis constat: princeps tamen Catullus pedes abutitur. nam primâ in sede etiam dactylum, iambum, trochæum; & secundâ, spondeum inueni; alij addunt etiam tribrachum & trochæum. Semel, quantum commemini, Seneca anapestum admisit;*

Tradit thalamis virginem relictam. *Oedip. chor. 2.*

at ille, Thermodoontiacæ graues cateruæ, *vna vocali minuendus, vt sit* Thermodontiacæ.

Schema Senecæ.

– –	– ᴗᴗ	– ᴗ	– ᴗ	– ᴗ
	ᴗᴗ –			

De Sapphico. CAP. XIII.



TTILIVS, *Diomedes, Terentianus, Hephæstion, ceteri, auctorem laudant Sappho: terminatur trochæo, spondeo, dactylo, duobus trocheis. Sed Seneca in primam regionem recepit etiam spondeum, dactylum & anapæstum; in secundâ etiam dactylum.*

Agam. chor. 3. Solus contemtor leuium Deorum.

Hippol. chor. 1. in membranis;

Quæque ad Hesperias iacet ora metas.
Si qua Parrhasiæ glacialis vrsæ.

Agamemn. chor. 3.

Motam barbaricis equitum cateruis.
Vt quondam Herculeâ cecidit pharêtrâ.

Porrò eodem choro ille;

Non vrbe cum totâ populos cadentes.

Facilè sic restituatur;

Vrbe non tota populos cadentes.

Agamemn. chor. 4.

Audiuit sonitum crepitante lamnâ.
Fraude sua capti caderent Pelasgi. *chor. 3.*
Ad solitas vices caput, & relabens. *chor. 4.*

Synæresis, vel etiam dactylus;

Et licuit versare dolos vt ipsi. *Agam. chor. 3.*
Tardiùs celeres agitare currus. *Oedip. chor. 3.*

Anapæstus in his;

Habeat, nec vlla dominetur aula. *Oetæo chor. 4.*
Triplic i cathenâ tacuit nec vllo *Agam. act. 4.*

Oedip. chor. 3. Lauítque Dirce Tyrios colonos.
& Agamemn. act. 4.
Vetuítque collo pereunte naſci.
Te caput Tyriâ cohibere mitra. *Oedip. chor. 2.*
Sidus Arcadium geminúmque plauſtrum.
Cuncta diuitias metuitque caſus. *Thyeſ. chor. 3.*
An ferax varij lapidis Caryſtes. *Troad. chor. 3.*

rariùs trochæo ſeruit, ſcilicet in citatis nonnullis; apud Catullum ter, ſæpius apud Sappho.

Schema igitur;

-∪	- -	-∪∪	-∪	-∪
- -	∪-			
-∪∪	-∪∪			
∪∪-	-∪			
∪-				

De Alcaico dactylico. Cap. XIIII.



FREQVENTISSIMVS *Horatio, conſtat ſpondeo (interdum trochæo) iambo & ſyllaba, quam duo dactyli ſequuntur. tales*
Preſſus lacertis Herculeus leo. *Agam. chor. 4.*
Feſſus per orbem furta ſequi Iouis. *Oedip. chor. 3.*
Iræ ſequuntur Caſtalium nemus.

- -	∪-	-	-∪∪	-∪∪

De Adoniis, & ceteris monometris. Cap. vltimum.



ADONIO *ſapphicos & anapæſticos claudere, quandoque verò illis inſerere, conſueuit pro lubito, quàm certâ ſtropharum ratione, vt in aduerſar. monui. Græcorum etiam imitatione, in Agamemn. potiſſimùm & Oedipo, monometros verſus dactylicos, anapæſticos, iambicos & trochaicos, mutilos ſæpe & inchoatos, vel ſyllaba redundantes, adhibuit; cuius rei clara veſtigia in manuſc. libris exſtant plurima, in quibus ſæpè monometri huiuſmodi, ſed non iiſdem locis in omnibus, occurrunt: quod non animaduerſum carcinomatibus quoſdam choros deformauit, vnum in carmen duobus mutilis coëuntibus, ita tamen vt nullam verſus legem, vel numeros ratos exhibeant. quæ mihi videor coniectando deprehendiſſe, hic repræſentabo, vt alij diligentiùs & feliciùs inueſtigent.*

Troad.

Troad. Non illa bello
Victa, nec armis. *sic diuiserim.* *Oedip. chor. 3. manusc. libri sic habent;* Monitúque Phœbi
Iussus erranti comes ire vaccæ
Quam non flexerat
Vomer, aut tardi iuga curua plaustri, *&c.*
& paullo pòst;
Tempore ex illo noua monstra semper
Protulit tellus
Aut anguis imis, *&c.* *deinde;*
Annosa super robora sibilat,
Supráque pinus
Supra Chaonias, *&c.*
Medeæ chor. act. 2. habent;
Peruius orbis
Indus gelidum
Potat Araxim,
Albim Persæ.
In Agam. chor. 3. hæc aduertenda;
Fortiter vinci. restitit annis;
melius enim;
Fortiter vinci.
Restitit annis
Troia bis quinis.
dactylicus enim monometer, inter duos trochaicos mutilos.
Item diuide hos;
Non maria asperis
Insana Coris.
dactylicus cum iambico. *& pro illo;*
Gemuítque taurus Dictæa linquens, *rescribo;*
Gemuítque taurus
Dictæa linquens.
vt sint duo iambici inchoati. *Item & illa resoluo;*
Fregit insultans
Duxítque ad ortus. *Item;*
Fudítque Troas
Falsus Achilles.
In Egniano & Moguntino m. s. ex vno paullo pòst, facti duo versus;
Pectore è medio rapi
Spolium & sagittas.
cùm vulgò vnicus sit. *Item vulgò;*
Frigidus custos, nescius somni.
coniicio; Frigidus custos,
Nescius somni.

& in eodem choro subtimidè ista;

Cui, lege mundi
Iuppiter ruptâ,
Roscidæ noctis geminauit horas;
Iussitque Phœbum
Tardiùs celeres agitare currus
Et tuas lentè remeare bigas
Candida Phœbe.
Retulitque pedem
Alternis nomen
Stella quæ mutat,
Séque mirata est
Hesperum dici, *&c.* *Item;*
Metuens colorem.
Te duce succidit
Mendax Dardaniæ domus.
Et sensit arcus iterum timendos.
Te duce concidit
Totidem diebus
Troia, quot annis.

Victorinus de monometris agens; Memento (*ait*) metra huiusmodi variè in fine concludi, sicut & cetera. nam aut acatalecta, aut catalectica, aut brachycatalecta, aut hypercatalecta, ab auctoribus promuntur.

HÆC *habui de Senecæ modulis, rata futura, donec vel ego, vel alij meliora, certioráve. Vtinam videre licuisset diu quæsitum N. libellum de his versibus, visum olim ante annos quatuordecim; quem nunc nec in Franciâ, nec in Germaniâ, nec in Belgio reperire potui, sedulò per varios typographos, etiam in Francofurtiensibus nundinis, quæsitum. Nunc in tam densis tenebris, intricatisq́; laqueis, non quæ volui, sed quæ potui. Nec alioquin sum* tam sagaci corde, atque ingenio vnico; *neque in tam diuturno à Grammaticis istis spinetis diuortio tam rerum huiusmodi præsenti memoriâ, vt non verendum sit, ne non multa festinanti, & quasi furtim grauioribus Theologiæ studiis aliquid subducenti, exciderint, quæ à superciliosis Palæmonibus in reprehensionem trahantur.*

FRA-

FRAGMENTA VETERVM TRAGICORVM

LIVII ANDRONICI, ENNII, PACVVII, ACCII, ET ALIORVM,

Desumpta ex

APVLEIO, Auct. libb. ad Herenn. D. Augustino, Capro, Carisio, Censorino, Cicerone, Diomede, Donato, Fabio Quinct. Festo, Fulgentio, Gellio, D. Isidoro, Macrobio, Nonio, Prisciano, Probo, Ruffino, Seneca, Seruio, Terentiano, Tertulliano, Varrone, Victorino, Veteri Commentatore Persij & Iuuenalis.

Ad castigationem auxilio fuêre

FRAGMENTA quæ N. N. P. & F. ediderunt.
Docti viri N. in Varronem Notæ, & in Festum Commentar.
Ant. Augustini Archiepiscopi in Varronem & Festum Notæ.
Fuluij Vrsini in Festum castigationes, & Had. Turneb. in Varronem.
Notæ Anonymi in Nonium Parisiis editæ.
Veteres impressiones, Varronis, Nonij, Festi, Prisciani, Diomedis, Gellij, Macrobij ex Bibliotheca Societatis Collegij Moguntini.
Prisciano cum quatuor m. s. collato operâ D. Læu. Torrentij.
Fulgencio Placiade collato cum tribus m. s. operâ Caroli Langij.

L. LIVII ANDRONICI.

ACHILLES.

*

—— si malos
Imitabo, tum tu pretium pro noxâ dabis. Non. in, *Imitat.*

ADONIS.

*

Humum humidum pedibus fodit. Prisc. lib. 6.

ÆGISTHVS.

*

Iámne oculos specie lætauisti optabili. Non. in, *Lætare.* & in, *Species.*

*

Nemo hâc voster ruminabitur mulieri. Non. *rumino*

*

Non. pecus. *Tum autem lasciuum Nerei simum pecus.*

*

Non. solennitus. *Solennitus à declitali laudet lubens.*

*

Nam vt Pergama accensa, & præda per participes
Non. Æquiter. *Æquiter partita est.*

*

——— in sedes collocat se regias,
Non. iuxtim. *Clytæmnestra iuxtim, tertias natæ occupant.*

*

Non. fligit. *Ipse se in terram saucius fligit cadens.*

*

Non. procacitas. *Quin, quòd parêre vos maiestas mea procat,*
Toleratis? extemploq́ illam deducitis?

AIAX.

*

Non. iamdiu. *Mirum videtur quod sit factum iamdiu.*

ANDROMEDA.

*

Non. cõfluges. *Confluges vbi conuentu campum totum inhumigant.*

ANTIORA.

*

Non. Septuose. *Ita septuosè dictio abs te datur*
Quod consecutam sapiens ægrè contulit.

CENTAVRI.

*

Festus. vbi de duob. petrarum generibus. *Vbi ego sæpe petris.*

EQVVS TROIANVS.

*

Non. opitula. *Da mihi hasce opes quas peto, quas precor, porrige, opitula.*

*

Cicero lib. 7. ad Famil. epist. 16. *Serò sapiunt.*

HELENA.

*

Macrob. lib. 6. c. 5. Satur. *Tu qui permensus ponti maria alta veliuola.*

HERMIONA.

*

Non. suam. *Obsecro te, Anticile, matri ne quid tuæ aduorsus suas.*

INO.

*

Priscianus lib. 6. *Seq́ in alta maria præcipem,*
Inops, ægra sanitatis Heroïs

*

Terentianus *Et iam purpureo suras include cothurno.*

Baltheus

Baltheus & reuocet volucres in pectore sinus:
Pressaq́; iam grauidâ crepitent tibi terga pharetra:
Dirige odorisequos ad certa cubilia canes.

LAODAMIA.

*

Aut nunc alia te quæpiam Priscianus lib. 10.
Asiatico ornatu affluens,
Aut Sardiano, aut Ludio
Fulgens decore, & gloriâ
Pellicuit.

PROTESILAVS.

*

Cupidiùs miserulo obito. Prisc. lib. 9.

TEREVS.

*

Rarenter venio. Non. rarenter

*

Nimis pol imprudenter suis præstolaras. Nō. præstola.

*

Ego puerum interea ancillæ subdam latantem mea Nō. perbitere.
Ne fame perbitet.

*

Credito cùm illos soli mea voluntate nunquam limauit caput. Non. limare.

EX LIVII INCERTIS
vt puto Tragœdiis.

*

Matrem procitum plurimi venerunt. Fest. procitum

*

Vecorde & maleficâ vecordiâ. Fest. vacerra.

*

Partim errant, nequinunt Græciam redire.

*

Haud vt quem Chiror in Pelio docuit ocri. Fest. in, ocris.

*

Florem anculabant Liberi ex carchesiis. Fest. in, anclare.

*

Namq́; Tænari celsos ocris. Fest. ocris.

*

Celsosq́; ocris, aruaq́; patria
Et mare magnum.

*

Sed qui sunt hi qui ascendunt altum ocrim.

Cetera ex Odyssæa, vel Comœdiis arbitror.

Q. EN-

Q. ENNII.

ACHILLES.

*

Non.in, defendere. *Serua ciues; defende hostes, cùm potes defendere.*

*

Non. regredere. *Quò nunc incertâ re, atque inoratâ gradum regredere conare?*

*

Non obuarare. *—— consiliis obuarant, quibus tamen*
Concedit hic ordo——

*

Fest. & Non. in, subijces & Gell lib. 4. c. 17. *Per ego Deûm sublimes subices; humidus*
Vnde oritur imber, sonitu sæuo & spiritu.

AIAX.

*

Fest. in tullij. *Sanguine emisso tepido tullij efflantes volant*

*

Varro de lin. Lat. c. 5. *Lumen iubárve in cælo cerno?*

*

Non. statim *Quis est cum Achiuis gesserunt statim.*

ALCESTIS.

*

Fulgent. friguttire. *Hæc anus admodum friguttit, nimirum se sauciauit flore Liberi.*

ALCMÆON.

*

Non. iamdiu. *Factum est iamdiu.*

*

Cicero lib. 4. de finib. *Circumuentus morbo, exsulio, atque inopiâ.*

*

Varro lib. 6. *Intendit crinitus Apollo*
Arcum auratum lunâ innixus.

ALEXANDER.

*

Gellius l. 6. c. 5. noct. *Purum putum.*

*

Fest. in stolidus. *Quid lasciuis stolidè.*

*

Fest. tænia. *Volans de cælo cum corona & tæniis.*

*

Varro lib. 5. *Iamdudum ab ludeis animus atque aures auent*
Auidè exspectantes nuntium.

*

Macrob. lib. 6. c. 1. *Multi alij aduentant paupertas quorum obscurat nomina.*

*

Macrob. l. 6. c. 2. *Nam maximo saltu superauit,*
Grauidus armatis equus;

Qui

Qui suo partu ardua perdat
Pergama——

*

O lux Troiæ, Germane Hector
Quid ita cum tuo lacerato corpore miser? Macrob. l. 6. c. 2.
Aut qui te sic respectantibus tractauere nobis?

ANDROMACHA.

*

Nam vbi introducta est, puerumq́, vt lauerent, locant in clupeo. Non. in, *lauere*,

*

Acherusia templa alta Orci, pallida, Cicer. 1. Tuscul. & Varro lib. 6.
Leti obnubila, obsita tenebris loca.

*

Hæc omnia vidi inflammari: Varro lib. 6. & Cicero.
Priamo vi vitam euitari:
Iouis aram sanguine turpari:
Hectorem curru quadriiugo raptarier:
Hectoris natum de mæro iactarier.

*

Dic iam, mater non est, summussare sine. Festus in, *summusso*.

*

Malo torquetis cum ærumnis illum exanclari diem. Non. *exãclari*

*

Annos malos multosq́, longinquè ab domo Non. in, *summum*.
Bellum gerentes summum, summâ industriâ.

*

Corpus contemplatur, vnde corporaret vulnere. Non. *corporare*

*

Rapit ex alto naues veliuolas. Macrob. l. 6. c. 5.

*

Sed quasi ferrum aut lapis durat;
Rarenter gemitum conatu trahens. Non. *rarenter*

*

Quid fit? seditio tabétne, an numeros augificat suos? Non. *augificat*

*

Nam neque irati, neque blandi quicquam sincerè sonunt. Non. *sonit*.

ANDROMEDA,

*

Quæ caua cæli signitenentibus Varro lib. 4.
Conficí bigis.

*

Ad nationem cæli ingentes fornices. Ibid.

*

in terram cadentis, cubiteis pinsebant humum.

*

Festus in, quæso. *liberûm quæsendûm causa familiæ matrem tuæ.*

*

Fest.in, vruat *Circum sese vruat ad pedes, terrâ occultat caput.*

*

Non. visceratim. ——— *alia fluctus differt, dissipat*
Visceratim membra, maria salsa spumant sanguine.

*

Non.in, scapres. *Scrupeo inuestita saxo, atque ostreis, quam excaperent.*

*

Prisc. lib. 7. *Filiis propter te obiecta sum innocens Nerei.*

*

Non. rursus. *Rursus prorsus reciprocat fluctus feram.*

ATHAMAS.

*

Carisius in, Euhoe. lib. 2. *Iis erat in ore Bromius, his Bacchus pater,*
Illis Lyæus vitis inuentor sacræ.
Tum, pariter, Euan, euhoë, euhoë, Euius,
Ignotus iuuenum cœtus, alternâ vice,
Inibat alacris, Bacchico insultans modo.

*

Varro lib. 4. *O terra tritaui, in cuius mœro Liberi*
Fanum locaui.

CRESPHONTES.

*

Fest.in, redhostire. *Audis atque auditis hostimentum adiungito.*

*

Fest. quæsere. *Ducit me vxorem liberûm sibi quæsendûm gratia.*

*

Non. sortiu. *An inter se sortiunt vrbem atque agros.*

*

Non. nitidat. *O pie secum aduocant, cùm ad fontem, nitidant corpora.*

*

Gell. lib. 6. c. vlt. *Ego cùm meæ vitæ parcam; lethum inimico deprecor.*

*

Macrob. lib. 6, Sat. c. 2. *Neque terram inijcere, neque cruenta*
Conuestire mihi corpora licuit,
Neque miseræ lauêre lachrymæ salsum sanguinem.

*

Auct. Rhet. ad Herenn. lib. 2. *Iniuriâ abs te afficior indignâ pater.*
Nam si improbum Cresphontem existimaueras,
Cur me huic locabas nuptiis? sin est probus,
Cur talem inuitam inuitum cogis linquere?
Nullâ te indignâ ô nata afficio iniuriâ.

Si probus est, bene locaui: sin est improbus,
Diuortio te liberabo incommodus.
Cur me huic locabas nuptiis? duxi probum.
Erraui. pòst cognoui, & fugio cognitum.

*

Eho tu, dÿ, quibus est potestas motus superûm atq; inferûm, Ibidem, & Cic. lib. 1. de Inuent.
Pacem inter sese conciliant, conferunt concordiam.

DVLORESTES.

*

Exemplo Ægisthi, fidem nuncupantes conciebant populum. Non. conciere

ERECTHEVS.

*

Quibu' nunc, ærumnâ meâ, libertatem paro: Gell. lib 6. c. vlt. mendosè
Quibus seruitutem meâ miseriâ deprecor. Non. eadem.

*

Arma arrigunt, horrescunt tela. Macrob. lib. 6. c. 4.

EVMENIDES.

*

Areopagiticam ea de re vocant petram. Varro lib. 6.

*

——tacere opino esse optumum, Non. opino.
vt pro viribus sapere atq; fabulari tutò nouerint.

*

Id ego æquum aptius fecisse me expedibo atque eloquar. Non. expedibo

*

Nisi patrem materno sanguine exanclando vlciscerem. Idem exanclo.

*

Dico vicisse Orestem vos ab hoc facessite. Non. facessere

ILIONA.

*

Nepos quas ærumnas tetulisti? Non. Nepos. Donatus in Terent. Cic. in Lucullo.

*

Mater te appello.

*

Age adsta, mane, audi, itera dum eadem & ista mihi.

IPHIGENIA.

*

Quid noctì videtur? in altisono Varro lib. 6.
Cæli clupeo temo superat
Stellas, cogens sublime etiam
Atque etiam noctis iter.

*

Procede. gradum proferre pedem Fest. in pedes.
Nitere. cessas?—

*

Fest. in, Ob. *Acherontem obibo, vbi mortis thesauri obiacent.*

*

Gellius lib. 19. c. 10. *Otio qui nescit vti, plus negotij habet;*
Quàm cùm est negotium in negotio.
Nam cui quod agat institutum est; nullo negotio
Id agit. studet ibi. mentem atque animum delectat suum.
Otioso in otio animus nescit quid velit.
Hoc idem est: neque domi nunc nos, nec militiæ sumus.
Imus huc, hinc illuc: cùm illuc ventum est, ire illinc lubet,
Incertè errat animus. præter propter vitam viuitur.

HECTORIS LYTRA.

*

Non. spernere *Melius est virtute ius. nam sæpe virtutem mali*
Nanciscuntur: ius atq; æquum se à malis spernit procul.

*

Non fuam. *At ego omnipotens te exposco, vt hoc consilium*
Achiuis auxilij fuat.

*

Non. sonere. *Sonit, franguntur hastæ, terra sudat sanguine.*

*

Non. tumulti *Quid hoc hic clamoris? quid tumulti est? nomen qui vsurpat meum?*

*

Non. occupo. *Hector re summâ armatos educit foras,*
Castrisq; castra vltro iam ferè occupat.

*

Non. cũctant. *Qui cupiant dare arma Achilli, vt ipsi cunctent.*

*

Non. derepẽtè *Ecce autem caligo oborta est, omnem prospectum abstulit*
Derepentè contulit sese in pedes.

*

Non commiserescimus. *Per vos, & vestrum imperium, & fidem, Myrmidonum vigiles cõmiserescite.*

*

Non. specus. *Inferûm vastos specus.*

*

Non. vagas. *Constitit, credo, Scamander, arbores vento vagant.*

*

Non. strepiti *Quid in castris strepiti est?*

*

Non. in, seueriter. *Seueriter fortuna ferri cernunt de victoriâ.*

*

Fest. Redhostire. *Quæ mea cominus machæra atque hasta hostiris manu.*

*

Non. tenacia. *Duce quadrupedem, iuga inuitum, doma infrenum, & iunge validè. equorum tenacia infrenari minis nequit.*

Hector

*

Hector quidem haut cessat obsidionem obducere. Non. *obsidia.*

*

Nos quiescere æquum est. nouimus ambo Vlixem Diomed. c. 1

*

Sublime iter quadrupedantes
Flammam tralitantes. Varro lib. 6. etsi sine auct. nomine.

HECVBA.

*

O magna templa cælitum
Commista stellis splendidis.

*

Nunquam scripsistis, qui parentem aut hospitem
Necasset; quo quis cruciatu perbiteret. Non. *perbitere.*

*

——— *quid petam*
Præsidij? quid exsequar? quo nunc aut auxilio, aut fugâ
Freta sim? arce & vrbe sum orba. quò accedam? quò applicem?
Cui nec patriæ aræ domi stant, fractæ & disiectæ iacent.
Fana flammâ deflagrata, tosti alti stant parietes,
Deformati, atque abiete crispa. Cic. 3. Tusc. & esse ex hac Ennij doctû aliis.

*

Heu me miseram, interij, pergunt lauere sanguen sanguine. Non. *lauere.*

*

Iuppiter tibi summe, tandem, malè re gestâ, gratulor. Non. *gratulari.*

*

Vide hanc, meæ in quam lacrumæ guttatim cadunt. Non. *guttatim.*

*

Miserete anuis, date ferrum, qui
Me animâ priuem. Nô. *miserete.*

*

Hæc tu etsi peruorsè dices, facilè Achiuos flexeris:
Namque opulenti cùm loquuntur pariter atque ignobiles;
Eadem dicta, eademq; oratio æqua non æquè valet. Gell. lib. 11. c. 4.

*

Quæ tibi in concubio verecundè & modicè morem gerit. Non. *modicû.*

*

Vndantem salum. Non *salum.* Non. in, *Euenat.* malè cit. idem in *pauperies.*

*

Senex sum, vtinam mortem oppetam,
Priusquam euenat, quod in pauperie mea
Senex grauiter gemam. Varro lib. 6.

MEDEA.

*

Vtinam ne in nemore Pelio securibus
Cæsa adcidisset abiegna ad terram trabes. Cic. lib. 1. de inuent. & li. 3. de nat. deor. & lib. de fato, lib. 1. Tusc. Auct. ad Her. Prisc. lib. de versib. Comic. & lib. 7.

Néve inde nauis inchoandæ exordium
Cepisset, quæ nunc nominatur nomine
Argo; qua vecti Argiui delecti viri
Petebant illam pellem inauratam arietis
Colchis, imperio Regis Peliæ, per dolum.
Nam nunquam hera errans mea, domo efferret pedem
Medea, animo ægra, amore sæuo saucia.

*

Varro lib. 5. & Diomed. lib 2. *Quis tu es mulier, qui me insueto nuncupasti nomine?*

*

Ibid. & Non. in, cernere. *Nam ter mallem sub armis vitam cernere, quàm semel modò*
Parere ———

*

Probus. *Iuppiter, tuq; adeò summè Sol,*
Qui res omnes inspicis,
Quiq; tuo lumine
Mare, terram, ac cælum
Contueris: hoc facinus dispice
Priusquam fit. prohibe scelus.

*

Cicero pro Rabitio. *Si te secundo lumine hîc offendero, Morière.*

*

Tusc, 1. *Cupido cœpit miseram nunc me proloqui*
Cælo atque terræ Medeæ miserias.

*

Animum aduorte, & dicto pare——

*

Præter rogitatum ne querare——

*

Varro lib. 6. & Non. in, contempla. *Asta, atque Athenas antiquum opulentum oppidum*
Contempla, & templum Cereris ad læuam adspice.

*

Fest. consipta. Non. venor. *Teneor consipta, vndique venor.*

*

Varro lib. 6. etsi sine auct. nomine. *Ad Hellesponti claustra.*

*

Non. elimi-nare. *Antiqua herilis fida custos corporis,*
Quid sic te extra ædes exanimata eliminas?

*

Cic. lib. 7. ad famil. *Multi suam rem bene gessere & publicam*
Patriâ procul: multi, quî domi ætatem agerent,
Propterea sunt improbati.

*

Non cette. *Saluete optima corpora,*
Cette manus vestras, measq; accipite.

*

Quò nunc me vertam? quod iter incipiam ingredi?
Domum paternámne, an ad Peliæ filias? Cic. lib. 3. de Orat.

*

Qui ipse sibi sapiens prodesse nequit, nequicquam sapit. Cic. ibid. & 3. de offic.

*

Sol qui candentem in cælo sublimat facem. Non. *subli-mare.*

*

Fructus verborum auris aucupauit. Non. *aucupa-uit.*

*

Tu me amoris magis, quàm honoris seruauisti gratiâ. Cic. lib. 4. Tuscul.

*

Vtinam ne vnquam Medea Colchis cupido corde pedem
Extulisses ——— Non. *efferre.*

*

Pecudi dare viuam vna marito. Prisc. malè ex Nemea. lib. 5.

*

MENALIPPA al. MENALIPPO.

*

Regnum nostrum vt sospitent, superstitentq́. Non. in. *sospi to*, & alibi.

*

Mihi ausculta, nate, pueros cremari iube. Non. *ausculto*

*

Certò hic est nulla, quin monstrum siet,
Hoc ego tibi dico, & coniecturâ auguro. Non. *auguro.*

*

Quum saxum sciciderit. Priscian. de, *scindo.* lib. 10.

*

Lumine sic tremulo terra & caua cærula candent. Macrob. l. 6. c. 4.

*

Statâ formâ. Gellius lib. 5. c. 11.

PHOENIX.

*

Sed virum verâ virtute viuere animatum addecet,
Fortiterq́ innoxium vacare aduorsus aduersarios.
Ea libertas est, qui pectus purum & firmum gestitat:
Aliæ res obnoxiæ, nocte in obscurâ latent. Gellius lib. 7. cap. 17.

*

Quam tibi ex ore orationem duriter dictis dedit. Non. in, *duri-ter*, & Sosi-pater.

*

Ibi tum derepentè ex alto in altum despexit mare. Non. *derepètè*

*

Sæuùm suspicionem ferre falsam, futilium est. Non. *sæuùm.*

*

Vt quod factum est futilè, nos amici feramus fortiter. Non *futilè.*

*

Stultus est, qui cupida cupiens cupienter cupit. Non. *cupienter*

Plus

*

Non. faxim. *Plus miser sum, si scelestum faxim quod dicam fore.*

SCIPIO.

*

Gell. lib 4. c 7. *Qui propter Hannibalis copias considerant.*

*

Macrob. lib. 6. c. 4. *Sparsis hastis longis campus splendet & horret.*

*

Macrob. lib. 6. c. 2. *Mundus cæli vastus constitit silentio,*
Et Neptunus sæuus vndis asperis pausam dedit:
Sol equis iter repressit vngulis volantibus:
Constitêre amnes perennes, arbores vento vacant.

TELAMON.

*

Fest. obsidio. *Scibas natum ingenuum Aiacem, cui tu obsidionem paras.*

*

Nó. in, claret. *Nam ita mihi Telamonis patris*
Atque facies proaui Iouis gratia ea est,
Atque hoc lumen candidum claret mihi.

*

Non. audibo. *Audibo, atque aures tibi contrà vtendas dabo.*

*

Non. squalã. *Strata terræ, lauêre lachrymis vestem squalam & sordidam*

*

Non. porcet. *Deûm me incendit facere pietas, ciuium porcet pudor.*

*

Non. partiuit. *Eandem in me suspicionem sceleris partiuit pater.*

*

Diomed. in, abnuere. *Ex eo futurum abnueant.*

TELEPHVS.

*

Non. enodari. *Verùm quorum liberi letho dati*
Sunt in bello, non lubenter hæc enodari audiunt.

*

Non. ciuitas. *Et ciuitatem video Argiuum incendier.*

*

Non. itiner. *Deûmq; de consilio hoc itiner credo conatum modo*

*

Fest. mutire. *Palàm mutire plebeio piaculum est.*

*

Non. aduorsum. *Teipsum hoc oportet profiteri & proloqui*
Aduorsum illam mihi.

*

Non. mactare *Qui illum Dÿ Deæq; magno mactaßint malo.*

*

Cedo, & caueo vestitus, squalidâ septus stolâ Non. *stola.*

*

Regnum reliqui septus mendici stolâ.

THYESTES.

*

Aspice hoc sublimen candens, quem inuocant omnes Iouem Apul. & Fest. in, *sublime.* Cic. de nat. deor lib 2. Nō. *delectat.*

*

Et me Apollo ipse delectat, ductat Delphicus.

*

Quàm mihi maximè hic hodie contigerit malum. Non. *contingere.*

*

Heu mea fortuna, vt omnia in me conglomeras mala! Non. *conglomerare.*

*

Impetrem facilè ab animo vt cernat vitalem Bæbium. Non. in, *cernere.*

*

Inflaccebunt conditiones, repudiato, & reddito. Non. *flaccet.*

*

Sed sonitus aures meas pedum pulsu increpat. Non. in, *crepare.*

*

Ibi quid agat, secum cogitat parat, putat. Non. in, *putare.*

EX INCERTIS ENNII TRAGOED.

*

Atque priùs pariet locusta lucam-bouem. Varro lib. 6.

*

Exemplo acceptum me necato & filium.

*

Vt tibi Titanis Triuia dederit stirpem liberûm.

*

Crassa puluis oritur, omnem peruolgat cæli fretum. Non. *fretum.*

*

Vindictam victis sumserunt perduellibus. Varro lib. 6.

*

Dictator vbi currum insidit, peruehitur vsque ad oppidum. Varro lib. 4.

*

Ea Thelis illi mater. Varro lib. 6.

*

Si voles aduortere animum comiter, monstrabitur.

*

He he, ipse clupeus cecidit.

*

Nimium boni est, cui nihil est mali. Cic. lib. 2. de finib.

*

Salmaci da spolia sine sudore & sanguine. Cic. lib. 1. de offic. & Fest.

*

Tum pauor mihi sapientiam omnem ex animo expectorat. Cic. 4. Tusc.

O *Flagitij*

*

Flagitij principium est nudare inter ciues corpora.

*

Cic. 1. de offic.

Homo qui erranti comiter monstrat viam,
Quasi de suo lumine lumen accendat, facit;
Nihilominus ipsi lucet, cùm illi accenderit.

*

Nulla sancta societas, nec fides regni est.

*

Lib. 2. offic. *Quem metuunt, oderunt: quem quisque odit, perisse expetit.*

*

Benefacta malè locata, malefacta arbitror.

*

O fides alma, apta pennis, & iusiurandum Iouis.

*

Lib. de Amicitia. *Amicus certus in re incertâ cernitur.*

*

Lib. 1. de Orat.

Suarum rerum incerti; quos ego mea ope ex
Incertis certos, compotesq́. consilI
Dimitto, vt ne res temere tractent turbidas.

*

Cic. lib. 4. de finibus. *Non refugiat timido sanguen, atque exalbescat metu.*

*

Prisc. lib. 6. Lib. 1. de diuin.

Non habeo denique nauci Marsum augurem,
Non vicanos aruspices, non de circo astrologos,
Non Isiacos coniectores, non interpretes somniûm.
Non enim sunt ij aut arte diuini, aut scientiâ.
Sed superstitiosi vates, impudentesq́. arioli,
Aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat:
Qui sui quæstus causâ fictas suscitant sententias.
Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam.
Quibus diuitias pollicentur, ab his drachmam petunt.
De his diuitiis sibi deducant drachmam, reddant cetera.

*

Ego Deûm genus esse semper dixi & dicam cælitum;
Sed eos non curare opinor, quid agat humanum genus.

*

Cic. in Lucullo. *O pietas animi.*

*

Seru. in 1. Aeneid. *Induta fuit sæua stolâ.*

*

Seru. in 6. Aeneid. *Imprimitq́. genæ genam.*

*

Cic. in Orat. *Vi patefecerunt Fruges*

*

Idem campus habet,

*

In templis isdem.

*

Cui, quod in me est, exsecrabor hoc quod lucet, quicquid est.

*

Cæli palatium. Cic. de nat. deor. lib. 2.

*

Ego eo ingenio natus sum, amicitiam Gellius lib. 19 c. 8. & Non.
Atque inimicitiam in frontem promptam gero.

*

Andromachæ nomen qui indidit, rectè indidit Varro lib. 6.

*

Quapropter Parim pastores nunc Alexandrum vocant.

*

Quæque cæruleo freto orta, nare cœpta.

*

Habet is coronam vitulans victoriâ. Fest. vitulans.

*

Apud emporium in campo hostium per mœna. Fest. mœna.

*

Topper quàm nemo meliùs scit. Fest. Topper.

*

Viuam, an moriar, nulla in me est metus. Fest. metus.

*

Et quis illæc est, quæ lugubri succincta est stola. Non. quisquis

*

Nec retrahi potestur imperiis. Diom. lib. 1.

*

Assectari se omnes cupiunt. Priscian. assectari. lib. 8

*

Labat, labuntur saxa, cæmenta cadunt. Non. cæmēta.

*

Effundit irarum quadrigas. Seru. in 12. Aeneid.

*

Eos deduci quàm relinqui, euehi quàm deseri malo. Diom. lib. 2.

*

An aliquid quod dono illi morares: sed accipite. Diom. lib. 1.

*

Tibi vita seu mors in mundo est. Charisius de, *In mundo*, lib. 2.

*

Omnes mortales sese laudari exoptant. D. Aug lib. 13. de Trinit. c. 3.

*

In lustris nos quiescere æquum est, nouimus Diomed. li. 1
Ambo Vlyxem

*

Philosophandum est paucis. nam omnino haud placet. Gell. lib. 5. c. 15. & 16.

*

Atque genua comprimit artâ genâ. Isidor. l. 11. Orig. c. 1.

CN. NÆVII.

ÆGISTHVS.

*

Non. lustrare *Tum autem lasciuum Nerei simum pecus,*
Ludens ad cantum clausum lustratur.

ALCESTIS.

*

Non. obesus. Gell. lib. 19. *Corpore pectoréque vndique obeso*
Mente exsensa, tardigenulo
Senio oppressum.

*

Varro lib. 6. *Velata frondenteis comas.*

*

Manciolis tene illum.

*

Hoc fieri impendio sit.

DANAE.

*

Non. compos *Eam nunc esse inuentam opprobriis compotem scis.*

*

Nō. confidētia *Excidit orationis omnis confidentia.*

*

Non fama & desubito. *Desubito famam tollunt, si quam solam vidêre in via.*

*

Non. exigor. *Indignè exigor patriâ innocens.*

*

Non. icit. *Quam quondam fulmine icit Iuppiter.*

*

Non. lauere. *Animi iubeo fonte lauere nemini manum.*

*

Non. minitas. *Etiam minitas? mitte quæ tua sunt magis, quàm mea.*

*

Non. manub. *Manubias suppetat pro me.*

*

Non. pretium *Quia vt quisq; est meritus, præsens pretium pro factis ferat*

*

Nō contēplo. *Contemplo placidè formam & faciem virginis.*

*

Non. valentia *Omnes formidant hominis eius valentiam.*

DVLORESTES.

*

Caperata fronte.

HESIONA.

*

Gell. l. 18 c. 25. *Sine mihi gerere morem videar haud linguâ, verùm lingulâ.*

IPHI-

IPHIGENIA.

*

Passo vel hoc vicinum aquilone hortum fer foras. Non. in. passum.

LYCVRGVS.

*

—— risi egomet casabundum ire ebrium
Diabathra in pedibus habebat, atque amictus erat epicroco. Varro lib. 6. sine auct.

*

Vos qui regalis corporis custodias
Agitis, ite actutum in frondiferos lucos; vbi
Ingenio arbusta innata sunt, non obsita.
Ducite eò argutis linguis mutas quadrupedes:
Vt in venatu vitulantes ex auiis
Locis, nos mittant Pœnis decoratos feris.
Aliј sublimè altos saltus illicitè, vbi
Bipedes volucres lino linquant lumina. Vide Non. ingenio, & mutus, & illicere, & vitulantes.

*

Longè latéque trans nostros féruere. Non. féruere.

*

Tuos qui celsos terminos tutant. Non. tutant.

*

Ignoti iteris sumus, tute scis. Non. iteris & ignoti. Prisc. lib. 6.

*

—— oderunt Dij homines.
Iniuriosè. egóne an ille iniuriam facimus. Non. iniuriè.

*

Sed quasi amnis cis rapit, sed tamen inflexa flectitur. Non. amnis.

*

Iam Solis æstu candor cùm liquesceret. Non. liquidũ.

*

Pallis, patagiis, crocotis, malaciis, mortalibus. Non. crocotula.

*

Quæq; incedunt omnes aruas obterunt. Non. arua.

*

Pergite thyrsigeræ Bacchæ modò,
Bacchico cum schemate. Non schema.

*

Proin Dryante rege prognatum patre
Lycurgum cette. Non cette.

*

Sine ferro, pecuda manibus vt ad mortem meant. Non. pecua.

*

Altè iugatos angues in se gerunt. Non. anguis.

*

Suaue summum melos Non. Melos.

*

Non. acrimonia. *Ne ille mei feri ingenij atque animi acrem acrimoniam.*

*

Non. vapos. *Iam vbi nos duplicant aduenientis timos, vaposq́.*

*

Non. obstinatus. *Vos qui astatis obstinati.*

*

Non. fimbria. *Vt videam Volcani operâ, hæc flammis fieri flora.*

*

Non potior. *Dic quo pacto eum potiti, pugnâ an dolis?*

PHOENISSÆ.

*

Non. *Sume arma. iam te occidam clauâ scirpeâ.*

PROTESILAVS.

*

Non. gracilens. *Demia gracilentis colorem, dum ex hoc hoc gracilens fit.*

*

Non. ioca. *Clam ineunt, irruunt, cachinnos, ioca, dicta risitant.*

*

Prisc. quie lib. 6. *Laodamia complexa somno corpora operiuntur ac suaui quie dicantur.*

*

TELEPHVS.

*

Non. iteris. *Studiumq́ iteris reprime.*

EX INCERTA.

Non. metus. *Magni metus tumultus pectora possidet.*

*

Eccum venire video ferme iniuria

*

Varro lib. 6. *Strionum hic moderator rusticus.*

*

Hoc vbi æthrâ cærulâ septum stat hemisphærium.

*

Fest. in, numero. *Neminem vidi qui numerò sciret, quique scit vt est opus.*

*

Fest. in, partus. *Malè parta, malè dilabuntur.*

*

Fest. in rumitant. *Simul alius aliunde rumitant inter se.*

*

Festus topper. *Capesset flammam Volcani topper*

*

Fest. sagmina. *Ius sacratum Iouis iurandum sagmine.*

*

Scapos atque verbenas sagmina sumpserant.

*

Mare interbibere.

Lætus

*

——*lætus sum*
audari me pater abs te laudato viro. Isidor. Etym. vel Orig. Cicero Tusc.

*

quidem loqui vis, non perdocere, multa longè promicanda oratio est. Non. promicare.

EX M. PACVVIO.

ANCHISES.

*

d promontorium, cuius lingua in altum proijcit. Gell. lib. 4. c. 17.

ANTIOPA.

*

——*perdita inluuie atque in somnia*
Frendere noctes misera, quas perpessa sum. Non. in, frendere. & Carif. lib. 1.

*

fruges frendeo solas ac sicco robore.

*

Non vos hinc properè stabulis amolimini. Non. amolior.

*

Saluete gemini mea propages sanguinis. Non. propages.

*

Sed cùm animum attendo, ad quærendum quid siet. Non. attendo.

*

flammeo vapore torrens terræ fœtum exusserit. Non. torrens, & Isidor.

*

Loca arida initas. Diom. lib. 1.

*

Minitabiliterq; increpare dictis sæuis incipit. Non minitabiliter.

*

Ceruicum floros dispergite crines. Ex emendat. Col. in Apul.

ARMORVM IVDICIO.

*

Qui sese ad finem esse ad causandum volunt
De virtute; his ego cernundi do potestatem omnibus. Non. in, causari; & in, cernere.

*

Seq; ad ludos iam inde abhinc exerceant. Charis. in, abhinc. lib. 2.

*

Pro imperio agendum, quis vetat, quisve attollat. Non. attollere

*

Quod ego inaudiui, accipite; & quod æquom est, decernite. Non inaudire

*

——*& æquum est & rectum quod postulas.*
Iurati cernant—— Non. cernere.

*

Dic quid faciam? quod me moneri effectum dabo. Non. monere

prologo

*

Non. pœnitebant. ——— prologo
Nunc pœnitebant, libant liberi grato ex loco.

*

Non. certetur. An quis est qui te esse dignum, quî cùm certetur putet?

*

Fest. reapse. Si non est ingratum reapse quod feci.

*

Non. vesci. Qui viget vescatur armis, vt percipiat præmium.

*

Fest. toruus. Feroci ingenio, toruus, prægrandi gradu.

*

Quum recordor eius ferocem & toruam confidentiam.

*

Non. in, icit. ——— nam canis
Quando est percussa lapide, non tam illum appetit,
Qui se icit, quàm illum ipsum lapidem, à quo icta est, petit

*

Cic. in Orat. Nihilne ad te de iudicio armorum accidit.

ATALANTA.

*

Non. in, libertatem. Regi vt memorabis nunc regnum potitur transmissu patris.

*

Non. stirps. Dubito quam insistam viam, aut quod primordium
Capissam ad stirpem exquirendum.

*

Non. confidentia. Grandem atque atrocem coërce confidentiam.

*

Non. expedibo Nam quod conabar, quum interuentum est, dicere
Nunc expedibo.

*

Fest. sexus. Triplicem virili sexu partum procreat.

*

Fest. vngulus. Suspensum in læuo brachio ostendo vngulum.

*

Non. geminitudo. Habeo ego istam quî distinguam inter vos geminitudinem.

*

Nō. famulitas Quæ famulitas.

*

Non. in, abdicare. Mortem ostentant, regno expellunt, consanguineam esse abdicant.

*

Nō de casib. Parentûm incertûm inuestigandûm gratiâ.

*

Non. callere. Omnes, qui, tanquam nos, sub regno seruiunt,
Callent domi cum imperio metuere.

Solli-

*

ollicita studio, obstupida, suspenso animo, ciuitas. Non. ciuitas.

*

bi ego me grauidam sentio aggrauescere
ropinquitate parti. Non. parti.

*

Dolet pigetq́, magis magisq́ me conatum hoc nequicquam itiner Non. itiner.

*

Quæ ægritudo insolens mentem attentat tuam? Non. insolens.

*

Super satis agere, vt ne in mare animum occupes. Non. occupare

*

Magnatè, vt verear loqui, porcet pudor. Non. porcet.

*

Quid isthuc est vultum alligat quæ tristitias? Non. tristitias.

*

Quum in cultos peruestigans inrimarer sinus. Non. rimari.

*

Consentire ac dissentire partem da cursu æquiter. Non. æquiter.

*

—is vestrorum vter sit cui signum datu' st.
Cette. Non. cette.

*

Et si metuo pietate plaga palam Non. plaga.

*

Calydonia altrix terra exuberantium virûm. Varro lib. 6.

*

Extremum intra campterem ipsum prægradat.
Parthenopæum— Non. prægradat.

Chryses.

*

Dij monerint meliora atque amentiam auerruncassint. Partim ex Varr. lib. 6. & Festo, parum Non. Coniunxit ex variis Ciceronis & Varr. locis vir doctus.

*

Hoc vide circum circaq́, quod complexu continet
Terram; quod nostri cælum memorant, Graij perhibent æthera:
Quicquid est hoc: omnia is animat, format, auget, alit, serat,
Sepelit, recipitq́ in sese omnia, omniumq́ idem est pater:
Indidemq́ eadem quæ oriuntur, de integro, æquè eodem occidunt.

*

Nam istis qui linguam auium intelligunt;
Plusq́ ex alieno iecore sapiunt, quàm ex suo:
Magis audiendum, quàm auscultandum censeo. Cic. lib. 1. de diuinat. & Non.

*

Ciues antiqui, amici maiorum meûm,
Consiliûm socij, augurûm atque extûm interpretes. Cic. de Orat.

*

Postquam prodigiûm horriferûm, portentûm pauor.

*

Non. *aucupo.* *Incipio saxum tentans scandere verticem*
In summum, dein omnes in partes prospectum aucupo.

*

Fest. *specus.* *Est ibi, sub eo saxo, penitus strata arenâ ingens specus.*

*

Prisc. lib. 6. *Ossum inhumatum, aestuosam auram.*

*

Non. *vescimur.* *Fugimus, qui arce hac vescimur.*

*

Non. *Aiutamini.* *Aiutamini & defendite.*

*

Non. *augurat* *Propemodum animus coniecturâ de errore eius augurat.*

*

Non. *integrare.* *Sed cesso inimicitiam integrare.*

*

Non. *populare* *Atq; vt promeruit pater, mihi patriam populauit meam.*

*

Non. *flucti.* *Interea loca flucti flaccescunt, silescunt venti, mollitur mare.*

*

Non. *Adiugare.* *Mater est terra, animam aether adiugat.*

Varr. lib. 4. *

Non. *aesti.* *Aesti fortè ex arido.*

*

Non. *opino.* *Iuueni opino esse optumum, Orestes vt heres siet.*

*

Non. *Nigret.* *Solisq; ex ortu capeßit candorem, occasu nigret.*

*

Fest. *redantruare.* *——promerendae gratiae;*
Simul cùm videam Graios nil mediocriter
Redantruare, opibusq; summis persequi.

*

Non. *deiugare;* & *memoria.* *——perq; nostram egregiam*
Vnanimitatem, quam memoria deiugat.

*

Non. *potestur* *Si qua potestur inuestigari via.*

*

Non. *certissent.* *Atque eccos vnde certissent.*

DVLORESTES.

*

Varro lib. 6. *Allicui in Aegaeo freto.*

*

—— pater
Prisc. de *pleros.* lib. 5. *In Caphareis saxis pleros Achaeos perdidit.*

*

Non. *incertat* *Sed incertat me dictio, quin rem expedi.*

Hyme-

*

— Hymenæum fremunt Non. *resonit.*
Æquales: aula resonit crepitu musico.

*

— Æges
Ferme aderant æquore in alto ratibus repentibus. Varro lib. 6.

*

Si Priamus adesset, & ipse eius commiseresceret. Seru. Aen. 11.

*

Hiccine hic est, quem forma gratia ante omnes nobilitat viros Fest. *spectu.* Non. *nobilitare.*
Amplius, rubicundo colore, spectu proteruo, ferox
Caperata fronte?

*

Nam te in tenebris sæpe lacerabo fame Non. *torto.*
Clausum, & fatigans artus torto distraham.

*

Macte esto virtute operáque, omenq́; approbo. Non. *Macto.*

*

Gnatam despondit, nuptiis hanc dat diem. Non. *dies.*

*

——quid? quondam & mihi Non. *pudets*
Piget paternum nomen, maternum pudet
Profari ——

*

Primùm hoc abs te oro, ne mi inexorabilem Non. *vanitudo.*
Faxis, ne turpassis vanitudine ætatem tuam.

*

Vbi illic est? me miseram quam clamor eliminat. Non. *eliminare.*

*

Nil coniectura quiui interpretarier Non. *contendere.*
Quorsum flexiricè contenderet.

*

Nónne officium fungar vulgi, atq; ægre madefactum feram? Non. de Accusatiuo.

*

Responsa explanat. mandat ne mater fuat Non. *fuat.*
Cognoscendi vnquam aut contuendi copia.

*

Non vetet animum ægritudine in re creperâ confici. Non. *creperâ.*

*

Vel cùm illum videas sollicitum orbitudine. Non. *Orbitud.*

*

Delphos venum pecus secundæ abstabula ac itiner contuli. Non. *itiner.*

*

—— is quis est? Non. *occupo.*
Qui te, ni tu illum occupas, letho dabit.

*

Nec grandiri frugum fœtum posse, nec mitescere. Non. in, *mitis*; coniq́ pté auté, in *grandiri.*

*

Non. prolixitudo. *Oro mi, ne flectas fandi mi prolixitudinem.*

*

Non. consternari. *Vnde exoritur? quo præsidio fretus? auxiliis quibus*
Quo consilio consternatur? qua vi? cuius copiis?

*

Cic. lib 3. de Orat. & lib. 1. de Diu. *Interea propè iam occidente Sole inhorrescit mare,*
Tenebræ conduplicantur, noctisq́; & nimbûm occæcat nigror.
Flamma inter nubes coruscat, cælum tonitru contremit.
Grando mista imbri largifluo subitá turbine præcipitans cadit.
Vndique omnes venti erumpunt, sæui exsistunt turbines,
Feruet æstu pelagus.

*

Non. munes. *Animum. quæ tum largitio multis ignota erat.*
Munificus nemo putabatur, nisi pariter volens.

*

Non. soniti. *Quídnam autem hoc soniti est, quòd strìdunt fores?*

*

Non. incilare. *Si quis hac me oratione incilet, quid respondeam?*

*

Non. matresçam. *Vtinam nunc matrescam ingenio, vt meum patrem*
Vlcisci queam.

*

Non. temeritudo. *Egóne? tyranni noui temeritudinem.*

*

Non. caluitur *Me caluitur suspicio: hoc esse illud, fore*
Quod occultè Aiax prædixit.

*

Non. autumo. *Aut hîc est, aut hîc adfore actutum autumo.*

*

Non. adiutatur. *Illum quæro qui adiutatur.*

*

Non in, fatiscere, & in, fatiscuntur. *Vt si ita sunt promerita vestra æquiperare vt queam;*
Vereor si vnquam fatiscar facere quod quibo boni.

*

Non. amiciter *Nunc ne illum exspectes, quando amico amiciter*
Fecisti.

HERMIONA.

*

Varro lib. 5. *Regni alieni cupiditas pellexit.*

*

Auct. ad Her. lib. 2. *Fortunam insanam esse, & cæcam, & brutam perhibent Philosophi,*
Saxoq́; instare eam globoso prædicant volubilem.
Ideo quò saxum fors impulerit, cadere fortunam autumant.
Cæcam ob eam rem esse memorant; quia nihil cernat, quò sese applicet.

Insa-

*

Insanam autem illam aiunt, quia atrox, incerta, instabilisq́ sit.
Brutam autem, quia dignum atque indignum nequeat internoscere.
Sunt autem & alij Philosophi qui contrà fortunam negent
Esse vllam, sed temeritate omnia autument regi. id magis
Verisimile aiunt: quòd vsus reapse experiundo edocet.
Velut hic Orestes modò fuit Rex, modò mendicus factus est:
Naufragio res hæc contigit. nempe ergo haud fortuna obtigit.

*

In turbâ Oresti cognita, agnota est soror. Prisc. lib. 10.

*

Quantamq́ ex discorditate cladem importem familiæ. Non. *discorditas.*

*

Non túte hinc à conspectu amolire? Non. *amoliri.*

*

Tyndareo fieri contumeliam, cuius à te veretur maximè. Non. in, *genitiuo pro accusat.*

*

Quòd ego in acie celebro obiectans vitam, bellando aptus sum. Non. *aptus.*

*

Lamentas fletus facere compendi licet. Non. *lamētas*

*

Et obnoxium esse, aut brutum, aut elinguem putes. Non. *brutum*

*

Priùs data est, quàm tibi dari dicta, aut quam reditum est Pergamo. Non. *dicere.*

*

Concorditatem hospitio adiunctam perpetem
Probitate conseruetis. Non. *concorditas.*

*

Quum neque me aspicere æquales dignarent meæ. Non. *dignarent* & Diomed. lib. 1.

*

Tristitiâ atque animi intolerandâ anxitudine. Non. *anxitudo.*

*

Aut non cernam nisi tagam. Fest. *tagit.*

*

Habet hoc senectus in se, cùm pigra est ipsa; vt spissa omnia
Videantur confieri. Non. *spissum.*

*

Currum liquit, chlamyde contortâ astu clupeat brachium. Varro lib. 4. & Non. in, *clypeat.*

*

O flexanima atque omnium regina rerum oratio. Non. in verbo, *Flexanima.*

*

Quod tamen ipsa orbitas grandæuitasq́ Pelei per penuriam
stirpis subaxet. Non. *grandæuitas.*

*

Sub iudicio quoque omnes gradus tetinerim. Non. *tetinerim*

*

Non. moraret Paucis absoluit, ne moraret diutius.

Diomed. lib. 1.

*

Non. clepo. Sermonem hic nostrum ex occulto clepit, quantum intellige.

*

Non. domutio Nam solis Danais hic domutionem dedit.

*

Non. gemini. Par fortitudo, gemina confidentia.

ILIONA.

*

Non. altercata. Cur illa hic mecum altercata est.

*

Fest. repotia. Ab ea depulsum mammâ, pædagogandum accipit
Appotalis liber.

*

Non. adiugo. Blandam hortatricem adiugat voluntatem.

*

Non. cluetur. Sed hæc cluentur hospitum infidelissimi.

*

Non. dignet. —— quis Deos
Infernos, quibus cælestes, dignet decorare hostiis.

*

Non. expetunt. Dij me etsi perdunt, tamen esse adiutam expetunt:
Quod, priusquam intereo, spacium vlciscendi danunt.

*

Non. lactare. Ne porrò te error, qui nunc lactat, maceret.

*

Non. poti. Vt si onere credo adhuc sceptrum patienter poti.

*

Non. inibi. Profectò aut inibi est, aut iam potiuntur frugum.

*

Non. offendo. Quos ego ita vt volui offendo incolumes.

*

Non. vnosè. Occidisti, vt multa paucis verba vnosè obnuntiem.

*

Non. vngulus Repugnanti ego porrò hunc vi detraxi vngulum.

*

Fest. perpetem Fac vt cœpisti, hanc operam mihi des perpetem.
Oculus traxerim.

MEDEA.

*

Non. bóunt. Clamore & sonitu colles resonantes bóunt.

*

Non. vagat. Quid tandem, vbi ea est? quòd recepta exsul incerta vagat.

*

Prisc. egregius lib. 3. Mulier egregiissimâ formâ.

Possum

*

ſſum ego iſtam capite cladem auerruncaſſere? Non. auerrunc.

*

iuerſi circumſpicimus, horror percipit. Macrob. lib. 6. c. 1.

*

lum amor quem dederat, qui plus pollet, potiorq́; eſt patre. Cic. 4. Tuſc.

MEDVS.

*

EDEA. —*Atque eccum ipſum in tempore*
Oſtentum ſenem. tueórne te ſenex? proh Iupiter! Varro, Feſtus, Nonius, Macrobius.
EN. *Quis tu es mulier quæ me inſueto nuncupaſti nomine?*
MEDVS. *Sentio pater te vocis calui ſimilitudine.*
Sed quid conſpicor? num me lactens caluitur æuitas?
Cælitum Camilla exſpectata aduenis. Salue hoſpita.

*

Populo qui fauſtum ſempiternè ſoſpitent. Non. in, ſoſpitare.

*

Credo quorſum itiner tetiniſſe aiunt. Non. tetiniſſe.

*

Linguæ biſulcis actu criſpo fulgere. Non. fulgere.

*

Quæ res te ab ſtabulis abiugat, certum eſt loqui. Non. abiugat.

*

Repudio auſpicium. regrediundum eſt illico. Non. illico.

*

Tonſilla pegi læuo in litore. Priſc. pango.

*

Te Sol inuoco vt mihi poteſtatem duis
Inquirendi mei parentis. Chariſ. lib. 1.

*

Ques ſunt iſti? ignoti, neſcio ques, ignobiles. Chariſ. lib. 1. & Priſc. l. 13.

*

Cuſtodite iſtum vos, ne eum quis attollat, néve attigat. Non. in, attollere. & Diomed.

*

Ire ſi recto, pergit iter: iam ſi ire conor, prohibet betere. Non, in betere.

NIPTRA.

*

Barbari eam peſtem nauibus noſtris obtulit
Noua figura factam, commiſſam infabre. Non. infabre. & committere.

*

Ætate integrâ, feroci ingenio, facie procerâ virum. Nō. facies. & Gellius lib. 13. c. 18.

*

Aduenio in ſcruploſam ſpecum. Priſc. de, ſpecus. lib. 6.

*

Spartam repedare inſtat, id ſi perpetrat. Feſt. perpetr.

*

Cicer. 2. lib. Tuscul.

Tu quoque Vlyxes, quamquam grauiter cernimus ictum, nimis
Es animo molli; qui consuetus in armis æuum agere.

*

—— retinete, tenete, opprimite,
Vlcus nudate. heu miserum me, excrucior.
Operite, abscedite, iam iam dimittite.
Nam attrectatu & quassu sæuum amplificatis dolorem.
Pedetentim ite, & sedato nisu, ne succussu arripiat maior dolor.

*

Festus in, *serilla*, & in *subscudes*.

Nec vlla subscus cohibet compagem aluei,
Sed suta lino & sparteis serilibus.

*

Non. *pariter*.

Pariter te esse erga illum video, vt illum te erga scio.

*

Gell. l. 2. c. 26.

Cedo tamen pedem, lymphis flauis; flauum vt puluerem
Manibus iisdem, quibus Vlyxi sæpe permulsi abluam;
Laßitudinemq; minuam manuum mollitudine.

*

Cic. 2. Tusc.

Conqueri fortunam aduorsam, non lamentari decet:
Id viri est officium, fletus muliebri ingenio additus.

*

Non. *betite*.

Vos betite in pugnam defensum patriam.

PAVLLVS.

*

Non. *progenij* & *celerè*. Gell. lib 9. c. 14 & Cõiect. in Varron. lib. 6 Macrob l 6. Sat. c. 5. Prisc. lib. 6 Non. *niuit*.

Pater supreme nostræ progenij patris,
Nunc te obtestor celerè sancto subueni
Censori.

*

Quamuis caprigeno pecori grandior greßio' st.

*

Sagittis, plumbo, & saxis grandinat, niuit.

PERIBOEA.

*

Non. *niti*. alia duo concinnau. t Cõiec. in Var auct. lib. 6.

Ardua per loca agresti
Nititur, ac trepidante gradu,
Saxáque scrupea Bacchi
Altáque templa propè aggreditur.

*

Nõ. *moderat*, & *leuare*.

Neque tuum te ingenium moderat, neque fraterna ira exilium leuat.

*

Non. *ætas mala*.

Parum est, quòd te ætas malè habet, ni etiam hîc ad malam ætatem adiungas cruciatum reticentia?

*

Non. *gliscit*.

Sed nescio quidnam est, animi horrescit & gliscit gaudium.

Nam

*

Nam me perbitere, illis opitularier, Non. perbitere.
Quouis exitio cupio, dum prosim modò

*

Thesiantem fremitu concidi melum. Non. melus.

*

Consternatæ animæ, expectore hac & voluere Non. consternari.
Consilium, subit omnes quod de nata est modò
Quo pacto inimicis mortem & huic vitam efferas.

*

Belluarum ac ferarum aduentus ne tetret loca. Non. tetret.

*

Aut quæ egi, ago, vel axim, auerruncem. Non. auerruncem.

*

In triplici pertimefactus mærore animi, incertè errans vagat Non. vagat.

*

Postquam est oneratus frugum & floris Liberi. Non. de Genitiuo.

*

Tamen obfirmato animo mitescit metus. Non. tamen.

*

Patior facilè iniuriam, si est vacua à contumeliâ. Non. iniuria.

*

Regnum potior, coniugem macto inferis. Non. de Nominatiuo.

*

Flexa, non falsa autumare dictio Delphis solet. Non. autumare.

*

Tu mulier tege & tuta templa Liberi. Non. tuta.

*

Non potest Menalippe hîc sine tuo opera exanclari clauos. Non. exanclari.

*

Lapit cor cura, ærumna corpus conficit. Non. lapit.

*

Corpusq; meum tabe, mærore, errore, macore senet. Non. macor.

*

Metus, egestas, mæror, senium, exsilium, & senectus. Non. senium.

*

Ecfare quæ cor tuum timiditas territat. Non. timor.

*

Nam si te tegeret pudor, siue adeò cor sapientiâ imbutum foret. Non. imbuere

*

Mane, expedibo: factum mihi, quòd contra rogo, respondeas. Non. expedibo

*

Regnum Imperator, æternum morum sator. Non de accusatiuo sing.

*

Gnato ordinem omnem vt dederit, enodat patri. Non. enodo.

*

O multimodis variè dubium, & prosperum copem diem. Non. copem.

*

Prisc. de senet. lib. 10. *Quamquam ætas senet, satis habeo tamen virium vt te arâ arceam.*

TANTALVS.

*

Non. prægreditur. *Extremum intra campterem, ipsum*
Iam prægreditur Parthenopæum.

TEVCER.

*

Varro lib. 6. de ling. Lat. *Flexanima tanquam lymphata & Bacchi sacris*
Commota, in tumulis Teucrum commemorans meum,
Alcyonis ritu litus peruolgans feror.

*

Caris. lib. 1. & Nõ. stirpi. *Qui stirpem occidit meum.*

*

Cic. lib. 2. de Orat. *Segregare abs te ausus, aut sine illo Salamina ingredi?*
Neque paternum aspectum es veritus? cùm me ætate exactâ
Indigum liberûm lacerasti, orbasti, exstinxti: neq; fratris necis;
Neque gnati eius parui; qui tibi in tutelam est traditus.

*

Non. in. a'ñ nus, & in, pœnitudo, & vastitudo. *Quæ desiderio alumnûm, pœnitudine,*
Squale, scapreq; incultâ vastitudine.

*

Non. facul. *Nos illum interea perficiendo propitiaturos facul remus.*

*

Fest. reciprocare. *Rapido, reciproco, percito, augusto, citare, rectem, reciprocare vnde, équegremius subiectare, adfigere.*

*

Cic 1. de nat. Deor. *Nam si curent; bene bonis sit, malè malis, quod nunc abest.*

*

Non. putret. *Quamquam annisq; & ætate hoc corpus putret.*

*

Fest. tagit. *Vt ego, si quisquam me tagit, & tagam.*

*

Prisc. lib. 4. *Postquam defessus perrogitando aduenas*
De natis, neque quemquam inuenit scium.

*

Ex Festo in redhostire, & Nõ. in, hostire *Nisi coërceo proteruitatem, atque hostio ferociam.*

*

Fest. in, Sas. *Nam Teucrum regi sapsa res restibilet.*

*

Non. prouidea *Aut me occide, illa hinc sine vsquam prouideam gradum.*

*

Non. facessere *Te repudio, nec recipio, naturam dico facessi.*

*

Non. ibid. & Fest. *Facessite hinc omnes, parumper tu mane.*

Quam

*

Quam te post multis tueor tempestatibus — Non. *tueri*, & *tempestas*.

*

Vbi poëtæ pro sua parte falsa conficta̍que canant, qui causam humilem dictis amplant. — Non. *amplat*.

*

Profusus gemitu, murmuro. — Fest. *profusus*.

*

Neque perpetrare precibus, nec precio quit. — Fest. *perpetrare*.

*

Patria est, vbicumque est bene. — Cicero 5. Tuscul.

*

Periere Danai, plera pars pessundata est. — Prisc. lib. 5. & Fest. in, *plera*.

*

Nisi inscitiâ, ferocitate, atque ferociâ. — Non. *ferocia*.

*

Haud sinam quicquam profari, priusquam accepso quod peto. — Non. *accepso*.

*

Mihi classem impetrat Thessalam, nostrámque in altum vt properiter deducerem. — Non. *properiter*.

THYESTE.

*

Non illic luteis aurora bigis. — Fulgent. in, *luteum*.

EX INCERT. PACVVII TRAGOEDIIS.

*

Sanguine cassa, domiporta, terrigeria graditur,
Quadrupes, tardigrada, agrestis, humilis, aspera,
Capite breui, ceruice anguinâ, aspectu truci,
Euiscerata, inanima, cum animali sono.
— Cic. lib. 2. de diuinat. Tertull. de pall. Crinitus lib. 11. c. 7.

*

Graiugena de isto aperit ipsa oratio.

*

—— quinetiam feræ
Quibus abest ad præcauendum intelligendi astutia. — Cic. lib. 5. de fin.

*

Ego odi homines ignauâ operâ, & philosophâ sententiâ — Gell. lib 13. cap. 8.

*

Nam si qui, quæ euentura sunt, prouideant, æquiperent Ioui. — Gell. lib 14. cap. 1.

*

Filias tibi procreasse eandem per Calypsonem autumant. — Caris. lib. 1. Prisc. lib. 6.

*

Hic tibi strepitus, fremitus, clamor, tonitru, rudentisibilus. — Varr. lib. 4. & epist. Cælij.

*

—— Nerei
Repandirostrum, incuruiceruicum pecus. — Fest. lib. 1. c. 6.

*

Tu curuifrontes pascere armentas soles. — Non. *armenta*.

*

Varro lib. 4. *Exhalat auram terra atque auroram humidam.*

*

Varro lib. 5. *Pastor exorto iubare, noctis decurso itinere*

*

Varro lib. 1. de re rust. *Sol si perpetuò sit aut nox flammeo vapore, aut frigore,*
Fructus omnes interire.

*

Varro lib 6. de L.L. *—— nulla res neque*
Cicurare, neque mederier potis est, neque
Reficere.

*

Fest. gena. *Nunc primùm opacat flore lanugo genas.*

*

Fest. incicorē. *Reprime incicorem iracundiam.*

*

Consilium cicur.

*

Fest manticularum. *Ad manticulandum astu aggreditor. scitè, quid pro me, erue.*

*

Educ, i, manticulator. ita me facti oppreßit iugo.

*

Aggreditur astu regem. manticulandum est hîc mihi.

*

—— machinam ordiris nouam
Manticulatam astu, sanctiora adicis
Iuraiuranda——

*

—— quibus quotidie
Paruæ noxæ extergeantur.

*

Fest. mulcere. *Quid me obtutu terres, mulces laudibus?*

*

Fest. nequitū. *Sed cùm contendi nequitum vi, clàm tendenda est plaga.*

*

Fest. obstinati *Obstinati exorsus.*

*

Fest. prologiū. *Quid est? nam me exanimasti prologio tuo.*

*

Fest. repeda. *Paulum repedagnate à vestibulo gradum.*

*

Fest. salacia. *Hinc sæuitiam salaciæ fugimus.*

*

Fest. solari. *Solatur, auxiliatur, hortaturq́; me.*

*

Fest spira. *Quid cessatis socij eijcere spiras sparteas.*

*

Fest. Topper. *Topper tecum sit potestas, faxit si mecum velit.*

Labi-

*

Labitur trabica in alueos. Fest. trabica.

*

Nec satis resarrire. Varro lib. 6.

*

At accepisti me isto cum verbo, miseretur tui. Non. miseretur.

*

Postquam calamitas plures annos aruas caluitur. Non. aruas.

*

Miseret me, lacrymis lingua debiliter stupet. Non. debiliter

*

Voce suppressâ, innatâ fronte, vultu turbido. Non. frons.

*

Improbus, confidens, nequam malus videatur Non. cõfidens.

*

Quæ te applicauisti tamen ærumnis obruta Prisc. lib. 9.

*

Calchan. Charis. lib. 1

*

Iteris.

L. ACCII, vel ACTII, vel ATTII.

ÆNEADÆ seu DECIVS.

*

Patrio exemplo me dicabo. animam deuorabo hostib. Non. deuorabo

*

Te sancte, venerans precibus, inuicte, inuoco,
Portenta vt popolo, patrio verruncent bene. Non. verruncent.

*

Vim Gallicam obduc contra in acie exercitúve
Patrum hostili fusum sanguen sanguine. Non. sanguen.

*

Clamore & gemitu templum resonit cælitum. Non. sonit.

*

Eo nunc quòd eorum segnitate ardet focus. Non. segnitas

*

Fateor; sed sæpè ignauit fortem in spe exspectatio. Non. ignauit.

*

Calleci voce canora fremitu peragrant minitabiliter Nõ. minitab.

*

Castra hæc vestra est, optimè essis meritus à nobis. Non. castra.

*

Dÿ summa tibi perduellûm est, quorum aut quibus
se à partibus gliscunt. Non. gliscit.

*

Nihil neque periculi, neque tumulti est quod sciam. Non. tumulti

*

Non. callet. *Quod periti sumus in vita atque vsu callemus magis.*

*

Non. adauctauit. *Quibus rem summam & patriam nostram quondam adauctauit pater.*

ACHILLES.

*

Non. delica. *Quâ re aliâ ex crimine inimicorum effugere poßis, delica.*

*

Non. feruat. *Ne tum cùm feruat pectus iracundiâ.*

*

Non. flaccent. *An sceptra iam flaccent, ferat.*

ÆGISTHVS.

*

Non. callet. *Meliùs quàm viri callent mulieres.*

*

Non. celebri. *Celebri gradu gressum accelebrasse decet.*

*

Non. fligi. *Heu cuiatis stirpem penitus fligi studet.*

*

Non. fragescunt. *Neque fera hominum pectora fragescunt, donec*
vim persenserint imperij.

*

Non sordet. *Cùm manus materno sordet sparsa sanguine.*

AGAMEMNONIDES.

*

Non. obliterare. *Inimicitias Pelopidarum exstincta iam obliteratas memoriâ renouare.*

*

Non. cōponere *Sic multi, animus quorum atroci iunctus malitia est,*
Composita dicta ex pectore euoluunt suo,
Quæ, cùm componas dicta factis, discrepant.

ALCESTIS.

*

Prisc. lib 9. *Cùm strideret retracta rursus inferis.*

ALCMÆON.

*

Non. vanans, & lactare. *Tanta vt frustrando lactans, vanans protrahit*

*

Non. specu. *Quod dij interdum inferam penitus depressum altis clausêre specis.*

*

Non. Grandæuitas. *Quia nec vos nec ille impunè irrideret meam*
Grandæuitatem.

*

Non superstites. *Suos deseruit liberos, superstites sunt.*

*

Non. tarditudine. *Atque eccos segnes somno & tarditudine.*

Postre-

*

Postremò amplexa, fructum, quem Dij dant, cape. Non. amplexa.

*

Qui ducat, cùm te viderit socerum, generibus tantam esse impietatem. Non. generibus.

*

Vt me repositum immerentem repentino nuntio alacrem
Reddidisti, ac me excitasti ex luctu in lætitudinem. Non. lætitudinem.

ALPHESIBOEA.

*

Quid tam obscuri dicunt? èstne tam inenodabile? Non. enoda.

*

Aduertor, cùm te esse Alcmæonis fratrem factis dedicat. Non dedicat.

*

Sed angustitatem inclusam saxis squalidam. Non. angustitatem.

*

—— etsi est in malis
Depositus animus meus, quæ scribi exinde audiet. Non. deponere

*

Ita territa membra animo ægroto cunctant sufferre laborem. Non. cuncto.

*

Cum ipsa sim & si miseritudo eorum vlla est liberûm. Non. miseritudo.

*

Si tui veretur te progenitoris, cedo. Non. de Genitiuo.

*

Odiorum hostificumq; diem obuium turbam aspecti atque horribilem. Non. aspecti.

*

Sed tibi cautim est adeundum ad virum. Non. cautim.

AMPHITRYO.

*

Si satis rectè aut verâ ratione augurent. Non. augurent.

*

Hoc in re est, quòd tu tam temeriter meam beneuolentiam
Interiisse es ratus. Non. temeriter.

*

Cedo ecquid te redhosti tum cùm meassem obiectet facilius. Fest. redhostire, & Non. redhostit.

*

Aut tam obstinato animo confisus tuo. Fest. obstinatus.

*

An mala ætate vis multari exemplis omnibus? Non. mala ætas.

*

Qui meum senium cum dolore tuo coniungam & comparem? Non. cōparare

*

Miseret lacrymarum, luctuum, orbitudinis. Non. orbitudo.

*

Sed quænam hæc est mulier, funesta veste, tonsu lugubri? Non. tonsu.

Tamen,

*

Non. gracilitudo. *Tamen, ista tua gracilitudo, & luctus facit*
Propemodum ne dubitem.

*

Non sanguen. *Cum patre paruos patrum hostificè sanguine sanguen*
viscere suo.

*

Non. ordiri. *Non paruam rem ordibor. ne retice obsecro.*

ANDROMACHA.

*

Non. longinquè. *Annos malos, multosq́ longinquè à domo*
Bellum gerentes summum summâ industriâ.

ANDROMEDA.

*

Non. vapor. *Qui neq́ terræ est datus, nec cineris causa vnquam euasit vapos.*

*

Non. proluuium. *Muliebre ingenium, proluuium, occasio.*

*

Non. alere. *Alui, educaui, id facite gratum vt sit seni.*

*

Non. Fors. *Multi iniquo mulier animo sibi mala ausere in malis,*
Quibus natura praua magis, quàm fors aut fortuna obfuit.

*

Prisc ningo lib. 10. *Quum ninxerit cælestium molem mibi.*

*

Non. imman. *Immane te habeat templum obuallatum ossibus.*

*

Non. tetulisti. *Donec tu auxilium Perseu tetulisti mihi.*

*

Non. segnitate. *Namq́ vt dicam te metuant segnitate addubitare haut meum'st*

*

Non algo. *Misera obuallata saxo, senio, pedore, alguq́, & fame.*

*

Non. diuidos. *Nosq́ vt seorsum diuidos letho offeres.*

*

Non. famulitas. *Nam postquam paruos vos oppreßit famulitas.*
Vis atque egestas, fama, formido, pudor.

*

Non. *Quot luna circulos annuos instituit.*

*

Non seges. *Quod beneficium haud sterili in segete rex te obesse intelligis.*

*

Non. piget. *Nec qui te adiutem inuenio, hortari piget, non prodesse id pudet.*

ANTENORIDÆ.

*

Non. integr. *Namque venio huic vt mea ope opes Troiæ integrem.*

For-

*

Fortaſſe an ſit quod hic non mertet metus. Non. *mertet.*

*

Ad popolom intelligo referundum quoniam æquiter Non. *æquiter.*
Sententiæ fuere.

*

Qui aut illorum copias fundam in campo, aut naues Non. *mactabo*
vram, aut caſtra mactabo in mare.

*

Sed quis hic eſt, qui matutinum curſum huc celeranter rapit? Non. *celeranter.*

ANTIGONA.

*

Ne iſtum numerum amittas ſubitum oblatum. Non. *numerũ*

*

At at, niſi me fallit in obitum ſonitus. Non. *obitum.*

*

Heu vigiles properate, expergite, Non. *expergite.*
Pectora tarda ſopore, exſurgite.

*

Quid agis? perturbas rem omnem ac reſupinas ſoror. Non. *reſupinas.*

*

——iam iam neque Dij regunt, Macrob. l. 6. Sat. c. 1.
Neque profectò Deûm ſummus rex omnibus
Curat——

*

Quanto magis te iſtiuſmodi eſſe intelligo, Idem c. 1.
Tanto, Antigona, magis me par eſt tibi
Conſulere & parcere.

ARGONAVTÆ.

*

——tanta moles labitur Cic. de nat. Deor. lib. 2. & Priſc. lib. de verſ. Comicis, ſed alio ordine.
Fremebunda ex alto, ingenti ſonitu & ſpiritu
Præ ſe vndas voluit, vortices vi ſuſcitat,
Ruit prolapſa, pelagus reſpergit, reflat.
Ita dum interruptum credas nimbum voluier,
Dum quod ſublimè ventis expulſum rapi,
Saxum aut procellis, vel globoſos turbines
Exſiſtere ictos, vndis concurſantibus.
Niſi quas terreſtres pontus ſtrages conciet.
Aut fortè Triton fuſcinâ euertens ſpecus,
Subter radices penitus vndanti in freto
Molem ex profundo ſaxeam ad cælum vomit.

*

Sicut citi atque alacres roſtris perfremunt Cicero d. loco.
Delphini.

*

——Syluani melo
Conſimilem ad aures cantum & auditum refert.

ARMORVM IVDICIVM.

*

Non. hiscere. *Hem vereor, plus, quàm fas est captiuum, hiscere.*

*

Non. vesci. *Cedit, Achilli inclytis armis vesci studet,*
Vt ea cuncta optimè is leuia præ illis putet.

*

Non. subiti. *Colu. aestuat. *Bene facis. sed nunc quid subiti mihi febris* æstuat mali?*

*

Non. compon. *Quid est cur componere ausis mihi te, aut me tibi?*

*

Non. noxitudo *Ocule noxitudo obliteretur Pelopidarum, ac per nos sanctescat genus.*

*

Macrob. lib. 6. c. 1. *—nam trophæum ferre me à forti pulcrum est viro:*
Si autem & vincar; vinci à tali, nullum est probrum.

*

Non. imbutus *Inter quos sæpe sanguine imbutos.*

*

Non peruico. *Sed peruico Aiax animo atque morabilioni.*

*

Non propria. *Nam non facilè, sine Deûm operâ, propria humana sunt bona.*

*

Non. anxitudo. *Vbi cura est, ibi anxitudo, acerba ibi cuncta consiliorum ratio, & fortunæ.*

*

Non. exerciti. *In quo salutis, spes summas sibi habet exerciti.*

*

Macrob. lib. 6. c. 1. *Virtuti sis par, dispar fortunis patris.*

*

Ad Heren. lib. 2. *Apertè fatur dictio, si intelligas,*
Tali dari arma, qualis qui gessit fuit,
Iubet, potiri si studeamus Pergamo.
Quæ ego profiteor esse mea: nam me æquum est frui
Fraternis armis; mihiq; adiudicarier,
Vel quod propinquus, vel quod virtute æmulus.

ASTYANAX.

*

Non. fors. *Itera in quibus partibus (namque audire volo)*
Si est quem exopto, & quo captus modo
Fortunáne, an fortè repertitur?

*

Non. miseritudo. *Troia est testis, quare ex aliis qui illius miseritudinem,*
Nomen clarum in humili saxo multis memorant vocibus.

*

Non. aucupant *Nunc in concilio id Reges Argiuum aucupant,*
Id quærunt.

Propter

*

Propter te tot tantásque habemus vastitates funerum. Non. vastitates.

*

In celsis montibus pecua, atq; inter colles pascunt Danai in Phrygia terminis. Non. pecua

*

Qui nostra per vim patria populauit bona Non. popul.

*

Quorum crudelitatem nulla vnquam explet satias sanguinis. Non. satias.

*

Nihil credo auguribus, qui aures verbis diuitant Gell. lib. 14. c.1. Non. in diuit.
Alienas; suas vt auro locupletent domos.

*

Hic per matutinum lumen tardo properantem gradu Non. derepente.
Derepentè aspicio ex nemore pauidum & properantem egredi.

*

——— abducite intrò. nam mihi Non. aspecti.
Miseritudine commouit animum excelsa aspecti dignitas.

*

Vtinam vnicam mihi antistitam arcitenens suam Non. antist.
Tutetur.

*

Ferum feroci contundendum sæuiter. Non. sæuiter.

*

——— hunc altis picem Non. obscæno
Regionum fac. *desistat exercitum*
Morari, nec me ab domuitione arceat
Obscæno nomine. ———

ATHAMAS.

*

Atque ita de illis merui, vt iure hæc nunquam miserarent mala. Non. miserarent.

*

Cuius sit vita indecoris, mortem fugere turpem haud conuenit. Non. indecoris.

*

Vt profugiens hostem, inimici inuadam in manus. Non inuad.

*

An dubito? Vah, quid agis? caue ne in turbam te implices. Non. turbam.

*

Beneficium graue in hostium peperisti gratiam. Non. graue.

*

Priùs, quàm infans esses, facinus oculi vescuntur tui. Non. vescunt. & infant.

ATREVS.

*

Epularum fictor, scelerum fratris delitor. Prisc. delitor lib 9.

*

Concoquit partem vapore, flammam tribuit verubus lacerta in focos. Non. lacerti.

*

Proinde ita parent se in vita, vt vinci nesciant. Cic. Tusc. 5.

*

Non. vesci. *Ne cum tyranno quisquam epulandi gratiâ*
Accumbat mensam, aut eandem vescatur dapem.

*

Prisc. lib. 6. *Simul & Pisæa præmia arrepta à socru possedit suo.*

*

Non. sonere. *Sed quid tonitru turbida toruo*
Concussa repentè æquora cæli
Sensimus sonere?

*

Non. digner. *Egone Argiuum imperium attingam, aut Pelopiâ digner domo?*
Quoi me ostendam? quod templum adeam? quo more funesto colloquar?

*

Cic. 3. offic. & lib. 1. & pro Sextio. *Fregistíne fidem? Neque dedi neque do infideli cuiquam.*

*

Oderint dum metuant.

*

Natis sepulcrum ipse est parens.

BACCHÆ.

*

Non. fúlgere. *Lætum in Parnasso inter pinos tripudiantem, in circulis*
Ludere, atque tædis fúlgere.

*

Nō. magnitas. *Quod neque sat fingi, neque satis dici potest*
Pro magnitate.

*

Non. modico. *Agite modico gradu, nisus iacite leues.*

*

Non. accommod. *Tum siluestres exuuias læuo pictas lateri accommodant.*

*

Non. in, fœtis *Syluicolæ inuisentes loca*
Vbi sanctus Cythæron frondet viridantibus fœtis.

*

Non. grandæuitas. *Quæ neque vetustas, neque mors, neque grandæuitas.*

*

Non. nitiditas. *Forma figura, nitiditate, hospes regius.*

*

Fest. ostentū. ——— *Pentheus*
Præsto cerritus nobis se stupens vltro ostentum obtulit.

*

Non. nigret. *Splendet sæpe, ast idem nimbis interdum nigret.*

*

Varro lib. 5. de Ling. Lat. Macrob l. 6. Saturn. c. 5.
CHO. *Quis me iubilat?*
BACH. *Vicinus tuus antiquus.*
CHO. *O Dionyse pater,*
Optime vitisator,
O Semelâ genitus Euie.
Almaq. curru noctiuago Phœbe.

Dein.

*

Deinde omnes, stirpe cum inclyta Cadmi, deuagant matronæ percitæ tumultu. Non. vago.

*

Indecorabiliter alienos alunt Charis. lib. 2.

*

Nam Flori crines video, vt propexi iacent. Ex emendat. Schol. in Apul.

BRVTVS.

*

Nocte intempestâ nostram deuenit domum. Varro lib. 5. de L. L.

*

Cùm iam quieti corpus nocturno impetu Cicer. lib. 1. de diuinat.
Dedi, sopore placans artus languidos;
Visum est in somnis pastorem ad me adpellere,
Pecus lanigerûm eximiâ pulcbritudine.
Duos consanguineos arietes inde eligi,
Præclarioremq; alterum inuolare me:
Deinde eius germanum cornibus connitier
In me arietare, eoq; ictu me ad casum dari.
Exin prostratum terrâ, grauiter saucium,
Resupinum, in cælo contueri maximum
Ac mirificum facinus; dextrorsum orbem flammeum,
Radiatum Solis, liquier cursu nouo.

*

Rex quæ in vita vsurpant homines, cogitant, curant, vident,
Quæq; agunt vigilantes, agitantq;, ea si cui in somno accidunt,
Minùs mirum est. sed in re tantâ haud temere visa offerunt.
Proin vide ne, quem tu esse hebetem deputes æquè ac pecus,
Is sapientiâ munitum pectus egregium gerat,
Teq; regno expellat. nam id, quod de sole ostentum est tibi,
Popolo commutationem rerum portendit fore
Per-propinquam. hæc bene verruncent popolo. nam quod ad dexteram
Cœpit cursum ab læuâ, signum præpotens, pulcherrimè
Auguratum est, rem Romanam publicam summam fore.

*

——— *qui rectè consulat, consul fuat.* Varro de L. L. lib 4.

*

Tullius, qui libertatem ciuibus stabiliuerat. Cic. pro Sextio.

CHRYSIPPVS.

*

Æternabilem diuitiam partissent. Nō. partiri.

*

Quid agam? vox illius est. certè omnes idèm cernimus. Non. cernere.

*

Melius pigrasse, quàm properasse est nefas. Fest. pigrass.

*

Fest. superescit *Quin hinc superescit, Spartam atque Amyclas trado.*

*

Fest. rodus. *Neque quisquam à telis vacuus, sed vti cuique obuiam fuerat ferrum, alius saxum, rodum.*

CLYTÆMNESTRA.

*

Prisc. resonunt Lib. 9. *Sed valuæ resonunt regiæ.*

*

Non. incilas. *Mater mea, iure factum incilas, genitorem iniustum approbas.*

*

Non. tetinerit *Vt quæ tum absentem rebus dubiis coniugem tetinerit,*
Nunc prodat vltorem.

*

Non. pigret. *Omnes gaudent facere rectè, mali pigrent.*

*

Non. *Scibam hanc mihi supremam lucem & seruitutis finem dari.*

*

Non. compos. *Cur me miseram irridet magnis compotem & multis malis?*

*

Non. flucti. *Flucti immisericordes iacere, & atra ad saxa allidere.*

*

Non. sufferã. *Aut ego illum eripiam, aut illi pœnam sufferam.*

DEIPHOBVS.

*

Prisc. nexi. Lib. 9. *Nos continuò ferrum eripimus, omnibus manicas neximus.*

*

Non. lembus. *Eo autem nocte extremâ, retia vt proueherem & statuerem:*
Fortè aliquanto plus quàm solitus lembo sum progressus longiùs.

*

Non. grauis. *At infando homini gnatula erat, aut arena se exsule,*
Qui neque amico amicus vnquam grauis, neque hostis hosti fuit.

DIOMEDES.

*

Non exanclare. *Ferè exanclauimus tyranni sæuum ingenium atque exsecrabile.*

*

Non. attendo. *Simul aurem attendo, vt quirem exaudire ampliùs.*

*

Non. apud. *Adsum apud te genitor.*

*

Non. pecua. *Paßim, quæ præda, pecua balabant agris.*

*

Fest. gnobilis. Non. nobilis. *Me Argos referam (nam hic sum gnobilis)*
Ne cui cognoscar nota.

*

Non. largi. *Benignè & pro beneficio largi atque ampliter.*

Si

*

Si vnquam perpediar gnato, puer, ne attenderis Non. attēder.
Petere à me, id, quod nefas sit, concedi tibi.

*

Et qualis fuerit fama celebrescat tua. Non. celebres.

*

Multa amittuntur tarditie & secordiâ. Non. tarditiei

*

Ogygia mœnia. Fest. Ogygia.

*

Ita è fletu & tenebris obstinatiùs Non. insolentia.
Speciem amissi luminis conspiciunt insolentiam

*

Non genus virum ornat, generi vir fortis loco Non.

EPIGONIS.

*

Qui nisi genitores vlto, nullum meis dat finem miseriis. Non. vlto.

*

Sapimus animo, fruimur animâ, sine animo anima est debilis. Non. animus.

*

Sed iam Antylochum huc vadere cerno, & nobis datur Non. pausas
bona pausa loquendi

*

Apud abundantem antiquam amnem, et rapidas vndas Inachi Non. amnis.

*

Et nônne Argiuos fremere bellum, & velle vi vulgum videt? Non. vulgus.

*

Ita imperitus stupiditate erumpit se, impos consilij. Non. stupere.

*

Viden' vt te impietas stimulat, nec moderat metus? Non. moderat.

*

Nunc pergamus, suppliciis placans cælitum aras expleam. Non. suppliciis.

*

Quid cesso ire ad eam? hem præstò est, camo collum grauem. Non. collum.

*

Eloquere properè ac pauorem hunc meum expectora. Non. expectorar.

*

Eaq; hoc causa, vt ne quis nostra auribus verba cleperet. Non. clepere.

ΕΠΙΝΑΥΣΙΜΑΧΗ.

*

Martes armis duo congressos crederes. Charisius lib. 1.

*

Contrà quantum obfueris, si victus sies, Non. exerciti
Considera, & quo reuoces summam exerciti.

*

Vt nunc cùm animatus iero, satis armatus sum. Non. animat.

*

Non. multos. *Probis probatum potiùs, quàm multis fore.*

*

Charisius lib. 1. *Incursio ita erat acris.*

*

Non pœnitu-rum. *Quod si procedit, neque te, neque quenquam tuæ*
Arbitror pœniturum laudis, quam vt serues vide.

*

Non. terricu-la. *Vbi non terricula cita sunt.*

*

Prisc. lib 6. *Luciferâ lampade exurat Iouis arietem.*

*

Non. amnis. *Scamandriam vndam salso sanctam obtexi sanguine,*
Atque aceruos alta in amni corpore expleui hostico.

*

Non. de casi-bus. *Ab classe ad vrbem tendunt, neque quisquam potest*
Fulgentium armûm armatus ardorem obtui.

*

Non. fligi. *Nec perdolescit fligi socios morte, campos contegi.*

*

Non. fatisci & fatiscere. *Tamen haud fatiscam, quin tuam implorem fidem.*

*

Non. compara *Proin tu id cui fiat, non qui facias compara.*

*

Non. cernere. *Primores procerum reuocarent nomina, nisi esset quis qui armis secum vellet cernere.*

*

Nõ. in excep. accusatiui pro genitiuo. *Eos mortalis fœnis ——*

*

Non. mutus. *Item ad mœstitiam mutam infantium quadrupedum.*

*

Non. senium. *Mors amici subigit, quod mihi senium est multo acerrimum.*

ERIGONA.

*

Non. porcent. *Quibus oculis quisque nostrûm poterit illorum obtui vultus, quos iam ab armis anni porcent.*

*

Non. comitas-set. *Tum autem Ægisthus si me eodem lecto comitasset patri.*

*

Non. pigrem. *Fateor. sed cur propter te pigrem hæc, aut huius dubitem parcere capiti.*

*

Non putret. *Quanquam exsangue hoc corpus mihi annis putret.*

*

Non. de Ge-nitiue. *Locrorum latè viridia & frugum vbera.*

*

Non. assentio. *Assentio. age nunc tu tuam progeniem, & ordine.*

Age,

*

Age, age, amolire, amitte, caue vestem attigas. Non. attig.

*

Sed vbi ad finem ventum est, in quo illum fors exspectabat loco,
Ad quem Orestes grauis sacerdos ferro promto assistit. Non. grauis.

*

Quod vtinam me suis arcitenens telis mactasset Dea. Nō. mactare.

ERIPHILA.

*

Pallas bicorpor anguium spiras trahit. Prisc. lib. 6.

EVRYSACES.

*

Nunc per terras vagus, extorris,
Exturbatus regno, atque mari,
Super Oceani stagna alta patris,
Terrarum amfracta reuisam. Ex Nonio & Varrone sic iunxere quidam.

*

Tu autem quod quæro enoda, & qui sis explica. Non. enoda.

*

Nam ea oblectat spes ærumnosum hospitem,
Dum id quod miser est, clam esse censet alteros. Non.

*

Iam potero incipiam, & sine quid vi contendam vt hinc
comportet texum Salaminem habeam. Non. contend.

*

Sed vt ratusta, & rauecte, & vastitudine tardè forma tuis. Nō. vastities.

*

Numquam erit tam immanis, cùm mea opera exstinctum sciet, qui fragescat. Nō. fragescat.

*

Apud ipsum addiscas. Non. apud.

*

Diffidam amantem cidere turbet vulgum ambigua Non. vulgus.

*

Persuasit mæror, anxitudo, error, dolor. Non. anxitudo.

*

Heu me miserum, cùm hæc recordor, cùm illos reminiscor dies. Non. de Accusatiuo.

*

Opinione factum est, quanto minùs stirpem educabant, tanto vereremur magis eos esse. Non. opinione

*

Tot tropæa transdes, summam gloriam euorti sines
Tam desubito. Non. desubito

*

Tuam solitatem memoras, formidas tibi. Non. solitas.

*

Reprime parumper citatum quadrupedem. Non. de Accusat. pro Genitiuo.

*

Disertim id vnum incommodum desit meis. Non. disertim

*

Non. squaler. *Prô Dÿ immortales speciem humanam, inusitatam, egregiam,*
Indignam clade & squalitudine.

*

Non. caluo. *Sed memet caluor. vos istum, vt iussi, ocius abstrabite.*

*

Non. occupatus. *Quemadmodum impetum occupemus facere vltro in regem.*

*

Non. comparare. *Nihil est. si autem ad te retardat socium, in portu est*
copiaq; subsistat modo tute ipse efforma & compara.

*

Non. miserari *Heu mihi, vt etiam hac ærumna mihi luctum addit luctibus. alia persona.*
Quid miserari id me Eurysacem tuam sodalitatem memoras? formidas tibi?
te commiserabar magis, quàm miserebar mei, multis mei & aliquando vexata generibus.

*

Non. expers. *Ille orbus, expers liberûm.*

*

Non. ilico. *Ilico inquam habitat ouis quam propitius.*

HECVBA.

*

Prisc. lib 6. *Veter fatorum terminus sic iusserat.*

HELENI.

*

Fest. probrum *Qui, nisi probrum, omnia alia indelicta æstimant.*

*

Fest. mania. *Signo extemplo canere, ac tela ob mænia offerre imperat.*

ILIONA.

*

Non. sonunt. *Ibo ad eam, vt sciscam quid velint. valuæ sonunt.*

*

Non. rimari. *Aut stagnorum humorem rimarentur loca*

*

Non. memordisse. *Attrice vrsum se memordisse autumat.*

ION.

*

Prisc. aibant. lib. 10. *Quibúsnam te aibant ortum locis.*

*

Prisc. lib. 6. *Ex taurigeno semine ortam fuisse, an humano eam.*

*

Charis. lib. 1 *Custodem assiduum Ioni apposuit virgini.*

MEDEA.

*

Non. aucupauit. *Ego me extollo in abietem, altè ex tuto prospectans aucupo.*

*

Non. immane *Primò ex immani victum ad mansuetum applicans.*

*

Fors dominatur, neque vlli vita propria in vita est. Non. propria.

*

Principiò extispicum ex prodigiis, congruens ars te arguit. Non. extispicum.

*

Nisi vt astu ingenium, lingua laudem, dictis lactem lenibus. Non. lactare.

*

Tua dia Medea es, cuius aditum exspectans peruixi vsq; adbuc. Non. aditum.

*

Apud vetustam turrem. Prisc. lib. 7.

*

Vagant, pauore pecuda in tumulis deserunt,
Quis nos pascet postea? Non. pecuda.

*

Qui potis est repelli quisquam, vbi nullus est causandi locus? Non. causari.

*

Par neci orbificor liberorum leto & tabificabili. Non. tabificabile.

*

Peritè in stabulis frænos immittens feris. Non. feri.

*

Vt tristes turbinum toleraret hyemes, mare cùm horret fluctibus. Non. horrendum.

*

Lauere falsis vultum lacrymis. Non. lauit.

*

Exsul inter hostes, exspes, expers, desertus, vagus. Non. expes.

MELEAGER.

*

Vagent ruspantes siluas sextam tesseras. Non. ruspantes.

*

Quæ vastitudo hæc, aut vnde inuasit mihi? Non. vastitudo.

*

Gaudent, currunt, celebrant, herbam conferunt, dona tenent
Pro se quisque, cum coronâ clarum connectit caput. Non. herbam.

*

Cuius exuuias & coronam huic numerauit virgini. Non. de Datiuo.

*

Erat virile istuc ferre aduorsam fortunam facul. Non. facul.

*

——————frigit
Fricantem corpus aërium occultè abstruso in flumine Non. frigit.

*

Frigit æstas rubore ex oculis fulgens flammeo.

*

Em som vitæ finem ac fati internecionem fore
Meleagro torris cùm esset interfectus flammeus. Non. torris.

*

Non. dignare. *Remanet gloria apud me: exuuias dignaui Atalantæ dare.*

*

Non. incilãs. *Quiq́; non me spernens, incilans probris,*
Sermone indecorans, turpi famâ differet.

*

Non. ancillãs *Quàm inuita ancillans, dicto obediens viri.*

*

Non. eliminor. *Tum vt eliminor clamore, simul ac nota vox ad aures accidit.*

*

Nõ. grandesc. *Fruges perhibet grandescere.*

*

Non. itiner. *Labore aut minuat itiner ingressum via.*

*

Non. leuare. *Caue laßitudo poplitum cursum leuet.*

*

Non. mansues *Nunc si me matrem mansues misericordia capsit.*

*

Non. feruit. *Heu cor irâ feruit cæcum, amentiâ rapior, feror.*

MELANIPPVS, seu MENALIPPVS.

*

Fest. obnoxiũ. *Te, te esse huic noxæ obnoxium.*

*

Non. imbuturum. *Credite me amici morte imbuturum manus.*

*

Non. torris. *Regina erit tempus cûm hic torris quem amburi vides.*

*

Varr. lib. 6. *Reÿcias abs te religionem, scrupeæ imponas.*

*

Fest. rodus. *Constituit, cognouit, sensim conlocat sese in celsum locum,*
Hinc manibus rapere rodus saxeum grande & graue.

*

Fest. ratus. *Neque ratum est quod dicas, neq; quæ agitas discendi est locus.*

*

Non. aptus. *Obuiat amens, idq́; aduersum aptus, alter in promptu occupat.*

*

Non. cette. *En eum aliquis cette in conspectum, aut nos, vbi est, ducite ad eum.*

*

Non. præsente his. *Est res aliqua, quæ præsente his priùs maturè institit.*

*

Non. inuidit. *Vnde, aut qui mortalis florem liberûm inuidit meum?*

*

Non. anima. *Egóne auxilio motus, temere vt hosti me animato offeram?*

*

Non. salti. *Hi Melanippum interea traiectus nemorum in salti faucibus.*

MINO-

MINOTAVRVS.

*

Taurigeno semine ortum fuisse an humano. Macrob. l. 6. Saturn c. 5.

MYRMIDONES.

*

Tu pertinaciam esse Antiloche hanc prædicas: Non. pertinax
*Ego peruicaciam aio. & *hac me vti volo.* * vel, ei.
Nam peruicacem dici me esse, & vincere,
Perfacilè patior. pertinacem, nihil moror.
Hæc fortes sequitur: illam indocti possident.
Tu addis quod vitio est, demis quod probro datur.

*

Termen. Varro lib. 4.

*

Mea fata in acie obliti. Non. de Assatino.

*

Nolo equidem. sed tu huic, quem scis quali in te siet Non. fidelitas
Fidelitate, ob fidam naturam viri ignosce.

*

Quod sicut decuit ista res mecum, aut meus mertaret dolor, Non. mertar.
Iam diu inflammari & ardere naues vidissent suas.

*

Lassis trahere in salum, & vela ventorum animæ immittere. Non. anima.

*

Regnum tibi permitti malunt. cernam, tradam exercitum. Non cernere.

*

Iram infrenes, obstes animis, reprimas confidentiam. Non. confidentia.

*

Tua honestitudo Danaos decepit diu. Non. honestitudo.

NEOPTOLEMVS.

*

Vbi nihil contra rationem, & quam habuit assensit silens. Non. assentio.

*

Haud quisquam potis est tolerare acritudinem. Fest. tolerare.

*

Vim, ferociam, animum, atrocitatem, iram, acrimoniam.

*

Do & pudet quæ grauium me, & verò piget. Non. pudet.

*

An pro me dane quiete adiutem inuenio hortari piget, Non. piget.
Non prodesse id pudet.

*

Decorare est satius quàm vrbem tæniis. Fest. tænia.

*

Sed quem mihi iungent, cuiq; tu illo fuerint dignabor dari Nō. dignatus.

*

Non. sonere. *Atque adeò valuas sonere sensi regias.*

*

Non. de Genitiuo. *Quid si ex Græcia, omne nomen Ilium par nemo reperiri potest.*

*

Non. acritas. *Vis veritatis atque acritas.*

*

Prisc. lib. 13. *Sed quesdam.*

NIPTRÆ.

*

Non. specus. *Inde aduenio in montem Oetam, scrupulosam in specum.*

NYCTEGRESIA.

*

Non. ruspari. *Iube nunc attentare, iube nunc animo ruspari Phrygas?*

*

Non. feruit. *Classis adit, clauditur, feruit.*

*

Non. expedibo *Cuncta expedibo, id modò iusiurandum date.*

*

Non. leuare. *Illos suapte induxit virtus, tu laudem illorum leuas?*

*

Non. tumulti. *Cuius vos tumulti causa accierim, & quid parem animum aduortite.*

*

Non. textus. *Scandit ora laterum texta Volcani vorax.*

*

Non. lucti. *Tunc quod superest socium mittis letho, an lucti pœnitet.*

*

Non. de Accusat. *An ego Vlyssem obliuiscar vnquam, aut quemquam præponi velim?*

*

Non. *Annos malos multosq; longinquè à domo*
Bellum gerentes summum summâ industriâ.

OENOMAVS.

*

Non. in, segetem, & in scitam & in, obscænum.
Ferte ante Auroram radiorum ardentem indicem,
Cùm somno in segetem agrestes cornutos cient;
Vt rorulentas terras ferro, rosidas
Proscindant glebas, aruoq; ex molli excitent.
Vos ite actutum, atque opere magno edicite
Per vrbem; vt omnes qui arcem astuq; accolunt
Ciues, ominibus faustis augustam adhibeant
Fauentiam. ore obscæna dicta segregent.

*

Citantur in Not. ad Varron de re rust.
Nam si lamentis alleuaretur dolor,
Longoq; fletu minueretur miseria;
Tam turpe lacrymis indulgere non foret,

Fra-

Fractaq; voce Diuum obtestari fidem,
Tabifica donec pectore excesset lues.
Nunc hac neque hilum de dolore detrahunt,
Potiusq; cumulum miseris adijciunt mali,
Et indecoram mentis mollitiam arguunt.

*

Ego vt essem adfinis tibi, non vt te exstinguerem,
Tuam peti gnatam. numerò te expurgat timor. Prst. & Non. *numerò.*

*

Quemcunque institeram grumum, aut pracisum iugum. Non *grumū.*

*

Saxum id facit angustitatem & sub eo saxo exuberans
Scatebra fluuia eradit rupem. Non. *angustitatem.*

*

Præsto etiam adsum. exprome, quid fers? nam te longo itere cerno vadere. Non. *itere.*

*

Coniugium Tisis patereat te itiner tendere. Non. *itiner.*

*

Atque hanc postremò Solis vsuram cape. Non. *vsuram*

*

Horrida honestitudo Europæ principium primum ex loco. Non. *honestitudo.*

*

Atque ea coniectura auguro. Non. *auguro.*

Pelopidæ.

*

Nam me heredem ex tuo esse conceptum satu
Vt argumenta redigunt animum & commouent. Non. *satu.*

*

Et te vt triplici lætarem bono. Non. *lætarē.*

*

Cesso hinc ire & rapere lucti vestem in lecto coniugis? Non. *lucti.*

*

Eius serpentis squamæ squallido auro & purpurâ
Prætextæ. Gell. lib. 2. c. 6. & Non.

Persidæ.

*

Satis vt quem cuique tribuit fortuna ordinem,
Nunquam vlla humilitas ingenium infirmat bonum. Prisc. lib. de metris comic.

Philoctetes.

*

Contrà est eundum cautim & captandum mihi. Non. *cautim.*

*

Quis tu es mortalis, qui in deserta Lemnia
Et tesca te apportas loca? Varro lib. 6. de L. L.

Quod

*

Non. tetritudo. *Quod ted obsecro ne isthæc aspernabilem*
Tetritudo mea me inculta faxit.

*

Non. contempla, & molitur. & Cicero 2. Tusc. *Contempla hanc sedem, in qua ego nouem hiemes saxo stratus pertuli?*
Vbi horrifer Aquilonis stridor gelidas molitur niues.

*

Non. habet. *Vbi habet vrbe, agróne.*

*

Cic. Tus. l. 2. *Heu quis salsis fluctibu' mandet*
Me ex sublimi vertice saxi?
Iam iam absumor. conficit animam
Vis vulneris, vlceris æstus.

*

Cic. Tusc. 2. *—— qui iacet in lectulo humido,*
Quid eiulatu, questu, gemitu, fremitibus,
Resonando mutum flebiles voces refert.

*

Cicero epist. ad Volumn. turbato ord. *—— ingemiscimus*
Quòd heu pennigero, non armigero corpore,
Exerceantur tela, abiectâ gloriâ.

*

Primum 5. de fin. Cicero; alium Censorin. *Configo tardus celeres stans volatiles,*
Pro veste pennis membra textis contegens.

*

Varro lib. 5. de ling. Lat. & Cicero 2. Tuscul. *—— qui Lemni aspera*
Tesca tuere & celsa Cabyrum
Delubra tenes, mysteriaq́,
Pristina castis concepta sacris.

*

Et Volcania templa sub ipsis
Collibus, in quos delatu' locos
Dicitur alto ab limine cæli,
Ætnæâ vi spirante, vapor
Feruidus, vnde ignis mortalibus
Diuisse cluet doctu' Prometheus
Clepsisse dolo, pœnasq́, Ioui
Fato expendisse supremo.

*

Tendens neruo tela reciproca
Concita equino.

*

Loca aspera, saxa tesca tuor

*

Macrob. l. 6. Satur. c. 5. *—— Heu Mulciber*
Arma ignauo inuictâ es fabricatus manu.

*

Quem neque tueri contra, nec affari queas. Idem lib. 6. c. 1.

*

Inclute paruâ prædite patriâ,
Nomine celebri, claroq; potens
Pectore, Achiuis classibus ductor,
Grauis Dardaniis gentibus vltor,
Laërtiade —— Victorin. de orthogr. & Salisberiēsis Polyc. lib. 6.

*

Cui potestas detur, tua cupienter malis membra discerpat suis. Non. cupienter.

*

Agite, ac vulnus ne succusset gressus, cautè ingredimini. Non. succussare.

*

Vt dixi his armis, macte, macte virtute patrus. Non. macte.

*

Phrygiâ minorem esse immanem Græciam. Non. immanis

*

Caprigenûm trita vngulis. Macrob. d. l. 6. c 5.

*

Dracontem. Charis. lib. 1.

*

Cùm ex viperino morsu venæ viscerum
Veneno imbutæ tetros cruciatus cient Cicer. lib. 2. Tusc. Non. imbue.

*

Si imperasses tibi, ego nunc non essem miser. Fab. lib. 5. c. 10.

PHINIDAE.

*

Ac vbi curuo litore latrans
Vnda sub vndis labunda sonit,
Simul & circum magnisonantibus
Excita saxis sæua sonando
Crepitu clangente cachinnat. Non. sonit. & cachinn.

*

Aut sæpe ex humili sede sublimæ aduolant. Non. sublima

*

Nec vlla curas finis interea datur. Fest. finis.

*

Tacete, & tonsillas litore in læuo edite, Fest. tonsillam

PHOENISSÆ.

*

Vicissitatemq; imperitandi tradidit:
Ne eorum diuidiæ discordes dissipent,
Disturbent tantas, & tam opimas ciuium
Diuitias. Non. diuidia, & vicissitas.

*

Iussit proficisci exilium, quóuis gentium:
Ne scelere tuo Thebani vastescant agri.
Egredere, exi, effer te ex vrbe, elimina. Non. vastesc. & elimino.

*

Non. *sau.ij.* *Vbi nunc vostra mœnia, & omnis saucios*
Conuisit, vt curentur diligentiùs.

*

Non. *sancti-tud.* *Delubra cælitum, mari sanctitudines.*

*

Non *expectorant.* *Incusant vltro à fortunâ opibusq; omnibus*
Desertum, abiectum, afflictum ex animo expectorant.

*

Prisc. lib. de vers. Comicis. *Sol qui micantem candido curru atque equis*
Flammam citatus feruido ardore explicas;
Quàm natum aduerso augurio & inimico omine
Thebis radiatum lumen ostendis tuum!

*

Non. *medicina.* *Venenis sterilem esse illius operâ medicinam autumas.*

*

Non. *libertatem.* *Natus virtute sceptrum potiretur patris.*

*

Nō. *castitudo.* *Ibi fas, ibi cunctam antiquam castitudinem.*

*

Nō. *antiquior.* *Ab dracontis surpe amata exoratus genere antiquior.*

*

Non. *crepera.* *Quæ ego cuncta esse fluxa, in meâ re creperâ comperi.*

*

Non. *Salsis cruorem guttis lacrymarum laui.*

*

Non. *vesci.* *Num pariter videor patris vesci præmiis?*

PROMETHEVS.

*

Non. *in gelu,* & Prisc. lib. 6 *Tum flamine profusus hyberno gelus.*

*

Cic. 2. Tusc. *Titanum soboles, socia nostri sanguinis,*
Generata cælo, aspicite religatum asperis
Vinctumq; saxis; nauem vt horrisono freto
Noctem pauentes timidi adnectunt nauitæ:
Saturnius me sic infixit Iuppiter,
Iouisq; numen Mulcibri adsciuit manus.
Hos ille cuneos fabricâ crudeli inserens.
Perrupit artus: quâ miser sollertiâ
Transuerberatus, castrum hoc furiarum incolo.
Iam tertiò me quoque funesto die,
Tristi aduolatu aduncis lacerans vnguibus
Iouis satelles pastu dilaniat fero.
Tum iecore opimo farta & satiata affatim

Clangorem fundit vastum, & sublime auolans
Pinnatâ caudâ nostrum adulat sanguinem.
Quum verò adesum inflatu renouatum est iecur,
Tum rursus tetros auida se ad pastus refert.
Sic hunc custodem mœsti cruciatus alo,
Qui me perenni viuum fœdat miseriâ.
Namque, vt videtis, vinclis constrictus Iouis,
Arcere nequeo diram volucrem à pectore.
Sic me ipse viduus pestes excipio anxias,
Amore mortis terminum inquirens mali:
Sed longè à letho numine aspellor Iouis.
Atque hæc vetusta, sæclis glomerata horridis,
Luctifica clades nostro infixa est corpori;
Ex quo liquatæ Solis ardore excidunt
Guttæ, quæ saxa assiduè instillant Caucasi.

TELEPHVS.

*

Iam iam stupido Thessala somno Prisc. lib. 10.
Pectora languéntque, senentq;.

*

Nam si à me regnum fortuna atque opes Non.; & Macrob. lib. 6. c. 1.
Eripere quiuit, at virtutem non quiit.

*

Quem vbi ego aspexi virum memorabilem intui viderer, ni vestitus teter, mæstitudo, vastitudo prædicarent hominem esse. Non. *mæstitudo.*

*

Remisq; nixi properiter nauem in fugam Non. *molle.*
Tradunt, subter saxa ad læuam, qua mons mollibat mare.

*

Nunc tu in re creperâ tuâ, quid capias consili vide. Non. *crepera.*

*

Proinde ista hæc tua aufer terricula, atque animum iratum comprime. Non. *terricula*

*

Pro certo arbitrabor sortis oracla, adytus augura. Non. *augura.*

*

Profectò quanquam est ortus meliori satu. Non. *satu.*

*

Qui neque cuiatis esset vnquam potuimus multi rogitantes scire. Non. *cuiatis.*

*

Nam etsi operta squalitate est luctuq; horrificali Non. *squalor.*

*

Aere atque ferro feruere igni, insignibus florere. Non. *feruere.*

*

Nam is demum miser est, cuius nobilitat miserias nobilitas. Non. *nobilitat*

*

Prisc. lib. de vers. Comicis. *Quantam Tyndareo gnata, & Menelai domus*
Molem excitarit belli, pastorq́; illius.

*

Non flucti. *Flucti cruoris voluerent mihi.*

TEREVS.

*

Non. dulcitas *O suauem linguæ sonitum, ô suauitas conspiritûm*
Animæ.

*

Non. contend. *Video ego te mulier more multarum vtier,*
Vt vim contendas tuam ad maiestatem viri.

*

Non. depositus. *Tereus indomito more atque animo barbaro*
Conspexit in eam amore vecors, flammeus,
Depositus, facinus pessimum ex dementiâ
Confingit.

*

Non. famulanter. *Deum Cadmo generatum, semel affare & famulanter pete.*

*

Non. compar. *Atque id ego semper mecum sic agito & comparo, Quo pacto magnam molem minuam.*

*

Non. sanctitudo. *Alia hîc sanctitudo est, aliud & nomen & numen Iouis.*

*

Non. vagat. *Fama nam nobilitas lata ex stirpe præclarè viget, vagat.*

*

Non ferox. *Nouus nouo dabunt, aduena animo audaci in medium proripit sese ferox.*

*

Non. occupatus. *Sed vbi clamor is regem auferre ab reginâ occupo puerum.*

TRACHINIÆ.

*

Cic. 2. Tusc. *O multa dictu grauia, perpessu aspera,*
Quæ corpore exanclaui atque animo pertuli.
Nec mihi Iunonis terror implacabilis,
Nec tantum inuexit tristis Eurystheus mali,
Quantum vna vecors Oenei partu edita.
Hæc me irretiuit veste furiali inscium,
Quæ lateri inhærens morsu lacerat viscera,
Vrgensq́; grauiter pulmonum haurit spiritus.
Iam decolorem sanguinem omnem exsorbuit.
Sic corpus clade horribili absumptum extabuit.
Ipse alligatus peste interimor textili.
Hos non hostilis dextra, non terrâ edita
Moles Gigantum, non biformato impetu
Centaurus ictus corpori inflixit meo,
Non Graia vis, non barbara vlla immanitas,

Non

Non sæua terris gens relegata vltimis;
Quas peragrans vndique omnem hinc feritatem expuli:
Sed feminea vir, feminea interimor manu.
O nate, verè hoc nomen vſurpa patri:
Ne me occidentem matris ſuperet caritas.
Huc arripe ad me manibus abſtractam piis.
Iam cernam, méne an illam potiorem putes.
Perge, aude nate, illacryma patris peſtibus.
Miſerere. gentes noſtras flebunt miſerias.
Heu, virginalem me ore ploratum edere;
Quem vidit nemo vlli ingemiſcentem malo!
Sic feminata virtus afflicta occidit?
Accede nate, adſiſte, miſerandum adſpice
Euiſceratum corpus lacerati patris.
Videte cuncti. tuq; cæleſtûm ſator
Iace, obſecro, in me vim coruſcam fulminis.
Nunc, nunc dolorum anxiferi torquent vortices.
Nunc ſerpit ardor. ô ante victrices manus!
O pectora! ô terga! ô lacertorum tori!
Veſtróne preſſu quondam Nemeæus leo
Frendens efflauit grauiter extremum halitum?
Hæc dextra Lernam tetrâ mactatâ excetrâ
Placauit? hæc bicorporem afflixit manum?
Erymanthiam hæc vaſtificam abiecit beluam?
Hæc, è Tartareâ tenebricâ abſtractum plagâ,
Tricipitem eduxit hydrâ generatum canem?
Hæc interemit tortu multiplicabili
Draconem, auriferam obtutu aſſeruantem arborem?
Multa alia victrix noſtra luſtrauit manus.
Nec quiſquam è noſtris ſpolia cepit laudibus.

*

Rectè perfectis ſacris volt accipi. Varro lib. 6.

THEBAIS.

*

Cùm id Circæo fonte aduenient mundulæ, nitidantur
vulgò pripendantur ſoni. Non. *nitidare*

TROADES.

*

Saxo fruges frendam. Non *frendere*

*

——— *nam neque* Diomed. lib. 1. de *quitus*.
Precio, neque amicitiâ, neque vi impelli, neque prece quita ſum.

*

Sed vtrùm terræmotus, ſonitúſve inferûm Priſc. lib. 6.
Peruaſit auris inter tonitra & turbines?

Ex incertis Attii fabulis.

*

Nō *ferox*, & *labascatur*, & *fragescunt*. ——— *neque vi tantâ quisquam est, neque tam ferox*
Abundans fortunis, neque vllum est ingenium tantum, neque
Cor tam ferum, quod non labatur lingua, mitescat malo.
Neque fera hominum pectora fragescunt, donec vim persenserint
Imperij. ———

*

Varro lib. 6. de L.L. ——— *peruade polum*
Splendida mundi sidera bigis
Continuis sex apti signis.

*

Non. *frana.* *Imparia frena tensarij equorum accommodant.*

*

Varro lib. 5. *Obuiolauit.*

*

Varro lib. 6. *Mystica ad dextram per vada vecti.*

*

Fest. in, *mundus.* *Cum virginali mundo clam patre.*

*

Fest. *repudiū.* *Repudio eiecta ab Argis iamdudum exsul.*

*

Fest. in, *resid.* *Odi residuos, sumno deditos atque inertes.*

*

Fest. *sospes.* *Si rite ad patriam saluus & sospes perueniſſet.*

*

Fest. *vastum.* *Iam hanc vrbem ferro vastam faciet Peleus.*

*

Var. vbi sup. *Iamq́; Auroram rutilare procul cerno.*

*

Prisc. *Io, Ionis* *Custodem aſsiduum Ioni apposuit virgini.*

*

Diom. lib. 1. *Vnde omnia disci ac percipi queuntur,*

*

Fab. lib. 8. c. 3 *Gradus eliminat.*

*

Cicero 3. Tusc. *Scindens dolore identidem intonsam comam.*

*

Prisc *experta.* lib. 8. *Multa inuenta expertaq́; ex hoc sunt bona.*

*

Non. *melos.* *Vacci, acri, crepitantes melos*

*

Cic. 2. ad Herenn. *Immune est facinus, verùm in ætate vtile.*

*

Charis. lib. 1. *Quinam Tantalidarum internecioni sit modus?*

*

Caper; & Prisc. lib. 3. *Quorum genitor fertur esse ops gentibus.*

Multi

*

Multi iniqui atque infideles regno, pauci boni sunt. Cicer. lib. 3. de offic.

*

Video sepulcra duo duorum corporum. Cic. in orat.

*

Mulier vna duûm virum. Prisc. lib. 5.

*

Non calida latice lautus.

*

An hæc iam obliti sunt Phryges? Rufin. lib. de metr. comic.

*

Ecquis hoc animaduertit? vincite. Cic. Tusc. 4.

ILII.

THEVTRAS.

*

Flammeam per æthram altè feruidam ferri facem. Macrob. l. 6. c. 4.

C. GRANII.

PELIADES.

*

Sonat impulsu regia cardo. Non. cardo.

MEMORIS.

HERCVLES.

*

Ferte suppetias optimi comites. Fulgen. in, suppetias.

IVLII CÆSARIS.

ADRASTVS.

Cùm capita viridi lauro velare imperant
Profetæ, sancta castè qui purant loca. Festus.

GRACCHI.

THYESTES.

*

Mersit sequentis humidam plantis humum. Censorin.

ATALANTA.

*

O grata cardo regium egressum indicans. Prisc. lib. 6.

Q. LVTATII CATVLI.

ALCMÆON.

*

Intendit crinitus Apollo
Arcum auratum genu innixus:
Diana facem iacit à læua. Cic. in Lucullo.

*

Vnde hæc flamma oritur? Ibidem.

Incende,

*

Incende, incende. adſunt, adſunt: me, me expetunt.
Fer mihi auxilium. peſtem abige à me,
Flammiferam hanc vim, quæ me excruciat.
Cæruleæ incinctæ igni incendunt,
Circumſtant cum ardentibus tedis.

*

Sed mihi neutiquam cor conſentit cum oculorum aſpectu.

VARII.

THYESTES.

*

Fab.lib.3.c.2 *Iam ferre infandiſsima, iam facere cogor.*

MAECENATIS.

OCTAVIA.

*

Priſc.lib.10. *Pexiſti capillum naturæ muneribus gratum.*

OVIDII NASONIS, vel OSSIDII GETÆ.

MEDEA.

*

Fab.lib.8.c.5 *Seruare potui. perdere an poſsim rogas?*

P. POMPONII SECVNDI.

*

Terentian.; & D. Auguſtin.lib.4. de Muſica.
Pendeat ex humeris dulcis chelys,
Et numeros edat varios, quibus
Aſſonet omne virens latè nemus,
Et tortis errans qui flexibus
Vdis ——

RVTILII GEMINI.

ASTYANAX.

*

Fulg. Placiades. *Meliùs ſuggrundarium quæreres, quàm ſepulchrum.*

EX INCERTIS INCERTORVM TRAGOEDIIS.

*

Cic.lib.3. offic.
Cuiu' ipſe Princeps iuriſiurandi fuit,
Quod omnes ſcitis, ſolus neglexit fidem.
Furere aſsimilauit; ne coiret inſtitit.
Quòd, ni Palamedis perſpicax prudentia
Iſtiu' percepſet malitioſam audaciam,
Fides ſacratæ ius perpetuum falleret.

*

Quâ causâ accuſem hunc, nequeo exputando euoluere.
Nam ſi veretur: quid eum accuſem, qui eſt probus?

Sin

*

Sin inuerecundum animi ingenium poßidet:
Quid eum accusem, qui id parui auditu existimet?

*

Nunc ego te ab summo iam detexam exordio.

*

Vidi te Vlysses saxo sternentem Hectora, Charis.lib.4.
Vidi tegentem clypeo classem Doricam.
Ego tunc pudendam trepidus hortabar fugam.

*

Quia mater grauida parere se ardentem facem Cic.lib.1.de diuinat.
Visa est in somnus Hecuba: quo facto pater,
Rex ipse Priamus, somnio mentis metu
Perculsus, curis sumptus suspirantibus,
Exsacrificabat hostiis balantibus.
Tum coniectorem postulat pacem petens,
Vt se edoceret obsecrans Apollinem,
Quò sese vortant tantæ sortes somniûm.
Ibi ex oraclo voce diuinâ edidit
Apollo; puerum, primus qui Priamo foret
Post illa natus tempora, hunc si tolleret,
Eum esse exitium Troiæ, pestem Pergamo.

*

Præsagibat animus frustra me ire, cùm exibam domo. Idem lib.1. de diuin.

*

Sed quid oculis visa es derepentè ardentibus?
Vbi paullo antè sapiens illa & virginal' modestia?
O Mater optuma, tum multo mulier melior,
Missa sum superstitiosis ariolationibus.
Neque me Apollo fatis fantis dementem inuitam ciet.
Virgines verò æquales, patris mei, meûm factûm pudet.
Optimi viri mea mater, tui me miseret, mei piget.
Optumam progeniem Priamo peperisti extra me: hoc dolet,
Me obesse, illos prodesse: me obstare, illos obsequi.

*

Adest, adest fax obuoluta sanguine atque incendio: Ibid.& in Oratore.
Multos annos latuit: vos ciues ferte opem, & restinguite.
Iamq; mari magno classis cita
Texitur, exitiûm examen rapit,
Aduenit, & fera veliuolantibus
Nauibu' complenit manu' litora.

*

——— eheu videte iudicauit inclutum Idem 1. de diuin.
Iudicium inter Deas tres aliquis, quo iudicio
Lacedæmonia mulier Furiarum vna aduenìet.

*

Cic. 1. Tusc. *Adsum atque aduenio Acheronte vix, viâ altâ atq; arduâ,*
Per speluncas saxis structas asperis, pendentibus,
Maximis; vbi rigida constat crassa caligo inferûm.
Vnde animæ excitantur obscurâ vmbrâ; aperto ostio
Alti Acherontis, falso sanguine imagines
Mortuorum. *

Ibidem. & 3. de orat. & pro Sextio. *O pater! ô patria! ô Priami domus,*
Septum altisono cardine templum!
Vidi ego te adstante ope barbaricâ,
Tectis cælatis, laqueatis;
Auro, ebore instructam regificè.
Hæc omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam euitari,
Iouis aram sanguine turpari.
Vidi, videreq; me passa sum ægerrimè
Curru Hectorem quadriiugo raptarier.

*

Tusc. 1. & in Lucullo. *Mater te appello, quæ curam somno suspensam leuas;*
Neque te mei miseret. surge & sepeli natum, priusquam feræ
Volucrésque *

De finib. lib. 2. *Nemo pius est, qui pietatem cauet.*

*

Tusc. 1. *Heu reliquias semiassi regis denudatis oßibus,*
Per terram sanie delibutam fœdè diuexarier.

*

Cic. 2. Tusc. *Etsi in segetem sunt deteriorem datæ*
Fruges, tamen ipsæ suapte natura enitent:

*

Ibid. & in orat. *O Patrocle, ad vos adueniens auxilium & vestras manus peto,*
Priusquam oppeto malam pestem, mandatam hostili manu.
Neque sanguis vllo potis est pacto profluens consistere.
Si quâ sapientiâ magis vestrâ deuitari mors potest.
Namque Æsculapij liberorum saucij opplent porticus.
Non potest accedi.

*

Cic. Tusc. 4. *—— qui alteri exitium parat;*
Eum scire oportet, sibi paratam pestem vt participet parem.

*

Eloquere res argiuûm prælio vt se sustinet?

*

—— vbi fortunâ Hectoris
Nostram acrem aciem inclinatam——

*

Cic. 3 de orat. & 4. Tusc. *Impius hortatur me frater, vt meos malis miser*

Mandem

Mandem natos, eorum adponit viscera.

*

Ob scelera, animiq́ impotentiam, & superbiloquentiam.

*

Iterum Thyestes Atreum attractum aduenit. Cic. 3. de orat.
Iterum iam aggreditur me, & quietum exsuscitat.
Maior mihi moles, maius miscendum est malum,
Quî illius acerbum cor contundam & comprimam.

*

Quis homo te exsuperauit vnquam gentium impudentiâ? Cic. Tusc. 4.
Quis autem malitiâ te?

*

Proinde ita parent se, in vitâ vt vinci nesciant Tuscul. 5.

*

Nequaquam istuc istac ibit. magna inest certatio. De nat. deor. lib. 3.
Nam vt illis supplicarem tantâ blandiloquentiâ.

*

Qui volt quod volt, ita dat se res, vt operam dabit.

*

Neque tuum vnquam in gremium extollas liberorum ex te genus. Cicero orat.

*

Ille transuersâ mente mihi hodie tradidit repagula,
Quibus ego iram omnem recludam, atque illi perniciem dabo:
Mihi mærores, illi luctum: exitium illi, exilium mihi.

*

Postquam pater appropinquat, iamq́ penè vt comprehendatur parat,
Puerum interea obtruncat, membraq́ articulatim diuidit,
Perq́ agros paßim dispergit corpus. id eâ gratiâ,
Vt dum nati dißipatos artus captaret parens;
Ipsa interea effugeret, illum vt mæror tardaret sequi,
Sibi salutem vt familiari páreret parricidio.

*

Quod in re summâ summum esse arbitror Lib. 3. de nat. deor.
Periculum, matres coinquinari, regiam
Contaminari stirpem, admisceri genus.
Addo huc quod mihi portento cælestum pater
Prodigium misit, regni stabilimen mei;
Agnum inter pecudes aureâ clarum comâ;
Quondam Thyeste clepere ausum esse è regiâ:
Quâ in re adiutricem coniugem cœpit sibi.

*

Ipse summis saxis fixus asperis, Lib. 3. de orat.
Euisceratus, látere pendens, saxa spargens tabo,
Sanie & sanguine atro.

*

Neque sepulcrum quò recipiat, habeat portum corporis,
Vbi remissâ humanâ vitâ corpus requiescat à malis.

*

Cic. in orat. *Quémnam te esse dicam, qui tardâ in senectute.*

*

Tusc. 3. *Nolite hospites adire ad me ilico isthic, Ne contagio mea bonis, vmbráve obsit:*
Tanta vis sceleris in corpore hæret.

*

Refugêre oculi, corpus macie extabuit,
Lacrymæ peredêre humore exsangues genas,
Situ nidoris, barba pedore horrida.
Atque intonsa infuscat pectus inluuie scabrum.

*

De orat. l. 3. *Quídnam est obsecro, quid te adiri abnutas?*

*

Tusc. lib. 3. *Pol mihi fortuna magis nunc defit, quàm genus.*
Namq́ regnum suppetebat mihi. vt scias quanto è loco,
Quantis opibus, quibus de rebus lapsa fortuna occidat.

*

Ego cùm genui, tum moriturum sciui, & ei rei sustuli.
Præterea ad Troiam cùm misi ad defendendam Græciam,
Scibam me in mortiferum bellum, non in epulas mittere.

*

Híccine est Telamon ille, modò quem gloria ad cælum extulit?
Quem aspectabant? cuius ob os Graij ora obuertebant sua?

*

Tusc. 1. *Cælum nitescere, arbores frondescere,*
Vites lætificæ pampinis pubescere,
Rami baccarum vbertate incuruiscere,
Segetes largiri fruges, florere omnia,
Fontes scatere, herbis prata conuestirier.

*

Imò enimuero corpus Priamo reddidi, Hectorem abstuli.

*

Tusc. 2. *Audísne hæc Amphiaraë sub terram abdite?*

*

Inter se strepere, aperteq́ artem obterere extispicum,
Soluere imperat secundo rumore, aduersaq́ aui.

*

Cic. in Lucullo. *Video, video, te viuum, Vlyxes dum licet.*

*

De diuin. lib. 2. *—— quo genere nil est arrogantius:*
Quod est ante pedes, nemo spectat: cæli scrutantur plagas.

Ænea

*

Ænea. quis est, qui meum nomen nuncupat? Varro lib. 5. de L. L.

*

Quis meum nominans nomen exciet, Censorin.
Quamuis tumultu inuocans incolarum fidem?

*

In altisono cæli clypeo. Varro lib. 4. de L.L.

*

Cornuat aurum, Varro lib. 6.
Vmbram iacit, icere paret.

*

Nihil horum simile apud Lacænas virgines; Cic.4. Tusc.
Queis magis palæstra, Eurota, Sol, puluis, labos,
Militia in studio est, quàm fertilitas barbara.

*

O Apollo, qui vmbilicum certum terrarum obsides, Cic. 2. de diuin.
Vnde superstitiosa primùm sæua euasit vox fera.

*

Angues ingentes alites, iuncti iugo. Idem 1. de inuent.

*

Cùm te expetebant omnes, florentissimo Ibid.& 2. ad Herenn.
Regno reliqui: nunc desertum ab omnibus,
Summo periclo, sola vt restituam paro.

*

Ego sum Orestes. Cic.lib. 5.de Finib.

*

Immo enimuero ego sum, inquam, Orestes.

*

Vbi initiantur gentes orarum vltimæ. Cic.lib.1. de nat.Deor.

*

Qua tempestate parens Helenam innuptis sibi iunxit nuptiis, Lib. 3. de Orat.
Ego tum grauida fui expletis iam ferè ad pariendum mensibus,
Per idem propè tempus Polydorum Hecuba partu postremo parit.

*

Si quidem sit quisquam Deus, cui ego sum curæ. Tuscul.4.

*

Heu me infelicem.

*

Sanúsne es, qui temere lamentare?

*

Te, Apollo sancte, fer opem, teq́ omnipotens Neptune inuoco:
Vosq́ adeò venite.

*

Nam quid ego te appellem Venus?

*

Sed mihi cùm tetulit coronam ob collocandas nuptias, Lib. 3. de Orat.

Tibi ferebat. cùm simulabat sese eam alteri dare,
Tum ad te ludibundũ doctè & delicatè detulit.

*

In oratore. *Num non vis huius me versutiloquas malitias.*

*

Lib. 3. de orat. ——— *neque me patior*
Iterum ad vnum scopulum & telum, classem Achiuûm offendere.

*

Erras, erras. nam exsultantem te, & præsidentem tibi
Repriment validæ legum habenæ, atque imperij insistent iugo.

*

Fab. lib. 9. c. 3 Diom. lib. 2. *Ioue propagatus est (ut perhibent) Tantalus,*
Ex Tantalo Pelops, ex Pelope autem satus
Atreus; qui nostrum porrò propagat genus.

*

Seneca li. 11. epist. 81. Fab. lib. 9. c. vlt. *En impero Argis, regna mihi liquit Pelops,*
Quà ponto ab Helles, atque ab Ionio mari
Vrgetur Isthmos.

*

Quod nisi quieris Menelaë, hac dextrâ occides.

*

Charis. lib. 4 *Thesprote, si quis sanguine exortam tuo*
Prolem inter aras sacras sacram immolet:
Quid meritus hic sit, dubium an cuiquam fiat?

Fab. lib. 1. c. 5 *Mehe* *

*

Charis. lib. 4 *Ritè Thesprotum pudeat rei, quòd ipse à Tantalo ducat genus.*

*

Fest. Erebum. *Erebo creata fuscis crinibus*
Nox, te inuoco.

*

Idem, de Metonymia. *Persuasit animo vinum, Deus qui multo est maximus.*

*

Fest. obstinet. *Sed iam se cælo candens aurora obstinet suum patrem.*

*

Idem, vbi de Zeuxide. *Nam quid modi facturus risu denique?*
Nisi pictor fieri vult, qui risu mortuus est.

*

Cic. 4 Tusc. *Neque tam terribilis vlla fando ratio est,*
Nec fors, nec irâ cælitûm, inuectum malum:
Quod non natura humana patiendo ferat.

*

Censorin. *Tela, famuli, tela properè, sequitur me Thoas.*

*

Axena Ponti per freta Colchos denique delatus adhæsi.

*

Ibant malaclucre venena corona.

Non

*

Non memoro quòd Draconis sæui sopiui impetum, Charif.lib.4.
Non quòd viros domaui, & segetis armatæ manus.

*

Ore beato lumine volitans, qui per cælum candidus equitas. Censorin.

*

Quædam terribilis tua pectora turbat, terrifico sonitu intulit.
Proinde & abs te regimen Argos dum est potestas consulendi.

*

Qui repens semipulsus onere grauiores strepitu terrent.

*

Hæc bellicosus cui mater paterve Minerua.

*

Nam nos decebat cœtu celebranteis domum, Lib.1. Tusc.
Lugere vbi esset aliquis in lucem editus,
Humanæ vitæ varia reputanteis mala:
At qui labores morte finisset graueis,
Omnes amicos laude & lætitiâ exsequi.

*

Nec verò tantâ præditus sapientiâ 3. Tuscul.
Quisquam est; qui aliorum ærumnam dictis alleuans,
Non idem, cùm fortuna mutata impetum
Conuertat, clade subitâ frangatur suâ:
Vt illa ad alios dicta & præcepta excidant.

*

Atqui Promethei te hoc tenere existimo,
Orationem mederi iracundiæ. PRO. *Siquidem*
Qui tempestiuam medicinam admouens,
Non adgrauescens vulnus, illidat manus.

*

Nam facinus fecit maximum, cùm, Danais inclinantibus, 4. Tuscul.
Summam rem erexit, prœlium cùm restituit insaniens.

*

Quinam Tantalidarum internecioni modus 3. de nat. Deor.
Paretur? aut quænam vnquam, ob mortem Myrtili,
Pœnis luendis dabitur satias supplicij?

*

—— vnde sibi —— consilium expetunt: Cic. 1. de orat.
Suarum rerum incerti; quos ego, mea ope, ex
Incertis certos compotesq́ consilI
Dimitto, vt ne res temere tractent turbidas.

*

Quandoquidem iste circumuestit, dictis sepit sedulò. De orat. 3.

Multi

*

Multimodis sum circumuentus; morbo, exsulio, atque inopia:
Tum pauor sapientiam mihi omnem ex animo expectorat,
Alter terribilem minitatur vita cruciatum & necem:
Quæ nemo est tam firmo ingenio, aut tantâ confidentiâ,
Quin refugiat timido sanguen atque exalbescat metu.

*

Idem pro Sext. *Labor, pericula magna, multæ insidiæ sunt bonis.*
Sed te id quod multi inuideant, multiq; expetant,
Inscitia sit postulare, si tu laborem summâ cum curâ efferas
Nullum.

*

Huic vitæ tuæ.

*

——— *principia atque exitus*
Vitiosæ vitæ. ———

*

Summum amicum, summo in bello, summo ingenio præditum,
O ingratifici Argiui, inanes Graij, immemores benefici,
Exsulare sinitis, sistis pelli, pulsum patimini.

*

Cic. pro Rabirio. *Animaduerte, & dicto pare.*

*

Victorinus. *Præter rogitatum, si querare.*

*

Struunt sorores Atticæ dirum nefas.

*

Seruius in centimetro. *Matrem fatigat prodigus vitæ furor.*

*

D. Aug. li. 3. de Musica. *Cunctæ igitur Camœnæ*
Fonticolæ puellæ;
Quæ canitis sub antris
Mellifluos sonores;
Quæ lauitis capillum
Purpureum Hippocrene
Fonte: vbi fusus olim
Spumea lauit almus
Ora iubis aquosis
Pegasus, in nitentem
Peruolaturus æthram.

*

Apul. 4. Flor. *Liber qui augusta hæc loca Cytheronis colis,*

OPINA-

OPINATIONES
IN
TRAGICORVM FRAGMENTA.

LECTORI S.

NIHIL hoc ſcribendi genere incertius. plerumque coniectores etiam acutiſſimi, araneas imitantur, & ex ſe telas texentes; quas facili negotio veſpæ crabroneſque perfringant; operas, olei & operæ non exiguâ iacturâ, laborioſè conferunt. hæc nouæ inſcriptionis cauſa: ne te ex Tripode quidquam hîc inuenturum putes. veriſimilia dumtaxat, & vtinam non prorſus improbabilia, offerimus. Vale.

IN LIVIVM ANDRONICVM.

PRIMVS *Liuius poëſim bellicoſam in Romuli gentem intulit, Cicerone & Fabio teſtibus. ſolebat pueris Romæ prælegi, vt nunc Virgilius, & maximo erat in pretio. Horat lib. 2. epiſt.* 1. — emendata videri
Pulchráque & exactis minimum diſtantia, miror.

ACHILLES.

Mortem Achillis opinor narrabat, de qua Q. Smyrnæus lib. 3. παραλιπ. Homeri. Achillem *Carcyni, citant Græci.*

ADONIS.

Formoſi iſtius obitum deplorant elegantiſſimè eidylliographi poëtæ.

ÆGISTHVS.

Lætauiſti] *malè vulgò apud Non. in* ſpecies, *legitur*; læta viri. *fortaſſis hæc Clytæmneſtra dicit adultero, vel Ægiſthus adulteræ, occiſo maiore Atridâ.*
Nemo hæc] *lego*; nemo hæc noſtræ. *Nullus (inquit Agamemno Caſſandræ) vxori meæ adulteria noſtra narrabit. vet. edit.* noſter Laſciuum Nerei pecus] *Delphines. de naufragio Græcanicæ claſſis agit. Tyrrhenorũ piſcium laſciuos luſus, eleganter deſcribit Seneca Agamemn. à verſ. 426.*
Solennitus, &c] *monſtra verborum. quidam*; Solemnitáſque adeò ditem. *non melius. placuit mihi aliquando*; Solennitúſque à tali lauder libens. *vel ſanè*; S. à labe talî declinet iubent. *vel vt in Comm. in Agam. ver. 294.* Solennitus à Deo tali laud. lib.
Ipſe ſe.] *Agamemno.*
Quin quòd.] *verba Clytæmneſtræ ad famulos de Caſſandrâ vel Electrâ ab ris abſtrahendâ. Seneca extremo Agamemn.*
Arripite famuli monſtrum, & auectam procul, &c.

AIAX.

Ex Sophoclis lorario. Quod sit factum] *Castigo*; quod sit? Factum.

ANTIOPE.

Antiopam Euripidis memorat Stobæus. Abs te.] *reponunt*; à Deo. *sed quid si Deum oraculi datorem, vel Pythiam Sacerdotem alloquatur? Meliùs Lipsius*; abs te te datur.

ANDROMEDA.

Ex Sophoclis Andromeda.

CENTAVRI.

Centauros *fabulam dedere, Theodoridas & Pindarus apud Athenæum:* Centaurum, *Cheramon. illis, Centaurorum infelix cum Hercule pugna; hoc, Chironis infortunium continebatur.*

EQVVS TROIANVS.

Videtur imitatus Phrygas *Æschyli, de quibus Stobæus. Vide Triphiodorum, & Smyrnæum.* Serò sapiunt] *addunt alij* Phryges. *de suo. nam Cicero, non habet. Primus Erasmus glossema hoc Ciceroni adfinxit; tanquam non satis adagio Sexti Pompeij auctoritate fulciretur. Manutius, an Næuianum sit, ambigit. non arbitror.*

HELENA.

Ex Euripide transtulit. Maria veliuola.] mare veliuolum *Attius quoque*; naues veliuolas, *Ennius, bis opinor. Helenæ raptum ornatè Coluthus Thebæus.*

INO.

Non dubito quin perperam alibi; Ion. *Euripidis* Ion *exstat*: Ino, *citatur à Græcis. in Prisciani membranis*; Liuius in Ioë, *vno etiam cod.* Leuius. Séque in alta.] *hic Prisciani locus damnat collectorem appendicis Virgilianæ, qui,* in Cirim, *reponit,* præcipitem; *pro,* præcipem. *Vult idem hoc fragmentum esse Lelij antiquissimi scriptoris, cuius Apuleius meminit. Sequor ego Prisciani codices.* Inops.] *censeo repon.* Ino. *nota historia, vide Nonnum Dionys. θ'. & ι'. Pausan. in Bœot. Ouidium* 4. *Metamorph. In fine pro,* Herois; *quidam,* deruit. Certa cubilia] *si* certa, *cur dirigantur? malim*; cæca. *sunt ex choro quopiam.*

LAODAMIA.

Multæ fuere Laodamiæ: vna Protesilai vxor, nota pudicitia & fidei coniugalis, quam celebrat Catull. carmine ad Manlium; alia Homero mater Sarpedonis, alia Triphiodoro, alius aliæ. Hic de illâ primâ agebatur, quæ visâ mariti vmbrâ, ruens in amplexus exspirauit, auctore Volaterr. An hæc fabula eadem cum Protesilao, *qui sequitur? dubito.* Ornatu affluens] *pleraque membranæ,* fluens; *meliùs.*

TEREVS.

Tereum *scripsere Græci, Sophocles, Euripides, Anaxandrides & Philetærus; Latini, noster, Actius, & alij.* Lætantem] *non malè Bongars.* lactantem: *sed meliùs, si;* lactentem. *lactans mater, lactens fœtus: et si aliquando confundantur. mendosi sæpe libri.* Credito] *Facilè apparet verba sororis.*

rorũ esse, se sorori, Terei vxori, purgantis, nec vnquam vel osculum sponte Tyranno tetulisse affirmantis. quare suspicor rescribend. Credito cum illo, soror, meâ volunt. n. limaui c. *hac verba: numeros meditetur alius. vet. editio anni 1498. habet*; Neui.in Tereo: credito cum illos Sol in ea volunt.n. limauit caput. *His adiungi possent alia fragmenta Liuij, quæ opinor ex Comœdiis vel Odyssæâ. de vno tantùm monebo. apud Priscian.lib.7. vulgò legitur*; Liuius in Sereno, Cura nunc Laërtie velle para Ithacam. *sed in optimis membranis*; Leuius in Sirene, Circa nunc Lertie, *&c. placet inscriptio. nam præcesserat continuò locus Liuij Andronici, vt videatur repetitione nominis supersedendum; & verba sunt, Sirenis Vlyxem adloquentis. Quæ etiam lib. 10. adfert Priscian. impressus ex Erotopægn. Liuij, membranæ* Leuio, *ni fallor rectiùs, adscribunt.*

IN Q. ENNIVM.

ACHILLES.

PER ego] *Festus sic citat*; Nubes per ego Deum subices humidas, vnde oritur imber sonitus aërio spiritu. *Nonius verò*; Per ego Deum sublimes s.h. *&c. vterque ex Gellio castigandus, vt repræsentaui. nisi quod non displicet*; sublimas subicis; *vt legitur in veteri Veneto Nonij. Quattuor ista fragmenta absolutè citantur ex Ennij* Achille. *duo alia, ex* Achille Aristarchi, *cum addito. Vnum apud Non.in*, præliant, *scilicet*; Ita mortales, inter se pugnant, præliant: *alterum*; Prolato ære, *apud Festum, quæ dubio procul Comica sunt.*

AIAX.

Conuertit ex Sophocle, sicut Liuius. idem narrat Q. Smyrnæus lib. 5. Volant. *quidam*; euolant. *sed tunc foret leg.* efflant' euolant. *vtrum salientibus conuenit. ijdem, pro*, sanguine emisso; *malunt*, misso sanguine.

Quis est] *Sic omnia Nonij, quæ vidi exemplaria, ineptè. quid si?* Phryges tum Achiuis cesserunt st.

ALCESTIS.

Alcestim Antiphanis citat Athenæus. puto, hanc fuisse comœdiam. nam in membranis Fulgentij habetur. Enn. Telespide comœdia. *quid si pro*, nimirum, *corrigas?* nimium.

ALCMÆON.

Nota historia, ex Statio in Thebaid. Athenæo lib.6. Aristotele 3. Eth. Virgilio in 6. Æneid, & aliis. Intendit.] *Si hæc Ennij, vt puto; profectò & alia quæ inf. Q. Catulo adscribemus. ibidem enim omnia ex Cicerone. Non ausi tamen fuimus, Catulo adimere, eo quòd Cicero Alcmæonem Catuli vocet. Sed hoc intelligi potest dictum, quia Catulus Alcmæonis testimonium produxerat. Liberum ergo cuinis iudicium relinquo.*

ALEXANDER.

Alexander seu Paris, Philoctetæ vulnere, Oenones contemtu, periit: ipsáque Oenone se in rogum eius præcipitem dedit; Q. Smyrnæus lib. 10. an hoc igitur fabulæ argumentum? sanè, si vera inscriptio. Sed nutat animus. potiùs, Alexandræ, *hoc est Cassandræ nomen reponendum, in omnibus his Grammatico-*

rum locis, quod in multis codicibus, quibusdã locis, reperitur. scripsit Alexandram *Euripides, scripsit & Sophocles, & sic supplenda Stephani lacuna in voce* ἔφεσος. Multi alij.] *Idem Ennius Annal.* XI.

Multi præterea quos fama obscura recondit.

Nam maximo] *diuidendus mihi fuit tertius versus.*

ANDROMACHE.

Translata ex Euripide. Primum verò fragmentum de cadauere Astyanactis esse liquet. quare mendosè nunc in Nonio legas; Andromeda. Acherusia.] *secutus sum Ciceronem, etsi nonnulli eius lib.* Acheruntia. *Varro, sic*; Acherusia templa alta Orci saluete infera Leti obn. *&c.* Hæc omnia] *alienâ hæc fide coniunxi.* Summussare] *sic reposui ex mente Festi. Vulgò legitur*; nam mussare. Quid fit] *Lubens reposui hanc Iusti Lipsij, quam approbo, castigationem, vt & in præcedenti fragmento, quod felicissimè castigauit. Nonnulli legunt in illo*, conatur grauẽ. *non placet.* Nam neque] *citat Non. ex* Andromachâ & Hermaphrodito; *quod posterius aliquod latens vitium subindicat.*

ANDROMEDA.

Vertit ex Euripide. Ad nationem cæli] *quidam lib.* cauationem cæli. *melius.* Scrupeo inuestita saxo] *non videtur mihi sanus hic versus. quid enim attinet ad*, scapres. *Non inuitus illum cum sequenti, nonnullis mutatis, conglutinarim, hoc pacto*;

Filiis propter te obiecta sum innocens Nerei,
Scapreo inuestita saxo, atque ostreis, quam excalperent.

Scapreo, *inquam ad sensum Nonij*; excalperent *Nerei filij monstra marina, cete grandia.*

ATHAMAS.

Hoc nomine dramata dedere Æschylus & Amphis; sed huius fortè Comœdia. Secundum fragm. Varro ex incertâ Ennij citat: arbitror me non immeritò in hanc sedem recepisse.

CRESPHONTES.

Sumpta ab Euripide, meminit Stobæus. de quodam Cresphonte vide Pausan. in Messeniac. & Polyænum lib. I. *Sed res tota meliùs colligitur ex Plutarcho lib.* 2. περὶ σαρκοφαγίας *& Arist. in lib. de poët. vnde apparet Meropen Polypi vxorẽ, quæ Cresphontem existimabat filium suum fuisse necatũ ab ipsomet Cresphonte; dum eum vt hostem necare parat, agnouisse hunc illum esse filium, quem vlcisci conabatur.* O Pie secum] *fortaßis scrib.* Properè secum aduocant, eunt ad, *&c.* Iniuria abs te] *adscripsi ex auctore ad Heren. sed duos vltimos versus puto non Ennij, sed ipsius auctoris ad Heren. volentis artem conuertendi argumenta ostendere.*

ERECTHEVS.

Euripidis Erectheum citat Stephanus. Quibus nunc.] *Muretus emendauit olim*; Quibu' nunc.

EVMENIDES.

Conuersa ex Æschylo. continetur iudicium, & accusatio, liberatioq́, Orestis. accusatum vult Simonides ab Ægisthi filiabus; Nymphodorus, ab Erynnibus; ab auo Tindaro, plerique.

HECV-

HECVBA.

Nunquam scripsistis] *Lipsius conyciebat;*

Sed numquid scripsti; qui parentem aut hospitem
Necassit, quo is cruciatu perbiteret?

ILIONE.

Quam Virgil. 1. *Æneid.* Ilionam, *Homer. Iliad.* ζ'. *Laodicen nominat. ea natarum Priami maxima, captâ Troiâ impetrauit à Diis, vt, ne in Græcorum potestatem veniret, terra sibi dehisceret. auctor Q. Smyrn.* παραλιπ. 13.

IPHIGENIA.

Vertit ex Euripide, quamuis & Sophocles ediderat. Quid nocti] *semel monuerim quæ ex Varrone, præclarè emendata, accepi, ea me doctissimis in eum Coniectaneis debere, vt & conglutinationes quasdam lacerarũ partium.* Procede.] *exhibui emendationem alterius. mihi Festus videtur scripsisse;* procede. gradum proferre pedum cessas? nitere. *imperat, increpat, hortatur saltem conari.* Mortis thesauri] *sic Næuius,* Orciuum thesaurum, *& Tertull.* thesaurum incendiorum.

HECTORIS LYTRA.

Aliy Lytra, *aliy* lustra, *eodem sensu. nam & lustra à luendo Varroni. redimebatur à mæsto patre Hectoreum cadauer. vide Iliad.* 22. *&* 24. *Scripsit etiam Æschylus Hectoris lytra, à quo noster. Sciendum porrò hanc inscriptionem* (Hectoris lytra) *inde natam, quòd veteres longè aliter citabant Homeri scripta. nos Iliad.* α'. β'. *&c. Illi à rei narratæ materiâ seu historiâ denominabãt: sic Athenæus laudat* ἐν τῷ ἐπιταφίῳ, *quod erat ex Iliad.* ψ'. *Strabo,* ἐν ταῖς λιταῖς, *quod Iliad.* ι'. ἐν τῇ πρεσβείᾳ, *quod Iliad.* γ'. *atque alia huiusmodi; & omnium sæpissime Ælianus, ex Iliad.* Δολωνία, Πατρόκλεια, ἐπὶ ναυσὶ μαχῃ, Λύτρα *simpliciter sine addito: Ex Odyss. verò,* τὰ ἐν Πύλῳ, καλυψοῦς ἄντρον, κυκλωπία, Νεκυία, Νίπτρα, Μνηστήρων φόνοι, *&c.* Melius] *Vide Notas in lib.* 2. *Varron. de re rust.* Hector re summâ] *excusorum meliorum lectionem exhibui: veteres habent;* Hectorei summa armatos educit vi foras, castrisque castra vltro iam ferre occupat. *quid si rescribatur;* Hector vi s. a. e. f. Castrisque c. v. conferre oc. *nota vis verbi,* occupo. *de quo nonnulla in Senecam.* Caligo oborta est, omnem] *concinnius;* caligo oborta, vt o. Per vos & vestrum imperium] *quidam cod.* nostrum. *Verùm intempestiuè Priamus sui faceret imperij mentionem.* Quæ mea cominus.] *non infeliciter Critici;* Quem mea c. m. a. h. hostiuit manu. Duce quadrupedem] *paucissimis mutatis in Lipsij castigationem concessi. dissentiunt enim summi Critici. confutata prorsus omnium exemplarium lectio. cur ergo id & amicitiæ & veritati non tribuerem? nec tamen etiam nunc persanatum locum Nonij affirmem. sanior certè, quàm hoc pacto;* Ducet quadrupedum iugo inuita, indoma, infrænis, & iugo valida quorum tenacia infrænari minis nequit. Nos quiescere] *Hoc & sequens fragm. adducit Diomedes ex* Ennij Lustris. *sed opinor intelligi de* Hectoris lustris. *non, etiam alia* lustra *Ennius; hæc fortè simpliciter,* Lytra, *vel* lustra *inscripserat, vt & Hom.*

HECVBA.

Accepta ab Euripide. Quid petam] *sic emendant Critici. apud Ciceronem tamen legitur*; Quid petam præsidij, aut exsequar? quóve nunc auxilio, *&c. Vltimum etiam Hemistychium additum ex Cicerone.* Meæ inquam] *mallem dispescere*; meæ in quam; *scilicet Polyxenam. verba Helenæ natam retinentis.* Miserete anuis] *vulgò*, manus. *vox nauci. Critici*; mei anus. *ego*; anuis. *ex Non. in*, anuis. *Varro, Cato.* Anuis enim vt sanguis deterior.

MEDEA.

Quidam duas ab Ennio scriptas volunt: vnam ἁπλῶς, Medeam; *alteram,* Medeam exulem: *ambas ex Euripide. aliis vnica videtur. vt his, ita illis nonnulla suffragantur. mihi tutius visum, vtriusque reliquias in vnum cogere. In secundo carmine Prisciani scripturam reieci, quòd putem ex Tullio castigandum.* Argo qua.] *apud Ciceronem* 1. *Tuscul.* Argo, quia Argiui in ea delecti viri. *minùs rectè quàm apud Priscian.* Petebant illam] *Ranconetus & Lambin.* petebant villo. Nam ter] *non eodem planè modo Non. & alij citant; putem vbique leg.* Nam ter sub armis mallem vitam cernere. *hoc est dimicare, vt rectè contra Non. Muretus.*

Asta atque] *Sunt Critici, qui*; Asty. *Sed quid opus?* Tenear consipta] *Festus docet ex* Medea *esse. Non.* Nemeam *citat. mendosus. potuit tamen Ennius* Nemeâ *quoque scripsisse imitatione Theopompi Comici, cuius Nemeam citat Athenæus. sanè Priscian. lib. 5. ex Nemea Ennij quiddam profert; quod nos tamen in Medeam (etsi timidè) transcripsimus.* Fructus] *aliàs legitur*; f.v. aures aucupant. Medea Colchis] *assensus sum Lipsio. priùs legebatur*; Medea cordis. Vna marito] *In vet. impreß. non exstat τὸ,* vna. *credo rectè. & pro,* marito, *fors an?* Martio, *vt loquatur de Colchico Dracone. quidam*; arietino.

PHOENIX.

Sic inscripsit tragœdiam, teste Stobæo, Euripides; teste Athenæo, Sophocles & Eubulus. exsilij sui causam narrat Phœnix Iliad. I. Stultus est] *scrib.* stultu' st, qui. Plus miser sum] *repono* ——— plus miser
Sim, si scelestum faxim, quod dicam fore.
miserior sim (ait) si id faxim, de quo quale sit facinus si interroger, scelestum id esse pronuntiem.

SCIPIO.

Gellius lib. indigetat: ego prætextatam puto. Qui] *notat Gell.* Hannibâlis, *productâ penult.* Consistere] *Lips.* constitère. *quod fui amplexus.*

TELAMON.

Ipse & Peleus propter fratris Phoci necem exsularunt: meminit Apollonius & Scholiast. lib. 1. Argonaut. Gratia ea est] *venustius foret, & Gratius acceptius, si scriberetur*; grata est; *vt quidam. Aeacum auum omittit, quod eius aspectus tetricus & minimè iucundus, vt iudicem decet tetra ora.*

Atque aures] *vulgò*; neque. *nequiui committere quin vinulam Nic. Fabri correctionem amplecterer.* Deum me sentit] *Lipsius*; Deum me incendit. *quod perplacet.*

TELE-

TELEPHVS.

Scripsere, τήλεφον, *Archilochus & Agathon, citantur Stobæo & Athenæo: sed Ennius Euripidem expreßit. de Telephi miseriâ etiam Horat. ad Pison. & de eius vulnere idem in Epodis: de mendicitate, Suidas.*

THYESTES.

Scripsere Euripides, Agathon, Cheræmon, alij. idem porrò, Thyeſtis, Atrei, Pelopidarum, *argumentum fuiſſe opinor.* Sublimen.] *sic Agennensis Ariſtarchus ex Apuleio.* Impetrem.] *quidam cod.* Impetrent facilè ab animo vt c. v. halitum. *hinc mihi ſuſpicio (quia vox illa,* Bæbium, *futilis omnino) hæc dici Thyeſtæ filiis, vti patri perſuadeant ſuſtineat redire in patriam, & fratrem contueri; & ſcriptum fuiſſe ab Ennio;* Impetret facite ab animo, vt cernat vitalem Atreum. Sed ſonitus] *de,* crepo, *agitur, non,* increpo. *quare repon.* ——Sed ſonitus aures in meas
Pedum pulſu crepat.——

INCERTÆ TRAGOEDIÆ.

Atque priùs] *o.l. quos vidi, tribuunt Ennio: Turnebus tamen ſcribit manuſc. cod. dare Næuio.* Peruolgat.] *ſic Critici, pro,* peruolat. *Sed quid ſibi vult, quod in aliis codicibus habetur;* Ennius, Creſſis: Poluis oritur, *& cet.? hæreo. nam* Creſſas *Ennium ſcripſiße ſcio. ſed & femin. genere* poluis *ſolitum vti. ſcio. Annal.* 8.

Iamque ferè poluis ad cælum vaſta videtur.

Item; Iamque ferè poluis fulua volat. ——

Thelis.] *hoc eſt Thetis, auctore Varrone de re ruſt.* Salmacida] *à Salmacis notâ libidine, & fontis obſcœnitate ſolent deducere. ſed veteres illi magiſtri Latino Græci in Gloſſar.* Salmacia Ἀμφιτρήτη. Salmacia aqua ἁλμυρὸν ὕδωρ. Salmacidus ἁλμυρός. Salmacidum ἁλμυρόν. Non habeo denique nauci] *Addubito an totum hoc fragmen ex Satyris; an primus Ennij verſus, an verba Tullij; an ſeptimus aptè à me inſertus ex alio eiuſdem lib* 1. *de Diuinat. loco.* Ego Deûm] *ſapiunt iſta Euhemerum.*

Ego eo ingenio] *Achilles vel Neoptolemus. apud Gellium mendosè;* fronte. Philoſophandũ] *fruſtra de huius carminis emendatione exſultat Turneb. lib.* 2. *aduerſ. c.* 8. *oleum non perdidiſſet, ſi Gellium conſuluiſſet; à quo Neoptolemo datur, ſed ex qua Tragœdia non additur. Fragmenta ex Ennij* Ambraciâ *omiſi, quod Comœdiam putem. qui requiret, Nonius ſuggerit, in* cluet, *in* veget, *in* cunctant, *in* populat. Morares] *puto ſcribendum;* muneres.

IN CN. NÆVIVM.

Melior Comicus, quàm Tragicus. quod ad Ægiſthum *attinet; ſcio Næuij Ægiſthum citari à Nonio in,* luſtrare, *& fragmen hîc exhibui. Credo tamen eſſe Liuij, quoniam ipſe Non. in* pecus, *priorem verſum aßignat Liuio: & in,* luſtrare, *m.ſ. pro* Næuio, Liuium *agnoſcunt. quod probè probum.*

ALCESTIS.

ALCESTIS.

Corpore] *non patior hoc Næuio detrahi, & Lanio cuidam adiudicari à Criticis. constanter enim Nonius in o. l. tribuit Næuio: & Næuij Alcestis etiam Varroni cognita. Quod verò Leuij mentio apud Gellium lib. 19. c. 7. & 9. agnosco recens nomen à Criticis insertum, nescio an ex m. scriptis, an ex huius sæculi audaciâ. nam vet. impres. vnus Venetus anni 1472. alter Argẽtinens. 1517. continent vtrobique* Næuius. *item,* tardigemulo, *non,* tardigenulo. *vt vt est, Alcestim scripsit Eurip. ab eo mutuatus Næuius. De Lauij Protesilaodamia mox.* Leuij *nomen pro* Liuij, *non pro* Næuij, *passim membr. Prisc.*

DANAE.

Quomodo pater vt grauidam comperit, vltus sit, dictum à me in Aduersariis. tragœdiam fuisse vt non dubitem facit Ouid. 2. Trist. Animi iubeo] *mendosum suspicor. quid si;* Auri iubeo l. homini m. *vt sit consiliũ lenoniũ.*

IPHIGENIA.

Passó vel hoc] *implicata, falsa lectio. an non magis arridet hæc ingeniosi Bataui;* Passo velo, vicinam Aquilone horiam fer foras. *ego nec probo, nec improbo. Lipsius malebat,* Aquilone orto. *nondum liquet.*

LYCVRGVS.

Accepit ab Æschylo vel Anaxandride. Thracis exitium Lycurgi Ouidius in Metam. Nonnus Dionys. κα'. Epicroco] *glass.* Epicro. cum τηλαυγής. *& paullo antè;* ἐσθῆτος εἶδος, ἢ χοινίον ἁρμένου κατώτερον. Vos qui Regalis] *coniuncta & emendata, quæ apud Non. quattuor dispersa locis, à Iulij F. felicissimè, exhibui. varo sit ingenio oportet, qui factum velit improbare.* Pœnæ feræ, *leones, lynces, tigres; non quòd in Africa ista venatio; sed propter Punicarum ferarum feritatem, magnitudinem, multitudinem.* Oderunt Dij homines.] *sunt qui Ennij velint, ego, cuiuscuius sit, ad Nonij mentem corrigo;* —— oderunt Dij homines iniurios.

Egóne, an ille iniuriè facimus?

Proin Dryante] *hæc aurea boni Critici: vulgata,* proindustria ne te regem, *plumbea vel ærea. Glaucus sit qui volet, ego Diomedes dici malui.* Suaue summum] *corrigunt;* suauissonem. Iam vbi nos] *emendant;* Iam ibi nos duplicat aduenientis timos Panos. *vt non sit exemplum de,* vapos, *sed,* timos. Vt videam] *alij,* flaminis; *alij,* flammis; *alij,* fimbriis. *quidam etiam,* fimbriis fieri florida. *tu iudica. mihi placet,* flammis f. flora.

PHOENISSAE.

Hoc nomine, tragœdias scripserunt, Phrynichus, Strattis, Euripides; comœdiam, Aristophanes. quod adferimus ex Nonio, comœdiam redolet.

PROTESILAVS.

Protesilaus Euripidis & Anaxandridæ memoratur à Græcis. Nos tria fragmenta exhibemus, quæ Sphyngæa ænigmata dici queant. Inprimis sedet animo illa non ex Protesilao *tragœdia, si quam talem dedit Næuius, & Priscianus mendosus non est lib. 6. sed vel ex Liuij, vel Leuij,* Protesilaodamiâ, *accepta. Mouent me vestigia scripturæ. Mouet, quòd apud Gellium lib. 10. c. 12. legerim* Protesilaodamiam *fabulam; vt habet Venetus ille,* Leuinij; *vt*

Argen-

Argentinensis, *Liuij*; *vt recentiss. Parisiensis*, Leuij. *Constat ergo de fabulæ nomine, de auctore non æquè: ego Liuium Andronicum puto, vel Næuium, vt omnes Nonij & Prisciani codices, quos vidi. His ergo tribus fragmentis & Nonio Priscianoq; hanc facio, missis aliorum coniecturis, medicinam. Primùm, Nonio in Gracilens*: Næuius Protesilaodamiâ: Gracilentis colorem. Idem: Orco gracilens exiit. *Secundo eidem in* Ioca, *hoc modo*; Næuius, Protesilaodamiâ; eunt, irruunt, ioca, dicta, risitant. *vel*, ioca, dicteria ititant. *Denique*; *Prisciano lib. 6. reponens*; Næuius, Protesilaodamiâ; Complexa somno corpora, *&c. hac arbitror veris proxima. Quam ego fabulam puto fuisse de iteratis post obitum Laodamiæ & Protesilai nuptiis.*

IN INCERTÆ TRAGOED.

Vt est opus.] *sic ego*; *alij*, id est opus.

IN M. PACVVIVM.

Quinctilianus lib. 10. Tragœdiæ scriptores Attius atque Pacuuius clarissimi, grauitate sententiarum, verborum pondere, & auctoritate personarum: ceterùm summa in excolendis operibus manus, magis videri potest temporibus, quàm ipsis defuisse. Virium tamen Attio plus tribuitur. Pacuuium videri doctiorem, qui esse docti affectant, volunt. *Horatius idem ex Criticorum sui temporis iudicio*:

Ambigitur quoties vter vtro sit prior: aufert
Pacuuius docti famam senis, Accius alti.

ANCHISES.

Laudat Euripidis Anchisen, Stobæus; *Anaxandridis, Athenæus. materia, fulminatio Anchisæ, de qua Virgil. Æneid.* 2. Lingua] *sic vett. Venet. & Argentinens.*

ANTIOPE.

Fruges frendeo] *explicat Lucret.* —— Fruges quoque sæpe minaces
Robore cum saxi franguntur.

Saluete] *agnoscit Antiope Zethum & Amphionem filios.* Flammeo vapore] *an potiùs leg.* Torrens vapore flammeo Terræ fœtum exusserit.

ARMORVM IVDICIVM.

Vertit ex Æschylo, vide Q. Smyrn. lib. 5. *& Ouid. Metamorph.* Effectum dabo] *sic repono*; *pro*, da. Nunc Pœnitebant] *apud Non. legitur*; Pacuu. arm. iudic. prologo. Nunc, *&c. latet aliquid vitij. In antiq. Venet.* prologo nunc pœnitebunt. libunt liberi g.e.l. *fortè*; prœlio, *&c.*

ATALANTA.

Atalantas comœdias scripsere Epicharmus & Phormus, teste Athenæo; *& multa hîc Comicæ lætitiæ. potuit tamen esse tragœdia de certamine procorum cum virgine Schœnæide, eiusq; infelici morte: idq; confirmat Ouid. eleg.* 1. *lib.* 2. *Trist. quem consule* 10. *Met. & Musæū de Hero & Leandro. & Apollonij Scholiast. in lib.* 1. 769, *vers.* Vbi ego me] *facilè hoc cum sequentibus coalesceret.* Magnate vt verear] *lego*; Me gnate vt verear.

Cùm incultos] *malim*, in rimarer; *vel*, quia, *pro*, cùm. Et si metuo] *alibi etiam legitur*, pictâ de plagâ pallam. Calydonia] *ex coniecturâ non incommodè hoc loco sic legetur. sin; cedo commodiorem.*

CHRYSES.

De repulsâ Smynthæi Sacerdotis & peste subsecutâ ex prima Iliade.

Quicquid est hoc] *Scio aliter legi in Lambinianâ editione, sed minùs felix corrector Lambinus, quàm Varronianus coniector; quem sequor.* Aiutamini] *corrigendus ex Nonio Donatus in Adelph. vbi legitur;* Adiuta mihi. Animam æther adiugat] *sic quidam; alij*, animam æther adiungat, *contra Nonij sententiam. priùs mendosiùs*; anima mater. Orestes vt heres siet] *Spero hanc coniecturam nostram non prorsus displicituram naris emunctæ Criticis. Nonium certè mendosum esse claret. ego sic emendo*; Orestes vt heres siet. Varro in Eumenid. *&c. pro, quod nunc exstat*; Orestes vt heres sit, sed tamen Enn. Eumenid. Redantruare] *certant Grammatici, & lis adhuc sub iudice, sic scribendum, an* redandruare, *an* redamptruare. *Vide Castigationes in Sex. Pompeium.* Certissent.] *Non. corrumpunt, qui*, certiscant, *obtrudunt.*

DVLORESTES.

Ex Euripidis Oreste, Aeschyli Agamemnone, & Coëphoris, concinnata.

Incaphareis] *Secutus sum pleros codices. quidam m. s.* Capherei saxis pleros didit. Aula] *adiecta vox à Criticis, versus fulciendi causâ.* Formæ gratia.] *vulgò Non.* famæ gratia. Nam te in tenebris] *Sic Nonij etiam emendatiss. codd. Antuerp. & Paris. anni 1583. ego ex coniecturâ*; Nam te in tenebris sæua lacerabo fame Clausum, *&c. minatur malam mansionem tenebricosam, famem, eculeum.* Macte esto] *nónne venustiùs legeris*; Macte esto virtute, operaque Omen approba. Quid quondam] *versus aptè ordinaui.* quondam, *retinui, pro, iam pridem: superflua enim diligentia, quoniam, substituere.* Flexiuice] *aliàs*; Flexa ceruice tum tenderet. Atque ægre madefactum feram] *quib. lib. deest vox secunda, aliis & tertia.*

Delphos venum pecus] *valde deprauatus locus: nec aliquid iuuant tot in Marcellum Critici, vnum præter; qui monet etiam legi in libris*, Delph. v. p. egi vnde ad stabula ac i. c. *melius paullo; sed nec prorsus sincerè.* Is quis est? Qui te in] *fortaßis*; Ægisthus est, Qui, *&c.* Oro] *cur bis, mî? quale illud*, flecti prolixitudine fandi? *audacter lego*; Oro ne me afflictes fandi prolixitudine. Animum. Quæ tum largitio] *sic ista in Nonio habentur: sic à Collectore fragmentor. poëticorum exhibentur. nec ausus fui reijcere, veritus inuidiam. omnino tamen credo non esse Pacuuij: nisi Sallustius ad verbum illa à Tragico sumsit. scio vt verba antiqui Catonis multum furatum malè audiuisse Crispum, vt furem tamen cothurnatorum, non memini. sanè in Iugurthinâ historiâ hæc hodie ad verbũ. Quare censeo apud Non. reponi debere potiùs:* Apud Sallustiũ in Iugurthinâ: Nam quæ tum, *& cet. nec difficilè degeneratio istorum verborum in istâ mendosâ edition.*

Pacuu

Pacuu Duloreste: animum quæ tum. *Scio quid alij Critici. sed eosdem fefellit memoria. Fortaßis etiam initiò apud Non. pro*, munes, *legendum* munifici. *hoc enim exempla producta, non illud præferunt.* Me caluitur] *restitui numeris verba.* Vereor si vnquam] *hic versus secundus*, in fatiscuntur, *tributur Attio, perperam; vel in*, fatiscere, *mendosè Pacuuio: nisi vterque eundem, vt nonnunquam Virgilius Enniúsque, Ouidius & Tibullus, item alij.*

Hermione.

In Duloreste, matrem, Orestes; hîc, Pyrrhum necat, & cum vxore fratris filiâ vix effugit meritum supplicium. Tragœdiam fuisse patet ex Ouid. 2. Trist.

Sunt autem & alij Philos.] *hunc versum mendosum arbitror, non quin de mente constet, sed quia varia lectio. nam cod. quid.* Qui contrà fortunam negent miseriam esse vllam. *Num legendum*; Sunt autem alij qui contrà à fortuna miseriam negent Esse vllam, &c. *Vult à quibusdam fortunam coli vt Deam, quæ prospera & calamitosa cæco quodam impetu largiatur modò his, modò illis; ab aliis negari vllam talem esse Deam, cui effectus hi vt causæ efficienti tribuendi; sed temere ista euenire, puta incendio, ruina, naufragio, &c. hanc ergo temeritatem volunt esse ipsam fortunam, non Deam aliquam. quæ sententia ex vtraque lectione colligitur.*

Veretur maximè] *addunt vulgati*, acta gratulatione; *sed id Critici meritò sustulere.* Quod ego in acie celebro] *vel dele*, celebro, *quod vet. impres. Aldi non habet. vel lege ex coniectura*:

Quod ego in acie obiectans vitam crebrò
Bellando aptus sum.

Probitate conseruetis] *sic reposui; legebatur*, probitatem.

Quum neque me] *sic Nonius. at Diomedes*, Cùm neque aspicere æquales dignarent eius.

Iliona.

Ab eâ depulsum mammâ] *egregiè quidam*; ——abeo
Depulsum mammâ pædagogandum accipit
Repotialis liber.—— *alij*; ab hoc.

Vt si onere] *quid. l.* vsi, *&*, patientur. *Valde suspicor, cùm in membranis Nonij per errorem bis scriptum esset*, Iliona; *ex posteriore natum*, vsi onere. *Credo restituend. Pacuu. in Iliona*: Sin verò me adhuc sc. patientur poti. *An de illo suo sceptro loquitur Iliona, de quo Maro lib.* 1.? Vno se obnuntiem] *hoc malo, quàm*, obnuntient. Des perpetem] Des, *deest al. lib.*

Medea.

Mulier] *Secutus sum excusos libros Prisciani, nam in 4. manuscr. codicibus hoc fragmentum tribuitur Pacuuij* Medo. Illum amor] *satis indicat Cicero Medeæ verba esse; sed non ex Ennij Medeâ. suspicor, potiùs Attij vel Pacuuij, ecciroc, quia Cicero quod huic præposuit poëtæ fragmentum alterius esse ait; at illud Nonius Ennij esse me docuit. non ergo istud Ennij.*

MEDVS.

Comœdia fuit hoc nomine Theopompi, de lata Medeæ matris & Medi agnitione: de Medo, consule Pausan. in Corinth. Strabonem, alios. mihi hæc Pacuuij ad Soccũ pertinere videtur, non cothurnũ. Atque eccum ipsum, *&c.*] *cui non placebit hæc conglutinatio docti Coniectoris in Varron.; dissoluat compagem: sua Varroni, sua Festo, sua Nonio, sua Macrobio reddat. Festus habet;* in ipso tẽpore. *Perperam Ennio tribuuntur, tertius à Diomede lib. 1. à Varrone & Macrob. lib. 3. c. 8. vltimus. vide Non. in* caluitur, *& in* Quis.

Credo quorsum] *fortaßis,* Cedo. Linguæ bisulcis actu] *pulchrè Critici;* linguæ bisulcæ iactu. Ques sunt isti] *aliàs,* Ques sunt ij. Ne quis attollat] *apud Diomed.* Et c.e. v. n. q. eum abstulat. *nec ipsum,* attollat, *Nonij planè placet. Videntur veteres etiam,* abstulo, *vsi.* Ire si resto] *hanc emendationem partim à me, partim ab aliis. vulgò;* bibite si resto pergit iter, nam si ire conor prohibet betere.

NIPTRA.

Niptram *Gellius, alij* Niptras *vocãt. Agi de pugna ad naues primum frag. subindicat. inscriptionis causa, ex antepenultimo clara. & ex Homero, cuius ea pars Odysseæ, vbi Vlyssem, pedes abluens, nutrix agnoscit, etiam ab Æliano vocatur,* Νίπτρα. *Sed dubitare me facit, quòd pleraque fragmenta ad* ἐπὶ ναυσὶ μάχην *pertinere videntur; & quòd (cùm Vlyssem diu pòst Telegonus occiderit, de quo Chæremon apud Athenæum lib. 13. & Astydamas apud Aristotelem) in Niptris morientem induci Vlyssem docet Cicero 2. Tuscul. dissentit ergo ab Homero & reliquis Pacuuius; nisi Cicero memoriæ lapsu addiderit,* idque moriens, *vel id aliunde irrepserit.* Scrupulosam.] *sic Priscianus, apud quem mendosè recentiores; In Nuptiis apud Non. in* specus, *legitur;* scruposam. *in m. s. Prisciani;* scruplosam. *puto diuersa esse; vnũ Actij, alterum Pacuuij.* Spartam] *debetur hæc emendatio Fuluio Vrsino, viro erudito, &, quod hac ætate rarum, bono.* Tu quoque Vlyxes] *disposui, vt visum, è secundo;* penè, *sustuli.* Retinete] *tres hasce reliquias commodiùs ita collimari posse iudicaui, eodem Cicer. lib. tribus locis sparsas.*

PAVLLVS.

Prætextata est, à Nonio vno loco Ennio tributa, non rectè. Quamuis caprigeno.] *sequor Macrobij fidem. apud Priscian. vet. impreß.* gradibus grellio est. *recentiores;* Quæ via cap. g. gradibilis g. est. *manuscr. verò quatuor;* Quia via.

PERIBOEA.

De Peribœa, vxore Lelantis, Auræ matre, multa tragica Nonn. Dionys. μη΄. *an hoc argumentum; an idem quod Perrhæbis Æschyli, cuius meminit non semel Athenæus; an de Eurymedontis Gigantis filiâ, de qua Homer. 7. Odyss., agatur, planè ignoro.* Parum est, quod te] *Venit in mentem multa posse in vnum cogi paruo negocio quæ ex hac fabulâ citat Non. in* senium, lapit, macor, ætas mala, timor, *&* expedibo; *quam ad rem, cui lubebit, vtetur operâ Iani Guilhelmij lib. 1. verisimilium; addat etiam ex aliis vocibus quas*

ego

ego addidi. Thesiantem] *Reponunt*, thyasiantem. *rectè*. Thyasus *Baccharum canticum.* Consternatæ animæ] *Lips. lib. 3. ep. 22. priori versu*; expectoratæ *&* voluere; *secundo*; subiit omnes quod natum est modo. *ingeniosè. In vltimo ego muginor, an*; offeras. Exanclari clauos] *quid clauum texitis Critici, & laborem fugitis? omnino retineo*; labos. Factum mihi] *legendum*; fac tu mihi, quòd contra rogo, respondeas. Multimodis] *sic ego, pro*; multis modis. Quanquam ætas senet satis, habeam rem virium, vt te ab ara arceam] *sic vulgò nunc: olim impreß.* te arca arceam. *num*, arce arceam? *mihi etiam, τὸ* rem, *& τὸ*, ab, *reycienda, vtq; exhibui scrib. videtur.*

TANTALVS.

Quod suprà retuli in Atalanta, *secutus Nonium: hîc rursus posui deferens doctißimorum hominum sententiæ, & emendationi.*

TEVCER.

Ex Teucro Sophoclis, quem citat Stephanus. Segregare] *duo conglutinaui fragmenta.* Quæ desiderio] *Lud. Carrio I. C. lib. 1. antiquar. lect. constanter vult reponi*, squalles scapréque. Rapido reciproco] *Sic impreß. Venet. Aldini, Paris. & Romani: in aliis est*; rapito, reciproca, parcito, augeto, citare, nectere, reciprocare, nudique gremiis subuectare. *æquè scabre & rediuiosè; velim vt quis affabre expolita præstet. nunc ex Criticis vnus de mendo monet: alter sic corrigit*; rapio, reciproco, pedem cito, vt vltro citro restem. *reliqua putat Festi verba. ceteris altum silentium. quos imitari decretum mihi, nec verbum addo.* Nam si] *verba Telamonis, negantis res humanas Dis curæ; quæ ex coniecturâ hîc inserui.* Illa hinc sine vsquam prouideam] *quid.* prouegeam. *& initiò apud Non.* prouegere. *in reliquis an corrigendum*; illâ hinc sine si vsquá: *vel*; si sine vsquam? Naturam dico facessi] *rectè alÿ cod.* facesse. *sunt qui corrigant*; matura, dictum, facesse. *propius erit à recepta lectione*; matura dico, facesse. *pellit Telamon Teucrum Salaminâ, nec moram vllam fert, nec Tecmessam vnà patitur abire; quod præcedenti fragmento postulatum.* Hinc omnes.] *Festus*; omnes hinc. Vbi poëtæ] *pace Nonÿ, non puto hoc ex tragœdiâ.* Murmuro] *al.* murmure. Neque Perpetrare] *vulgò malè. recta tamen lectio in margine, vt Vrsinus monet. quidam repon.* imperio, quiti. Patria] *visum conuenire Teucro. quare hîc posui.* Mihi classem impetrat] *legendum*; —— mihi classem imperat vt Thessalam,

Nostrámque in altum properiter deducerem.

IN EX INCERTIS.

Quadrupes] *Amphionis esse verba docet Cicero, suspicor, in* Antiopâ. Ego odi] *Hunc versum Macedo Philosophus pro foribus templorũ omnium scribi debere censebat: ego in animis & cordibus totius iuuentutis malim. ne illos imitetur, qui cùm leuißimi & vanitate toti diffluant, præcepta tamen sapientiæ & grauitatis, & meram virtutem calamo crepant. quam verè Fabius*; Tum dignum operæpretium venit, cùm inter se congruunt præcepta

cepta & experimenta. Filias tibi] *puto ex Nyptris.* Hic tibi ſtrepitus] *hoc & ſequens in Duloreſtē trāſcribo.* Curuifrontes] *non malè m.ſ.* cornifrontes. Sol ſi perpetuò] *hæc ſic à Varrone referuntur, vt Pacuuij verba pateat mutata. fortè reſpexit Varro ad illud ex Antiopa*; flammeo vapore, *&c. vt animaduertit Pet. Victorius.* Ad manticulandum] *hoc fragm. cum ſeqq. quattuor, ex orco, vt Eurydicen Orpheus, Criticorum optimus reduxit. Vide Caſtigat. in Feſtum fol. 85. vulgata lectio talis, vt nec deſcribendam putarim.* Spiras ſparteas] *rudentes anchorarios.* Nec ſatis reſarrire] *citat Varro, eo tamen modo, vt non videatur Pacuuij.* Turbido.] *al.* turpido. *ſed quæ illa frons* innata? *non capio. an,* inarata? *hoc eſt rugoſa.* Improbus, confidens] *apud Nonium, ſic*; Idem lib. 10. Improbus confidens, nequam malus habeatur. *quid. cod.* æquum malus. *Num ergo caſtigandus Tiberius*; *Ennius lib. 10.* Improbu', confidens, æquè ac malus vt videatur. *vel*; æquum malus vt vid. *ſed non aſſeuero. opinationes ſcribo.*

IN L. ACTIVM.

Hunc alij Attium, *alij* Actium, *alij* Accium. *quouis vtere. Animoſi oris vocat Ouid. altum Horatius, diſertiſsimum Cicero*; *Moderat. Columella in Præfat. Virgilio, vt alterum poëtarum Principem coniungit. Velleius Paterculus extremo lib. 1. tragœdiæ Principatum adiudicauit his verbis*; Niſi aſpera & rudia repetas (*Liuium & Ennium perſtringit*) & inuenti laudanda nomine, in Attio, circáque eum Romana tragœdia eſt. *Sequente deinde lib.* clara etiam per idem æui ſpacium fuère ingenia, in togatis Afranij, in tragœdiis Pacuuij atque Attij, vſque in Græcorum ingeniorum comparationem euecti; magnúmque (*ſic lego*) inter hos ipſos facientis operi ſuo locum. adeò quidem, vt in illis limæ, in hoc (*Attio*) penè plus videatur fuiſſe ſanguinis. *Salue igitur Romanæ tragœdiæ Princeps Atti: tuæ has ego inferias memoriæ. Imitabor Theſeum,*

Diſiecta dolens membra laceri corporis

In ordinem diſponam, & errantes loco partes reſtituere conabor, ſi non ſuo, at vacuo loco: ſed Quàm magna lachrymis pars adhuc noſtris abeſt! *anquirent alij feliciùs fortaſsis, & per ſcriptorum agros corporis partes reliquas inuenient.* Ne tum] *Fruterius reponit*; Ne dum cùm feruat victus irac. *quod non placet.*

ÆGISTHVS.

Cùm manus] *ſunt qui*; Quoi manus.

ÆNEADAE.

Prætextata eſt. nam Diomed. hoc inter Tragœdias & Prætextatas intereſſe docet; quòd in illis Heroës, in his Romani proceres. vide Diomed. lib. 3. Deuorabo.] *quid.* deuotabo. *non muto. ſimilis varietas in Biblÿs*; Deuotare ſanctos, *vel*, deuorare. *& apud Apuleium lib. 9. de Aſino. manuſcr.* deierando deuoraſti: *impreſsi*, deuotaſti, *vt aliis teſtatum.* Eo nunc, quæ] *huic verſui bonorum ſcriptorum Æſculapius, noſter Lipſius*; Et nunc, quæ eorum ſegnitas, ardet locus. *nam focum ardere quæ ſegnitas?*
Vim Gallicam] *intelligis, qui legis? non ego. Arbitrarer*; Vim Gallicam obduc

obduc contra in aciem exercitum. *Secundo qui medear, non habeo.* Calleci voce] *an hic de Gallæcis mentio? nugæ. non illi Galli, de quibus agitur. videndum an scripserit*; Gallici voce can. *vel*; Calles hi deuios canoro fremitu, *&c. vel sanè*; Cales hi, *&c. de vrbe*, Cales, *Liuius lib. 8. & Ptolomæo, καλὴς dicitur; Stephano, καληνσία. Fruterius in verisimil. emendat.* Gallanti voce, canoro fremitu peragrant minit. *vel etiam*; Galle tibi voce canora fremitum peragunt minit. *sed nec prior coniectura satis dextra, & magis læua posterior.* Dij summa tibi] *mera vulnera. laudo manum Ios. Merceri, qui*; De summâ tibi rerum duellum est, quod ab iis se partibus Gliscit: quibus rem summam & patriam quondam adauctauit pater.

ALCESTIS.

Ad imitationem Euripidis. Cùm strideret] *sunt vet. lib. in quibus*, strident. *in aliis*, striderat. *malo*, strideret. *proprium id Vmbris ac Manibus. Lucanus lib. 6.* Auribus incertum feralis strideat Vmbra. *Statius Papin. 4. Thebaid.*

Huius inaspectæ luco stridere sagittæ.

& 9. Thebaid. Stridebit vestros Tydeus inhumatus ad ignes.

ALCMÆON.

Ex Alcmæone Euripidis, vel Astydamantis, citante Aristotele; de Alcmæone consulendus etiam Thucyd. lib. 2. Fortassis etiam, quæ infrà Catulo tribuimus, Attiana sunt. Quod Dij] *monent in quib. lib. legi*, interpressum, *pro*, depressum; *& restituunt*, interdiu inferûm, *& anapæsticos censent.* Suos deseruit] *Quidam*, Duos deseruit, *& delet τὸ* sunt. *placet deleri: alterum illud mallem non mutari.* Repositum immerentem] *certa lectio*, depositum & merentem.

ALPHESIBOEA.

Chæremoni puto scriptam Alphesiboeam, sed in Athenæo lib. 13. corruptè haberi Αλευσιβοία, *facili lapsu. hæc Alcmæonis vxor, infaustum illud Eriphiles monile nacta, sortem quoque. Propert. lib. 1. Eleg. 14.* Etsi est] *emendat Lipsius*: Etsi est in malis depositus animus meus; Quæ sciui exinde audiet. Ita territa] *haut facilè persuadear integrum esse locum Nonij. deesse puto totum Accij testimonium, præterea nomen auctoris, eius qui sequitur versus Heroici*, Membra animo, *&c. vt planè existimem sic Nonium castigandum.* Accius Alphesiboea: Ita territa

——Membra animo ægroto cunctant sufferre laborem.

Odiorum] *facio medicinam*; Odiosum host. d. obuiam t. *&c. sunt qui*; ô dirum.

AMPHITRYO.

Puto tragœdiam, idq; & fragmenta indicant, & Athenæus, qui Amphitryonem citat, non Archippi modò, sed & Æschyli: diuersum ergo à Plautino argumentum. Hoc in re est] *fortassis*, hoccine est. Cedo ecquid te] *mira lectionis varietas. hæc vna apud Festum: alia*, redhostitum cùm eassem obiectet: *tertia*, redhostitum cùm ea se oblectet. *Nonius sic*: Quid

hic redhostit viam, cometet obtet faciliùs. *Est qui non malè corrigat*: Cedo ecquid hic redhostit, cùm mî assem obhiet faciliùs. *sed meliùs alter*: ——cedo ecquid te redhostit, cùm ea seni
Obiectet faciliùs?

Tamen ista tua] *transpositione exigua versum concinnaui*. Cum patre paruos] *subuenite diligentiùs Critici: parum hactenus opis tulistis. nondum sententia constat, licet moneatis in quib. lib. legi*, hiscere; *pro*, viscere; *licet reponatus*, miscere. Non paruam] *vel pòst*, ordibor; *alia persona inserenda, vel*, retine; *pro*, retice, legendum.

ANDROMACHE.

Hæc Malos annos] *numeris consules, si rescribas*: malos hæc: *sententiæ quoque, si*, malos hoc.

ANDROMEDA.

Multi iniquo mulier animo] *secutus sum in priore versu Criticorum sententiam; in posteriore nihil mutandum duxi*. Misera obuallata] *addidi syllabam voci*, obualla. Obesse intelligis.] *probum illud Fruterij lib. 2. Verisimil.* obsesse, *pro*, obseuisse.

ANTENORIDÆ.

Ex Antenoridis Sophoclis citat Athenæus. Namque venio huic] *vulgò malè*: namque huic inuenio, vt mea ope opes togæ integrent. *Inde ego*, Namque haud inuenio vt mea ope opes Troiæ integrem. *Eruditi tamen Critici censuram meæ prætuli, eiusq; lectionem excudi volui. facilè illi, & cuiuis alteri, laudem artis & industriæ huius concessero.*

Qui aut illorum] *reduc ad sesquiuersum.*

ANTIGONA.

Hanc etiam à Sophocle mutuatus. Heu vigiles] *ita me non malè concinnasse arbitror.*

ARGONAVTÆ.

Talis fuit, & tam infelix Argonautarum exitus, vt Tragicum poëma dici debeat. Vide Apollon. Argonaut. & Medæam Senecæ chor. 2. primum ego fragmentum non satis sanum, sed versuum praua transpositione ægrum arbitror. Vomit] *quidam*, eruit. *Turnebus lib. 26. Aduers. c. 33.* cernit, *contra carminis legem. valde mihi placet*, eruit, *quod est in Prisciani m. s.*

ARMORVM IVDICIVM.

Cedit Achilli] *ita nonnulli cod. vulgò habetur*; Cedit Achilli indutis armis, vesci studet, vt ea cuncta optimè Achilli induto, leuia præ illis putet. *Sed cui malo, si meam adiecero coniecturam*;

Sed ita Achillis incluti armis vesci studet,
Vt etiam cuncta optima is leuia præ illis putet.

meliora hæc certè. Æstuat] *quidam*, acciuit, *corrigunt. quid si legas*:
—bene facis.
Sed nunc quid subiti mihi febris mali æstuat?

Nam trophæum] *debetur castigatio huius loci Fruterio.*

Mora-

Morabilioni.] *mirabilis morio, qui hoc sanum putet. Lipsius legit;* inorabili. *præclarè. vide not. varior. in Non.* Spes summas] *alij,* spes supremas. *nónne rectiùs;* In quo salutis spes summas sitas habet exerciti? Dictio.] *Lambin. legit;* Pythius: *sed corrumpit. Vide Turneb. lib. 30. aduers. c. 1.*

Virtuti sis]. *rectè alij* sis, *pro,* is; *nam puto verba esse Aiacis, Eurysatem alloquentis: quæ fortè expreßit noster cùm Æneas iubet Ascanium virtutem ex se, ex aliis fortunam discere.*

ASTYANAX.

Primum fragm. continet Andromachæ verba. Nunc in] *fortaßis additum ex gloß.* id quærunt. Propter te] *Helenæ id obijcit Andromacha apud Senec. in Troad. vt & illud de Græcis, quod sequitur,* Quorum crudelitatem. Properantem egredi] *hoc reposui pro,* aggredi. *vltimum* properantem, *scilicet præ metu, sed primum vitiosum. quid si scrib.* Hic per matutinum lumen dum vado trepidanti gradu, *&c.* Abducite.] *est de Astyanacte, idem enim Seneca.* Vtinam] *Hecubæ votum de Cassandrâ.*

Hunc Altispicem.] *vulgata lectione nil pote monstrificabilius. quis enim malum hæc intelligat?* hunc altaispinem regionum fac ac desistet exercitum morari, nec me ab domuitione marceretur obscœno homine. *Nunc verò, vt exhibui, legentibus peruia & expedita cuncta. Vltimum versum ego, ceteros Ios. Mercerus recensuit. cur in vltimo dissentiã, hæc est caussa. ille reponit;* N. ô obscœnum hominem; *vt sint alterius personæ verba. Ego,* *obscæno* nomine, *vt cohæreat superioribus, nihil adijcio, demo nihil, solum* h, *in,* n, *muto.* obscœnum *pro vitabili & malè auspicato sumi sciunt, qui Non. legêre & Seruium. inde aues obscænæ Ouidio, fames Maroni, & Accio, obscæna dicta. obscænum ergo nomen Astyanactis, ait Græcorum aliquis, & malè ominatum, morari classem: primò quia Astyanax regnatorem vrbium significat; eoq́ magis si ad* Asty *Atticum respexerit. Sic omen ex nominis etymologiâ quidam, cùm Verres in prouinciam Siciliam missus, acceperunt, eum prouinciam euerriturum, teste Cicerone (etsi obscuriùs) in 4. Verrin. Deinde quia eæ litteræ nomen eius conficiunt, quæ & vocalium multiplicatione, & numeris per eas significatis (Græcis enim litteræ, vt & Arabibus & Hebræis, numerandi rationẽ obtinent) futurũ in bello, & imperio victorem superstitemq́, superstitioso hominum ridiculorum errore, portendebant. cuius opinionis stultæ pulcrum vestigium reperias apud Terentianum Maurum, hanc caussam reddentem, cur Hector Patroclum, Hectorem Achilles superarit:*

Et nomina tradunt ita litteris facta;
Hæc vt numeris pluribus, illa sint minutis:
Quandóque subibunt dubiæ pericla pugnæ,
Maior numerus quâ steteris, fauere palmam:
Præsagia lethi, minimâ parte summa.
Sic & Patroclum Hectoreâ manu perisse,
Sic Hectora tradunt cecidisse mox Achillis.

Ex sententiâ Pythagoræorum, quorum sors his numeris litterariis vanißimè nitebatur, cuius meminit Plinius lib. 28. Nat. hist. c. 4. Cic. 1. de Diuinat.

Neque solùm Deorum voces Pythagoræi obseruauerunt, sed etiam hominum quæ vocant omina, quæ maiores nostri, quia valere censebant, idcirco omnibus rebus agendis, *Quod bonum, faustum, felix fortunatumq; esset*, præfabantur. *Eo loco non ineptè,* nomina, *reponeretur: illa namque Pythagoræorum opinio, non ex quibusuis vocabulis, sed ex nominibus maximè, & primis dictionibus. Nominum quoque ratio in victimarum ductoribus, & in templorum dedicatoribus, & in locorum emptionibus sollemnis Romanis, idem Cicero, & Plinius lib. 28. c. 11. & Tacitus lib. 20. & Festus, non vno loco, docent. Vide Brisson. lib. 1. de form. fol. 102. Posset etiam legi eâdem sententia* obscœuo nomine, *ex Nonio,* in obscœuo. *Subtiliora hæc fateor, germanè tamen germana ad Attij mentem.*

ATHAMAS.

Argumentum Athamanteæ insaniæ prosequitur Nonnus Panopolita Διονυσιακ. *lib.* θ'. & ι.

ATREVS.

Hanc senior Pacuuius sonoram & grandem, sed duriorem paullo & acerbiorem iudicauit. Vide Gellium lib. 13. Noct. Attic. c. 2. Concoquit partem] *commodiùs profectò, si;*

——concoquit partem vapore flammeo,
Tribuit verubus lacerta in focos.—— *vel;* in focum.

Quo more funesto colloquar] *mallem;* Quoi ore funesto loquar. *Meliùs Douza iunior;* —— aut Pelopiâ digner domo?

Quoi me ostendam? q. t. a? quem c. f. alloquar?

Infideli cuiquam] *mallem;* quoipiam.

BACCHAE.

Ex Euripide acceptam ipsa collatio docet. scripsère præter Eurip. Bacchas, Antiphanes, Epicharmus, Epigenes, Lysippus, & Sopater. Siluicolæ] *coniunxi duo fragmenta.* Formæ figura] *ampliùs arrideret;* formâ, figurâ. Euie] *alij;* Euthya. *in Macrobio etiam sequens carmen;*

Almáq. curru noctiuago Phœbe; *ita adducitur, vt non videatur huic fragmento coniungendum, sed alteri alicui. quia subditur Egnatij exemplum;*

Roscida noctiuagis astris labentibu' Phœbe:

cùm tamen Attij verba componantur cum illis;

Vitisator curuam seruans sub imagine falcem.

Stirpe cum inclyta] *Vide an non probum mage;* Deinde o. st. c. i. Cadmî vagant Matronæ p. t.

BRVTVS.

Nocte] *verba Lucretiæ de Sex. Tarquinio.* Cùm iam] *somnium Regis TarquinI, cui meâ ope versuum ordo, sententia exigente, quarti & quincti transpositione, redditus.* Rex quæ] *interpretatio coniectorum.* Haud temere visa] *alij;* temere improuiso. Egregium] *fortaßis;* egregiâ.

CHRYSIPPVS.

Edidit & Strattis, sed ex Euripide ista.

CLYTÆMNESTRA.

Valuæ resonunt] *sunt, qui*, valde, *minùs bene. In vet. Imp. additur vox vna*; sed valde r.r. domus. Mali pigrent.] *est in multis lib.* pigne. *vox nihili.*
Scibam hanc mihi] *verba Cassandræ, vt & apud Senecam Agamemn.*
Aut ego] *ait Electra clepens Orestem.*

DEIPHOBVS.

An hoc drama de morte Deiphobi, quã Virg. in 6. Æneid.; an aliquid Comici socci continet, vt & nostri, Demetrius: *quem planè comœdiam puto fuisse.*
At infando] *sic quid. alij verò*; Aut infando homine gnatula erat, aut arena si ex sole, Qui neque, *&c. Denique nonnulli*; Aut infando homine gnatula ait à cœna se exule, Quinque annos, neque amicus vnquã grauis, neque hostis fuit. *Æquè omnes descobinatè. mihi medicamentum, quod dem, non suppetit. Vereor, ne duo Attij & Attæ testimonia coaluerint, aliquâ parte interceptâ. nam illa*, at gnatula ait à cœna; *non difficulter ex istis*, Atta in Gratulatione, *demigrarint, sed hariolor.*

DIOMEDES.

Passim quæ præda] *sunt qui, quia præcia à præciendo, iccirco corrigunt*; Passimque præcia. *mallem*; passimque prædæ. Me Argos] *sic Non. in Festi libb. inconstans lectio, in quibusdam*; Ergo Argos referam; nam hîc sum gnobilis. *in aliis*; Ego me Argos referam (nam hîc fuam gnobilis) *&c. quam puto rectiorem.* Insolentiam] *scribe*, insolentiâ, *Latino casu.*

EPIGONI.

Ex Æschylo. vide Papinium in Thebaid. Sed iam] *ad senarios hi reuocandi.* Nunc pergamus] *Lipsius*; nunc pergam vt.

ΕΠΙΝΑΥΣΙΜΑΧΗ.

Ego vellem vbique Latinis verbis scribi Epinausimache. *coaluit enim ex Græcis tribus, ἐπὶ ναυσὶ μάχη, de industria. vide Iliad. 15.* Martes] *Hectorem & Aiacem.* Scamandriam] *vulgò*, Vmandriam. *hinc Aldus*; Cùm Andriam. *Ego*; Scamandriam. *loquitur de victoriâ Achillis ad Simoentem, cùm eius cursum rapidum, cadauerum stitit multitudine. nota res ex Homero, Catullo, ceteris.* Haud fatiscam] *nonnulli lib.* antefatiscar.
Primores] *quid. lib.* Ni, *pro* nisi. *hinc recenseo*;

——primores procerum reuocarent nomina
Ni esset quis, qui armis, *&c.*

Eos mortalis fænis] *corruptiss. locus. Aristarchi legunt*, Mortaleis felicis misereri sæpe studio nolo. *ignoscant, nec hoc placet.*

ERIGONE.

Erigona Icarij filia, patris desiderium non ferens, suspendium elegit. vide præter ceteros Nonn. Dionys. μζ'. Tum autem Aeg.] *sic vulgò, quam lectionem ego non comitassim assensu meo; minùs etiam illos, qui sufficiunt*, cobitasset. *Egregia Palmerij coiectatio, nisi si paullo audacior*, Accius Antigona;
Tum autem Ægisthus si med eodem letho comitasset patri.
Inprimis assentior non esse ex Erigona, *sed mendosè citasse Noniũ: sed putem ad Epigonos potiùs pertinere, quàm Antigonam; vel sanè ad Ægisthum.*

Sed vbi ad finem] *Et hic duplex Nonij mendum: vnum quòd ex* Erigone *adducatur, cùm pertineat ad* Ægist. *alterum, quòd malè*, assistit, *pro*, astitit. *Lipsius totum sic recensebat*; Sed vbi ad fanum v.e.v. i. f. e.l. Atque Orestem g.f.f. p. adstitit. *de arâ Tauriâ.*

ERIPHILE.

Amphyarai vxor à filio necata, de qua Propert. lib.2.

EVRYSACES.

Aiacis & Teemessæ filius Eurysaces à Sophocle nominatur. an de hoc? hic Teucrum mortuo patre Salaminem redeuntem accessu prohibuit, teste Iustino lib.vlt. Iam potero.] *petit Eurysaces liceat sibi Salaminem incolere. quare scribendum, vt volunt Critici*, Iam pater. & Salaminẽ, *addo*, tecum, *pro* texum. *nondum tamen planè sana verba. Lipsius castigat*; Iam petere incipiam, etsi nequit id, cõtendam quasi ex composito tecum Salaminem abeam. Sed vt ratusta & raueste] *nolo, dum conor fieri Oedipus, Dauus esse, & magis turbare omnia. proponam emendationes aliorum; Quidam*, atrâ veste & vastitudine tetrâ formatus. *alij*; sed vtere tu istâ veste & vastitudine trade formam tuis. Diffidam] *mira mera. mihi crede, & curationem hominis eruditi vtere*; Diffidam autem, & de re turbat vulgum ambiguâ, ac ius vitat, mœros disiicit. Heu me.] *Quid si huic annectas quod sequitur*; Hei mihi, *&c.* Magis eos esse] *quid si*; magis crescere? Tot Tropæa] *bene sit scriptori, qui sua castigatione densissimas nubes discussit errorum. cuius operâ, clara nunc quæ priùs erant prorsus nebula.*

Nihil est. si autem ad te] *adiuuant castigantes*; ad te ire tardat socium. *nec ampliùs. ego sic totum locum restituo*; Nihil est. si autem ad te ire tardat, sociûm in portu copiæ subsistent. modò tute ipse effer arma (*vel effirma*) & compara. Heu mihi] *Augiæ cerno stabulum, conabor κοπρὸν egerere. Inprimis post Accij verba duplex vocabulum* (alia persona) *inseritur. perperam. id per N. litteram noto. tum amplector, quod in aliis libris est*; solitatem. *tertiò ex eo quòd iidem continent*, multis talia; *elicio*, multi mali. *denique sic recenseo:* Hei mî, vt etiam hæc ærumna luctũ addit luctibus:

N. Quid miseraris, Eurysace, solitatem memorans tuam?
Quid formidas? te commiserabar magis, quàm miserebar mei,
Tam multis mali aliquando vexata generibus.

Ilico inquam] *vet. impreßi*; i.i. habitato vis quàm propiùs. *quid si*, habitat istam propiùs; *vel*, nobis quàm propitius?

ILIONA.

Rimarentur loca.] *alij*; rimarem loca. *quid si*, humore, *pro* humorem? *humoris enim indiciis aquilegi vtuntur.* Attrice vrsum.] *quidam lib.* Atrise. *fortè*, Atrum se vrsum; *vel*, Atticum vrsum. *multi enim in Parnetho monte.*

IÖN, seu IÖ.

Ionem scripsit Eubulus, & Euripides etiam, vnde noster. Apposuit] *citatur hoc fragm. eadem à Prisciano pag. bis, vno loco habetur*, instituit; *altero*, appo-

appoſuit. Ex Taurino.] *citat Priſcian.lib.6.vbi manuſc.quatuor* in Ioë, *vt & vulgati. Sequenti verò fragmento excuſi,* Ione; *manuſcripti* Ioë, *vt etiam conſtanter lib.* 10.

MEDEA.

Non tota, magna tamen parte ex Euripide. Niſi vt aſtu] *ſunt qui legant; Niſi vt aſtu ingenium fingam, laudem d.l.l.* Tun' Dia Medea es] *belliſſima hæc Paſſeratij caſtigatio, digna viſa, quam in contextum reciperem. quid enim loci hîc nondum fortaſſis nato Diomedi?* Par neci] *ſequor;* pernici.

MELEAGER.

Ex Euripide. laudatur etiam Athenæo Meleager *Sciræ Comici. hiſtoriam pete ex 8. Metamorph.* Sextam Teſſeras] *feliciter iampridem alij;* ſectantes feras. Gaudent] *alij lib.* dona tenent. *item,* conſtat caput. *Lipſius,* currum celebrant, *pro,* currunt celebrant. *& ſtatim,* Munerauit, *pro,* numerauit. Abſtruſo] *v.l.* obſtruſo, *vt & m.ſ. Claudiani, Prudentij, & Senecæ non vno loco.* Tum vt] *alij libri* Timidè vt e.c. ſ. agnita v. a. a. accinit.

MELANIPPVS.

Scripſit Ennius Menalippam; *Euripides* Melanippum: *niſi fallunt codices. & ſic Critici Actianam hanc indigetant, quæ vulgò* Menalippus *dicitur.* Menalippæ, *(ſi ſic dicenda) argumentum Amazon à Theſeo capta, qua de re Pauſan. in Atticis, & Plutar. in Theſeo:* Melanippi *verò ambiguum, an Tidei fratricidium; an crudelis laniatio Melanippi Thebani, de quibus Statius lib. 1. & 8. Thebaid. & Pauſan. in Bœotic. Quid etiam ſi infelices amores Melanippi & Comethus, de quibus Pauſan. in Achaic.? Sed omnino puto Attium & Ennium vocaſſe Melanippam. ſic enim Euripides vocat apud Athenæum lib. 12. & 14. &, qui de eâ fuſiùs egit, Dionyſium Halicarnaſſ. in Rhetoric. non ſemel, qui ſic vocant. Ariſtoteles tamen vocat,* Μελανίππην, *in Poët. Notandum verò Euripidem duas ſcripſiſſe Melanippas, vnam Sapientem (Dionyſio σοφὴ dicitur) de qua loquitur Ariſtoteles; aliam ligatam δεσμώτιν nominat vtroque loco Athenæus :* Sapientis *argumentum ex Dionyſio petendum.* Ligatæ, *quod fuerit neſcio, ſi non idem, quod Sapientis; & differentia in eo quòd* Ligata *non philoſophetur: vel ligatâ fortè captiuam Amazona exhibebat. Vtram verterit Attius, non liquet.*

Rodus ſaxeum] *ſecutus ſum caſtigationem Criticorum, vt & in præcedēti.* Diſcendi] *aliàs;* dicendi. En eum] *ſecutus ſum vet. ſcripturam, non,* æneum, *recentiorem. in extremum etiam locum, putem,* ad eum, *alicundè adrepiſſe.* Vnde, aut quis] *ſic Non. Cicero verò 2. Tuſculan.*

Florem quíſnam liberûm inuidit meûm.

MINOTAVRVS.

Quî fit quòd à Priſciano lib. 6. fragm. hoc ſingulare ex Ione *adſertur, ſed paullo aliter?* Ex taurigeno ſemine ortam fuiſſe, an humano eam? *duobúſne in locis Attius eundem verſum? an quia Macrobius, vel Priſcianus errarunt citando? in recentioribus Macrobij,* fuiſſe, *deeſt.*

MYRMIDONES.

Ex Æſchylo vel Sophocle. Tu pertinaciam] *ſic emendant Critici; mihi*

nec vulgata lectio videtur reÿcienda prorsus; Tu pertinaciam e. A. h p. Ego peruicaciam aio, & à me vti volo. Nam p. dicis me e. & v. Perf. p. p. nil moror. H. f. ſ. i. i. p. T. a. q. v. e. d. q. laudi datur. Laſſis trahere] *tento*; claſſis. Infrenes] *litterulæ immutatione curata omnia. priùs*; infrenis.

Quòd ſi iſta] *ſuccenſentis raptâ Briſeide Achillis verba ſunt: ideo mihi illud bonæ frugis perplacet, è lib. 2. Veriſimil.* Quòd ſi vt decuit iſta mœchum, aut me eius mœraret dolor, Iamdiu inflammari, ardere naues vidiſſet ſuas.

NEOPTOLEMVS.

Cuiuſdam Theophili Neoptolemum adducit Athenæus. Vbi nihil contra rationem & quam habuit] *interpolandum iudico*; v. n. c. orationem æquum h. *Fruterius*, Vbi nihil contra rationem æquam habuit, aſſenſit libens. *Lipſius autem*; contra oratione͂ eam quam habui, aſſenſit ſilens.

Do & pudet] *cœpit alius, ego perſanabo, reſcribens*; Dolet pudetque Graiium me & v. p. An pro me Dane] *belliſſimè Cuiacius olim*; *Idem Andromeda*; Nec qui te adiutem. *ſecutus id ego, ſuo loco repoſui.*
Decorare] *Fruterius recenſet.* Deos ornare eſt ſatius, quàm vrbe͂ tæniis.

Sed quem mihi] *quidam lib.* ſed cùm. *non iuuant antiquarÿ, nec lectionum varietas ad manu͂, quam ſuſpemur. tacitus laudarim eum qui ad amuſſim iſta dedolabit.* Acritas] *de hoc loquitur Gellius lib. 13. c. 3.*

NYCTEGRESIA.

Sunt qui diſtinguant à Nyctegerſiâ; *ſunt qui vnam velint, & hoc vltimum mendoſum. vidi qui* Nyctegræciam *inſcriberet. mihi non liquet, vna an duæ, variant enim Grammatici Nonÿ codices. quare tutiſſ. viſum vnum in locum omnia cogere. de argumento conſtat, nocturnam eſſe conſultatione͂ Agamemnonis & primorum Græciæ. Vide Homer. Iliad. κ'. quæ pars opinor illo tempore Attÿ priſco more, de quo ſuprà, laudabatur.*

OENOMAVS.

Arcem aſtuque] *ſic cum Mureto legerim. nam vulgata lectio* arcana aſteumque, *prorſus blitea: quorundam emendatio*, Arpinam Alamque, *aliena, longè petita, præter mentem & rem.* Coniugium Tiſis patereat te itiner tendere.] *in aliis lib.* coniuge͂ ciſiis patere, ad te itiner tendere. *me neutrum ſatullat; nec magis fortaſſis alios mea coniectura, quam tamen adſcribo*; Coniugium Piſis petere, eò te itiner tendere. *Piſis enim hæc geſta, eò proci Hippodamiæ gratiâ contendebant. Vide Comment. in Troad. verſ.* 848. Horrida] *legitur hoc fragm. ab omnibus, affirmatè tamen aſſero non intelligi à quoquam. ita conſpurcatum eſt maculis: quas nunc nequeo eluere.*

PELOPIDÆ.

Et commouent] *tolerabile. ſed numquid melius?* commonent.
Ceſſo hinc ire] *niſi hæc Atreus infit de adulterio vxoris cum Thyëſte; præſtaret, reponere*, letho, *pro* lecto: *qui mihi quidem iſthic non commodè ſtratus.* Prætextæ.] *ſic Gellius, quem conſule, ſi vacat, de voc.* ſquallidus. *in Nonio legitur*; textæ.

PER-

PERSIDAE.

An idem argumentum cum Persis *Æschyli & aliorum? vt & hic*, Persæ, *legendum? Scio*; Persas *fuisse comœdiæ nomen apud Græcos, ex Athenæo; vbi luxus Persarum carpebatur; qua de re fusè Robortellus in Poëticam Aristotelis pag. 19. & 20. sed Attij hanc tragœdiam ex Æschylo fuisse reor. in manusc. Prisciani continetur*; Satinus vt quemcunque.

PHILOCTETES.

Scripsère Æschylus, Sophocles, Euripides, Antiphanes, Euphorion, Strattis; ex tribus primis multa noster. Vide Coniectan. in 6. Varron. de ling. Lat. quæ me multum iuuerunt. Contempla.] *Duo fragm. consarcinaui.*
Niues] *hunc versum etiam Censorin. refert, sed nec integrum, nec laudato auctore; quemadmodum nec Cicero Tuscul.* 1. Qui iacet in lectulo humido] *hæc quinque verba, sunt qui Attij, sunt qui Ciceronis esse contendunt. vtrisque satisfeci. illis, quibus assentior, ea in contextum referendo; his sententiam ipsorum non prætermittendo.* Contegens] *vulgò apud Censorin. legitur*; contegit. *nec dicit cuius Poëtæ sit: sed sententia monet huc pertinere, & Cicero qui de Philoctete, ad hunc locum respiciens, scribit*; pennarúmque contextu corpori integumenta faciebat. Fato] *Doctiores nunc omnes arbitror præ hac alterius Critici castigatione, aliam Turnebi lib. 2. aduers. c. 8. fastidire.* Phrygiâ Minorem] *sic recensui, pro*, Phrygiâ.
Caprigenum trita vngulis] *hæc verba sodes commisce cum superiori frustulo, hoc pacto*; Loca aspera, saxea tesca tuor, Caprigenum trita vngulis.
Cùm ex viperino] *hæc ego illis annecterem, quæ paullo antè posui*; —qui iacet in lectulo humido, *&c. in fine fateor*, cient, *legendum; licet Cicero*, cierent, *contineat. non tamen Ciceronis contextus emendandus ex Attij loco. data namque Tullius opera ita scripsit, vt illi quod præcesserat (nempe*, tum consolabantur, cùm, *&c.) responderet.* Classibus auctor, Grauis Dardaniis] *emendaui numeros*, Classibu' ductor, Graui Dardaniis, *& cet.* Si imperasses] *quidam lib.* Si par tibi esses, non ego nunc e.m.

PHINIDÆ.

Fortaßis sumta fabula ex Phineo *Sophoclis, quem Stephanus citat; vel Æschyli, quem Athenæus, à quo citatur etiam Phineus Theopompi Comici. Putem narratum, quo pacto Phineus Crambin & Parthenium filios suos excæcarit, & ipse postea ab Harpyiis fuerit infestatus: & ab Hercule interemtus, qua de re Apollon. lib. 2. eiusq́; Scholiastes non pauca.* Phinidas *cuiusdam citat Aristoteles in Poët. vbi rectè m. s.* ἐν τοῖς φινίδαις: *nec viro docto de hac lectione fuit dubitandum, & apud Suidam mallem* φινεῖδες. *de Phinidis enim Theodectæ drama.* Crepitu] *alij malunt*; cum crepitu.

PHOENISSAE.

Ex Euripidis Phœnißis, vt fragmentorum collatione plures iam docuerunt.
Quàm natum] *in impreß. Prisciani libris*; quique natum. *sed sic quædam membranæ: aliæ*; quia natum. *& mox*, ostentum, *pro*, ostendis.
Ab dracontis surpe amata exoratus genere antiquior] *portenta. sic expiant libri spices*;

—— ab dracontis es
Stirpe armatâ exaratus, genere antiquior.

De Sparticis istis, egi in Senecæ Med. Fortè meliùs reponas; ab dracontis is Stirpe. *frequens in libris omitti syllabam sequentem, si similis præcedenti proximæ. exempla passim, maximè* Π. *Florentinis. & amplector Lipsij coniecturam*; exortus, *pro*, exoratus.

PROMETHEVS.

Conuersa ex Æschylo, teste Cicerone 2. Tuscul. Attij esse, Nonius, in adulo, *& Priscian. conuincunt.* Profusus flamine] *Lipsius*; flamine profusus. *& recepi in contextũ; & vidi aliis quoque placere postea.* Iouis satelles] *de quo idem Attius lib. 1. Sotadicor.*; Non ergo aquila, ita vt hi prædicant, Seciderat pectus. ——
has pœnas supremo fato Prometheum pendisse, in Philoctete Attius etiã narrauit, verbis quidem à Cicerone relatis 2. Tuscul. sed suo more detortis poëtæ versibus. Turnebo non assentior, qui 2. Aduersar. c. 9. hæc Ciceronis esse vult, refellunt Prisc. & Nonius. Auolans] *sic Turnebus & Lambinus, cùm priùs legeretur,* aduolans; *vitiosè.*

TELEPHVS.

De hac Horat. ad Pisones; Telephe vel Peleu malè si mandata loqueris. *& cet.* Pectora] *vet. imp.* pecora. *non probo.* Quem ego vbi] *Æsculapium accerse, qui sanet depositum. ego quid applicem impræsentiarum, non habeo, præter suspicionem, legendum*;

Quem vbi ego adspexi, Diuorum aliquem intus
Viderer; nî vestitus teter, mæstitudo, vastitas
Deprædicarent hominem esse.

Mollibat] *tranquillabat, pacabat.* Profectò] *sic ego litterulâ mutatâ. nam qui reponunt,* nequaquam est ortus mediocri satu, *nimis quàm à libris abeunt.* Horrificali] *fortassis*; horrificabili. Pastórque illius] *deme vnum l. & lege*; Ilius. *scilicet Paris.*

TEREVS.

Tragœdiam fuisse docet Ouid. 2. Tristium eleg. 1. scripsère Græcè: testibus Suidâ, Aristotele, & Athenæo, Sophocles, Cantarus, Anaxandrides (quorum duorum, Terei *comœdiæ fuere) Astydamas & Carcinus. Vidi aliquando incerti auctoris* Procnen *ab Academia Venetâ excusam.* Suauitas conspiritum] *Sic Aristarchus Gallicus, & explicat* συναυλίαν. *vulgò*; conspiritantis animæ. *& erit fortè qui id tueatur, me tamen non subscribente.*
Tereus indomito more] *lubentius ego*; indomito corde. *etsi illud etiam defendi queat, sicuti apud Virgil. in Ciri*; meritorum more.
Deum Cadmo] *sic nonnulli. alij*; Deum Cadmo generatum semel affare & famulanter pete. *Nonius in* famulanter, *sic*; Deuincat, mone natum, Semelâ assure, & famulanter pete. *in*, affari *autem hoc modo*; Deum Cadmo generatũ semel affare, & famularent perpetuere. *Ego aliquando scribebã*; Deum Cadmigenam, natũ Semelâ, affare, & famulanter pete.
Fama], *quid. lib.* flamma. *quid. etiam omittunt verbum*; viget.

Nouus

Nouus nouo] *verba videntur Terei nolentis monita Philomenæ æqua in aures admittere; vt & illa paullo priùs posita:*

Alia hîc sanctitudo, aliud & nomen & numen Iouis. *sed non occurrit quo pacto castigem prima verba.* Exanclaui] *exanclo an exantlo scribendum, certant Grammatici. de hoc loco vide Turneb. lib.2. aduers.c.8.*

Virginalem me ore] *sic plerique. Lambinus autem*; more.

Lacertorum toros] *vulgò lacertos esse volunt eam partem, quæ à cubito ad carpum; nec desunt testimonia; hîc videtur subycere proximè humerus, vt & Ouid. in Metam.* ——— laudat digitósque manúsque,

Brachiáque & nudos media plus parte lacertos.

Idem:

——— redeunt humeri, & subiecta lacertis

Brachia ——— *scio tamen nec ipsum perpetuò exactè hoc discrimen obseruasse.* Hæc è Tartarea] *quid.* à, *pro,* è. *& paullo pòst,* obseruantem; *non,* asseruantem.

THEBAIS.

Scripsêre Antiphanes & aly, de quibus egi olim in Aduersar. Septem ad Thebas, *præter Æschylum dedit Amphis Comicus.* Cùm id Circæo] *sic Non. in,* nitidare; *quidam cod. aly;* quin idcirco fonte adueniunt mundulæ, nitidantur; vulgò quæ præpediuntur vi sonipedum. *paullo minùs prodigiosè. censebam capiti sic mederi posse;* Cùm è Dircæo fonte. *nequeo ceteris membris.*

TROADES.

Liberiùs hanc ex Euripide vertit, potuit etiam nonnulla ex Æschyli Phrygibus. *quatuor manusc. Prisciani vocant,* Troiades.

IN EX INCERTIS ATTII.

Obuiolauit] *ita Turneb. & explicat, vitium obtulit. at rectiùs aly monent eo loco nihil Attianum contineri.* Sumno] *hoc est somno. secutus sum Fuluy & aliorum castigationem.* Custodem assiduum Ioni] *hunc eundem versum adducit Caris. sed scribit;* Inoni. *nos etsi sup. in* Inone, *dedimus; hîc rursus, quòd nesciamus an bis aliter ac aliter ab Attio positus.* Scindens dolore] *Agamemnon Attianus, teste Cicerone.* Vacci acri] *aly lib.* Vacci acreis crepitanteis melos. *fortè an;* Bacchæ acreis crep. melos?

Immune] *explicat Turneb. lib.15.c.11.* Quorum genitor] *Hercules.*

IN ILIVM.

Quis iste Ilius? nusquam alibi eius nomen reperio. an fortè reponendũ apud Macrob. Lælij *nomen, cuius meminit Appuleius? an* Rutilij, *cuius Placiades, & primæ litteræ euanuerunt? an* Liuij? *an* Iulij? *vide quæ de Sulpitio retuli lib. de Tragœd. cap. vlt. nam vltima hæc coniectura potior. nihil definio.*

Flammeam per æthram] *ad Etymologiam Olympi alludit, de qua nos alibi.*

IN MEMOREM.

De hoc diximus in lib. de Tragœd. Membranæ quædam Fulgenty eo loco continent; non, Memor, *sed* Mummius in Herculis tragœdiâ.

IN GRANIVM.

Corruptum huius vatis nomen, apud Fabium lib.2. ab iis qui Caninium (vt Valla) vel Gabinium reposuerunt; apud Nonium quoque & Censorinum. pro, impulsa; *mallem,* impulsu.

IN GRACCHVM.

Humidam] *sic Censorin. sed ex Prisciano lib. 6. rescribe*, humidum: *sic etiam Liuius in Adon.* humum humidum pedibus fodit.

IN Q. CATVLVM.

Vnde hæc] *Catulo tribui, quia Cicero Catulum alloquens*; Quid ipse *(inquit)* Alcmæo tuus, qui negat, *&c. & ista adducit. vide quæ sup. ad Attij Alcmaeonem diximus.*

IN VARIVM, OVIDIVM, POMPONIVM, ET RVTILIVM.

Hæc Varij, sunt Atrei loquentis verba. apud Fabium correctum à Gallandio habetur, Iam fero; *cùm in ceteris*, iam ferre. *Idem Fab. lib.* 10. Varij Thyestes cuilibet Græcorum cōparari potest. Ouidij Medea videtur mihi ostendere, quantum vir ille præstare potuerit; si ingenio suo temperare, quàm indulgere maluisset. Eorum quos viderim, longè Princeps Pomponius Secundus; quem senes parum Tragicum putabant, eruditione ac nitore præstare fatebantur. *Idem lib.* 11. Senecæ copiam *tribuit*, Pomponio autem elegantiam. *Ego miror cur Critici nostri Thebaidem Senecæ ademptam Pomponio non ascripserint. ego me id suspicatum aliquando non diffiteor: nec dubitauerim æquè illum ornata dare potuisse. sed de hoc suo loco. De Rutilio nihil equidem alibi legi. in manusc. etiam vno Lutacij, seu Fulgencij Placiadis, legitur*; quesieris miser, quam sep. *in alio*; quereris m.q.s. *De Mæcenatis Octauiâ egi, quando de ipsis Tragicis.*

IN FRAGMENTA INCERTORVM TRAGICORVM.

Quattuor priora videntur verba Aiacis, in Armorum iudicio.

Falleret] *subiungit Cicero*; Illi verò non modò cum hostibus, verūetiam cum fluctibus (id quod fecit) dimicare melius fuit, quàm deserere consentientem Græciam ad bellum Barbaris inferendum. *In quibus verbis pellucent mihi quædam ipsius poëtæ, quæ suis Cicero intexuit.*

Accusem] *sic lib. 3. ad Herenn. sed primò de Inuent.* accuses.

Vidi te Vlysses] *Sarcasmus Aiacis.* Quia Mater] *multa sequentia fragmenta videntur ad Attij Troades referenda: quæ vnum in fasciculum colligaui. Disceptantibus autem Criticis cuinam, Attio, an Pacuuio reddenda, Attio crediderim. facit stylus, huic similior. facit Ciceronis consuetudo, qui Attiana sine auctoris nomine, Pacuuiana nominatim solet laudare.*

Eheu iudicauit] *vt qui sæpe scopum petunt, aberrant sæpe: ita Criticis accidit in conijciendo. exemplum præbet Turneb. lib. 5. Aduersar. cap. 23. de hoc loco differens.* Aduenict] *hæc & præcedentia omnia ad vaticinium Alexandræ* in Troadib. *Attij; quæ sequuntur, ad* Hecubam *eiusdem retulerim. nonnulla namque respondent Euripid. Hecubæ.*

Mor-

Mortuorum] *vox hac ab adtextu. sunt autem verba Polydori.* O pater, ô patria] *horum conferruminationem vt probem, inducor quòd oratio pro Sextio indicet omnia ex eadem fabula esse.* Mater te appello] *qui Ciceronis Lucullum & Horatij lib. 2. Sat. 3. & Ciceron. pro Sextio legerit attentè, facilè deprehendet ad Ilionam referenda.* O Patrocle] *hoc cum tribus sequentibus perspicuè ad eam fabulam referendum; quâ Græcorum aduersa ad naues pugna describebatur. sunt enim, Cicerone teste, Eurypili & Patrocli verba. vide Turneb. lib. 4. Aduers.* Æsculapij] *in orat. legitur,* Æsclapij. Impius.] *sequentia, vsque,* nequaquam; *partim Atrei, partim Thyestæ verba sunt, ex Attij* Atreo; *vel, Pelopidis. posui ex castigatione Adr. Turnebi lib. 7. cap. 18.* Vnquam] *concinniùs legas;* vsquam. Proinde] *prius hoc ex coniecturâ posui, in* Atreo. Nequaquam] *hunc versum, & proximum illum,* Qui volt, *loquitur Niobe, in Athamante vel Bacchis.* Qui volt] *hunc Cicero asserit esse omnium malorum seminatorem.* Neque tuum] *Cicero significat eiusdem esse, cuius ille,* Namque Æsculapij, *&c. qui Attij est. Attij ergo et iste.* Ille transuersa] *hoc fragm. & sequens, ex Medea sunt.* Quod in re] *ista & seqq. aliqua poterant reponi in Attij Atreo.*

Ipse summis, *Item,* Neque sepul.] *Thyestaas hac preces continent; Turnebus commutat, sed non in melius.* Quemnam] *ex Thyeste, nescio cuius citat Cicero.* Nolite] *Thyestæ verba, dubio procul; sed innumera, numeris conentur alij reddere.* Refugere] *Æethæ querela; nisi si apud Ciceronem Thyestis nomen depravatum; quod non omnino à vero alienum.*

Pol mihi] *An Medeæ verba? similia etenim apud Senecam loquitur.*

Ego cùm] *verba Telamonis de Aiace.* Hiccine est] *ex Attij Telamone.*

Imò] *Achillis apud eundem verba.* Audisne] *Cicero ait ex* Epigonis *esse.*

Summam] *vide Turneb. lib. 7. Aduers. c. 18.* Quo genere] *cur hoc hemistychium poëtæ esse nequit? at vulgus tribuit Ciceroni, non poëtæ. non pugnabo, tribue & tu, si libet.* Ænea] *hoc ego fateor ex Nyctegresia videri; sequens, ego non arbitror.* Nihil horum] *Andromacham contemnentis Hermionæ verba, ni fallor, apud Pacuuium. Fertilitatem barbaram ad luxum & mundi muliebris ornatum refert Turneb. lib. 4. c. 18. non placet. quin potiùs fertilitatem sterilitati suæ (quòd liberos ipsa nullos pareret) opponit. cui rei vxoriæ, & agri nomen, metaphoricè accommodari, quis nescit?* O Apollo.] *Priorem versum Varro lib. 6. videtur Manlio tribuere: sed malo plus soluere, quàm partem detrahere. Sequentia duo fragmenta ad Medeam pertinent.* Ioue] *Ex Eurip.* Oreste. *Diomedes paullo aliter;* Ioue prognatus est v. p. T. Ex T. ortus Pelops, ex Pelope satus, *& cet.* Impero Argis.] *Primus hic versus in o. l. quos vidi Quinctiliani, etiam Aldinis lib. 9. cap. vlt. mendosè legitur,* Hypero-Argus sceptra mihi liquit *P. mendum vidit Gallandius, & Græcaturiens reponit* ὑπερούχος sceptra, *& cet. sed hoc credant pueri, & qui nondum ære lauantur, Tragicum Latinum Græca suis miscuisse. Ex Seneca lib. 10. epist. 81. ad Lucill. corrigendus Fabius. licet & ipse Seneca in vet. impress. ante annum millesimum quingentesimum decimum sextum sic;*

Impe-

Impero agris, *in excusis verò anno 1521:* Impero Argis. *sed deerat adhuc versui syllaba, quam se Muretus ex Siculo cod. primùm scribit reddidisse:* En Impero Arg. *in contextu tamen ab eodem castigato legitur mendosè;* Ex impero. *ex vestigiis opinor scribendum; tam apud Fabium quàm Senecam;* Rex impero Argis. regna (l. sceptra) m.l.P. *&c. nec indecora repetitio ad exaggerationem.* Rex impero, regna. Quod nisi] *verba Teucri in Aiace, ex Sophocle.* Sacras sacram] *legebatur;* sacrare sacram. *reposui;* sacras sacram. *ludit in contraria vocis* sacer *significatione. videntur verba Clytæmnestræ excusantis se quòd maritum necarit.* Mehe] *pro me, frequens Tragicis, notat Fabius lib. 1. c. 5.* Ritæ] *non intelligo. fortaßis;* Ni te Thesprotûm pudeat Regis, quod, *&c.* Sed iam] *malè sana verba. summus Criticus,* de cælo, *non,* se cælo. *sed quis ille pater Auroræ? an Sol?*

Nam quid] *Dignum quod adscribatur, non tamen ex tragœdiâ.*

Ore beato] *quid si;* Phœbe? *Hæc verò Censorini plera mendosa, & fortaßis exempli tantùm gratiâ conficta; quapropter multa eiusmodi omisi, tum à Censorino, tum à Seruio in Centimetro relata.* Nam nos] *Ex Euripidis Cresphonte monet Cicero: videntur tamen, vt & sequentium maior pars, ab ipso Cicerone, non ab aliis, conuersa. sed malo prodigalitatis, quàm parcimoniæ reus, vestro cum bono, fieri.* Vnde sibi] *Cicero;* idem quod apud Ennium dicat Pythius ille Apollo se esse; eum vnde sibi, si non populi & reges, at omnes sui ciues consilium expetant, *&c. Ex his ego verbis exputando colligo primi versus medicinam;* Vnde sibi populi atq. reges consilium expetunt. Multi' modis] *Dion. Lambinus hæc edi curauit, vt quinque versus continuos. id si verum est, quod mihi non liquet, omnes Enniani sunt; cui quinctum ego iam ex Grammaticis veteribus tribui.*

Labor, pericula] *vt potui hæc ex orat. pro Sextio exscalpsi. Attio adiudicarim, nec prorsus à mendis libera præstiterim.* Summum amicum] *apud Ciceron. pro Sextio tribus dissecta locis conglutinaui, vt puto, non infeliciter. certum mihi sic Attium edidisse. Attij quidem, quem disertiß. poëtam nuncupat, ipsemet paulo pòst docet.* Animaduerte] *Regum hæc esse imperia Cicero ait.* Struunt] *Procne & Philomela.* Cunctæ] *mallem* cultæ. *puto esse Pomponij Secundi. vide Comment in Oedip.*

Hæc habui in Fragmenta. fruere (lector) & memento quot à nobis verba Tragicorum correcta, totidem scriptorum, qui adducunt, vulnera sanata. Ne erres, & inutilem hanc operam putes.

FINIS.

MARTINI ANTONII DELRII EX SOCIETATE IESV SYNTAGMATIS TRAGOEDIÆ LATINÆ

Pars secunda.

In qua L. ANNÆI SENECÆ TRAGOEDIÆ cum Aduersariis recognitis, &c. vti sequens pagina indicabit.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Viduam, & Ioannem Moretum.
M. D. XCIII.
Cum gratia & priuilegio.

AVXILIARIA CASTIGATIONI CONTEXTVS.

1. MANVSCRIPTVS codex meus, omnium quibus vsus, optimus; cui pauca initio, & fine, foliola deerant.
2. Alius VVinckeliani collegij, Louanij, x. trag. cõtinens.
3. Burdegalensis tertius, quem ab *Eliâ Vineto* mihi concessit vtendum *Martialis Campanus* Medicus: sed iste non tam tragœdias, quàm scedia præstitit.
4. Quartus omnium tragœdiarum integer; quem mihi *Simon Milangius* typographus commodauit, acceptum à Cl. V. *Ioanne Chauuino*, Præside Eguiano.
5. Quinctus m. s. etiam integer collegij Societatis IESV Moguntiaci; sed prorsus recens.
6. Exemplar Lugdunense excusum à Gryphio anno 1536. quod *Ludouicus Carrio* I. C. cum tribus m. s. contulerat.
7. Exemplar Complutense excusum, propriâ *Gundisalui Suarij Oblancæ* manu nonnullis locis castigatum, & notis breuibus hîc illic illustratum; accepi à *Societatis* IESV collegio Legionensi.
8. Editio vetus Herbipolensis, earum quas vidi optima, &, arbitror, emendatissima, fortè & prima; cui non additur annus impressionis, sed in calce hoc epigramma;

Clauditur iste liber Senecæ, repetendus in omne
Æuum, hunc ardenti pectore, Lector, ama.
Presserat Herbipolis Martinus in vrbe decenter
Lipzec. hoc munus, candide Lector, ama.

9. Editio Veneta prima, castigata & commentar. ornata à Bernardino Gellio Marmita, Anni 1492. apud Lasarum Isoardam. hæc in paucis dissentit à m. s. meis, & ab Herbipolensi.
10. Secunda Veneta, anni 1493 apud Matthæum Capcasam Parmensem emendata & illustrata commentar. Danielis Caietani Cremonensis: hæc incepit innouationum nonnullarum sementem iacere.
11. Tertia Veneta, anni 1510. apud Philipp. Pincium: hæc admodum vitiosa, suis erroribus ansam præbuit sequentibus multa commutandi, sed in deterius.
12. Editio Parisiensis, Iudoci Badij Ascensij, cum eiusdem commentar. anni 1515. videtur expressa ex Pincianâ, sed præstat; & præfert emendationem Maserij & aliorum duorum.
13. Basileensis Henrico Petriana, anni 1529. in cuius margine quædam lectiones variæ: hæc prima longissimè à veterib. libb. cœpit recedere, suspicor ex coniecturâ: & hanc secutus in plerisque N. in suis castigationibus.

14. Lipsica seu Lipsiensis Ernesti Voegelini, ex emendatione N. viri aliàs eruditi, sed cuius in hunc auctorem opera parum laudabilis. hanc ad litteram expressit Christoph. Plantinus Antuerpiæ, Anno CIↃ. IↃ. LXXVI. cum meis Aduersariis. nec est quòd quis mihi quidquam illius tribuat. nam quæ in Aduersariis monueram, non sunt in contextum relata: & contextus ille purus putus Saxonicus est.

15. Excerpta ex his decem tragœdiis, collecta ab *Alberto Eib* in *Margarita poëtica*; qui *Pÿ Secundi* cubicularius fuit; & videtur m.s. tantùm libris vsus, nonnullis etiam, qui nobis perierunt.

16. Denique C. L. V. I. *Lipsij Animaduersiones* in has tragœdias: (qui vno ex m.s. sanè præclaro, plura restituit, & feliciùs, quàm ceteri omnes; & mihi plus adiumenti attulit, cunctis iis quos recensui) editæ Lugduni Batauorum Anno CIↃ. IↃ. LXXXVIII.

17. Vsus sum & Fr. Raphelengij Iunioris Castigationibus.

18. *Thebais*, edita Parisiis, à Frid. Morellio, cum scholiis *Q. Florentis Septimÿ Christiani.*

*M*ODVS *in castigatione adhibitus*, vt nullam coniecturam meam in contextum retulerim, contentus in Aduersar. vel Commentario monuisse. quicquid mutatum Lector deprehendet; factum id m.s. vel impressorum codicum auctoritate sciat.

Plurima quoque, quâ ab interpunctis, quâ ab orthographiâ, quâ ab ordine, & personis interloquentibus, sublata vitia; quorum, quòd indubitata videbantur, nulla in commentariis, tædij vitandi causâ, mentio facta.

Planè in corrigendo cautus & subtimidus, quàm more multorum præceps & temerarius, esse malui.

Vale, quisquis hæc legis, & Deum pro me deprecare.

L. ANN.

L. ANN. SENECÆ Medea.

TRAGOEDIA I.

PERSONÆ.

Medea. Creon. Chorus.
Iason. Nutrix. Nuncius.

ACTVS PRIMVS.

MEDEA.



Ii coniugales, tuq; genialis tori
Lucina custos; quæq;, domitorem freti,
Tiphyn nouam frenare docuisti ratem;
Et tu profundi sæue dominator maris;
Clarumq; Titan diuidens orbi diem;
Tacitisq; præbens conscium sacris iubar
Hecate triformis; quosq; iurauit mihi
Deos Iason, quosq; Medeæ magis
Fas est precari; noctis æternæ chaos,
Auersa superis regna, manesq; impios,
Dominumq; regni tristis, & dominam fide
Meliore raptam; voce non fausta precor:
Adeste, adeste sceleris vltrices deæ,
Crinem solutis squallidæ serpentibus,
Atram cruentis manibus amplexæ facem:
Adeste, thalamis horridæ quondam meis
Quales stetistis: coniugi lethum nouæ,
Lethumq; socero & regiæ stirpi date.
Mihi peius aliquod, quod precer sponso malum
Viuat: per vrbes erret ignotas egens,
Exul, pauens, inuisus, incerti laris:
Me coniugem optet, limen alienum expetat,
Iam notus hospes: quoq; non aliud queam

Peius

ADVERSARIA IN MEDEAM.

Medea. Medeas multi scripserunt. apud Græcos occurrunt Eubulus, Strattis & Cantharus, sed horum Medeæ comœdiæ fuerunt; tragœdias hoc nomine inuenio composuisse, Græcè quidem Euripidem, (cuius tragœdiam noster imitatur, & quam nonnulli Neophoni, seu Neophroni ascribunt) Herillum, Diogenem, Philiscum, & Demologum; Latinè verò Ennium, Attium, Pacuuium, Varronem, & Ouidium; cuius Medeam Tertullianus scribit ex Virgilianis versibus centonis instar consutam fuisse: quod verum sit necne, alij cogitent. equidem ex ea versus iste citatur:

Seruare potui, perdere an possim rogas?

qui non est ex Virgilio, nisi fortassis ex illo, in Ciri:

Vt me si seruare potes, ne perdere malis.

Lucanus quoque fertur Medeam inchoasse.

1 *Dij coniugales.* quos noster infrà eodem actu, & Plutarchus in αἰτίοις, & Alexand. Sardius lib. 1. de morib. gent. c. 7. recensent; nempe Iuppiter τέλειος, nuptialis seu patrator; Iuno τελεία, Venus, Diana, Hymenæus, Πειθὼ; quam Ennius Suadam, Cicero Leporem, Horatius Suadelam vocauit.

2 *Lucina.* Iuno, Diana; de qua Catullus in sæculari carmine:

Tu Lucina dolentibus
Iuno dicta puerperis.

Terent. in Andria:

Iuno Lucina fer opem, serua me obsecro.

Lucina Græcis εἰλείθυια. Virg. in Ciri:

Per te & sacra precor per flumina Ilithyia.

alij Ἐλευθὼ teste Pausaniâ appellant. Athenis inter deas γενετυλλίδας colebatur.

Tiphyn nouam frenare docuisti ratem. tam audaci tralatione vsi sunt Catullus, qui currum pro naui; & Horatius, qui Eurum per Siculas vndas equitare dixit. tale illud ex veteri poëta apud Carisium, libro 4.

Tiphyn aurigam celeris fecère carinæ.

quod, si vera refert Iul. Pollux, è Græcâ tragœdiâ fuit expressum. *Docuisti.* Mineruam alloquitur.

11 *Dominam.* Proserpinam. Virgilius 6. Æneid.

Hi dominā, Ditis thalamo deducere adorti.

12 *Meliore.* raptam Pluto vxorem duxit, ductam non repudiauit vnquam, vt Iason Medeam.

13 *Vltrices deæ.* Eumenides Atheniensibus dictæ σεμναὶ θεαί, auctoribus Sophocle, Aristophane, Plutarcho, ceteris. Inde factum vt Pœnæ dicantur à Virgilio, in Ciri: *Ergo iam causam mortis me dicere iuncta Verberibus sæuo cogunt sub iudice Pœnæ.* 20 *Ignotas.* non simpliciter accipiendum, sed pro inimicis. nam quemadmodum notus amicum significat, apud Virgilium; *Nec mihi notorum deflectunt lumina vultus:* sic hoc loco *ignota* pro hoste sumitur.

Peius precari, liberos similes patri,
Similesq́; matri. parta iam, parta vltio est.
Peperi. querelas, verbaq́; incassum fero.
Non ibo in hostes? manibus excutiam faces,
Cæloq́; lucem? spectat hoc nostri sator
Sol generis, & spectatur, & curru insidens
Per solita puri spacia decurrit poli?
Non redit in ortus, & remetitur diem?
Da, da per auras curribus patriis vehi,
Committe habenas genitor, & flagrantibus
Ignifera loris tribue moderari iuga.
Gemino Corinthus litori opponens moras,
Cremata flammis maria committat duo.
Hoc restat vnum: pronubam thalamo feram
Vt ipsa pinum; postq́; sacrificas preces,
Cædam dicatis victimas altaribus.
Per viscera ipsa quære supplicio viam,
Si viuis anime; si quid antiqui tibi
Remanet vigoris: pelle femineos metus,
Et inhospitalem Caucasum mente indue.
Quodcunque vidit Phasis aut Pontus nefas,
Videbit Isthmos. effera, ignota, horrida,
Tremenda cælo pariter, ac terris mala.
Mens intus agitat; vulnera, & cædem, & vagum
Funus per artus: leuia memoraui nimis.
Hæc virgo feci: grauior exsurgat dolor.
Maiora iam me scelera post partus decent.
Accingere ira, teq́; in exitium para
Furore toto: paria narrentur tua
Repudia thalamis. quo virum linques modo?
Hoc quo secuta es. rumpe iam segnes moras.
Quæ scelere parta est, scelere linquetur domus. "

CHORVS.

Asclepiadei, Glyconici, & Hexametri.

Ad regum thalamos numine prospero,
Qui cælum superi, quiq́; regunt fretum,
Adsint, cum populis rite fauentibus.
Primus sceptriferis colla tonantibus
Taurus celsa ferat tergore candido.
Lucinam niuei femina corporis
Intentata iugo placet: &; asperi
Martis sanguineas quæ cohibet manus,
Quæ dat belligeris fœdera gentibus,

28 *Spectat hoc nostri sator Sol generis.* Ennius, in Medea, eam sic loquentem introducit:

Iuppiter, tuq́; adeò Sol, qui res omnes inspicis,
Quiq́; tuo lumine mare, terram ac cælum contines,
Inspice hoc facinus priusquam fiat, prohibe scelus.

37 *Pronubam thalamo feram. Vt ipsa pinum.* Catullus: —— *manu*
Pineam quate tædam.
quo loco Palladius Fuscus, Anton. Parthenius, Mar. Anton Muretus, & Philippus Beroaldus in lib. 4. & in lib. 10. Apuleij de asino aureo, ex Festo & Plinio reponunt *Spineam.* alius, in Coniectaneis in Varronis libros de ling. Latina, vnum Varronis & alterum Ouidij locum eodem pacto emendauit. eiusdem opinionis est Alexander Sardius libro 1. de moribus & ritibus gentium cap. 7. Me autem valde mouent omnia Senecæ exemplaria, quæ & hic & paullo inferiùs semper *pinum* continent. Virgilius etiam, in Ciri, scripsit;

Pronuba nec castos incendet pinus odores.
nec est qui eò loci aliter legerit. quid? quòd in Nonio, vbi Varronis hac de re verba ponuntur, quas vidi membranæ omnes vulgatis libris consentiunt? Et verò ex diuersis arborum generibus hæ faces confici potuerũt. Plinius sanè suis temporibus ex corylo confici consueuisse scribit. Quamobrem, viro optimo & doctissimo, Barnabæ Bussonio, in lib. singular. de ritu nuptiarum, assentior, existimanti tam pinum, quàm spinum albam huic vsui solitam accommodari. Vt ea summorum virorum emendatione scriptoribus illis opus non sit.

49 *Hæc virgo feci* cùm Absyrtum fratrem meum discerpsi: qua de re lubet ascribere antiqui poëtæ versus; à Cicerone relatos libro 3. de natura Deorum:

Postquam pater appropinquat, iamq́; penè vt comprehendatur parat;
Puerum interea obtruncat, membráque articulatim diuidit,
Perq́; agros passim dispergit corpus: idq́; eâ gratiâ:
Vt dum nati dissipatos artus captaret parens,
Ipsa interim effugeret: illum vt mæror tardaret sequi,
Sibi salutem vt familiari pareret parricidio.

58 *Assint.* hoc ait, quia tunc teste Catull.
—— *Præsentes domos inuisere castas*
Sæpius & sese mortali ostendere cœtu

Et

Et cornu retinet diuite copiam;
Donetur tenerâ mitior hostiâ.
Et tu, qui facibus legitimis ades,
Noctem discutiens auspice dextera,
Huc incede gradu marcidus ebrio,
Præcingens roseo tempora vinculo.
Et tu, quæ gemini præuia temporis
Tardè stella redis semper amantibus,
Te matres auidæ, te cupiunt nurus,
Quamprimùm radios spargere lucidos.
Vincit virgineus decor
Longè Cecropias nurus;
Et quas Taygeti iugis
Exercet iuuenum modo,
Muris †

Cælicolæ, nondum spreta pietate solebant. quo tempore Pelei & Thetidis nuptias Dij præsentia sua honorarunt.

Rite fauentibus. rite fauebant, qui bona verba loquebantur, & malis verbis se abstinebant. tale est illud Ouidij;

Et bene te, bene me, patriæ pater optime, dixi.

65 *Martis sanguineas quæ cohibet manus.* vel de Venere intelligas, de qua sunt illa Petri Bargæi:

Sancta Venus procul hinc, diros procul esse furores
Ipsa iube; in sæuos reijce bella Getas,
Ac iam supplicibus Tuscis da diua perēni
Pace frui. Martem cogere sola potes.
Namq́; ille æterno deuictus vulnere amoris
Reijcit in molles se tibi sæpe sinus.
Excipit & recubans suaues ex ore loquelas,
† *Quîs iras nimium mitigat ille truces.*
Hunc tu igitur placidam nobis dea candida pacem,
Otiaq́; amoto dulcia posce metu.
Otia nam, pacemq́; simul, modò faueris, ipse,
Dum renouant reges impia bella, dabit.

67 *Qui facibus legitimis ades.* Hymenæe. de quo Claudianus:

Hunc Musâ genitum legit Cytheræa ducemq́;
Præfecit Thalamis: nullum vinxisse cubile
Hoc sine, nec primas fas est attollere tædas.

71 *Quæ.* Hespere, qui diem noctemque annuncias.

72 *Tardè stella redis semper amantibus.* optant enim amantes tuum aduentum noctis nuncium. Vnde Catulliani iuuenes:

Hespere qui cælo lucet iucundior ignis?
Qui desponsa tuâ firmes connubia flammâ.
Quod pepigere viri, pepigerunt ante parentes,
Nec iunxere priùs quàm se tuus extulit ardor.
Quid datur à Diuis felici optatius horâ?

at Virgilianæ virgines inter spem & metum fluctuant, eandemque stellam amant & oderunt, in Ciri:

Postera lux vbi læta diem mortalibus almum,
Egelido veniens mani quatiebat ab OEta;
Quem pauidæ alternis fugitant optantq́; puellæ,
Hesperium vitant, optant ardescere solem.

quare eædem apud Catullum;

Hespere qui cælo fertur crudelior ignis?

77 *Taygeti iugis.* de Spartanis virginibus loquitur, de quibus sunt illa antiqua,

Nihil horum simile apud Lacænas virgines,
Queis magis palæstra Eurota, sol, puluis, labos,
Militia in studio est, quàm fertilitas barbara.

de his etiam integra exstat Propertij eleg. lib. 3. vbi inter cetera legitur:

Et modo Taygeti, crines aspersa pruinis,
Hortatur patrios per iuga longa canes.

qui poëta quod ait paulo antè,

Quòd non infames exercet corpore ludos,
Inter luctantes nuda puella viros:

hoc intellige quasi Spartæ turpe non fuerit. mos enim & consuetudo turpitudinem excusat. Ouidius in epist. Paridis:

More tuæ gentis nitidâ dum nuda palæstra
Ludis & es nudis femina mista viris.

Lycurgi hoc institutum fuit. quod cùm in Lycurgi vita Plutarchus conatur excusare, egregiè operam ludit, & tandem vi veritatis compulsus, inquit: ἦν μὲν οὖν καὶ ταῦτα παρορμητικὰ πρὸς γάμον, λέγω δὲ τὰς πομπὰς τῶν παρθένων, καὶ τὰς ἀποδύσεις καὶ τοὺς ἀγῶνας ἐν ὄψει τῶν νέων ἀγομένων οὐ γεωμετρικαῖς, ἀλλ' ἐρωτικαῖς, ὥς φησιν ὁ Πλάτων, ἀνάγκαις. prudenter Euripides, in Androm.

—— οὐδ' ἂν εἰ βούλοιτό τις
σώφρων γένοιτο Σπαρτιατίδων κόρη,
αἳ ξὺν νέοισιν ἐξερημοῦσαι δόμους,
γυμνοῖσι μηροῖς καὶ πέπλοις ἀνειμένοις,
δρόμους, παλαίστρας τ' οὐκ ἀνασχετοὺς ἐμοὶ,
κοινὰς ἔχουσι ——

numquam sanè legem illam Platonis lib. 5. de republ. probare potui, qua feminas nudare corpora præcepit. quamobrem non immeritò grauiter reprehensus fuit à Cyrenensi Theodoreto, in eo opere cui titulum fecit θεραπευτικὴ τῶν Ἑλληνικῶν παθημάτων. quid enim si non hęc impudentia est? an quidquam tam pronum ad libidines, quàm operta membrorum nudare? *D. Ambros. lib. 3. de virginibus.* an non mulier vna cum tunica pudorem pudicitiamque exuit? *Herodotus lib. 1. Clemens Alexandrin. in Pædagogo. D. Cyprianus, de habitu virginum.* an non nuditas illa regium Prophetam, virum sanctissimum, in scelus grauissimum impulit? nónne Caracallam nefariis nuptiis se commaculare coegit? nónne nuda Aristoclea visa mox amatorum manibus discerpta interiit, ac propterea Strato se ipsum interemit? *Plutarchus, in narrationibus amatoriis.* Prudenter itaque Ennius: *Flagitij principium est, nudare inter ciues corpora.*

Muris quod caret opidum;
Et quas Aonius latex,
Alpheusq; sacer lauat.
Cedent Æsonio duci,
Si forma velit aspici;
Proles fulminis improbi,
Aptat qui iuga tigribus;
Nec non qui tripodas mouet,
Frater virginis asperæ:
Cedet castore cum suo
Pollux, cæstibus aptior.
Sic sic cælicolæ, precor,
Vincat femina coniuges,
Vir longè vt superat viros.
Hæc cùm virgineo constitit in choro,
Vnius facies præminet omnibus.
Sic cum sole perit sideribus decor,
Et densi latitant Plëiadum greges;
Cùm Phœbe solitum, lumine non suo,
Orbem circuitis cornibus alligat.
Ostro sic niueus Phœniceo color
Perfusus rubuit: sic nitidum iubar
Pastor, luce nouâ, roscidus aspicit.
Ereptus thalamis Phasidos horridis,
Effrenæ solitus pectora coniugis
Inuitâ trepidus prendere dexterâ;
Felix Aoniam prendito virginem.
Nunc primùm soceris sponte volentibus,
Concesso iuuenes ludite iurgio.
Hinc illinc iuuenes mittite carmina.

Rara

79 *Muris quod caret opidum.* Sparte.

81 *Alpheusq; sacer.* Sacer, quia fluuij, teste Theocrito, θεῖον γένος. & quia, vt ait Pausanias ἠλιακ. α. Alphei aqua Ioui Olympio grata putabatur; iccircoque Elei hac sacrificiorum cineres abluebant, iisque Iouis Olympij simulacrum illinebant. Sic intelliges illa Moschi:

> Ἀλφειὸς μετὰ Πῖσαν ἐπὴν κατὰ πόντον ὁδεύῃ,
> ἔρχεται εἰς Ἀρέθουσαν ἄγων κοτινηφόρον ὕδωρ,
> ἕδνα φέρων καλὰ φύλλα καὶ ἄνθεα καὶ κόνιν
> ἱεράν.

hoc est, non puluerem sacrum, sed cinerem sacrũ. Sic interpretor, licet omnes dissentiant. moueor Pausaniæ verbis: κατ' ἔτος δὲ ἕκαστον φυλάξαντες οἱ μάντεις τὴν ἐνάτην ἐπὶ δέκα τοῦ Ἐλαφίου μηνὸς, κομίζουσιν ἐκ τοῦ Πρυτανείου τὴν τέφραν· φυράσαντες δὲ τῷ ὕδατι τοῦ Ἀλφειοῦ, κονιῶσιν οὕτω τὸν βωμόν. ὑπὸ δὲ ἄλλου τὴν τέφραν ὕδατος ποιηθῆναι πηλὸν οὐ μήποτε ἐγγένηται. καὶ τούτου εἵνεκα ὁ Ἀλφειὸς νενόμισται τῷ Ὀλυμπίῳ Διὶ ποταμῶν μάλιστα εἶναι φίλος. quod autem de Alpheo dixit Moschus, etiam testatur Hugo Falcandus, qui ante trecentos annos vixit, scriptor non malus, cuius de Arethusâ fonte „in Sicula Historia verba sunt hæc: Ideóne „solum natale fugiens, & immensa (*sic lege,* „*non, immersa*) maris spacia longis tractibus „subterlabens, in ciuitate Syracusana caput „attollis, proximoq; mari influens, Alpheum, „quem antè fugeras, in maiori portu se ubi „immiscentem offendis?

82 *Cedent Æsonio duci.* ait Iasonem formosiorem esse Phœbo, Baccho, Castore & Polluce, quos antiqui optimâ formâ fuisse memorant. ad hunc locum respexit Claudianus, in epithalam. Honorij A. & Mariæ, his versibus:

> *Quæ digna formæ laus erit igneæ?*
> *Te Leda mallet, quàm dare Castorem.*
> *Præfert Achilli te proprio Thetis.*
> *Victum fatetur Delos Apollinem.*
> *Credit minorem Lydia Liberum.*

eo excellentior Claudianus, quòd non contentus dixisse, hos illi cedere quem laudabat; addit etiam amicis iudicibus illi cessuros; quæ maxima victoria est. tale illud Maronis:

> *Pan deus Arcadiâ mecum si iudice certet;*
> *Pan deus Arcadiâ dicet se iudice victum.*

89 *Pollux, castib. aptior.* Homer. Odys. λ.

> Κάστορά θ' ἱππόδαμον καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα.

Theocritus εἰδυλλ. κγ'.

> — φοβερὸν Πολυδεύκεα πὺξ ἐρεθίζειν,
> χεῖρας ἐπιζεύξαντα μέσοις βοέοισιν ἱμᾶσιν.

„Arnobius lib. 1. contra gentes: Castores, equos vnus domitare consuetus, alter pugillator bonus. Ideo non Castor, sed Pollux dicitur ἀμώμητος ab Homero, siue quisquis ille est, in hymnis; κρατερός, ab Apollonio libro 1. ἀεθλοφόρος, à Theocrito dicto loco, & Stasimo, in versibus infrà adductis.

91 *Vincat femina coniuges* &c. exprimit Catullianum illud in epithalamio;

> *—non tibi*
> *Herculeia periculum est,*
> *Ne qua femina pulcrior*
> *Clarum ab Oceano diem*
> *Viderit venientem.*

97 *Lumine non suo.* ad etymum alludit. nam lunam dictam volunt quod luce luceat aliena. qua de re dicetur alibi.

99 *Ostro sic.* tale illud boni poëtæ:

> *Indum sanguineo veluti violauerit ostro*
> *Si quis ebur; vel mista rubent vbi lilia multâ*
> *Alba rosâ: tales virgo dabat ore colores.*

Phœniceo. nonnulli manuscripti *puniceo.* vtrumque

Rara est in dominos iusta licentia.
Candida thyrsigeri proles generosa Lyæi,
Multifidam iam tempus erat succendere pinum:
Excute solemnem digitis marcentibus ignem.
Festa dicax fundat conuicia Fescenninus.
Soluat turba iocos: tacitis eat illa tenebris,
Siqua peregrino nubit fugitiua marito.

ACTVS SECVNDVS.

MEDEA. NVTRIX.

ME. *Occidimus, aures pepulit Hymenæus meas.*
Vix ipsa tantum, vix adhuc, credo malum.
Hæc facere Iason potuit? erepto patre,
Patriâ, atque regno, sedibus solam exteris
Deserere? durus merita contemsit mea,
Qui scelere flammas viderat vinci, & mare?
Adeóne credit omne consumtum nefas?
Incerta, vecors, mente non sanâ feror
Partes in omnes. vnde me vlcisci queam?
Vtinam esset illi frater. est coniux: in hanc
Ferrum exigatur: hæc meis satis est malis.
Si quod Pelasgæ, si quod vrbes barbaræ
Nouere facinus, quod tuæ ignorant manus,
Nunc est parandum. scelera te hortentur tua,
Et cuncta redeant: inclytum regni decus
Raptum, & nefandæ virginis paruus comes
Diuisus ense, funus incertum patri,
Sparsumq́, ponto corpus, & Peliæ senis
Decocta aheno membra. funestum impiè
Quàm sæpe fudi sanguinem? at nullum scelus
Irata feci. sæuit infelix amor.
Quid tamen Iason potuit alieni arbitrij
Iurisq́, factus? debuit ferro obuium
Offerre pectus. meliùs, ah meliùs dolor
Furiose loquere: si potest, viuat meus,
Vt fuit, Iason: sin minùs, viuat tamen,
Memorq́, nostri, muneri parcat meo.
Culpa est Creontis tota; qui sceptro impotens
Coniugia soluit, quiq́, genitricem abstrahit
Natis, & arcto pignore astrictam fidem
Dirimit: petatur solus hic: pœnas luat,
Quas debet. alto cinere cumulabo domum.
Videbit atrum verticem flammis agi,
Malea longas nauibus flectens moras.

recipi potest. nam Phœnicius color, puniceus est, vt docent Anton. Thylesius lib. de colorib. cap. 10. Cæsar Scaliger, de subtilitate ad Cardanum, exercitat. 325. num. 13. Claudianus: *Album puniceo pectus discriminat ostro.* de ostro Vitruuius lib. 7. Architect. c. 13.

109 *Rara est in dominos iusta licentia.* raró iure ac legibus permittitur dominis cõuiciari. ad hunc locum attendit Claudianus ita canens:

Permissisq́, iocis, turba licentior,
Exsultet tetricis libera legibus.

quamquã Claudius de militibus agat. Spargi autem in sponsum & sponsam quædam conuicia consueuisse, infrà docet, aiens:

Festa dicax fundat conuicia Fescenninus.

(quo loco conuiciũm in bonam partem sumitur) Fescennina carmina sunt illa Catulliana: *Diceris malè te à tuis*
Vnguentate glabris marite
Abstinere: sed abstine. &c. nec aliud illustrius inuenire potui exemplũ huiusmodi conuiciorum; idque addi potest ĩ'n Senecæ exemplo, quod refert Brisson. de ritu nuptiar. pag. 52.

110 *Thyrsigeri* Palladius Rutilius, de insitionibus lib. 12.

Robora thyrsigero platani concordia Baccho.
Proles. Hymenæe.

Fescenninus. bene Brissonius d. libro pag. 53. coniecit ad Fescenninos spectare locum hunc Varronis, in Agathone: " Pueri obscœnis verbis nouæ nuptæ aures returant. " Hoc malo, quàm, *restaurant*, vel, *riturant.*

121 *Qui scelere flammas viderat vinci & mare.* flammam taurorum sacris magicis, mare lacerato fratre. hæc autem duo nominat, quia ex tribus quæ Græci mala existimãt, duo sunt mare & ignis, tertiũ est mulier.

132 *Incestum.* optimè, meo iudicio, in quibusdam membranis legitur *incertum.*

149 *Malea longas nauibus flectens moras.* Malea promontorium per quinque millia passuum in mare protenditur: vbi quia, propter continuas ventorum procellas, periculi plena est nauigatio, natum est prouerbium, μαλέαν δὲ κάμψας ἐπιλάθου τῶν οἴκαδε: in cuius explicatione multa à collectore adducuntur. iis addo Ouidij carmen, è libro 2. Amorum eleg. 16.

Nec timeam vestros curua Malea sinus.

adde & ea quæ Plutarchus, in vita Arati, scripsit. Facit itaque moram nauibus Malea, dum prætereuchentes tempestatibus & inquiete fluctuum, ac sinuosis longissimisque excurrentium & recedentium litorum spaciis detinet atq; moratur. Simile illud Lucani l. 6. *Et ratibus longa flexum donare Malea,*

NV. *Sile obsecro, questusq; secretò abditos*
Manda dolori. grauia quisquis vulnera
Patiente, & æquo mutus animo pertulit;
Referre potuit. ira, quæ tegitur, nocet.
Professa produnt odia vindictæ locum.
ME. *Leuis est dolor, qui capere consilium potest,*
Et clepere sese: magna non latitant mala.
Libet ire contrà. NV. *siste furialem impetum*
Alumna, vix te tacita defendit quies.
ME. *Fortuna fortes metuit, ignauos premit.*
NV. *Tunc est probanda, si locum virtus habet.*
ME. *Nunquam potest non esse virtuti locus.*
NV. *Spes nulla monstrat rebus afflictis viam.*
ME. *Qui nil potest sperare, desperet nihil.*
NV. *Abiere Colchi, coniugis nulla est fides,*
Nihilq; superest opibus è tantis tibi.
ME. *Medea superest. hic mare & terras vides,*
Ferrumq;, & ignes, & deos, & fulmina.
NV. *Rex est timendus.* ME. *rex meus fuerat pater.*
NV. *Non metuis arma?* ME. *sint licet terrâ edita.*
NV. *Moriere.* ME. *cupio.* NV. *profuge.* ME. *pœnituit fugæ.*
Medea fugiam? NV. *mater es.* ME. *cui sim, vides.*
NV. *Profugere dubitas?* M. *fugiã: at vlciscar priùs.*
NV. *Vindex sequetur.* ME. *forsan inueniã moras.*
NV. *Compesce verba, parce iam demens minis,*
Animosq; minue. tempori aptari decet.
ME. *Fortuna opes auferre, non animum potest.*
Sed cuius ictu regius cardo strepit?
Ipse est Pelasgo tumidus imperio Creo.

CREO. MEDEA.

CR. *Medea, Colchi noxium Æëtæ genus,*
Nondum meis exportat è regnis pedem?
Molitur aliquid, nota fraus, nota est manus.
Cui parcet illa? quémve securum sinet?
Abolere properè pessimam ferro luem
Equidem parabam: precibus euicit gener.
Concessa vita est. liberet fines metu,
Abeatq; tuta. fert gradum contrà ferox,
Minaxq; nostros propiùs affatus petit.
Arcete famuli tactu & accessu procul,
Iubete sileat, regium imperium pati
Aliquando discat: vade veloci via,

Mon-

154 *Perdunt odia* in o.v.l. continetur *produnt*. nec arbitror aliter à poëta nostro scriptum fuisse. Sententia scita & perspicua est.

159 *Fortuna fortes metuit, ignauos premit.* frequens sententia, quam primus vsurpasse fertur Philetas Cous. Ennius annal. lib. 7.

Fortibus est fortuna viris data.

Terentius:

Fortes fortuna adiuuat.

» Sallustius: Fortuna meliores sequitur. Cice-
» ro 2. Tuscul. Fortes enim non modò fortuna
» adiuuat, vt est in veteri prouerbio. Virgilius:

Audentes fortuna iuuat, timidosq; repellit.

Ouid. 10. Metamorph.

Audentes Deus ipse iuuat.

& Fastorum 2.

—— audentes forsq; Deusq; iuuat.

» T. Liuius, lib. 8. Sed euentus docuit fortes
» fortunam iuuare. Cl. Claudianus:

Fors iuuat audentes, Coi sententia vatis.

Viden' vt hæc quasi de manu in manum tradita sint?

160 *Tunc est.* tunc, inquit, conuenit vti virtute; vbi non desperes te aliquid ea consecuturum. alioquin non fortitudo, hoc est virtus; sed desperatio dicenda est. conueniunt hæc Ethicis præceptis.

161 *Nunquam*, &c. Verum hoc est in se: sed falsum, si referas ad id ad quod à Medea profertur.

169 *Sint licet terrâ edita.* negat se cuiusquam arma timere, ne Gigantum quidem, aut aliorum monstrorum terrâ editorum. terræ enim filij semper monstrosi finguntur. Respicit ad terrigenas à Iasone ope suâ debellatos.

176 *Fortuna opes auferre, non animum potest.* non est dubiũ quin hoc ex Attij Telepho sumserit, in quo Telephus inquit;

Nam si à me regnum fortuna atque opes
Eripere quit, at virtutem nequiuit.

Monstrumq́; sæuum, horribile, iamdudum auehe.
ME. *Quod crimen, aut quæ culpa multatur fuga?*
CR. *Quæ caussa pellat, innocens mulier rogat?*
ME. *Si iudicas, cognosce: si regnas, iube.*
CR. *Æquum atque iniquũ regis imperiũ feras.* “
ME. *Iniqua nunquam regna perpetuò manent.* “
CR. *I, querere Colchis.* ME. *redeo: qui auexit, ferat.*
CR. *Vox constituto sera decreto venit.*
ME. *Qui statuit aliquid parte inaudita altera,* “
Æquum licet statuerit, haud æquus fuit. “
CR. *Auditus à te Pelia supplicium tulit.*
Sed fare, causæ detur egregiæ locus.
ME. *Difficile quàm sit animum ab irâ flectere*
Iam concitatum, quamq́; regale hoc putet,
Sceptris superbas quisquis admouit manus,
Quâ cepit ire: regiâ didici meâ.
Quamuis enim sim clade miserandâ obruta,
Expulsa, supplex, sola, deserta, vndique
Afflicta; quondam nobili fulsi patre,
Auoq́; clarum Sole deduxi genus.
Quodcunque placidis flexibus Phasis rigat;
Pontusq́; quicquid Scythicus à tergo videt,
Palustribus quâ maria dulcescunt aquis;
Ar-

191 *Monstrumq́; sæuum.* in solo codice Lipsiano habetur, *Monstrum superbum.*

194 *Si iudicas, cognosce; si regnas, iube.* Si tyrannus es, inauditâ causâ me ejice: si rex iustus es, de causa mea cognosce. aptissimè autem paulo pòst respondet Creo:

Vox constituto sera decreto venit.

indicãs se plenè cognouisse. nam decretũ, vt docet Brisson. de ver. signif. col. 167. nihil est aliud, quã quod causa cognita pronunciatur.

199 *Qui statuit aliquid,* &c. tyrannicum est, vnâ tantùm parte auditâ iudicare. hoc enim pacto defensio, quæ iuris naturalis est, & nemini debet adimi, (*Sebastian. Vantius de nullitate sentẽtiarum, cap. de nullitat. ex defectu citationis*) tollitur. ideo inauditi damnari non possunt. Apuleius lib. 10. de asino: Nec ad instar barbaricæ feritatis, vel “ tyrannicæ impotentiæ, damnaretur aliquis “ inauditus, & in pace placida tam dirum sæ- “ culo proderetur exemplum. Tertull. in Apo- “ logetico: Respondendi altercandique pote- “ stas patet, quando nec liceat inauditos & in- “ defensos omnino damnari. huc spectat l. 1. “ C. de condemnan. reis. & quæ Lactan. lib. 5. cap. 1. & Lucianus in Hermotymo. Olim si inauditi condemnati fuerant, necari non poterant: quoniam inauditi pro indẽnatis habebantur, & indemnatos leges decemuirales interfici prohibebant, teste Saluiano Episcopo, de iudicio & prouidentia Dei lib. 8. Lycurgi legum imitatione, quibus idem cautum fuit, teste Valerio Maximo libro septimo, cap. Sapienter dicta, vel facta. Illud omnino constat, nisi audiantur partes, & caussæ agitentur, neminem iustè iudicare posse: sed tamen iudicem rectè facturum si inanes quasdam disputationes causidicorum & pugnas verborum, quæ magis ad obruendam quàm ad inueniendam veritatem proficiunt, amputauerit. qua de re eleganter & copiosè diuus Bernardus lib. 1. de consideratione ad Eugenium. vbi nonnulla habes ad officium aduocatorum spectantia, quemadmodum apud D. Augustinum epist. 50. Quinctilianum lib. 12. instit. orat. cap. 7. & Patritium lib. 3 de instit. reipub.

102 *Caussa,* &c. in Attij Medea quoque Creo rogabatur causam audire, si quidẽ huc pertinent illa adducta à Grammaticis: *Qui potis est repelli quisquam, vbi nullus est causandi locus?* est enim causari, se defendere, & aliquid causæ prætexere. vt in illo; *Causando nostros in longum ducis amores.*

103 *Difficile quàm sit,* &c. mirè artificiosa oratio, vt & aliæ pleræque istius operis. mea sententia noster Seneca hac in parte Græcos tragœdiographos, qui quidem exstant, longè superauit. & sanè videntur Hispani illius temporis declamandi præcepta egregiè calluisse. testis noster poëta & Lucanus, quorum in scriptis artis illius plurima vestigia deprehendas testis Seneca senior, cuius Controuersiæ & Declamationes omniũ manibus teruntur. testis Fabius Quinctilianus, cuius non tantùm Institutiones oratoriæ, sed & Declamationes (de illis loquor quas P. Aerodius I.C. recensuit, aliæ enim supposititiæ sunt, fortassis senioris Quinctiliani) apud eruditos in pretio habentur. testis Gallio, testis Latro. 208 *Deserta.* Attius, Medea; *Exsul inter hostes, exspes, expers, desertus, vagus.* quæ ego verba diras fuisse suspicor quas Medea Iasoni imprecabatur. Vnde suprà dixit:

Mihi peius aliquod quod precer sponso malum, · *Viuat, per vrbes erret ignotas egens,*
Exsul, pauens, inuisus, incerti laris, *Me coniugem optet, limen alienum expetat.*

209 *Nobili fulsi patre.* AEëta. matrem habuit Medea Idyiam. Cicero lib. 3 de natura Deorum: Quid Medeæ “ respondebis? quæ duobus auis Sole & Oceano, AEëta patre, matre Idyia procreata est. Idem scribit Hesiodus in “ Theogonia. Ergo apud Ouid. in epist. Heroid. legi debet: *Non erat AEëtes, ad quem despecta veniret,*
Non Idyia parens, Chalciopeq́; soror. 210 *Auoq́;* apud Euripidem ait Medea: πατέρα θ' ἥλιον πατρὸς τοὐμοῦ.

213 *Palustribus quà maria dulcescunt aquis.* cur mare Ponticum, vt ait Sallustius in lib. historiar. dulcius sit quàm cetera, hanc ipsam rationem præstantes Geographi reddiderunt; quia Mæotidi commiscetur, & irruentium fluentorum multitudine temperatur. Vide Ammianum Marcellin. lib. 22.

Armata peltis quicquid exterret cohors
Inclusa ripis vidua Thermodontiis:
Hoc omne noster genitor imperio regit.
Generosa, felix, decore regali potens
Fulsi. petebant tunc meos thalamos viri,
Qui nunc petuntur. rapida fortuna ac leuis,
Præcepsq́; regno eripuit, exilio dedit.
Confide regnis: cùm leuis magnas opes
Huc ferat, & illuc, casus. hoc reges habent
Magnificum & ingens, nulla quod rapiat dies;
Prodesse miseris, supplices fido lare
Protegere. solum hoc Colchico regno extuli:
Decus illud ingens, Græciæ florem inclytum,
Præsidia Achiuæ gentis, & prolem deûm
Seruasse memet. munus est Orpheus meum;
Qui saxa cantu mulcet, & siluas trahit.
Geminumq́; munus Castor & Pollux, meum est:
Satiq́;

215 *Vidua.* quæcumque mulieres nuptiis abstinent, viduæ dici possunt. noster alibi,

An te morantur virgines viduæ domi.

Iabolenus (quem Plinius lib. 6. epistolar. vt dubiæ mentis notat, qua de re nõnulla Franciscus Sarmientus Episc., & magni nominis I. C. lib. 2. selection. cap. 1. nu. 4.) lib. 2. ex posterioribus Labeonis, Viduam, inquit, non solùm eam quæ aliquando nupta fuisset; sed eam quoque mulierem quæ virum non habuisset, appellari ait Labeo. quia vidua sic dicta est quasi vecors, vesanus, qui sine corde aut sanitate esset, similiter viduã dictam esse sine duitate. l. 242. §. 3. D. de verb. significat. Ceterùm hic ille est Labeo quem Horatius lib. 1 insanum appellat. vulgo rationem reddunt singularem contumaciam Labeonis erga Augustum. aliam etiam refert Antonius Quesada I. C. Hispanus, mihi amicissimus, & cuius nobilitatem eruditio & virtus nobilitant, lib. 1. diuersar. quæstion. iuris, cap. 17. nu. 17. Ego & aliam causam subesse existimo. Pomponius enim noster l. 2. circa fin. D. de orig. iuris &c. ita scribit: Atteius Capito in iis quæ ei tradita fuerant perseuerabat, Labeo ingenij qualitate & fiducia doctrinę, quia & ceteris operis sapientiæ operã dederat, plurima innouare instituit. Hæc Pomponius in Enchiridio. Videmus autẽ vulgò eos, qui à præceptorum traditionibus recedunt, qui illorum traditiones conuellunt, nouas ipsi comminiscuntur, quantumuis iure id faciant, à plerisque contemni, rideri, temerarios demum, impudentes ac stultos nuncupari: quod Labeoni verisimile est contigisse. vt scilicet à vulgo despiceretur & insanus vocaretur, quòd primus maiorum sententias negligeret, plurimaque innouaret. cum vulgo igitur Horatius locutus est. Et vt ita senserit; quis poëtam de viro grauissimo, de I. C. principe tam temere iudicantem ferat? cur ego Horatio, quàm A. Gellio, qui lib 13. de eo præclarè sentit; quàm Octauio Augusto, qui si non sapientem iudicasset, ei consulatum non detulisset, auctore Pomponio in d. l. 2. quàm Suetonio, qui lib. 2. quiddam hominis constantissimi de illo refert; quàm plerisque, sententias illius summa cum voluptate & admiratione frequenter percurrentibus, fidem adhibeam? Non miror poëtam Lyricum tam contemtim de iustitiæ sacerdote locutum. at hominis eruditi in iure idem asserentis contumaciam quis queat pati? an quia Flaccus Labeonem insanum vocat, omnia Labeonis, quæ in iuris libris occurrunt, scripta reiiciemus? cohibere me non potui quin hæc dicerem. Legi namque non ita pridem P. VelleI Gueuaræ librum, non malum, de doli mali definitione; quo Vlpiani & Labeonis sententiam subuertere conatur, argumentis parum validis: atque inter cetera illud ægrè ferre se profitetur, Labeonem insanum, Vlpianum autem Christianæ religionis hostem de virtutibus aut vitiis disserere. potuit vna eademque operâ Platonis, Ciceronis, Aristotelis, omnium denique ethnicorum morales disputationes reiicere. næ de isthac me hercle argumentatione idem dici posset quod idem Velleius de Labeonis argumento prodidit, initio pag. 91. ieiunam esse & frigidam calumniam, sanctissimæ ciuilis sapientiæ sacerdote indignam.

226 *Græciæ florem.* Theocritus, in Hyla, ait cum Iasone Heroum florem nauigasse. τᾶμος ναυτιλίας μιμνάσκετο θεῖος ἄωτος ἡρώων. —— Æschylus, in Persis: τὸ Περσῶν δ' ἄνθος. & in Agamemn. ἄνθος Ἀργείων. sic Liuius lib. 8. prima frons in acie florem iuuenum pubescentium ad militiam habebat. Lucanus: *Tunc flos Hesperiæ Latiј tunc sola iuuentus.* Ausonius, in Centone nuptiali: *Flos veterum virtusq́; virûm.* Fabius Declamat. 276. qua florem ætatis amisit. Deterior mihi videtur quorundam lib. scrip. lectio; *gloriæ florem.*

227 *Præsidia Achiuæ gentis.* Ennius; *Argo qua vecti Argiui delecti viri.* Catullus:

Cum lecti iuuenes Argiuæ robora pubis. *Prolem Deûm.* Catullus: *Heroës saluete, Deûm genus.*

Manilius lib. 1. Argonautas deos appellauit, de Argo sic scribens: *Seruando dea facta deos.* non igitur tam ridicula est, quàm voluêre Maserius & alij, eorum sententia, qui apud Valerium Flaccum initio lib. 1. legunt;

Prima deûm magnis canimus freta peruia natis.

229 *Qui saxa cantu,* &c. Apollon. Argonaut α'.

αὐτὰρ τόνγ' ἐνέπουσιν ἀτειρέας οὔρεσι πέτρας θέλξαι ἀοιδάων ἐνοπῇ, ποταμῶν τε ῥέεθρα.
φηγοὶ δ' ἀγριάδες κείνης ἔτι σήματα μολπῆς ἀκτῆς Θρηϊκίης Ζώνης ἔπι τηλεθόωσαι
ἑξείης στιχόωσιν ἐπήτριμοι.

Mulcet. Virgilius: *Mulcentem tigres & agentem carmine quercus.*

Satiq; Borea; quiq; trans Pontum quoque
Summota Lynceus lumine immiſſo videt;
Omnesq; Minyæ. nam ducum taceo ducem,
Pro quo nihil debetur, hunc nulli imputo:
Vobis reuexi ceteros, vnum mihi.
Inceſſe nunc, & cuncta flagitia ingere.
Fatebor: obiici crimen hoc ſolum poteſt,
Argo reuerſa. virgini placeat pudor,
Paterq; placeat: tota cum ducibus ruet
Pelaſga tellus: hic tuus primus gener
Tauri ferocis ore flagranti occidet.
Fortuna cauſam, quâ volet, noſtram premat:
Non pœnitet ſeruaſſe tot regum decus.
Quodcunque culpâ præmium ex omni tuli;
Hoc eſt penes te. ſi placet; damna ream:
Sed redde crimen. ſum nocens, fateor, Creo:
Talem ſciebas eſſe, cùm genua attigi,
Fidemq; ſupplex præſidis dextræ peti:
Terrâ hac miſeriis angulum & ſedem rogo,
Latebrasq; viles. vrbe ſi pelli placet,
Detur remotus aliquis in regnis locus.
CR. *Non eſſe me, qui ſceptra violenter geram,*
Nec qui ſuperbo miſeros calcem pede;
Teſtatus equidem videor haud clarè parum,
Generum exulem legendo, & afflictum, & graui
Terrore pauidum: quippe te pœna expetit
Lethoq; Acaſtus, regna Theſſalica obtinens;
Senio trementem debili, atque æuo grauem,
Patrem peremtum queritur, & cæſi ſenis
Diſciſſa membra: cùm, dolo captæ tuo,
Piæ ſorores impium auderent nefas.
Poteſt Iaſon, ſi tuam cauſam amoues,
Suam tueri: nullus innocuum cruor
Contaminauit, abfuit ferro manus,
Proculq; veſtro purus à cœtu ſtetit.
Sed tu malorum machinatrix facinorum;
Cui feminea nequitia, ad audendum omnia,
Virile robur, nulla famæ memoria eſt;
Egredere, purga regna, lethales ſimul
Tecum aufer herbas, libera ciues metu.
Aliâ ſedens tellure ſollicita deos.
ME. *Profugere cogis, redde fugienti ratem,*
Vel redde comitem, fugere cur ſolam iubes?
Non ſola veni: bella ſi metuis pati,

231 *Satiq; Borea.* Zethus & Calais. Apollon. Argonaut. α'.

Ζήτης αὖ Κάλαΐς τε Βορήϊοι υἷες ἵκοντο,
ὕς ποτ' Ἐρεχθηῒς Βορέῃ τέκεν Ὠρείθυια
ἐσχατιῇ Θρήκης δυσχειμέρου ——

232 *Lynceus.* fuit hic viſus acutiſſimi. Horatius:

Non poſſis oculis quantum contendere
Lynceus.

Tzetzes Chiliad. 2. hiſtor. 48.

Λυγκεὺς δ' ὀξυωπέστατος πάντων πελῶν
ἀνθρώπων.

Subiungit deinde antiqui cuiuſdam poëtæ verſus: qui poëta licet vulgò ſcribatur *Στασῖνος*, quia tamen Nicolaus Gerbelius teſtatur in quibuſdam exemplaribus haberi *Στασιανὸς*, mea ſententia *Στασῖμος* eſt; cuius apud Clementem Alexandr. alioſque ſcriptores frequens mentio fit. Sed quiſquis ille fuit, de Lynceo agit. verba Tzetzæ ſunt:

καί γε Στασῖνος σὺν αὐτοῖς οὕτω τὰ ἔπη
γράφων,
ἡρωϊκοῖς ἐν ἔπεσι λέγων· Αἶψα δὲ Λυγκεὺς
Τηΰγετον προσέβαινε, ποσὶ ταχέεσσι πεποι-
θώς·
ἀκρότατον δ' ἀναβὰς, διεδέρκετο νῆσον ἅ-
πασαν
Τανταλίδου Πέλοπος. τάχα δ' εἴσιδεν ὄ-
βριμος ἥρως
δεινοῖς ὀφθαλμοῖσιν ἔσω δρυὸς ἄμφω κοί-
λης,
Κάστορά θ' ἱππόδαμον, καὶ ἀεθλοφόρον
Πολυδεύκεα.

247 *Cùm genua attigi.* Medea, apud Euripidem:

ἀλλ' αὐτομαί σε τῆσδε πρὸς γενειάδος,
γονάτων τε τῶν σῶν ——

olim, Plinio teſte, lib. 11. cap. 45. ſupplices genua attingebant, quia illis vitalitas ineſt.

248 *Præſidis dextræ fidem.* meritò ait præſidis: quia, vt alibi docui, dexteræ fidei pignus ſunt. Cicero, in Philippicis: Dextræ, « quæ fidei teſtes eſſe ſolebant. Plinius, vbi ſu- « prà: Dextra oſculis auerſa aperitur, in fide « porrigitur. eius rei ratio fortaſſis fuit, quòd « omnis veterum auctoritas dextræ manus virtute conſtaret. videor enim mihi hoc neſcio vbinam legiſſe.

259 *Patrem.* Peliam. Ouidius, in Metamorph. latiſſimè hiſtoriam illam ex Polycratis Samij traditione proſequitur.

265 *Proſusq; veſtro.* In o. v. l. habetur *procùlque.*

Vtrumque regno pelle. cur sontes duos
Distinguis? illi Pelia, non nobis iacet.
Fugam, rapinas, adjce desertum patrem,
Lacerumq́; fratrem, quicquid etiamnum nouam
Docet maritus coniugem, non est meum.
Toties nocens sum facta, sed nunquam mihi.
CR. *Iam exisse decuit, quid seris fando moras?*
ME. *Supplex recedens illud extremum precor,*
Ne culpa natos matris insontes trahat.
CR. *Vade, hos paterno, vt genitor, excipiam sinu.*
ME. *Per ego auspicatos regij thalami thoros,*
Per spes futuras, perq́; regnorum status, "
Fortuna variâ dubia quos agitat vice; "
Precor, breuem largire fugienti moram:
Dum extrema gnatis mater infigo oscula
Fortaße moriens. CR. *fraudibus tempus petis.*
ME. *Quæ fraus timeri tempore exiguo potest?*
CR. *Nullum ad nocendũ tempus angustũ est malis.* "
ME. *Parúmne miseræ temporis lachrymis negas?*
CR. *Etsi repugnat precibus infelix timor,*
Vnus parando dabitur exilio dies.
ME. *Nimis est; & ,ex hoc aliquid abscindas, licet.*
CR. *Et ipsa propera, capite supplicium lues,*
Clarus priusquam Phœbus attollit diem,
Nisi cedis Isthmo. sacra me thalami vocant:
Vocat precari festus Hymenæo dies.

CHORVS.

Anapæstici.

Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit,
Terrasq́; suas post terga videns,
Animam leuibus credidit auris,
Dubioq́; secans æquora cursu
Potuit tenui fidere ligno,
Inter vitæ mortisq́; vias
Nimium gracili limite ducto.
Nondum quisquam sidera norat,
Stellisq́;, quibus pingitur æther,
Non erat vsus: nondum Pleiadas,
Hyadas poterant vitare rates,
Non Oleniæ sidera capræ:

276 *Illi Pelia, hoc vult;* nocentem esse, cui scelus prodest, Cassianum iudicium secutus, de quo Cicero pro Sex. Roscio Amerino: » L. Cassius ille, quem populus Romanus ve- » rissimum & sapientissimum iudicem puta- » bat, identidem in causis quærere solebat, cvi » bono fuisset. Sic vita hominum est, vt ad sce- » lus nemo sine spe conetur atq; emolumento » accedere. Ipse Cicero, in Milonianis, hoc argumento conatur docere Clodiũ occidendi Milonis animum habuisse. Huc etiam per- » tinet illud Fabij Declamat. 387. Quare ergo » mater sepeliuit? nescio, hoc vnũ dico, non po- » terat agnosci. Festinauit, cui bono. Sic enim illa distinguo. Eó fortè Seneca respexit infra actu 3. cùm ait: —— *cui prodest scelus.*
Is fecit ——

298 *Clarus priusquam.* Euripid. in Medea:
εἴ σ' ἡ 'πιοῦσα λαμπὰς ὄψεται θεοῦ,
καὶ παῖδας ἐντὸς τῆσδε τερμόνων χθονὸς,
θανῇ. Ex quo Ennius, in Medea;
Si te secundo lumine hîc offendero.
Apuleius, de asino aureo, seu Metamor. lib. 1. » Et vt illa Medea, vnius diei impetratis à » Creonte induciis, totam domũ eius filiamq́; » cum ipso sene flãmis coronalibus deusserat.

301 *Audax.* Horatius, quem hoc choro noster imitatur;
Illi robur & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus &c.

304 *Leuibus.* Ouid. lib. 1. Metamorph.
Et leuis impulsos retro dabat aura capillos.
Credidit auris. propriè dictum, Lucilius Sat. 28. *Vitam ac fortunas quoi crediderim meas?* Virg. 5. Aeneid.
AEneam quid enim credam fallacibus austris? Horat. lib. 1. carm. ode 3.
—— *tibi creditum*
Debes Virgilium ——

306 *Potuit tenui fidere ligno.* Simili modo Iuuen.
I nunc, & ventis animam cõmitte, dolato
Confisus ligno digitis à morte remotus
Quattuor, aut septẽ, si sit latißima theda.

308 *Nimium gracili limite ducto.* ex Anacharsis sententia, qui, vt scribit Laërtius, μαθὼν τέτταρας δακτύλους εἶναι τὸ πάχος τῆς νεὼς, τοσοῦτον ἔφη τοῦ θανάτου τοὺς πλέοντας ἀπέχειν. Ouidius, quem citauit Menochius lib. 2. de arbitrar. iudic. centur. 1. casu 61.
Nã prope tã lethũ quàm prope cernit aquã.

311 *Pleiadas, Hyadas.* hæc est o. v. l. lectio: subuereor tamen, ne alterum ex duobus his ex alterius epitheto in nomen proprium deprauatum sit.

313 *Oleniæ sidera capræ.* Aratus in Phænomenis; ὠλενίην δέ μιν αἶγα Διὸς καλέουσ' ὑποφῆται. Ouidius 3. Metamorph. —— *Oleniæ sidus pluuiale capellæ.* idem sic sæpius vocat Fastor. lib. 2. & 5.

Non

Non qua sequitur, flectitq; senex
Arctica tardus plaustra Bootes.
Nondum Boreas, nondum Zephyrus
Nomen habebant.
Ausus Tiphys pandere vasto
Carbasa ponto, legesq; nouas
Scribere ventis: nunc lina sinu
Tendere toto: nunc prolato
Pede transuersos captare notos:
Nunc antennas medio tutas
Ponere malo: nunc in summo
Religare loco, cùm iam totos
Auidus nimium nauita flatus
Optat, & alto rubicunda tremunt
Suppara velo.
Candida nostri secula patres
Vidêre. procul fraude remotâ,
Sua quisque piger litora tangens,
Patrioq; senex factus in aruo,
Paruo diues, nisi quas tulerat
Natale solum, non norat opes.
Bene dissepti fœdera mundi
Traxit in vnum Thessala pinus,
Iussitq; pati verbera pontum,
Partemq; metus fieri nostri
Mare sepositum. dedit illa graues
Improba pœnas, per tam longos
Ducta timores: cùm duo montes,
Claustra profundi, hinc atque illinc
Subito impulsu, velut æth erio
Gemerent sonitu; spargeret astra
Nubesq; ipsas mare deprensum.
Palluit audax Tiphys, & omnes
Labente manu misit habenas:
Orpheus tacuit torpente lyrâ,
Ipsaq; vocem perdidit Argo.
Quid? cùm Siculi virgo Pelori

Rabi-

314 *Flectitq; senex Arctica tardus plaustra Bootes.* Germanicus:

Inde Helicen sequitur senior, baculoq; minatus
Se velle Arctophylax brachiorum munera, cacus
Icarus ereptam pensauit munere natam.

sic fortè legendũ. Satis autem apparet, Senecam eorũ opinionem sequi, qui putant Booten, esse Icarium Erigones patrẽ. Germanici interpres, Bootes, inquit, qui & Arcturus, fertur esse custos plaustri, eo quòd sequitur plaustrum, hoc est Septentriones. Cicero:

Arctophylax, vulgò qui dicitur esse Bootes,
Quòd quasi temone adiunctam præ se quatit Arcton.

Aratus Solensis:

ἐξόπιθεν δ' Ἑλίκης φέρεται ἐλάοντι ἐοικὼς
Ἀρκτοφύλαξ, τόν ῥ' ἄνδρες ἐπικλείουσι Βοώτην,
οὕνεχ' ἁμαξαίης ἐπαφώμενος εἴδεται Ἄρκτου.

322 *Pede.* parte veli infima, quæ ad nauis latus religatur, (Bayfius de re nauali, mihi pag. 129. cũ seq.) quam nautæ, prout tempestas poscit, aut contrahunt aut laxant. Catull.

——siue vtrumque Iuppiter
Simul secundus incidisset in pedem.

quo ex loco duos hos esse nauticos pedes colligit Turnebus, & Pimpuntius multa ad illud Virgil. lib. 5. Aeneid.

Vna omnes fecêre pedem.

vbi Seruius, Podiam, (lego *pedẽ*, vel *podeon*) hoc est, funem quo tenditur velũ, quod Græci πόδα vocant, vt est apud Pindarum & Aristophanem. Hæc Seruius. Ego veró etiam apud Homerum Odyss. ι. & Euripidem, in Taurica Iphigenia, idem inuenio. Plinius quoque scripsit: Iisdem ventis in contrarium nauigatur, simul prolatis pedibus. Nonius Marcellus explicans hoc verbum, *Renocare pedem*, ait; Plautus remos nauium, pedes dixit. & in verbo *Remi*, ait; Remi sunt nauales pedes. Sed Nonius hæc scribens planè aliud agebat. nam Plautus de his pedibus de quibus hîc agitur, quos Græci etiam ποδῶνας vocabant, sensit.

328 *Suppara.* Hadrian. Turnebus lib. 21. Aduersar. cap. 4. quid sint suppara docet.

332 *Patrioq; senex factus in aruo.* huc pertinet Horatij Epod. ode 2. & Claudiani epigramma de sene Veronensi,

Felix qui patriis æuum transegit in aruis, Ipsa domus puerum quem videt, ipsa senem. 333 *Paruo diues.* secundùm Philosophos loquitur. Turpilius, in Lindia; *Profectò vt quisque minimo contentus fuit, Ita fortunatam vitam duxit maximè; Vt Philosophi aiunt isti, quiduis sat est.* 336 *Thessala pinus* Sic Horatius; Pontica pinus hoc est, nauis ex pinu Ponticâ. 337 *Verbera.* remorum. Vel fortè ad amentiam Xerxis respicit, qui Hellesponto trecenta verbera infligi, & colaphos incuti iussit. vide Herodotum in Polymnia. 346 *Palluit audax Tiphys.* expressit illa Horatij; *——& scatentem Belluis pontum, mediasq; fraudes Palluit audax.* 349 *Ipsaq; vocem perdidit Argo.* cuius carina vocalis erat, testibus Apollonio, Valerio, Claudiano, Lycophrone in Cassandra, & ibi Izacio.

Rabidos utero succincta canes,
Omnes pariter soluit hiatus?
Quis non totos horruit artus,
Toties uno latrante malo?
Quid? cùm Ausonium diræ pestes
Voce canorâ mare mulcerent?
Cùm Pieriâ resonans citharâ

Thra-

351 *Succincta canes.* Lucretius:
Aut rapidis canibus succinctas semimarinis
Corporibus Scyllas. Tibullus:
Scyllaq; virgineam canibus succincta figuram. Virgil. in Ciri:
Quid loquar aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est
Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates.

quibus versibus Virgil. poëtico more duarum Scyllarum fabulam confudit.

355 *Dira pestes.* Sirenes, siue Acheloi & Terpsichores, secundùm Nonnum & Izacium; siue Acheloi & Steropes, iuxta Homeri scholiastem; siue Acheloi & Melpomenes, ex Nicandri 3. mutatorum sententia; siue Acheloi & Calliopes, vt Seruius 5. AEneid. voluit. Quę nomina habuerint, non satis constat. Sunt qui vocitent Aglaopen, Thelxiopeian, Pisinoen: Apollonij verò scholiastes, Thelxinoen, Molpen, Aglaophonen; Chærylus, Thelxiopen, Molpen, Aglaophonem; Dionysius Halicarnasseus, Solinus, & alij plerique, Parthenopen, Ligiam, Leucasiam. quorum vltimorum nominum etymon earum officia exprimit: vnde Alciatus emblema 115.

Aspectu, verbis, animi candore trahuntur
Parthenope, Ligia, Leucosiaq; viri.

Hæ Iunonis instinctu Musas cantu prouocarunt, à quibus victæ, implumes abierunt; earumque plumas Musæ capitibus suis imposuerunt, teste Crobylo lib. 1. ideo indignatæ Sirenes, cantus suos in perniciem hominum conuerterunt. aliam tamen causam reddit Claudianus lib. 3. de raptu Proserp.

Discedunt aliæ rapidis Acheloides alis
Sublata, Siculi latus obsedêre Pelori,
Accensæq; malo, iam non impunè canoras
In pestem vertêre lyras. Vox blanda carinas
Alligat; audito frenantur carmine remi.

eiusdem extat hoc de Sirenibus epigramma:

Dulce malum pelago Siren, volucresq; puella,
Scyllaeos inter fremitus, auidamq; Charybdim,
Musica saxa fretis habitabant dulcia monstra,
Blanda pericla maris, terror quoq; gratus in vndis.
Delatus licet huc incumberet aura carinis,
Implessentq; sinus venti de puppe ferentes:
Figebat vox vna ratem, nec tendere certum
Delectabat iter, reditus odiumq; iuuabat,
Nec dolor vllus erat. mortem dabat ipsa voluptas.

Hi versus difficiles sunt, & aliter vulgo dispunguntur: eo, vt videtur, ascripsi: nunc explicabo. Cur vocet dulce malum, ex postremo versu apparet. Volucres dicit, quia, Theopompo, Suida, & Izacio auctoribus, præter faciem cetera corporis, auiū habebant. Ouid. 5. Metam.

—— vobis Acheloides vnde
Pluma pedesq; auium, cùm virginis ora geratis?
An quia cùm legeret flores Proserpina vernos,
In comitum numero mistæ Sirenes eratis?
Quam postquam toto frustra quæsistis in orbe:
Protinus, vt vestram sentirent æquora curam,
Posse super fluctus alarum insistere remis
Optastis, facilesq; deos habuistis, & artus
Vidistis vestros subitis flauescere pennis.

Musica saxa, cùm ait, ad earum metamorphosin respicit, quam Orpheus, si modò ipse est Argonauticorum auctor, describit. de scopulis istis Virg. lib. 5. Aeneid. ait:

—— scopulos Sirenum aduecta subibat.

Mirum illud quod ex Archippo, lib. 5. de piscibus, Natalis lib. 7. Mythol. cap. 13. refert, Sirenes has non virgines, sed loca marina in angustias quasdam præruptis montibus contracta fuisse, in quas illisi fluctus sonum cum suauitate & harmonia emittentes, nauigantes illicerent ad videndum: quò cùm appulissent, vndarum impetu delati; cæcis vorticibus hauriebantur. inde natam fabulam. Sed Plutarchus Iunior, Dorion, & Seruius meretrices fuisse scribunt; quæ nauigantes tamdiu retinebant blanditiis suis, donec ad summam egestatem reducerentur; ideoque dictæ sint illis naufragium inferre. Horatius lib. 2. sermonum Sirenes desidiam interpretatur. nam hæc, quia neglectum rei familiaris gignit, inopiam parit. Izacius, ἀλληγορικωτέρον, inquit, δὲ σειρῆνές εἰσιν αἱ ἡδοναί. hanc mythologiam, suppresso Izacij nomine, Natalis quàm elegantissimè dicto loco persequitur.

357 *Cùm Pieria,* &c. hæc explicabunt hi versus Apollonij è lib. 4. Argonaut. —— αἶψα δὲ νῆσον

καλὴν Ἀνθεμόεσσαν ἐσέδρακον, ἔνθα λίγειαι
Σειρῆνες σίνοντ' Ἀχελωΐδες ἡδείῃσι
θέλγουσαι μολπῇσιν ὅτις παρὰ πεῖσμα βάλοιτο.
τὰς μὲν ἄρ' εὐειδὴς Ἀχελωΐῳ εὐνηθεῖσα
γείνατο Τερψιχόρη, μουσέων μία. καί ποτε Δηοῦς
θυγατέρ' ἰφθίμην ἀδμῆτ' ἔτι πορσαίνεσκον
ἄμμιγα μελπόμεναι. τότε δ' ἄλλο μὲν οἰωνοῖσιν
ἄλλο δὲ παρθενικῇς ἐναλίγκιαι ἔσκον ἰδέσθαι.
αἰεὶ δ' εὐόρμου δεδοκημέναι ἐκ περιωπῆς,
ἦ θαμὰ δὴ πολέων μελιηδέα νόστον ἕλοντο
τηκεδόνι φθινύθουσαι. ἀπηλεγέως δ' ἄρα καὶ τοῖς
ἵεσαν ἐκ στομάτων ὄπα λείριον. οἱ δ' ἀπὸ νηὸς
ἤδη πείσματ' ἔμελλον ἐπ' ἠιόνεσσι βαλέσθαι,
εἰ μὴ ἄρ' Οἰάγροιο πάϊς Θρηΐκιος Ὀρφεὺς
Βιστονίην ἐνὶ χερσὶν ἑαῖς φόρμιγγα τανύσσας
κραιπνὸν ἐϋτροχάλοιο μέλος κανάχησεν ἀοιδῆς,
ὄφρ' ἄμυδις κλονέοντος ἐπιβρομέωνται ἀκουαὶ
κρεγμῷ. παρθενικὴν δ' ἐνοπὴν ἐβιήσατο φόρμιγξ.

idem tradidit Orpheus, in Argonauticis.

Thracius Orpheus, solitam cantu
Retinere rates, penè coëgit
Sirena sequi? quod fuit huius
Precium cursus? aurea pellis,
Maiusq; mari Medea malum,
Merces primâ digna carinâ.
Nunc iam cessit, Pontus & omnes
Patitur leges: non Palladia
Compacta manu regum referens
Inclyta remos quæritur Argo.
Qualibet altum cymba pererrat,
Terminus omnis motus, & vrbes
Muros terrâ posuere nouos:
Nil, quâ fuerat sede, reliquit
Peruius orbis. Indus gelidum
Potat Araxem: Albim Persæ,
Rhenumq; bibunt. venient annis
Sæcula seris; quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus, Tiphysq; nouos
Detegat orbes, nec sit terris
Vltima Thule.

ACTVS TERTIVS.

NVTRIX MEDEA.

Alumna celerem quò rapis tectis pedem?
Resiste, & iram comprime, ac retine impetum,
Incerta, qualis entheos cursus tulit,
Cùm iam recepto Mænas insanit deo,
Pindi niualis vertice, aut Nysæ iugis:
Talis recursat huc & huc motu effero,
Furoris ore signa lymphati gerens.
Flammata facies spiritum ex alto citat,
Proclamat, ô superi! oculos fletu rigat,
Renidet, omnis specimen affectus capit,
Hæret, minatur, æstuat, queritur, gemit.
Quò pondus istud verget? vbi ponet minas?
Vbi se iste fluctus franget? exundat furor.
Non facilè secum versat, aut medium scelus
Se vincet, iræ nouimus veteres notas.
Magnum aliquid instat, efferũ, immane, impium.
Vultum furoris cerno: dij fallant metum.
ME. *Si quæris odio misera quem statuas modum,*
Imitare amorem: regias egón' vt faces

Inulta

362 *Maiusq; mari Medea malum.* mare malum est in Græco trimetro:
πῦρ καὶ θάλασσα καὶ γυνὴ κακὰ τρία.
verùm peior mari Medea. ergo maius malum. Vnde Simocatus, in epistolis: ὢ καὶ Μηδείας καὶ Φαίδρας φοβερώτερα. ideo cùm maximè crudelem, immanem, impiam feminam innuere quis volet, Medeam vocet licebit. Ouidius sanè, in epist. Hypsip.
Pellicis ipsa meos implessem sanguine vultus
Quosq; veneficiis abstulit illa mihi;
Medea Medea forem, &c.

365 *Palladia.* Argo Mineruæ operâ confectã fuisse primus Simonides scripsit. idem postea Seneca, Claudianus, aliique permulti tradiderunt.

372 *Indusq;* simili argumento Virgil. vtitur.
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.
Gelidum Potat Araxem. Lucanus;
Non tibi cùm primùm gelidum transibis Araxim.

381 *Iras.* o.v. l. *iram.*

382 *Qualis.* Vsitatissima poëtarum comparatio. possem enim nullo negocio ostendere hac vsos non Aeschylum modò, Nicandrum, Pacuuium, Virgilium ac Propertium; sed etiam Ouid. lib. 9. Metamorph. in epist. Laodamiæ, Silium lib. 4. nostrũ actu 2. Herc. OEtæi, Lucan. lib. 1. Statium lib. 5. Theb. Corn. Tacitum lib. 11. audacior Valerius Flaccus (quẽ Lud. Carrio meus dextrè, vt est felix in restituendo, recẽsuit) Medeam ipsi Baccho comparare non dubitauit.

393 *Non facilè secum versat.* in quibusdam m. s. legitur; *Non facilè serum versat:* quorum verborũ sententia mihi non placet.

398 *Imitare amorem,* hoc est, odio modum nullũ statue. quia amor nullum modum habet. Terent. Eunuchi actu 1. sce. 1. de amore:
——quæ res in se neq; consiliũ neq; modũ
Habet vllũ, eam consilio regere non potes.
In amore hæc omnia insunt vitia, iniuria,
Suspectiones, inimicitia, induciæ,
Bellum pax rursum. incerta hæc si tu postules
Ratione certa facere, nihilo plus agas
Quàm si des operam vt cum ratione insanias.

Et, qui (quod à Mureto priùs fuit animaduersum) hos versus eleganter expressit, Horatius: *——quæ res*
Nec modum habet neque consilium, ratione modoq;
Tractari non vult. In amore hæc sunt mala, bellum,
Pax rursũ. hæc siquis, tẽpestatis propèritu

Inulta patiar? segnis hic ibit dies?
Tanto petitus ambitu, tanto datus?
Dum terra cælum media libratum feret,
Nitidusq́ certas mundus euoluet vices,
Numerusq́ arenis deerit, & solem dies,
Noctem sequentur astra, dum siccas polus
Versabit arctos, flumina in pontum cadent,
Nunquam meus cessabit in pœnas furor,
Crescetq́ semper: quæ ferarum immanitas,
Quæ Scylla, quæ Charybdis, Ionium mare
Siculumq́ sorbens, quæq́ anhelantem premens
Titana, tantis Ætna feruebit minis?
Non rapidus amnis, non procellosum mare,
Pontusq́ coro sæuus, aut vis ignium
Adiuta flatu possit inhibere impetum,
Irasq́ nostras: sternam & euertam omnia.
Timuit Creontem, ac bella Thessalici ducis:
Amor timere neminem verus potest.
Sed cesserit conuictus, & dederit manus,
Adire certè, & coniugem extremo alloqui
Sermone potuit: hoc quoque extimuit ferox.
Laxare certè tempus immitis fugæ
Genero licebat: liberis vnus dies
Datus duobus. non queror tempus breue:
Multum patebit. faciet, hic faciet dies,
Quod nullus vnquam taceat. inuadam deos,
Et cuncta quatiam. NV. *recipe turbatum malis*
Hera pectus, animum mitiga. ME. *sola est quies,*
Mecum ruinâ cuncta si video obruta.
Mecum omnia abeant: trahere, cùm pereas, licet.
NV. *Quàm multa sint timenda, si perstas, vide.*
Nemo potentes aggredi tutus potest.

IA-

Mobilia & cæca fluitantia sorte, laboret
Reddere certa; sibi nihilo plus explicet, ac si
Insanire paret certa ratione modoq́.

Propertius quoque:

Errat vesani finem qui quærit amoris.
Verus amor nullũ nouit habere modũ.

405 *Flumina in pontum cadent.* Sic Virgilius 1. Aeneid.

In freta dum fluuij current ——

408 *Quæ Scylla, quæ Charybdis.* Sic Catullus: *Quæ Syrtis, quæ Scylla vorax, quæ vasta Charybdis.* de Sicula Charybdi. Est & alia veteribus incognita in Scrickfinnia, inter Suuentinos promontorium & Caienska Semla. Vide Abrahamum Ortelium, in descriptione gentium Septentrionalium, & Scalig. contra Cardanum.

410 *Titana.* Typhoeum, iuxta Pindarum, Hesiodum, Euphorionem, &, qui eum diligentiss. imitatur, Ouidium, & Valeriũ Flaccum: vel potiùs Enceladum, ex sentẽtia Callimachi, Orphei, Smyrnæi, Oppiani, Virgilij, Seueri, Lucani, Claudiani ac Sidonij: dixi potiùs, quia hanc opinionem sequitur Seneca Hercule OEtæo actu 4. his versibus:

Vincet scopulos inde Typhoeus
Et Tyrrhenam feret Inarimen.
Feret Ætnæos inde caminos,
Scindetq́ latus montis aperti,
Nondum Enceladus fulmine victus.

411 *Rapidus amnis.* Lucretius:

Et rapidos tranant amnes.

415 *Thessalici ducis.* Acasti. Suprà habuimus; *—— quippe te pœnæ expetit*
Lethoq́ Acastus ——

416 *Amor timere neminem verus potest.* audaciæ amantium pleni sunt poëtarum libri. Sidonius: *Amor timere nescit.*

Propertius:

Solus amans nouit quando periturus, & à qua
Morte, neque hic Borea flabra nec arma timet. Tibullus:

Nec docet hoc omnes, sed quos nec inertia tardat,
Nec vetat obscura surgere nocte timor.
En ego cùm tenebris tota vagor anxius vrbe,
Securum in tenebris me facit esse Venus.
Nec sinit occurrat quisquam qui corpora ferro
Vulneret, aut rapta præmia veste petat.
Quisquis amore tenetur, eat tutusq́ sacerq́,
Qualibet insidias non timuisse decet.

his consentit Propertius lib. 3. eleg. 15.

Nec tamen est quisquam sacros qui lædat amantes,
Scironis mediа sic licet ire via.
Quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris,
Nemo adeò, vt noceat, barbarus esse volet.
Luna ministrat iter, demonstrant astra salebras,
Ipse amor accensas percutit ante faces.
Sæua canum rabies morsus auertit biantes.
Huic generi quouis tempore tuta via est.

Diuino hæc amori accommoda. nihil verius.

428 *Mecum omnia abeant.* potuit vetus illud dictũ imitari, quod ex Dionis lib. 58. Xiphilinus retulit:

ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί.

Libet. membranæ, *licet.* idque, quoad sententiam, deterius non est.

430 *Nemo potentes aggredi tutus potest* nam potentiorum ira grauis est semper, regum præcipuè. Homerus Iliad. α.

κρείσσων γὰρ βασιλεὺς ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηϊ.

IASON. MEDEA.

IA. *O dura fata semper, & sortem asperam,* "
Cùm sæuit, & cùm parcit, ex æquo malam. "
Remedia toties inuenit nobis Deus "
Periculis peiora. si vellem fidem "
Præstare meritis coniugis; letho fuit
Caput offerendum: si mori nolim; fide
Misero carendum est. non timor vincit virum, "
Sed trepida pietas: quippe sequeretur necem "
Proles parentum. ô sancta, si cælum incolis,
Iustitia, numen inuoco ac testor tuum;
Nati patrem vicere. quin ipsam quoque;
Etsi ferox est corde, nec patiens iugi;
Consulere natis malle, quàm thalamis, reor.
Constituit animus precibus iratam aggredi.
Atque ecce, viso memet, exsiluit, furit,
Fert odia præ se, totus in vultu est dolor.
ME. *Fugimus Iason, fugimus. hoc non est nouum*
Mutare sedes: causa fugiendi, noua est.
Pro te solebam fugere: discedo, exeo,
Penatibus profugere quam cogis tuis.
Ad quos remittis? Phasin & Colchos petam,
Patriumq́; regnum? quaq́; fraternus cruor
Perfudit arua? quas peti terras iubes?
Quæ maria monstras? Pontici fauces freti?
Per quas reuexi nobiles regum manus,
Adulterum secuta per Symplegadas?
Paruámne Iolchon, Thessala an Tempe petam?
Quascunque aperui tibi vias, clusi mihi.
Quò me remittis? exsuli exsilium imperas,
Nec das. eatur, regius iussit gener.
Nihil recuso: dira supplicia ingere.
Merui. cruentis pellicem pœnis premat
Regalis ira; vinculis oneret manus,
Clusamq́; saxo noctis æternæ obruat.
Minora meritis patiar. ingratum caput!
Reuoluat animus igneos tauri halitus,
Interq́; sæuos gentis indomitæ metus,
Armifero in aruo flammeum Æetæ pecus,
Hostisq́; subiti tela: cùm iussu meo
Terrigena miles mutua cæde occidit.
Adice expetita spolia Phryxei arietis,
Somnoq́; iussum lumina ignoto dare
Insomne monstrum; traditum fratrem neci;

Et,

vel quia, vt subiungit Homerus, iræ non facilè obliuiscuntur: vel quia, vt poëta indignus qui cum Chærylo compararetur, dixit, regibus longæ sunt manus.

437 *Vincit virum.* quidam libri scripti, *vicit virum.*

442 *Ferox.* ait Horatius, in epist. ad Pisones, de arte poëtica:

Sit Medea ferox——

446 *Totus in vultu est dolor.* Agmemn. actu 2.

Licet ipsa silens, totus in vultu est dolor.

Hercule O Etæo, actu 2.

——*in vultus dolor*
Processit omnis——

452 *Patriumq́; regnum?* apud Euripidem Medea:

νῦν ποῖ τράπωμαι; πότερα πρὸς πατρὸς
δόμους,
οὓς σοι προδοῦσα, καὶ πάτραν, ἀφικόμην·
ἢ πρὸς ταλαίνας Πελιάδας; καλῶς γ᾽ ἂν οὖν
δέξαιντό μ᾽ οἴκοις, ὧν πατέρα κατέκτανον.

Ennius, in Medea:

Quò nunc me vortam? quod iter incipiam ingredi?
Domum paternámne, an ad Peliæ filias?

Solent poëtæ miseros sic facere ratiocinantes, vt ostendant nullo loco posse se tutò consistere. exempla sunt illustria in Oratione Gracchi lib. 3. de Orat. in Hercule furente Euripidis, Aiace μαστιγοφόρῳ Sophoclis, Ariadna Catulli, Didone Virgilij, Alcmena Senecæ in Herc. O Etæo, aliisque multis.

464 *Saxo noctis æternæ.* hoc est, specu tenebroso.

466 *Igneos tauri halitus.* ex Euripide, apud quem Medea:

ἔσωσά σ᾽, ὡς ἴσασιν Ἑλλήνων ὅσοι
ταυτὸν συνεισέβησαν Ἀργῷον σκάφος,
πεμφθέντα ταύρων πυρπνόων ἐπιστάτην,
ζεύγλησι, καὶ σπεροῦντα θανάσιμον γύην·
δράκοντά θ᾽, ὃς πάγχρυσον ἀμφέπων δέρας,
σπείραις ἔσωζε πολυπλόκοις, ἄυπνος ὤν,
κτείνασ᾽, ἀνέσχον σοὶ φάος σωτήριον.

470 *Terrigena miles.* Ouidius 7. Metamorph.

Terrigenæ pereunt per mutua vulnera fratres.

& Claudianus sic eosdem vocauit, de bello Getico:

An ego terrigenas potiùs mirabor in ipsis
Procubuisse satis; vita quibus attulit idem
Principium finemq́; dies——

471 *Expetita.* optata. Catullus:

Auratā optantes Colchis auertere pellē.

472 *Somnoq́; iussum lumina ignoto dare Insomne monstrum.* Libanius Sophista:

καθεύδων ὤφθη δράκων ὄντως ἀείγρεοι τοῦ παθεῖν. Claudianus:

—— insopitisq; refusum
Tractibus aurati custodem velleris anguem.

476 *Senis.* Peliæ. nota res ex Polycratis Samij, & Ouidij traditione.

494 *Grauis ira regum est semper.* Suprà nu. 430. vbi vide quæ scripsimus, dixit:

Nemo potentes aggredi tutus potest.

& suprà actu 2.

Nec me fugit quàm durus & verè insolens
Ad recta flecti regius nolit tumor.

Pindarus:

—— χόλος
δ' οὐκ ἀλίθιος
γίνεται παίδων Διός.

515 *Loquere.* antiquiss. libri *eloquere.*

516 *Est & his maior metus.* in o. v. l. continetur: *est & hinc maior metus Medea.* dixerat Iason ab vna parte duos reges esse Acastum & Creontem; quorum metu Medeam non ausit retinere: respondet illa, sint illinc Acastus & Creo, hinc ego; plus sola quàm vterque potero.

Et, scelere in vno, non semel factum scelus;
Iussasq; natas, fraude deceptas meâ,
Secare membra non reuicturi senis:
[Alienaq; sequens regna, deserui mea.] *
Per spes tuorum liberûm, & certum larem,
Per victa monstra, per manus; pro te, quibus
Nunquam peperci; perq; præteritos metus,
Per cælum, & vndas, coniugij testes mei,
Miserere. redde supplici felix vicem.
Ex opibus illis quas procul raptas Scythæ
Vsque à perustis Indiæ populis petunt,
Referta quasq; vix domus gazas capit,
(Ornamus auro nemora) nil exul tuli
Nisi fratris artus, hos quoque impendi tibi.
Tibi patria cessit, tibi pater, frater, pudor:
Hac dote nupsi. redde fugienti sua.
IA. *Perimere cùm te vellet infestus Creo,*
Lachrymis meis euictus, exilium dedit.
ME. *Pœnam putabam: munus, vt video, est fuga.*
IA. *Dum licet abire, profuge, teq; hinc eripe.*
Grauis ira regum est semper. ME. *hoc suades mihi?*
Præstas Creusæ. pellicem inuisam amoues.
IA. *Medea amores obiicis?* ME. *& cædẽ, & dolos.*
IA. *Obiicere crimen quod potes tandem mihi?*
ME. *Quodcunq; feci.* IA. *restat hoc vnum insuper,*
Tuis vt etiam sceleribus fiam nocens.
ME. *Tua illa, tua sunt illa. cui prodest scelus,* "
Is fecit. omnes coniugem infamem arguant; "
Solus tuere, solus insontem voca.
Tibi innocens sit, quisquis est pro te nocens.
IA. *Ingrata vita est, cuius acceptæ pudet.*
ME. *Retinenda non est, cuius acceptæ pudet.*
IA. *Quin potiùs irâ concitum pectus doma:*
Placare natis. ME. *abdico, abiuro, abnuo.*
Meis Creusa liberis fratres dabit?
IA. *Regina gnatis exsulum afflictis potens?*
ME. *Non veniat vnquam tam malus miseris dies;*
Qui prole fœdâ misceat prolem inclytam,
Phœbi nepotes Sisyphi nepotibus.
IA. *Quid misera meq; teq; in exitium trahis?*
Abscede, quæso. ME. *supplicem audiuit Creo.*
IA. *Quid facere possim, eloquere.* ME. *pro me? vel scelus.*
IA. *Hinc rex, & illinc.* ME. *est & his maior metus*
Medea.

Medea. nos confligere, certemus, sine:
Sit precium Iason. IA. *cedo defessus malis.*
Et ipsa casus sæpe iam expertos time.
ME. *Fortuna semper omnis intra me stetit.*
IA. *Acastus instat, propior est hostis Creo.*
ME. *Vtrunq; profuge. nolo vt in socerum manus*
Armes: nec vt te cæde cognatâ inquines,
Medea cogit. innocens mecum fuge.
IA. *Et quis resistet, gemina si bella ingruant?*
Creo atque Acastus arma si iungant sua?
ME. *His adiice Colchos, adiice Æetem ducem;*
Scythas Pelasgis iunge; demersos dabo.
IA. *Alta extimesco sceptra.* ME. *ne cupias, vide.*
IA. *Suspecta ne sint, longa colloquia amputa.*
ME. *Nunc summe toto Iuppiter cælo tona,*
Intende dextram, vindices flammas para,
Omnemq; ruptis nubibus mundum quate:
Nec diligenti tela librentur manu;
In me, vel istum. quisquis è nobis cadet,
Nocens peribit: non potest in nos tuum
Errare fulmen. IA. *sana meditari incipe,*
Et placida fare; si quid ex soceri domo
Potest fugam leuare, solamen pete.
ME. *Contemnere animus regias, vt scis, opes*
Potest, soletq;: liberos tantùm fugæ
Habere comites liceat; in quorum sinu
Lachrymas profundam. te noui gnati manent.
IA. *Parêre precibus cupere me fateor tuis,*
Pietas vetat. namq; istud haud possum pati:
Non si ipse memet cogat & rex, & socer.
Hæc causa vitæ est: hoc perusti pectoris
Curis leuamen: spiritu citius queam
Carere, membris, luce. ME. *Sic gnatos amat?*
Bene est, tenetur, vulneri patuit locus.
Suprema certè liceat abeuntem loqui
Mandata, liceat vltimum amplexum dare.
IA. *Gratũ est.* ME. *& illud, voce iam extremâ, peto:*
Ne, si qua noster dubius effudit dolor;
Maneant in animo verba: sed melior tibi
Memoria nostri subeat: hæc iræ data
Oblitterentur. IA. *omnia ex animo expuli,*
Precorq; & ipsa feruidam vt mentem regas,
Placideq; tractes: miserias lenit quies.
ME. *Discessit, itán' est? vadis oblitus mei,*

527 *His adiice.* Sic apud Valerium Flaccum vltimo libro inchoati operis inquit Medea:

An fratris te bella mei, patriæq; triremes
Terrificant, magnóque impar vrgeris ab hoste?
Finge rates alias, & adhuc maiora coire
Agmina, & quæ sequuntur.

538 *Si quid ex soceri domo.* Euripides:

ἀλλ' εἴ τι βούλει παισὶν ἢ σαυτῇ φυγῆς
προσωφέλημα χρημάτων ἐμῶν λαβεῖν,
λέγ'· ὡς ἕτοιμος ἀφθόνῳ δοῦναι χερὶ, &c.

550 *Vulneri patuit locus.* à gladiatoribus ducta figura. nam vt hi aliquod membrum detegunt, locum vulneri infligendo prębent, & tum vulneri locus patet.

554 *Ne si qua noster, &c.* Medea apud Euripidem:

—— αἰτοῦμαί σε τῶν εἰρημένων
συγγνώμον' εἶναι ——

Porrò quemadmodum Medea, vt possit liberos necare, se ad meliorem mentẽ rediisse simulat: sic planè Sophocleus Aiax à priore sententia recessisse se fingit, Tecmessæ remouendæ causa, ne se interficere volenti impedimento foret. illaque Sophoclis fictio sic Virgilio placuit, vt in diuinum opus lib. 4. eam transtulerit. ibi namque Dido certa iam mori, & deliberata morte fortior, *consilium vultu tegit, & spem fronte serenat.*

Et tot meorum facinorum? excidimus tibi?
Nunquam excidemus. hoc age, omnes aduoca
Vires & artes. fructus est scelerum tibi,
Nullum scelus putare. vix fraudi est locus:
Timemur. hac aggredere, quâ nemo potest
Quicquam timere. perge, nunc aude, incipe,
Quicquid potes Medea, quicquid non potes.
Tu fida nutrix, socia mœroris mei,
Variiq; casus, misera consilia adiuua.
Est palla nobis, munus ætheriæ domus,
Decusq; regni, pignus Æetæ datum
A Sole: gemmis est & auro textili
Monile fulgens; quodq; gemmarum nitor
Distinguit aurum, quo solent cingi comæ:
Hæc nostra nati dona nubenti ferant;
Sed antè diris illita ac tincta artibus.
Vocetur Hecate: sacra luctifica appara:
Struantur aræ: flamma iam tectis sonet.

CHORVS.

Sapphici.

Nulla vis flammæ, tumidiq; venti "
Tanta, nec teli metuenda torti; "
Quanta, cùm coniux viduata tedis "
Ardet & odit. "
Non vbi hibernos nebulosus imbres
Auster aduexit, properatq; torrens
Ister, & iunctos vetat esse pontes,
Ac vagus errat.

Non

564 *Vix fraudi est locus: Timemur.* difficile est eum fallere, qui falli timet: è contrà facile est illum circumuenire, qui se decipi non posse confidit. planè confidentia insidiis exposita est: metuentē non nisi aperto Marte opprimere queas. ideo in Thyeste dictum:

—— sed quibus captus dolis
Nostros dabit perductus in laqueos pedē?
Inimica credit cuncta.

567 *Quicquid potes Medea, quicquid non potes.* Græca phrasis. Sic etiam Catullus:
Hoc facies siue hoc non pote, siue pote.

572 *A sole,* de ornatu isto ait Euripid.

—— ὃν ποθ' ἥλιος
πατὴρ πατρὸς δίδωσιν ἐκγόνοισιν οἷς.

581 *Quanta cùm coniux viduata tedis.* adulterium virorum mulieres maximè exasperat. Euripide, Medea:

—— γυνὴ γὰρ τἄλλα μὲν φόβου πλέα,
κακὴ δ' ἐς ἀλκὴν, καὶ σίδηρον εἰσορᾶν.
ὅταν δ' ἐς εὐνὴν ἠδικημένη κυρῇ,
οὐκ ἔστιν ἄλλη φρὴν μιαιφονωτέρα.

ideo noster Hercule Oetæo:

O quàm cruentus feminas stimulat dolor,
Cùm patuit vna pellici & nuptæ domus!
Scylla & Charybdis Sicula torquens freta
Minùs est timenda. nulla non melior fera est.

Ouidius 2. de arte:

Sed neque fuluus aper media tam sæuus in ira est,
Fulmineo rapidos dum rotat ore canes:
Nec lea cū catulis lactātibus vbera prabet,
Nec breuis ignaro vipera læsa pede:
Femina quàm socij deprensa pellice lecti
Ardet, & in vultu pignora mentis habet.
In ferrum flammasq; ruit, positoq; decore
Fertur vt Aonij cornibus icta Dei.

Aurel. Prudentius:

——odit vxor pellicem. Seneca epist. 96.
Sciet in vxorē grauißimū esse iniuria genus, pellicem. Meritò: si credimus Menelao Euripidis, in Andromacha. Pindarus ὠδ. ια΄. Pyth. dubitat an Clytæmnestram ad occidendum maritum dolor filiæ necatæ, an ira inductæ pellicis excitarit. Subiungit tandem nuptæ odiosiss. esse, Si vir in mala, vt ait ille, sit deditus adultera. Sanè eam ob rem multæ maritos suos occiderunt, vt ex Cicerone 2. offic. Capitolino, Apollonio, Palæphato, Eusebio, Appiano, Iustino patet; Thebe Alexandrum Pheræum, Lucilla Antoninum Verum, Lemniæ viros omnes vna excepta vniuersæ; hæc causa fuit cur Sphinx Cadmo marito bellum mouerit; cur Demetrius Antigoni filius, & Demetrius Nicanor, ab vxoribus fuerint interemti. assentior enim Scaligero lib. 3. artis poët. & Steph. Forcatulo in Cupidine iurisperito cap. 6. in feminis esse extremum summumque affectum zelotypiam scribentibus. Huc spectāt illa Matthæi Mariæ Boiardi:

L'animal che più crudo, e spauenteuole,
Et più ardente, che fuoco che sia,
La moglie che fù vn tempo amoreuole,
Che disprezzata caddè in gelosia,
Non è leon ferito piu spiaceuole,
Ne la serpe calcata è tanto ria,
Quanto la moglie era quella fiata;
Che per altrui se veda abbandonata.

582 *Ardet.* amat. Virgilius.
Formosum pastor Corydon ardebat Alexim.
Horat. *Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo*
Anacreonta Teium.
Seneca: *Arsit obscuri dea clara mundi.*

583 *Nebulosus imbres Hauster aduexit.* Phauorinus apud Gelliū lib. 2. cap. 22. Hauster, inquit, Græcè νότος nominatur: quia est nebulosus atq. humectus. Horat.
Albus vt obscuro deterges nubila cælo
Sæpe Notus, neque parturit imbres
Perpetuos: sic tu, &c.

584 *Torrens Ister.* sic Virgilius;
—— torrentia flumina ——

Non vbi impellit Rhodanus profundum;
Aut vbi, in riuos niuibus solutis,
Sole iam forti, medioq; vere,
Tabuit Hæmus.
Cæcus est ignis stimulatus irâ,
Nec regi curat, patitúrve frenos,
Haud timet mortem, cupit ire in ipsos
Obuius enses.
Parcite ô diui, veniam precamur,
Viuat vt tutus mare qui subegit:
Sed furit vinci dominus profundi
Regna secunda.
Ausus æternos agitare currus,
Immemor metæ iuuenis paternæ;
Quos polo sparsit, furiosus ignes
Ipse recepit.
Constitit nulli via nota magno.
Vade, quâ tutum populo priori:
Rumpe nec sancti violente mundi
Fœdera sacra.
Quisquis audacis tetigit carinæ
Nobiles remos; nemoris sacrati
Pelion densâ spoliauit vmbrâ:
Quisquis intrauit scopulos vagantes;
Et, tot emensus pelagi labores,
Barbarâ funem religauit orâ,
Raptor externi rediturus auri;
Exitu diro temerata ponti
Iura piauit.
Exigit pœnas mare prouocatum.
Tiphys in primis domitor profundi,
Liquit indocto regimen magistro
Litore externo, procul à paternis
Occidens regnis; tumuloq; vili
Tectus, ignotas iacet inter vmbras.
Aulis amissi memor inde regis
Portubus lentis retinet carinas
Stare querentes.
Ille,

596 *Qui subegit*. Iasonem intelligit, quemadmodum infrà, cùm ait; *Parcite iusso.*
598 *Regna secunda*. maria dicit regna secunda, quia secunda sorte Neptuno obtigerunt. quemadmodum inferi Plutoni tertia sorte. Vnde Claudianus lib. 1. de raptu, Plutonem sic loquentem inducit;
——grati quòd luminis expers
Tertia supremæ patior dispendia sortis?
600 *Iuuenis* Phaethon, Apollinis & Clymenes, vt volunt Ouidius & Lucianus; vel Apollinis & Protes, vt Tzetzes; vel Cephali & Auroræ, vt Hesiodus & Pausanias, filius: cuius mors Apollonij 4. Argonaut. Tzetzæ Chiliad. 4. histor. 137. & Ouidij 2. Metam. notior est, quàm vt debeat inculcari. ea docet adolescentes quomodo rempub. capessere debeant. qui enim sola nobilitate fretus, animi bonis virtutibus scilicet necessariis destitutus, ad regimen ciuitatis accedat, & temere habenas reipub. moderari præsumat, fieri non potest quin statum eius concutiat, concussum labefactet, labefactatum penitus diruat atque subuertat: quare regi suo & domino superiori inconsultæ audaciæ grauissimas tandem pœnas det. hoc Phaethon, qui lucentem significat, Clymenes, (id est, gloriæ cumulatæ, ἀπὸ τοῦ κλέω) seu Protes (hoc est, primariæ feminæ, ἀπὸ τοῦ πρώτου) & Solis filius, paternos ausus agitare currus, & postremo vindice Iouis fulmine ambustus, videtur innuere.
603 *Constitit nulli via nota magno*. ait: via nulli nota ante Argoam nauigationem magno constitit omnibus Argonautis. vel sanè, Nulli vnquam damno fuit, viâ communi & regiâ incessisse.
606 *Fœdera*. suprà hac tragœdia:
Bene dissepti fœdera mundi
Traxit in vnum Thessala pinus.
de his fœderibus est illud Horatij;
Ne quicquam deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili
Terras, si tamen impiæ
Non tangenda rates transiliant vada.
607 *Audacis*. Argus temerariæ. Claudianus, de bello Getico;
Intacti cùm claustra freti, coëuntibus æquor
Armatũ scopulis audax irrũperet Argo.
608 *Sacrati*. Ioui Dodonæo.
612 *Religauit ora*. bene & propriè. Catull.
Perfidus in Cretam religasset nauita funem. & Horat. *Siue iactatam religarat vdo Litore nauim.*
614 *Exitu diro*. Iason sanè; de quo hic non tradit, quód eo viuo hæc agi fingantur; mala morte periit: animi licet dolore, iuxta Diodorum Siciliensem, quia cuncti eum, ob ingratitudinem in Medeam, calamitatibus quis premebatur dignum iudicabant, necem sibi ipsi consciuit. Euripides tamen, in fine Medeæ, innuit illum sui Argus, sub qua dormiebat, vetustate collabentis oppressum. idque eo loco Scholiastes probat.
618 *Indocto*. Ergyno. Apollon. & Valer. Flacc. 622 *Aulis*. Aulis portus Euboicus, memor regem suum

Ille, vocali genitus Camœna;
Cuius ad chordas modulante plectro
Restitit torrens, siluere venti;
Cui suo cantu volucris relicto,
Adfuit totâ comitante siluâ;
Thracios sparsus iacuit per agros;
Ad caput tractus fluuialis Hebri,
Contigit notam Styga, Tartarumq́,
Non rediturus.
Strauit Alcides Aquilone natos;
Patre Neptuno genitum, necauit,
Sumere innumeras solitum figuras:
Ipse post terræ pelagiq́, pacem,
Post feri Ditis patefacta regna,
Viuus ardenti recubans in OEtâ,
Præbuit sæuis sua membra flammis,
Tabe consumtus gemini cruoris,
Munere nuptæ.
Strauit Ancæum violentus ictu

Seti-

Tiphyn cum Argonautis naui vectum abiisse, neque vnquam repedasse, naues omnes moratur & detinet, vel odio primæ nauis, vel vt de rege suo certior fiat. alludit autem ad moram quam Græci in Aulide traxerunt. Nolo aliorum interpretationes adscribere, quia non placēt: nec Codri quidem, qui serm. 1. de Cantho Eubœæ rege hæc accipit: nec eius qui (in Propertium) hunc cum Propertiano Argynno confudit.

625 *Ille, vocali genitus Camœna.* Orpheus Calliopes & OEagri vel Apollinis filius. prioris sententiæ auctores Apollonius, & Propertius lib. 2. eleg. 3. alterius Chæris, his versibus;

Πιερὶς αἰνοπαθοῦς στυγνὴν ἀπετίσατο λώβαν
Ὀρφέ᾽ ἀποκτείνασα τις Ἀπόλλωνος φίλον υἱόν.

632 *Notam.* priùs enim illam viderat.

634 *Aquilone natos.* Zethem & Calaim. Propertius lib. 1. eleg. 20.

Hũc duo sectati fratres Aquilonia proles,
Hunc super & Zethes, hunc super & Calais.

635 *Patre Neptuno genitum,* &c. rectè Codrus sermone 1. & lib. 15. fabularum interpretatur, Periclymenum, de quo Nonnus Dionysiac. μγ'. & Ouidius Metamorph. 12. qui ait à Neptuno illum dono accepisse, vt in varias figuras mutaretur; & cùm in aquilę formam versus esset, ab Hercule occisum: quod Nonnus in apis formam verso Periclymeno, Tzetzes Chil. 2. hist. 45. in muscam conuerso contigisse scribit.

Hesiodus (vt quidam volunt) formas, in quas se vertebat, enumerat his versibus, (quos Valent. Retmarus in Apollon. cap. 7. decur. 7. Euphorioni tribuit)

——Περικλύμενόν τ' ἀγέρωχον
ὄλβιον, ᾧ πόρε δῶρα Ποσειδάων ἐνοσίχθων
παντοῖ᾽. ἄλλοτε μὲν γὰρ ἐν ὀρνίθεσσι φάνεσκεν
αἰετὸς, ἄλλοτε δ᾽ αὖτε πελίσκετο, θαῦμα ἰδέσθαι,
μύρμηξ, ἄλλοτε δ᾽ αὖτε μελίσσα ἀγλαὰ φῦλα,
ἄλλοτε δεινὸς ὄφις καὶ ἀμείλιχος. εἶχε δὲ δῶρα
παντοῖ᾽ οὐκ ὀνομαστὰ, τά μιν καὶ ἔπειτα ἐδόλωσεν
βουλῇ Ἀθηναίης——

quæ omnia crediderim à morali consideratione non aliena. certè si nomen Periclymenis perpendentes etymon inuestigemus, à περὶ καὶ κλύω formari inueniemus: quod hominem procliuem ad laudandum, & celebratione gloriosa illustrandum significat. itaque in Periclymene veram parasiti & assentatoris effigiem intuemur. Parasiti enim hominum illi generi qui se primos rerum omnium volunt, nec sunt tamen, vltro semper arrident, atque eorum ingenia, dicta, factaque admirantur; quidquid dicunt, laudant; id rursum si negant, laudant id quoque; negat quis, negant; ait quis, aiunt & illi; postremò imperarunt ipsimet sibi, vt omnia assentari queant, omnes formas induere, & tarandi more, ad quam se rem applicuerint, illius colorem assumere. Faciunt hoc impunè donec ad summum impudentię gradum venerint: tunc intolerabiles facti, ab iis ipsis qui illos promouerunt, de omni dignitatis gradu deiiciuntur. ideo Periclymenem ab Hercule sub muscæ (quod animal impudentiss. est) forma occisum fabulantur. Sic ego hanc fabulam interpretor. aliter Tzetza.

Ceterùm ridiculus est omnium hoc loco scribentium error, qui hæc Senecæ verba de Acheloo acceperunt. cùm is nec ab Hercule occisus, nec Argonautarū vnus, nec Neptuni filius fuerit: nisi Neptunum cum Oceano confundas. Plutarchus enim in libello περὶ ποταμῶν, Acheloum tradit Oceani & Naidis nymphæ filium fuisse; Achæus, Oceani & Terræ; alij aliorū. At, inquies, ne Periclymenus quidem Neptuni filius fuit, sed Nelei, teste Apollonio lib. 1. fateor. nec verò hoc Seneca asserit, sed tantùm Neptuno genitum fuisse. quod quinetiam nepoti queat accommodari, quis non videt? Porrò illud, *Patre Neptuno*, pro epitheto positū est: quemadmodum apud Lucillium;

Vt nemo sit nostrum, quin pater optimu' Diuom,
Vt Neptunu' pater, Liber, Saturnu' pater, Mars,
Ianu', Quirinu' pater, nomen dicantur ad vnum.

nam Dij omnes patres, Deæ matres vocabantur. vide Brisson. in Formulis pag. 48.

641. *Gemini cruoris.* Hydræ & Nessi.

643 *Antæum.* lege cum vet. lib. *Ancæum.* tum quia Ancæus inter Argonautas numeratur non tantùm à Valerio & Apollonio, sed & Orpheo, non quidem antiquo illo (cuius opera Onomacrito, Timocli Syracusio, Pergyni Milesio, Zopyro Heracleotæ, Brontino, Herodico Perinthio & Niciæ Eleati attribuuntur) sed

Setiger: fratres, Meleagre, matris
Impius mactas, morerisq́ dextrâ
Matris iratæ. meruere cuncti,
Raptus at tutas puer inter vndas
Morte quod crimen tener expiauit;
Herculi magno puer irrepertus?
Ite nunc fortes, perarate pontum
Sorte timendâ.
Idmonem, quamuis bene fata nosset,
Condidit. serpens Libycis arenis,
Omnibus verax, sibi falsus vni,
Concidit Mopsus, caruitq́ Thebis,
Ille qui verè cecinit futura.
Exsul errauit Thetidis maritus.
Igne fallaci nociturus Argis
Nau-

† *Herculi magno puer irrepertus?*
Ite nunc fortes, perarate pontum
Sorte timenda;
Idmonem, quamuis bene fata nosset,
Condidit. Serpens Libycis arenis
Omnibus verax, sibi falsus vni,
Concidit Mopsus, caruitq́ Thebis
Ille qui verè cecinit futura.
Exsul errauit Thetidis maritus.
Igne fallaci nociturus Argis
Nauplius, præceps cadit in profundum.
Criminis pœnas patrio pependit,
Fulmine & ponto moriens Oileus.

Valde corrupta habebantur hęc carmina in excusis omnibus. hæc est sententia: Tiphys, Orpheus, Zethes, Calais, Periclymenus, Hercules, Ancæus, Plexippus, Toxeus & Meleager malè mortui sunt. quod quia dici posset ob alia crimina quàm maris violationem illis contigisse: subiungit de Hyla, de quo id suspicari non liceat. apparet enim illum propter nullum aliud crimen interemtum, quàm quia cum Argonautis vnà nauigarat. cùm igitur Hylas, in cuius ætatem nullum scelus morte dignum cadebat, in tutis vndis Bythini fontis sit interemtus; ite vos, qui fortes haberi vultis, & nauigate contemta periculosa ac dubia nauigantium sorte; quæ Idmonem vatem condidit, h. in causa fuit, vt mortuus conderetur. iccirco etiam Mopsus, dum longiorem vitam sibi spondens in vastis Libyæ arenis serpit, hoc est, gradum fallentibus repit quodammodo, mortuus est, ac Thebis patria sua caruit. Peleus etiam exsulauit. Nauplius verò præceps in mare cecidit. Reliqua suo loco exponentur.

648 *Puer.* Hylas: cuius raptum post Theocrit. εἰδύλ. 13. & Propertium lib. 1 eleg. 20. sic descripsit Flaminius, vt dici elegantius nihil queat. *Irrepertus.* vidi vnum cod. perantiquum in quo habebatur, *interemtus.* vt scilicet Herculi interemtus fuerit, quamuis illo Nymphæ potirentur.

iuniore Crotoniata; quem familiarem fuisse Pisistrato refert Asclepiades, cui Sudæ lexicon Argonautica, quę habemus, ascribit, quique sibi antiqui illius Orphei nomen assumsit. tum etiam quia Ancæus iste ab apro Calydonio fuit interemtus, teste Ouidio lib. 8. Metam. vnde Gratius in lib. de venatione:

—— *ceciditq́ suis Ancæus in aruis.*

multa in hanc rem tradidit Codrus Vrceus in libro de fabulis, & serm. 1.

644 *Fratres.* Plexippum & Toxea, iuxta Ouidium.

645 *Morerisq́ dextra,* &c. qui sequitur locus difficillimus est, nec eum intellexêre interpretes, nec Iacobus à Cruce, nec Codrus Vrceus. ego, re diligenter examinata, tandem ex vestigiis veterum librorum deprehendi totum locum sic legi & distingui debere:

Matris iratæ. meruere cuncti.
Raptus at tutas puer inter vndas,
Morte quod crimen tener expiauit, †

651 *Sorte timenda Idmonem.* ante hanc vocem vltimam subaudienda est vocula, hæc, vel, quæ.

652 *Quamuis bene fata nosset.* ex Apollonio 2. Argonaut. vbi Idmon ait;

αὐτὰρ ἐμοὶ θανέειν στυγερῇ ἐπὶ δαίμονος αἴσῃ
τηλόθι που πέπρωται ἐπ' Ἀσίδος ἠπείροιο.

Pindari scholiastes scribit tres vates Argonautas fuisse, Idmonem filium Abantis, Mopsum Ampyci, & Amphiaraum Oiclis. Auson.

Idmona quod vatem, medicum quod Iapyga dicunt.

Pherecydes & Higynus Idmonem Apollinis & Cyrenes vel Asteries filium, non Abantis fuisse scribũt: quod sequitur Politianus, in Nutricia: —— *plenumq́ parente Idmona fulmineis prostratum dentibus apri,*
Ampycidemq́ pium, Libycis quem fudit arenis
Vipera fatifero fauces accensa veneno.

quo loco quædam huc pertinentia refert post Brassicanum Fr. Sanctius Brocensis.

653 *Serpens.* Bene Cælius lib. 29. antiq. c. 15. aduertit participium esse: quod nobis loci huius intelligentiam aperuit. 654 *Omnibus verax.* non loquitur de Mopso Apollinis & Mantus filio, qui Calchantem superauit: sed de Mopso, quem Apollonij interpres & Izacius Ampyci & Chloridis filium fuisse tradunt, qui vates fuit & Argonautarum vnus. Apollon. 4. Argonaut.

ἔνθα καὶ Ἀμπυκίδην αὐτῷ ἐνὶ ἤματι Μόψον
νηλειὴς ἕλε πότμος, ἀδευκέα δ' οὐ φύγεν αἶσαν
μαντοσύνῃσιν, οὐ γάρ τις ἀποτροπίη θανάτοιο.

Ouid. Metamorph. 12.

Nec tu crediderís tantum cecinisse futura
Ampyciden Mopsum.

657 *Thetidis maritus.* Peleus falsò ab Hippodamia accusatus, exsulauit. Pindar. in Nemeis, Horat. in od. & in epist. ad Pison., aliâs etiam ob necem fratris.

658. *Igne fallaci, &c.* Palamedis pater Nauplius à Caphareis saxis, in quæ Græcos fraude sua traxerat, in mare cecidit, & fuit submersus.

Nauplius præceps cadit, in profundum
Crimini pœnas patrio pependit
Fulmine & ponto moriens, Oileus.
Coniugis fatum redimens Pheræi
Vxor impendit animam marito.
Ipse qui prædam spoliumq; iussit
Aureum primâ reuehi carinâ;
Vstus accenso Pelias aheno,
Arsit angustas vagus inter vndas.
Iam satis diui mare vindicastis,
Parcite iusso.

659 *Nauplius, &c.* vult hoc choro poëta ostendere nemini Argonautarum temeritatem suam impunè cessisse; sed maris ius violatum deos acriter vindicasse. dixerat:

Quisquis intrauit scopulos vagantes,
Et, tot emensus pelagi labores,
Barbara funem religauit ora,
Raptor externi rediturus auri;
Exitu diro temerata ponti
Iura piauit.

cuius rei confirmandæ caussa varios Argonautarum interitus memorauit. subiungit deinde de Oileo; qui, quoniam cum ceteris Argiuis delectis viris auratam pellem Colchis auerterat, neque vllo tamen læsus infortunio videbatur: idcirco ingeniosissimè comminiscitur deos non quidē ab ipsomet temeratorum fœderum (de quibus sup. num. 606.) pœnas exegisse; sed ab ipsius filio Aiace Oileo: immisso scilicet huic furioso amore Cassandræ (Maro furias Aiacis Oilei vocat) Priami filiæ: quam cùm in Palladis æde stuprasset, ab hac fulmine traiectus, & à Neptuno ictus saxo, in mari submersus interiit, atque hoc modo patris sui crimen quasi expiauit. Hæc cùm ita sint, satis iam hunc Senecæ locum intelligimus, & vulgatam, quam repræsentaui, lectionem, sinceram esse cognoscimus. apparet& illud, iustis. nos queri posse de N. qui hoc loco poëtam nostrum multis vocibus sublatis penè confecit. nimis enim temerario castigationis genere, contra o.v.l. qui vulgatis consentiunt, fidem, reposuit; *Igne fallaci nociturus Argis,*
Nauplius præceps cadit, atq; pendit *Crimine pœnas.* *Fulmine & ponto moriens Oileus &c.*
Hæc aliis risum, mihi (qui huic poëtæ bene volo) bilem mouent. etenim si hoc exemplo in bonos scriptores grassari liceat, quid non mutilum, quid non adulterinum breui sumus habituri? minus incommodi maiorum nostrorum simplex ignoratio peperit, quàm nostra temeraria scientia, & insatiabile emendandi cacoëthes, breui, ni Deus talem pestem auertat, videtur paritura. Inuasit ille doctissimos quosque viros morbus, vt malint cum acumine suo ingeniosè delirare, quàm cum recepta lectione & sententia verè sentire. Ego quoque, qui olim in Notis ad Claudianum pag. 39. mendosissimum quendam locum è Fabij declamat. 270. recensui, inde intelligo me temere *confuderat* pro *confundebat*, quod in P. Aerodij editione legitur, reposuisse. cetera quæ recensui, ne nunc quidem displicēt. Quod ad istam temerariam deprauationem attinet, sensum illa ineptissimum, imò planè nullum efficit. & quod ille credit post octauum quemque Sapphicum, vnum Adonium sequi debere, illud verò nihil est omnino. quis ignorat Senecam illud vbique, nullo certo ordine, pro arbitrio factitasse? an non in chor. 2. act. Hippol. semel post Sapphicos quattuor, semel post vndecim Adonium vnum posuit? an non ab eodem OEdipi act. 1. primum post tredecim, mox post vndecim, rursus postremò post tredecim Sapphicos Adonius vnus collocatur? certè in Troade actu 3. primò post Sapphicos vndecim, secundò post nouem, tertiò post quattuordecim, inuenies singulos Adonios. quid mirum si idem versus in hoc choro septies post tres, post octo quinquies, denique post septemdecim Sapphicos semel statuatur? 663 *Vxor.* Alcestis marito propria morte vitam seruauit: Euripid. in Alcest. & Plato 1. Sympos. Apollodor. lib. 1. & Claudian. de laudib. Serenæ. Hinc patet maiorem esse amorem coniugis erga coniugem, quàm parentis erga liberos. Alcestis Peliæ filia sola voluit pro viro suo Admeto, Thessaliæ rege, qui Pheris agebat, mori; cùm tamen ille & patrem & matrem haberet; quos illa caritate sic superauit, vt illos nomine duntaxat filio coniunctos esse ostenderit. Quod quidem sic hominibus diisque placuit, vt, cùm paucis admodum *—— quos æquus amauit Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera virtus,* dij reuiuiscendi munus concessissent; hanc ab inferis continuò, propter tam bonum facinus, Herculis operâ suscitarint; ostendentes quantus esse debeat coniugalis amor, immortaliaque proposita illis præmia, qui eum, vt par est, coluerint. Horum pleraque Platonica sunt. 669 *Parcite iusso.* Iasoni; qui mandato Peliæ nauigationem suscepit: ipsum enim, qui iussit, satis castigastis.

ACTVS QVARTVS.

NVTRIX.

Pauet animus, horret, magna pernicies adest.
Immane quantum augescit, & semet dolor
Accendit ipse, vimq; præteritam integrat.
Vidi furentem sæpe, & aggressam deos
Cælum trahentem: maius his, maius parat

Medea

671 *Immane quantum.* Hellenismus. Horatius ode 27. lib. 1.

Immane quantum discrepat.

671 *Integrat.* antiquæ tragœdiæ verbum. Attius, Antenoridis:

Namq; venio huc vt mea ope opes Troia integrem.

Pacuuius, Chryse:

Sed cesso inimicitiam integrare.

Medea monstrum. namque vt attonito gradu
Euasit, & penetrale funestum attigit,
Totas opes effudit, & quicquid diu
Etiam ipsa timuit, promit, atq; omnem explicat
Turbam malorum: arcana, secreta, abdita,
Et, triste læuâ complicans sacrum manu;
Pestes vocat, quascunque feruentis creat
Arena Libyæ; quasq; perpetuâ niue
Taurus coërcet frigore Arctoo rigens.
Et omne monstrum. tracta magicis cantibus
Squammea latebris turba desertis adest.
Hîc sera serpens corpus immensum trahit,
Trifidamq; linguam exsertat, & quærens quibus
Mortifera veniat, carmine audito stupet,
Tumidumq; nodis corpus aggestis plicat,
Cogitq; in orbes. parua sunt, inquit, mala,
Et vile telum est, ima quod tellus creat:
Cælo petam venena. iam nunc tempus est
Aliquid mouere fraude vulgari altius.
Huc ille, vasti more torrentis iacens,
Descendat anguis; cuius immensos duæ
Maior minorq; sentiunt nodos feræ;
Maior Pelasgis, apta Sidoniis minor;
Pressasq; tandem soluat Ophiuchus manus,
Virusq;

Sic Paulus lib. 2. sentent. cap. 15. Mandati iudicio precij summam poterit integrare. Papinianus l quæuis, D. de tut. & rat. distrah. tutelam pristinam integrare. Idem alibi, integrato iure debiti, dixit. Contrarium est de integro, quo vsus fuit Cæcilius comicus;

Nomen virginis, nisi mirum est, deintegrauit.

680 *Complicans.* de licio loquitur, quod huic rei sagæ adhibebant, vt apud Theocritum & Virgilium, in Pharmaceut.

686 *Sera serpens.* serò propter immensam suam molem adueniens. Varius, apud Macrob. 6. Saturnal.

——sera meminit decedere nocti.

Virgil. *——noctenatat serus freta——*

Horatius;

Serus enim Græcis admouit acumina chartis. Tibullus:

Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Seneca Agamemn. actu 1.

Sed sera tandem respicit fessos malis
Post fata demum sortis incestæ fides.

687 *Trifidamq;* Ouid. Metamorph. 3.

Martius anguis erat cristis præsignis & auro,
Igne micant oculi, corpus tumet omne veneno,
Tresq; micant linguæ.

689 *Tumidumq;* veneno. Ouidius:

——corpus tumet omne veneno.

690 *Cogitq; in orbes.* Virgilius, in Culice, de serpente agens hoc aliter expressit; †

Squammosos latè torquebat motibus orbes.

Idem;

Flexibus euersis torquetur corporis orbis.

Ouidius:

Ille volubilibus squammosos nexibus orbes
Torquet—— Idem;
Ipse modò immensum spiris facientibus orbem
Cingitur——

694 *Huc ille.* totus iste locus pertinet ad versus Arati, initio operis:

τὰς δὲ δι' ἀμφοτέρας, οἵη ποταμοῖο ἀπορρὼξ,
εἰλεῖται, μέγα θαῦμα, δράκων περί τ' ἀμφί τ' ἐαγὼς
μυρίος· αἱ δ' ἄρα οἱ σπείρης ἑκάτερθε φύονται
Ἄρκτοι——

quo loco Theon ista sic explicat; παραβάλλει τὸ πολυκαμπὲς τῶν ποταμίων ὑδάτων πρὸς τὸ τοῦ δράκοντος μέγεθος. καὶ ἐν τούτῳ δὲ Ἡσιόδου ζηλωτὴς φαίνεται. ἐκεῖνος γὰρ τὸν ποταμὸν εἴκασε δράκοντι, εἰπὼν,

καίτοι διερχόμενος ἠπειγμένος ἐστὶ δράκων ὥς.

οὗτος δὲ τοὐναντίον δράκοντα ποταμὸν ὠνόμασε, μᾶλλον δὲ εἴκασε. δράκων δὲ οὗτος, ὃν ἀνεῖλε Κάδμος· καθ' ἑτέρους δὲ ὁ τὰ μῆλα φυλάσσων τῶν Ἑσπερίδων· ὡς δὲ ὁ πολὺς λόγος, ὁ ὑπὸ Ἀπόλλωνος ἀναιρεθεὶς Πύθων.

697 *Maior Pelasgis aptior.* Aratus:

οἱ τὴν μὲν, Κυνόσουραν ἐπίκλησιν καλέουσι·
τὴν δ' ἑτέρην, Ἑλίκην. Ἑλίκῃ γέ μὲν ἄνδρες Ἀχαιοὶ
εἰν ἁλὶ τεκμαίρονται ἵνα χρὴ νῆας ἀγινεῖν.
τῇ δ' ἄρα Φοίνικες πίσυνοι περόωσι θάλασσαν.

Manilius 1. ἀστρονομικῶν:

Minoremq; Helice maior decircinat Arcton:
Septem illam stellæ certantes lumine cingunt,
Qua duce per altum Graiæ dant vela carinæ.
Angusto Cynosura breuis torquetur in orbe,
Tam spacio quàm luce minor: sed iudice vincit
Maiorem Tyrio. Pœnis hæc certior auctor
Non apparentem pelago quærentibus orbem.

Sic legendi sunt hi versus. Festus Auienus autem;

Namq; Helice Graios, Tyrios Cynosura per altum
Regit——

Apta Sidoniis minor. Aratus:

μειοτέρη γὰρ πᾶσα περιστρέφεται στροφάλιγγι,
τῇ καὶ Σιδόνιοι ἰθύντατα ναυτίλλονται.

698 *Pressasq; tandem.* locum istum hæc Arati interpretantur;

σκέπτεο πὰρ κεφαλὴν ὀφιούχου· ἐκ δ' ἄρ' ἐκείνης
αὐτὸν ἐπιφράσσαιο φαεινόμενον ὀφιοῦχον.
τοῖοί οἱ κεφαλῇ ὑποκείμενοι ἀγλαοὶ ὦμοι
εἴδονται. κεῖνοί γε καὶ ἂν διχόμηνι σελήνῃ
εἰσωποὶ τελέθοιεν· ἀτὰρ χέρες οὐ μάλα ἶσαι·
λεπτὴ γὰρ τῇ καὶ τῇ ἐπιδέδρομεν αἴγλη.

Virusq; fundat: adsit ad cantus meos
Lacessere ausus gemina Python numina:
Et Hydra, & omnis redeat Herculeâ manu
Succisa serpens, cæde se reparans suâ.
Tu quoque relictis peruigil Colchis ades,
Sopite primùm cantibus serpens meis.
Postquam euocauit omne serpentum genus:
Congerit in vnum frugis infaustæ mala;
Quæcunque generat inuius saxis Eryx;
Quæ fert opertis hieme perpetuâ iugis
Sparsus cruore Caucasus Promethei,
Pharetraq; pugnax Medus, aut Parthus leuis;
Et quis sagittas diuites Arabes linunt;
Aut quos, sub axe frigido, sucos legunt
Lucis Suëui nobiles Hercyniis.
Quodcunque tellus vere nidifico creat,
Aut rigida cùm iam bruma discußit decus
Nemorum, & niuali cuncta constrinxit gelu;
Quodcunque gramen flore mortifero viret,
Dirúsve tortis sucus in radicibus
Causas nocendi gignit; attrectat manu.
Æmonius illas contulit pestes Athos,
Has Pindus ingens. illa Pangæi iugis
Teneram cruentâ falce deposuit comam:
Has aluit altum gurgitem Tigris premens,
Danubius illas: has per arentes plagas
Tepidis

ἀλλ' ἤμαπης κἀκεῖναι ἐπιδεύεαι· οὐ γὰρ ἐλαφραί.
ἀμφότεραι δ' Ὄφιος πεπονήαται, ὅς ῥά τε μέσσον
δινεύει Ὀφιοῦχον. ὁ δ' ἔμμενες εὖ ἐπαρηρὼς
ποσσὶν ἐπιθλίβει μέγα θηρίον ἀμφοτέροισι
σκορπίον ὀφθαλμῷ τε καὶ ἐν θώρηκι βεβηκὼς
ὀρθός. ἀτάρ οἱ ὄφις γε δύω στρέφεται μετὰ χερσί,
δεξιτερῇ ὀλίγος, σκαιῇ γε μὲν ὑψόθι πολλός.

Ophiuchus. dictus, teste Proclo, quasi ὀφιοῦχος, quod serpentem teneat. Græcam vocem Seneca post Germanicum Cæsarem retinuit. Cicero Latinam finxit;

—— anguitenentem
Quem claro perhibent ὀφιοῦχον nomine Graij.

quis anguitenens iste sit, variè traditur. Bassus & Auienus dicunt esse Aesculapium; Hegesianax Carnabontem, Getarum regem; Polyzelus Rhodius, Phorbantem Triopæ & Hiscilles filium; alij, Herculem; nonnulli, Triopam Thessalum; quidam Promethea; cæteri vel Tantalum, vel Thybrin, vel Thesea, vel Ixionem. hæc Theon, & Higynus libro 2. qui multa.

700 *Numina.* Apollinem & Dianam recèns à Latona editos. de Pythone multa Nicander & Scholiastes eius in Theriacis, & Ouid. Metamorph. 1.

709 *Caucasus Promethei.* Propert. eleg. 12. lib. 1. *—— atque*

Lecta Prometheis diuidit herba iugis.

in qua elegia Propertij, vbi legitur in v. L. nullo discrepante;

Quid mihi desidiæ non cessas fingere crimen,
Quod faciat nobis conscia Roma moram:

Carrio meus ex coniectura reponit;

Quod faciat nobis Roma in amore moram.

idcirco, credo, quòd in seq. eleg. legatur:

Certus & in nullo quæris amore moram.

Verum nolim ego quicquam mutari: neque enim valde vrget hæc ratio. Conſciam Romam dicit figuratè, quasi Roma sciret causas tam diuturnæ moræ: quæ sententia mihi satis arridet. Sed ad rem. de herba Promethea Valerius Flaccus lib. 7. ait;

—— Promethea florem de sanguine fibræ
Caucaseum, tonitru nutritaq; gramina promit;
Quæ sacer ille niues inter tristesq; pruinas
Durat, edítq; cruor: cùm viscere vultur adeso
Tollitur è, scopulis, rostroq; irrorat aperto.

idem tradit Apollon. lib. 3. vbi vide Scholiast. & Plutarchum in lib. de fluminib. & Turnebum lib. 2 adu. c. 9. & lib. 18. c. 1. & Cælium Rhodigin. lib. 7. antiq. lection. cap. 21. & Ioan. Hartungum Decuria secunda.

711 *Diuites Arabes.* qui Arabiam felicem incolunt. de quibus Venantius Fortunatianus, in Phœnice cecinit; *Quos legit Assyrius, quos opulentus Arabs.* Tibullus:

Quos tener è terra diuite mittit Arabs.

Sagittas venenis linebant nō Arabes modò, sed & Græci, teste Homero Odyss. ά. Itali, teste Virgilio lib. 9. & 10 Parthi, teste Virgil. lib. 12. & Ouid. de tristibus, Daci: Dalmatæ, teste Paullo A Egineta lib. 6. cap. 88. Gyrthæi, auctore Theophrasto lib. 9. plan. hist. AEthiopes, auctore Nicandro in Alexipharm. Scythæ teste Ouid. de Ponto, & Plinio lib. 12. Galli, teste Aristotele lib. de admir. audition. num. 84. denique & omnes Barbari, si credimus Dioscoridi lib. 6.

713 *Sueui.* vel hinc patet Sueuorum fines olim quàm hodie latiores fuisse. siquidem teste Strabone libro 7. (de quo me frater meus Hieronymus admonuit) intra & extra Hercyniam habitabant.

Hercyniis. Græci hanc siluam Orcyniam appellarūt, auctore Cæsare lib. 6. de bello Gallico. optimè descripsit Irenicus lib. 7. Exeges. c. 16.

714 *Vere nidifico.* vere enim aues nidificant.

722 *Cruenta falce.* Ouidius:

Diraq; cantata pabula falce metit.

Tepidis Hydaspes gemmifer currens aquis,
Nomenq́; terris qui dedit Bætis suis,
Hesperia pulsans maria languenti vado:
Hæc passa ferrum est, dum parat Phœbus diem,
Illius altâ nocte succisus frutex,
At huius vngue secta cantato seges.
Mortifera carpit gramina, ac serpentium
Saniem exprimit, miscetq́; & obscœnas aues,
Mœstiq́; cor bubonis, & raucæ strigis
Exsecta viuæ viscera: hæc scelerum artifex
Discreta ponit: his rapax vis ignium,
His gelida pigri frigoris glacies inest.
Addit venenis verba, non istis minùs
Metuenda: sonuit ecce vesano gradu,
Canitq́;: mundus vocibus primis tremit.

MEDEA.

Tetrametri, trochaici in initio, mox iambici varij & anapæstici.

Vos precor vulgus silentum, vosq́; ferales deos,
Et chaos cæcum, atq; opacā Ditis vmbrosi domū,
Tartari ripis ligatos squallidæ mortis specus, (uos.
Suppliciis animæ remissis currite ad thalamos no-
Rota resistat mēbra torquens, tāgat Ixion humū.
Tantalus securus vndas hauriat Pirenidas.
Longè grauior pœna cedat coniugis socero mei,
Lubricus per saxa retrò Sisyphum voluat lapis.
Vos quoque, vrnis quas foratis irritus ludit labor,
Danaides, coite, vestras hic dies quærit manus.
Nunc meis vocata sacris noctium sidus veni,
Pessimos induta vultus: fronte non vnâ minax.
Tibi more gentis vinculo soluens comam,
Secreta nudo nemora lustraui pede,
Et euocaui nubibus siccis aquas,
Egiq́; ad ima maria, & Oceanus graues
Interiùs vndas æstibus victis dedit:

Pari-

Valerius:

—— cunctaq́; tremunt sub falce catenæ.

fuisse has aëneas Macrobius 5. Saturn. c. 19. docet, adducto Sophoclis fragmento è tragœdia, quæ ῥιζοτόμοι inscribitur, cuius imitatione ait Virgilium scripsisse;

Falcibus & messæ ad lunam quæruntur ahenis
Pubentes herbæ nigri cum lacte veneni.

Ouidius Metamorph. 7.

—— plantas partim radice reuellit,
Partim succidit curuamine falcis ahenæ.

ad rem enim diuinam procurandam pleraq; aënea adhibebantur, teste, præter alios, Carminio lib. de Italia secundo his verbis: Priùs « itaque & Thuscos æneo vomere vti, cum cō- « derentur vrbes, solitos, in traiectitiis eorum « sacris inuenio: & in Sabinis ex ære cultros, « quibus sacerdotes tonderentur. «

725 *Gēmifer.* in cuius alueo magna gemmarum copia reperitur, veluti lychnis, adamas, beryllus, achates, & alii innumerabiles.

727 *Hesperia pulsans maria.* mutuatus hoc est à Lucano lib. 2.

Occasus mea iura timet, Tethymq́; fugacem,
Qui ferit Hesperius post omnia flumina Bæthis.

Languenti vado. nam dimissus ex Tarraconensi prouinciâ diuisaque Hispania, priusquam in mare labatur, efficit magnum lacum, vnde fit vt minore impetu in Oceanum incidat.

736 *Pigri frigoris.* ab effectu frequenter epitheta ducuntur. Ouidius:

Tristis & ignaui plenissima frigoris ——

Idem:

Frigus iners illic habitant, pallorq́;, tremorq́;.

Moderatus Columella lib. 10.

Post vbi Riphææ torpentia frigora brumæ.

Martialis:

Concretasq́; pigro frigore ridet aquas.

frigore enim pigri, inertes, ignaui, & quodammodo torpentes efficimur. quia frigus vehemens ἀπολαύει καὶ ἀπολύει τὸ ἔμφυτον θερμὸν εἰς τὸ βάθος τοῦ σώματος, inquit Xenophon ἀναβάσ. δ. itaque interiùs in penitissimis corporis partibus incluso calore, fit vt extremitates, veluti manus ac pedes, pigræ †

† & languidæ reddantur.

745 *Sedeat.* Creontem maneat pœna longè grauior Tantali supplicio.

752 *Tibi more gentis vinculo soluens comam,*

Secreta nudo nemora lustraui pede. Solebant magæ nudis pedibus & passo capillo sacra sua peragere. apud Virg. Aeneid. 4. magicis sacris operatura vnum exuta pedem inducitur. apud Valer. Flacc. vates idem facturis

—— Vincula soluere monstrat
Prima pedum. —— Horatius scribit se vidisse
Canidiam pedibus nudis, passoq́; capillo.

Ouid. lib. 7 Metamorph.

Egreditur tectis vestes induta recinctas,
Nuda pedem, nudos humeris infusa capillos.

754 *Euocaui nubibus siccis aquas.* de magiæ vi apud Laertium lib. 8. Empedocles ait:

παύσεις δ' ἀκαμάτων ἀνέμων μένος, οἵτ' ἐπὶ γαῖαν
ὀρνύμενοι πνοιαῖσι καταφθινύθουσιν ἀρούρας.
καὶ πάλιν ἢν κ' ἐθέλῃσθα παλίντιτα πνεύματ' ἐπάξεις.
θήσεις δ' ἐξ ὄμβροιο κελαινοῦ καίριον αὐχμὸν
ἀνθρώποις· θήσεις δὲ καὶ ἐξ αὐχμοῖο θερείου
ῥεύματα δενδρεόθρεπτα, τὰ δ' ἐν θέρει ἀήσονται.
ἄξεις δ' ἐξ Ἀΐδαο καταφθιμένου μένος ἀνδρός.

758 *Et solem & astra vidit.* simul nempe vno eodemque tempore. cùm alioqui lucente sole astra non appareant.

763 *In tot ora.* qui plurima, Istro septem ostia assignarunt.

765 *Tumuit.* quanto vehementior, & poëtæ congruentior est, nisi fallor, o. v. l. scriptura, *tonuit*! Porrò Medeam cuncta quæ hic iactitat, facere potuisse testatur Apollon. in Argonaut. & Ouid Metamorph. 14. & in epist. Hypsip. à quibus noster ea sumsit.

773 *Discors* cur hoc dixit, malè explicant interpretes dixit. quia Typhoeus, quemadmodum ceteri gigantes, superiore parte hominem, inferiore angues referebat, auctor Izacius.

779 *Piæ sororis, impiæ matris.* Ouidius 8. Metam. hanc fabulam describens, eleganter ista duo coniunxit:

Incipit esse tamē melior germana parente,
Et consanguineas vt sanguine leniat vmbras
Impietate pia est ——

Facem. apud Homerum Meleager Altheæ imprecationibus confixus moritur. Minyadis & OEarum auctores, (siue ille Hesiodus, siue Rhianus, siue alius quispiam) ab Apolline in bello contra Curetes, interfectum tradunt eius verò opinionis, quam noster, Ouidius in Metam. & Apollod. lib. 1. & plerique tenuerunt, auctor fuit Phrynichus ἐν δράματι Πλευρωνίαις, teste Pausania. Quidam stipitem fatalem fuisse aiunt è rogo raptum, cuius interitus secum Meleagri necem trahebat: alij fuisse non è rogo raptum stipitem, sed oleastri ramum scribunt: vide Izacium in Lycophronem, & Antonin. Liberalem in Metamorph.

782 *Dum Zetum fugit.* expulsæ è Phinei regia, Apollon. & Valerius.

790 *Cùm Thessalicis vexata minis.* antiqui credebant lunam cælo carminibus magicis deduci, Thessalarum potissimùm, quarum cantus efficacior putabatur, cuius rei passim apud Plutarch. lib. de defect. orac. & Apollon. lib. 3. Argonaut. & aliòs testimonia occurrunt. quem errorem egregiè refellit vetus poëta, quisquis ille est, his versibus:

Non illam, vt populi credunt, nigrantibus antris
Detrahit altisuago è speculo, nec carmine victa
Infernas vlulans mulier pradira sub vmbras
Vel rore Stygias ——

Paritérque mundus, lege confusâ ætheris,
Et solem & astra vidit; & vetitum mare
Tetigistis Vrsæ. temporum flexi vices.
Æstiua tellus floruit cantu meo:
Messem coacta vidit hibernam Ceres.
Violenta Phasis vertit in fontem vada;
Et Ister, in tot ora diuisus, truces
Compressit vndas omnibus ripis piger;
Sonuere fluctus, sonuit insanum mare
Tacente vento; nemoris antiqui domus
Amisit vmbram, vocis imperio meæ.
Die relicto Phœbus in medio stetit,
Hyadésque nostris cantibus motæ labant.
Adesse sacris tempus est Phœbe tuis.
Tibi hæc cruenta serta texuntur manu,
Nouena quæ serpens ligat;
Tibi hæc Typhoeus, membra qui discors tulit,
Qui regna concussit Iouis.
Vectoris istic perfidi sanguis inest,
Quem Nessus exspirans dedit.
OEtæus isto cinere defecit rogus,
Qui virus Herculeum bibit.
Piæ sororis, impiæ matris facem,
Vltricis Altheæ vides.
Reliquit istas inuio plumas specu
Harpyia, dum Zetum fugit.
His adiice pinnas sauciæ Stymphalidos,
Lernæa passæ spicula.
Sonuistis aræ: tripodas agnosco meos,
Fauente commotos deâ.
Video Triuiæ currus agiles;
Non quos pleno lucida vultu
Pernox agitat; sed quos facie
Lurida mœstâ, cùm Thessalicis
Vexata minis, cælum freno
Propiore legit. sic face tristem
Pallida lucem funde per auras,
Horrore nouo terre populos,
Inque auxilium Dictynna tuum

Pre-

Precioſa ſonent æra Corinthi.
Tibi ſanguineo ceſpite ſacrum
Solenne damus: tibi de medio
Rapta ſepulchro fax nocturnos
Suſtulit ignes: tibi mota caput
Flexâ voces ceruice dedi:
Tibi funereo de more iacens
Paſſos vincit vitta capillos:.
Tibi iactatur triſtis Stygiâ
Ramus ab vndâ: tibi nudato
Pectore Mænas, ſacro feriam
Brachia cultro.
Manet noſter ſanguis ad aras:
Aſſueſce manus ſtringere ferrum
Caroſq́; pati poſſe cruores.
Sacrum laticem percuſſa dedi.
Quòd ſi nimium ſæpe vocari
Quereris, votis ignoſce, precor.
Cauſa vocandi Perſei tuos
Sæpius arcus, vna atque eadem
Semper, Iaſon. tu nunc veſtes
Tingue Creuſæ; quas cùm primùm
Sumſerit, imas vrat repens
Flamma medullas. ignis fuluo
Cluſus in auro latet obſcurus;
Quem mihi, cæli qui furta luit
Viſcere fœto, dedit, & docuit
Condere vires arte, Prometheus.
Dedit ac, tenui ſulphure tectos,
Mulciber ignes: & viuacis
Fulgura flammæ de cognato
Phaëthonte tuli. habeo mediæ
Dona Chimaræ. habeo flammas

ſepulcris, buſtis, vel rogis eruta, ad maleficia deligebantur. Horat. epod. ode 17.

Iubes ſepulcris caprificus erutas,
Iubes cupreſſus funebres.

Lucanus autem hoc ad nauſeam vſque plus 40. verſibus perſequitur, lib. 6.

806 *Sacro feriam Brachia cultro.* & hoc quoque in magicis ſacris fiebat, vide Tibullum lib. 1. eleg. 6.

814 *Perſei.* Hecate quam Perſeida vocat Apollon. vbi ſuprà, & Ouid. 7. Metam. quia ſcilicet, teſte Heſiodo, & Diodoro, Perſei filia fuit. Orpheus tamē Tartari & Cereris filiā putauit; Muſæus, Iouis & Aſteriæ, ſed à Perſeo nutritam; Pherecydes, Ariſtei, Bacchylides, Noctis.

818 *Serpens Flamma.* in o. v. l. inuenio *repens.*

Vincibilemq́; petit clamorem. quippe per æthram,
Qua citimus limes diſpeſcit turbida puris,
Inuiolata meat: ſed vaſto corpore telluſ,
Qua medium tenet ima polum, dum lumina fratris
Detinet vmbriferis metis, tū ſidere caſſo,
Palleſcit teres vmbra rotæ: dum tranſeat axem
Aggerei velox tumuli, ſpeculoq́; roſanti
Fraternas reparet per cælū libera flamas.

796 *Precioſa ſonent æra Corinthi. Precioſa*, quia æri Corinthio nonnihil erat auri admiſtum. Muretus lib. 3. variar. lect. cap. 5. & priùs Leonicus lib. 1. var. hiſtor. c. 58. *Sonent.* ne luna carmen magicum exaudiens cælo detrahatur. vide Cęlium lib. 19. cap. 10. *Æra Corinthi.* hoc eſt, pelues ex hoc ære confectas, nominat autem hoc æs, vel quia ſonus eius acutior, vel quia Corinthi hæc agebantur.

797 *Sanguineo ceſpite.* egeſto viuo ceſpite ex foueâ cauatâ perfuſâ hoſtiæ ſanguine, ſcilicet agnæ nigræ; & in areæ quadratæ figuram conformato, Apollonius lib. 3. de hoc ritu & ſequentibus nonnulla tradidit, his verſibus;

δὴ τότε μέσσην νύκτα διαμμοιρηδὰ φυλάξας
ἀκαμάτοιο ῥοῇσι λοεσσάμενος ποταμοῖο,
οἶος ἄνευθ' ἄλλων ἐνὶ φάρεσι κυανέοισι
βόθρον ὀρύξασθαι περιηγέα· τῷ δ' ἔνι θῆλυν
ἀρνειὸν σφάζειν καὶ ἀδαίετον ὠμοθετῆσαι,
αὐτῷ πυρκαϊὴν εὖ νηήσας ἐπὶ βόθρῳ.
μουνογενῆ δ' Ἑκάτην Περσηίδα μειλίσσοιο,
λείβων ἐκ δέπαος σιμβλήια ἔργα μελισσῶν.
ἔνθα δ' ἐπεί κε θεὰν μεμνημένος ἱλάσσηαι,
ἂψ ἀπὸ πυρκαϊῆς ἀναχάζεο. μηδέ σε δοῦπος
ἠὲ ποδῶν ὄρσῃσι μεταστρεφθῆναι ὀπίσσω,
ἠὲ κυνῶν ὑλακή. μή πως τὰ ἕκαστα κολούσας.

Vſto 798 *Tibi de medio Rapta ſepulcro.* olim †

826 *Cognato Phaëthonte.* nam ille Solis filius, Medea Solis neptis fuit. in vno cod. antiquo legitur *flammato Phaëthonte*, apto epitheto & Lucretiano.

828 *Mediæ Dona Chimaræ.* hoc eſt ignem. nam, vt inquiunt Homerus & Heſiodus.

πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα,
δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος ——

de Chimæra & Bellerophonte variæ mythologiæ traduntur, ab Alcymo, Nymphodoro, Agatharchide, Caryſtio, aliiſque. Vide Tzerzem chil. 7. hiſtor. 149. Izacium in Lycophronem, Scholiaſtes Theogoniæ Heſiodi, Cælium libro 13. antiquarum lectionum cap. 9. Natalem Comitem lib. 9. mytholog. capite tertio & quarto.

829 *Tauri*. à Iasone subiugati.
830 *Semina flammæ*. Pindarus dixit σπέρμα φλογός, & Virgil. in 6.
—— quærit pars semina flammæ.

840 *Audax Hecate*. de hac Cælius libro 20. antiq. lect. cap. 6. & Natalis Mytholog. lib. 3. cap. 15.

Vsto Tauri gutture raptas;
Quas permisto felle Medusæ,
Tacitum iussi seruare malum.
Adde venenis stimulos, Hecate,
Donisq; meis semina flammæ
Condita serua. fallant visus,
Tactusq; ferant, meet in pectus
Venasq; calor: stillent artus,
Ossaq; fument, vincatq; suas,
Flagrante comâ, noua nupta faces.
Vota tenentur. ter latratus
Audax Hecate dedit & sacros
Edidit ignes face luctifera.
Peracta vis est omnis. huc gnatos voca,
Preciosa per quos dona nubenti feras.
Ite, ite nati, matris infaustæ genus,
Placate vobis munere & multâ prece
Dominam & nouercã: vadite, & celeres domum
Referte gressus, vltimo amplexu vt fruar.

CHORVS.
Iambici dimetri catalecti.

857 *Flagrant genæ rubentes*. hoc ex Apollonio sumtum Daniel monet.
862 *Tigris*. sic Claudianus;
Arduus Hyrcana quatitur sic matre Nyphates,
Cuius Achemenio regi ludibria natos
Auexit tremebundus eques; furit illa marito
Mobilior Zephyro, totamq; virentibus iram
Dispergit maculis, nimiumq; haustura profundo
Ore virum, vitrea tardatur imagine forma:
Haud aliter genitrix, &c——
in quibus versibus illud; *totamq; virentibus iram Dispergit maculis*, Iano Parrhasio dictum videtur imitatione istorum Statij;
Qualis vbi audito venantum vulnere tigris
Horruit in maculas——
865 *Frenare non scit*. à N. hoc loco temere intrusum, *non scit*. nam non tantum impressi libri ferè omnes, sed cuncta etiam manusc. exemplaria, quibus vsus sum, continent, *frenare nescit*. & Cicero, in perfecto oratore, sua ætate *non scire*, barbarum; *nescire*, dulcius videri cœpisse scribit.

Quônam cruenta Mænas
Præceps amore sæuo
Rapitur? quod impotenti
Facinus parat furore?
Vultus citatus irâ
Riget, & caput feroci
Quatiens superba motu
Regi minatur vltro.
Quis credat exsulantem?
Flagrant genæ rubentes,
Pallor fugat ruborem.
Nullum vagante formâ
Seruat diu colorem.
Vt tigris orba gnatis,
Cursu furente lustrat
Gangeticum nemus: sic
Huc fert pedes & illuc.
Frenare nescit iras
Medea, non amores.
Nunc ira, amorq; causam
Iunxere: quid sequetur?
Quando efferet Pelasgis

Nefan-

Nefanda Colchis aruis
Gressum; metuq́; soluet
Regnum, simulq́; reges?
Nunc Phœbe mitte currus
Nullo morante loro,
Nox condat alma lucem.
Mergat diem timendum
Dux noctis hesperugo.

ACTVS QVINTVS.

NVNCIVS. CHORVS. NVTRIX. MEDEA. IASON.

NVN. *Periere cuncta, concidit regni status,*
Gnata atque genitor cinere permisto iacent.
CH. *Qua fraude capti?* NV. *qua solent reges capi,*
Donis. CHO. *in illis esse quis potuit dolus?*
NVN. *Et ipse miror, vixq́; iam facto malo,*
Potuisse fieri credo. CHO. *quis cladis modus?*
NVN. *Auidus per omnem regiæ partem furit,*
Vt iussus ignis. iam domus tota occidit,
Vrbi timetur. CHO. *vnda flammas opprimat.*
NVN. *Et hoc in istâ clade mirandum accidit:*
Alit vnda flammas; quoq́; prohibetur magis,
Magis ardet ignis, ipsa præsidia occupat.
NVT. *Effer citatum sede Pelopeiâ gradum,*
Medea præceps quaslibet terras pete.
ME. *Egón' vt recedam? si profugissem priùs,*
Ad hoc redirem. nuptias specto nouas.
Quid anime cessas? sequere felicem impetum.
Pars vltionis ista, quâ gaudes quota est?
Amas adhuc furiosa? sic satis est tibi
Cælebs Iason? quære pœnarum genus
Haud vsitatum: iamq́; sic temet para:
Fas omne cedat, abeat expulsus pudor,
Vindicta leuis est, quam ferunt parua manus:
Incumbe in iras, teq́; languentem excita,
Penitusq́; veteres pectore ex imo impetus
Violentiùs hauri: quicquid admissum est adhuc,
Pietas vocetur. hoc age, & faxo: sciant,
Quàm leuia fuerint, quamq́; vulgaris notæ,
Quæ commodaui scelera prælusit dolor
Per ista noster. quid manus poterant rudes
Audere magnum? quid puellaris furor?

877 *Hesperugo.* Lucifer, Eöus Phosphorus, Hesperus, Vesperus, Hesperugo, Vesperugo, vna eademq́; stella est. *Hesperus*, quod Bernardino placuit, versum facit claudicare. Plautus:

Nec iugula, neque Vesperugo, neque Virgiliæ occidunt.

Terentius Varro lib. 6. de ling. Latina: Vesperugo, stella quę vespere oritur, à quo etiã Opilius scribit vesperum. Vitruuius Pollio lib. 9 de Architectura, de hoc astro ita scripsit: Cùm Solem sequitur, post occasum apparens in cælo, clarissimeque lucens; vesperugo vocatur: aliis autem temporibus, cum ante currens, & oriens ante lucem, lucifer appellatur.

880 *Quæ solent reges capi, Donis.* ideo reges δωροφάγους vocat Hesiodus, quòd olim donorum forent appetentissimi, ad quos sine munere non licuit accedere. facilé autem auarus donis, luxuriosus formosa muliere, gumia & nepos propositis epulis, denique vnusquisque eo quo capitur, in insidias pertrahi potest.

889 *Magis ardet.* constabat hoc pharmacum sulphure & asphalto humectiore: vide Cælium lib. 15. cap. 13. Comitem lib. 6. Mythol. cap. 7.

890 *Effer citatum.* Euripides;

ὦ δεινὸν ἔργον παρανόμως εἰργασμένη
Μήδεια, φεῦγε, φεῦγε. μήτε ναΐαν
λιποῦσ' ἀπήνην, μήτ' ὄχον πεδοστιβῆ.

898 *Iamq́; sic temet.* plerique v.l. *sicq́; iam temet para.*

906 *Commodaui.* Iasoni, non mihi feci: istud scelus mihi faciendum est.

923 *Liberi quondam mei.* apud quendam Sophistam ait Medea; ἱκετεύω παῖδες ὑπὸ τὸ ξίφος ἥκετε, τοῦτ' εἰς ὑμᾶς ὠθεῖ δι' ἐμοῦ. quæ declamatio istius Sophistæ Latinè exstat composita ab Erasmo, qui non semel Γλαύκην, Creontis filiæ nomen proprium, Noctuam reddidit, tam rectè, quàm si quis pro Philippo, vel Demosthene, equorum amatorem vel populi robur interpretaretur. Cùm propria hominum, familiarum, vel locorum nomina quacunque lingua retineri, neque in aliam linguam per interpretationem transfundi debeant, vt post Hermolaum Barbarum in castigationibus Plinianis notauit Iacob. Curtius Brugensis lib. 1. εἰκαστῶν. cap. 28. posse tamen ea nomina pro cuiusque linguę more inflecti & terminari, omnes viri docti admittunt: adeò vt si ego me Delrium dicam, non malè; si Flumineum, planè ridiculè facturus videar.

933 *Non sunt mei.* idem Sophista; quem nos alibi, quosdam secuti, malè Libanium nominauimus: πότ' ἔτι Μήδεια παῖδας τοῦ Ἰάσονος, ἀνδρὸς ἀδίκου, πονηροῦ πατρὸς. ξένου κακοῦ. Ioannes Stobæus περὶ ὀργῆς λόγ. κ'. fragmentum quoddam Neophronis adducit, quo arbitror Medeæ deliberantis num filios occidat, verba contineri; est autem hoc:

εἶεν. τί δράσεις θυμέ; βούλευσαι καλῶς,
πρὶν ἢ ξαμαρτεῖν, καὶ τὰ προσφιλέστατα
ἔχθιστα θέσθαι. ποῖ ποτ' ἐξῇξας τάλας;
κάτισχε λῆμα καὶ σθένος θεοστυγές.
καὶ πρὸς τί ταῦτ' ὀδύρομαι, ψυχὴν ἐμὴν
ὁρῶσ' ἔρημον, καὶ παρημελημένην
πρὸς ὧν ἐχρῆν ἥκιστα; μαλθακοὶ δὲ δὴ
τοιαῦτα γιγνόμεσθα πάσχοντες κακά.
οὐ μὴ προδώσεις θυμὲ σαυτὸν ἐν κακοῖς.
οἴμοι δέδοκται· παῖδες ἐκτὸς ὀμμάτων
ἀπέλθετ'. ἤδη γάρ με φοινία μέγαν
δέδυκε λύσσα θυμόν. ὦ χέρες, χέρες,
πρὸς οἷον ἔργον ἐξοπλιζόμεσθα; φεῦ
τάλαινα τόλμης, ἣ πολὺν πόνον βραχεῖ
διαφθεροῦσα τὸν ἐμὸν ἔρχομαι χρόνῳ.

938 *Vt sæua.* Sic Ouid. lib. 7. Metam.

—— vtque carina
Quam ventus ventoque rapit contrarius æstus,
Vim geminam sentit paretque incerta duobus:
Thestias haut aliter dubiis affectibus errat, &c.

Seneca Agamemn. act. 2.

—— fluctibus variis agor,
Vt cùm hinc profundum ventus, hinc æstus rapit,
Incerta dubitat vnda cui cedat malo.

Rapidi. in q. v. l. *rabidi*, sed non placet.

948 *Euulsi sinu.* omnes schedæ; *auulsi.*

Medea nunc sum. creuit ingenium malis.
Iuuat, iuuat rapuisse fraternum caput,
Artus iuuat secuisse, & arcano patrem
Spoliasse sacro. iuuat in exitium senis
Armasse natas. quære materiam dolor.
Ad omne facinus non rudem dextram afferes.
Quò te igitur ira mittis? aut quæ perfido
Intendis hosti tela? nescio quid ferox
Decreuit animus intus, & nondum sibi
Audet fateri. stulta properaui nimis.
Ex pellice vtinam liberos hostis meus
Aliquos haberet. quicquid ex illo tuum est,
Creusa peperit placuit hoc pœnæ genus,
Meritoque placuit. vltimum magno scelus
Animo parandum est. liberi quondam mei
Vos, pro paternis sceleribus pœnas date.
Cor pepulit horror, membra torpescunt gelu,
Pectusque tremuit, ira discessit loco,
Materque tota coniuge expulsâ redit.
Egón' vt meorum liberûm, ac prolis meæ
Fundam cruorem? melius ah demens furor.
Incognitum istud facinus, ac dirum nefas
A me quoque absit. quod scelus miseri luent?
Scelus est Iason genitor, & maius scelus
Medea mater. occidant: non sunt mei.
Pereant: mei sunt. crimine & culpa carent,
Sunt innocentes, fateor: & frater fuit.
Quid anime titubas? ora quid lacrymæ rigant?
Variamque nunc huc ira, nunc illuc amor
Diducit? anceps æstus incertam rapit.
Vt sæua rapidi bella cùm venti gerunt,
Vtrinque fluctus maria discordes agunt,
Dubiumque pelagus feruet: haud aliter meum
Cor fluctuatur: ira pietatem fugat,
Iramque pietas: cede pietati dolor.
Huc cara proles, vnicum afflictæ domus
Solamen: huc vos ferte, & infusos mihi
Coniungite artus: habeat incolumes pater,
Dum & mater habeat. vrget exilium, ac fuga:
Iam iam meo rapientur auulsi sinu,
Flentes, gementes. osculis pereant patris,
Periere matris. rursus increscit dolor,
Et feruet odium: repetit inuisam manum
Antiqua mentis ira; quâ ducis sequor.

Vtinam

Vtinam superbæ turba Tantalidos meo
Exisset vtero, bisq; septenos parens
Natos tulissem: sterilis in pœnas fui.
Fratri, patriq;, quod sat est, peperi duos.
Quónam ista tendit turba furiarum impotens?
Quem quærit? aut quò flammeos ictus parat?
Aut cui cruentas agmen infernum faces
ntentat? ingens anguis excusso sonat
Tortus flagello. quem trabe infestâ petit
Megæra? cuius vmbra dispersis venit
ncerta membris? frater est, pœnas petit:
Dabimus. sed omnes fige luminibus faces:
Lania, perure, pectus en furiis patet.
Discedere à me, frater, vltrices deas,
Manesq; ad imos ire securas iube:
Mihi me relinque, & vtere hac frater manu,
Quæ strinxit ensem. victimâ manes tuos
lacemus istâ. quid repens affert sonus?
arantur arma, meq; in exitium petunt.
xcelsa nostræ tecta conscendam domus
æde inchoatâ: perge tu mecum comes,
uum quoque ipse corpus hinc mecum auehe.
Nunc hoc age anime: non in occulto tibi est
erdenda virtus, approba populo manum.
s. Quicunque regum es cladibus fidus, dolens,
oncurre, vt ipsam sceleris auctorem horridi
apiamus: huc huc fortis armigeri cohors
onferte tela, vertite ex imo domum.
E. Iam iam recepi sceptra, germanum, patrem,
poliumq; Colchi pecudis auratæ tenent,
ediere regna, rapta virginitas redit.
placida tandem numina! ô festum diem!
nuptialem! vade. perfectum est scelus,
indicta nondum: perage, dum faciunt manus.
uid nunc moraris anime? quid dubitas? potens
m cecidit ira: pœnitet, facti pudet.
uid misera feci? misera pœniteat licet,
eci. voluptas magna me inuisam subit:
t ecce crescit. deerat hoc vnum mihi
pectator ipse: nil adhuc factum reor.
uicquid sine isto fecimus sceleris, perit.
. En ipsa tecti parte præcipiti imminet.
uc rapiat ignes aliquis; vt flammis cadat
is perusta. ME. congere extremum tuis

Sic Catullus.

Qui natam possis complexu auellere matris,
Complexu matris retinentem auellere natam.

955 *Natos.* quot Medea filios habuerit, ex Parmenisci & aliorum sententiis refert scholiastes Eurip. in Medea. hos omnes, vno Thessalo excepto, à Medeâ necatos scribit Diodorus lib. 4. Sed Ælianus lib. 5. ποικιλ. ἱστ. cap vlt. refert eos à Corinthiis interemptos fuisse. addit Pausan. in Corinth. lapidibus obrutos propter allata Creusæ munera.

956 *Duos.* consentaneum hoc est Euripidis traditioni. Tzacius eos Mormorum & Pheretem, Hyginus Macarium & Pheretum appellat; alij aliter.

959 *Cruentas.* tales faces inferorum depinguntur. Ouidius 4. Metamorph.

Nec mora, Tisiphone madefactam sanguine sumit Importuna facem.

Petronius:

Sanguineam tremula quatiebat lampada dextra.

962 *Megæra.* dicta quasi μεγάλη ἔρις: quamuis aliter sentiat Natalis.

970 *Placamus.* in plerisque v.l. est *placemus.*

992 *Spectator ipse.* membranæ habent *Spectator iste.*

996 *Congere extremum tuis.* his repugnant illa Euripidis, in Medea:

Ἰα. θάψαι νεκρούς μοι τούσδε, καὶ κλαῦσαι πάρες.
Μη. οὐ δῆτ', ἐπεί σφας τῇδ' ἐγὼ θάψω χερὶ
φέρουσ' ἐς Ἥρας τέμενος Ἀκραίας θεοῦ.

Natis Iason funus, ac tumulum ſtrue.
Coniux, ſocerq́, iuſta iam functis habent
A me ſepulti: natus hic fatum tulit:
Hic, te vidente, dabitur exitio pari.
IA. *Per numen omne, perq́ communes fugas,*
Torosq́, quos non noſtra violauit fides;
Iam parce nato: ſi quod eſt crimen, meum eſt:
Me dede morti, noxium macta caput.
ME. *Hac, quâ recuſas, quâ doles, ferrum exigam.*
I nunc ſuperbe, virginum thalamos pete,
Relinque matres. IA. *vnus eſt pœnæ ſatis.*
ME. *Si poſſet vnâ cæde ſatiari manus,*
Nullam petiſſet. vt duos perimam tamen,
Nimium eſt dolori numerus anguſtus meo.
In matre, ſi quod pignus etiamnum latet,
Scrutabor enſe viſcera, & ferro extraham.
IA. *Iam perage cœptũ facinus, haud vltrà precor.*
Moramq́ ſaltem ſuppliciis dona meis.
ME. *Perfruere lento ſcelere, ne propera dolor.*
Meus dies eſt: tempore accepto vtimur.
IA. *Infeſta memet perime.* ME. *miſereri iubes.*
Bene eſt, peractum eſt, plura non habui dolor
Quæ tibi litarem. lumina huc tumida alleua
Ingrate Iaſon, coniugem agnoſcis tuam?
Sic fugere ſoleo. patuit in cælum via:
Squammoſa gemini colla ſerpentes iugo
Summiſſa præbent. recipe iam natos parens.
Ego inter auras aliti curru vehar.
IA. *Per alta vade ſpacia ſublimi ætheris:*
Teſtare nullos eſſe, quâ veheris, deos.

1001 *Non noſtra.* non fides mea erga te imminuta has nuptias me, ſed liberorum amor facere coëgit: in quibuſdam autographis legitur, *non veſtra.* quod ineptum eſt, & ſolœciſat. paullo inferiùs vbi in vulgatis exſtat, *vt duos perimam tamen*; antiq. exemp. continent *vt duos perimat tamen.*

1008 *Si poſſet.* hoc dicit: Si vnius cædes iram meam exſaturare poſſet, aliquid pietatis adhuc in animo reliquum foret; & ſi quid in animo pietatis remanſiſſet, nullum è natis interficere ſuſtinuiſſem. nunc quia omnem animo pietatem expuli, ne duorum quidem cædes animum meum placat. ideo meamet viſcera ſcrutabor enſe, vt ſi qua tui pars corpore meo clauſa latitet, illam inde extraham.

L. ANN.

L. ANN. SENECÆ OEdipus.

TRAGOEDIA II.

INTERLOCVTORES.

OEdipus. Iocaſta.
Chorus. Creon.
Tireſias. Manto.
Senex. Phorbas.
Nuncius.

ACTVS PRIMVS.

OEDIPVS. IOCASTA.



AM nocte pulsâ dubius effulſit dies,
Et nube mœſtum ſqualłida exoritur iubar,
Lumenq́, flammâ triſte luctiferâ gerens.
Proſpiciet auidâ peſte ſolatas domos,
Stragemq́, quam nox fecit, oſtendet dies.
Quiſquámne regno gaudet? ô fallax bonum, “
Quantum malorũ fronte quàm blanda tegis? “
Vt alta ventos ſemper excipiunt iuga; “
Rupemq́, ſaxis vaſta dirimentem freta, “
Quamuis quieti, verberant fluctus maris: “
Imperia ſic excelſa fortunæ obiacent. “
Quàm bene parentis ſceptra Polybi fugeram,
Curis ſolutus, exſul, intrepidus, vagans!
Cælum deosq́, teſtor, in regnum incidi.
Infanda timeo. ne meâ genitor manu
Perimatur: hoc me Delphicæ laurus monent,
Aliudq́, nobis indicant maius ſcelus.
IOC. *Eſt maius aliud patre mactato nefas?*
OED. *Prô miſera pietas! eloqui fatum pudet.*
Thalamos parentis Phœbus, & diros toros
Gnato minatur, impia inceſtos face.
Hic me paternis expulit regnis timor.
Non ego penates profugus exceßi meos:
Parum ipſe fidens mihimet; in tuto tua
Natura poſui iura: cùm magna horreas, “
Quæ poſſe fieri non putes, metuas tamen. “

IN OEDIPVM ADVERSARIA.

Inuenio OEdipum tragœdiam compoſuiſſe apud Græcos Aeſchylum, Sophoclem, Euripidem, Lycophronem, Philoclem Atheníenſem, Xenoclem (qui ea fabula, teſte Aeliano, vicit Euripidem) & Diogenem Cynicum, iuxta Laërtium. nam Satyrus, in 4. de viris, illam tragœdiam non à Diogene, ſed à Philiſco Aegynenſi ſcriptam contendit: Suidas verò illam Diogeni Oenomao aſcribit, ſicuti & Helenam, Herculem, Achillem, Thyeſtem, Chryſippũ, Semelen, Medeam, de quibus eadem controuerſia eſt. Aſconius tradit Iulium Cæſarem Latinam quandam tragœdiã Oedipi nomine inſcripſiſſe. Athenæus lib. 6. Eubulum ἐν Οἰδίποδι citat, quæ comœdia fuit. A Nonio Marcello adducitur Terentij Varronis teſtimonium ex Oedipothyeſte; quæ comœdia an tragœdia fuerit, non habeo affirmare. nam tragœdiam ſcio Varronem compoſuiſſe: ſed inſcriptio ſatyram vel hilarotragœdiã ſapere videtur. Porrò hac fabula multa noſter ex Sophoclis Oedipo tyranno accepit, nõnulla etiam fortaſſis ex Silanionis Iocaſta, etenim in ea tragœdia Iocaſtæ mors, quemadmodum & in hac, repræſentabatur, teſte Plutarcho.

4 *Iam cernet.* duo lib. ſcripti, *Perſpiciet.* lego *Proſpiciet.*

12 *Parentis.* ex opinione, non rei veritate loquitur.

Cuncta expauesco, meq́ non credo mihi.
Iamiam aliquid in nos fata moliri parant.
Nam quid rear, quòd ista Cadmea lues
Infesta genti, strage tam latè editâ,
Mihi parcit vni? cui reseruamur malo,
Inter ruinas vrbis, & semper nouis
Deflenda lachrymis funera, ac populi struem?
Incolumis ergo, scilicet Phœbi reus,
Sperare poteras sceleribus tantis dari
Regnum salubre? fecimus cælum nocens.
Non aura gelido lenis afflatu fouet
Anhela flammis corda: non Zephyri leues
Spirant, sed ignes auget æstiferi Canis
Titan Leonis terga Nemeæi premens.
Deseruit amnes humor, atque herbas color,
Aretq́ Dirce, tenuis Ismenos fluit,
Et tingit inopi nuda vix vndâ vada.
Obscura cælo labitur Phœbi soror,
Tristisq́ mundus nubilo pallet nouo,
Nullum serenis noctibus sidus micat;
Sed grauis & ater incubat terris vapor.
Obtexit arces cælitum, ac summas domos
Inferna facies. Denegat fructum Ceres
Adulta, & altis flaua cum spicis cremat,
Arente culmo sterilis emoritur seges.
Pars nulla regni immunis exitio vacat:
Sed omnis ætas pariter, & sexus ruit,
Iuuenesq́ senibus iungit, & gnatis patres
Funesta pestis: vna fax thalamos cremat,
Fletuq́ acerbo funera, & questu carent.
Quin ista tanti peruicax clades mali
Siccauit oculos: quodq́ in extremis solet,
Periere lachrymæ. portat hunc æger parens
Supremum ad ignem, mater hunc amens gerit,
Properatq́, vt alium regerat in eundem rogum.
Quin luctu in ipso luctus exoritur nouus,
Suæq́ circa funus exsequiæ cadunt.
Tum propria flammis corpora alienis cremant:
Diripitur ignis. nullus est miseris pudor.
Non ossa tumuli sancta discreti tegunt:
Arsisse satis est. pars quota in cineres abit?
Deest terra tumulis: iam rogos siluæ negant:
Non vota, non ars vlla correptos leuant:

36 *Fecimus cælum nocens.* sequitur pestis descriptio, quales habentur apud Sophoclem in Oedipo tyranno, Thucydidem lib. 2. Lucretium lib. 6. Virgilium 3. Georg. Manilium lib. 1. Ouidium 7. Metam. Lucanum lib. 6. Silium li. 14. Capitolinum, in M. Antonino philosopho, Herodianum lib. 1. Ammian. Marcellinum lib. 19. denique Homerum Iliad. ά.

37 *Non aura gelido.* Ouidius:
Lethiferis calidi spirarunt æstibus austri.

44 *Obscura cælo.* Sophocles:
τάς τε πυρφόρους Ἀρτέμιδος
αἴγλας, ξὺν αἷς Λύκει' ὄρεα
διᾴσσει —

49 *Denegat fructum Ceres.* Sophocles:
— ὅτι γὰρ
ἔκγονα κλυτᾶς χθονὸς
αὔξεται —

50 *Cremat.* cur æstiuo tempore hâc luem viguisse refert? quia, quo siccior est tempestas, eo pestis est perniciosior. Ammianus, „ Nimietatem, inquit, frigoris aut caloris, vel „ humoris vel siccitatis pestilentiam gignere „ Philosophi & illustres medici tradiderunt. „ Vnde accolentes loca palustria vel humecta, „ tusses, oculares casus & similia perferunt: „ contra confines caloribus, tepore febrium „ arescunt. Sed quanto ignis materies ceteris „ efficacior, tanto ad perimendum celerior „ siccitas.

52 *Pars nulla.* in o.v.l. legitur;
Nec vlla pars immunis exitio vacat.

54 *Iuuenesq́ senibus.* Lucretius:
Exanimis pueri super exanimata parentum
Corpora nonnunquam posses, retróque videre
Matribus aut patribus natos super edere vitam.

56 *Questu carent.* Sophocles:
— νηλέα δὲ γένεθλα
πρὸς πέδῳ θαναταφόρα
κεῖται ἀνοίκτως —

57 *Quin ista tanti.* v. l. *quin ipsa tanti.*

63 *Suæq́ circa funus.* cod. Winkelianus; *Duæq́ circa funus.*

64 *Flammis corpora alienis.* Thucydides: ἐπὶ πυρὰς γὰρ ἀλλοτρίας φθάσαντες τοὺς νήσαντας, οἱ μὲν ἐπιθέντες τὸν ἑαυτῶν νεκρὸν ὑφῆπτον· οἱ δὲ καιομένου ἄλλου, ἄνωθεν ἐπιβάλλοντες, ὃν φέροιεν, ἀπῄεσαν.
Lucretius:
Multaq́ vis subita & paupertas horrida suasit.
Namq́ suos consanguineos aliena rogorũ
Insuper exstructa ingenti clamore locabant, *Subdebantq́ faces* —
Deq́ rogis pugnant, aliensque ignibus ardent.
Ouidius: — *& iam reuerentia nulla est,*

Cadunt

Cadunt medentes: morbus auxilium trahit.
Affusus aris supplices tendo manus,
Matura poscens fata: præcurram vt prior
Patriam ruentem: néve post omnes cadam,
Fiamq; regni funus extremum mei.
O sæua nimium numina! ô fatum graue!
Negatur vni nempe in hoc populo mihi
Mors tam parata? sperne lethali manu
Contacta regna: linque lachrymas, funera,
Tabifica cæli vitia; quæ tecum inuehis
Infaustus hospes: profuge iamdudum ocyus,
Vel ad parentes. IO. quid iuuat coniux mala
Grauare questu? regium hoc ipsum reor,
Aduersa capere: quoq; sit dubius magis
Status, & cadentis imperij moles labat;
Hoc stare certo pressiùs fortem gradu.
Haud est virile, terga fortunæ dare.
OED. Abest pauoris crimen, ac probrum procul,
Virtusq; nostra nescit ignauos metus.
Si tela contrà stricta, si vis horrida
Mauortis in me rueret; aduersus feros
Audax gigantes obuias ferrem manus.
Nec Sphinga cæcis verba nectentem modis
Fugi: cruentos pestis infandæ tuli
Rictus, & albens ossibus sparsis solum.
Cumq; è supernâ rupe, iam prædæ imminens,
Aptaret ales verbera, & caudam mouens
Sæui leonis more, conciperet minas:
Carmen poposci. sonuit horrendum, insuper
Crepuere malæ, saxaq; impatiens moræ
Reuulsit vnguis, viscera exspectans mea.
Nodosa sortis verba, & implexos dolos,
Ac triste carmen alitis solui feræ.
IO. Quid sera mortis vota nunc demens facis?
Licuit perire. laudis hoc precium tibi
Sceptrum, et peremtæ Sphingis hæc merces datur?
OED. Ille ille dirus callidi monstri cinis
In nos rebellat: illa nunc Thebas lues
Peremta perdit: vna iam superest salus;
Si quam salutis Phœbus ostendit viam.

CHO-

70 *Cadunt medentes.* Thucydides: ἕτερος ἀφ' ἑτέρου θεραπείας ἀναπιμπλάμενοι. Ouidius:

——inq; ipsos sæua medentes
Erumpit clades, obsúntque auctoribus artes.

82 *Regium hoc ipsum reor.* in Herc. Furente dixit:

Animo ruinas quòd capis magno tuas,
Es rege coniux digna——

quod verò nunc ait, aduersis non deprimi, regium esse, non caret ratione. inquit enim Attius, Persidis:

Nulla vmquam humilitas ingenium infirmat bonum.

non minùs prudenter itaque apud eundem
“ poëtam, quàm fortiter à Telepho misero &
“ exsule dicitur:

“ *Nam si à me regnum atque opes fortuna*
Auferre quiuit, at virtutem nequiuit.

“ 91 *Gigantes.* fuerint gigantes necne, dis-
“ putât Hieronymus Magius in Miscellaneis, & Ioannes Goropius in Originibus. ego propter ea, quæ de Pallantis cadauere Martinus Polonus in chronicis, & de muliere quadam Cælius Rhodiginus lib. 2. antiq. lect. cap. 6. & sacræ litteræ de Goliath, deque aliis alij, veluti Pausan. in Attic. Solinus ca. 5. Plinius lib. 7. cap. 16. & 20. Herodotus libro 1. Saxo Grammaticus in præfatione historiæ Danicæ, & Hector Boëthius Scot. hist. li. 2. prodiderunt, gigantes fuisse crediderim, quod nec theologi, teste Camerte Minorita commentar. in Solinum, pag. 37. negant. & verò sacræ scripturæ conuincunt. Hodie quoque in America Australi homines monstrosę magnitudinis inueniuntur, quos Patagonas, à pedum magnitudine, victores Hispani nominauerũt. vide Abrahamum Ortelium Theatri orbis terrar. tab. 2. & Gomaram hist. Indicæ cap. 91. De his atque immanibus ossis in locis quibusdã inuentis elegantissimè Christophorus Stella Caluetus, homo nobilis & egregiè doctus, mihique peramicus scripsit lib. 1. & 2. Peruræ; quos commentarios iussu Regis nostri breui in lucem editurus est. Quinetiam, quod vulgo notissimũ est, anno ∞ Iↄ. LXXII. erat Rothomagi Pedemontanus quidam, quẽ ipse vidi, & mecum complures alij, nouem pedes altitudine longè excedens. Falsa sunt igitur quæ Gellius libro 3. cap. 10. ex Varrone, de summo adolescendi humani corporis modo scripsit.

102 *Triste carmen.* scilicet,

Ἔστι δίπουν ἐπὶ γῆς καὶ τετράπον, οὗ μία φωνή.
καὶ τρίπον, ἀλλάσσει δὲ φυὴν μόνον ὅσσ' ἐπὶ γαῖαν
ἑρπετὰ κινεῖται, ἀνά τ' αἰθέρα, καὶ κατὰ πόντον·
ἀλλ' ὁπόταν πλείστοισιν ἐπειγόμενον ποσὶ βαίνῃ,
ἔνθα τάχος γυίοισιν ἀφαυρότατον πέλει αὐτοῦ.

auctor Asclepiades.

Alitis. Sphyngis, de qua consule Natalem Comitem lib. 9. Mytholog. cap. 18.

CHORVS.

Sapphici, & Anapæstici, & in fine Iambici.

Occidis Cadmi generosa proles
Vrbe cum totâ, viduas colonis
Respicis terras miseranda Thebe.
Carpitur letho tuus ille, Bacche,
Miles, extremos comes vsque ad Indos,
Ausus Eois equitare campis,
Figere & mundo tua signa primo.
Cinnamis siluas Arabum beatas
Vidit, & versas equitis sagittas
Terga fallacis metuenda Parthi.
Litus intrauit pelagi rubentis.
Promit hic ortus, aperitq; lucem
Phœbus, & flammâ propiore nudos
Inficit Indos.
Stirpis inuictæ genus interimus:
Labimur sæuo rapiente fato:
Ducitur semper noua pompa morti: "
Longus ad manes properatur ordo "
Agminis mœsti, seriesq; tristis
Hæret, & turbæ tumulos petenti
Non satis septem patuere portæ:
Stat grauis strages, premiturq; iuncto
Funere funus.
Prima vis tardas tetigit bidentes,
Laniger pingues malè carpsit herbas.
Colla tacturus steterat sacerdos,
Dum manus certum parat alta vulnus;
Aureo taurus rutilante cornu
Labitur segnis: patuit sub ictu
Ponderis vasti resoluta ceruix:
Nec cruor ferrum maculauit, atrâ
Turpis è plagâ sanies profusa est.

Segnior

110 *Cadmi generosa proles.* Sophocles:
ὦ τέκνα Κάδμου τοῦ πάλαι νέα τροφή.

117 *Beatas* de Arabia, quæ *εὐδαίμων* dicitur, intellige; quemadmodum & illud Horatij: *Icci beatis nunc Arabum gazis.*
" Solinus pag. 180. Arabiam Græci *εὐδαίμονα*, nostri beatam nominauerunt. Felicem vulgus vocat: quemadmodum *εὐδαιμονίαν* vulgus felicitatem, doctiores beatitudinem reddiderunt.

130 *Non satis septem patuere portæ.* Ouidius:
Neque enim capiebant funera portæ.

132 *Funere funus.* Lucretius:
Idq; vel inprimis cumulabat funere funus. Sophocles:
—— ἄλλον δ' ἂν
ἄλλῳ προσίδοις
ἅπερ εὔπτερον ὄρνιν
κρεῖσσον ἀμαιμακέτου πυρὸς
ὄρμενον ἀκτὰν πρὸς ἑσπέρου
θεοῦ ——

133 *Prima vis tardas.* Homerus, de peste Apollinis ira excitata, Iliad. *α*.
οὐρῆας μὲν πρῶτον ἐπῴχετο, καὶ κύνας ἀργούς.
Ad quem Homeri locum Ammianus libro
" 19 respicit ita scribens: Affirmant etiam ali-
" qui terrarum halitu densiore crassatum aëra,
" emittendis corporis spiraminibus resistētem
" necare nonnullos: qua caussa animalia, præ-
" ter homines, cetera iugiter prona, Homero
" auctore, & experimentis deinceps multis,
" cùm talis incesserit labes, antè nouimus in-
" terire. hæc ille. qui cùm scriberet, *animalia præter* &c. memínerat Ouid. 1. Metamorph. scripsisse:
Pronaq; cùm spectant animalia cetera terram,
Os homini sublime dedit, &c.
Idem Ouid. 7. Metamorph.
Strage canum primò, volucrumq;, auiūq; boumq;,
Inq; feris subiti deprensa potentia morbi.
idem testantur Heraclides Ponticus, in allegoriis Homericis, Philostratus in Heroicis, & Plutarchus in Sympos. l. 4. Symp. 4. Homeri Scholiastæ d. loco. Claudian. lib 1. in Rufin.

135 *Colla tacturus.* Virgilius:
Sæpe in honore deum medio stans hostia ad aram,
Lanea dum niuea circumdatur infula vitta,
Inter cunctantes cecidit moribunda ministros:
Aut, si quam ferro mactauerat antè sacerdos;
Inde neque impositis ardent altaria fibris,
Nec responsa potest consultus reddere vates,
Ac vix suppositi tinguntur sanguine cultri,
Summaq; ieiuna sanie infuscatur arena.
Ouidius:
—— dum vota sacerdos
Concipit, & fundit purum inter cornua vinum,
Haut exspectato ceciderunt vulnere tauri.

137 *Aureo.* inaurato, ex more sacrificantium. Virgilius:
Et statuam ante aras aurata fronte iuuencum.
Tibullus:
Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.

Segnior cursu sonipes in ipso
Concidit gyro, dominumq́; prono
Prodidit armo.
Incubant pratis pecudes relictæ:
Taurus armento pereunte marcet:
Deficit pastor, grege diminuto,
Tabidos inter moriens iuuencos.
Non lupos cerui metuunt rapaces:
Cessat irati fremitus leonis:
Nulla villosis feritas in vrsis.
Perbibit pestem latebrosa serpens,
Aret, & sicco moritur veneno.
Non silua suâ decorata comâ,
Fundit opacis montibus vmbras.
Non rura virent vbere glebæ,
Non plena suo vitis Iaccho
Brachia curuat.
Omnia nostrum sensere malum.
Rupere Erebi claustra profundi
Turba sororum face tartareâ,
Phlegethonq́; suâ motam ripâ
Miscuit vndis Styga Sidoniis.
Mors alta auidos oris hiatus
Pandit, & omnes explicat alas:
Quiq́; capaci turbida cymba
Flumina seruat, durus senior,
Nauita Charon, vix assiduo
Brachia conto lassata refert,
Fessus turbam vectare nouam.
Quin Tænarij vincula ferri
Rupisse canem fama, & nostris
Errasse locis, mugisse solum,
Vaga per lucos simulachra virûm
Maiora viris; bis Cadmeum,
Niue discussâ, tremuisse nemus.
Bis turbatam sanguine Dircen,
Nocte silenti Amphionios
Vlulasse canes.

Ouid.11.Metamorph.
— *blandis induta cornibus aurum*
Conciderant icta niuea ceruice iuuenca.
Iuuenalis:
— *& auratam Iunoni cæde iuuencam.*
Tertullianus: Hunc tibi Iuppiter bouē cornibus inauratis vouemus esse futurum. In Liuij etiam historia lib. ab v.c. 7. tale quid inuenitur. Plinius lib. 33. Natural. hist. ca. 3. Deorum honori in sacris nihil aliud excogitatum est, quàm vt auratis cornibus hostiæ maiores dumtaxat immolarentur.
142 *Segnior cursu sonipes.* Ouidius:
Acer equus quondam, magnaq́; in puluere fama
Degenerat.
144 *Prodidit armo.* vnus cod. ant. *perdidit.*
145 *Incubant pratis.* Virgilius:
Hinc latis vituli vulgò moriuntur in herbis.
147 *Deficit pastor.* Lucretius:
Præterea iam pastor & armentarius omnis
Et robustus item curui moderator aratri
Languebant, penitúsque casis contrusa iacebant
Corpora, paupertate & morbo dedita morti.
149 *Cerui.* Ouidius:
— *meminit nec fidere cursu*
Cerua, nec armētis incurrere fortibus vrsi.
latius hunc locum Virgilius tractauit:
Non lupus insidias explorat ouilia circū,
Nec gregibus nocturnus obambulat, acrior illum
Cura domat: timidi dama, ceruiq́; fugaces
Nunc interq́; canes, & circum tecta vagantur
151 *Nulla villosis feritas in vrsis.* Ouid.
Villosa catulos summis de montibus vrsa.
152 *Perbibit pestem.* h. serpens imis medullis hausit aëris corrupti contagionē. meus lib. m. f. optimus & antiquiss. continet *perbibit.* vnde quis coniiciat legendum *perdidit.* vt significetur serpens sic morbo confecta esse, vt, cùm nemini nocere queat, omne suum virus, quod pestem vocat, amisisse videatur, hoc est (vt ait Seneca epist. 42.) cui non desit, sed torpeat venenum: hanc coniecturam astruunt præcedentia;
Cessat irati fremitus leonis,
Nulla villosis feritas in vrsis.
† quibus si addideris, *Perdidit pestē latebrosa serpens.* omnia sibi inuicem pulcherrime cohærebunt.
Latebrosa serpens. sic Maro:
Interit, & curuis frustra defensa latebris
Vipera, & attoniti squamis adstantibus hydri.
160 *Rupere Erebi.* Virgilius:

O dira
— *in lucem Stygiis emissa tenebris*
Pallida Tisiphone morbos agit ante metumq́;,
Inq́; dies auidum surgens caput altius effert.
eo respexit Seneca. Porrò, *turba rupere*, sicut, *Pars in frusta secant.*
178 *Nocte silenti.* Petronius, in Satyra; quæ Ioannis

O dira noui facies lethi,
Grauior letho! piger ignauos
Alligat artus languor, & ægra
Rubor in vultu, maculæq; caput
Sparsere leues: tum vapor ipsam
Corporis arcem flammeus vrit,
Multoq; genas sanguine tingit,
Oculiq; rigent, & sacer ignis
Pascitur artus: resonant aures,
Stillatq; niger naris aduncæ
Cruor, & venas rumpit hiantes.
Intima creber viscera quassat
Gemitus stridens. iamq; amplexu
Frigida presso saxa fatigant.
Quos liberior domus elato
Custode sinit; petitis fontes,
Aliturq; sitis latice ingesto.
Prostrata iacet turba per aras,
Oratq; mori. solùm hoc faciles
Tribuere dei. delubra petunt,
Haud vt voto numina placent;
Sed iuuat ipsos satiare deos.

Quisnam ille propero regiam gressu petit?
Adestne clarus sanguine ac factis Creo?
An æger animus falsa pro veris videt?
Adest petitus omnibus votis Creo.

ACTVS

Sambuci & Pythœi labore ante aliquot annos renata est;

Qualis silente nocte remorum sonus
Longè refertur ——

Scilicet quia nocte cuncta silent, noctique proprium est silentium. Turpilius, Epiclero:

Quæso adepol quo ante lucem te subitò rapis,
Here. cum vno puero?
Nequeo esse intus Stephanio.
Quid ita? pra vt solent me somno curæ segregant,
Forasq; noctu excitant silentio.

In quibus versibus neque carminis ratio cõstat, neque personarum loquentium nomina suis locis interiiciuntur. denique vocem, *Stephanio*, suspicor non heri loquentis esse, sed à poëta ipso insertam, & prioribus tantùm litteris STE. significatam fuisse.

181 *Piger ignauos.* Lucretius:

Atq; animi prorsum vires totius & omne
Lãguebat corpus lethi iam limine in ipso.

183 *Rubor in vultu.* Ouidius:

Indicium rubor est & ductus anhelitus igni.

184 *Tum vapor ipsam.* Lucretius:

Principiò caput incensum feruore ferebãt.

idem ponit Thucydides.

185 *Corporis arcem.* caput. Claudianus de 4. consulat. Honorij A. rationem à Deo immortali in hominis capite tanquam in arce constitutam esse cecinit, his verbis:

—— *hanc alta capitis fundauit in arce*
Mandatricem operum, prospecturámque labori.

186 *Multoq; genas.* Lucretius:

—— *duplices oculos suffusa luce rubentes.*

187 *Oculiq; rigent.* Virgilius:

—— *oculos stupor vrget inertes.*

Sacer ignis. Virgilius:

—— *contactos artus sacer ignis edebat.*

Quo loco malè Seruius putauit sacrum ignem esse; quem Græci *ἱερὰν νόσον* vocant. cùm *ἱερὰ νόσος*, teste Hieronymo Mercuriali in variis lection. nihil sit aliud, quàm epilepsia: *ignis* verò *sacer* apud Latinos idem sit, quod apud Arabes *formica*, apud Plinium *zoster* & *circinus*, apud Scribonium *zona*; de quo Plato egit 2. de legibus. Græcis *ἕρπης* vocatur; cuius quot sint genera, ex Gorræo petas. Porrò sacri ignis, seu herpetis vim optimè declarauit Lucretius lib. 6.

Exurit sacer ignis & vrit corpora serpens
Quamcumque arripuit partem, repitq; per artus.

188 *Resonant aures.* Lucretius:

Sollicitæ porrò plenæq; sonoribus aures.

189 *Stillatq; niger naris aduncæ Cruor.* Virgilius:

—— *it naribus ater*
Sanguis ——

191 *Intima creber viscera quassat Gemitus stridens.* ait Virgilius:

Tum verò ardentes oculi, atq; attractus ab alto
Spiritus interdum gemitu grauis, imaq; longo
Ilia singultu tendunt ——

Creber. quia, teste Hippocrate, πνεῦμα πυκνὸν μὲν ἐὸν πόνον σημαίνει, ἢ φλεγμονὴν ἐν τοῖσιν ὑπὲρ τῶν φρενῶν χωρίοισι. confirmat hoc Thucydides.

195 *Petitis fontes.* Ouidius:

Fontibus & fluuiis puteisque capacibus hærent,
Nec sitis est exstincta priùs, quàm vita, bibendo.

idem Thucydid. & Procopius lib. 2. de bello Persico.

199 *Delubra petunt.* Sophocles ait infinitos ante aras & delubra se prostrauisse: & Lucretius,

Omnia denique sancta deûm delubra replerat
Corporibus mors exanimus, onerataq; passim
Cuncta cadaueribus cælestum templa manebant
Hospitibus, loca quæ complerant ædituentes.

Hos Paullus l. 1. de tutel. & Iustinianus, instit. e. & antiq. inscriptiones, teste Onuphrio lib. 1. reip. Romanæ, æditüos appellant. Varro æditumos dicere maluit. Festus vtrumque agnoscit.

ACTVS SECVNDVS.

OEDIPVS CREO.

Trimetri Iambici, & Tetrametri Trochaici, & quidam Heroici Hexametri.

OED. *Horrore quatior, fata quò vergant timens,*
Trepidumq; gemino pectus euentu labat.
Vbi læta duris mista in ambiguo iacent,
Incertus animus scire cùm cupiat, timet,
Germane nostræ coniugis, fessis opem
Si quam reportas, voce properata edoce.
CR. *Responsa dubiâ sorte perplexa latent.*
OED. *Dubiam salutem qui dat afflictis, negat.*
CR. *Ambage nexâ Delphico mos est deo*
Arcana tegere. OED. *fare, sit dubium licet,*
Ambigua soli noscere OEdipode datur.
CR. *Cædem expiari regiam exilio deus,*
Et interemtum Laium vlcisci iubet.
Non antè cælo lucidus curret dies,
Haustusq; tutos ætheris puri dabit.
OED. *Ecquis peremtor inclyti regis fuit?*
Quem memoret, ede, Phœbus, vt pœnas luat.
CR. *Sit precor dixisse tutum: visu & auditu horridum.*
Torpor insedit per artus, frigidus sanguis coit,
Vt sacrata templa Phœbi supplici intraui pede,
Et pias, numen precatus, ritè summisi manus:
Gemina Parnaßi niualis arx trucem sonitũ dedit,
Imminẽs Phœbea laurus tremuit, et mouit domũ:
At repentè sancta fontis lympha Castalij stetit:
Incipit Lethæa vates spargere horrentes comas,
Et pati cõmota Phœbum: contigit nondũ specum;
Emicat vasto fragore maior humano sonus.
Mitia Cadmeis remeabunt sidera Thebis,
Si profugus Dircen Ismenida liqueris hospes,
Regis cæde nocens, Phœbo iá notus & infans.
Nec tibi longa manẽt sceleratæ gaudia cædis:
Tecũ bella geres, gnatisquoq; bella relinques,
Turpis maternos iterum reuolutus in ortus.
OED. *Quod facere monitu cælitum iussus paro,*
Functi cineribus regis hoc decuit dari,
Ne sancta quisquam sceptra violaret dolo.
Regi tuenda maximè regum est salus.
Que-

214 *Ambage nexa* plerique libri antiqui, *ambage flexa.* quod mea sententia longè melius est. videtur enim sumtum ex illo Pacuuij, in Periboea:
Flexa non falsa autumare dictio Delphis solet.
Quamobrem, teste Aristophanis scholiaste, & Seruio 6. Aeneid. Apollo λοξίας passim nominatur ab Euripide, Aeschylo, Pindaro; addo & D. Hieronymo. licet quidam mythologici alias eius nominis causas comminiscantur, ad quas respexisse poëtam non est quod suspicemur. Cleanthes: ἐπειδὴ καὶ θ' ἑλίκας κινεῖται. λοξαὶ γὰρ εἰσι καὶ αὗται. Aenopides: ὅτι ἐκπορεύεται τὸν λοξὸν κύκλον ἀπὸ δυσμῶν εἰς ἀνατολὰς κινούμενος. Phornutus & Isacius; παρὰ τὸ λοξῶς ἱστάναι καὶ περιϊστάναι. vel, παρὰ τὸ λοξὴν ἰὰν καὶ φωνὴν προΐεμεν, λοξὸ χρησμόν. Macrobius, quòd transuersos in nos à meridie immittat radios, cùm simus ad ipsum Septentrionales.
217 *Sedem expiari.* Sophocles:
ἄνωγεν ἡμᾶς Φοῖβος ἐμφανῶς ἄναξ,
μίασμα χώρας ὡς τεθραμμένον χθονὶ, &c.
227 *Gemina Parnaßi niualis arx.* duo sunt Parnassi vertices: in vno Phœbus, in altero Bacchus colitur. Lucan lib. 4.
— *Parnassius gemino petit æthera colle*
Mons Bromio, Phœboq; sacer: cui numine mixto
Delphica Thebanæ referunt Trieterica Bacchæ.
quæ Lucani carmina adiungantur testimoniis Granij Flacci, Cornelij Labeonis, & aliorum apud Macrobium lib. 1. Saturnal. quo loco probat Bacchum & Apollinẽ vnum & eundem esse.
Parnaßi niualis. proprium huius montis epithetum. Sophocles νιφόεντα vocat: & Panyasis,
Παρνησὸν νιφόεντα θοοῖς διὰ ποσσὶ περήσας,
ἵκετο Κασταλίης Ἀχελωΐδος ἄμβροτον ὕδωρ.
Dionysius Afer ἐν τῇ οἰκουμ. περιηγ.
Παρνησοῦ νιφόεντος ἐπὶ πτυχὶ —
229 *At repentè.* m. s. pro aduersatiua particula coniunctiuam habent, *ac repentè.*
232 *Maior humano sonus.* Virg. 6. Aeneid.
— *maiorq; videri,*
Nec mortale sonans —
235 *Phœbo iam notus & infans.* quem Phœbus etiam tunc cùm infans esset, Laium interfecturum præsciebat. acceperat enim Laius ab Apolline oraculum:
μὴ σπεῖρε τέκνων ἄλοκα δαιμόνων βίᾳ,
εἰ γὰρ τεκνώσεις παῖδ' ἀποκτενεῖ σ' ὁ φύς.
Auctores Lucianus & scholiastes Aeschyli.
242 *Regi tuenda est.* Oedipus Sophocleus

Clementer acto colle, Parnassus biceps:
At vna bimares Sisyphi terras adit,
Olenia in arua: tertius trames cauâ
Conualle serpens, tangit errantes aquas,
Gelidumq; dirimit amnis Elei vadum?
Hic pace fretum, subita prædonum manus
Aggressa ferro facinus occultum tulit.
In tempore ipso, sorte Phœbeiâ excitus,
Tiresia tremulo tardus accelerat gradu,
Comesq; Manto luce viduatum trahens.

OEDIPVS. TIRESIAS. MANTO.

OED. *Sacrate diuis, proximum Phœbo caput,*
Responsa solue, fare quem pœnæ petant.
TIR. *Quod tardo fatũ, lingua quod quærit moras,*
Haud te quidem magnanime mirari addecet.
Visu carentem magna pars veri latet.
Sed quò vocat me patria, quò Phœbus, sequar,
Fata eruantur: si foret viridis mihi
Calidusq; sanguis, pectore exciperem deum.
Adpellite aris candidum tergo bouem,
Curuoq; nunquam colla depressum iugo.
Tu lucis inopem gnata genitorem regens,
Manifesta sacri signa fatidici refer.
MAN. *Opima sanctas victima ante aras stetit.*
TIR. *In vota superos voce solenni voca,*
Arasq; dono thuris Eoi exstrue.
MAN. *Iam thura sacris cælitum ingessi focis.*
TIR. *Quid flãma? largas iámne cõprendit dapes?*
MAN. *Subitò refulsit lumen, & subitò occidit.*
TIR. *Vtrúmne clarus ignis, & nitidus stetit,*
Rectusq; purum verticem cælo tulit,
Et summam in auras fusus explicuit comam?
An latera circa serpit incertus viæ,
Et fluctuante turbidus fumo labat?
MAN. *Non vna facies mobilis flammæ fuit:*
Imbrifera qualis implicat varios sibi
Iris colores, parte quæ magna poli
Curuata picto nunciat nimbos sinu.
Quis desit illi, quisve sit dubites color:
Cærulea fuluis mista oberrauit notis,
Sanguinea rursus, vltimum in tenebras abit.
Sed ecce pugnax ignis in partes duas
Discedit, & se scindit vnius sacri

est. Vt vt est, Laium in triuio hoc necatum Sophocles etiam testatur.

281 *Parnassus biceps.* Persius initio operis, quod Martialis Marsi Amazonidi prætulit;

Nec in bicipiti somniasse Parnasso.

adde quæ suprà posui nu. 227.

282 *Bimares.* Corinthum intellige. Horat. lib. 1. odar.

— bimarisve Corinthi
Mœnia —

Ouid. 5. Metamorph.

— bimari gens orta Corintho.

idem 4. Fastorum:

Adriacumq; patens latè bimaremq; Corinthum.

& in epist. Med. *Ephyren bimarem.*
Sic in illo versu, quẽ Sudæ lexicõ suppeditat:

Αἰάδ' ἔχω πολιῆτιν ἁλιζώνοιο Κορίνθου.

Iulius Pollux Onomast. lib. 9. ἀμφιθάλαττος ὡς ἡ Κόρινθος. Errauit ergo Dion. Lambinus, Muretum reprehendens, quòd ἀμφιθάλαττος de Corintho dixisset. ea Lambini opinio exstat in illis clarorum virorum epistolis, quas à Michaële Bruto collectas, Lugdunenses ediderunt, quantum memini lib. 3. epist. 29. Paulin. *Calpen bimarem* vocauit.

286 *Prædonum manus.* Sophocles:

λῃστὰς ἔφασκε συντυχόντας, οὐ μιᾷ
ῥώμῃ κτανεῖν νιν, ἀλλὰ σὺν πλήθει χερῶν.

290 *Luce viduatum.* Tiresiam cæcum fuisse nemo negat, sed in cæcitatis causa tradẽda dissentiunt Callimachus in hymno εἰς λουτρὰ τῆς Παλλάδος, Homeri scholiastes Odyss. κ'. Nonnus Dionys. ε'. Lucian. in Astrolog. Apollodor. lib. 3. Bibliot. Ouid. in Metamorph. vide Politianum in Miscell. ca. 89. & Falckenburgium in Nonnum.

294 *Haud te quidem.* in membranis legitur *haut equidem.* quod non placet.

298 *Excuterem.* in o. v. l. *exciperem.* quod non est cur sequamur, respexit enim Seneca ad illa 6. Aeneid.

At Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates, magno si pectore possit
Excussisse Deum —

309 *Et nitidus.* duo m. s. cod. *& viridis.*

312 *Circa serpit.* in o. v. l. est *circumserpit.*

321 *In partes duas.* Lucanus lib. 1.

— Vestali raptus ab ara
Ignis, & ostendens confectas flamma Latinas
Scinditur in partes, geminoq; cacumine surgit
Thebanos imitata rogos —

Dis-

Discors fauilla: genitor horresco intuens.
Libata Bacchi dona permutat cruor,
Ambitq; densus regium fumus caput,
Ipsosq; circa spißior vultus sedet,
Et nube densâ sordidam lucem abdidit.
Quid sit, parens effare. TIR. *quid fari queam?*
Inter tumultus mentis attonitæ vagos,
Quidnam loquar? sunt dira, sed in alto, mala.
Solet ira certis numinum ostendi notis.
Quid istud est, quod esse prolatum volunt,
Iterumq; nolunt, & truces iras tegunt?
Pudet deos, nescio quid. huc properè admoue,
Et sparge salsâ colla taurorum molâ.
Placidône vultu sacra, & admotas manus
Patiuntur? MAN. *altum taurus attollens caput,*
Primos ad ortus positus, expauit diem,
Trepidusq; vultum obliquat, & radios fugit.
TIR. *Vnóne terram vulnere afflicti petunt?*
MAN. *Iuuenca ferro semet imposito induit,*
Et vulnere vno cecidit: at taurus duos
Perpessus ictus, huc & huc dubius ruit,
Animamq; fessus vix reluctantem exprimit.
TIR. *Vtrùm citatus vulnere angusto micat,*
An lentus altas irrigat plagas cruor?
MAN. *Huius per ipsam, quâ patet pectus, viam*
Effusus amnis; huius exiguo graues
Maculantur ictus imbre; sed versus retro
Per ora multus sanguis atque oculos redit.
TIR. *Infausta magnos sacra terrores cient.*
Sed ede certas viscerum nobis notas.
MAN. *Genitor quid hoc est? nō leui motu, vt solent,*
Agitata trepidant exta, sed totas manus
Quatiunt, nouusq; prosilit venis cruor.
Cor marcet ægrum penitus, ac mersum latet,
Liuentq; venæ, magna pars fibris abest,
Et felle nigro tabidum spumat iecur.
Ac semper omen vnico imperio graue,
En capita paribus bina consurgunt toris:
Sed vtrumque cæsum tenuis abscondit caput
Membrana, latebram rebus occultis negans.

Hostile

328 *Quid fari queam?* malè interpp. *fari*, exponunt, loqui. est enim hîc προφητεύειν. Varro lib. 5. de ling. Latina, ita scripsit; Qui diuina prædiuinādo solent fari, fatidici dicti. Ennius;

Atq; Anchises doctu' Venus quem pulcra dearum
Fari donauit, diuinum & pectus habere.

336 *Placidône vultu.* magnoperè veteres referre putabant, num hostiæ popæ reluctarentur, num verò se feriendas quietæ stantes, atque etiam, si dis placet, annuentes, præberent ex hoc deis gratum sacrificium, ex illo ingratum fore colligebant. Vnde Virgil.

Et ductus cornu stabit sacer hircus ad arā.

Myrtilus lib. 2. Lesbicorum: οἱ μὲν οὖν ἱερεῖς τὸ ὕδωρ εἰώθεισαν ἐμβαλεῖν εἰς τὸ οὖς τοῦ ἱερείου, ὡς ἐπινεύῃ ταῖς πλεισταῖς.

341 *Opposito induit.* m. s. meus, *imposito.* Virg. 3 Georg.

Ac vix suppositi tingūtur sanguine cultri.

Sed hæc contraria sunt? nequaquam. Nam à Cleone 1. Argonaut. si Natali in Mytholog. credimus, proditum fuit, veteres superis sacrificantes, resupinatarū iugulum sursum conuertisse; cùm inferis faciebant, earūdem collum deorsùm terram versus deprimere solitos. quod & Myrtilus vbi suprà docet his verbis; εἰώθασιν οἱ ἱερεῖς τὰ ἔντομα τοῖς κάτω θεοῖς ἐναγιζόμενοι ἐν τῇ γῇ ἀποτέμνοντες τὰς κεφαλάς· οὕτω γὰρ θύουσι τοῖς ὑποχθονίοις· τοῖς δὲ οὐρανίοις ἄνω ἀναστρέφουσι τῶν ἱερείων τὸν τράχηλον σφάζοντες. Rectè ergo Virgilius dixit *suppositi*, cùm loquatur de inferorum sacrificio, quo culter quodammodo victimæ iugulo supponebatur: quare & lib. 6. Aeneid. *Supponunt alij cultros.* — rectè etiam noster dixit *imposito*, cùm agat de superorum sacrificio, quo culter hostiæ collo quasi imponebatur. Vnde apparet verissimam esse optimi mei cod. scripturam.

347 *Viuus per ipsam.* vide num meliùs in vno libro scripto habeatur, *huius per ipsam.* fit enim de tauro & iuuenca sermo; atque de altero eorum sequenti carmine dicitur, *huius exiguo.*

355 *Nouusq;* quidam libri antiqui habent *nouusq;*.

360 *En capita paribus.* T. Liuius, Valerius, & Plutarchus affirmant M. Marcello Deorum voluntatem exploranti, eo qui necē præcessit die, primæ hostiæ iecur non apparuisse, secundam iocinoris caput duplex habuisse.

361 *Abscondit.* existimabant iocinoris caput non apparens graue Imperatori aut Reipub. infortunium portendere. Iul. Obsequens in lib. de prodigiis; Q. Metello & T. Didio (*vulgò malè habetur, Tullio Didio*) consulibus, apud ædem Apollinis Xviris immolantibus, caput iocinoris non apparuisse. accidit hoc ipsum Postumio, Catoni, Herennio, & Lucilio Lupo. Arrianus lib. 7. histor. Alex. scribit Pythagoram, antequam

Hostile valido robore insurgit latus,
Septemq́; venas tendit; has omnes retro
Probibens reuerti limes obliquus secat.
Mutatus ordo est, sede nil propriâ iacet,
Sed acta retro cuncta. non animæ capax
In parte dextrâ pulmo sanguineus iacet:
Non læua cordis regio: non molli ambitu
Omenta pingues viscerum obtendunt sinus:
Natura versa est, nulla lex vtero manet.
TIR. *Scrutemur vnde tantus hic extis rigor?*
MAN. *Quod hoc nefas? conceptus innuptæ bouis,*
Nec more solito positus, alieno in loco
Implet parentem, membra cum gemitu mouet,
Tremulo rigore debiles artus micant,
Infecit atras liuidus fibras cruor,
Tentantq́; turpes mobilem trunci gradum,
Et inane surgit corpus, ac sacros petit
Cornu ministros, viscera effugiunt manu.
Neque ipsa, quæ te pepulit, armenti grauis
Vox est, nec vsquam territi resonant greges.
Immugit aris ignis, & trepidant foci.
OED. *Quid ista sacri signa terrifici ferant,*
Exprome: voces aure non timida hauriam.
Solent suprema facere securos mala.
TIR. *His inuidebis, quibus opem quæris, malis.*
OED. *Memora, quod vnum scire cælicolæ volunt,*
Contaminarit rege quis cæso manus.
TIR. *Nec alta cæli, pinna quæ leuis secat,*
Nec fibra viuis rapta pectoribus potest
Ciêre nomen: alia tentanda est via.
Ipse euocandus noctis æternæ plagis
Emissus Erebo; vt cædis auctorem indicet.
Reseranda tellus, Ditis implacabile
Numen precandum, populus infernæ Stygis
Huc extrahendus. ede, cui mandes sacrum:
Nam te, penes quem summa regnorum est, nefas
Inuisere vmbras. OED. *Te Creo hic poscit labor,*
Ad quem secundum regna respiciunt mea.
TIR. *Dum nos profundæ claustra laxamus Stygis:*
Populare Bacchi laudibus carmen sonet.

CHO-

Alexander obiret, hostiam immolasse, & sine capite iecur inuentum; idemque illi contigisse pro Ephestione & Perdicca sacrificanti; qui omnes statim pòst mortui sunt.

363 *Hostile valido.* summo artificio poëta totam OEdipi & filiorum historiam prodigiis istis texit. Ait:

Iuuenca ferro semet imposito induit
Et vulnere vno cecidit.

nam Iocasta seipsam vno ictu traiecit, & confestim exspirauit. quare Manto subiungit:

Huius per ipsam, qua patet pectus, viam
Effusus amnis: huius exiguo graues
Maculantur ictus imbre sed versus retro
Per ora multus sanguis atq; oculos redit.

quia scilicet OEdipus, antè effossis sibi oculis, nō nisi maximis miseriis perfunctus obiit. Quoniam verò Polynices & Eteocles, vter rex foret pugnantes, mutuis vulneribus ceciderunt, addit:

En capita paribus bina consurgunt toris:
Sed vtrumq; cæsum tenuis abscōdit caput
Membrana——

Eteoclem iuuabant sui ciues, Polynici cùm magnis copiis adfuerūt sex fortissimi duces; quorum nulli, excepto Adrasto, contigit in patriam redire, sed ante Thebas omnes occubuerunt. hoc portendunt ista;

Hostile valido robore insurgit latus,
Septemq́; venas tendit: has omnes retro
Probibens reuerti limes obliquus secat.

Iam per illud:

——latebram rebus occultis negans.

indicat parricidiū & incæstum OEdipi cunctis nota fore. Reliqua porrò significant omnium rerum confusionem & perturbationem Thebis Bœotiis, ac potissimùm OEdipi regiæ imminere.

380 *Viscera effugiunt manu* quidam cod. scripti, *manum.*

382 *Fugiunt.* o.v.l. *resonant.*

386 *Solent suprema facere securos mala.* suprema dicit grauissima vel vltima, vltimaque potiùs. huic sententiæ similis est illa superior: *Fortem vicina facit libertas senem.* quo spectat inprimis quod de Solone ac Pisistrato, Castritio & Considio Sebastianus Corradus obseruauit, in Cōmentariis in Ciceronis Brutum pag. 36. edition. Florentinæ. Porrò hîc in membranis non *suprema*, sed *extrema habetur*, & infra versu 389. *contaminauit*, pro *contaminarit.*

402 *Populare.* sollemne populo nostro è quo Bacchus fuit. populare enim de toto populo dicitur, non de vico vno vel platea, vt quidam somniant. sic popularis actio, popularia iudicia, popularia interdicta. vnde apud Comicos frequenter populares vocantur ciues. vt apud Terentium Phorm. actu 1. sce. 1. *Amicus summus meus & popularis Geta.* Nam eo loci Dauus innuit Getam eiusdem

ciuitatis esse cuius ipse sit, hoc est, vt ita dicam, conciuem suum, respiciendo non ad præsens tempus, sed ad præteritum. quamuis enim tunc cùm seruiebant seruitutem, neuter eorum ciuis erat, ante seruitutem tamen eiusdem ciuitatis ciues esse potuerunt. & hoc quidem plus mihi satisfacit, quàm quæ alij de populis Getarum & Dacorum, vel de plateæ vnius incolis seu vicinis cōminiscuntur. Eodem sensu populares dixit Vlpian. in l. 1. §. quies, D. de ,, offic. præfect. vrb. Quies quoque popularium & disciplina spectaculorum ad Præfecti vrbi curam pertinere vi- ,, detur. Si plura cupis de popularis significatione, vide Turneb. in aduersar. Catancum in lib. 1. epist. Plinij epist. 2. Beroaldum in lib. 7. Apulei de asino, Nannium Miscell. lib. 2. & Orosciumad d. l. 1. num. 3.

CHORVS.

Versus Hexametri, Trochaici, Choriambici, Iambici, Dactylici, Sapphici, Anapæstici, puri & impuri, integri & mutilati, & aliquot syllabis superflui.

Effusam redimite comam nutante corymbo,
Mollia Nisæis armati brachia Thyrsis.
Lucidum cæli decus, huc ades votis,
Quæ tibi nobiles Thebæ Bacche tuæ
Palmis supplicibus ferunt:
Huc aduerte fauens virgineum caput:
Vultu sidereo discute nubila,
Et tristes Erebi minas,
Auidumq́ fatum. te decet vernis comam
Cingi floribus.
Te caput Tyriâ cohibere mitrâ,
Ederáve mollem Bacchiferâ
Religare frontem,
Spargere effusos sine lege crines,
Rursus adducto reuocare nodo:
Qualis, iratam metuens nouercam
Creueras, falsos imitatus artus,
Crine flauenti simulata virgo,
Luteam vestem retinente zona:
Vnde tam molles placuere cultus,
Et sinus laxi, fluidumq́ syrma?
Vidit aurato residere curru,
Veste cùm longa tegeres leones,
Omnis Eoæ plaga vasta terræ,
Qui bibit Gangem, niueumq́ quisquis
Frangit Araxem.
Te senior turpi sequitur Silenus asella,
Turgida pampineis redimitus tempora sertis,
Condita lasciui deducunt orgia mystæ.

Te

403 *Redimite comam nutante corymbo.* Dionysius Afer;

ὀρνύμεναι πλήθουσι κατ' οὖρον ἱερὸν Βάκχῳ
στεψάμεναι· κισσοῖο μελαμφύλλοισι κορύμ-
βοις
ἐνύχιαι ——

404 *Thyrsis.* apud Euripidem, in Bacchis, ait Bacchus;

Θύρσον τε δοὺς εἰς χεῖρα κίσσινον μέλος.

408 *Virgineum caput.* Ouid. 4. Metam.

—— tibi cùm sine cornibus adstas
Virgineum caput est ——

& alius, nescio qui;

Trahit figuram virginis tener Bacchus.

409 *Vultu sidereo.* formosi, quæque in iis erant speciosiora, sideribus passim comparantur. Seneca:

Hæc illa facies igne sidereo micans.

Item:

Qui modò paterni certus imperij comes
Et certus heres siderum fulsit modo.

& alibi: *—— puer*
Modo sidus orbis ——

Virgilius Aeneid. 8.

Qualis vbi Oceani perfusus Lucifer vnda, &c.

Ouid. 2. Metam. de cadente Phaetonte;

Fertur, vt interdum de cælo stella sereno.

& alibi;

—— geminum ceu lumina sidus.

Item:

—— oculiq́ tui quibus ignea cedunt
Sidera ——

idem quodam loco Ceycem sidereum vocat, quemadmodum postea Claudianus serenæ vlnas sidereas appellauit.

414 *Ederáve.* teste Homero Bacchus edera coronabatur. Demarchus Dionysiacorum 9.

τὸν μὲν ὑπερκύψαντα θεηλυτέος τοκετοῖο
σύμμιγα κισσήεντι λεχωΐδος ἔστεφον ὧραι.

Fingitur autem Bacchus coronari, quia vapores è vini potu immoderato nati, capitis dolorem excitant.

421 *Luteam vestē.* in mēbranis continetur:

Lutea vestem retinente zona,
Inde tam molles &c.

425 *Veste cùm longa tegeres leones.* nō displicet, *tegeres leones.* quod inuenitur in scriptis libris. 422 *Vnde tam molles placuere cultus.* Origines lib. 3. contra Celsum, tradit Bacchum muliebri habitu amictum esse, vocatque Mænalam. 429 *-- Senior turpi sequitur Silenus asello.* Ouid. Metamor. 4.
– Bacchæ Satyriq́ sequuntur, Quiq́ senex ferula titubantes ebrius artus Sustinet, & pando non fortiter hæret asello.

Te Bassaridum comitata cohors:
Nunc Edoni pede pulsauit
Sola Pangæi; nunc Threicio
Vertice Pindi, nunc Cadmeas
Inter matres impia Mænas
Comes Ogygio vênit Iaccho,
Nebride sacrâ præcincta latus.
Tibi commota pectora matres
Fudere comam, thyrsumq́; leuem
Vibrante manu, iam post laceros
Pentheos artus Thyades œstro
Membra remissæ, velut ignotum
Videre nefas.
Ponti regna tenet nitidi matertera Bacchi,
Nereidumq́; choris Cadmeia cingitur Ino.
Ius habet in fluctus magni puer aduena ponti,
Cognatus Bacchi, numen non vile Palæmon.
Te Tyrrhena puer rapuit manus,
Et tumidum Nereus posuit mare,
Cærula cum pratis mutat freta.
Hinc verno Platanus folio viret,
Et Phœbo laurus carum nemus.
Garrula per ramos auis obstrepit,
Viuaces ederas ramus tenet,
Summa ligat vitis carchesia,
Idæus prorâ fremuit leo,
Tigris puppe sedet Gangetica;
Tum pirata freto pauidus natat,
Et noua demersos facies habet:
Brachia prima cadunt prædonibus,
Illisumq́; vtero pectus coit:
Paruula dependet lateri manus,
Et dorso fluctum curuo subit,
Lunatâ scindit caudâ mare,
Et sequitur curuus fugientia carbasa delphin.
Diuite Pactolus vexit te Lydius vnda,
Aurea torrenti deducens flumina ripâ.
Laxauit victos arcus, Geticasq́; sagittas
Lactea Massagetes qui pocula sanguine miscet,
Regna securigeri Bacchum sensere Lycurgi.

† 470 *Lactea Massagetes qui pocula sanguine miscet.* videtur secutus Dionysium Carthaginiensem, qui ἐν τῇ οἰκουμ. περιηγ. cecinit:

τοὺς δὲ μετ' ἀντιπέρηθε, πέρην κελάδοντος Ἀράξω
Μασσαγέται ναίουσι, θοῶν ῥυτῆρες ὀϊστῶν·
ἀνέρες οἷς μετ' αὐτὸ, ἰγὼ, μηδ' ὅστις ἐπαῖρος·

Sileni Mythologiam docet Natalis libro 5. Mytholog. cap. 8. Silenos Nicandri scholiastes in Alexipharm. dici tradi: ἀπὸ τοῦ σιλλαίνειν, ὅ ἐστι λοιδορεῖν, & eosdem appellari satyros: cui repugnat Nonnus, eos distinguēs his verbis:

καὶ λασίων σατύρων κεντωπειδὴς αἰγμα γλυφίδης,
σιληνῶν τε φάλαγγα, &c.

432 *Bassaridum.* harum nomina habes apud Nonnum Dionys. ιδ'.

446 *Cadmeia.* Sic Claudianus:
—— *Cadmeia ludit*
Leucothoë ——

De Ino seu Leucothoë multa Pausanias in Atticis, & Natalis libro 9 Mytholog cap. 4.

454 *Garrula auis.* quidam ait:
Aues canoros garrulæ fundunt sonos,
Et semper auras cantibus mulcent suis.

455 *Viuaces.* quæ iuge virentes, ne hieme quidem decus suum amittunt.

456 *Carchesia.* mali partem summã. Cinna, in Smyrna:
Atque anquina regit stabilem firmissima cursum.
Lucida quà fulgēt summi carchesia mali.
sic hæc carmina, apud Grammaticos diuersis locis sparsa, videntur posse conglutinari. Guilhel. Philander in commen. Vitruuij lib. 10. Mali, inquit, vt id addam ex Macrobij Saturnal. lib. 5 pars inferior, pterna; pars media, trachelō; pars summa carchesion dicitur.

457 *Idæus.* Claudianus:
Verberat Idæos torua cum matre leones.

459 *Dum pirata.* v. l. emendatiùs. *tū pirata.*

461 *Brachia prima.* hoc carminis genere vsus fuit Pomponius Secundus, apud Terentianum his verbis:
Pendeat ex humero dulcis chelys
Et numeros edat varios; quibus
Assonet omne virens latè nemus
Et tortis errans qui flexibus.

463 *Paruula dependet lateri manus.* Ouidius Metamorph. 3. hanc rem fusiùs expressit, hoc modo:
In spacium resilire manus breue vidit, & illas
Iam non esse manus, iam pinnas posse vocari.

465 *Lunata scindit cauda mare.* Ouidius,
—— *falcata nouissima cauda est:*
Qualia dimidiæ sinuantur cornua lunæ.

Bacchi gesta Natalis lib. 5. Mytholog. cap. 13. morali Philosophiæ non infeliciter accommodauit, naturali, Pierius lib 27. Hieroglyph.

Sensere terræ Zedacum feroces,
Et quos vicinus Boreas ferit
Arua mutantes; quasq́; Mæotis
Alluit gentes frigida fluctu;
Quasq́; despectat vertice summo
Sidus Arcadium, geminumq́; plaustrum.
Ille dispersos domuit Gelonos,
Arma detraxit trucibus puellis,
Ore deiecto petiere terram
Thermodontiacæ graues cateruæ,
Positis tandem leuibus sagittis,
Mites factæ. sacer & Cytharon
Sanguine inundauit,
Ophioniaq́; cæde.
Prætides siluas petiere, & agros,
Præsidem Bacchum coluit nouerca.
Naxos Ægeo redimita ponto,
Tradidit thalamis virginem relictam,
Meliore pensans damna marito.
Pumice sicco
Fluxit Nyctileus latex.
Garruli gramen secuere riui,
Combibit dulces humus alta sucos,
Niueiq́; lactis candidos fontes
Mistaq́; odoro Lesbya cum thymo.

Duci-

ἐμπλᾶνται· μάλα γάρ τι κακοξεινώτεροι ἄλλων·
οὐ γάρ σφιν σῖτος μελίφρων οὔτ' ἐπὶ ἐδωδή,
οὐδὲ μὲν οὐδ' οἶνος μεταδήμιος· ἀλλὰ γὰρ ἵππων
αἵματι μίσγοντες λευκὸν γάλα, δαῖτα τίθενται.

Rhemnius Fannius:

Post hos Massagetæ, post flumen Araxis, ad ortum
Hospitibus sæui cunctis belloq́; feroces,
Non Bacchi donum, Cereris nec munera norunt:
Sed lac commistum potant cum sanguine equino.

472 *Zedacum.* in emendationibus Solini cap. 52. nu. 3. monui, hîc legendum esse *Zacarum.* in qua sententia adhuc sum. malè in v. l. continetur *Zadacum.*

486 *Prætides.* Prœti filiæ cùm se Iunone formosiores esse iactitarent, numinis ira in eum errorem inciderunt, vt sibi ipsis vaccæ viderentur, & aratra metuentes agricolas fugerent, vt docent Seruius in Virgil. eclog. 6. & Luctatius in lib. 3. Thebaid. Papinij. has postmodum Melampus purgauit, & purgamina in Clytorium proiecit, vt tradit Ouid. vlt. Metamorph. Eudoxus ἐν ἕκτῃ γῆς περιόδου apud Stephanum: ἔστι κρήνη τῆς Ἀζανίας, ἣ τοὺς γευσαμένους τοῦ ὕδατος ποιεῖ μηδὲ τὴν ὀσμὴν τοῦ οἴνου ἀνέχεσθαι. εἰς ἣν λέγουσι Μελάμποδα, ὅτε τὰς Προιτίδας ἐκάθαιρεν, ἐμβαλεῖν τὰ ἀποκαθάρματα. Scribendum *Prœtides*, non *Prætides*, docet etiam epigramma iuxta Clytorium lapidi incisum, quod tale fuisse refert M. Pollio;

φεῦγε δ' ἐμὴν πηγὴν μισάμπελον ἔνθα Μελάμπους,
λυσάμενος λύσσης Προιτίδας ἀργαλέης.

489 *Virginem relictam.* Ariadne à Theseo in Naxo deserta, ibidem Baccho nupsit: qua in re tamen non satis Plutarchus in Theseo & Nonnus Dionys. μζ'. conueniunt. ex ea autem fabula vitę vtilia documenta, quamuis à Poëtarum mente prorsus aliena eliciuntur. Cùm Ariadnes opera Theseum ex Dædaleo Labyrintho ereptum legimus: monemur inimicis nostris nō bene velle tantùm, sed etiam prodesse, quamuis enim illi acceptorum beneficiorum immemores, neque habeant neque agant gratias, sed oblata occasione pro beneficio iniuriā referant, pro accepta vita mortem inferre conentur; est tamē Deus Opt. Max qui nos ex calamitatibus eripiet, cuius auxilio miserias superabimus, à quo larga manu cum fœnore gratia referetur. Quoniā ille, quæ eius est clementia & æquitas, quæcūque in alios beneficia conferimus, tanquam in se collata forent, accepta habebit, & pro iis veræ beatitudinis mercedem nobis persoluet, ac nos florentissima corona munerabitur immortalibus contexta floribus,

Quos neque frigoribus boreas, nec Sirius vret
Æstibus ——

hoc illud nimirum est, quod Ariadne Baccho, (qui à soluendis curis Lyæus, à misericordia Eleleus Græcis dicitur) matrimonio iuncta & corona eius in cælum translata significat.

490 *Meliore.* sic Ouidius.

Illa nec inuideo, fruitur meliore marito.

491 *Pumice sicco.* Euripides in Bacchis:

θύρσον δέ τις λαβοῦσ', ἔπαισεν εἰς πέτραν,
ὅθεν δροσώδης ὕδατος ἐκπηδᾷ νοτίς.
ἄλλη δὲ νάρθηκ' εἰς πέδον καθῆκε γῆς,
καὶ τῇδε κρήνην ἐξανῆκ' οἴνου θεός.

idem testatur Nonnus Dionysiac. μά.

492 *Nyctileus latex.* vinum, quia Bacchus ipse Nyctileus vocatur. Ouid. Metam. 4.

——*Bacchumq́; vocant, Bromiumq́; Lyæumq́;*
Ignigenamq́; satumq́; iterum, solumq́; bimatrem,
Additur his Nyseusq́;, indetonsusq́; Thyoneus,
Et cum Lenæo genialis consitor vuæ,
Nyctileusq́;, Eleleusq́; parens, & Iacchus & Euan,
Et quæ præterea per Graias plurima gentes
Nomina Liber habes——

493 *Garruli gramen secuêre riui.* ait hoc versu & duobus sequentibus Bacchum aquam, mel & lac è terra

Ducitur magno noua nupta cælo:
Solenne Phœbus carmen
Edit infusis humero capillis.
Concutit tædas geminus Cupido,
Telum deposuit Iuppiter igneum,
Condidit Baccho veniente fulmen.
Lucida dum current annosi sidera mundi;
Oceanus clausum dum fluctibus ambiet orbem;
Lunaq́ dimissos dum plena recolliget ignes;
Dum matutinos prædicet Lucifer ortus;
Altaq́ cæruleum dum Nerea nesciet arctos;
Candida formosi venerabimur ora Lyæi.

ACTVS TERTIVS.

OEDIPVS. CREO.

OED. *Etsi ipse vultus flebiles præfert notas,*
Exprome cuius capite placemus deos.
CR. *Fari iubes, tacere quæ suadet metus.*
OED. *Si te ruentes non satis Thebæ mouent,*
At sceptra moueant lapsa cognatæ domus.
CR. *Nescisse cupies, nosse quæ nimium expetis.*
OED. *Iners malorum remedium ignorantia est.*
Itan' & salutis publicæ indicium obrues?
CR. *Vbi turpis est medicina, sanari piget.*
OED. *Audita fare, vel malo domitus graui,*
Quid arma possint regis irati scies.
CR. *Odere reges dicta, quæ dici iubent.*
OED. *Mitteris Erebo vile pro cunctis caput,*
Arcana sacri voce ni retegis tuâ.
CR. *Tacere liceat: nulla libertas minor*
A rege petitur. OED. *Sæpe vel linguâ, magis*
Regi atque regno muta libertas obest.
CR. *Vbi non licet tacere, quid cuiquam licet?*
OED. *Imperia soluit, qui tacet, iussus loqui.*
CR. *Coacta verba placidus accipias precor.*
OED. *Vlline pœna vocis expressæ fuit?*
CR. *Est procul ab vrbe lucus, ilicibus niger,*
Dircea circa vallis irrigua loca.
Cupressus altis exserens siluis caput
Virente semper alligat trunco nemus:
Curuosq́ tendit quercus & putres situ
Annosa ramos: huius abrupit latus
Edax vetustas: illa iam fessâ cadens
Radice, fulta pendet aliena trabe.

elicuisse. de aqua ex Euripide suprà diximus; de melle & lacte idem in Bacchis testatur:

ὅσαις δὲ λευκοῦ πώματος πόθος παρῆν,
ἄκροισι δακτύλοισι διαμῶσαι χθόνα,
γάλακτος ἑσμοὺς εἶχον. ἐκ δὲ κισσίνων
θύρσων γλυκεῖαι μέλιτος ἔσταζον ῥοαί.

508 *Lyæi.* Bacchi. Ennius, in Athamante:

His erat in ore Bromius, his Bacchus pater,
Illis Lyæus vitis inuentor sacræ.
Tum pariter Euan, Euius,
Ignotus iuuenum cœtus alterna vice
Inibat alacris Bacchico insultans modo.

520 *Odêre reges dicta, quæ dici iubent.* nihil verius. vbique enim, & maximè in aulis principum, *Obsequium amicos, veritas odium parit:* & vt ait Satyric. *Accusator erit, qui verum dixerit.* Fl. Vopiscus in Aureliano refert Diocletianum dicere solitum, Imperatorem vera nescire. accidit hoc ipsorum Imperatorum vitio, qui magis impuro illo parasitorum grege, quàm viris bonis & prudentibus delectantur. exempla suppeditant, & de hac re multa Volaterranus Philolog. lib. 28. & Hieron. Cagnolus de vita boni principis nu. 96. cum seq. & Vasquius Menchacensis de succession. creatione, tomo 3. circa finem.

524 *Sæpe vel lingua.* non assentior reponentibus; *sæpe quam lingua.* nam legendo *vel*, vt in o. vulgatis legitur, eadem erit sententia quam ipsi constituunt, & *lingua* auferendi casu sumetur. præterea in v. l. habetur *vili lingua* & *vili* ad *vel* proximè accedit, à *quam* abest longissimè. demum sic sumitur *vel*, initio Thebaid.

—— vel sic desere infaustum patrem.

& in extremo Oedipo;

—— profuge iamdudum ocyus
Vel ad parentes ——

T. Liuius lib. 2. ne Romana plebs metu perculsa, receptis in vrbem regibus, vel cum seruitute pacem acciperet. Non dissimulabo in Badiano cod legi; *Sæpe quam lingua magis:* sed ille codex mendis scatet, vt & antiqua Caietani Veneta editio. & imperiti librarij *quam* reposuerunt, cùm *vel* non intelligerent: aut sanè cùm *vili* mendosum viderent, non aliud illis occurrit quod eius loco statuerent.

535 *Abrupit latus* membratim, *abrupit*.

Amara baccis laurus, & tiliæ leues,
Et Paphia myrtus, & per immensum mare
Motura remos alnus, & Phœbo obuia
Enode zephyris pinus opponens latus.
Medio stat ingens arbor, atque vmbrâ graui
Siluas minores vrget, & magno ambitu
Diffusa ramis vna defendit nemus.
Tristis sub illâ, lucis & Phœbi inscius,
Restagnat humor, frigore æterno rigens.
Limosa pigrum circuit fontem palus.
Huc vt sacerdos intulit senior gradum,
Haud est moratus, præstitit noctem locus,
Tunc fossa tellus, & super rapti rogis
Iaciuntur ignes. ipse funesto integit
Vates amictu corpus, & frontem quatit:
Lugubris imos palla perfundit pedes:
Squallente cultu mœstus ingreditur senex:
Mortifera canam taxus astringit comam,
Nigro bidentes vellere, atque atræ boues
Retro trahuntur, flamma prædatur dapes,
Viuumq; trepidat igne ferali pecus.
Vocat inde manes, teq; qui manes regis,
Et obsidentem claustra letalis lacus:
Carmenq; magicum voluit, & rapido minax
Decantat ore, quicquid aut placat leues
Aut cogit vmbras: irrigat sanguis focos:
Solidasq; pecudes vrit, & multo specum
Saturat cruore: libat & niueum insuper
Lactis liquorem, fundit & Bacchum manu
Læuâ,

538 *Amara baccis laurus.* δαφνίδες, testibus Dioscoride, Matthiolo, & Ruellio, desiccant & excalfaciunt, eoque potentiùs quo sunt amariores. ideo Columella;

Rutaq; Palladia bacca victura saporem.

tunc enim ruta excellit, cùm amarissima est.

Tiliæ leues sic Virg. 2. Georg.

—— nec tiliæ leues.

539 *Paphia myrtus.* à Virgilio dicto loco sumtum epithetum.

541 *Enode.* sic Ouidius;

Enodisq; abies ——

Sic Claudianus;

Et magis enodes properat prosternere cedros.

544 *Diffusa ramis.* Cicero, in trium senatorum qui apud illum de studio disserunt eloquentiæ disputationis initio: Nam hæc, inquit, me tua platanus admonuit, quæ non minùs ad opacandum hunc locum patulis est diffusa ramis, quàm illa, &c.

549 *Præstitit noctem locus,* hoc dicit, quia inferis occidente sole fiebat, vt superis oriente. Callixenus Rhodius: τοῖς μὲν οὖν κατοιχομένοις, περὶ τοῦ ἡλίου δυσμὰς ἐναγίζομεν· τοῖς δὲ οὐρανίδαις, ὑπὸ τὴν ἕω τοῦ ἡλίου ἀνατέλλοντος ἱερ σύομεν.

550 *Tunc fossa tellus.* de scrobe seu specu loquitur effodi sólito. Homer. Odyss. κ'.

βόθρον ὀρύξαι ὅσον τε πυγούσιον ἔνθα καὶ ἔνθα.

Apollonius Argonaut. γ'.

πηχυίον δ' ἄρ' ἔπειτα πέδῳ ἔνι βόθρον ὀρύξας
νήησε σχίζας, &c.

Harum meminit Lucianus, in Charonte, & Ouid. 7. Metamorph.

551 *Funesto integit.* inferis sacrificantes nigris vestibus amiciebantur.

556 *Nigro bidentes vellere.* Inferis nigras victimas cædi consueuisse docent præcepta Apollinis apud Eusebium, Euangel. præparat. lib. 4. & Virgilius Aeneid. 6.

557 *Retro trahuntur.* hoc, quemadmodum superiorum pleraque, necnon sequentia ferè omnia, ab Homero Odyss. λ'. mutuatus videtur.

561 *Carmenq; magicum.* Ouid. 7. Metamorph.

Verba simul fundit ——

563 *Irrigat sanguis focos.* vidi qui legerent; *sanguinē libat focis.* eleganter quidem & admodū accommodatè, sed contra o. v. l. & codicum Parisiis, Venetiis, Lugduni, Compluti, Antuerpiæ, & Basileæ excusorum auctoritatem.

564 *Solidasq;* nam in hoc sacrificio hostia integra comburebatur. Virg. A Eneid. 6.

Et solida imponit taurorum viscera flammis.

Multo specum Saturat cruore.

Ouidius;

—— patulas perfudit sanguine fossas.

565 *Libat & niueum insuper Lactis liquorem.* Ouidius ait;

Alteraq; inuergens tepidi carchesia lactis.

Euripides, in Oreste:

μελίκρατ' ἄφες γάλακτος οἰνωπόν τ' ἄχνην.

Virgilius A Eneid. 3.

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte.

Silius: *Fundunt mella super, Bacchiq; & lactis honorem.*

566 *Fundit & Bacchum manu.* Ouidius:

Tum super inuergens liquidi carchesia Bacchi.

Homerus Odyss. λ'.

πρῶτα μελικρήτῳ, μετέπειτα δὲ ἡδέϊ οἴνῳ,
τὸ τρίτον αὖθ' ὕδατι ——

igitur etiam aqua inuergebatur cum mulso, vino, & lacte. aliquando etiam victimæ exta oleo perfundebantur. Virgilius:

Pingue superq; oleum fundens fumantibus extis.

Læuâ, canitq; rursus, & terram intuens
Grauiore manes voce, & attonita, ciet.
Latrauit Hecates turba, ter valles caua
Sonuere mæstum, tota succusso solo
Pulsata tellus. audior, vates ait,
Rata verba fudi. rumpitur cæcum chaos,
Iterq; populis Ditis ad superos datur.
Subsedit omnis silua, & erexit comam,
Duxere rimas robora, & totum nemus
Concußit horror: terra se retro dedit,
Gemuitq; penitus: siue tentari abditum
Acheron profundum mente non æquâ tulit:
Siue ipsa tellus, vt daret functis viam,
Compage ruptâ sonuit: aut ira furens
Triceps catenas Cerberus mouit graues.
Subitò dehiscit terra, & immenso sinu
Laxata patuit. ipse pallentes deos
Vidi inter vmbras; ipse torpentes lacus,
Noctemq; veram: gelidus in venis stetit
Hæsitq; sanguis: sæua prosiluit cohors,
Et stetit in armis omne vipereum genus
Fratrum, cateruæ dente Dircæo satæ,
Auidumq; populi Pestis Ogygij malum.
Tum torua Erinnys sonuit, & cæcus furor
Horrorq;, & vnà quicquid æternæ creant
Cælantq; tenebræ: Luctus auellens comam,
Ægreq; lapsum sustinens Morbus caput,
Grauis Senectus sibimet, & pendens Metus.
Nos liquit animus. ipsa, quæ ritus senis
Artesq; norat, stupuit: intrepidus parens,
Audaxq; damno, conuocat Ditis feri
Exsangue vulgus: ilico vt nebulæ leues
Volitant, & auras libero cælo trahunt.
Non tot caducas educat frondes Eryx,
Nec vere flores Hybla tot medio creat,
Cùm examen alto nectitur densum globo:
Fluctusq; non tot frangit Ionium mare,
Nec tanta gelidi Strymonis fugiens minas
Permutat hiemes ales, & cælum secans,
Tepente Nilo pensat Arctoas niues:
Quot ille populos vatis eduxit sonus.
Pauidæ latebras nemoris vmbrosi petunt
Animæ trementes. primus emergit solo,
Dextrâ ferocem cornibus taurum premens

569 *Latrauit Hecates turba.* quando Hecate malis coacta carminibus aduentabat, latratus & vlulatus canum exaudiebantur. noster Thyeste;

Sæpe latratu nemus trino remugit.

& Medea;

Ter latratus Hecate dedit ——

Apollonius:

—— πέριξ δέ μιν ἐστεφάνωντο
σμερδαλέοι δρυΐνοισι μετὰ πτόρθοισι δράκοντες,
στράπτε δ' ἀπειρέσιον δαΐδων σέλας, ἀμφὶ δὲ τήν γε
ὀξείῃ ὑλακῇ χθόνιοι κύνες ἐφθέγγοντο.

adde quæ dixi in Medea.

Tum valles caua. sic in vno cod. impresso habetur; ceteri & lib. scripti habẽt, *ter valles caua.* quę lectio sincera est. Non obstat quod Ascensius adfert, inferis non imparem, sed parem numerum sacrum esse. noster Poëta namque ea in re non valde religiosus fuit, in Thyeste & Medea, quemadmodum nec Virgilius Georg. 4.

581 *Triceps Cerberus.* Hesiodus Cerbero quinquaginta capita tribuit, Horatius & Izacius centum. Seneca Sophoclem, Apollodorũ, Ciceronem, Tibullũ, & alios sequitur.

593 *Lapsum.* quidam antiqui libri habent *lassum.*

597 *Damno.* orbitate oculorum. timuisset enim & ipse si ea vidisset.

600 *Non tot caducas.* hanc cõparationem multi vsurparunt. Homer. Iliad. β'.

ἔσταν δ' ἐν λειμῶνι Σκαμανδρίῳ ἀνθεμόεντι
μυρίοι ὅσσα τε φύλλα καὶ ἄνθεα γίνεται ὥρῃ.

Virgilius Aeneid. 6.

Quàm multa in siluis auctumni frigore primo
Lapsa cadunt folia.

Claudian. lib. 2. de raptu:

Conueniunt animæ quantas violentior auster
Decutit arboribus frondes ——

605 *Ales.* grus. Virgilius:

—— aut ad terram gurgite ab alto
Quàm multæ glomerantur aues; vbi frigidus annus
Trans pontum fugat, & terris immittit apricis.

Lucanus lib. 5.

Strymona sic gelidum, bruma pellente, relinquunt
Potura te Nile grues ——

Claudianus, de bello Gildonico:

Pendula ceu paruis motura bella colonis,
Ingenti clangore grues æstiua relinquunt
Thracia, cùm tepido permutant Strymona Nilo.

Zetus: manuq; sustinet læuâ chelym,
Qui saxa dulci traxit Amphion sono.
Interq; natos Tantalis tandem suos,
Tutò superba fert caput fastu graui,
Et numerat vmbras: peior hac genitrix adest
Furibunda Agaue, tota quam sequitur manus
Partita regem. sequitur & Bacchas, lacer
Pentheus, tenetq; sæuus etiam nunc minas.
Tandem vocatus sæpe pudibundum extulit
Caput, atque ab omni desidet turbâ procul,
Celatq; semet. instat, & Stygias preces
Geminat sacerdos, donec in apertum efferat
Vultus opertos Laius. fari horreo,
Stetit per artus sanguine effuso horridus,
Pædore fœdo squallidam obtectus comam,
Et ore rabido fatur: ô Cadmi effera,
Cruore semper læta cognato domus
Vibrate thyrsos: entheâ gnatos manu
Lacerate potiùs. maximum Thebis scelus
Maternus amor est. patria non ira deûm,
Sed scelere raperis. non graui flatu tibi
Luctificus auster, nec parum pluuio æthere
Satiata tellus halitu sicco nocet:
Sed rex cruentus, præmia qui sæua necis
Sceptra, & nefandos occupat thalamos patris,
Inuisa proles: sed tamen peior parens,
Quàm gnatus; vtero rursus infausto grauis,
Egit qui in ortus semet, & matri impios
Fœtus regeßit: quiq; (vix mos est feris)
Fratres sibi ipse genuit, implicitum malum,
Magisq; monstrum Sphinge perplexum sua.
Te te, cruentâ sceptra qui dextrâ geris,
Te pater inultus, vrbe cum totâ, petam,
Et mecum Erinnes pronubas thalami traham,
Traham sonantes verbera, incestam domum
Vertam, & penates impio Marte obteram.
Proinde pulsum finibus regem ocyus
Agite exulem. quacunque funesto gradu
Solum relinquet, vere florifero virens
Reparabit herbas, spiritus puros dabit,
Vitalis aura veniet, & siluis decor.
Lethum, luesq;, mors, labor, tabes, dolor,
Comitatus illo dignus, excedent simul.
Et ipse rapidis greßibus sedes volet

Effu-

611 *Zetus.* locus iste confirmat rationem quam adscripsi Thebaid. nu. 20. ex eoque ibi videatur legendum; *Zethi iuuencus.* quod tamen affirmare non audeo.

613 *Interq; natos.* vt Homerus & Propertius, duodecim; vt Euripides, Lazus Hermioneus, Apollodorus, Antipater Sidonius, & noster Seneca, quattuordecim; vt Sappho, octodecim; vt Mimnermus, Bacchylides, Pindarus, &c. teste Apollodoro, Hesiodus, viginti; vt idē Hesiodus, sibi contrarius, (nisi si fortè illa non sunt Hesiodi, vt putat Aelianus) nouemdecim; vt Alcman, decem; vt alij, teste Gellio, tradiderunt, tres; vt apud Apollodorum Herodotus, quinque.

614 *Tutò superba.* nequit enim amplius illis orbari.

615 *Peior hac.* vnus m.s. *peior at.*

651 *Siluis decor.* folia. Varro Attacinus: *Frigidus & siluis aquilo decußit honorē.*

661 *Tori iugalis.* sententia est: matrem nō duxi, quia Merope, (quam matrem suam esse credebat) adhuc matrimonio iuncta est Polybo (eum patrem suum opinabatur esse) qui quoniam adhuc viuit, patrem non interfeci; ac ne Laium quidem, qui diu mortuus fuit, priusquam Bœotiam vidi. Mentitur ergo Tiresias. at cur mentiatur vir fide dignus? quia, inquit, à Creonte ad id inductus fuit, vt me regno pulso ipse Creo rex fiat.

Effugere nostras: sed graues pedibus moras
Addam, & tenebo: reptet incertus viæ,
Baculo senili triste prætentans iter.
Præripite terras: auferam cælum pater.
OED. *Et ossa & artus gelidus inuasit tremor.*
Quicquid timebam facere, fecisse arguor.
Tori iugalis abnuit Merope nefas,
Sociata Polybo. sospes absoluit manus
Polybus meas: vterque defendit parens
Cædem, stuprumq́. quis locus culpæ est super?
Multo antè Thebæ Laium amissum gemunt,
Bœota gressu quàm meo tetigi loca.
Falsúsne senior, an Deus Thebis grauis?
Iamiam tenemus callidi socios doli.
Mentitur ista præferens fraudi deos
Vates, tibiq́ sceptra despondet mea.
CR. *Egon' vt sororem regiâ expelli velim?*
Si me fides sacrata cognati laris
Non contineret in meo certum statu:
Tamen ipsa me Fortuna terreret, nimis
Sollicita semper. liceat hoc tutò tibi
Exuere pondus, ne recedentem opprimat.
Iam te minore tutior pones loco.
OED. *Hortaris etiam, sponte deponam vt mea*
Tam grauia regna? CR. *suadeam hoc illis ego,*
In vtrumque quîs, est liber etiam nunc status:
Tibi iam necesse ferre fortunam tuam.
OED. *Certissima est regnare cupienti via,* “
Laudare modica, & ocium ac somnum sequi. “
Ab inquieto sæpe simulatur quies. “
CR. *Parúmne me tam longa defendit fides?*
OED. *Aditum nocendi perfido præstat fides.*
CR. *Solutus onere regio, regni bonis*
Fruor, domusq́ ciuium cœtu viget,
Nec vlla vicibus surgit alternis dies;
Quâ non propinqui munera ad nostros lares
Sceptri redundent; cultus, opulentæ dapes,
Donata multis gratiâ nostrâ salus,
Quid tam beatæ deesse fortunæ rear?
OED. *Quòd res secundæ non habent vnquam modum.* “
CR. *Incognita igitur vt nocens causa cadam?*
OED. *Num ratio vobis reddita est vitæ meæ?*
Num audita causa est nostra Tiresiæ? tamen

Sontes

687 *Solutus.* hoc argumentum, quo Creo conatur Oedipo fidem facere à regnandi cupiditate alienum esse se, abs Sophocle in Oedipo tyranno translatum est. quò pertinent hæc Hystiæi apud Herodotum libro quinto: τί δ᾽ ἂν ἐπιδιζήμενος, ποιέοιμι ταῦτα; τεῦ δὲ ἐνδεὴς ἐών; τῷ πάρεστι μὲν πάντα ὅσα περ σοὶ, πάντων δὲ πρὸς σέο βουλευμάτων ἐπακούειν ἀξιοῦμαι;

Sontes videmur: facitis exemplum, ſequor.
CR. *Quid ſi innocens ſum?* OED. *dubia pro certis ſolent*
Timere reges. CR. *qui pauet vanos metus,*
Veros fatetur. OED. *quiſquis in culpa fuit*
Dimiſſus, odit omne quod dubium putat.
CR. *Sic odia fiunt.* OED. *odia qui nimiũ timet,*
Regnare neſcit: regna cuſtodit metus.
CR. *Qui ſceptra duro ſæuus imperio regit,*
Timet timentes, metus in auctorem redit.
OED. *Seruate ſontem ſaxeo incluſum ſpecu,*
Ipſe ad penates regios referam gradum.

CHORVS.

Anapæſtici, Choriambici, Sappbici, Trochaici & Iambici inter ſe mixti & confuſi.

Non tu tantis cauſa periclis,
Non hæc Labdacidas premunt
Fata: ſed veteres Deûm
Iræ ſequuntur. Caſtalium nemus
Vmbram Sidonio præbuit hoſpiti,
Lauitq; Dirce Tyrios colonos:
Vt primùm magni natus Agenoris
Feſſus per orbem furta ſequi Iouis,
Sub noſtræ ramis conſtitit arboris,
Prædonem numerans ſuum,
Monituq; Phœbi iuſſus erranti
Comes iræ vaccæ; quam non flexerat
Vomer, aut tardi iuga curua plauſtri;
Deſeruit fugas, nomenq; genti
Inauſpicatâ de boue tradidit:
Tempore ex illo noua monſtra ſemper
Protulit tellus: aut anguis imis
Vallibus editus, annoſa ſupra
Robora ſibilat, ſupraq; pinus,
Supra Chaonias celſior arbores
Cæruleum erexit caput,
Cùm maiore ſui parte recumberet.
Aut fœta tellus, impio partu
Effudit arma.
Sonuit reflexo claſsicum cornu,
Lituuſq; adunco ſtridulos cantus
Eliſit ære, ante non linguas

706 *Timet timentes.* Laberius; *Neceſſe eſt multos timeat, quem multi timent.*

715 *Natus Agenoris.* totus iſte chorus ex Ouidij 3. Metam. cõmodè poterit explicari.

716 *Furta ſequi Iouis.* Ouidius:
Orbe pererrato (quis enim deprẽdere poſſet
Furta Iouis?) profugus, &c.

718 *Prædonem numerans.* alij libri continent, *prædonem memorans*; alij, *prædones memorãs.* quarum lectionum interpretationem pete à Bernardino. mihi placet prima lectio, &, *numerans prædonem*, interpretor interualla locorum, & temporis ſpatia furta Iouis ſequendo emenſa.

719 *Monituq; Phœbi.* Ouidius;
Bos tibi, Phœbus ait, ſolis occurret in aruis,
Nullũ paſſa iugũ, curuiq; immunis aratri:
Hac duce carpe viam, & qua requieuerit herba,
Mœnia fac condas, Bœotiaq; illa vocato.
Vix bene Caſtalio Cadmus deſcenderat antro,
Incuſtoditam lentè videt ire iuuencam,
Nullum ſeruitij iugum ceruice ferentem.

728 *Supra Chaonias.* Ouidius:
Ac media plus parte leues erectus in auras
Deſpicit omne nemus ——

Alias, & arma vocis ignota
Clamore primùm hostico experti,
Agmina campos cognata tenent:
Dignaq́; sacto semine proles
Vno ætatem permensa die,
Post luciferi nata meatus,
Ante Hesperios occidit ortus.
Horret tantis aduena monstris,
Populiq́; timet bella recentis,
Donec cecidit sæua iuuentus,
Genitrixq́; suo reddi gremio
Modò productos vidit alumnos.
Hâc transierit ciuile nefas:
Illa Herculeæ norint Thebæ
Prælia fratrum.
Quid Cadmei fata nepotis,
Cùm viuacis cornua cerui
Fron-

747 *Modò productos.* Ouidius:

—— exspirat modò quas acceperat auras.

Ista Cadmi fabula egregium vitæ specimen præferre videtur. Agenor Græcis virũ strenuum significat. ideoque Cadmum huius filiũ dicentes, indicarunt fortes fortibus creari, nec imbelles columbas ferocem aquilã progenerare. quippe Cadmus à paternis virtutibus non degenerauit, sed difficillimum virtutis iter ingressus fuit, vt veram gloriã, quæ summo bono cohæret, assequeretur. hæc illa est Europa, cuius inueniendæ causâ pater illum domo ablegauit. foris nimirum peregrinantes, quàm domi desidentes, rerum cognitionem assequimur. Vlysses ille tam sapiens non fuisset, nisi multorum mores hominum nouisset, nisi multas prouincias peragrasset. Summum bonum, quod quærimus, in Dei contemplatione homines sapientissimi posuerunt: ideo Europam Iuppiter fingitur rapuisse. fuit perquam arduum illam inuenire. quod cùm Cadmus præuideret, cogitans antequam quid incipiamus, consulto; & cùm cõsuluerimus, maturè facto opus esse; vtrumque præstitit. nam & Apollinem consuluit; & quæcumque iubebat, fecit diligentissimè. quo docemur omniũ virtutum præcepta à diuinis philosophiæ sanctissimæ traditionibus haurire; & quæ nesciuerimus, ex aliis discere non vereri. nescire enim non est inhonestum, sed nolle discere tam turpe est quàm quod turpissimum. Itaq. Cadmum imitabimur, cui responsum fuit, bouem ducem sequeretur. suo me hercle more Delphicus Deus, hoc est, ambiguè & obscurè, respondit. verùm, quia audere cœpi, ne hoc quidem silentio præteribo. credo dicere voluit, Cadmo in suscepto itinere multos labores exantlandos, multa pericula superanda, multa ferenda, multa facienda, sudandum algendumq́ue, priusquam optatam metam contingeret: eam ob rem animum suum continua exercitatione planè subigeret, donec fortitudinem sibi compararet; cuius ope, auxilio facillimum fuit draconem Dirces custodem superare, euulsosq́ ipsius dentes terræ mandare: hoc est, vt interpretor, fortitudini & iustitiæ temperantiam adiungere; sine quibus illa non modò laudabilis non est, sed vitij etiam ac sceleris naturam induit. Vir fortis debet ante omnia prauas animi cupiditates comprimere; quas draconem interpretor: neque hoc tantùm, sed debet etiam ex iustitiæ præceptis vnicuique suum tribuere; dentes scilicet draconis serere, & animalis maximè terrestris portionẽ non minimam terræ matri ipsius (nam hæc à poëtis monstrorum mater fingitur) restituere, hoc est, fortitudinem temperantia & iustitia condire debet. hæc illum bonis amabilem, malis inuisum reddent. vnde illorum inuidia nascetur, qui nequeunt alienam virtutem ferre. quorum vt insidias effugiat, minas, calumnias, & gladios retundat, vtq́ue ab illis latere tecto discedat, hoc opus, hic labor est non iustitia, non temperantia, non fortitudo satis illum tueri possint: accedat oportet prudentia; qua duce Cadmus noster hos viperino dente genitos terrigenas sic in semetipsos concitet, vt in suamet viscera ferrum conuertant, secum vt bellum gerant, quæ inuidiæ conditio est. nam, vt ait quidam,

Liuor tabificum malis venenum,
Intactu voras ossibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem.
Quod quisque furit, inuidetq́; sorti
Vt debet, sibi pœna semper ipse est.

nostis cetera. icciro ex draconis dentibus natos, mutuis mox vulneribus concidisse, commenti poëtæ fuerunt. propter harum verò virtutum concordiam & consensum, qui in eo erat, Cadmum Harmoniam vxorem duxisse, eaque potitum à Ioue in campos Elysios translatum ferunt: quo nihil aliud indicarunt quàm hac virtutum coniunctione veram beatitudinem, in qua est summum illud Philosophorum bonum, comparari.

751 *Cadmei fata nepotis* Ouid Metam. 4.

Prima nepos inter res tot tibi Cadme secundas
Caussa fuit luctus, alienaq́; cornua fronti
Addita, vosq́; canes satiati sanguine herili.

hanc fabulam aliàs explicui ex Placiadis sentẽtia; quam video priùs Palæphati fuisse.

752 *Viuacis cornua cerui.* Ouidius:

Dat sparso capiti viuacis cornua cerui.

Virgilius:

——ramosa Micon viuacis cornua cerui.

Ausonius, eidyl. 9.

Ter binos deciesq́; nouem superexit in annos
Iusta senescentum quos implet vita virorum:
Hos nouies superat viuendo garrula cornix,
Et quater egreditur cornicis sæcula ceruus.

de ceruorum ætate vide Plinium libro 7. cap. 48. & Solinum cap. 22.

Cerui, ceruinorum cornuum similitudine, iuxta Varronem & Seruium, furcæ, quibus rustici casas suas stabiliunt, cerui vocantur. vnde Virgilius ecloga 2.

Atque humiles habitare casas, & figere ceruos.

hos in castrorum quoque munitionibus adhiberi solitos patet ex Iulij Cæsaris cõmentar. de bello ciuili & Gallico: eosque nobis pictos proposuit Ioannes Iucundus Veronensis. apud Tibullum verò lib. 4. ad Messallam, horum mentionem factam existimo, & legi debere:

Nam te non alius belli tenet aptiùs artes,
Quà deceat tutã castris producere fossam,
Qualiter aduersos hosti defigere ceruos,
Quémve locum ducto melius sit claudere vallo.

760 *In vnda.* Ouidius:

Vt vero vultus & cornua vidit in vnda.

763 *Nimium sæui diua pudoris.* quare vt immitem ac crudelem Dianam elegantissimo carmine Fr. Ducatius 1. carminum exagitauit.

772 *Phocea trifidas.* istud Oedipi & Iocastæ colloquium magnâ ex parte à Sophocle in Oedipo tyranno accepit.

776 *Inter iuuenem senemq́.* Ouidius Metamorph. 12.

——*huic ætas inter iuuenemq́ senemq́.*

788 *Animam senilem mollis exsoluit sopor.* quia, vt ait Sophocles,

σμικρὰ παλαιὰ σώματ' εὐνάζει ῥοπή.

Themistius: καταγωγῇ γὰρ ἔοικεν ὁ γηρατικὸς θάνατος, ἀποβολὴ δὲ καὶ ναυαγίῳ ἐστὶν ὁ τῶν νέων.

Cato apud Ciceronem, in dialogo de senectute; Quid est autem tam secundùm naturam quàm senibus emori? quod idem contingit adolescentibus aduersante & repugnante natura. Itaque adolescentes mori mihi videntur; vt, cùm aquæ multitudine vis flammæ opprimitur: senes autem; sicut sua sponte, nulla adhibita vi, consumtus ignis extinguitur. Et quasi poma ex arboribus, si cruda sunt, vi auelluntur; si matura & cocta, decidunt: sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas.

Frontem ramis texêre nouis,
Dominumq́ canes egêre suum?
Præceps siluas montesq́ fugit
Citus Actæon, agiliq́ magis
Pede per saltus & saxa vagus
Metuit motas zephyris plumas,
Et quæ posuit retia vitat:
Donec placidi fontis in vnda
Cornua vidit, vultusq́ feros,
Vbi virgineos fouerat artus
Nimium sæui diua pudoris.

ACTVS QVARTVS.

OEDIPVS. IOCASTA.

OED. *Curas reuoluit animus, & repetit metus,*
Obiisse nostro Laium scelere autumant
Superi, inferiq́: sed animus contrà innocens,
Sibiq́ meliùs, quàm deis notus, negat.
Redit memoria tenue per vestigium,
Cecidisse nostri stipitis pulsu obuium,
Datumq́ Diti, cùm prior iuuenem senex
Curru superbus pelleret, Thebis procul;
Phocea trifidas regio quâ scindit vias.
Vnanima coniux explica errorem precor.
Quæ spacia moriens Laius vitæ tulit,
Primone in æuo viridis, an fracto occidit?
IO. *Inter iuuenem, senemq́: sed propior seni.*
OED. *Frequénsne turba regium cinxit latus?*
IO. *Plures fefellit error ancipitis viæ,*
Paucos fidelis curribus iunxit labor.
OED. *Aliquisne cecidit regio fato comes?*
IO. *Vnum fides virtusq́ consortem addidit.*
OED. *Teneo nocentem: conuenit numerus, locus:*
Sed tempus adde. IO. *decima iam metitur seges.*

SENEX. OEDIPVS.

SE. *Corinthius te populus in regnum vocat*
Patrium, quietem Polybus æternam obtinet.
OED. *Vt vndique in me sæua fortuna irruit.*
Edissere agedum, quo cadat fato parens.
SE. *Animam senilem mollis exsoluit sopor.*
OED. *Genitor sine vllâ cæde defunctus iacet.*
Testor, licet iam tollere ad cælum piè
Puras, nec vlla scelera metuentes, manus.

Sed pars magis metuenda fatorum manet.
SE. *Omnem paterna regna diſcutient metum.*
OED. *Repetam paterna regna, ſed matrem horreo.*
SE. *Metuis parentem, quæ tuum reditum expetens*
Sollicita pendet? OED. *ipſa me pietas fugat.*
SE. *Viduam relinques?* OED. *tangis en ipſos metus.*
SE. *Effare, merſus quis premat mentem timor.*
Præſtare tacitam regibus ſoleo fidem.
OED. *Connubia matris Delphico admonitu tremo.*
SE. *Timere vana deſine, & turpes metus*
Depone, Merope vera non fuerat parens.
OED. *Quod ſubditiui præmium gnati petiit?*
SE. *Regum ſuperbam liberi aſtringunt fidem.*
OED. *Secreta thalami, fare, quo excipias modo.*
SE. *Hæ te parenti paruulum tradunt manus.*
OED. *Tu me parenti tradis? at quis me tibi?*
SE. *Paſtor niuoſo ſub Cithæronis iugo.*
OED. *In illa temet nemora quis caſus tulit?*
SE. *Illo ſequebar monte cornigeros greges.*
OED. *Nunc adice certas corporis noſtri notas.*
SE. *Forata ferro geſſeras veſtigia,*
Tumore nactus nomen, ac vitio pedum.
OED. *Quis fuerit ille, qui meum dono dedit*
Corpus, requiro. SE. *regios pauit greges,*
Minor ſub illo turba paſtorum fuit.
OED. *Eloquere nomen.* SE. *prima lāgueſcit ſenū* "
Memoria, longo laſſa ſublabens ſitu. "
OED. *Poteſne facie noſcere ac vultu virum?*
SE. *Fortaſſe noſcam: ſæpe iam ſpacio obrutam*
Leuis exoletam memoriam reuocat nota.
OED. *Ad ſacra & aras omne compulſum pecus*
Duces ſequantur: ite properè, accerſite
Famuli, penes quos ſumma conſiſtit gregum.
SE. *Siue iſta ratio, ſiue fortuna occulit;*
Latére ſemper patere, quod latuit diu.
Sæpe eruentis veritas patuit malo. "
OED. *Malum timeri maius his aliquod poteſt?*
SE. *Magnum eſſe, magnâ mole quod petitur, ſcias.*
Concurrit illinc publica, hinc regis ſalus,
Vtrimque patria: contine medias manus.
Vt nil laceſſas, ipſa ſe fata explicant.
Non expedit concutere felicem ſtatum. "
OE. *Tutò mouetur, quicquid extremo in loco eſt.* "
SE. *Nobilius aliquid genere regali appetis?*

806 *Hæ te parenti.* hæc quoque & ſequentia penè omnia qui cum Sophocle, in Oed. tyranno, contulerit, non aliunde ſumta deprehendet.

813 *Tumore nactus nomen, ac vitio pedū.* Euripides in Phœniſſis;

δίδωσι βουκόλοισιν ἐκθεῖναι βρέφος,
σφυρῶν σιδηρᾶ κέντρα διαπείρας μέσον,
ὅθεν νιν Ἑλλὰς ὠνόμαζεν Οἰδίπουν.

ſiquidem antea Iocaſtus vocabatur. ſic enim legitur in Sudæ lexico.

817 *Prima langueſcit ſenum memoria.* Ariſtoteles, in lib. de memoria, ſenes negat memoria valere. à T. Liuio lib. 5. inducitur Licinius ſenectutis incommoda recenſens his verbis: Vires corporis affectæ, ſenſus oculorum atq; aurium hebetes, memoria labat, vigor animi obtuſus. Sed & Seneca pater, à quo fortaſſis noſter hæc deſumſit, lib. 1. controuerſiarum, ita ſcripſit: Cùm multa iam mihi ex me deſideranda ſenectus fecerit, oculorum aciem retuderit, auriū ſenſum hebetauerit, neruorum firmitatem fatigauerit; inter ea quæ retuli, memoria eſt, res ex omnibus partibus animi maximè delicata & fragilis, in quam ſenectus primùm incurrit.

825 *Latére*, &c. contra curioſitatem locus hic eſt, qua de re elegans Plutarchi liber exſtat.

Ne te parentis pigeat inuenti vide.
OED. *Nec pœnitendi sanguinis quæram fidem.*
Sed nosse certum est. ecce grandæuus senex,
Arbitria sub quo regij fuerant gregis,
Phorbas. referśne nomen, aut vultum senis?
SE. *Arridet animo forma: nec notus satis,*
Nec rursus iste vultus ignotus mihi.
Regnum obtinente Laio, famulus greges
Agitasti opimos, sub Cithæronis plaga.

PHORBAS. SENEX.
OEDIPVS.

PH. *Lætus Cithæron pabulo semper nouo,*
Æstiua nostro prata summittit gregi.
SE. *Noscísne memet?* P. *dubitat anceps memoria.*
OED. *Huic aliquis à te traditur quondam puer?*
Effare. dubitas? cur genas mutat color?
Quid verba quæris? veritas odit moras.
PH. *Obducta longo temporum tractu moues.*
OED. *Fatere, ne te cogat ad verum dolor.*
PH. *Inutile isti munus infantem dedi.*
Non potuit ille luce, non cælo frui.
SE. *Procul sit omen: viuit, & viuat precor.*
OED. *Superesse quare traditum infantem negas?*
PH. *Ferrum per ambos tenue transactum pedes*
Ligabat artus: vulneri innatus tumor,
Puerile fœda corpus vrebat lue.

859 *Lues.* in o. m.s. legitur, *lue.*

SE. *Quid quæris vltrà? fata iam accedunt propè.*
OE. *Quis fuerit infans, edoce.* PH. *prohibet fides.*
OE. *Huc aliquis ignem: flāma iam excutiet fidem,*
Per tam cruentas vera quærenti vias.
PH. *Ignosce, quæso, si ferus videor tibi,*
Et impotens: iam parta vindicta in manu est.
OED. *Dic vera; quisnam, quóve generatus patre,*
Quâ matre genitus? PH. *coniuge est genitus tua.*
OED. *Dehisce tellus, tuq́; tenebrarum potens,*
In tartara ima rector vmbrarum rape
Retro reuersas generis ac stirpis vices.
Congerite ciues saxa in incestum caput,
Mactate telis: me petat ferro parens,
Me natus, in me coniuges arment manus,
Fratresq́;, & æger populus ereptos rogis
Iaculetur ignes. sæculi crimen vagor,
Odium deorum, iuris exitium sacri.

871. *Infandum caput.* Tosanus cod. m. C *incestum caput.*

Qua

Qua luce primùm spiritus hausi rudes,
Iam morte dignus. redde nunc animos parens.
Nunc aliquid aude sceleribus dignum tuis.
I, perge, propero regiam cursu pete,
Gratare matri, liberis auctâ domo.

CHORVS.
Choriambici.

Fata si liceat mihi
Fingere arbitrio meo:
Temperem zephyro leui
Vela, ne pressæ graui
Spiritu antennæ tremant:
Lene sed modicum fluens
Aura, nec vergens latus,
Ducat intrepidam ratem:
Tuta me mediâ vehat
Vita, decurrens viâ.
Cnoßium regem timens,
Alta dum demens petit,
Artibus fidens nouis,
Certat & veras aues
Vincere, ac falsis nimis
Imperat pennis puer,
Nomen eripuit freto.
Callidus medium senex
Dædalus librans iter,
Nube sub mediâ stetit,
Alitem exspectans suum:
Qualis accipitris minas
Fugit, & sparsos metu
Colligit fœtus auis:
Donec in ponto manus
Mouit implicitas puer,
Comes audacis viæ.
Quicquid exceßit modum,
Pendet instabili loco.
Sed quid hoc? postis sonat,
Mœstus & famulus manu
Regius, quassat caput.
Ede, quid portes noui.

881 *Liberis auctâ domo.* plerique v. l. *liberis auctam domum.* Egnian. vt vulgati.

892 *Cnoßium regem timens.* Prosequitur Dædali & Icari fabulam; quę (iuxta Lucian. in imaginib.) indicat omnibus actionibus mediocritatem adhibendam, ne, dum nimis alta petimus, decidamus; vel dum terrenis cogitationibus inhæremus, nunquam attollamur. illa enim prudentis patris præcepta,

Me pennis sectare datis, ego præuius ibo,
Sit tibi cura sequi, me duce tutus eris.
Nam siue ætherias vicino sole per auras
Ibimus, impatiens cera caloris erit:
Siue humiles propiore freto iactabimus alas,
Mobilis æquoreis pęna madescet aquis.
Inter vtrumque vola.

hęc, inquam, an non cum Horatianis illis, ad Licinium, planè conueniunt?

Rectiùs viues, Licini, neque altum
Semper vrgendo, neque, dum procellas
Cautus horrescis, nimium premendo
Litus iniquum.
Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret inuidenda
Sobrius aula.

& quæ eadem oda, quæ est 10. lib. 2. carminum, sequuntur.

898 *Nomen eripuit freto.* Varronem sequitur, qui, Solino teste, tradidit Icarium mare ab Icaro nominatum, quod & Ouidio lib. 2. de arte amandi placuit. Sed Androetas Tenedius, in nauigatione Propontidis, ab vna Cycladum, quæ Macris & Icarus vocabatur, appellatum fuisse, scripsit.

911 *Postis sonat* in omnibus membranis scribitur, *Postes sonant.*

ACTVS QVINTVS.

NVNCIVS.

Prædicta postquam fata, & infandum genus
Deprendit, ac se scelere conuictum OEdipus
Damnauit: ipse regiam infestus petens
Inuisa propero tecta penetrauit gradu.
Qualis per arua Libycus insanit leo,
Fuluam minaci fronte concutiens iubam:
Vultus furore toruus, atque oculi truces,
Gemitus, & altum murmur, & gelidus fluit
Sudor per artus, spumat, & voluit minas,
Ac mersus altè magnus exundat dolor.
Secum ipse sæuus grande nescio quid parat,
Suisq; fatis simile. Quid pœnas moror?
Vt hoc scelestum pectus aut ferro petat,
Aut feruido aliquis igne vel saxo domet?
Quæ Tigris, aut quæ sæua visceribus meis
Incurret ales? ipse tu scelerum capax
Sacer Citharon, vel feras in me tuis
Emitte siluis, mitte vel rabidos canes:
Nunc redde Agauen. anime quid mortem times?
Mors innocentem sola fortunæ eripit. "
Hæc fatus, aptat impiam capulo manum,
Ensemq; ducit. itáne tam magnis breues
Pœnas sceleribus soluis? atque vno omnia
Pensabis ictu? moreris? hoc patri sat est.
Quid deinde matri? quid malè in lucem editis
Gnatis? quid ipsi, quæ tuum magna luit
Scelus ruina, flebili patriæ dabis?
Soluenda non est illa, quæ leges ratas
Natura in vno vertit Oedipode, nouos
Commenta partus. suppliciis eadem meis
Nouetur. iterum viuere, atque iterum mori
Liceat, renasci semper; vt toties noua
Supplicia pendas. vtere ingenio miser.
Quod sæpe fieri non potest, fiat diu. "
Mors eligatur longa: quæratur via,
Qua nec sepultis mistus, & viuis tamen
Exemtus erres. morere, sed citra patrem.
Cunctaris anime? subitus an vultus grauat
Profusus imber, ac rigat fletu genas?
Et flere satis est? hactenus fundent leuem
Oculi liquorem? sedibus pulsi suis
Lachrymas sequantur: hi maritales statim

Fodian-

920 *Fuluam.* fuluus propriè leonum color est. Lucretius;
—— *corpora fulua leonum.*
Virgilius:
—— *fuluiq; insternor pelle leonis.*
Tibullus:
Armenias Tigres, & fuluas ille leænas.

926 *Suisq; fatis simile.* duo libri scripti; *suisq; factis simile.*

953 *Perfusus.* vnus lib. scrip. *profusus.*
956 *Maritales oculi.* sic Apuleius lib. 2. de asino; istos amatores tuos oculos. *Maritales* autem vocat; quia oculis, qui sunt in amore duces, vt scribit Nonnus Dionys. ια. sub finem, & ιϛ. & λδ'. & μά. matris amorem hauserat, amatam sibi matrimonio copulauerat. Sic Philostratus oculos amoris δαδούχους nominauit his verbis: ὦ καλοὶ δᾳδοῦχοι ἔρωτος, πρῶτοι μετ' ἡμῖν τὸ κάλλος ἐπυρσεύσατε. Euripides, in Hippolyto:
Ἔρως Ἔρως, ὁ κατ' ὀμμάτων
στάζεις πόθον, εἰσάγων γλυκεῖαν
ψυχᾷ χάριν, &c.
Plato: ἡμεῖς δὲ τοῦτο διίξομεν ἂν ἴσως οὐκ ἀτόπως, ὅτι ἀρχὴ μὲν ἔρωτος ὅρασις· μεῖον δὲ τὸ πάθος, ἐλπὶς· τρέφει δὲ, μνήμη· τηρεῖ δὲ συνήθεια.
Philæmon:
ὁρῶσι πάντες πρῶτον, εἶτ' ἐθαύμασαν,
εἶτ' ἐπεθεώρησαν, εἶτ' εἰς ἐλπίδα ἐνέπεσον,
οὕτω γίνεται ἐκ τούτων ἔρως.
Lucianus, in dialogo ἔρωτες, scribit: ἔρως πρῶτον ἔχει βαθμὸν ὄψεως, testatur idem Aristoteles lib 9. Eth. Nicomach. c. 5. Athenæus quoque li. 13. ex Licymnij Chij, & aliorum auctoritate docet amãtes oculos potissimum inspicere, in oculis itaque debere amoris sedem constitui: Causa fortassis, insita cuique φιλαυτία: in oculis verò aliorum nostram cernimus imaginem. his adde quæ scripsi Herculis Octæinum. 452.

Fodiantur oculi. dixit, atque irâ furit.
Ardent minaces igne truculento genæ,
Oculiq; vix se sedibus retinent suis.
Violentus, audax, mutus, iratus, ferox.
Tantum cruentus gemuit, & dirùm fremens
Manus in ora torsit: at contrà truces
Oculi steterunt, & suam intenti manum
Vltro insequuntur, vulneri occurrunt suo.
Scrutatur auidus manibus vncis lumina,
Radice ab imâ funditus vulsos simul
Euoluit orbes: hæret in vacuo manus,
Et fixa penitus vnguibus lacerat cauos
Altè recessus luminum, & inanes sinus:
Sæuitq; frustra, plusq; quàm sat est furit.
Tantum est periclum lucis. attollit caput,
Cauisq; lustrans orbibus cæli plagas,
Noctem experitur: quicquid effossis malè
Dependet oculis, rumpit, & victor deos
Conclamat omnes. parcite en patriæ, precor:
Iam iussa feci, debitas pœnas tuli,
Inuenta thalamis digna nox tandem meis.
Rigat ora fœdus imber, & lacerum caput
Largum reuulsis sanguinem venis vomit.

CHORVS.
Anapæstici.

Fatis agimur, cedite fatis.
Non sollicitæ possunt curæ
Mutare rati stamina fusi:
Quicquid patimur mortale genus,
Quicquid facimus, venit ex alto:
Seruatq; suæ decreta colus
Lachesis: durâ reuoluta manu,
Omnia certo tramite vadunt:
Primusq; dies dedit extremum.
Non illa Deo vertisse licet,
Quæ nexa suis currunt causis.
It cuique ratus, prece non vllâ
Mobilis, ordo multis ipsum
Timuisse nocet: multi ad fatum "
Venêre suum, dum fata timent. "
Sonuere fores, atque ipse suum
Duce non vllo molitur iter,
Luminis orbus.

965 *Scrutatur.* Statius, in Thebaide, de OEdipo:

Impia iam merita scrutatus lumina dextra.

967 *Euoluit orbes.* Ouid. 2. Metam.

Vertit ad hunc torui Dea bellica luminis orbes.

Prudentius Cathemerinῶ, hymno 9.

Mox apertis hac medela lux reducta est orbibus.

hoc est oculis; qui quodammodo orbe, & quasi circulo circumscribuntur. ideo Græci κύκλους appellant. Sophocles, in Oedipo tyranno:

ἄρας ἔπαισεν ἄρθρα τῶν αὐτοῦ κύκλων.

980 *Fatis agimur*, &c. Stolidi veteres non poëtæ tantùm (Homerus Iliad. ζ'. Apollon. Argonaut. ά. Euripides in Ione, Aeschylus in Prometheo vincto, Virgilius li. 10) sed etiam teste Cicerone lib. de fato, & lib. 2. de diuinat. ex Philosophis Democritus, Heraclides, Empedocles crediderunt cuncta fato fieri. quò pertinet illud:

Quod fore paratum est, id summum exsuperat Iouem.

idipsum scribunt Herodotus in Clio, Lucianus in Ioue ἐλεγχομένῳ, & Liuius lib. 78. Sed, vt inquit D. Gregorius in Homilia Epiphaniæ, absit à cordibus fidelium, vt fatum " aliquid esse dicant. Ac in vniuersum de fato, " an sit, in quo sit, quibus imperet, an ineuitabile sit, disseruit Iacob. Carpentarius commentarij in Alcinoum de doctrina Platonis cap. 19. digressione vndecima.

OEDIPVS. CHORVS.
IOCASTA.

OED. *Bene habet, peractum est. iusta persolui patri.*
Iuuant tenebræ. quis Deus tandem mihi
Placatus, atrâ nube perfundit caput?
Quis scelera donat? conscium euasi diem.
Nil parricida dextera debes tuæ:
Lux te refugit. vultus OEdipodem hic decet.
CH. *En ecce rapido sæua prosiluit gradu*
Iocasta vecors: qualis attonita & furens
Cadmea mater abstulit gnato caput,
Sensitq́; raptum. dubitat: afflictum alloqui
Cupit, pauetq́;. iam malis cessit pudor.
IO. *Cupiunt, & horrent ora. nam quid te vocem?*
Gnatúmne? dubitas? gnatus es, gnati pudet.
Immitis oro gnate, quò auertis caput,
Vacuosq́; vultus? OED. *quis frui tenebris vetat?*
Quis reddit oculos? matris, en matris sonus.
Perdidimus operam. congredi fas ampliùs
Haud est. nefandos diuidat vastum mare,
Dirimatq́; tellus abdita: & quisquis sub hoc
In alia versus sidera, ac solem auium
Dependet orbis, alterum ex nobis ferat.
IO. *Fati ista culpa est, nemo fit fato nocens.* “
OED. *Iam parce verbis mater, & parce auribus.*
Per has reliquias corporis trunci precor,
Per inauspicatum sanguinis pignus mei,
Per omne nostri nominis fas & nefas.
IO. *Quid anime torpes? socia cur scelerum dare*
Pœnas recusas, omne confusum perit
Incæsta per te iuris humani decus.
Morere, ac nefastum spiritum ferro exige.
Non si ipse mundum concitans diuûm pater
Corusca sæuâ tela iaculetur manu,
Vnquam rependam sceleribus pœnas pares,
Mater nefanda. mors placet, mortis via
Quæratur: agedum commoda matri manum.
Si parricida es; restat hoc operi vltimum,
Rapiatur ensis. hoc iacet ferro meus
Coniux. quid illum nomine haud vero vocas?
Socer est. vtrúmne pectori infigam meo
Telum, an patenti conditum iugulo imprimam?
Eligere nescis vulnus: hunc dextra, hunc pete
Vterum capacem; qui virum & gnatum tulit.

CH. *Ia-*

998 *Bene habet, peractum est.* Medeæ actu 5.
Bene est, peractum est.
Agamemn. actu 5.
Habet, peractum est.
Herc. Oetæo, actu 4.
Gemit, peractum est.
& actu 5.
Habet, peractum est.

1006 *Cadmea mater.* Agaue.

1017 *Solem auium.* In plerisque manusc. legitur *solem alium.* sic Virgilius:
Atque alio patriam quærunt sub sole iacentem.
Horatius:
——quid terras alio calentes
Sole mutamus?

1028 *Mundum.* mundi appellatione præter totum, singulas etiam partes venire admonui. nunc addo & aliam significationem.
,, Sex. Pompeius scribit: Mundus, vt ait Capito
,, Atteius in lib sexto Pontificali, ter in anno
,, patere solet, diebus his, postridie Volcanalia
,, & A.D. tertiū NON. Octob. & A.D. Sextum
,, Id Nouem. Qui quid ita dicatur, sic refert
,, Cato, in commentariis iuris ciuilis. Mundo
,, nomen impositum est ab eo mundo qui su-
,, pra nos est. Forma enim eius est, vt ex iis qui
,, intrauerunt cognoscere potui, adsimilis illi.
,, eius inferiorem partem, veluti consecratam
,, Diis Manibus, clausam omni tempore, nisi
,, iis diebus, qui suprascripti sunt, maiores te-
,, nuerunt: quos dies etiam religiosos iudica-

CH. *Iacet peremta, vulneri immoritur manus,*
Ferrumq́, secum nimius eiecit cruor.
OED. *Te fatidice, te præsidem veri Deum*
Compello, solum debui fatis patrem:
Bis parricida, plusq́, quàm timui nocens,
Matrem peremi: scelere confecta est meo.
O Phœbe mendax! fata superaui impia.
Pauitante gressu sequere fallaces vias,
Suspensa plantis efferens vestigia,
Cæcam tremente dexterâ noctem rege.
I, gradere præceps, lubricos ponens gradus,
I, profuge, vade: siste, ne in matrem incidas.
Quicunque fessi corpore, & morbo graues
Semianima trahitis corpora: en fugio, exeo,
Releuate colla, mitior cæli status
Post terga sequitur: quisquis exilem iacens
Animam retentat, viuidos haustus leuis
Concipiat. ite, ferte depositis opem:
Mortifera mecum vitia terris extraho.
Violenta fata, & horridus mortis tremor,
Maciesq́, & atra pestis, & rabidus dolor
Mecum, ite mecum. ducibus his vti libet.

uerunt. ea de caussa; quòd quo tempore ea, quæ occulta & abdita religionis Deorū Manium essent, veluti in lucem quandam adducerentur & patefierent; nihil eo tempore in repub. geri voluerūt. Itaque per eos dies non cum hoste manus conferebant: non exercitus scribebatur: nō comitia habebantur: non aliud quicquam in repub. nisi quod vltima necessitas admonebat, administrabatur. Integrum locum Festi adscripsi ex verisimili coniectura emendatis quæ corrupta erant, & suppletis iis quæ desiderabantur. Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 16 quoddam fragmētum Varronis profert, quod est huiusmodi: Mundus cùm patet, Deorum tristium, atque inferûm quasi ianua patet. Propterea non modò prœlium committi, verùm etiam delectum rei militaris causâ habere ac militum (*fortè legend. militatum*) proficisci, nauem soluere, vxorem liberûm quærendorum causâ ducere, religiosum est. Ex Plutarcho, in vita Romuli, didici, hunc mundū seu fossam istam, in comitio, in ipso vrbis centro, Etrusco ritu, Romuli tempore factā fuisse: hoc enim Græca Plutarchi verba sonant. Porrò non assentior cuidam amico meo, homini erudito, existimanti de hoc mundo intelligendum ænigma illud Virgilianum;

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo, †

† *Tres pateat cæli spacium non amplius vlnas.* placet enim interpretatio Andreæ Alciati lib. 1. parerg. ca. 18.
1040 *Iacet perempta.* sibi repugnat poëta. nam in Thebaid. Iocastam viuam introducit. 1049 *Cæcam.* vel à Virgilio, vel à Lucretio hoc epithetum accepit: quorum vterque illud nocti tribuit, vtroque tamen aptiùs Seneca fuit vsus. 1050 *I, gradere.* m. s. libri vna voce, *ingredere.* 1051 *I, profuge.* idipsum OEdipus, in Attij Phœnissis, facere iubetur, vt ex fragmento superstite patet, videlicet: *Iussit proficisci exulium quouis gentium,*
Ne scelere tuo Thebani vastescant agri. Egredere, exi, effer te ex vrbe, elimina.
1058 *Mortifera mecum,* &c. iccirco cùm amici illum mortuum Thebis sepelire pararent, prohibiti sunt à Thebanis id facere, veritis ne in pristinas calamitates inciderent. Lysimachus Alexandrinus in historia Thebana: Οἰδίπου δὲ τελευτήσαντος, καὶ τῶν φίλων ἐν Θήβαις θάπτειν αὐτὸν διανοουμένων, ἐκώλυον οἱ Θηβαῖοι, διὰ τὰς προγεγενημένας συμφοράς· ὡς ὄντος ἀσεβοῦς. οἱ δὲ κομίσαντες αὐτὸν εἰς τινα τόπον τῆς Βοιωτίας καλούμενον Κεὸν, ἔθαψαν αὐτόν. γιγνομένων δὲ τοῖς ἐν τῇ κώμῃ κατοικοῦσιν ἀτυχημάτων τινῶν, οἰηθέντες αἰτίαν εἶναι τὴν Οἰδίπου ταφὴν, ἐκέλευον τοὺς φίλους ἀναιρεῖν αὐτὸν ἐκ τῆς χώρας. οἱ δὲ ἀπορούμενοι τοῖς συμβεβηκόσιν, ἀνελόντες ἐκόμισαν εἰς Ἐτεωνόν. βουλόμενοι δὲ λάθρα τὴν ταφὴν ποιήσασθαι, καταθάπτουσι νυκτὸς ἐν ἱερῷ Δήμητρος, ἀγνοήσαντες τὸν τόπον. καταφανοῦς δὲ γενομένου, πέμψαντες οἱ τὸν Ἐτεωνὸν κατοικοῦντες, τὸν θεὸν ἐπηρώτων τί ποιῶσιν. ὁ δὲ θεὸς εἶπε, μὴ κινεῖν τὸν ἱκέτην τῆς θεοῦ. διόπερ αὐτοῦ τέθαπται. 1060 *Atra pestis.* —— *atram Immittit passim dumosa per auia pestem.* inquit Silius: cui Carolus Sigonius, in lib. de dialogo, post multa sæcula, aduersus multorum sententiam, in poëtis locum suum præclarè restituit; quemadmodum & Lucano Scaliger pater, Terentio in Comicis Nauagerius, Senecæ in Tragicis Bartholomæus Riccius. *Rabidus dolor.* ait Papinius: *Si damnis rabidum queat exsaturare dolorem.*

Thebais.

TRAGOEDIA III. MVTILA.

PERSONÆ.

OEdipus. Antigone.
Nuncius. Iocasta.

ACTVS PRIMVS.

OEDIPVS. ANTIGONE.



ÆCI parentis regimen, ac fessi vnicum
Patris leuamen gnata; quam tanti est mihi
Genuisse vel sic, desere infaustum patrem:
In recta quid deflectis errantem gradum?
Permitte labi. meliùs inueniam viam
Quam quæro solus; quæ me ab hac vita extrahat,
Et hoc nefandi capitis aspectu leuet
Cælum atque terras. quantulum hac egi manu?
Non video noxæ conscium nostræ diem,
Sed videor. hinc iam solue inhærentem manum,
Et patere cæcum, quâ volet, ferri pedem.
Ibo, ibo, quâ prærupta prætendit iuga
Meus Cithæron; quâ peragrati celer
Per saxa montis iacuit Actæon, suis
Noua præda canibus; quâ per obscurum nemus,
Siluamq; opacæ vallis instinctas deo
Egit sorores mater, & gaudens malo
Vibrante thyrso prætulit fixum caput;
Vel quâ cucurrit corpus inuisum trahens
Zethi iuuentus; quâ per horrentes rubos

Tauri

THEBAIS. Thebaidem tragœdiam olim Latinè Attius scripsit. Heroicis versibus Græcè Thebaides scripserunt Antimachus & Menelaus Aegeus; quorum imitatorem fuisse Statium Papinium suspicor: sanè Antimacho nō est dissimilis, vtriusque enim tumor reprehenditur. Ponticus etiam, testibus Ouidio ac Propertio, hoc argumentum tractauit. hac tragœdia noster multa ex Euripidis Phœnissis accepit.

9 *Noxæ.* delicti. quomodo frequenter apud Iurecōsultos (vide l. 131. D. de verb. signific. & ibi Alciat. & Brechæum, & lexicographos in voce *noxa*) & apud Sallustium ac Liuium sumitur. Pro corpore quoque ipso quod nocuit, ex Iustiniani sententia §. 1. instit. de noxal. action. contra Fr. Balduinum sumi posse docet Anton. Contius ad d. §. 1. cui adde, sic apud Comicos scelus pro scelesto poni. Sufficiet vnum Terentij in And. testimonium:

Vbi illic scelus est, qui me, &c.

12 *Prærupta protendit.* o. v. l. habent, *prætendit.*

14 *Actæon.* de Actæone vide Nonnum Dionysiac. 5. Anaximenes lib. 2. de picturis antiquis prodidit Actæonē ab ineunte quidem ætate venationis studiosum fuisse; adolescentem verò, cùm illius studij periculosos euentus perpenderet, multum de studio pristino remisisse, periculorum magnitudine deterritum: vnde ortum rumorem cerui figuram illum induisse. attamē quia naturam expellere nequibat, canes dilexisse ita, vt domi illos ociosos alere non grauaretur: quo pacto cùm facultates omnes dilapidasset, natam fabulam, à canibus suis Actæonem fuisse laceratum. auctor Fulgent. 3. Mytholog. Vt vt est, existimo poëtas illo commento nos ab earum rerum studio deducere voluisse, quæ nudam voluptatem sine vtilitate continent. Aliter sentit Natalis lib. 6. Mythol. cap. 24.

18 *Prætulit fixum caput.* Penthei. cuius obitus ab Euripide in Bacchis est petendus. Monet ea fabula rectores ciuitatū non frangere concitati populi impetus, sed sedare; &, quæ longa consuetudine radices egerint vitia, non vno impetu exstirpare, verùm paullatim labefactando tandem illa tollere. si enim multitudinis iratæ rabies spectetur, quamuis illa fera truculentior in illos vt plurimum sæuit qui salutaria cōsilia adferunt. Erit ergo prudentis, occasionem exspectare; & non antè iratis se offerre, quàm primi illi furoris impetus, qui ne in ipsorum quidem sunt manu, resederint. Periti sanè medici morbos nonnullos lentis remedijs solent persanare. Si hæc Pētheus perpendisset, non eum tam crudeliter laniassent Mænades; quæ finguntur illarum ferarum formas induisse, quarum naturā exprimebant. Indicant præterea ebrios insanis persimiles esse; qui nec amicis, nec fratribus, nec filiis suis parcunt.

20 *Zethi iuuentus.* hoc est, Zethus ipse. Hellenismus, imò & Hebraismus. sic Claudianus, in

Tauri ferocis sanguis ostentat fugas:
Vel quà alta maria vertice immerso premit,
Inoq; præceps, quà scelus fugiens suum,
Nouumq; faciens, mater insiluit freto
Mersura gnatum, seq; felices, quibus
Fortuna melior tam bonas matres dedit.
Est alius istis noster in siluis locus,
Qui me reposcit: hunc petam cursu incito,
Non hæsitabit gressus; huc omni duce
Spoliatus ibo. quid moror sedes meas?
Montem Cithæron redde, & hospitium mihi
Illud meum restitue, vt exspirem senex,
Vbi debui infans. recipe supplicium vetus
Semper cruente, saue, crudelis, ferox,
Cùm occidis, & cùm parcis: olim iam tuum
Est hoc cadauer: perage mandatum patris,
Iam & matris. animus gestit antiqua exsequi
Supplicia. quid me gnata pestifero tenes
Amore vinctum? quid tenes? genitor vocat.
Sequor, sequor, iam parce: sanguineum gerens
Insigne, regni Laius erepti furit,
Et ecce inanes manibus infestus petit
Foditq; vultus. gnata genitorem vides?
Ego video. tandem spiritum inimicum exue
Desertor animæ; fortis in partem tui,
Omitte pœnas languidas longa moræ,
Mortemq; totam admitte. quid segnis traho?
Quid viuo? nullum facere iam possum scelus.
Possum miser. prædico, discede à patre.
Discede virgo. timeo post matrem omnia.
AN. *Vis nulla genitor à tuo nostram manum*
Corpore resoluet, nemo me comitem tui
Eripiet vnquam. Labdaci claram domum,
Opulenta ferro regna germani petant:
Pars magna patris optimo è regno mea est,
Pater ipse: non hunc auferet frater mihi,
Thebana rapto sceptra qui regno tenet:
Non hunc cateruas alter Argolicas agens.
Non si reuulso Iuppiter mundo tonet,
Mediumq; nostros fulmen in nexus cadat,
Manum hanc remittam: prohibeas genitor licet,
Regam abnuentem, dirigam inuitum gradum.
In plana tendis? vado: prærupta expetis?
Non obsto, sed præcedo: quouis vtere

Rufin. *flammam Chimeræ, vim Hydræ, famem Scyllæ* posuit, pro Scylla, Hydra, Chimæra. Sic verò se res habet: Zethus & Amphion agnita matre sua Antiopa; quã Dyrce, Lyci vxor, persequebatur; Dyrcen tauro alligatam, eo concitato, miserabilem in modum discerpserunt. Zethi potiùs quàm Amphionis meminit: quia Amphion, vtpote humanior, à tali crudelitate alienior videtur.

21 *Immerso.* aliàs legitur *immenso.* videtur aliquid deesse.

23. *Scelus fugiens suum.* Inó, nefario scelere, Orchomeniis immissa fame, Nepheles filios interimere tentarat: ideo Athamantem fugiebat.

26 *Tam bonas matres.* meliorem matrem putat eam quæ filium occidit, quàm quæ filio concumbat.

48 *Quid viuo?* sententia est: cur viuo? cùm, ad quod natus sum, ampliùs peccare nõ possim? possum tamen natam meam stuprare. possum ergo scelus facere. discede à me nata dum virgo es, ne te violem. cùm enim nec à matre me abstinuerim, nullam non ausim.

Duce è duobus, omnis eligitur via.
Perire sine me non potes: mecum potes.
Hîc alta rupes arduo surgit iugo,
Spectatq́ longè spacia subiecti maris.
Vis hanc petamus? nudus hîc pendet silex,
Hîc scissa tellus faucibus ruptis hiat:
Vis hanc petamus? hîc rapax torrens cadit,
Partesq́ lapsi montis exesas rotat;
In hunc ruamus? dum prior, quò vis, eo;
Non deprecor, non hortor. exstingui cupis;
Votumq́ genitor maximum mors est tibi?
Si moreris, antecedo: si viuis, sequor:
Sed flecte mentem, pectus antiquum aduoca,
Victasq́ magno pectore ærumnas doma.
Resiste, tantis in malis vinci malum est. “
OED. *Vnde in nefandâ specimen egregium domo?*
Vnde ista generi virgo dissimilis suo?
Fortuna credis? aliquis est ex me pius.
Non esset vnquam (fata bene noui mea)
Nisi vt noceret. ipsa se in leges nouas
Natura vertet, regeret in fontem citas
Reuolutus vndas amnis, & noctem afferet
Phœbea lampas, hesperus faciet diem:
Vt ad miserias aliquid accedat meas.
Pÿ quoque erimus. vnica Oedipò est salus,
Non esse saluum: liceat vlcisci patrem
Adhuc inultum. dextra quid cessas iners
Exigere pœnas? quicquid exactum est adhuc,
Matri dedisti. mitte genitoris manum
Animosa virgo: funus extendis meum,
Longasq́ viui ducis exsequias patris.
Aliquando terrâ corpus inuisum tege.
Peccas honestâ mente: pietatem vocas,
Patrem insepultum trahere. qui cogit mori
Nolentem, in æquo est, quiq́ properantem impedit.
Occidere est, vetare cupientem mori. “
Nec tamen in æquo est: alterum grauius reor.
Malo imperari, quàm eripi mortem mihi.
Desiste cœpto virgo. tua vitæ ac necis
Mea penes me est. regna deserui libens,
Regnum mei retineo. si fida es comes,
Ensem parenti trade. sed notum nece
Ensem paterna tradis; an gnati tenent
Cum regno & illum? faciet, vbicunq́ est, scelus.

Ibi

71 *Rapax.* proprium torrentis epithetum. Lucretius & Virgilius fluuios rapaces dixerunt.

„ *Torrens.* torrens, inquit Festus, significat „ fluuium subitis imbribus concitatum, qui „ alioquin siccitatibus exarescit. Græcè, teste „ I.C. dicitur χειμάῤῥος l. 1. D. de flumin.

74 *Deprecor.* Ouidius:
Sæpe precor mortem, mortem quoque deprecor idem.

85 *Regeret in fontem.* sic Ouid. in Trist.
In caput antè suum labentur ab æquore retro
Flumina, conuersis solq́ recurret equis, & cet.

87 *Phœbea lampas.* Sol, Virg. 3. AEneid.
Argolici clypei aut Phœbeæ lampadis instar.
Euripides:
εἴ σ' ἡ πιοῦσα λαμπὰς ὄψεται θεοῦ.

89 *Vnica Oedipo deest salus. Non esse saluum.* sic in o. v. legitur. vulgò excusum est, *vnica Oedipoda est salus, &c.* simile autem est illi;
Vna salus victis, nullam sperare salutem.

95 *Longasq́ viui ducis exequias patris.* penè est simile Ciceronianeo illi, pro Quinctio; „ Huic acerbissimum viuo videntique fu- „ nus ducitur.

99 *In æquo est.* alludit ad dictum Horatij:
Inuitum qui seruat, idem facit occidenti.

101 *Nec tamen in æquo est.* Ascensius & Daniel existimant Senecam dicere, plus peccare eum qui inuitum occidit, quàm qui nolentem seruat: contrà Bernardinus, hûc quàm illum peccare grauiùs; cuius sententiam sequor. loquitur enim Oedipus, cui mors erat optatissima.

Ibi sit: relinquo. gnatus hunc habeat meus;
Sed vterque. flammas potiùs, & vastum aggerem
Compone: in altos ipse me immittam rogos.
Erectam ad ignes funebrem adscendam struem,
Pectusq́; soluam durum, & in cineres dabo
Hoc quicquid in me viuit. vbi sæuum est mare?
Duc, vbi sit altis prærutum saxis iugum,
Vbi torta rapidus ducat Ismenos vada:
Duc, vbi feræ sint, vbi fretum, vbi præceps locus,
Si dux es. illuc ire morituro placet,
Vbi sedit altâ rupe semifero dolos
Sphinx ore nectens. dirige huc gressu pedem:
Hîc siste patrem. dira ne sedes vacet,
Monstrum repone maius: hoc saxum insidens
Obscura nostræ verba fortunæ loquar,
Quæ nemo soluat. quisquis Assyrio loca
Possessa regi scindis, & Cadmi nemus
Serpente notum, sacra quo Dirce latet
Supplex ad aras; quisquis Euroten bibis,
Spartamq́; fratre nobilem gemino colis;
Quicunque Elin, Parnasson, & Bæotios
Colonus agros vberis tondes soli;
Aduerte mentem: sæua Thebarum lues
Luctifica cæcis verba committens modis,
Quid simile posuit? quid tam inextricabile?
Aui gener, patrisq́; riualis sui,
Frater suorum liberûm, & fratrum parens,
Vno auia partu liberos peperit viro,
Ac sibi nepotes. monstra quis tanta explicet?
Ego ipse, victæ spolia quæ Sphingis tuli,
Hærebo, fati tardus interpres mei.
Quid perdis vltrà verba? quid pectus ferum
Mollire tentas precibus? hoc animo sedet,
Effundere hanc cum morte luctantem diu
Animam, & tenebras petere. nam sceleri hæc meo
Parum alta nox est. Tartaro condi iuuat,
Et si quid vltra Tartarum est. tandem libet,
Quod olim oportet. morte prohiberi haud queo.
Ferrum negabis? noxias lapso vias
Cludes? & arctis colla laqueis inseri
Prohibebis? herbas, quæ ferunt lethum, auferes?
Quid ista tandem cura proficiet tua?
Vbique mors est. optimè hoc cauit Deus,
Eripere vitam nemo non homini potest: "

112 *Adscendam struem.* in vno m. s. inueni, *conscendam.*

116 *Rapidus.* verum fluuij epithetum. Attius in Epigonis;

—rapidum flumen Inachi.

Virgilius, rapidum Oaxem; noster alibi, rapidum Hebrum.

122 *Saxum insidens.* in m. s. continetur, *saxo.*

124 *Assyrio.* Cadmo, Phœnici. Zenodotus Stoicus:

εἰ δὲ πάτρα Φοίνισσα, τίς ὁ φθόνος; ἦν καὶ
ὁ Κάδμος
κεῖνος ἀφ' οὗ γραπτὰν Ἑλλὰς ἔχει σελίδα.

126 *Sacra.* exsecrabilis.

130 *Tondes.* hanc vocem Latini tralatione ad agros traxerunt, sicut apud Virgilium & Ouidium videre est, Græcos secuti; qui *κείρω* non hominibus modò aut pecoribus, sed & ciuitatibus, arboribus, fruticibus ac agris accommodarunt. Pindarus etiam longè alia in re: *ὀλεσιχίαν κεῖρεν μελιηδέα ποίαν.*

134 *Riualis.* Donatus, in Eunuchum Terentij, & Acron in Artem poët. Horatij prodiderunt riuales propriè esse, qui in agris riuum habent communem, & per eundem riuum aquam ducunt. vnde ad amatores eandem procantes translatum vocabulum fuit.

153 *At nemo mortem.* nihil necesse est exempla congerere eorum, qui vel inedia, vel capitis in parietem illisione, vel spiritus retentione, vel simili modo seipsos necarunt. solum adscribam elegans epigramma Martialis de Portia Bruti;

Coniugis audisset fatũ cùm Portia Bruti,
Et subtracta sibi quæreret arma dolor;
Nondũ scitis, ait, mortẽ non posse negari?
Credideram fatis hoc edocuisse patrem.
Dixit: & ardẽtes auido bibit ore fauillas:
I nunc, & ferrum turba molesta nega.

180 *Quam præstitisti.* non vult ali id dicere, nisi longè audaciùs se oculos obtulisse manibus suis excæcandos, quàm manus illos euulserint. dixit idem suprà inquiens:

—— cùm reluctantem manum
Pressère vultus——

185 *Habitumq́, regni flore pollentem inclyto.* hæc est pura puta v. l. o. lectio. *Regni flore.* Bacides vates:

καὶ τότε δὴ Σπάρτης μὲν ἀπ' ἀγλαὸν ἄνθος ὀλεῖται,
Μεσσήνη δ' αὐτῆς οἰκήσεται ἤματα πάντα.

190 *Non est, vt putas, virtus pater, &c.* legerat poëta doctiss. Aristotelẽ lib. 3. Ethic. ad Nicomach. cap. 7. scribentem, τὸ δ' ἀποθνήσκειν φεύγοντα πενίαν, ἢ ἔρωτα, ἤ τι λυπηρὸν, οὐκ ἀνδρείου, ἀλλὰ μᾶλλον, δειλοῦ. μαλακία γὰρ τὸ φεύγειν τὰ ἐπίπονα, καὶ οὐχ ὅτι καλὸν ὑπομένει, ἀλλὰ φεύγων κακόν. Nõnulla Iud. Damhauderius V.C. in praxi rerũ criminal. ca 88. nu. 12. quibus addo sequentia. apud Salluſt., » in Iugurth. ait Atherbal: Vtinã emori fortu- » nis meis honestus exitus esset, ne viuere con- » temtus viderer, si defessus malis iniuriæ con- » cessissem. nunc quia neque viuere libet, neq; » mori sine dedecore licet, &c. Iul. Cæsar, de » bello Gallico lib. 7. Animi est, inquit, ista » mollities, non virtus, inopiam paulisper ferre » non posse. qui se morti vltro offerant faciliùs » reperiuntur, quàm qui dolorem patienter fe- » rant. Q. Curtius de gestis Alexandri lib. 5. » Fortium virorum est magis mortem cõtem- » nere, quàm odisse vitam. sæpe tædio laboris » ad vilitatem sui compelluntur ignaui. Diuus Augustinus in lib. de Ciuitate Dei, Catonis Vticensis factum timori, quàm fortitudini ascribit. apud Euripidem Hercules Furens sic ratiocinatur:

ἐσκεψάμην δὲ, καίπερ ἐν κακοῖσιν ὤν,
μὴ δειλίαν ὄφλω τιν' ἐκλιπὼν φάος.
ταῖς συμφοραῖς γὰρ ὅστις οὐχ ὑφίσταται,
οὐδ' ἀνδρὸς ἂν δύναιθ' ὑποστῆναι βέλος.
ἐγκαρτερήσω θάνατον——

At nemo mortem: mille ad hanc aditus patent. "
Nil quæro. dextrâ noster & nudâ solet
Bene animus vti: dextra nunc toto impetu,
Toto dolore, viribus totis veni:
Non destino vnum vulneri nostro locum:
Totus nocens sum: quâ voles, mortem exige.
Effringe corpus, corq́, tot scelerum capax
Euelle, totos viscerum nuda sinus:
Fractum incitatis ictibus guttur sonet,
Laceraue fixis vnguibus venæ fluant.
Aut dirige iras, quò soles. hæc vulnera
Rescissa multo sanguine ac tabe irriga:
Hanc extrahe animam, duram, inexpugnabilem.
Et tu parens, vbicunque pœnarum arbiter
Astas mearum (non ego hoc tantum scelus
Vllâ expiari credidi pœna satis
Vnquam; nec istâ morte contentus fui,
Nec me redemi parte; membratim tibi
Volui perire) debitum tandem exige.
Nunc soluo pœnas, tunc tibi inferias dedi.
Ades, atque inertem dexteram introrsus preme.
Magisq́, merge. timida tum paruo caput
Libauit haustu, vixq́, cupientes sequi
Eduxit oculos. hæret etiam nunc mihi
Ille animus, hæret; cùm recusantem manum
Pressere vultus. audias verum Oedipe:
Minùs eruisti lumina audacter tua,
Quàm præstitisti. nunc manum cerebro indue.
Hac parte mortem perage, qua cœpi mori.
AN. *Pauca, ô parens magnanime, miserẽdæ precor*
Vt verba gnatæ mente placatâ audias.
Non te vt reducam veteris ad specimen domus,
Habitumq́, regni flore pollentis inclyto
Peto, aut vt iras tempore, aut ipsa mora
Fractas, remisso pectore ac placido feras.
Et hoc decebat roboris tanti virum,
Non esse sub dolore, nec victum malis
Dare terga: non est, vt putas, virtus pater "
Timere vitam, sed malis ingentibus "
Obstare, nec se vertere, ac retro dare. "
Qui fata proculcauit, ac vita bona
Proiecit, atque abscidit, & casus suos
Onerauit: ipsi, ceu video, nullo est opus,
Quare ipse mortem cupiat, aut quare petat.

Virum-

Vtrumque timidi est velle: contemsit mori,
Qui non cupiscit: cuius haud vltrà mala
Exire possunt, in loco tuto est situs.
Quis iam deorum (velle fac) quicquam potest
Malis tuis adijcere? iam nec tu potes:
Nisi hoc, vt esse te putes dignum nece.
Non es, nec vlla pectus hoc culpa attigit.
Et hoc magis te genitor insontem voca,
Quòd innocens es, diis quoque inuitis. quid est,
Quod te efferarit? quod nouos suffixerit
Stimulos dolori? quid te ad infernas agit
Sedes? quid ex his pellit? vt careas die?
Cares. vt altis nobilem muris domum,
Patriamq; fugias? patria tibi viuo perit.
Gnatos fugis, matremq;? ab aspectu omnium
Fortuna te summouit: & quicquid potest
Auferre cuiquam mors, tibi hoc vita abstulit.
Regni tumultus, turba fortunæ prior
Abscessit ante iusta. quem genitor fugis?
OED. *Me fugio, fugio conscium scelerum omnium*
Pectus, manumq; hanc fugio, & hoc cælũ, & deos:
Et dira fugio scelera, quæ feci nocens.
Ego hoc solum, frugifera quo surgit Ceres,
Premo? has ego auras ore pestifero traho?
Ego laticis haustu satior, aut vllo fruor
Almæ parentis munere? ego castam manum
Nefandus, incestificus, exsecrabilis
Attrecto? ego vllos aure concipio sonos,
Per quos parentis nomen, aut gnati, audiam?
Vtinam quidem rescindere has quirem vias,
Manibusq; adactis omne, quo voces meant,
Aditusq; verbis tramite angusto patet,
Eruere possem: gnata, iam sensum tui,
Quæ pars meorum es criminum, infelix pater
Fugissem: inhæret ac recrudescit nefas,
Subinde & aures ingerunt, quicquid mihi
Negastis oculi. cur caput tenebris graue
Non mitto ad vmbras Ditis æternas? quid hîc
Manes meos detineo? quid terram grauo,
Mistusq; superis erro? quid restat mali?
Regnum, parentes, liberi, virtus quoque,
Et ingenij sollertis eximium decus
Periere: cuncta sors mihi infesta abstulit:
Lachrymæ supererant; has quoque eripui mihi.

" 200 *Quis iam Deorum (velle fac) quidquam*, &c. videtur ad Ouidij imitationem scriptum, apud quem lib. 14 Metamorph.

—— *Agmon*
Feruidus ingenio, tum verò & cladibus asper,
Quid superest, quod iam patientia nostra recuset
Ferre viri? dixit. quid habet Cytherea, quod vltrà
(Velle puta) faciat? nam dum peiora timentur,
Est locus in voto: sors autem vbi pessima rerum,
Sub pedibus timor est, securaq; summa malorum.

205 *Quòd innocens es, Diis inuitis.* nam suprà dixit, non esse nocentem, qui sponte nocens non est.

215 *Abscessit ante iussa.* sic vulgò vt plurimum legitur. in meo m. s. est *à te iussa.* optimè ceteri codices scripti; *abscessit ante iusta.* hoc est, ante exsequias, ante suprema funera, ante obitum: quam scripturam etiam Bernardinus agnoscit. Brissonius de verb. significat. lib. 10. funerum sollemnia scribit à Latinis *iusta* dici, quòd lege duodecim tabularum præscripta essent. scio lege 12. tab. sollemnia funerum fuisse præscripta, eaque eleganter describit Iacobus Ræuardus ad leg. 12. tab. cap. 15. verũ inde nominis rationem deduci non placet. cur non enim legitima potiùs dicta sunt? ego Iusta vocari crediderim, quia iustum sit & æquum illa mortuis fieri.

222 *Almæ parentis.* Cereris. Virgilius 1. Georg.

Liber & alma Ceres, vestro si munere tellus, &c.

Eumque versum imitatus Octauius Aug. si modò eius sunt carmina quæ vulgò circumferũtur nomine edicti de cõseruat. Æneid.

Liber & alma Ceres succurrite, vester in aruis
Miles erat ——

Apuleius lib. xi. de asino: Sine tu Ceres alma, " frugum parens. "

Absiste. nullus animus admittit preces,
Nouamq́ pœnam sceleribus quærit parem.
Et esse par quæ poterit? infanti quoque
Decreta mors est. fata quis tam tristia
Sortitus vnquam? videram nondum diem,
Vterique nondum solueram clusi moras;
Et iam timebar. protinus quosdam editos
Nox occupauit, & noua luci abstulit.
Mors me antecessit, aliquis intra viscera
Materna lethum præcoquis fati tulit.
Sed nunquid & peccaui? obstrusum, abditum,
Dubiumq́ an essem, sceleris infandi reum
Deus egit: illo teste damnauit parens,
Calidoq́ teneros transtulit ferro pedes,
Et in alta nemora pabulum misit feris,
Auibusq́ auidis, quas Cithæron noxius
Cruore sæpe regio tinctas alit.
Sed quem deus damnauit, abiecit pater,
Mors quoque refugit: præstiti Delphis fidem.
Genitorem adortus impiâ straui nece.
Hoc alia pietas redimet. occidi patrem,
Sed matrem amaui. proloqui hymenæum pudet,
Tædasq́ nostras. has quoque inuitum pati
Te coge pœnas: facinus ignotum, efferum,
Inusitatum fare, quod populi horreant,
Quod esse factum nulla non ætas neget,
Quod patricidam pudeat. in patrios toros
Tuli paterno sanguine aspersas manus,
Scelerisq́ precium maius accepi scelus:
Leue est paternum facinus, in thalamos meos
Deducta mater, ne parum scelerum foret,
Fœcunda, nullum crimen hoc maius potest
Natura ferre. si quod etiamnum est tamen,
Qui facere poßint, dedimus. abieci necis
Precium paternæ sceptrum, & hoc iterum manus
Armauit alias: optimè regni mei
Fatum ipse noui, nemo sine sacro feret
Illud cruore. magna præsagit mala
Paternus animus. iacta iam sunt semina
Cladis futuræ. sperniter pacti fides:
Hic occupato cedere imperio negat:
Ius ille, & icti fœderis testes deos
Inuocat, & Argos exsul, atque vrbes mouet
Graias in arma. non leuis feßis venit

Ruina

248 *Nox occupauit.* non repugnabo, si quis volet ex v. l. reponere *nox*. tum propter sequens *luci*; tum etiam quia Aeschylo in Agamemn. & frequenter Catullo, Virgilio, Horatio & Ouidio, *nox* mortem significat.

250 *Præcocis.* o. v. l. habent, *præcoquis*. Afranius, in Νομῳ:

Adpetis dominatum demens præmaturè præcoquem.

Nouius Comicus:

Huic puellæ præcoquis libido inest.

„ Columella lib. 1. Præcoquem maturitatem
„ trahunt. dicitur ergo etiam *præcoquis*.

251 *Abstrusum* m. s. *obstrusum*. quod vocabulum etiam in Claudiani membranis inueni, & in Prudentij m. s. inuenisse se, Victor Giselinus mihi affirmauit.

257 *Attractas.* v. l. *tinctas*. nihil muto.

265 *Inusitatum fare.* Winckeliani collegij m. s. *inusitatum effare*.

274 *Qui facere possunt.* in cod. scriptis, iisque de meliore nota, legitur *possint*. de Eteocle & Polynice loquitur; quos Euripides, Ouidius, Seneca & Papinius Oedipi & Iocastæ filios fuisse scripserunt: sed hoc refellit, in Bœoticis, Pausanias, fretus testimonio auctoris Oedipodiorum carminum, contenditque illos Oedipi ex Euryganea filios fuisse.

277 *Sacro.* nefario, scelesto. sic Virgilius, auri famem sacram, & Catullus, sacrum libellum, dixerunt.

278 *Magna præsagit mala Paternus animus.* parentum præsagia nec vana, nec inania esse solere varij poëtæ docuerunt. exemplo Cereris, Claudianus in lib. de raptu; Thetidis, Papinius in Achilleide; Dædali, Ouid. in Metamorph.

Ruina Thebis. tela, flammæ, vulnera
Instant, & istis si quod est maius malum:
Vt esse genitos nemo non ex me sciat.
AN. *Si nulla genitor causa viuendi tibi est,*
Hæc vna abunde est: vt pater gnatos regas
Grauiter furentes. tu impij belli minas
Auertere vnus, tuq; vecordes potes
Inhibere iuuenes, ciuibus pacem dare,
Patriæ quietem, fœderi læso fidem.
Vitam tibi ipse si negas, multis negas. "
OED. *Illis parentis vllus, aut æqui est amor,*
Auidis cruoris, imperij, armorum, doli,
Diris, scelestis; breuiter vt dicam, meis?
Certant in omne facinus, & pensi nihil
Ducunt, vbi illos ira præcipites agat:
Nefasq; nullum, per nefas nati, putant: "
Non patris illos tangit afflicti pudor,
Non patria: regno pectus attonitum furit.
Scio quò ferantur, quanta moliri parent:
Ideoq; lethi quæro maturi viam,
Moriq; propero, dum in domo nemo est mea
Nocentior me. gnata quid genubus meis
Fles aduoluta? quid prece indomitum domas?
Vnum hoc habet fortuna, quo possim capi,
Inuictus alias. sola tu affectus potes
Mollire duros, sola pietatem in domo
Docere nostra. nil graue aut miserum est mihi,
Quod te sciam voluisse. tu tantùm impera.
Hic Oedipus Ægea tranabit freta,
Iubente te; flammasq;, quas Siculo vomit
De monte tellus, igneos voluens globos,
Excipiet ore; seq; serpenti offeret,
Quæ sæua furto nemoris Herculeo furit,
Iubente te præbebit alitibus iecur,
Iubente te vel viuet.

ACTVS SECVNDVS.

NVNCIVS. OEDIPVS. ANTIGONE.

NVN. *Exemplum in ingens, regiâ stirpe edite,*
Thebæ pauentes arma fraterna inuocant,
Rogantq; tectis arceas patrius faces.
Non sunt minæ, iam propius accessit malum.
Nam regna repetens frater, & pactas vices,
In bella cunctos Græciæ populos agit,

304 *Leti.* sine aspirationis nota inuenitur Romæ in lapide, in domo Attilij Delphinij;
Heus oculo errante quei aspicis leti domus, &c.

317 *Sæua.* de hoc dracone ait Varro, Meleagris: adde Hydram Lernæã & draconem "
Hesperidum, quòd bestiæ fuerũt immanes. "
Furto nemoris. quia Hercules aurea mala custodiæ eius commissa auertit. Lucretius:
Aureaq; Hesperidum seruans fulgentia mala,
Asper, acerba tuens, immani corpore serpens,
Arboris amplexus stirpem ——
Lucanus:
Abstulit arboribus precium, nemoriq; laborem
Alcides, passusq; inopes sine pondere ramos,
Retulit Argolico fulgentia poma tyranno.
Agrœtas, in Libycis, ait, non poma fuisse, sed oues fului coloris: ortam verò fabulam ex ambigua significatione vocis μῆλα.

324 *Pactas vices.* de quibus L. Attius, in Phœnissis:
Vicissitatemq; imperitandi tradidit:
Ne eorum diuidia discordes dissipent,
Disturbent tantas & tam opimas ciuium
Diuitias.

Septena muros castra Thebanos premunt.
Succurre, prohibe pariter & bellum, & nefas.
OED. *Ego ille sum, qui scelera committi vetem?*
Et abstineri sanguine à caro manus
Doceam? magister iuris, & amoris pij
Ego sum? meorum exempla facinorum appetunt.
Me nunc sequuntur, laudo & agnosco libens:
Exhortor, aliquid vt patre hoc dignum gerant.
Agite ô propago clara, generosam indolem
Probate factis, gloriam ac laudes meas
Superate; & aliquid facite, propter quod patrem
Adhuc iuuet vixisse. facietis scio,
Sic estis orti. scelere defungi haud leui,
Haud vsitato, tanta nobilitas potest.
Ferte arma, facibus petite penetrales deos,
Frugemq́; flamma metite natalis soli,
Miscete cuncta, rapite in exitium omnia,
Deÿcite passim mœnia, in planum date,
Templis deos obruite, maculatos lares
Conflate: ab imo tota concidat domus,
Vrbs concremetur: primus à thalamis meis
Incipiat ignis. AN. *mitte violentum impetum*
Doloris, ac te publica exorent mala,
Auctorq́; placidæ liberis pacis veni.
OED. *Vides modestæ deditum menti senem:*
Placidæq́; amantem pacis ad partes vocas.
Tumet animus irâ, feruet immensum dolor.
Maiusq́;, quàm quod casus & iuuenum furor
Conatur, aliquid cupio. non satis est adhuc
Ciuile bellum: frater in fratrem ruat.
Nec hoc sat est. quod debet, vt fiat nefas
De more nostro, quod meos deceat toros;
Date arma patri. nemo me ex his eruat
Siluis: latebo rupis exesæ cauo,
Aut sæpe densâ corpus abstrusum tegam:
Hinc aucupabor verba rumoris vagi,
Et sæua fratrum bella, quod possum, audiam.

ACTVS TERTIVS.

IOCASTA. NVNCIVS.

IOC. *Felix Agaue, facinus horrendum, manu,*
Qua fecerat, gestauit, & spolium tulit
Cruenta nati Mænas in partes dati.
Fecit scelus: sed misera non vltra suum
Scelus hoc cucurrit. hoc leue est, quòd sum nocens:

Feci

326 *Septena*. vide Aeschylum, in tragœdia, Septem ad Thebas; ex qua nonnulla Seneca in hac tragœdia accepit.

337 *Facietis scio, Sic estis orti*. quia dixit suprà;
Nefasq́; nullum per nefas nati putant.

339 *Nobilitas*. in malam & in bonã partem sumi potest: hîc in malam sumitur.

351 *Placidæq́;*. Virgilius, Aeneid. 8.
—— placida populos in pace regebat.

359 *Rupis exesa*. alibi ait:
Num latuit infans rupis exesæ specu?

361 *Rumoris vagi*. Ouidius:
—— non ista vagis rumoribus audis.

363 *Felix Agaue*. hoc loco in multis v.l. alia scena constituitur; alij vulgatis consentiunt.

365 *Cruenta nati Mænas*. Persius:
Et raptum vitulo caput ablatura superbo Bassaris, & lyncem Mænas flexura corymbis.
Agauen, vt noster, Mænadem appellat. vide Apollodor. lib. 3. Bibl.

Feci nocentes. hoc quoque etiamnum leue est:
Peperi nocentes. deerat ærumnis meis,
Vt & hostem amarem. bruma ter posuit niues,
Et tertiâ iam falce decubuit Ceres;
Vt exsul errat gnatus, & patriâ caret,
Profugusq́; regum auxilia Graiorum rogat:
Gener est Adrasti; cuius imperio mare
Quod cingit Isthmon, regitur. hic gentes suas,
Septemq́; secum regna ad auxilium trahit
Generi. quid optem, quídve decernam, haud scio.
Regnum reposcit: causa repetentis bona est;
Mala, sic petentis. vota quæ faciam parens?
Vtrumque natum video. nil possum piè
Pietate saluâ facere: quodcunque alteri
Optabo nato, fiet alterius malo.
Sed vtrumque quamuis diligam affectu pari;
Quò causa melior, sorsq́; deterior trahit,
Inclinat animus, semper infirmo fauens.
Miseros magis fortuna conciliat suis.
NVN. *Regina, dum tu flebiles questus cies,*
Terisq́; tempus, tota nudatis stetit
Acies in armis: æra iam bellum cient,
Aquilaq́; pugnam signifer motâ vocat:
Septena reges bella dispositi parant,
Animo pari Cadmea progenies subit.
Cursu citato miles hinc atq; hinc ruit.
Vide, vt atra nubes puluere abscondat diem,
Fumoq́; similes campus in cælum erigat
Nebulas, equestri fracta quas tellus pede
Submittit: &, si vera metuentes vident,
Infesta fulgent signa: surrectis adest
Frons prima telis, aureâ clarum notâ
Nomen ducum vexilla præscriptum ferunt.
I, redde amorem fratribus, pacem omnibus,
Et impia arma mater opposita impedi.
Perge, i parens, & concita celerem gradum:
Compesce tela, fratribus ferrum excute,
Nudum inter enses pectus infestos tene:
Aut solue bellum mater, aut prima excipe.
IO. *Ibo, ibo, & armis obuium opponam caput,*
Stabo inter arma. petere qui fratrem volet, “
Petat ante matrem. tela, qui fuerit pius, “
Rogante ponat matre: qui non est pius, “
Incipiat à me. feruidos iuuenes anus

370 *Vt & hostem amarem.* vt eum, qui patriæ meæ bellum infert, amare non desisterem.

Bruma ter posuit niues. Et tertia iam falce decubuit Ceres. ita quoque Rhianus annos descripsit:

ὄρεος ἀργεννοῖο περὶ πτύχας ἐστρατόωντο
χείματά τε ποίας τε δύω καὶ εἴκοσι πάσας.

hoc est, vt vertit Romulus Amasæus, fidelis & elegans Pausaniæ interpres:

Seruarunt inter candentis deuia montis
Castra bis vndenas herbas, totidémque pruinas.

ita noster alibi;

—— decies niuibus
Canuit Ide. Ide nostris
Nudata rogis, & Sigeis
Trepidus campis decies secuit
Messor aristas.

375 *Cingit Isthmon.* in vno cod. non valde antiquis characteribus descripto, inuenio, “ *tingit Isthmon.*

390 *Aquilaq́;.* num Græci aquilas inter signa militaria habuerunt, quod poëta hic videtur velle innuere; num verò ex Romanorum more locutus? hoc arbitror.

392 *Cadmea progenies.* Thebani. suprà scripsit in Herc. Fur. actu 2. Cadmea proles. est hoc ab Aeschylo sumtum: qui Thebas κάδμου πόλιν, & Thebanum exercitum, στρατὸν καδμογενῆ vocat.

397 *Si vera metuentes vident.* pauor enim metusque sic augent omnia, vt quæ, etsi non sunt, esse cogitas, aut vt sint vereris, quasi essent re vera, videre te putes.

400 *Vexilla.* Paullus ex Festo, vexillum, “ inquit, diminutiuum à velo. videntur autem “ vexilla fuisse propriè vela, seu flammulæ illæ, quæ etiamnum hodie equitibus præferuntur. Sanè Vegetius lib. 2. cap. 1. scribit, equitum alas dici vexillationes, ab eo quòd velis, id est, flammulis vtantur. idem penè ad verbum Modestus in lib. de re milit. qua de re consule B. Brissonium de verb. signific. lib. 19. & P. Prateium thesauri Iuris ciuilis & Canonici lib. 20.

Tenebo. nullum teſte me fiet nefas:
Aut ſi quod, & me teſte, committi poteſt;
Non fiet vnum. NVN. *ſigna collatis micant*
Vicina ſignis, clamor hoſtilis fremit,
Scelus in propinquo eſt, occupa mater preces.
IOC. *Et ecce motos fletibus credas meis,*
Sic agmen armis ſegne compoſitis venit,
Procedit acies tarda, ſed properant duces.
Quis me procellæ turbine inſanæ vehens
Volucer per auras ventus ætherias aget?
Quæ Sphinx, vel atra nube ſubtexens diem
Stymphalis, auidis præpetem pennis feret?
Aut quæ per altas aëris rapiet vias
Harpyia, ſæui regis obſeruans famem,
Et inter acies proiciet raptam duas?
NVN. *Vadit furenti ſimilis, aut etiam furit.*
Sagitta qualis Parthicâ velox manu
Excuſſa fertur; qualis inſano ratis
Premente vento rapitur; aut qualis cadit
Delapſa cælo ſtella; cùm ſtringens polum
Rectam citatis ignibus rumpit viam:
Attonita curſu fugit, & binas ſtatim
Diduxit acies: victa maternâ prece
Hæſere bella. iamq; in alternam necem
Illinc & hinc miſcere cupientes manus
Vibrata tela continent dextrâ ſuâ:
Paci fauetur, omnium ferrum latet,
Ceſſatq;: telum vibrat in fratrum manu.
Laniata canas mater oſtendit comas,
Rogat abnuentes, irrigat fletu genas:
Negare matri, qui diu dubitat, poteſt.

423 *Præpetem.* Virgilius:
Præpetibus pennis auſus ſe credere cælo.

428 *Parthicâ.* hoc ait, quia Parthi erant boni ſagittarij. Vnde Parthi nomen ſortiti fuerint, docet Rodericus Archiepiſcopus Toletanus, lib. 1. rerum in Hiſpan. geſtarum cap. 11. de Tanai Scytharum rege ſic ſcribẽs: » Reuertens ferè totam Aſiam ſubiugauit, & » Formi regi Medorum tunc ſibi caro ad perſoluendum tributum ſubditam eſſe fecit; ex » cuius exercitu victore nonnulli, prouincias » ſubditas contuentes in omni fertilitate pollere, deſerto ſuorum agmine, in Aſiæ partibus reſederunt. Ex quorũ genere dicit Pompeius Trogus Parthorum proſapiam deſcendiſſe. vnde & lingua Scythica Parthi, id eſt, » fugaces ſiue exſules, dicuntur: ſuoq. generi » reſpondentes, inter omnes pænè Aſię nationes ſoli ſunt ſagittarij & acerrimi bellatores. » De nomine verò Parthorum aliqui etymologiam traxerunt, vt dicerentur Parthi, quaſi » parentum fugaces, quia à parentibus receſſerunt.

ACTVS QVARTVS.

IOCASTA. POLYNICES.

IO. *In me arma & ignes vertite, in me omnis ruat*
Vnam iuuentus, quæque ab Inachio venit
Animoſa muro, quæq; Thebana ferox
Deſcendit arce: ciuis atque hoſtis ſimul,
Hunc petite ventrem, qui dedit fratres viro.
Mea membra ſparſim ſpargite, ac diuellite,
Ego vtrunque peperi: ponitis ferrum ocyus
Ac dico? & ex æquo mihi dextras datis?
Date, dum piæ ſunt: error inuitos adhuc
Fecit nocentes: omne fortunæ fuit

444 *Ab Inachio.* ab Argis.

448 *Paſſim.* in quatuor v. l. inuenio, *ſparſim.* qua voce, ſi bene memini, L. Siſenna vſus fuit. id retinendum.

Peccantis in vos crimen: hoc primum nefas
Inter scientes geritur. in vestra manu est,
Vtrum velitis. sancta si pietas placet,
Donate matrem pace: si placuit scelus,
Maius paratum est. media se opponit parens:
Proinde bellum tollite, aut belli moram.
Sollicita cui nunc mater alternâ prece
Verba admouebo? misera quem amplectar priùs?
In vtramque partem ducor affectu pari.
Hic abfuit: sed, pacta si fratrum valent,
Nunc alter aberit: ergo iam numquam duos,
Nisi sic, videbo. iunge complexus prior
Tu, tot labores, totq. perpessus mala,
Longo parentem fessus exilio vides,
Accede propiùs: clude vagina impium
Ensem, & trementem, iamq. cupientem excuti
Hastam solo defige. maternum tuo
Coire pectus pectori clypeus vetat:
Hunc quoque repone. vinculo frontem exue,
Tegmenq. capitis triste belligeri leua;
Et ora matri redde. quò vultus refers,
Acieq. pauidâ fratris obseruas manum?
Affusa totum corpus amplexu tegam,
Tuo cruori per meum fiet via.
Quid dubius hæres? an times matris fidem?
PO. *Timeo. nihil iam iura naturæ valent:*
Post ista fratrum exempla, ne matri quidem
Fides habenda est. IO. *redde iam capulo manum,*
Astringe galeam, læua se clypeo ingerat,
Dum frater exarmatur, armatus mane.
Tu pone ferrum, causa qui es ferri prior.
Si pacis odium est, furere si bello placet:
Inducias te mater exiguas rogat,
Ferat vt reuerso post fugam nato oscula,
Vel prima, vel suprema. dum pacem peto,
Audite inermes. ille te, tu illum times:
Ego vtrunq., sed pro vtroq. quid strictum abnuis
Recondere ensem? qualibet gaude morâ.
Id gerere bellum cupitis, in quo est optimum
Vinci. vereris fratris infesti dolos?
“ *Quoties necesse est fallere, aut falli à suis;*
“ *Potiare potiùs ipse, quàm facias, scelus.*
Sed ne verere: mater insidias & hinc,
Et rursus illinc abiget. exoro, an patri

456 *Donate matrem pace.* tres lib. scripti habent; *donate matri pacem.* sicque legit Badius, testatus alteram illam lectionem Vallæ placuisse.

464 *Iunge complexus prior.* hoc inde est, quia Euripides, in Phœnissis, eodem modo Polynici priores loquendi partes defert.

469 *Maternum tuo,* &c. Euripides;
ἀμφίβαλλε μαςὸν ὠλέναισι ματρὸς,
παρηΐδων τ' ὄρεγμα——

479 *Ne matri quidem.* Polynices apud Euripidem:
πέποιθα μὲν γε μητρὶ, κοὐ πέποιθ' ἅμα.

496 *Patri Inuideo vestro?* si non exorem. cur autem? eff.cit ille oculorum iacturâ ne pugnam vestram videret: ego verò hanc intueri cogar.

Inuideo vestro? veni, vt arcerem nefas,
An vt viderem? propiùs hic ferrum abdidit
Reclinis hastæ, & arma desixa incubant.
Ad te preces nunc nate maternas feram,
Sed ante lachrymas. teneo longo tempore
Petita votis ora. te profugum solo
Patrio, penates regis externi tegunt:
Te maria tot diuersa, tot casus vagum
Egere: non te duxit in thalamos parens
Comitata primos, nec suâ festas manu
Ornauit ædes, nec suâ lætas faces
Vittâ reuinxit. dona non auro, & graues
Gazas socer, non arua, non vrbes dedit:
Dotale bellum est. hostium es factus gener,
Patriâ remotus, hospes alieni laris,
Externa consecutus, expulsus tuis:
Sine crimine exul. ne quid è fatis tibi
Deesset paternis: hoc quoque ex illis habes,
Errasse thalamis. nate post multos mihi
Remisse

499 *Reclinis*, ex m. s. lege *reclinis*.
504 *Tot casus.* sic Aeneas:
Per varios casus, per tot discrimina rerũ.
505 *Non te duxit in thalamos parens.* Euripides: ἐγὼ δ' ὅτι σοι πυρὸς ἀνῆψα φῶς νόμιμον ἐν γάμοις, ὡς πρέπει ματέρι μακαρίᾳ.
515 *Errasse thalamis.* quomodo, errasse? quia cùm ciuem, vel saltem non hostem ducere debuisset, externi sanguinis & hostilis vxorem duxit. errauit ergo Polynices thalamis, sicut Oedipus; oraculo vxorem accepit, quemadmodum Oedipus: exulauit quoque sine culpa Thebis, vt Corintho Oedipus. Ex hoc autem loco si quis colligat, Thebanis nõ nisi Thebanas vxores ducere licuisse; fortassis non æquè errauerit atque Sigonius, antiquitatis quàm iuris peritior, qui lib. 1. de antiquo iure ciuium Romanorum cap. 9. Iustinianum reprehendit, in princip. Instit. de nuptiis, affirmantem iustas nuptias inter se ciues Romanos contrahere; quasi neget iccirco Imp. iustas nuptias esse quas cum Latina Romanus ciuis contraxisset. At scire debuit, etiam Latinos, Romanorũ ciuium numero haberi à Iustiniano. Post Antonini enim constitutionem, omnes qui in orbe Romano sunt, Romani ciues sunt. l. in orbe, D. de statu hominum. Sanè ante Antonini constitutionem cum Latina Romanus matrimonium contrahere non potuit; & quod contraxerant matrimonium, iniustum censebatur, vt docent Caius lib. 1. Institut. tit. 4. & Boëtius lib 2. in Topic. Ciceronis. Vlpianus etiam (cui omnes omnino Græculos scriptores longo interuallo postponendos, cùm de Romanorum iure agitur, nemo opinor dubitat) regularum tit. 5. ita scribit: „ Connubium habent ciues „ Romani cum ciuibus Romanis: cum Latinis autem & peregrinis ita si concessum sit. Subiungit deinde: Ex ciue „ Romano & Latina, Latinus nascitur; & ex libero & ancilla, seruus. quoniam cùm his casibus connubia non sint, „ partus sequitur matrem. Seneca lib. 4. de benefic. postquam scripsit licere non præstare beneficium promissum, si lex lata erit, quæ id fieri vetet, subiungit exemplum huiusmodi: *Promisi tibi filiam in matrimonium, postea peregrinus apparuisti: non est mihi cum externo connubium. eadem res me defendit, quæ vetat.* Videris opinor id defendi etiam antiquo iure posse, quod falsò Iustiniano Sigonius tribuit. quod elegantissimè defendit Gabriel Paleottus in lib. de nothis & spuriis cap. 2. nu. 4. cum 2. seqq. præterea videris Latinum fuisse qui ex Latinâ matre nascebatur: videlicet quia non intercedente coniugio, matris conditionem liberi sequuntur. l. lex naturæ, D. de statu hominum. nisi fortè pater peregrinus, mater Romana sit. tunc enim deterioris parentis conditioni liberi accedent, vt specialiter iubet lex Mensia, teste Vlpiano d. tit. 5. Ceterùm verè Iustinianus noster eas iustas nuptias esse dixit, quas Romanus ciuis cum ciue Romana contraxerat. agens non de vrbis Romæ incolis tantùm, sed de vniuersi orbis Romani ciuibus; qui cum iis qui extra Romanum orbem erant, hoc est, gentilibus seu Barbaris, iustas nuptias contrahere nequibant, Iustiniani temporibus, vt docet Agathias, qui eo imperante floruit, his verbis:

εἰ δὲ καὶ ὀθνείη ποτί σοι νόμος αἶσχος ἀνάψῃ
ὕβριν ἀνιχνεύων σύγκοιτος ἀλλοτρίου.

Fuit hoc fortassis, ad imitationem antiqui iuris, à Valentiniano & Valente Impp. primò cautum. quos constat legem tulisse, ne quis Romanorum barbaram cuiuslibet gentis vxorem caperet, neque vlla mulier Romana barbaris nuberet; quod si contra fecissent, capitali sententiæ subiacerent. hanc enim constitutionis illius sententiam fuisse Anianus tradidit. Ipsa constitutio etiamnum hodie exstat lib. 3. C. Theodos. tit. 14. de nupt. gent. his ver„ bis descripta: Nulli prouincialium, cuiuscumque ordinis & loci fuerint, cum barbara sit vxore coniugium: nec „ vlli gentilium prouincialis femina copuletur. Quòd si quæ inter prouinciales atque gentiles affinitates ex hu„ iusmodi nuptiis exstiterint, quod in iis susceptum vel natum deregitur, capitaliter expietur. Demosthenes etiam κτ̃ Νεαίρ. satis ostendit, Athenienses non nisi inter se iustas nuptias contrahere potuisse; atque, vt scribit Plutarchus, pro nothis habitos qui non ambobus parentibus Atheniensibus nati erant. ab Atheniensibus itaque Romani hoc institutum acceperunt; Athenienses verò fortè ab Hebræis, qui nec ipsi alienigenis poterant commisceri. Fieri potest, vt etiam apud Thebanos talis aliqua lex fuerit.

Remiße soles. nate sollicitæ metus
Et spes parentis, cuius aspectum deos
Semper rogaui: cùm tuus reditus mihi
Tantum esset erepturus aduentu tuo,
Quantum daturus. quando pro te desinam,
Dixi, timere? dixit irridens Deus,
Ipsum timebis. nempe, nisi bellum foret,
Ego te carerem: nempe, si tu non fores,
Bello carerem. triste conspectus datur
Pretium tui, durumq́; sed matri placet.
Hinc modò recedant arma, dum nullum nefas
Mars sæuus audet. hoc quoq; est magnum nefas,
Tam propè fuisse. stupeo, & exsanguis tremo:
Cùm stare fratres hinc & hinc video duos
Sceleris sub ictu. membra quassantur metu.
Quàm penè mater maius aspexi nefas,
Quàm quod miser videre non potuit pater!
Licet timore facinoris tanti vacem,
Videamq́; iam nil tale; sum infelix tamen,
Quòd penè vidi. Per decem mensûm graues
Vteri

516 *Soles* dies. Catullus:
Soles occidere & redire possunt. &:
Fulsêre quondam candidi tibi soles.
Virgil. 5. Aeneid.
Tres adeò incertos cæca caligine soles
Erramus.

523 *Nempe, si tu.* exstat in hoc figuræ genere elegans Alcinoi epigramma:
De numero vatum si quis seponat Homerum,
Proximus à primo tũ Maro primus erit:
At si post primum Maro seponatur Homerum,
Longè erit à primo quisquis secundus erit.

535 *Per decem mensûm* quamuis partus à septimo ad decimum vsque mensem & vndecimi principium naturaliter edi possit ex sententia Aristotelis lib. 7. de natura animal. Hippocratis multis in locis, Plutarchi lib. 5. de plac. Philosoph. Laërtij in vita Pythagoræ, Cēsorini in lib. de die natali, Paulli lib. 4. recep. sent. tit. 9. Gellij lib. 3. noctium Atticar. Macrobij in somnium Scipionis lib. 1. Ausonij eidyl. 21. & D. Ambrosij in Hexamero: scriptores tamen plerique vel augendi laboris gratiâ, vel quia veteres vt nos nono, sic illi decimo potissimùm mense mulierem parere credebant, hac in re frequentiùs decimum mensem vsurpant. Solomon, in lib. σοφία Σολομῶντος (nam licet Hebræi, & ex eorum sententia Renatus Guillonius & And. Tiraquel. in lib. de nobilitate illum librum Philoni Iudæo tribuant: nos tamen secuti S.R.E. traditionem, ex Irenæi, Eusebij, & Hegesippi auctoritate, Regis sapientiss. esse contendimus. vide Couarruuiam lib. 4. resolut. cap. 14. & Pamelium in D. Cyprian. lib. de mortalitate, & Xistum Senens. in Biblioth. sacra) ait: ἐν κοιλίᾳ μητρὸς ἐλήφθην σὰρξ δεκαμηνιαίῳ, παγεὶς ἐν αἵματι ἐκ σπέρματος ἀνδρὸς καὶ ἡδονῆς ὕπνῳ συνελθούσης. Menander, Plotio: γυνὴ κυεῖ δεκάμηνος. Moschus: ἐπεὶ δέκα μῆνας ἔκαμνεν. Scæuola lib. 6. quæstionum: Gallus sic posse institui postumos nepotes induxit: Si filius viuo me moriatur, tunc si quis mihi ex eo nepos, siue quæ neptis, in decem mensibus proximis, quibus filius meus moreretur, natus nata erit, heredes sunto. l. Gallus in princ. D. de lib. & postu. Plautus in Cistellaria, Amphitryone, Sticho, Aulularia, & Truculento multa exempla suppeditat. Cæcilius: *Insolétne mulier decumo mense parere?* *Pol nono quoque, septimo atque octauo.* Terentius: —— *virgo ex eo* *Compressu grauida facta est, mensis hic decimus est.* Ad quem locum Aelius Donatus, si modò illius & non Asperi, Cornuti, vel alterius ea sunt, ita: Præterea quia & hoc potuit dici, ille quidem vitiauit virginem, sed quid si ex alio concepit postea? iccirco & à vitio tempus ostendit, vt cum facto ratio conueniret. Virgilius in Pollione: *Matri longa decem tulerunt fastidia menses.* Ouidius, in epist. Canaces: *Iam nouies erat orta soror pulcherrima Phœbi,* *Denaq; luciferos Luna mouebat equos:*
Nescia quæ faceret subitos mihi causa dolores, *Et rudis ad partus & noua miles eram.*
Vndecimi quoque, à morte mariti, mensis initio natos legitimos esse, non autem natos in fine eiusdem mensis, docuit ex Nouel. 39. nostræ ætatis I.C. princeps Cuiacius ad dictum locum sententiar. Pauli, cui addo Iacobũ Menochium de arbitrar. iudic. lib 2. centur. 1. casu 89. & Stephanum Forcatulum in Cupidine Iurisperitor cap. 21. num. 5. Ferandum Adduensem, lib. 1. explicat. cap. 6. Attamen Homerus affecto anno, vt Phauorinus loquebatur, mulierem parere posse censuit. Aristoteles lib. 7. de historia animalium prodidit, mulieres etiam vndecimo mense partu liberari. Massurius apud Plinium lib 7. cap. 5. auctor est, quandam tredecim mensibus vterum tulisse. Auicenna refert, lib 9. de animalib. probatæ fidei auctores tradere, inuentam feminam, quæ decimoquarto demum mense, quam conceperat, prolem pepererit. Quid dicendum? sanè quod ad Plinium, veram lectionem Plinij esse existimo, quam Cuiacius ad d. Nouel. 39. scribit se in v. l. inuenisse: Massurius auctor est, L. Papirium Prætorem, coherede lege agente, bonorum possessionem contra eum dedisse, cùm mulier partum se decem mensibus diceret tulisse. Aristotelem autem de vndecimi mensis initio, non fine, sensisse arbitror. Iam quæ ex Homero & Auicenna addidimus, parum me mouent. vt enim scripsit Theophrastus: τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δὶς παραβαίνουσιν οἱ νομοθέται. l. 5. D. de legib. & S.C. & l. 4 & 9. eodem tit. *Mensûm.* pro mensium τῇ ἐξαιρέσει. idque non ab Ouidio tantùm, Lactantio, & Honorio Fortunato poëtis, sed etiam à Paullo I.C. vsurpatur, lib. singulari de cognitionibus: Vbi lex

» duorum mensium fecerit mentionem.l.101. D.de diuers. reg. iur. antiq ibi enim multi codices, mensûm,non,mensium,habent.

536 *Labores.* rectè ergo apud Claudianũ lib.2.de laudibus Stilichonis scriptum fuit:

Et sacri Mariæ partus, Lucina labores
Solatur ——

560 *Quòd armis vertis infestis solum.* placet hæc lectio o.ta.nen v.l.habent; *quòd armis nostrum infestas solum.* nonnulli verò vulgati; *quòd armis vris infestis solum.*

566 *Has Amphionis.* Euripides,in Phœnissis;

Ἁρμονίας δέ ποτ' εἰς ὑμεναίους
ἦλθον οὐρανίδαι. φόρμιγγί τε τείχεα Θήβας,
τᾶς Ἀμφιονίας τε λύρας ὕπο, πύργος ἀ-
νέστα, &c.

Vteri labores,perq́; pietate inclytas
Precor sorores, & per irati sibi
Genas parentis; scelere quas nullo nocens,
Erroris à se dira supplicia exigens,
Hausit; nefandas mœnibus patriis faces
Auerte: signa bellici retro agminis
Flecte.vt recedas; magna pars sceleris tamen
Vestri peracta est.vidit hostili grege
Campos repleri patria,fulgentes procul
Armis cateruas; vidit equitatu leui
Cadmea frangi prata, & excelsos rotis
Volitare proceres, igne flagrantes trabes
Fumare,cineri quæ petunt nostras domos:
Fratresq́; (facinus quod nouum & Thebis fuit)
In se ruentes: totus hic exercitus
Et populus omnis, & vtraque hoc vidit soror,
Genitrixq́; vidit:nam pater debet sibi,
Quod ista non spectauit. occurrat tibi
Nunc Oedipus; quo indice,erroris quoque
Pœna petuntur.ne,precor,ferro erue
Patriam,ac penates:néve,quas regere expetis,
Euerte Thebas. quis tenet mentem furor?
Petendo patriam perdis.vt fiat tua,
Vis esse nullam? quin tuæ causæ nocet
Ipsum hoc; quòd armis vertis infestis solum,
Segetesq́; adustas sternis, & totos fugam
Edis per agros. nemo sic vastat sua.
Quæ corripi igne,quæ meti gladio iubes,
Aliena credis? rex sit è vobis vter,
Manente regno quærite. hæc telus petes,
Flammisq́; tecta? poteris has Amphionis
Quassare moles? nulla quas struxit manus,
Stridente tardum machinâ ducens opus.
Sed conuocatus,vocis & citharæ sono,
Per se ipse turres vênit in summas lapis.
Hæc saxa franges victor?hinc spolia auferes,
Vinctosq́; duces patris æquales tui?
Matres ab ipso coniugum raptas sinu,
Sæuus catenâ miles impositâ trahet:
Vt adulta virgo, mista captiuo gregi,
Thebana nuribus munus Argolicis eat?
An & ipsa palmas vincta post tergum datas
Mater triumphi præda fraterni vehar?
Potésne ciues lætus exitio datos

Videre

Videre passim? mœnibus charis potes
Hostem admouere? sanguine & flamma potes
Implere Thebas? tam ferum & durum geris
Sæuumq; in iras pectus, & nondum imperas?
Quid sceptra facient? pone vesanos, precor,
Animi tumores, teq; pietati refer.
PO. *Vt profugus errem semper? vt patria arcear,*
Opemq; gentis hospes externæ sequar?
Quid paterer aliud, si fefellissem fidem,
Si peierassem? fraudis alienæ dabo
Pœnas? at ille præmium scelerum feret?
Iubes abire. matris imperio obsequor:
Da, quò reuertar. regiâ frater meus
Habitet superbâ: parua me abscondat casa;
Hanc da repulso. liceat exiguo lare
Pensare regnum. coniugi donum datus
Arbitria thalami dura felicis feram,
Humilisq; socerum lixa dominantem sequar?
In seruitutem cadere de regno, graue est.
IO. *Si regna quæris, nec potest sceptro manus*
Vacare sæuo: multa, quæ possunt peti
In orbe toto, quælibet tellus dabit.
Hinc nota Baccho Tmolus attollit iuga,
Quâ lata terris spacia frugiferis iacent;
Et quâ trahens opulenta Pactolus vada,
Inundat auro rura; nec lætus minùs
Mæandros aruis flectit errantes aquas,
Rapidusq; campos fertiles Hebrus secat.
Hinc grata Cereri Gargara, & diues solum,
Quod Xanthus ambit niuibus Idæis tumens.
Hinc, qua relinquit nomen Ionij maris,
Fauces Abydi Sestos opposita premit.
Aut, quâ latus iam propior Orienti dedit,
Tutamq; crebris portubus Lyciam videt:
Hæc regna ferro quære, in hos populus ferat
Socer arma fortis: has paret sceptro tuo,
Tradatq; gentes. hoc adhuc regnum puta
Tenere patrem. melius exsilium est tibi,
Quàm reditus iste. crimine alieno exsulas,
Tuo redibis. meliùs vsus viribus,
Noua regna nullo scelere maculata appetes.
Quin ipse frater, arma comitatus tua,
Tibi militabit. vade, & id bellum gere,
In quo pater materq; pugnanti tibi

593 *Superbus.* in o. v.l. scriptis & excusis legitur, *superba.*

596 *Arbitria thalami.* qui enim ditiorem vxorem ducit, dominam ducit cui seruiat, teste Aristotele lib. 8. ethic. cap. 10. Vnde Euripides, in Menalippe;

ὅσοι γαμοῦσι δ' ἢ γένει κρείσσους γάμους,
ἢ πολλὰ χρήματ', οὐκ ἐπίστανται γαμεῖν.
τὰ τῆς γυναικὸς γὰρ κρατοῦντ' ἐν δώμασι
δουλοῖ τὸν ἄνδρα, κοὐκ ἔτι ἔστ' ἐλεύθερος.

Anaxandrides:

ἂν γὰρ πένης ὤν, τὴν γυναῖκα χρήματα
λαβὼν, ἔχει δέσποιναν, οὐ γυναῖκ' ἔτι,
" ἧς ἐστὶ δοῦλος καὶ πένης ——

idem sentiunt Plautus in Menæchmis, in Milite glorioso, in Aulularia, & in Asinaria, Aelius Fuscus & Silius Bassus apud Senecam Philosophum lib. 2. controuersiar. vbi fortassis *Silij Bassi*, pro *Salei Bassi*, legitur. Ceterùm quod in præcedenti versu dixit, *coniugi donum datus*; non multum dissidet ab his Menandri;

ὅταν πένης ὤν, καὶ γαμεῖν τις ἑλόμενος,
τὰ μετὰ γυναικὸς ἐπιδέχηται χρήματα,
αὑτὸν δίδωσιν, οὐκ ἐκείνην λαμβάνει.

598 *In seruitutem cadere de regno graue est.* quia, vt ait Xenophon, οὐ γὰρ τὸ μὴ λαβεῖν τὰ ἀγαθὰ, οὕτω χαλεπὸν, ὥσπερ τὸν λαβόντα στερηθῆναι λυπηρόν.

601 *Nota Baccho Tmolus.* ait Baccho nota, quia Tmolus Lydiæ mons maximam vini copiam gignit, vel quia eum superauit Bacchus. Mutianus ter cõsul, tradit in Tmoli vertice habitantes centum & quinquaginta annos viuere.

604 *Quâ trahens opulenta Pactolus vada.* Oedipi actu 2.

Diuite Pactolus vexit te Lydius vnda
Aurea torrenti deducens flumina ripa.

Terentius Varro, in lege Mænia,

Non hos Pactolus aureas vndas agens
Eripiet vnquam è miseriis.

608 *Grata Cereri Gargara.* Virgilius 1. Georg.

—— *ipsa suas mirantur Gargara messes.*

omnino vide Macrobium Saturnal. libro 5. cap. 20.

626 *Dubias Martis incerti vices.* belli exitus incertos esse scripsit Cicero in epistolis ad familiares duobus locis, semel in epist. ad Atticum, Philippica 10. & 13. in orat. pro Milone, & in orat. pro M. Marcello. Thucydides lib 2. *ἄδηλα γὰρ τὰ τῶν πολέμων.* Liuius lib. 30. Nusquam minus quàm in bello euentus respondent.

629 *Fortuna belli.* sic passim scriptores loquuntur, idque quia in bellis maximè fortuna dominatur, teste Cicerone pro Marcello. Ennius, in Annal.

Quorum virtuti belli fortuna pepercit.

Sallust. in Catilinar. Optumum ratus in tali re fortunam belli tentare. Idem, in orat. Lepidi; Quos fortuna belli consumserat. Quintus Curtius lib. 5. Experto belli fortunam. Ouid. l. 7. Metamorph.

—— pendebat adhuc belli fortuna ——

630 *Exaequat duos.* apud Claudianum ait Stilicho;

Qui stetit aequatur campo ——

633 *Fauisse fac.* haec etiam ab Euripide sumsit, sed meliùs tractauit.

645 *Ne metue, pœnas equidem soluet graues, Regnabit.* PO *haec est pœna?* IO. *si dubitas, auo Patriq; crede.* sic in o. v. l. legitur. in vulgatis exstant edita hoc modo: *Ne metue, pœnas equidem soluet graues, Regnabit. haec est pœna. si dubitas, auo Patriq; crede.*

664 *Imperia precio quolibet constant bene.* Euripides:

εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
κάλλιστον ἀδικεῖν· τ' ἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.

hos versus auctor est Suetonius lib. 1. sic à Cicerone conuersos fuisse:

Si violandum est ius, imperij gratia
Violandum est: aliis in rebus pietatem colas.

quae cùm Caesar Iulius continuò haberet in ore, omnia iura diuina & humana, inquit Cicero lib. 1. offic. peruertit, propter eũ quem sibi opinionis errore finxerat principatum. Meritò Ennius scripsit:

Nulla sancta societas, nec fides regni est.

Porrò ab hoc versu cetera desiderantur, vt arbitror, non tam iniuria temporis, quàm quia auctor ea non composuerit: sed vel morte praeuentus, vel aliam ob causam extremam huic tragoediae manum imponere vel non voluerit, vel non potuerit: certè nõ imposuit.

Fauere possint, regna cum scelere, omnibus
Sunt exsiliis grauiora. nunc belli mala
Propone, dubias Martis incerti vices.
Licet omne tecum Graeciae robur trahas,
Licet arma longè miles ac latè explicet:
Fortuna belli semper ancipiti in loco est.
Quodcumque Mars decernit: exaequat duos,
Licet impares sint, gladius: & spes, & metus
Sors caeca versat. praemium incertum petis,
Certum scelus. fauisse fac votis deos
Omnes tuis: cessêre, & auersi fugam
Petiere ciues, clade funestâ iacens
Obtexit agros miles: exsultes licet,
Victorq; fratris spolia deiecti geras;
Frangenda palma est. quale tu id bellum putas,
In quo execrandum victor admittit nefas,
Si gaudet? hunc, quem vincere infelix cupis,
Cùm viceris, lugebis. infaustas age
Dimitte pugnas. libera patriam metu,
Luctu parentes. PO. *sceleris & fraudis suae*
Pœnas nefandus frater, vt nullas ferat?
IO. *Ne metue, pœnas & quidem soluet graues.*
Regnabit. PO. *haec est pœna?* IO. *si dubitas, auo*
Patriq; crede: Cadmus hoc dicet tibi,
Cadmiq; proles. sceptra Thebarum fuit
Impune nulli gerere, nec quisquam fide
Rupta tenebat illa: iam numeres licet
Fratrem inter istos. PO. *numero, & est tanti mihi*
Cum regibus iacere. IO. *te turbae exulum*
Asscribo: regna, dummodo inuisus tuis.
PO. *Regnare non vult, esse qui inuisus timet.*
Simul ista mundi conditor posuit Deus,
Odium, atque regnum. regis & magni reor
Odia ista premere. multa dominantem vetat
Amor suorum: plus in iratos licet.
Qui vult amari, languidâ regnet manu.
IO. *Inuisa numquam imperia retinentur diu.*
PO. *Praecepta meliùs imperij reges dabunt.*
IO. *Exsilia tu dispone.* PO. *pro regno velim*
Patriam, penates, coniugem flammis dare.
Imperia precio quolibet constant bene.

Deest in hac Tragoedia finis.

L. ANN. SENECÆ Hippolytus.

TRAGOEDIA IIII.

PERSONÆ.

Hippolytus.	Chorus.
Phædra.	Theseus.
Nuncius.	Nutrix.

ACTVS PRIMVS.

HIPPOLYTVS.

Anapæstici.



TE, *vmbrosas cingite siluas,*
Summaq́; montis iuga Cecropij,
Celeri plantâ lustrate vagi:
Quæ saxa solo Carpeneito
Subiecta iacent; quaq́; Thriasius
Vallibus amnis rapidâ currens
Verberat vndâ: scandite colles
Semper canos niue Riphæâ.
Hac hac alij, quâ nemus altâ
Texitur alno, quâ prata iacent,
Quâ rorifera mulcens aura
Zephyrus vernas euocat herbas.
Vbi per glacies lenis Ilissus;
Vbi Mæander super æquales
Labitur agros piger, & steriles
Amne maligno radit arenas.
Vos, quâ Marathon tramite læuo
Saltus aperit; quâ comitatæ
Gregibus paruis nocturna petunt
Pabula fœtæ: vos, quâ tepidis
Subditus austris, frigora mollit
Durus Acarnan. alius rupem
Dulcis Hymetti; paruas alius
Calcet Aphydnas. pars illa diu
Vacat immunis, quâ curuati

Litora

IN HIPPOLYTVM ADVERSARIA.

HIPPOLYTVS. sic tragœdias inscripserunt, Euripides, cuius exstat; & Lycophron, cuius interiit. Sopatri Hippolytum citat Athenæus. Hippolyti historiæ planè similem Comminij cuiusdã refert Plutarchus in Parallelis, ex Dosithei Italica historia.

4 *Solo.* deserto. Solinus Polyhist. cap. 41. Quod à Tigrane Armenio subactum & diu solum. ceterùm ista Hippolyti verba προσ-ῳδικῷ carmini sunt simillima: quale fuit venatorium poëma, quod Eriphanis poëtria Menalcæ amore capta fertur composuisse: cuius historiam Elearchus descripsit.

8 *Niue Riphæa.* Lucanus;

Riphæas huc solue niues ——

12 *Zephyrus vernas.* Claudianus, de Zephyro;

——*pater ô gratissime veris, &c.*

ac paullo pòst;

—— *ille nouo madidantes nectare pennas*
Concutit, & glebas fœcundo rore maritat;
Quaq́; volat vernus sequitur color, omnes in herbas
Turget humus, medioq́; patent conuexa sereno,
Sanguineo splendore rosas, vaccinia nigro
Imbuit, & dulci violas ferrugine pingit.

Porrò in antiq. Parisiensi, sequens versus; *vbi per glacies lenis Ilissus.* quem agnoscunt quidam v. l. non habetur.

15 *Piger.* propter crebros flexus & reflexus. Seneca:

Qualis incertâ vagus Mæander vndâ ludit, & cedit sibi.

Ouidius autem;

Non secus ac liquidis Phrygius Mæander in vndis
Ludit, & ambiguo lapsu refluitque, fluitq́;.

16 *Maligno.* cur maligno? an quia non satis terras, quas solùm radit, vndis suis irrigat & fecundat; sed tantùm leuiter aspergit, nunquam eodẽ loco stabilis permanens? an maligno, hoc est, doloso, seu tortuoso? sanè Auna Alexiad. lib. 4 σκολιώτατον ποταμὸν ἀχέοντα καὶ καμπὰς συνεχεῖς ποιούμενον vocat.

22 *Durus Acarnan.* noster durum, Statius asperum, non alia opinor de causa, quàm quia Acarnanes strennui bellatores fuerunt. vnde Pindarus:

Ἀχάρναι δ᾽ παλαίφατοι εὐάνορες. †

† 23 *Dulcis Hymetti.* dulcis propter mellis copiam. Iuuenalis; —— *dulcisq́; senex vicinus Hymetto.*

25 *Quà curuati litora Ponti Sunion vrget.* Pomponius Mela lib. 2. Aegæum statim pelagus vastè longum ‹‹

» litus impellit, hinc ad promontorium, quod » Sunion vocatur, magno ambitu molliq; cir- » cumagit.

28 *Philipis.* autographa *Philippis.*

31 *Acres.* Virgilius Georg. 3.

Veloces Spartæ catulos, acremq; molossum.

33 *Cressa.* m.s. *Cretes.* sed & Claudianus:

Hirsutaq; fremant Cressæ ——

35 *At Spartanos.* Laconici canes etiam ab Eustathio Odyss. ρ'. Aristæneto in epistolis, Xenophonte, Oppiano & Nemesiano in Cynegeticis, Virgilio 3. Georg. demum Sophocle, Nonno & Claudiano cõmendantur.

36 *Nodo.* olim venaticæ canes non funibus modò, vt hìc, sed & catenis retinebãtur. Ennius hoc docet;

Sicuti si quando vinclo venatica aëno
Apta solet cani', fortè feram si ex nare sagaci
Sẽsit, voce sua nictatq; vlulatq; ibi acutè.

vbi pro *apta*, fortè reponendum, *capta.*

46 *Picta rubenti linea pennâ.* hoc genus retis, formido dicitur; quod erat cõparatum, vt id effugere cupientes feræ in veros casses inciderent: eius confectionem docet Gracius in lib. de Venatione. Virgil. 3. Georg.

—— *nec cassibus vllis*
Puniceæue agitant pauidos formidine pennæ.

idem Aeneid. 12.

—— *puniceæ septum formidine pennæ.*

Ouidius Metamorph. 15.

Nec formidatis ceruos includite pennis.

& Fastorum 5.

—— *pauidos formidine ceruos*
Terret ——

48 *Libretur.* quidam v.l. *vibretur.*

57 *Gelidum potat Araxem.* Lucanus;

Non tibi cùm primùm gelidum transibis Araxem.

65 *Latiq; feri cornibus vri.* vros fingit εὐρυμετώπους, vt loquitur Hesiodus: quod Plautus patales reddidit.

Litora ponti Sunion vrget.
Si quem tangit gloria siluæ,
Vocat hunc Philipis: hîc versatur
Metus agricolis, vulnere multo
Iam notus aper. at vos laxas
Canibus tacitis mittite habenas:
Teneant acres lora Molossos,
Et pugnaces tendant Cressæ
Fortia trito vincula collo.
At Spartanos (genus est audax
Auidumq; feræ) nodo cautus
Propiore liga: veniet tempus,
Cùm latratu caua saxa sonent:
Nunc demissi nare sagaci
Captent auras, lustraq; presso
Quærant rostro; dum lux dubia est,
Dum signa pedum roscida tellus
Impressa tenet: alius raras
Ceruice graui portare plagas,
Alius teretes properet laqueos:
Picta rubenti linea pennâ
Vano cludat terrore feras.
Tibi libretur missile telum:
Tu graue, dextrâ læuâq; simul,
Robur lato dirige ferro:
Tu præcipites clamore feras
Subsessor ages: tu iam victor
Curuo solues viscera cultro.
Ades en comiti diua virago,
Cuius regnô pars terrarum
Secreta vacat: cuius certis
Petitur telis fera, quæ gelidum
Potat Araxen, & quæ stanti
Ludit in Istro: tua Getulos
Dextra leones, tua Cretæas
Sequitur ceruas: nunc veloces
Figis damas leuiore manu.
Tibi dant variæ pectora tigres,
Tibi villosi terga bisontes,
Latisq; feri cornibus vri.
Quicquid solis pascitur aruis;
Siue illud inops nouit Garamas,
Siue illud Arabs diuite silua,
Siue ferocis iuga Pyrenes,

Siue

Siue Hyrcani celant saltus,
Vacuisq́; vagus Sarmata campis;
Arcus metuit Diana tuos.
Tua si gratus numina cultor
Tulit in saltus, retia vinctas
Tenuere feras, nulli laqueum
Rupere pedes: fertur plaustro
Præda gementi: tum rostra canes
Sanguine multo rubicunda gerunt;
Repetitq́; casas rustica longo
Turba triumpho. en Diua faue,
Signum arguti misere canes,
Vocor in siluas: hac hac pergam,
Quà via longum compensat iter.

71 *Vagus.* carens certis sedibus Papinius;
Quæ modò Marcomanos post horrida bella vagosq́;
Sauromatas.
& alio loco;
—— mutatoresq́; domorum
Sauromatæ ——
Sauromatæ & Sarmatæ iidem sunt.
75 *Tenuere.* quia sicut aues glutino, sic feræ retibus tenentur. ideo Varro, in Parmenone, retia viscum appellat:
Lepusculi timentis hoc quadrangulum
Dedit Diana rete nexile, arcyas,
Viscum fugarum lineamq́; compedem.
77 *Gementi.* Virgilius;
Nec cessant plaustris vectare gementibus ornos.
quidam m. s. *trementi.*
Rostra. impropriè, pro rictibus.

PHÆDRA. NVTRIX.

PH. *O magna vasti Creta dominatrix freti;*
Cuius per omne litus innumeræ rates
Tenuere pontum, quicquid Assyriâ tenus
Tellure Nereus peruium rostris secat;
Cur me in penates obsidem inuisos datam,
Hostiq́; nuptam degere ætatem in malis,
Lachrymisq́; cogis? profugus en coniux abest,
Præstatq́; nuptæ, quam solet, Theseus fidem.
Fortis per altas inuij retro locus
Vadit tenebras miles audacis proci,
Solio vt reuulsam regis inferni abstrahat,
Pergit furoris socius: haud illum timor
Pudorq́; tenuit: stupra & illicitos toros
Acheronte in imo quærit Hippolyti pater.
Sed maior alius incubat mœsta dolor:
Non me quies nocturna, non altus sopor
Soluêre curis: alitur, & crescit malum,
Et ardet intus, qualis Æthnæo vapor
Exundat antro: Palladis telæ vacant,
Et inter ipsas pensa labuntur manus.
Non colere donis templa votiuis libet,
Non inter aras Atthidum mistam choris,
Iactare tacitis conscias sacris faces;
Nec adire castis precibus aut ritu pio
Adiudicatam præsidem terræ deam.
Iuuat excitatas consequi cursu feras,
Et rigida molli gesa iaculari manu.
Quò tendis anime? quid furens saltus amas?

84 *O magna vasti Creta dominatrix freti.* hunc locum in Solini emendationibus exposui. nunc addo Thucydidis ista è lib. I. Μίνως γὰρ παλαιότατος ὧν ἀκοῇ ἴσμεν, ναυτικὸν ἐκτήσατο, καὶ τῆς νῦν Ἑλληνικῆς θαλάσσης ἐπὶ πλεῖστον ἐκράτησε, καὶ τῶν Κυκλάδων νήσων ἦρξέ τε, &c.
91 *Quam solet.* quam præstitit Ariadnæ, Helenæ, Hippolytæ, Melibœæ, aliisque non paucis, Catullo, in carmine de nuptiis Pelei & Thetidis, Athenæo li. 13. Ouidio in Epist. Helenæ, & Plutarcho in Theseo, auctoribus.
92 *Inuij retro.* alibi ait;
Acheron inuius Renauigari.
93 *Audacis proci.* Pyrithoi Proserpinam Ditis thalamo deducere adorti.
97 *Hippolyti.* hic primo vocabatur Demophon, teste Plutarcho in Theseo; teste verò Pausania, Tyndarides: quomodo illũ vocauit Plinius lib. 29. hist. natural cap. 1. postea dictus Virbius.
102 *Palladis telæ.* Pallas arti textoriæ & lanificæ præficitur ab Ouidio, Aristide, & Claudiano, cuius quidem lib. 2. in Eutrop. sunt hæc;
Tu potes alterius studiis hærere Mineruæ,
Et telas non tela pati ——
alterius, dicit ex eorum sententia, qui Mineruam lanificiorum præsidem, à bellica Minerua seiungebant.
109 *Iuuat.* apud Ouidium in Heroid. epist. ait Phædra;
Iam quoque, vix credas, ignotas mittor in artes,
Est mihi per sæuas impetus ire feras.
In nemus ire libet, pressisq́; in retia ceruis
Hortari celeres per iuga longa canes.

Fatale miseræ matris agnosco malum:
Peccare noster nouit in siluis amor.
Genitrix tui me miseret: infando malo
Correpta, pecoris efferi sæuum ducem
Audax amasti. toruus, impatiens iugi,
Adulter ille, ductor indomiti gregis:
Sed amabat aliquid: quis meas miseræ Deus,
Aut quis iuuare Dædalus flammas queat?
Non, si ille remeet arte Mopsopiâ potens;
Qui nostra cacâ monstra conclusit domo;
Promittat vllam casibus nostris opem.
Stirpem perosa Solis inuisi Venus,
Per nos catenas vindicat Martis sui,
Suasq́; probris omne Phœbeum genus
Onerat nefandis: nulla Minois leui
Defuncta amore est. iungitur semper nefas.
NVT. *Thesea coniux, clara progenies Iouis,*
Nefanda casto pectore exturba ocyus,
Extingue flammas, néve te diræ spei
Præbe obsequentem. quisquis in primo obstitit, “
Repulitq́; amorem; tutus ac victor fuit: “
Qui blandiendo dulce nutriuit malum; “
Serò recusat ferre, quod subiit, iugum. “
Nec me fugit, quàm durus, & veri insolens,
Ad recta flecti regius nolit tumor.
Quemcunque dederit exitum casus, feram:
Fortem facit vicina libertas senem. “
[Obstare primum est velle, nec labi via: “
Pudor est secundus, nosse peccandi modum.] “
Quò misera pergis? quid domum infamē grauas,
Superasq́; matrem? maius est monstro nefas:
Nam monstra fato, moribus scelera imputes. “
Si, quòd maritus supera non cernit loca,
Tutum esse facinus credis, & vacuum metu;
Erras. teneri crede Lethæo abditum
Thesea profundo, ferre perpetuam Stygem.
Quid ille? lato maria qui regno premit,
Populisq́; reddit iura centenis pater,
Latêre tantum facinus occultum sinet?
Sagax parentum est cura. credamus tamen “
Astu doloq́; tegere nos tantum nefas.
Quid ille, rebus lumen infundens suum
Matris parens? quid ille, qui mundum quatit,
Vibrans coruscâ fulmen Æthnæum manu

Sator

114 *Genitrix tui me, &c.* Euripides, Hippolyto;

Φαι. ὦ τλῆμον, οἷον μῆτερ ἠράσθης ἔρον;
Τρο. ὃν ἔσχε ταύρου, τέκνον; ἢ τί φῂς τόδε;

Pasiphaes amor a Marone, in Sileno, describitur: fabulam verò ἀλληγορικῶς exposuit Natalis lib. 6. Mytholog. c. 5.

116 *Toruus.* proprium tauri epithetum. nam à tauro fit toruus, & à ferocia taurorum toruitas dicta est, teste Sex. Pompeio.

117 *Iungitur semper nefas.* ideo Euripides in Hippol. ait;

πελδύτησσαί τι καινὸν δ᾽ ὅμως.

128 *Clara.* o.v.l. *cara*, sed alterum malo.

131 *In primo obstitit.* amandi peritissimi Nasonis præceptum est amori venienti occurrere, ne serò medicina paretur,

Cùm mala per longas inualuere moras.

135 *Verè insolens.* duo m.s. cod *veri*. iidem paucis versibus interpositis *aggrauas*, pro *grauas*.

Sator deorum? credis hoc posse effici,
Inter videntes omnia vt lateas auos?
Sed, vt secundus numinum abscondat fauor
Coitus nefandos, vtq; contingat stupro
Negata magnis sceleribus semper fides:
Quid pœna præsens, conscius mentis pauor,
Animusq; culpâ plenus, & semet timens?
Scelus aliqua tutum, nulla securum tulit.
Compesce amoris impij flammas precor,
Nefasq; ; quod non vlla tellus barbara
Commisit vnquam, non vagus campis Geta,
Non inhospitalis Taurus, aut sparsus Scythes.
Expelle facinus mente castificâ horridum,
Memorq; matris, metue concubitus nouos.
Miscere thalamos patris & gnati apparas,
Vteroq; prolem capere confusam impio?
Perge, & nefandis verte naturam ignibus.
Cur monstra cessant? aula cur fratris vacat?
Prodigia toties orbis insueta audiet,
Natura toties legibus cedet suis;
Quoties amabit Cressa. PH. *quæ memoras scio*
Vera esse nutrix: sed furor cogit sequi
Peiora: vadit animus in præceps sciens,
Remeatq;, frustra sana consilia appetens:
Sic cùm grauatam nauita aduersâ ratem
Propellit vndâ; cedit in vanum labor,
Et victa prono puppis aufertur vado.
Quod ratio poscit, vincit ac regnat furor,
Potensq; totâ mente dominatur Deus.

161 *Quid pœna præsens, conscius mentis pauor.* hæc plurium v. lib. scriptura mihi placet. huc spectant ista Iuuenalis Sat. 13.

Exemplo quodcũq; malo committitur, ipsi
Displicet auctori. prima est hæc vltio, quòd se
« *Iudice nemo nocens absoluitur: improba quamuis*
Gratia fallacis prætoris vicerit vrnam.

« Et eadem Satyra;

—— *cur tamen hos tu*
Euasisse putes, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit
Occultum quatiente animo tortore flagellum: &c.

multa huc pertinentia Cicero Orat. in Pisonem, & in paradoxis, quæ apud illum legi malo. In quibusdã lib. *conscia noctu pauor.*

163 *Scelus aliqua tutum, nulla securum tulit.* ascribam Senecæ Philosophi verba, è quibus hæc sententia desumta videtur, & quorum collatione faciliùs intelligetur. locus est epist. 98. Tuta scelera esse, secura non pos- « sunt. quare? quia prima illa & maxima pec- « cantium est pœna, peccasse. Nec vllum sce- « lus (licet illud fortuna exornet muneribus « suis, licet tueatur ac vindicet) impunitum est, « « quia sceleris in scelere supplicium est. Sed « « nihilominus & hæc & illa (secundæ pœna) « premunt ac sequuntur, timere semper & ex- « pauescere & securitati diffidere. Illic dissen- « tiamus cum Epicuro, vbi dicit nihil iustum « esse naturâ, & crimina vitanda esse, quia me- « tus vitari non possit. hic consentiamus, mala « facinora conscientiâ flagellari, & plurimum « « illi tormentorũ esse, eo quòd perpetuò illam « solicitudo vrget ac verberat, quod sponsori- « bus securitatis suæ non potest credere. Hoc « enim ipsum argumentum Epicuri est, natu- «

Hic

» râ nos à scelere abhorrere, quòd nulli non etiam inter » tuta timor est. Multos fortuna liberat pœnâ, metu ne- » minem. quare? quia infixa nobis eius rei auersatio est, » quam natura damnauit. Ideo nunquam fides latendi » fit etiam latentibus, quia coarguit illos conscientia, & » ipsos sibi ostendit. Proprium autem est nocentium tre- » pidare. Malè de nobis actum erat, quòd multa scelera » legem & iudicem effugiunt & scripta supplicia, nisi illa » naturalia & grauia de præsentibus soluerent, & in lo- » cum patientiæ timor cederet. hæc Seneca. nonnulla quoque hac de re Cicero lib. 1. de legib. scripsit.

172 *Ignibus.* Horatius lib. 1. carm. ode 27.

—— *Venus*
Non erubescendis adurit ignibus.

sed sanè poëtis familiare vsque adeò est ignem pro amore & venerea libidine ponere, vt putidum sit exemplis id confirmare. Sacræ etiam literæ eodem quandoque modo ignem accipiunt. legitur Iobi 31. Ignis vsque ad perditionem omnia deuorans, & omnia eradicans genimina. & illud Psalmo 57. Supercidit ignis, & non viderunt Solem. Sic enim ignem D. Augustinus eo loco interpretatur.

177 *Sed furor cogit sequi Peiora.* Euripides.

τὰ χρήστ' ἐπιστάμεσθα καὶ γιγνώσκομεν,
οὐκ ἐκπονοῦμεν δ'.

apud Ouidium Medea inquit:

—— *scio meliora, proboq;*
Deteriora sequor ——

Petrarcha;

Cerco del viuir mio nouo consiglio
Et veggio il meglio, & al peggior m'appiglio.

180 *Sic cùm grauatam.* Virgil. 1. Georg.

Non aliter quàm qui aduerso vix flumine lembum
Remigiis subigit, si brachia fortè remisit,
Atque illum in præceps prono rapit alueus amne.

Hic volucer omni regnat in terrâ potens,
Ipsumq́; flammis torret indomitus Iouem:
Gradiuus istas belliger sensit faces,
Opifex trisulci fulminis sensit deus;
Et, qui furentes semper Æthnæis iugis
Versat caminos, igne tam paruo calet:
Ipsumq́; Phœbum, tela qui neruo regit,
Figit sagittâ certior missâ puer;
Volitatq́; cælo pariter, & terris grauis.
NVT. *Deum esse Amorem, turpi seruitio fauens*
Finxit libido; quoq́; liberior foret,
Titulum furori numinis falsi addidit.
Natum per omnes, scilicet, terras vagum
Erycina mittit: ille per cælum volans,
Proterua tenerâ tela molitur manu,
Regnumq́; tantum minimus in superos habet.
Vana ista demens animus asciuit sibi,
Venerisq́; numen finxit, atque arcus dei.
Quisquis secundis rebus exsultat nimis,
Fluitq́; luxu, semper insolita appetens;
Hunc illa magnæ dira fortunæ comes
Subit libido: non placent suetæ dapes,
Non tecta sani moris, aut vilis cibus.
Cur in penates rariùs tenues subit
Hæc delicatas eligens pestis domos?
Cur sancta paruis habitat in tectis Venus,
Mediumq́; sanos vulgus affectus tenet,
Et se coërcent modica? contrà diuites,
Regnoq́; fulti, plura quàm fas est, petunt?
Quod non potest, vult posse, qui nimium potest.
Quid deceat alto præditam solio vides:
Metue ac verere sceptra remeantis viri.
PH. *Amoris in me maximum regnum fero,*
Reditusq́; nullos metuo. non vnquam ampliùs
Conuexa tetigit supera; qui mersus semel
Adiit

185 *Regnat.* Euripides Amorem deorum omniũ supremum esse cecinit, his versibus:

ἔρωτα δ᾽ ὅστις μὴ θεὸν κρίνει μέγαν,
καὶ τῶν ἁπάντων δαιμόνων ὑπέρτατον,
ἢ σκαιός ἐστιν, ἢ καλῶν ἄπειρος
οὐκ οἶδε τὸν μέγιστον ἀνθρώποις θεόν.

& Ouidius, de amore:

Regnat, & in superos ius habet ille deos.

187 *Gradiuus istas belliger.* non sine causa addit *belliger.* quia Romani Martem sæuientem, & bellum ac cędes spirantem, Gradiuum; eundem verò tranquillum ac pacificum, Quirinum appellabant, vt præter ceteros docet Siluester Aldobrandinus in commentar. lib. 1. Institutionum Iustiniani Imperatoris pag. 16. Vnde verò Gradiuus dicatur, docet Festus; & Iulianus Aurel. lib. 1. de cognom deorum cap. 6 & Lilius Syntag. 10.

191 *Ipsumq́;.* v. l. *Iæsumq́;.*

192 *Figit sagittâ certior missâ puer.* apud Ouid. Phœbus sic queritur:

Certa quidem nostra est, nostra est tamen vna sagitta
Certior, in vacuo quæ pectore vulnera fecit.

huc ergo respicit Seneca. Qui Cupidini sagittas tribuit, quia formosi eminus feriunt. Xenophon ἀπομνημ. ά, ἴσως δὲ καὶ οἱ ἔρωτες τοξόται διὰ τοῦτο καλοῦνται, ὅτι καὶ πόρρωθεν οἱ καλοὶ τιτρώσκουσι.

201 *Vana ista demens animus.* Archias poëta, quem Cicero defendit;

οὐχ ὁ ἔρως ἀδικεῖ μερόπων γένος, ἀλλ᾽ ἀκολάστοι
ψυχαῖς ἀνθρώπων ἴσθ᾽ ὁ ἔρως πρόφασις.

satis confirmans ea, quæ noster poëta hoc loco sapientissimè scribit. huc refer illud diuini poëtæ;

—— an sua cuiq; deus fit dira cupido.

Michaël Marullus, de amore:

Qui cælo dignati? homines. quæ causa coëgit?
Mitior auctore est credita culpa deo.

205 *Hunc illa.* ex ciborum copia & varietate nasci amorem testatur Phocyllid.

οὐκ ἀγαθὸν πλεονάζον ἔφυ θνητοῖσιν ὄνειαρ·
ἡ πολλὴ δὲ τρυφὴ πρὸς ἀμέτρους ἕλκει ἔρωτας.

D. Hieronymus, ad Furiam de viduitate seruandâ: Adolescentia, feruente cibis corpore, de castitate secura est? neque verò hæc dicens condemno cibos, quos Deus creauit ad vtendum cum gratiarum actione: sed iuuenibus ac puellis incensiua assero voluptatum. Non Aethnæi ignes, non Vulcania tellus, non Vesuuius & Olympus tantis ardoribus æstuant, vt iuueniles medullæ vino plenę & dapibus inflammatæ. In quibus verbis vox *Olympus* superuacua aut mendosa est, aut notandũ Olympo idem quod Aethnæ olim accidisse. quod de Olympo ad mare rubrum sito traditur. Omnino consulenda censeo vetera exemplaria, quæ vulgatis semper sunt fideliora. Gratianus etiam distinctione 44. cap. 1. ita scripsit, si memini: Ventris namque ingluuies ad luxuriam prouocat facilè, & omne bonum opus dissoluit.

208 *Cur in penates rariùs tenues subit?* an quia, teste Apuleio lib. 5. asini, sobrietas Veneris est inimica? Sine Cerere & Baccho, ait ille, friget Venus. Athenæus lib. 6. ex Euripide, ἐν πλησμονῇ τοι Κύπρις, ἐν πεινῶντι δ᾽ οὔ. Idem lib. 1. ἐν πλησμονῇ γὰρ Κύπρις. ἐν γὰρ τοῖς κακῶς πράττουσιν οὐκ ἔστιν Ἀφροδίτη βροτοῖς.

Adijt silentem nocte perpetuâ domum.
NVT. *Ne crede, Ditis cluserit regnum licet,*
Canisq; dirus Stygius obseruet fores:
Solus negatas inuenit Theseus vias.
PH. *Veniam ille amori forsitan nostro dabit.*
NVT. *Immitis etiam coniugi castæ fuit,*
Experta sæuam est barbara Antiope manum.
Sed posse flecti coniugem iratum puta:
Quis huius animum flectet intractabilem?
Exosus omne feminæ nomen fugit,
Immitis annos cælibi vitæ dicat,
Connubia vitat. genus Amazonium scias.
PH. *Hunc in niuosi collis hærentem iugis,*
Et aspera agili saxa calcantem pede,
Sequi per alta nemora, per montes placet.
Resistet ille, seq; mulcendum dabit.
NVT. *Castosq; ritus Venere non castâ exuet.*
Tibi ponet odium; cuius odio forsitan
Persequitur omnes. PH. *precib. haud vinci potest?*
NV. *Ferus est.* PH. *amore didicimus vinci feros.*
NV. *Fugiet.* PH. *per ipsa maria, si fugiat, sequar.*
NV. *Patris memẽto.* PH. *meminimus matris simul.*
NV. *Genus omne profugit.* PH. *pellicis careo metu.*
NV. *Aderit maritus.* PH. *nempe Pirithoi comes.*
NV. *Aderitq; genitor.* PH. *mitis Ariadnæ pater.*
NV. *Per has senectæ splendidas supplex comas,*
Fessumq; curis pectus, & cara vbera
Precor; furorem siste, téque ipsam adiuua.
Pars sanitatis, velle sanari, fuit.
PH. *Non omnis animo cessit ingenuo pudor.*
Paremus altrix. qui regi non vult amor
Vincatur. haud te fama maculari sinam.
Hæc sola ratio est, vnicum effugium mali:
Virum sequamur: morte præuertam nefas.
NV. *Moderare alumna mentis effrenæ impetus,*
Animos coërce: dignam ob hoc vitâ reor,
Quòd esse temet autumas dignam nece.
PH. *Decreta mors est, quæritur fati genus:*
Laqueóne vitam finiam, an ferro incubem,
An missa præceps arce Palladiâ cadam?
Prô castitatis vindicem armemus manum.
NV. *Sic te senectus nostra præcipiti sinet*
Perire letho? siste furibundum impetum.
Haud facilè quisquam ad vitam reuocari potest.
PH. *Pro-*

226 *Antiope.* idem Ouidius & Higynus tradunt. Sed Pausanias: Ἀθηναῖοι δὲ φασὶν ἐπεί τε ἦλθον Ἀμάζονες Ἀντιόπην μὲν ὑπὸ Μολπαδίας τοξευθῆναι. Ceterùm Clydimus historiæ scriptor credidit Amazona, quæ fuit Thesei vxor, Hippolytam vocatam fuisse; sed Plutarchus id referens, in Theseo, perpetuò Antiopen vocat.

241 *Patris memento.* qui Scyllam per mare crinibus tractam malè multauit. Virgilius in Ciri. alij aliter, ego sic intelligo.

245 *Splendidas.* capilli cani splendorem argenti æmulantur. Vnde Martialis:
Et facies multo splendeat alba pilo.

252 *Hæc sola ratio est.* Crates primum amoris remedium aiebat esse famem, secundum tempus, tertium restim. Laërt. in eius vita. Eam verò sententiã sic Crates expressit:
ἔρωτα παύει λιμός. εἰ δὲ μή, χρόνος.
ἐὰν μηδὲ ταῦτα τὴν φλόγα σβίσῃ,
θεραπεία σοὶ τὸ λοιπὸν ἤτω βρόχος.

259 *Arce Palladia.* Athenis enim Pallas in arce colebatur, quia arcibus præsidere putabant. Catullus:
Diua quibus retinens in summis urbibus arces.
quo loco vide Muretum.

M

PH. *Probibere ratio nulla periturum potest,*
Vbi quis mori constituit, & debet mori.
NVT. *Solamen annis vnicum fessis, hera.*
Si tam proteruus incubat menti furor,
Contemne famam: fama vix vero fauet,
Peius merenti melior, & peior bono.
Tentemus animum tristem & intractabilem:
Meus iste labor est, aggredi iuuenem ferum,
Mentemq́ue sæuam flectere immitis viri.

CHORVS.

Sapphici & Anapæstici.

Diua non miti generata ponto;
Quam vocat matrem geminus Cupido.
Impotens flammis simul & sagittis
Iste lasciuus puer, & renidens,
Tela quàm certo moderatur arcu!
Labitur totas furor in medullas,
Igne furtiuè populante venas:
Non habet latam data plaga frontem,
Sed vorat tectas penitus medullas.
Nulla pax isti puero: per orbem
Spargit effusas agilis sagittas,
Quæq́ue nascentem videt ora solem,
Quæq́ue ad Hesperias iacet ora metas,
Si qua feruenti subiecta Cancro est,
Si qua Parrhasiæ glacialis Vrsæ
Semper errantes patitur colonos,
Nouit hos æstus. iuuenum feroces
Concitat flammas, senibusq́ue fessis
Rursus exstinctos reuocat calores:
Virginum ignoto ferit igne pectus,
Et iubet cælo superos relicto
Vultibus falsis habitare terras.
Thessali Phœbus pecoris magister
Egit armentum, positoq́ue plectro
Impari tauros calamo vocauit.
Induit formas quoties minores,

Ipse

273 *Diua non miti generata ponto.* Musæus:

ἀγνώσσεις ὅτι Κύπρις ἀπόσπορός ἐστι θαλάσσης.

Ouidius:

—— *quia mater amorum*
Nuda Cythereacis edita fertur aquis.

Idem affirmant præter Solinum in Ponticis, Virgilius, Tibullus, Ausonius, aliique. cur verò è mari nata fingatur, ex Porphyrij & Iubæ auctoritate scribit Placiades Mytholog. lib. 2. Vide Eusebium lib. 3. Præparat. Euangel. cap. 3. Clementem Aegyptiũ lib. 1. Pædag. Aristotelem lib. 2. Rhet. ad Theodect. & Heraclidem Ponticum, in allegoriis Homericis.

274 *Quam vocat matrẽ geminus Cupido.* alter vulgaris, diuinus alter, de quibus Plato in Symposio, & latiùs egit Lucianus in dialogo ἔρωτες: vel ἔρως καὶ ἀντέρως, de quibus Cælius Chalcagninus singularem libellum composuit, & quorum meminerunt Cælius Rhodigin lib. 16. antiq. lect. & lib. 23 ac Augustinus Nyphus, de amore cap. 19. 60. & 98. eodem sensu noster ait Oedipi actu 3.

Concinit thedas geminus Cupido.

Horatius etiam Venerem sæuam Cupidinum matrem vocauit, lib. 4. od. 1. & lib. 1. ode 19. quo loco Lambinus inquit: Multos esse vnius Veneris Cupidines, à nemine, quod sciam, traditur. ego verò à multis hoc traditum esse scio. Orpheus:

ὑμνήσομεν σφῶϊ πολυώνυμον ἀφρογενείης,
καὶ πηγὴν μεγάλην βασιλήϊον, ἧς ἄπο πάντες
ἀθάνατοι πτερόεντες ἀνεβλάστησαν ἔρωτες.

Ouidius lib. 1. Fallor.

Alma faue dixi geminorum mater amorum. & 3. Amor.
Quære nouum vatem tenerorum mater amorum.

apud Stobæum Orphei exstat hymnus in Venerem, vbi inter cetera nominatur μῆτερ ἐρώτων. Non ignoro Claudianum scribere;

Mille pharetrati ludũt in margine fratres
Ore pares, ævo similes, gens mollis amorũ:
Hos nymphæ pariunt, illum Venus aurea solum
Edidit. ——

Sed, vt existimo, Claudianus Philostratum, alij alios sequi maluerunt.

276 *Iste lasciuus puer.* pueri figura Cupido fingitur. Moschus de amore fugitiuo: ἔστι δ' ὁ παῖς. Marull.

Quis puer hic? Veneris. plena quæ causa pharetra?
Non bene prouisus certa quod arma mouet.
Cur sine veste deus? simplex puer odit opertum.
Vnde puer? pueros quòd facit esse senes.

Porrò locus hic in scriptis cod plerisque sic legitur:

Impotens flammis simul & sagittis
Iste lasciuus puer & renidens
Tela quàm certo moderatur arcu!
Labitur totas furor in medullas,
Igne furtiuè populante venas.

& paulo pòst iidem continent;

Quæq́ue nascentem videt ora Solem,
Quæq́ue ad Hesperias iacet ora metas.

Ipse qui cælum nebulasq́; ducit?
Candidas ales modò mouit alas,
Dulcior vocem moriente cygno:
Fronte nunc toruâ petulans iuuencus
Virginum strauit sua terga ludo,
Perq́; fraternos noua regna fluctus,
Vngulâ lentos imitante remos,
Pectore aduerso domuit profundum,
Pro suâ vector timidus rapinâ.
Arsit obscuri dea clara mundi
Nocte desertâ, nitidosq́; fratri
Tradidit currus aliter regendos.
Ille nocturnas agitare bigas
Discit, & gyro breuiore flecti.
Nec suum tempus tenuere noctes,
Et dies tardo remeauit ortu,
Dum tremunt axes grauiore curru.
Natus Alcmenâ posuit pharetram,
Et minax vasti spolium leonis,
Passus aptari digitis smaragdos,
Et dari legem rudibus capillis:
Crura distincto religauit auro,
Luteo plantas cohibente socco:
Et manu, clauam modò qua gerebat,
Fila deduxit properante fuso.
Vidit Perses, ditusq́; ferax
Lydia regni, deiecta feri
Terga leonis, humerisq́; quibus
Sederat alti regia cæli,
Tenuem Tyrio stamine pallam.
Sacer est ignis (credite læsis)
Nimiumq́; potens; quâ terra salo
Cingitur alto; quaq́; ætherio
Candida mundo sidera currunt.
Hæc regna tenet puer immitis,
Spicula cuius sentit in imis
Cærulus vndis grex Nereidum,
Flammamq́; nequit releuare mari.
Ignes sentit genus aligerum.
Venere instinctus suscipit audax
Grege pro toto bella iuuencus.
Si coniugio timuere suo,
Poscunt timidi prælia cerui,
Et mugitu dant concepti

199 *Nebulasq́; ducit.* plurimæ membranæ; *fecit*, pro *ducit*.

301 *Dulcior vocem moriente cygno.* Callimachus, Aeschylus, Theocritus, Aristophanes, Antipater, Euripides, Plato, Aristoteles, Aegyptij sacerdotes, Philostratus, Oppianus, Tzetzes, Lucretius, Ouidius, Seneca, Martialis, nec non Cicero Tuscul. quæst. 5. Wottonus lib. 7. cap. 148. & Hieron. Cardanus de subtilit. libro 10. testantur cygnos cum cātu & voluptate mori. Athenæus verò, Aelianus, Plinius, & ex recentioribus Iul. Scaliger exercitat. ad Cardanum libro 15. nec non Brodeus comment. in Epigr. Græca, & Pierius lib. 23. Hieroglyph. totum illud fabulosum esse contendunt. quorū sententiam, quia veritati consentaneā cōperio, lubēs amplector.

Cygno. sic Ouidius, in epist.

Sic vbi fata vocāt vdis abiectus in herbis
Ad vada Mæandri concinit albus olor.

& Fastorum 2.

Flebilibus numeris veluti canentia dura
Traiectus penna tempora cantat olor.

304 *Perq́; fraternos.* per mare Neptuni, qui apud Homerum Iliad. ό. ait:

τρεῖς γάρ τ' ἐκ Κρόνου εἰμὲν ἀδελφεοὶ, οὓς τέκε Ρ'εία,
Ζεὺς καὶ ἐγὼ, τρίτατος δ' Ἀΐδης ἐνέροισιν ἀνάσσων·
τριχθὰ δὲ πάντα δέδασται, ἕκαστος δ' ἔμμορε τιμῆς.
ἤτοι ἐγὼν ἔλαχον πολιὴν ἅλα ναιέμεν αἰεὶ παλλομένων.

Næuius, in carmine belli Punici;

Summi deum regis fratrem Neptunum, regnatorem marūm.

Mala regna. hoc malim propter maris naturam, quām *noua regna*, quod in Winckeliano cod. habetur.

308. *Arsit obscuri dea clara mundi.* Luna, testibus Theocrito εἰδ'. 3. & 21. Catullo, & Ouidio, Endymionem, Calyces & Aetlij, seu Iouis F. amauit, eique in montibus Aselenis concubuit, vt scribunt Rhianus & Nicander historicus. fictionis causam habes apud Plinium, in naturali historia.

Obscuri dea clara mundi. pleriq. eandē Lunam, Dianam, ac Proserpinā esse contendūt.

325 *Deiecta.* in meo m.s. est *reiecta*.

337 *Ignes sentit genus aligerum.* Virgil. 3. Georg.

Omne adeò genus in terris hominumq́; ferarumq́;,
Et genus aquoreum, pecudes, pictaq́; volucres
In furias, Veneremq́; ruunt. amor omnibus idem.

338 *Venere instincti*, quàm magna tres lib.

vet. habēt. *Venere instinctus suscipit audax, Grege pro toto, bella iuuēcus.* de quibus bellis consule Virgil. Georg. 3. ac eius imitatorem Oppianum 2. Cyneget.

346 *Spumeus.* apri à Lucretio Spumigeri, à Virgilio spumantes dicuntur.

350 *Lucaq́ boues.* suaues sunt hoc loco interpretes nostri, reponentes, *Luciq́ boues*; & ne patellę dignum desit operculum, idipsum interpretantes, boues luci, id est, in silua incædua versari solitos. At Ennius inquit;

Priùs pariet locusta Lucam bouem.

& Lucretius lib. 5.

Inde boues Lucas turrito corpore tætros
Anguimanos belli docuerūt vulnera Pœni
Sufferre ——

Plinius Hist. natural. lib. 8. Elephantos Italia primùm vidit Pyrrhi regis bello, & boues Lucas appellauit. Latiùs etiam hac de re πολυγραφώτατος ille Varro lib. 6. de lingua Latina; Luca bos, inquit, elephas: cur ita sit dicta, duobus modis inuenio scriptum. nam in C. Aelij commentario erat, à Libycis Lucas; & in Virginij comment. ab Lucanis Lucas, ab eo quòd nostri maximam quadrupedem, quam ipsi haberent, vocarent bouem, & cùm in Lucanis, Pyrrhi bello, primùm vidissent apud hosteis elephantos, identidem quadrupedes cornutas (nam quos dentes multi dicunt, sunt cornua) Lucam bouem appellasse. Si à Libya dictæ sunt Lucæ; pantheræ & leones non Africanæ bestiæ dicerentur, sed Lucæ: si ab Lucanis dictæ; vrsi cur potiùs Lucani, quàm Luci dicti? Quare ego arbitror potiùs Lucas ab luce: quòd longè relucebant propter inauratos regios clypeos; quibus eorum tum ornatæ erant turres. Hæc ille: cuius verba facilè apparet non esse mendosa, & Vertranium Maurum; qui pro, *Vrsi cur potiùs Lucani, quàm Luci dicti*, legendum coniicit, *v. c. p. L. quàm lupi d.* Varronis verba, satis per se dilucida & aperta, non satis assecutum fuisse.

355 *Sæuas cura nouercas.* nouercæ funestæ nominantur infrà actu 5. sæuæ à Seneca Octauiæ actu 1. Virg. 2 Georg. Ouidio 2 tristium, Valerio Flacco Argon. 5. & Papinio 2. siluar. terribiles ab Ouidio 1. Metam. iniustæ à Virgilio in eclogis, diræ ab Ouidio in epist. & Claudiano 3. de raptu. Seneca Hercule Fur. actu 1. —— *facere si quicquam apparo Dignum nouerca* —— & Hercule Fur. actu 5. —— *ô nouercales manus!* Agamemn. actu 2. —— *quod nouercales manus Ausa* —— Afranius, Diuortio: *Mulier, nouercæ nomen huic adde impiam.* Cestius Pius, apud Senecam controuers. lib. 4. Sed adhuc, inquit, crudelis & pertinax nouerca, post omnia deuicta nihilominus sæuit. Euripides, Ione: φθονεῖν γὰρ φασὶ μητρυιὰς τέκνοις. & Alceste: ἐχθρὰ γὰρ ἡ 'πιοῦσα μητρυιὰ τέκνοις τοῖς πρόσθ', ἐχίδνης οὐδὲν ἠπιωτέρα. nec non: προγόνοις δ' ἁμαρτεῖν δυσφρονῶς ἀεί ποτε. harum perfidia & erga priuignos odium patet etiam ex quodam Diocletiani & Maximiani rescripto l. 1. C. quib. causis cess. long. temp. præscr. atque ea caussa est cur Caius noster l. 4. D. de inof. testam. scripserit: Non est consentiendum parentibus, qui iniuriam aduersus liberos suos testamento inducūt: quod plerumque faciunt, malignè contra sanguinem suum inferentes iudicium, nouercalibus delinimentis instigationibusque corrupti. Quæ verba libri Etrusci, quos sequitur Iacob. Labittus Indicis pag. 47. col. 4. & Cuiacius lib. 2. obseruat. cap. 21. præferunt esse desumta ex Caij lib. singulari ad legem Gliciam, non, vt voluit Haloander, Leuticam: in ceteris codicibus tribuuntur Maximo ad legem Falcidiam: quod placuit Eguinario Baroni, in commentario legis illius, quia, inquit, Maximum ad legem hanc scripsisse constat. vnde constet, ille non expressit. constat ex l. 125. D. de leg. 1. in Fl. Florentinis inscriptione. Nonnulla de nouercarum sæuitia & iniquitate habes apud Siluest. Aldobrandin. §. socrum quoque. Instit. de nupt.

Signa furoris: tunc virgatas
India tigres decolor horret.
Tunc vulnificos acuit dentes
Aper, & toto est spumeus ore.
Pœni quatiunt colla leones,
Cùm mouit amor: tum silua gemit
Murmure sæuo. amat insani
Bellua ponti, Lucaq́ boues.
Vendicat omnes natura sibi.
Nihil immune est, odiumq́ perit,
Cùm iussit amor; veteres cedunt
Ignibus iræ. quid plura canam?
Vincit sæuas cura nouercas.

360 *Quamuis tegatur.* cùm cæteræ affectiones animi vultu indicentur, tum potiss. amor Seneca Agamemn. actu 5. & Hercul. Oetæo actu 2.

Vultusq́; ipsi scelera truculenti ferunt. &:
Vultus loquitur quodcumque negas.

Ouid. 2. Metamorph.

Heu quàm difficile est crimen non prodere vultu!

& idem in epist. Paridis:

—— *quis namque absconderet ignem,*
Lumine qui semper proditur ipse suo?

ACTVS SECVNDVS.

PHAEDRA. NVTRIX.

Altrix profare, quid feras? quónam in loco est?
NVT. *Spes nulla tantum posse leniri malum,*
Finisq́ flammis nullus insanis erit.
Torretur æstu tacito, & inclusus quoque, "
Quamuis tegatur, proditur vultu furor. "
Erumpit oculis ignis, & lapsæ genæ

Lucem recusant. nil idem dubiæ placet,
Artusq; variè iactat incertus dolor.
Nunc vt soluto labitur moriens gradu,
Et vix labante sustinet collo caput,
Nunc se quieti reddit, & somni immemor
Noctem querelis ducit: attolli iubet,
Iterumq; poni corpus, & solui comas,
Rursusq; fingi. semper impatiens sui
Mutatur habitus. nulla iam Cereris subit
Cura, aut salutis. vadit incerto pede,
Iam viribus defecta: non idem vigor,
Non ora tingens nitida purpureus rubor:
Populatur artus cura: iam gressus tremunt,
Tenerq; nitidi corporis cecidit decor.
Et, qui ferebant signa Phœbeæ faces
Oculi, nihil gentile, nec patrium micant.
Lachrymæ cadunt per ora, & assiduo genæ
Rore irrigantur: qualiter Tauri iugis

Tepi-

Maximianus, in querela senectutis:
Certè difficile est abscōdere pectoris ignes,
Panditur & clauso sæpius ore furor.
Furorem posuit pro amore, quod Plato lib. 3. de repub. & Cicero 4. Tuscul. confirmant, & Virgil. 4. Aeneid.
Seu quicumque furor, ——
hoc est, interprete Pomponio Sabino, amor. rationem Seruius reddit, quia amor omnis plenus furoris est. Vnde & Tragicus;
τὸ μαίνεσθαι δ' ἄρ' ἦν ἀνθρώποις ἔρως.
Notum est illud Prodici:
ἔρωτα διπλασιασθέντα μανίαν γίνεσθαι.
Dixi autem Maximianus, cum auctoribus Sophologij, & Poëticæ Margaritæ; non cum vulgo, Cornelius Gallus. ex tribus enim codicibus manuscr. comperi hunc Maximianum, qui temporibus Boëthij vixit, versuum illorum non valde lepidorum auctorem esse. Vnus codex penes me est dono Lud. Carrionis I. C. alter penes Victorem Giselinū Medicum: tertius fuit Fr. Martinij Gandensis, amici mei intimi, in quo adolescente omnia bona erant, quę laudabilia dicit magnus Aristoteles. Sciunt hoc quotquot illo familiariter vsi fuerunt: ceteris fidem fecissent in omnia Philosophi Senecæ opera doctissimæ annotationes; quarum specimē pulcherrimum vidi, & Pet. Suffridus, in annot. Offic. Ciceronis, meminit. Sed illum nobis in ipso iuuētę flore, nō sine mœrore omniū, mors eripuit. Ferenda quidem mors, quòd omnes ea lege viuimus, vt moriamur: lugenda tamen, quòd pauci ita viuimus, vt nostra cōmoda publicæ vtilitati postponamus. de Martinio sanè merito mihi videor cecinisse:
Ferte pios manibus iuuenes ac spargite flores.
Flos iuuenum meritam marcuit ante diem.
Quid nocuit iuueni? virtus, sapientia, mores:
Hæc fecère senem crederet vt Lachesis.
Sed hæc amici bene meriti memorię data: nūc ad rem. illud quod suprà dixit Seneca: *torretur æstu tacito*, fortassis ex illo Virgilij 4. Aeneid. sumtum fuit:
Interea tacitum viuit sub pectore vulnus,
Vritur infelix Dido.
362 *Nil idem dubiæ placet.* propria amantium perturbatio sumta ex illo Euripidis, in Hippolyto;
Ταχὺ γὰρ σφάλ. &c.
» Plautus: Ita me amor lapsum animi ludificat, fugat,
» agit, appetit, raptat, retinet, iactat, largitur, quod dat non
» dat, maritimis moribus mecum experitur. & Ouidius de Myrrha, lib. 10. Metamorph.
Noctis erat medium, curasq; & corpora somnus
Soluerat, at virgo Cynereia peruigil igne
Carpitur indomito, furiosaq; vota retractat,
Et modò desperat, modò vult tentare, pudetq;
Et cupit & quid agat non inuenit. vtq; securi
Saucia trabs ingens, vbi plaga nouissima restat,
Quò cadat in dubio est, omniq; à parte timetur:
Sic animus vario labefactus vulnere nutat
Huc leuis atque illuc, momentaq; sumit vtroque,
Nec modus aut requies, nisi mors, reperitur amoris.
Mors placet, &c. Marullus:
Iactor, dispereo, crucior, trahor huc miser atq; huc,
Ipse ego nec qui sim nescio, nec vbi sim.
363 *Dolor.* sic amor ab Ouidio etiam epist. 13. vocatur; *Tu mihi luce dolor, tu mihi nocte venis.*
366 *Nec.* meus cod. script. habet *non.*
Somni immemor. Ouid. epist. 11.
Nec somni faciles & nox erat annua nobis.
370 *Nulla iam Cereris.* solent amantes cibos aspernari. Virgilius, in Ciri,
Nam qua te causa nec dulcis pocula Bacchi,
Nec grauidos Cereris dicam contingere fœtus?
Ouidius istud & duo sequentia expressit epist. 11.
Fugerat ore color, maciesq; adduxerat artus,
Sumebant minimos ora coacta cibos.
372 *Viribus defæta.* optimè in veter. libris continetur, *viribus defecta.* Sic Ouidius lib. 5. Metam.
Sanguine defectos cecidit collapsus in artus.
& Metamorph. 9.
—— quæ vires defecto reddat amori.
Sic Martialis;
Dulcia defectâ moderatur carmina linguâ
Cantator cygnus funeris ipse sui.
373 *Purpureus rubor.* Sic Papinius Thebaid. 2.
Candida purpureum fusæ super ora ruborem.
Rubor. Virgilius, si modò ipse auctor, de Scylla:
Nullus in ore rubor. vbi enim rubor obstat amori.
quia rubor pudoris indicium est: pallor ex Ouidij & Propertij sententia amantes decet. de genarum significatione vide Sex. Pompeium.

380. *Perfusæ niues.* Sic Ouidius lib. 1. amor. eleg. 8.

Suspensaq; diu lacrymæ fluxêre per ora,
Qualiter abiectâ de niue manat aqua.

383 *Solitos amictus mente non sanâ abnuit.* de Scylla Valerius, in Cyri:

Non storace Idæo flagrantes picta capillos,
Cognita non teneris pedibus Sicyonia seruans,
Non niueo retinens baccata monilia collo.

386 *Seres.* noster, Hercule Oetæo:

Quæ Phœbeis subditus Euris
Legit Eois Ser arboribus.

de serico multa Tiraquellus in legibus connub. Quo verò tempore texendi serici artificium Occidenti innotuerit, docet ex Othone Phrisingensi Brissonius, de verb. signific. lib. 17.

389 *Diducat* o. v. l. *deducat*, rectè: deducat autem pondere suo.

490 *Assyrio.* odores Assyrij fuerunt in magno pretio apud veteres. vnde Catullus;

Fragrantem Assyrio venit odore domum.

Tibullus:

Nô soror, Assyrios cineri quæ dedat odores.

Senecam de amomo loqui existimo.

394 *Hastile Thessalicum.* Euripides, Θέσσαλον ὄρπηκα.

397 *Atticum pulsans solum.* Lysias orator prodidit Amazonas primas mortalium equo vsas fuisse, & gratiâ roboris periclitâdi, cùm alia percurrisse loca, tum Atticâ etiam; in qua ægre tandem vinci potuerint. Hellanicus Lesbius scripsit illas, vt in Atticam peruenirent, Thracium Bosporum gelu constrictum (qua de re vide Plutarchum, in Theseo) equis plaustrisque traiecisse: quo tépore Antiope capta, postea Theseo Hippolytum peperit, auctore, post Heraclidem Ponticum, Isacio in Lycophronem.

399 *Lunatâ peltâ.* Virgilius;

Ducit Amazonidũ lunatis agmina peltis.

404 *Regina nemorum.* viri amantes, solem, feminæ lunam precabantur. testes Seneca hoc loco, Euripides in Hippolyto, & Theocritus εἰδυλ. β'. cuius Scholiastes huius consuetudinis varias rationes reddit, multa etiam Cælius lib. 5. c. 6.

Quæ montes colis. Horatius;

Montium custos, nemorumq; virgo.

410 *Hecate triformis.* Vide sup. Med. vers. 7. in Comment.

414 *Inuerte mentem.* o. v. l. *innecte.* eodem verò versu ex iisdẽ duo deteriores; *aduersus.*

417 Lunæ cornua tribuuntur etiã ab Ouidio, Horatio, Lucano, Statio, Solino & Martiano Capella: quorum testimonia proferre nihil est necesse. iccirco pictores, sculptores &

Tepido madescunt imbre perfusæ niues.
Sed en patescunt regia fastigia.
Reclinis ipsa sedis auratæ toro,
Solitos amictus mente non sanâ abnuit.
PH. *Remouete famulæ purpurâ atq; auro illitas*
Vestes, procul sit muricis Tyrij rubor,
Quæ fila ramis vltimis Seres legunt.
Breuis expeditos zona constringat sinus,
Ceruix monili vacua: nec niueus lapis
Deducat aures, Indici donum maris.
Odore crinis sparsus Assyrio vacet.
Sic temere iactæ colla perfundant comæ,
Humerosq; summos: cursibus motæ citis
Ventos sequantur. læua se pharetræ dabit,
Hastile vibret dextra Thessalicum manus.
Talis seueri mater Hippolyti fuit.
Qualis relictis frigidi ponti plagis,
Egit cateruas, Atticum pulsans solum
Aut Tanais, aut Mæotis, & nodo comas
Coëgit, emisitq;, lunatâ latus
Protecta peltâ: talis in siluas ferar.
NVT. *Sepone questus. non leuat miseros dolor,*
Regina. sæuis ecquis est flammis modus?
Agreste placa virginis numen deæ.
Regina nemorum, sola quæ montes colis,
Et vna solis montibus coleris dea,
Conuerte tristes ominum in melius minas.
O magna siluas inter & lucos dea,
Clarumq; cæli sidus, & noctis decus;
Cuius relucet mundus alternâ face,
Hecate triformis: en ades cœptis fauens,
Animum rigentem tristis Hippolyti doma:
Amare discat, mutuos ignes ferat,
Det faciles aures, mitiga pectus ferum,
Innecte mentem: toruus, auersus, ferox,
In iura Veneris redeat, huc vires tuas
Intende. sic te lucidi vultus ferant,
Et nube ruptâ cornibus puris eas.
Sic te regentem frena nocturni ætheris
Detrahere nunquam Thessali cantus queant,
Nullusq; de te gloriam pastor ferat.
Ades inuocata. Iam fauet votis dea.
Ipsum intueor solenne venerantem sacrum,
Nullo latus comitante. quid dubitas? dedit

Tem-

Tempus locumq́; casus. vtendum artibus.
Trepidamus? haud est facile mandatum scelus
Audere: verùm iussa, qui reges timet,
Deponat, omne pellat ex animo decus.
Malus est minister regij imperij pudor.

HIPPOLYTVS. NVTRIX.

HIP. *Quid huc seniles fessa moliris gradus*
O fida nutrix, turbidam frontem gerens,
Et mœsta vultus? sospes est certè parens,
Sospesq́; Phædra, stirpis & geminæ iugum.
NVT. *Metus remitte. prospero regnum in statu est,*
Domusq́; florens sorte felici viget.
Sed tu beatis mitior rebus veni:
Namque anxiam me cura sollicitat tui,
Quòd te ipse pœnis grauibus infestus grauas.
Quem fata cogunt, hic quidem viuat miser:
At si quis vltro se malis offert volens,
Seq́; ipse torquet; perdere est dignus bona,
Quis nescit vti. potiùs annorum memor,
Mentem relaxa, noctibus festis facem
Attolle, curas Bacchus exoneret graues.
Ætate fruere, mobili cursu fugit.
Nunc facile pectus, grata nunc iuueni Venus,
Exsultet animus. cur toro viduo iaces?
Tristem iuuentam solue. nunc luxus rape,
Effunde habenas. optimos vitæ dies
Effluere prohibe propria descripsit Deus
Officia, & æuum per suos ducit gradus.
Lætitia iuuenem, frons decet tristis senem.
Quid te coërces, & necas rectam indolem?
Seges illa magnum fenus agricolæ dabit,
Quæcunque lætis tenera luxuriat satis;
Arborq́; celso vertice euincet nemus,
Quam non maligna cædit aut resecat manus.
Ingenia meliùs recta se in laudes ferunt,
Si nobilem animum vegeta libertas alit.
Truculentus, & siluester, & vitæ inscius,
Tristem iuuentam, Venere desertâ, colis.
Hoc esse munus credis indictum viris,
Vt dura tolerent, cursibus domitent equos,
Et Marte sæua bella sanguineo gerant?
Prouidit ille maximus mundi parens,
Cùm tam rapaces cerneret fati minas,

ceteri formarum exprimendarum artifices. Dianæ seu Lunæ duo semper veluti paruula cornua affingunt. cuius moris etiam Claudianus de raptu Proserp. lib 2. meminit;

Hic Hyperionio solem de semine nasci
Fecerat & pariter Lunam, sed dispare forma,
Auroræ noctisq́; duces. cunabula Tethys
Præbet, et infantes gremio solatur anhelos,
Cæruleusq́; sinus roseis radiatur alumnis:
Inualidum dextro portat Titana lacerto
Nondum luce grauē, nec pubescētibus altè
Cristatum radiis. primo clementior æuo
Fingitur, & tenerum vagitu despuit ignē:
Læua parte soror vitrei libamina potat
Vberis, & paruo signantur tempora cornu.

In his doctis. versibus exponendis Parrhasius & Cælius valde laborarunt, nec tamen omnia sunt assecuti: ego fortassis aliquando latiùs id exsequar.

432 *Stirpis & geminæ iugum.* vtriusque matrimonij liberi, ego, Demophoon & Antigonus: quos duos posteriores Phædra Theseo peperit. Plutarch. in Thes.

437 *Grauas.* pro eo in q. v. l. est *domas*, & sequenti proximè versu habetur; *Quem fata cogunt, ille est cum venia miser.*

444 *Mobili cursu fugit.* ætatem iccirco Ouidius volatilem dixit. meritò. ætatis enim cursus idem qui temporis. at tempus non est omnino, vel vix & obscurè est, quia alia eius pars præteriit & non est, alia instat & nōdum est: & quod constat ex partibus quæ nō sunt, vix videtur esse posse, auctore Aristot. lib. 4. Physic. vnde Lucretius:

Tempus itē per se non est. sed rebus ab ipsis
Consequitur sensus, transactum quid sit in æuo,
Tum quæ res instet, quid porrò deinde sequatur.
Nec per se quemquam tempus sentire fatendum est,
Semotum ab rerum motu, placidaq́; quiete.

447 *Iuuentam.* Virgil. lib. 4 Aeneid.
Soláne perpetua mœrens carpêre iuuenta.

448 *Optimos vitæ dies* vt enim matutinum tempus diei pars potior: sic iuuentus vitæ pars melior existimanda est.

450 *Ducit.* m. s. *duxit*, quemadmodum *descripsit.*

455 *Euincit.* v. l. in futuro.

464 *Prouidit, &c.* hunc versum citat Raphaël Cumanus ad l. 1. nu. 4. D. solut. matrimonio. sed mendosè.

Vt

Vt damna semper sobole repararet nouâ.
Excedat, agedum, rebus humanis Venus,
Quæ supplet ac restituit exhaustum genus,
Orbis iacebit squallido turpis situ,
Vacuum sine vllis classibus stabit mare,
Alesque cælo deerit, & siluis fera,
Solis & aër peruius ventis erit.
Quàm varia lethi genera mortalem trahunt, "
Carpuntque turbam; pontus, & ferrum, & doli. "
Sed fata credas deesse? sic atram Styga
Iam petimus vltro. cælibem vitam probet
Sterilis iuuentus: hoc erit, quicquid vides,
Vnius æui turba, & in semet ruet.
Proinde vitæ sequere naturam ducem,
Vrbem frequenta, ciuium cœtus cole.
HIP. *Non alia magis est libera, & vitio carens,*
Ritusque meliùs vita quæ priscos colat;
Quàm quæ, relictis mœnibus, siluas amat.
Non illum auaræ mentis inflammat furor,
Qui se dicauit montium insontem iugis;
Non aura populi, & vulgus infidum bonis,
Non pestilens inuidia, non fragilis fauor:
Non ille regno seruit, aut regno imminens
Vanos honores sequitur, aut fluxas opes,
Spei metusque liber. haud illum niger
Edaxque liuor dente degeneri petit:
Nec scelera populos inter atque vrbes sita
Nouit, nec omnes conscius strepitus pauet:
Haud verba fingit: mille non quærit tegi
Diues columnis, nec trabes multo insolens
Suffigit auro. non cruor largus pias
Inundat aras, fruge nec sparsi sacrâ
Centena niuei colla submittunt boues:
Sed rure vacuo potitur, & aperto æthere
Innocuus errat: callidas tantùm feris
Struxisse fraudes nouit, & fessus graui
Labore, niueo corpus Ilisso fouet.
Nunc ille ripam celeris Alphei legit:
Nunc nemoris alti densa metitur loca,
Vbi Lerna puro gelida perlucet vado,
Sedemque mutat. hic aues querulæ fremunt,
Ramique ventis lenè percussi tremunt,
Veteresque fagi. iuuat hîc aut amnis vagi
Pressisse ripas, cespite aut nudo leues

502 *Ilisso.* sic in o. v. l. legitur, & est Ilissus Platoni, Ptolemæo, Eustathio, Melæ, Plinio & Papinio notus.

506. *Sedemque.* m. s. *sedesque.*
Aues querulæ. Claudianus;
Et murmur querula blandius alite.

508 *Iuuit aut amnis, &c.* Horatius;
—— nunc leui membra sub arbuto
Stratus, nunc ad aquæ lene caput sacræ.

Duxisse

Duxisse somnos: siue fons largus citas
Defundit vndas, siue per flores nouos
Fugiente dulcis murmurat riuo sonus.
Excussa siluis poma compescunt famem,
Et fraga paruis vulsa dumetis cibos
Faciles ministrant. regios luxus procul
Est impetus fugisse: solicito bibant
Auro superbi. quàm iuuat nudâ manu
Captasse fontem? certior somnus premit,
Secura duro membra versantem toro.
Non in recessu furta, & obscuro improbus
Quærit cubili, seq; multiplici timens
Domo recondit: æthera ac lucem petit,
Et teste cælo viuit. hoc equidem reor
Vixisse ritu prima quos, mistos deis,
Profudit ætas: nullus his auri fuit
Cæcus cupido, nullus in campo sacer
Diuisit agros, arbiter populis lapis.
Nondum secabant credulæ pontum rates:
Sua quisque norat maria. non vasto aggere
Crebraq; turre cinxerant vrbes latus:
Non arma sæuâ miles aptabat manu,
Nec torta clusas fregerat saxo graui
Balista portas: iussa nec dominum pati
Iuncto ferebat terra seruitium boue.
Sed arua per se fœta, poscentes nihil
Pauêre gentes: silua natiuas opes,
Et opaca dederant antra natiuas domos.
Rupêre fœdus, impius lucri furor,
Et ira præceps, quæq; succensas agit
Libi-

516 *Est impetus fugisse.* hanc phrasim apud Nasonem lib. 2. 5. 6. 8. & 9. Metamor. & passim in epist. & alibi, plus decies obseruaui.

Sollicito bibant. m. s. *bibunt.* Sollicitum verò aurum accipe, quemadmodum apud Tibullum;

Somnus sollicitas deficit ante fores.

" 518 *Celer somnus.* aliquot membranæ;
" *certior somnus.*

526 *Cæcus cupido.* cæcum vocat, quia qui eo exagitâtur, cęci fiant; neq. quid pulcrum, quid turpe, quid vtile, quid perniciosum videre possunt. quamobrem amorem cæcum pingi voluerunt Aristoteles lib. 7. Ethicor. ad Nicomachum cap. 9. (si modò ipse, & non Nicomachus, quod Ciceroni in lib. de finibus placuit, operis illius auctor est) & Oribasius Euporist. lib. 1. c. 22. quòd scilicet coitus prudentiæ & ingenij animique robori plurimum obsit: omnis autem à Venere abstinentia animi vires maximè corroboret, teste Simplicio in Enchir. Epicteti cap. 43. Non ignoro fuisse nonnullos qui aliam rationem istius fictionis tradiderint, eosque magni nominis viros Aristotelem probl. 4. cap. 2. & 3. & ibi Pet. Aponensem, & c. 32. Galenũ lib. 4. κατὰ τόπους cap. 8. Aetium Tetrabib. 2. serm. 3. cap. 40. qui omnes putarunt amorem cæcum dici, quia immodica libido oculis plurimum noceat. Sed & Stephanus Forcatulus, in Cupidine iurisperito, & alij nonnulli rectè hanc fictionem excogitatam fuisse negarunt; amorem oculatum pingi debere cẽsentes. verùm his omissis ad alia pergamus.

Nullus in campo sacer. Iuuenalis;

Aut sacrum effodit medio de limite saxũ.

Sed quare sacrum? an quia Numa Terminũ pro Deo coli, eiq; hostias inanimas cædi voluit, atque illi templum constituit, vt Plutarchus in Numa & in Romaicis, Ouid. 2. Fastorum docent? postmodum tamen etiam agnam illi immolari consueuisse videtur colligi ex illo Horatij;

Et agna festis cæsa Terminalibus. Prudentius quoque (ni fallor) in libris contra Symmachum auctor est extis
" gallinæ Termino fieri solitum. Porrò ea sacra sub dio fiebant. nam vt Paulus festi abbreuiator scribit; Terminus
" quo loco colebatur, super eum foramen patebat in tecto, quòd nefas esse putarent Terminum intra tectum consi-
" stere. idem Paullus; Termino, inquit, sacrificabant, quòd in eius tutela fines agrorum esse putabant. denique Nu-
" ma Pompilius statuit eum qui Terminum exarasset, & ipsum, & boues sacros esse. Vnde apparet rectiùs hanc Numæ legem conceptam fuisse à Lud. Charonda in lib. Veterum leg. Rom. quàm à Ioanne Oroscio in l. 5. num. 29. D. de Iustit. & iure. quam legem falsò Balduinus, in commentario περὶ γεωργικῶν Iustiniani, statim in principio, duodecim tabulis tribuit. 527 *Diuisit agros arbiter populis lapis.* Tibullus: —— *non fixus in agris*

Qui regeret certus finibus arua lapis. potuit etiam noster hoc ab Ouidio lib. 3. amor. eleg. 7. aut lib. 2. Fastor. desumere. De finib. & terminis fratres Aruales cognouisse docet Cuiacius lib. 11. obseruat. cap. 5.

528 *Nondum secabant.* Tibullus lib. 1. *Nondum cæruleas pinus contemserat vndas, Effusum ventis præbueratq; sinum.* 530 *Vrbes lacus.* hoc est, fossæ perpetuam habentes aquam, l. vni. D. vt in flum. publ. l. vn. in fin. D. de ripa munien. meus codex scriptus & alter collegij Winckeliani habent, *vrbes latus,* quod non recipio. natum ex; *latus.*

534 *Iuncto ferebat terra.* & hoc quoque Tibullus lib. 1. eleg. 3. tradidit, ad cuius imitationem hæc fortassis scripta sint, vel sanè ad Hesiodi.

Libido mentes: venit imperij sitis
Cruenta, factus præda maiori minor:
Pro iure vires esse. tum primùm manu
Bellare nuda, saxaq́ & ramos rudes
Vertêre in arma. non erat gracili leuis
Armata ferro cornus, aut longo latus
Mucrone cingens ensis, aut cristæ caput
Galeæ comantes: tela faciebat dolor.
Inuenit artes bellicus Mauors nouas,
Et mille formas mortis. hinc terras cruor
Infecit omnes fusus, & rubuit mare.
Tum scelera, demto fine, per cunctas domos
Iere: nullum caruit exemplo nefas.
A fratre frater, dexterâ nati parens
Cecidit, maritus coniugis ferro iacet,
Perimuntq́ fœtus impiæ matres suos.
Taceo nouercas: mitius nil est feris.
Sed dux malorum femina, & scelerum artifex
Obsedit animos; cuius incestæ stupris
Fumant tot vrbes, bella tot gentes gerunt,

Euersa

541 *Præda maiori minor.* Varro Margopoli, seu περὶ ἀρχῆς;

Natura humanis omnia sunt paria.
Qui pote plus, vrget: pisces vt sæpe minutos
Magnu' comest: vt aues enecat accipiter.

542 *Pro iure vires esse.* ex quorundam sententia fortior imbecilliori debet imperare, auctore Platone in Gorgia. vnde Thucydides lib. 1. οὐδ' αὖ πρῶτοι τοῦ τοιούτου ὑπάρξαντες, ἀλλ' ἀεὶ καθεστῶτος, τὸν ἥσσω ὑπὸ τοῦ δυνατωτέρου κατείργεσθαι.

546 *Cristæ caput galeæ comantes.* sic Claudianus: *Exercentur equis, & colla comantia pectunt.*

549 *Et mille formas mortis.* Tibullus:

Nunc Ioue sub domino cædes & vulnera semper,
Nunc mare, nunc lethi mille repêtè viæ.

557 *Dux malorum femina.* mala muliere nihil neque peius neque grauius. Orpheus:

ὡς οὐ κύντερον ἄλλο καὶ ῥίγιον ἄλλο γυναικός.

Homerus:

οὐκ αἰνότερον καὶ κύντερον ἄλλο γυναικός.

Menander:

θησαυρός ἐστι τῶν κακῶν γυνή.

bonam mulierem inuentu esse difficilem dixit Diphilus:

γυναῖκα ἀγαθὴν ἐπιτυχεῖν οὐ ῥάδιον.

cui consentit Euripides in Iphigenia Aulidensi. nam cùm Clytæmnestram bonam coniugem esse dixisset; mox subiungit,

σπάνιον δὲ θήρευμ' ἀνδρὶ τοιαύτην λαβεῖν
δάμαρτα, φλαύραν δ' οὐ σπάνις γυναῖκ' ἔχειν.

Pacuuius:

Haud facul femina inuenietur bona.

Lucilius:

Haud facul est homini inuentu femina bona.

quare Terentio omnes vno ludo ad maliciam doctæ videntur, imitato illud Menandri:

γυνὴ γυναικὸς πώποτ' οὐδὲν διαφέρει.

Euripides:

ὁρᾶτε, ἄπιστον ὡς γυναικεῖον γένος.

Sed hi omnes, quemadmodum & Anaxilas, Xenarchus, Eubulus, Philotærus, Amphis, Alexis, Antiphanes, Carcinus, Aristophon apud Athenęum lib. 13. cap. 3. & Rodomontes apud Ariostum cantu 27. circa finē, & Menchacensis de successionum creatione par. 1. lib. 2. §. 12. nu. 34 non satis attenderunt, vt virorum sic mulierum quasdam malas, quasdam bonas esse, iuxta Hesiodum;

οὐ μὲν γάρ τι γυναικὸς ἀνὴρ ληΐζετ' ἄμεινον
τῆς ἀγαθῆς, τῆς δ' αὖτε κακῆς οὐ ῥίγιον ἄλλο.

Simonides Amorgynus:

γυναικὸς οὐδὲν χρῆμ' ἀνὴρ ληΐζεται
ἐσθλῆς ἄμεινον, οὐδὲ ῥίγιον κακῆς.

Theognis:

οὐδὲν κῦδος ἀγαθῆς γλυκύτερον ἐστι γυναικός.

Euripides vi veritatis coactus cecinit; οὐδὲ ἓν, οὐδὲ τι μηδὲν ὄντα τοῦ τυχεῖν ἡδονάς, ὥσπερ ἀνδρὸς ἐσθλοῦ καὶ γυναικὸς εὐσεβοῦς. etenim inter multa commoda, quæ à Fr. Barbaro in lib. de re vxoria cap. 1. enumerantur, domus erit optimè constituta, vniuersaque familia commodissimè regetur. Metrodorus:

—— ἔχεις γάμον; οἶκος ἄριστος
ἔσται. οὐ γαμέεις; ζῇς ἔτ' ἐλαφρότερος.

quæ Possidonius sic in contrarium torquebat:

—— ἔχεις γάμον; οὐκ ἀμέριμνος ἔσται. οὐ γαμέεις; ζῇς ἔτ' ἐρημότερος. Posteriorem sententiā astruunt Menandri versus apud Lucianum, in dialogo qui inscribitur ἔρωτες. Metellus Numidicus in oratione de ducendis vxoribus apud Aulum Gellium ait: " Si sine vxore possemus, Quirites, esse; omnes ea molestia care- " remus: sed quoniam ita natura tradidit, vt nec cum illis " satis commodè, nec sine illis vllo modo viui possit; saluti " perpetuæ potiùs, quàm breui voluptati consulendum. " Videtur autem Metellus Susarionem imitatus, qui apud Sudam ita scribit:

κακὸν γυναῖκες, ἀλλ' ὅμως ὦ δημόται
οὐκ ἔστι οἰκεῖν οἰκίαν ἄνευ κακοῦ.

atque ea fuit causa cur Secundus Philosophus, teste Maximo Martyre & Philosopho locorū comm. cap 39. nec non Menander & Philæmon mulierem vocent ἀναγκαῖον κακόν. ceterùm quod antiquè & populariter mares mali & feminæ bonæ dici consueuerant, vt Plautus, Catullus, & Cicero testantur, hoc κατ' εἰρωνείαν dictum videtur. Sed hæc parum ad rem, ad voluptatem & vtilitatem magnum momentum habent. ac, teste Agathone apud Athenæum, πάρεργα nonnunquam velut

Euersa ab imo regna tot populos premunt.
Sileantur alia: sola coniux Ægei
Medea, reddit feminas dirum genus.
NVT. *Cur omnium sit culpa, paucarum scelus?*
HIP. *Detestor omnes, horreo, fugio, exsecror.*
Sit ratio, sit natura, sit dirus furor:
Odisse placuit. ignibus iunges aquas,
Et amica ratibus antè promittet vada
Incerta Syrtis: antè ab extremo sinu
Hesperia Tethys lucidum attollet diem,
Et ora damis blanda præbebunt lupi;
Quàm victus animum feminæ mitem geram.
NVT. *Sæpe obstinatus induit frenos amor,*
Et odia mutat. regna materna aspice:
Illæ ferocis sentiunt Veneris iugum.
Testaris istud vnicus genitus puer.
HIP. *Solamen vnum matris amissæ fero:*
Odisse quòd iam feminas omnes licet.
NVT. *Vt dura cautes vndique intractabilis,*
Resistit vndis, & lacessentes aquas
Longè remittit: verba sic spernit mea.
Sed Phædra præceps graditur, impatiens moræ.
Quò se dabit fortuna? quò verget furor?
Terrâ repentè corpus exanimum cadit,
Et ora morti similis obduxit color.
Attolle vultus, dimoue vocis moras,
Tuus en alumna temet Hippolytus tenet.

PHAEDRA. HIPPOLYTVS. NVTRIX.

PH. *Quis me dolori reddit, atque æstus graues*
Reponit animo? quàm bene excideram mihi?
Cur dulce munus redditæ lucis fugis?
Aude anime, tenta, perage mandatum tuum,
Intrepida constent verbâ. qui timidè rogat,
Docet negare. magna pars sceleris mei
Olim peracta est: serus est nobis pudor.
Amauimus nefanda. si cœpta exsequor,
Forsan iugali crimen abscondam face.
Honesta quædam scelera successus facit.
Age, incipe anime. Commodes paulum, precor,
Secretus aures: si quis est, abeat comes.
HIP. *En locus ab omni liber arbitrio vacat.*
PH. *Sed ora cœptis transitum verbis negant,*

ἔργα expedienda sunt. *Scelerum artifex* Euripides, in Medea:

γυναῖκες εἰς μὲν ἔσθλ' ἀμηχανώταται·
κακῶν δὲ πάντων τέκτονες σοφώταται.

& ἐν τῷ Ὀρέστῃ:

δειναὶ γὰρ αἱ γυναῖκες εὑρίσκειν τέχνας.

Scholiastes Euripidis, in Hippolyto: ὥσπερ γὰρ τὸ νοῦν ἔχειν δέδοται τοῖς ἀνδράσιν οὕτως τὸ πανουργεῖν καὶ μηχανὰς ἐξευρίσκειν ταῖς γυναιξί. Nicostratus, apud Stobæum: ὡς εἰσὶ πάντων τέχνας τε ἐξευρεῖν καὶ πλέξαι σοφώταται P. Syrus:

Malo in consilio feminæ superant viros.

quo sensu accipe illud L. Attij, in Aegistho:

Melius quàm viri callent mulieres.

560 *Et versa.* lego ex plerisque v. l. *euersa.* Egnian. *Et versa.*

561 *Sola coniux Ægei.* cùm Iason Creontis filiam in vxorem accepisset; Medea pharmacis Creontem & Glaucam, gladio liberos suos Mormorum ac Pheretem occidit: quare Athenas fugit, vbi Aegeo nupta, illi Medum peperit: tandem Theseo insidiari deprehensa, ab Aegeo vnà cum filio expellitur. auctor Pherecydes.

563 *Cur omnium sit culpa, paucarũ scelus?* Huc spectant ista Euripidis, in Menalippa:

ἄλγιστόν ἐστι θῆλυ μισηθὲν γένος.
αἱ γὰρ σφαλεῖσαι ταῖσιν οὐκ ἐσφαλμέναις
αἶσχος γυναιξί, καὶ κεκοίνωνται ψόγον
ταῖς οὐ κακαῖσιν αἱ κακαί.

idem, in Ione:

τὰ γὰρ γυναικῶν δυσχερῆ πρὸς ἄρσενας,
κἂν ταῖς κακαῖσιν αἱ 'γαθαὶ μεμιγμέναι
μισούμεθ', οὕτω δυστυχεῖς πεφύκαμεν.

Vnde fortassis desumta sunt hæc Terentij, in Hecyra:

Ædepol næ nos mulieres sumus iniquè omnes inuisæ viris
Propter paucas, quæ omnes faciunt vt dignæ videantur malo.

Ouidius lib. 3. de arte:

Parcite paucarum diffundere crimen in omnes,
Spectetur meritis quæque puella suis.

566 *Odisse placuit.* similiter Eurip. Hippolytus; μισῶν δ' οὔποτ' ἐμπλήσομαι γυναῖκας.

578 *Vt dura cautes.* Euripides, in Medea;

—— ὡς δὲ πέτρος, ἢ θαλάσσιος
κλύδων ἀκούει Virgilius;

Nec magis incepto vultũ sermone mouetur,
Quàm si dura silex aut stet Marpesia cautes. Ouid 2. Metam.
Qua pater haut aliter quàm cautes murmura Ponti
Excepit —— Seneca, Agamemnone:
Nil ille motus, ardua vt cautes ——

595 *Forsan iugali.* quia nupta sum, facilè

Vis magna vocem emittit, at maior tenet.
Vos teſtor omnes cælites: hoc, quod volo,
Me nolle.
HIP. *Animúſne cupiens aliquid effari, nequit?*
PH. *Curæ leues loquuntur, ingentes ſtupent.*
HIP. *Committe curas auribus mater meis.*
PH. *Matris ſuperbum eſt nomen, & nimiū potens:*
Noſtros humilius nomen affectus decet.
Me vel ſororem, Hippolyte, vel famulam voca,
Famulamq́ potiùs: omne ſeruitium feram.
Non me, per altas ire ſi iubeas niues,
Pigeat gelatis ingredi Pindi iugis.
Non, ſi per ignes ire, & infeſta agmina;
Cuncter paratis enſibus pectus dare.
Mandata recipe ſceptra: me famulam accipe.
Te imperia regere, me decet iuſſa exſequi.
Muliebre non eſt regna tutari vrbium.
Tu, qui iuuentæ flore primæuo viges,
Ciues paterno fortis imperio rege:
Sinu receptam, ſupplicem, ac ſeruam tege.
Miſerere viduæ. HIP. *ſummus hoc omen Deus*
Auertat, aderit ſoſpes actutum parens.
PH. *Regni tenacis dominus, & tacitæ Stygis,*
Nullam relictos fecit ad ſuperos viam.
Thalami remittet ille raptorem ſui?
Niſi fortè amori placidus & Pluto ſedet.
HIP. *Illum quidem æqui cælites reducem dabunt.*
Sed, dum tenebit vota in incerto Deus,
Pietate caros debitâ fratres colam,
Et te tuebor: eſſe ne viduam putes;
Ac tibi parentis ipſe ſupplebo locum.
PH. *O ſpes amantum credula, ô fallax amor,*
Satíſ-

hoc velamine inceſtum tegam. ſi vterum ferre cœpero, ex Theſeo grauidam ſuſpicabuntur: ſi liberiùs quicquam cum Hippolyto egero; Theſei amori hoc me omnes tribuere iudicabunt. omnino nullus ſuſpicabitur nouercam priuigni amore furere.

608 *Me vel ſororem.* ſororis & fratris nomina fuiſſe amatoria Iuſtus Lipſius meus libro 3. variar. lection. cap. 1. poſt Danielem Caietanum obſeruauit, & probauit teſtimonio Martialis, cuius verſus ad iſtius loci imitationem compoſiti. addas præter hunc Senecæ locum; qui mirificè ad id, quo de agitur, facit; illa Palladæ,

ἢν ὁ φίλος τι λάϐῃ, δόμεναι φράτερ εὐθὺς ἔγραψεν,
ἂν δ' ἂν μὴ πλάϐῃ, τὸ φράτερ εἶπε μόνον

Sed quare amantes ita ſe mutuò compellabant? an vt indicarent amoris ſui magnitudinem, qui ne fraterno quidem cederet? Aliter Ouidius ſororis voce vtitur, ſororia oſcula pro caſtis ponens, Metamorph. 4.

Poſcenti Nympha, ſine fine, ſororia ſaltem
Oſcula ——

& idem lib. 9.

—— *& quæ, ſi fortè notaſti,*
Oſcula ſentiri non eſſe ſororia poſſint.

609 *Famulamq́ potiùs.* ſimili in re ſimiliter Tibullus:

Siue ſibi coniux, ſiue futura ſoror.
Sed potiùs coniux ——

616 *Regna tutari patris.* in meo cod. ſcripto habetur, *regna tutari vrbium.*

617 *Iuuentæ flore.* Claudianus lib. 1. in Rufin. —— *fruſtraq́; iuuentæ*
Conſumis florem patriis inglorius aruis.

h. e. iuuentæ partem optimā. quod enim optimum puriſſimumque in vnaquaque re eſt, id veteres florem appellaſſe, ex multis ſcriptoribus obſeruarunt alij, quorum teſtimoniis noſtri poëtæ locos aliquos, cum eo quem aliàs citaui Bacidis verſu, necnon ſequentia coniunge. T. Liuius, lib. ab V. C. 8 Florem ætatis eius, fructum aduentitium crediti ratus. Q. Curtius, lib. 5. In flore ætatis & rerum. Porcius Latro, in Declamatione in Catilinam: Flos pueritiæ venuſtiſſimus ad intuentium iucunditatem, cui non libidini paruit flagitioſę iuuentutis? Apuleius, lib. 10. de aſino, Aetatis tuæ flore. Lucret. lib 1. —— *quibus poſſint aui contingere florem.* Si Aeſchyli codex foret ad manum, ex Perſ. & Agamemn. duo teſtimonia aſcriberem. Pacuuius, in Peribœa:

Poſtquam eſt oneratus frugum & floris Liberi. è quo fortè Plautinum illud. Flos Liberi: item & id, Flos veteris vini. Lucretius etiam lib. 3. dixit, Flos Bacchi. hoc loquendi genus etiam Galli mutuati ſunt.

619 *Seruam rege.* ex v. l. repono, *tege.* 630 *Supplebo locum.* de pietate ſentiebat Hippolytus: nouerca dubium ſermonem aliter accipiebat. quod ſatis oſtendit ſequens, *Satíſne dixit?* quo tamen loco in o. v. *dixi*, continetur. hoc ſenſu: quæ dixi ſufficiúntne ad Hippolytum in amorem mei pelliciendùm, detegendumque ardorem illum penitum, qui me planè conſumit? ſed placet vulgata lectio. 631 *Spes amantum credula.* Spes amantum, vt ait, credula eſt valde, nec eorum tantùm, ſed omnium hominum. quare non ſine ratione de ſpe Dardanus accinit:

Tu quæ ſuſtentas tereti veſtigia ligno,
Es-ne Dea? an noſtro ſanguine creta? Dea.
Vnde ſata? ex cæca rerum caligine. & ecqua
Admouit nutrix vbera? credulitas.
Et quinam à tergo plaudunt tibi? gaudia. dic quis
Pallidulo ſemper te præit ore? timor.

Satiſne dixit? precibus admotis agam.
Miſerere, tacitæ mentis exaudi preces.
Libet loqui, pigetq́. HIP. quódnã iſtud malum eſt?
PH. *Quod in nouercam cadere vix credas, malum.*
HIP. *Ambigua voce verba perplexè iacis,*
Effare apertè. PH. *pectus inſanum vapor*
Amorq́ torret, intimas ſæuus vorat
Penitus medullas, atque per venas meat
Viſceribus ignis merſus, & venis latens;
Vt agilis altas flamma percurrit trabes.
HIP. *Amore nempe Theſei caſto furis?*
PH. *Hippolyte, ſic eſt: Theſei vultus amo*
Illos priores; quos tulit quondam puer:
Cùm prima puras barba ſignaret genas,
Monſtriq́ cæcam Cnoſſij vidit domum,
Et longa curuâ fila collegit viâ.
Quis tum ille fulſit? preſſerant vittæ comam,
Et ora flauus tenera pingebat rubor.
Inerant lacertis mollibus fortes tori,
Tuæue Phœbes vultus, aut Phœbi mei,
Tuusq́ potiùs. talis, en talis fuit
Cùm placuit hoſti. ſic tulit celſum caput.
In te magis refulget incomtus decor,
Et genitor in te totus, & toruæ tamen
Pars aliqua matris, miſcet ex æquo decus:
In ore Graio Scythicus apparet rigor.
Si cum parente Creticum intraſſes fretum,
Tibi fila potiùs noſtra neuiſſet ſoror.
Te te ſoror, quæcunque ſiderei poli
In parte fulges, inuoco ad cauſam parem:
Domus ſorores vna corripuit duas:
Te genitor, at me natus. en ſupplex iacet
Allapſa genubus regiæ proles domus,
Reſperſa nullâ labe, & intacta, innocens,
Tibi mutor vni. certa deſcendi ad preces.
Finem hic dolori faciet, aut vitæ, dies.
Miſerere amantis. HIP. *magne regnator deûm*
Tam lentus audis ſcelera? tam lentus vides?
Ecquando ſæua fulmen emittes manu,
Si nunc ſerenum eſt? omnis impulſus ruat
Æther, & atris nubibus condat diem,
Ac verſa retro ſidera obliquos agant
Retorta curſus: tuq́ ſidereum caput
Radiate Titan; tu nefas ſtirpis tuæ.

Suſpicis intento cur cælum lumine? tandem
Hinc dabitur votis meta ſuprema meis.
Fare age, quæ vultus deturpat cauſa ſerenos?
Excrucior quotiens irrita vota cadunt.
Cur baculo innixa es? dũ paſcit opinio mētē
Cæca meam, irrepſit curua ſenecta mihi.
Cur titubas pedib⁹: rerũ eſt ſpes lubrica: ſæpe
Quod puto complecti, labitur è manibus.

Vulgò dicitur viridis color, ſpei ſimulacrum eſſe. quamobrem? an quia in herbis, plantis, arboribuſq́; color iſte, incipientibus naſci foliis ſpē facit frugũ, fructuumq́; naſciturorũ?

635 *Vix credas.* monſtri enim ſimillimum eſt, vt non dicam nouerca priuignũ non oderit, ſed etiã ardentiſſimè amet. Vnde Quinctilianus Declamat. 327. Nouum & inaudi- « tum antea crimē, Nouerca nimirum dicitur « amare priuignos. apud Laberium Bello Hi- « ſtrion. Domina priuignũ ſuũ amat efflictim.

461 *Vt agilis altas flamma percurrit trabes.* Ouidius eadem in re alia comparatione æquè apta vtitur, 1. Metamorph.

Vtq́ leues ſtipulæ demtis adolentur ariſtis,
Vt facibus ſepes ardent; quas fortè viator
Vel nimis admouit, vel iã ſub luce reliquit:
Sic Deus in flammas abiit, ſic pectore toto
Vritur.

643 *Theſei vultus amo.* ſic apud Apuleium libro 10. aſini, nouerca priuignum, quem amabat, alloquitur: Nec te religio patris om- « nino deterreat, cui morituram prorſus ſerua- « bis vxorem. illius enim recognoſcens imagi- « nem, mutua facie te meritò diligo. «

645 *Cùm prima, &c.* Pacuuius:

Primùm opacat flore lanugo genas.

Lucilius Satyr. 8.

Vnde parectato chlamydes & barbula prima. Virgilius:

— *prima genas veſtibat flore iuuenta.*

Ouidius:

Quid mirum ſi me prima lanuginis ætas
Abſtulit.

vide quàm diuerſimodè idem protulerint.

Puras. quemadmodum pura lanx, cælatæ Ciceroni 6. Verrina, & argentum purũ, cælato: Plinio lib. 3. epiſt. & purus locus, inædificato: l. 6. D. de rei vindicat. puræ chartæ, inſcriptis. l. 32. §. quod tamen. D. de leg. 3. ſic genæ puræ barbatis opponuntur.

649 *Pingebat.* ſic m. ſ. lib. vulgò legitur, *tingebat.*

652 *Tuusq́.* ad Hippolytum refer.

664 *Allapſa genubus.* Phædra apud Ouid. in epiſt. Heroid.

Victa precor, genibusq́; tuis regalia tendo
Bracchia: quid deceat non videt omnis amans.

666 *Mittor.* lego *mutor.* mei m. ſ. lib. auctoritatem ſecutus.

Speculare; lucem merge, & in tenebras fuge.
Cur dextrâ diuûm rector atque hominum vacat
Tua? nec trisulcâ mundus ardescit face?
In me tona, me fige, me velox cremet
Transactus ignis. sum nocens, merui mori:
Placui nouercæ. dignus an stupris ego?
Scelerique tanto visus ego solus tibi
Materia facilis? hoc meus meruit rigor?
O scelere vincens omne femineum genus!
O maius ausa matre monstriferâ malum,
Genitrice peior! illa se tantùm stupro
Contaminauit; & tamen tacitum diu
Crimen biformi partus exhibuit notâ;
Scelusque matris arguit, vultu truci,
Ambiguus infans: ille te venter tulit.
O ter quaterque prospero fato dati,
Quos hausit, & peremit, & letho dedit
Odium, dolusque! genitor inuideo tibi.
Colchide nouercâ maius hoc, maius malum est.
PH. *Et ipsa nostræ fata cognosco domus,*
Fugienda petimus, sed mei non sum potens.
Te vel per ignes, per mare insanum sequar,
Rupesque, & amnes, vnda quos torrens rapit.
Quacunque gressus tuleris, hac amens ferar:
Iterum superbe genubus aduoluor tuis.
HIP. *Procul impudicos corpore à casto amoue*
Tactus. quid hoc est? etiam in amplexus ruit?
Stringatur ensis, merita supplicia exigat.
En impudicum crine contorto caput
Læuâ reflexi. iustior nunquam focis
Datus tuis est sanguis, arcitenens dea.
PH. *Hippolyte, nunc me compotem voti facis,*
Sanas furentem. maius hoc voto meo est;
Saluo vt pudore manibus immoriar tuis.
HIP. *Abscede, viue, nequid exores. & hic*
Contactus ensis deserat castum latus.
Quis eluet me Tanais? aut quæ barbaris
Mæotis vndis Pontico incumbens mari?
Non ipse toto magnus Oceano pater
Tantum expiarit sceleris. ô silua! ô fera!
NV. *Deprensa culpa est. anime quid segnis stupes?*
Regeramus ipsi crimen, atque vltro impiam
Venerem arguamus. scelere velandum est scelus.
Tutissimum est inferre, cùm timeas, gradum. "

688 *Biformis.* meus vet lib. *biformi.* melius omnino.

691. *O terque quaterque prospero fato dati.* Homerus Odyss. i.

τρισμάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις ——

Oraculum Clarium, apud Pausaniam:

τρισμάκαρες κεῖνοι καὶ τετράκις ἄνδρες ἔσονται.

Virgilius 1. Aeneid.

—— *ô terque quaterque beati*

propter numeri septenarij perfectionem.

694 *Colchide.* Medea, quæ nouerca fuit tua, longè peior hæc mea nouerca. illa te occidere tentauit, hæc me ad incestum inuitat.

697 *Te vel per ignes, per mare insanum sequar, Rupesque* Horatius:

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

In Euangelio; *Circuitis mare & aridam.*

699 *Amens ferar.* sic quidam m. s. alij *agar*, nonnulli *sequar.*

714 *Non ipse toto.* Catullus:

Suscipit, ô Gelli, quantum non vltima Tethys,
Non genitor vndarũ abluat Oceanus.

Seneca, in Hercule Furente actu 5.

Quis Tanais, aut quis Nilus, aut quis Persica:
Violentus vnda Tigris, aut Rhenus ferox,
Tagúsve Ibera turbidus gaza fluens
Abluere dextram poterit? Arctoum licet
Maotis in me gelida transfundat mare,
Et tota Tethys per meas currat manus;
Hærebit altum facinus ——

Ausæ priores simus, an passæ nefas,
Secreta cùm sit culpa, quis testis sciet?
Adeste Athenæ, fida famulorum manus
Fer opem. nefandi raptor Hippolytus stupri
Instat, premitq́; mortis intentans metum;
Ferro pudicam terret. en præceps abit,
Ensemq́; trepidâ liquit attonitus fugâ.
Pignus tenemus sceleris. hanc mœstam priùs
Recreate. crinis tractus, & laceræ comæ,
Vt sunt remaneant: facinoris tanti notas
Referte in vrbem. recipe iam sensus hera.
Quid te ipsa lacerans omnium aspectum fugis?
Mens impudicam facere, non casus, solet.

CHORVS.

Sapphici & Choriambici, insertis duobus Adoniis, & tribus Dactylicis.

Fugit insanæ similis procellæ,
Ocyor nubes glomerante Coro,
Ocyor cursum rapiente flammâ;
Stella cum ventis agitata longos
Porrigit ignes.
Conferat tecum decus omne priscum
Fama miratrix senioris æui:
Pulchrior tanto tua forma lucet,
Clarior quanto micat orbe pleno;
Cùm suos ignes coëunte cornu
Iunxit, & curru properante pernox
Exserit vultus rubicunda Phœbe,
Nec tenent stellæ faciem minores.
Qualis est, primas referens tenebras
Nuncius noctis, modò lotus vndis
Hesperus; pulsis iterum tenebris
Lucifer idem.
Et tu thyrsigerâ Liber ab Indiâ,
Intonsâ iuuenis perpetuùm comâ,
Tigres pampineâ cuspide territans,
Ac mitrâ cohibens cornigerum caput,
Non vinces rigidas Hippolyti comas.
Ne vultus nimium suspicias tuos,
[Omnes per populos fabula distulit,]
Phædræ quem Bromio prætulerit soror,
" *Anceps forma bonum mortalibus,*

737 *Corripit.* o. v. l. *porrigit.* hoc est, quosdam ex se radios quasi emittit.
741 *Clarior quanto.* eadem similitudine vtitur Horatius:

—— micat inter omnes
Iulium sidus, velut inter ignes
Luna minores.

742 *Suos ignes.* sui vox proprietatem & dominium quoddam in re significat. at lunam dictam volunt, quòd luce luceat aliena. qua in sententia apud Plutarchum, in lib. contra Coloté epicureû, est Parmenides hoc versu:

Νυκτὶ φάος περὶ γαῖαν ἀλώμενον, ἀλλότριον φῶς.

vnde ait Catullus, in secular. carmine;

—— notho est dicta lumine luna.

" Errauítne ergo Seneca? nequaquam. quia Epicuro, vt in eius vita scribit Laërtius, placuit fieri posse, vt Luna, & à seipsa, & à Sole lumen habeat. Chaldæi verò lunam proprij & perpetui luminis compotë esse voluerunt, si Apuleio in lib. de Deo Socratis credimus.
747 *Modò lotus vndis Hesperus.* antiqui credebant humore siderum splendorem accendi. ex qua etiam opinione noster Apollo cecinit:

Qualis vbi Oceani perfusus Lucifer vnda
Extulit os sacrum ——

Eum noster potiùs hoc loco imitatus fuit, quàm Homerum Iliad. χ'.
751 *Intonsâ iuuenis.* Tibullus:

Solis æterna est Baccho Phœboq́; iuuenta.
Nã decet intonsus crinis vtrumq́; Deû.

755 *Cornigerum caput.* Euripides Bacchû vocat θεὸν ταυρόκερων, Orpheus δίκερων, Sophocles βούκερων. Propertius lib. 3.

Quod superest vitæ per te & tua cornua viuam,
Virtutisq́; tuæ Bacche poëta ferar.

Consule Athenæum lib. 11. δέπας ταυροσφ. Eustathium Iliad. θ'. & Nicandri in Alexipharmac. Scholiasten.
758 *Anceps forma bonum.* hoc & sequentem cum floribus comparationë multi poëtæ vsurparunt. Seneca Herc. Oetæi actu 2.

Vt alta siluas forma vernantes alit,
Quas nemore nudo primus inuestit tepor;
At cùm solutos expulit Boreas notos,
Et sæua totas bruma discussit comas,
Deforme foliis aspicis truncis nemus:
Sic nostra longum forma percurrens iter
Deperdit aliquid semper & fulget minùs.

Theocritus, ἐν ἐρωτι:

καὶ τὸ ῥόδον καλόν ἐστι, καὶ ὁ χρόνος αὐτὸ μαραίνει,
καὶ τὸ ἴον καλόν ἐστιν ἐν εἴαρι, καὶ ταχὺ γηράσκει· λευκὸν τὸ κρίνον ἐστί, μαραίνεται ἀνίκα πίπτει·

ἃ δ' χιὼν λευκά, καὶ τάκεται ἁνίκα παχθῇ, &c.

Virgilius:

Collige virgo rosas, dum flos nouus & noua pubes,
Et memor esto æuum sic properare tuum.

Ouidius 2. de arte:

Forma bonũ fragile est, quantumq; accedit ad annos,
Fit minus, & spacio carpitur illa suo:
Nec semper violæ, nec semper lilia florent,
Et riget amissâ spina relicta rosâ.

Nemesianus, ecloga vlt.

Non hoc semper eris, perdunt & gramina flores,
Perdit spina rosas, nec semper lilia candent,
Nec longum tenet vua comas, nec populus vmbras.
Donum forma breue est ——

Iul. Scaliger:

Aspice conspicuos cæli vernantis honores;
Cùm facit hos in te quos imitetur habet.
Hos tibi ver Venus ipsa suo finxere labores,
Cui totum simili tempore seruit opus.
Candida luteolis arrident lilia calthis:
Luteola at violis calthula pallidulis.
Vis & Acidalio lucentes sanguine flores,
Ipsa videre tuas luce referre genas?
Quidnã opus est, quæ flos florũ es, tibi mittere flores?
Quam paruo vt videas tempore forma viget.

eleganter etiam Marullus, iniquè tantùm à Scaligero contemtus:

Has violas atq; hæc tibi candida lilia mitto,
Legi hodie violas, candida lilia heri.
Lilia, vt instantis moneãt̃ virgo senectæ,
Tam citò quæ lapsis marcida sunt foliis:
Illæ vt vere suo doceant ver carpere vitæ,
Inuida quod miseris tam breue Parca dedit.

Angerianus:

Si quæris donum, quid vult sibi tale corolla?
Vt viret hæc, paruo tempore forma viret.

Exigui donum breue temporis, “
Vt velox celeri pede laberis. “
Non sic prata nouo vere decentia
Æstatis calidæ dispoliat vapor,
Sæuit solstitio cùm medius dies,
Et noctem breuibus præcipitat rotis.
Languescunt folio vt lilia pallido,
Et gratæ capiti deficiunt rosæ.
Vt fulgor, teneris qui radiat genis, “
Momento rapitur, nullaq; non dies “
Formosi spolium corporis abstulit. “
Res est forma fugax. quis sapiens bono “
Confidat fragili? dum licet, vtere. “
Tempus te tacitum subruit, horaq; “
Semper præteritâ deterior subit. “
Quid deserta petis? tutior auiis
Non est forma locis: te nemore abditum
Cùm Titan medium constituit diem,
Cinget turba licens, Naiades improbæ,
Formosos solitæ claudere fontibus:
Et somnis facient insidias tuis
Lasciuæ nemorum multiuagæ deæ,
Panes quæ Dryadas montiuagi petunt.
Aut te stellifero despiciens polo
Sidus, post veteres Arcadas editum,
Currus non poterit flectere candidos:
Et nuper rubuit, nullaq; lucidis
Nubes sordidior vultibus obstitit.
At nos solliciti lumine turbido,
Tractam Thessalicis carminibus rati,
Tinni-

764 *Et noctem.* membranæ; *& noctes.* *Breuibus.* æstiua nox breuior hyberna. Ouidius 2. de Ponto:

Longa dies citior brumali tempore, noxq;
Tardior hyberna solstitialis erit.

sequitur enim:

Quàm tibi nostrarũ veniant obliuia rerũ.

adde quæ dicam infrà Agamemn. nu. 53.

766 *Grata capiti.* quia capitis dolorem leniunt.

772 *Tempus sed.* in o. v. l. continetur; *tempus te.*

775 *Te nemore abditum, &c.* Claudian.

Cùm, post labores, sub platani voles
Virentis vmbra, vel gelido specu
Torrentiorem fallere Syrium,
Et membra somno fessa resolueris;
O quantus vret tum Dryadas calor!
Quot æstuantes, ancipiti gradu,
Furtiua carpent oscula Naiades!

778 *Solitæ.* propter Hylam hoc dicit; cuius raptus, Theocriti, Propertij, & M. Flaminij scriptis notissimus est. rectè ait *solitæ.* nam ex vno actu consuetudo præsumitur, vt colligunt dd. nostri ex l. Mela. D. de alimen. leg. nescio quàm rectè.

781 *Panes quas.* in exemplari Ascensiano versus hic non habetur.

782 *Stellifero polo.* poëta, nescio quis;

Et maria & terras stelliferumq; polum.

783 *Sidus post veteres Arcadas editum.* Luna. Aristophanis Scholiastes refert Arcades ante Lunam natos fuisse: ideo à Lycophrone προσέληνοι dicuntur. Apollonius Argonaut. δ'.

Ἀρκάδες, οἳ καὶ πρόσθε σεληναίης ὑδέονται.

Nonnus, Dionys. μά.

Ἀρκάδιη προσέληνος, ἀνεβλάστησε δὲ μούνη
πρεσβυτέρους φαέθοντος, ὅθεν φάος ἔσχε σελήνη.

Tinnitus dedimus, tu fueras labor,
Et tu causa moræ: te dea noctium
Dum spectat, celeres sustinuit vias.
Vexent hanc faciem frigora parcius,
Hæc solem facies rariùs appetat,
Lucebit Pario marmore clarius.
Quàm grata est facies torua viriliter,
Et pondus veteris triste supercili!
Phœbo colla licet splendida compares:
Illum cæsaries, nescia colligi,
Perfundens humeros ornat, & integit:
Te frons hirta decet, te breuior coma
Nullâ lege iacens: tu licet asperos
Pugnacesq; deos viribus arceas,
Et vasti spacio vincere corporis,
Æquas Herculeos iam iuuenis toros,
Martis belligeri pectore latior.
Si dorso libeat cornipedis vehi,
Frenis Castoreâ mobilior manu
Spartanum poteris flectere Cyllarum.
Amentum digitis tende prioribus,
Et totis iaculum dirige viribus:
Tam longè, dociles spicula figere,
Non mittent gracilem Cretes arundinem.
Aut si tela modo spargere Parthico
In cælum placeat; nulla sine alite
Descendent tepido viscere condita,
Prædam de mediis nubibus afferes.
Raris forma viris (sæcula prospice)
Impunita fuit: te melior deus
Tutum prætereat, formaq; nobilis
Deformis senij limina transeat,
Quid sinat inausum feminæ præceps furor?
Nefanda iuueni crimina insonti parat.
In scelere quærit crine lacerato fidem,
Decus omne turbat, capitis humectat genas:
Instrui-

Eudoxus ἐν γῆς περιόδῳ:

Ἄρκαδες δοκοῦσι πρὸ τῆς σελήνης γεγονέναι.

Iccirco Strabo lib. VIII. δοκεῖ δὲ παλαιότατα ἔθνη εἶναι τὰ Ἀρκαδικὰ τῶν Ἑλλήνων. Pausan. Eliacor. ά. docet Arcades semper idẽ solum incoluisse: quare, vt & Athenienses, à scriptoribus αὐτόχθονες vocantur. & hoc verum, cetera falsa, quemadmodum & quod ab
" Ouid. 1. 2. & 5. Fast. & à Senec. alibi traditur;
" *Flete Herculeos Arcades obitus,*
- *Nondum Phœbo nascente genus.*

789 *Tinnitus dedimus.* solebant antiqui peluium tinnitu & tubarũ strepitu deficienti lunæ auxiliari, vt, præter poëtas passim, docẽt Tacit. lib. 1. & Plutar. in vita Paulli Aemilij.

794 *Lucebit Pario marmore clarius.* Horatius 1. carminum:

Vrit me Glyceræ nitor
Splendentis Pario marmore pulcrius.

Ouid. lib. 1. amorum:

Astitit illa gemens albo & sine sanguine vultu,
Caeduntur Pariis qualia saxa iugis.

796 *Et pondus veteris triste supercili.* prisci homines grauitate ac maiestate maximâ, habitu, vultu, oculis, contracto supercilio tristitiam quandam, & morum seueritatem præ se ferebant. Vnde quis appetere prisca dicebatur, qui se, moresque suos illi veterum tetricæ viuendi disciplinæ ab omni remissione animi, & morum lepore maximè alienæ conformare studebat. talis hîc proponitur Hippolytus: de quo infrà,

Vbi vultus ille, & ficta maiestas viri,
Atque habitus horrens, prisca & antiqua appetens;
Morumq; senium triste, & aspectu graue?

Hinc apparet quare dixerit, *veteris supercili.* cui simile est illud Maronis, in Copa:

Ah pereant cui sunt prisca supercilia.

quo loco necesse non est cum Fuluio Vrsino reponere *crispa*. Sic enim in Græco epigram. quod refert Adrian. Puluæus ad leg. Atiniam cap. 12.

ὃς δ' ὅτι μεμψιμέλεξε, καὶ ἴδρακε βίβλον ἑκάστην,
εἶτεν ἐπιστρέψας γωνὸν ἐπισκύνιον.

quod vertit Alciatus hoc modo;

Ille anceps, raptus per multa volumina, tandem
Sustulit hac vetulum voce supercilium.

Iam quod Seneca ait *pondus*, Horatius Sophoclis & Euripidis imitatione nubem appellauit. 798 *Cæsaries.* Apollo ab Orpheo laudatur à coma: χρυσοκόμα κιθαρῳδὲ φάνης, χρυσομύης τ' ἀναφαίνων. 807 *Cyllarum.* Claudianus, de 4. consulat. Honorij A. *Seruiretq; tuis, contemto Castore, frenis Cyllarus* —— 809 *Amentum.* Sex Pompeius, Amentum, inquit, quibus
" vt mitti possint vinciuntur iacula siue solearum lora. ex Græco, quod est ἅμματα, sic appellata, vel quia aptantes
" ea ad mentum trahunt. vtitur Prudent. in Psychomach. 817 *Raris forma viris, &c.* forma eximia periculosa
" est. ait quidam, τὸ γὰρ πολὺ κάλλος καὶ ψόγον πολλῶν γέμει. virorum quibus forma multum nocuit exempla Muretus in variis, & Canterus in nouis lectionibus, collegerunt. 822 *Insonti parat.* o. m. s. *insonti apparat.* 823. *In scelere.* emendo, suadentibus plerisque membranis, *& scelere.*

Instruitur omnis arte feminea dolus.
Sed iste quisnam est regium in vultu decus
Gerens, & alto vertice attollens caput?
Vt ora iuueni paria Perithoo gerit,
Ni languido candore pallerent genæ,
Staretq́; recta squallor incultus coma.
En ipse Theseus redditus terris adest.

ACTVS TERTIVS.

THESEVS. NVTRIX.

TH. *Tandem profugi noctis æternæ plagam,*
Vastoq́; manes carcere vmbrantem polum.
Vt vix cupitum sufferunt oculi diem?
Iam quarta Eleusis dona Triptolemi secat,
Paremq́; toties Libra composuit diem;
Ambiguus vt me sortis ignotæ labor
Detinuit inter mortis & vitæ mala.
Pars vna vitæ mansit exstincto mihi.
Sensus malorum finis Alcides fuit;
Qui cùm reuulsum Tartaro extraheret canem,
Me quoque supernas pariter ad sedes tulit.
Sed fessa virtus robore antiquo caret,
Trepidantq́; gressus: heu labor quantus fuit
Phlegethonte ab imo petere longinquum æthera,
Pariterq́; mortem fugere, & Alcidem sequi!
Quis fremitus aures flebilis pepulit meas?
Expromat aliquis. luctus, & lachrymæ, & dolor,
Et limine in ipso mœsta lamentatio,
Hospitia digna prorsus inferno hospite.
NVT. *Tenet obstinatum Phædra consilium necis,*
Fletusq́; nostros spernit, ac morti imminet.
TH. *Quæ causa lethi? reduce cur moritur viro?*
NVT. *Hæc ipsa lethum causa maturum attulit.*
TH. *Perplexa magnum verba nescio quid tegunt,*
Effare apertè, quis grauet mentem dolor.
NVT. *Haud pandit vlli, mœsta secretum occulit,*
Statuitq́; secum ferre, quo moritur, malum,
Iam perge quæso, perge, properato est opus.
TH. *Reserate clusos regij postes laris.*

THESEVS. PHAEDRA.

TH. *O socia thalami, siccine aduentum viri,*
Et expetiti coniugis vultum excipis?

825 *Fraude.* quidam, *arte*, reposuit. Scio à Martiale artem femineam pro fraude poni: tamen mihi religio est, ab omnium omnino librorum scriptura tam temere resilire.

829 *Candore pallerent.* quidam lib. scripti; *pallore canderent.*

835. *Iam quarta.* ait Theseus se quattuor annis apud inferos fuisse.

836 *Libra composuit.* Manilius:
——*æquantem tempora libram.*
qua de re diximus in Notis ad Claudianum pag. 22. quo loco σταθμίζειν καὶ ζυγοστατεῖν scribendum.

840 *Mersus malorum.* o. ferè v. l. *sensus malorum.* hac sententia, malorum sensum Alcides mihi ademit, hoc est, malis me liberauit. vulgati, *Mersus*, & sic Moguntin.

849 *Vasta.* o. v. l. continent; *mœsta.*

859 *Iam perge.* hic versus in membranis etiamnum Nutrici, sequens verò Theseo tribuitur.

860 *Postes lares:* lege cum m. C omnibus; *postes laris.*

Quin

Quin ense viduas dexteram, atque animum mihi
Restituis, & te quicquid è vita fugat
Expromis? PH. *heu per tui sceptrum imperi,*
Magnanime Theseu, perq́ natorum indolem,
Tuosq́ reditus, perq́ iam cineres meos;
Permitte mortem. TH. *causa quæ cogit mori?*
PH. *Si causa lethi dicitur, fructus perit.*
TH. *Nemo istud alius, me quidem excepto, audiet.*
Aures pudicas coniugis solas times?
Effare, fido pectore arcana occulam.
PH. *Alium silere quod voles, primus sile.*
TH. *Lethi facultas nulla continget tibi.*
PH. *Mori volenti, deesse nunquam mors potest.*
TH. *Quod sit luendum morte delictum, indica.*
PH. *Quod viuo.* TH. *lachrymæ nónne te nostræ mouent?*
PH. *Mors optima est perire, dum lachrymant sui.*
TH. *Silere pergit: verbere ac vinclis anus*
Altrixq́ prodet, quicquid hæc fari abnuit.
Vincite ferro, verberum vis extrahat
Secreta mentis. PH. *ipsa iam fabor, mane.*
TH. *Quidnam ora mœsta auertis, & lachrymas*
Subitò coortas, veste prætentâ obtegis? (*genis*
PH. *Te te creator cælitum, testem inuoco,*
Et te coruscum lucis ætheræ iubar,
Ex cuius ortu nostra dependet domus:
Tentata precibus restiti, ferro ac minis
Non cessit animus, vim tamen corpus tulit.
Labem hanc pudoris eluet noster cruor.
TH. *Quis, ede, nostri decoris euersor fuit?*
PH. *Quē rere minimè.* TH. *quis sit, audire expeto.*
PH. *Hic dicet ensis, quem tumultu territus*
Liquit stuprator, ciuium accursum timens.
TH. *Quod facinus, heu me, cerno? quod monstrum*
Regale paruis asperum signis ebur (*intuor?*
Capulo refulget, gentis Atthea decus.
Sed ipse quónam euasit? PH. *hi trepidum fugâ*
Videre famuli concitum celeri pede.

THESEVS.

Prò sancta pietas, prò gubernator poli,
Et qui secundum in fluctibus regnum tenes;
Vnde ista venit generis infandi lues?
Hunc Graia tellus aluit, an Taurus Scythes,
Colchúsve Phasis? redit ad auctores genus,
Stir-

" 873 *Alium silere quod voles, primus sile.* Seneca Philoloph. in lib. de moribus: Quod " taciturn esse velis, nemini dixeris. Si enim ti- " bi non imperasti, quomodo ab alio silentium " speras?

875 *Mori volenti deesse nunquam mors potest.* Thebaid. actu I.

——morte prohiberi haut queo.
Ferrum negabis? noxias lapso vias
Cludes? & artis colla laqueis inseri
Prohibebis? herbas, quæ ferunt lethum auferes?
Quid ista tandem cura proficiet tua?
Vbique mors est. optimè hoc cauit Deus;
Eripere vitam nemo non homini potest,
At nemo mortem: mille ad hanc aditus patent.

Stirpemq́; primam degener sanguis refert.
Est prorsus iste gentis armigeræ furor,
Odisse Veneris fœdera, & castum diu
Vulgare populis corpus. ô tetrum genus,
Nullaq́; victum lege melioris soli!
Feræ quoque ipsæ Veneris euitant nefas,
Generisq́; leges inscius seruat pudor.
Vbi vultus ille, & ficta maiestas viri,
Atq; habitus horrens, prisca & antiqua appetens;
Morumq́; senium triste, & aspectu graue?
O vita fallax, abditos sensus geris,
Animisq́; pulchram turpibus faciem induis.
Pudor impudentem celat, audacem quies, "
Pietas nefandum, vera fallaces probant, "
Simulantq́; molles dura. siluarum incola "
Ille efferatus, castus, intactus, rudis,
Mihi te reseruas? à meo primùm toro
Et scelere tanto placuit ordiri virum?
Iam iam superno numini grates ago,
Quòd icta nostra cecidit Antiope manu:
Quòd non ad antra Stygia descendens, tibi
Matrem reliqui. profugus ignotas procul
Percurre gentes: te licet terra vltimo
Summota mundo dirimat Oceani plagis,
Orbemq́; nostris pedibus obuersum colas;
Licet in recessu penitus extremo abditus
Horrifera celsi regna transieris poli,
Hiemesq́; supra positus, & canas niues,
Gelidi frementes liqueris Boreæ minas
Post te; furentes sceleribus pœnas dabis. "
Profugum per omnes pertinax latebras premam:
Longinqua, clusa, obstrusa, diuersa, inuia
Emetiemur: nullus obstabit locus.
Huc vota mittam, tela quò mitti haud queunt. "
Scis, vnde redeam. genitor æquoreus dedit,
Vt vota prono trina concipiam Deo,
Et inuocatâ munus hoc sanxit Styge.
En perage donum triste regnator freti,
Non cernat vltra lucidum Hippolytus diem,
Adeatq́; manes iuuenis irato patre.
Fer abominandam nunc opem nato parens.
Nunquam supremum numinis munus tui
Consumeremus, magna ni premerent mala.
Inter profunda Tartara, & Ditem horridum,

906 *Armigera.* v. l. *armifera.* scilicet Amazonum; quas Diodorus Siculus, quòd vtraque mamma; Eustathius, quòd altera tantùm careant, appellatas putat.

910 *Feræ quoque,* &c. Aristoteles, Plinius, & Oppianus exempla suppeditant. ideo Iustinianus eum, qui hac copula se fœdat, ait Nouel. 12. *πράττειν ἀσεβῆ τε καὶ ἀνόσια, καὶ τοιαῦτά γε ἐπιθυμεῖν, ὁποῖα πολλὰ καὶ τῶν ἀλόγων ἀποστρέφεται ζώων.*

914 *Morumq́; senium triste.* senes graues sunt vt plurimum & tetrici. hinc morum senium pro tristitia & grauitate ponitur: & quia hoc hominum genus cunctis molestum est, senium pro molestia accipitur. Titinnius:

Quot pestes, senia, & iurgia sesemet diebus emigrarunt.

sic legitur apud Nonium: sed pro *sesemet*, velim reponi, *septem*, vel, *hiscemet*, vel, *sese meis ædibus*, vt alij.

922 *Ordiri virum?* Claudianus:

Ordiriq́; virum non luxuriante iuuenta.

926 *Matrem reliqui.* non magis enim illi, quàm nouercæ pepercisses.

929 *Orbemq́; nostris.* hîc de loco in quo degunt Antipodes, non de ipsis Antipodibus agitur.

936 *Abstrusa.* Winckelian. cod. *obstrusa.*

941 *En perage.* sic apud Euripid. Hippol. actu 4. Theseus Neptunum precatur:

ἀλλ' ὦ πάτερ Πόσειδον, &c.

943 *Lucidum diem.* alibi ait;

Hesperia Tethys lucidum attollit diem.

946 *Supremum.* tertium. Cicero de offic. lib. 1 ait; "Nam si, vt in fabulis est, Neptunus, "quod Theseo promiserat, non fecisset; The- "seus Hippolyto filio non esset orbatus. ex tri- "bus enim optatis, vt dicitur, hoc erat vltimũ, "quod de Hippolyti interitu iratus optauit: "quo impetrato, in maximos luctus incidit.

Et imminentes regis inferni minas;
Voto peperci. redde nunc pactam fidem
Genitor. moraris? cur adhuc vndæ silent?
Nunc atra ventis nubila impellentibus
Subtexe noctem, sidera & cælum eripe:
Effunde pontum, vulgus æquoreum cie,
Fluctusq́; tumidos ipso ab Oceano voca.

CHORVS.

Dimetri, Anapæstici, Monometer vnus.

O magna parens natura deûm,
Tuq́; igniferi rector Olympi;
Qui sparsa citò sidera mundo,
Cursusq́; vagos rapis astrorum,
Celeriq́; polos cardine versas;
Cur tibi tanta est cura perennes
Agitare vias ætheris alti?
Vt nunc canæ frigora brumæ
Nudent siluas; nunc arbustis
Redeant vmbræ; nunc æstiui
Colla Leonis, Cererem magno
Feruore coquant, viresq́; suas
Temperet annus? sed cur idem,
Qui tanta regis; sub quo vasti
Pondera mundi librata suos
Ducunt orbes; hominum nimium
Securus ades, non sollicitus
Prodesse bonis, nocuisse malis?
Res humanas ordine nullo
Fortuna regit, spargitq́; manu
Munera cæcâ, peiora fouens.
Vincit sanctos dira libido,
Fraus sublimi regnat in aulâ:
Tradere turpi fasces populus
Gaudet, eosdem colit atque odit.
Tristis virtus peruersa tulit
Præmia recti: castos sequitur
Mala paupertas, vitioq́; potens
Regnat adulter: ô vanè pudor,
Falsumq́; decus!
Sed quid citato nuncius portat gradu,
Restatq́; mæstus lugubrem vultum gerens?

972 *Non sollicitus Prodesse bonis, nocuisse malis?* vetus querela, quam prosequûtur Euripides Hecub. actu 3. Claudianus in Rufin. lib. 2. & omnium elegantissimè Propheta regius Ps. 73. Quàm bonus Israel Deus, &c.

987 *Restatq́;* auctiores sunt hoc loco plerique v. l. vno versu:
Rigatq́; mæstis lugubrem vultum genis,
Restatq́; mæstus lugubrem vultum gerens.
& mihi sanè secundus iste, qui in excusis, minùs placet.

ACTVS

ACTVS QVARTVS.

NVNCIVS. THESEVS.

NVN. *O Sors acerba & dura famulatus grauis,*
Cur me ad nefandos nuncium casus vocas?
TH. *Ne metue clades fortiter fari asperas,*
Non imparatum pectus ærumnis gero. "
NVN. *Vocem dolori lingua luctifica negat.*
TH. *Proloquere, quæ sors aggrauet quassam domũ.*
NVN. *Hippolytus (heu me!) flebili letho occubat.*
TH. *Gnatum parens obiisse iam pridem scio,*
Nunc raptor obiit: mortis effare ordinem.
NVN. *Vt profugus vrbem liquit infesto gradu;*
Celerem citatis passibus currum explicans,
Celsos sonipedes ocyus subigit iugo,
Et ora frenis domita substrictis ligat.
Tum multa secum effatus, & patrium solum
Abominatus, sæpe genitorem ciet,
Acerq́ habenis lora permissis quatit:
Cùm subitò vastum tumuit ex alto mare,
Creuitq́ in astra: nullus inspirat salo
Ventus, quieti nulla pars cæli strepit,
Placidumq́ pelagus propria tempestas agit.
Non tantus auster Sicula disturbat freta,
Nec tam furenti pontus exsurgit sinu
Regnante coro, saxa cum fluctu tremunt,
Et cana summum spuma Leucatem ferit.
Consurgit ingens pontus in vastum aggerem,
Tumidumq́ monstro pelagus in terram ruit.
Nec ista ratibus tanta construitur lues,
Terris minatur. fluctus haud cursu leui
Prouoluitur: nescio quid onerato sinu
Grauis vnda portat. quæ nouum tellus caput
Ostendet astris? Cyclas exoritur noua?
Latuere nube numen Epidauri Dei,
Et scelere petræ nobiles Scironides,
Et quæ duobus terra comprimitur fretis.
Hæc dum stupentes querimur, en totum mare
Immugit: omnes vndique scopuli astrepunt:
Summum cacumen rorat expulso salo,
Spumat vomitq́ vicibus alternis aquas:
Qualis per alta vehitur Oceani freta,
Fluctus refundens, ore Physeter capax.
Inhorruit concussus vndarum globus,

991 *Gero.* m. s. *fero.* & sequenti versu *luctifera.*

994 *Hippolytus.* paucis verbis, quæ postea latiùs est declaraturus, comprehendit. vt Euripides:
Ἱππόλυτος οὐκ ἔτ᾽ ἐστὶν, ὡς εἰπεῖν ἔπος.

998 *Cursum.* tres lib. antiq. *currum.*

1001 *Multa secum effatus.* Euripides in Hippolyto:
Ζεῦ, μηκέτ᾽ εἴην, εἰ κακὸς πέφυκ᾽ ἀνήρ.
αἴσθοιτο δ᾽ ἡμᾶς ὡς ἀτιμάζει, πατὴρ,
ἤτοι θανόντας ἢ φάος δεδορκότας.

1004 *Vastum tonuit ex alto mare.* hæc est membranarum lectio.

1013 *Terras.* sic antiq. libri, non *terram.*

1019 *Latuere nube.* Euripidem imitatur. ille cùm ingentem ortu monstri fluctum sublatum fuisse dixisset.
—— ὡς ἀφῃρέθη
Σκείρωνος ἀκτὰς ὄμμα τοὐμὸν εἰσορᾶν.
ἔκρυπτε δ᾽ Ἰσθμὸν, καὶ πέτραν Ἀσκληπιοῦ.

Soluitq́

Soluitq́ sese, & litori inuexit malum
Maius timore. pontus in terras ruit,
Suumq́ monstrum sequitur: hos quassat tremor.
TH. *Quis habitus ille corporis vasti fuit?*
NVN. *Cærulea taurus colla sublimis gerens,*
Erexit altam fronte viridanti iubam.
Stant hispidæ aures, cornibus varius color;
Et quem feri dominator habuisset gregis,
Et quem sub vndis natus. hinc flammam vomit,
Oculi hinc relucent: cærulâ insignis notâ
Opima ceruix, arduos tollit toros;
Naresq́ hiulcis haustibus patulæ fremunt:
Musco tenaci pectus ac palear viret,
Longum rubenti spargitur fuco latus.
Tum pone tergus, vltima in monstrum coit
Facies, & ingens bellua immensam trahit
Squammosa partem: talis extremo mari
Pistrix citatas sorbet aut reddit rates.
Tremuere terræ, fugit attonitum pecus
Passim per agros, nec suos pastor sequi
Meminit iuuencos: omnis è saltu fera
Discessit, omnis frigido exsanguis metu
Venator horret. solus immunis metu
Hippolytus artis continet frenis equos,
Pauidosq́ notæ vocis hortatu ciet.
Est alta ad Argos collibus ruptis via,
Vicina tangens spatia suppositi maris:
Hîc se illa moles acuit, atque iras parat.
Vt cepit animos, seq́ prætentans satis
Prælusit iræ; præpeti cursu euolat
Summam citato vix gradu tangens humum,
Et torua currus ante trepidantes stetit.
Contrà feroci gnatus insurgens minax
Vultu, nec ora mutat, & magnum intonat.
Haud frangit animum vanus hic terror meum,
Nam mihi paternus vincere est tauros labor.
Inobsequentes protinus frenis equi
Rapuere currum; iamq́ deerrantes viâ,
Quacunque pauidos rapidus euexit furor,
Hac ire pergunt, seq́ per scopulos agunt.
At ille, qualis turbido rector mari
Ratem retentat, ne det obliquum latus,
Et arte fluctus fallit: haud aliter citos
Currus gubernat. ora nunc pressis trahit

Con-

1054 *Est alta.* omnes membr. *est arta.*

1058 *Prælusit iræ.* In Herc. Fur. *prælusit Hydra.* In Troa. *præludens tuis iam Troia fatis.*

1060 *Toruusq́.* suprà præcessit, *moles.* ideo lego ex membranis, *& torua*; vel ex coniectura, *taurusq́.*

1064 *Paternus vincere est tauros labor,* nam Theseus Maratonium taurum & Cnossium Minotaurum interfecerat.

1069 *At ille qualis.* ait Euripides in Hippolyto:

καὶ δεσπότης μὲν ἱππικοῖς ἐν ἤθεσι
πολὺς ξυνοικῶν, ἥρπασ' ἡνίας χεροῖν.
ἕλκει δέ, κώπην ὥστε ναυβάτης ἀνήρ,
ἱμᾶσιν εἰς τοὔπισθεν ἀρτήσας δέμας.

Sanè totum hunc de morte Hippolyti locum ab Euripide accepit.

Constricta frenis, terga nunc torto frequens
Verbere coërcet. sequitur assiduus comes,
Nunc æqua carpens spacia, nunc contrà obuius
Oberrat, omni parte terrorem mouens.
Non licuit vltrà fugere. nam toruo obuius
Incurrit ore corniger ponti horridus.
Tum verò pauidâ sonipedes mente exciti
Imperia soluunt, seq; luctantur iugo
Eripere, rectiq; in pedes iactant onus.

1082 *In lora præceps fusus.* Badiana editio & Egnian. m. s. continet; *præceps in ora gnatus implicuit.* m. s. autem reliqui; *In ora præceps gnatus implicuit.* &c. quos secutus sum. Lipsiensis edit. *In lora præceps fusus.*

In ora præceps gnatus implicuit cadens
Laqueo tenaci corpus: & quanto magis
Pugnat, sequaces hoc magis nodos ligat.
Sensere pecudes facinus, &, curru leui
Dominante nullo, quâ timor iussit, ruunt.
Talis per auras non suum agnoscens onus,
Soliq; falsò creditum indignans diem,
Phaëthonta currus deuio excussit polo.
Latè cruentat arua, & illisum caput
Scopulis resultat: auferunt dumi comas,
Et ora durus pulchra populatur lapis,
Peritq; multo vulnere, infelix decor.
Moribunda celeres membra peruoluunt rotæ,
Tandemq; raptum truncus ambustâ sude,
Medium per inguen stipite eiecto tenet,
Paulumq; domino currus affixo stetit:
Hæsere biiuges vulnere, & pariter moram
Dominumq; rumpunt. inde semianimem secant
Virgulta, acutis asperi vepres rubis,
Omnisq; truncus corporis partem tulit.

1102 *Errant.* meus lib. script. habet *errat.*

Errant per agros, funebris famuli manus,
Per illa, quâ distractus Hippolytus, loca,
Longum cruentâ tramitem signat notâ,
Mœstæq; domini membra vestigant canes.
Necdum dolentum sedulus potuit labor
Explere corpus. hoccine est formæ decus?
Qui modò paterni clarus imperij comes,
Et certus heres, siderum fulsit modo:
Passim ad supremos ille colligitur rogos,
Et funeri confertur. TH. *ô nimium potens,*

1112 *Quanto parentes,* &c. Aeschylus: τὸ συγγενές τοι δεινὸν, ἥ θ' ὁμιλία. Idem in tragœd. ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις simile quiddam scripsit, quod nunc non occurrit.

" *Quanto parentes sanguinis vinclo tenes*
" *Natura; quàm te colimus inuiti quoque!*
Occidere volui noxium, amissum fleo.
NV. *Haud flere quisquam honestè, quod voluit, potest.*

TH. *Equi-*

TH. *Equidem malorum maximum hunc cumulum reor,*
Si abominanda casus optata efficit.
NVN. *Et si odia seruas, cur madent fletu genæ?*
TH. *Quod interemi, non quod amisi, fleo.*

CHORVS.

Anapæstici Tetrametri, Choriambicus Tetrameter vnus, Trimetri duo, Dimeter vnus, Sapphici quinque.

“ *Quanti casus humana rotant,*
“ *Minus in paruis fortuna furit,*
“ *Leuiusq́; ferit leuiora Deus.*
“ *Seruat placidos obscura quies,*
“ *Præbet somnos casa securos.*
Admota ætheriis culmina sedibus
Euros excipiunt, excipiunt Notos,
Insani Boreæ minas,
Imbriferumq́; Corum.
Humida vallis raros patitur
Fulminis ictus: tremuit telo
Iouis altisoni Caucasus ingens,
Phrygiumq́; nemus matris Cybeles.
“ *Metuens cælo Iuppiter alto*
“ *Vicina petit. non capit vnquam*
“ *Magnos motus humilis tecti*
“ *Plebeia domus:*
“ *Circa regna tonat.*
“ *Volat ambiguis*
“ *Mobilis alis hora, nec vlli*
“ *Præstat velox fortuna fidem.*
Qui clara videt sidera mundi,
Nitidumq́; diem, morte relictâ,
Luget mæstos tristis reditus,
Ipsoq́; magis flebile Auerno
Sedis patriæ videt hospitium.
Pallas Atthææ veneranda genti,
Quòd tuus cælum, superosq́; Theseus
Spectat, & fugit Stygias paludes,
Casta, nil debes patruo rapaci:
Constat inferno numerus tyranno.
Quæ vox ab altis flebilis tectis sonat,
Strictoq́; vecors Phædra quid ferro parat?

ACTVS

1139 *Nec vlli Præstat velox fortuna fidē.* Ennius, annal. 7.

——multa dies in bello conficit vnus:
Et rursus multæ fortunæ fortè recumbunt:
Hautquaquam quemquam semper fortuna secuta est.

Varro, Margopoli, περὶ ἀρχῆς:

Fortuna nulli currum missum à carcere intimo
Labi inoffensum per æquor ad candidum calcem sinit.

prior à me, posterior versus ab aliis emendatus. Firmianan. Simphosius:

O fortuna potens, quàm variabilis,
Tantum iuris, atrox, quæ tibi vindicas,
Euertisq́; bonos, eligis improbos,
Nec seruare potes muneribus fidem.
Fortuna immeritos auget honoribus,
Fortuna innocuos cladibus afficit;
Iustos illa viros pauperie grauat,
Indignos eadem diuitiis beat;
Hæc aufert iuuenes, & retinet senes,
Iniusto arbitrio tempora diuidens:
Quod dignis adimit, transit ad impios;
Nec discrimen habet, rectáve iudicat,
Inconstans. fragilis, perfida, lubrica;
Nec quos clarificat, perpetuò fouet;
Nec quos deseruit, perpetuò premit.

Hæc Simphosius. in cuius versu tertio meliùs quadraret, *erigis*. dixit enim *euertisq́;*, quod huic opponitur.

1149 *Casta.* Diana, virgo, intacta. *Patruo.* Plutoni,

1150 *Constat.* quia Thesei loco illi cessit Hippolytus.

ACTVS QVINTVS.

THESEVS. PHÆDRA.

TH. *Quis te dolore percitam instigat furor?*
Quid ensis iste, quidve vociferatio,
Planctusq́; supra corpus inuisum volunt?
PH. *Me me profundi sæue dominator freti*
Inuade, & in me monstra cærulei maris
Emitte; quicquid intimo Tethys sinu
Extrema gestat; quicquid Oceanus vagis
Complexus vndis vltimo fluctu tegit.
O dire Theseu semper! ô nunquam tuis
Tutò reuerse! gnatus & genitor nece
Reditus tuos luêre. peruertis domum
Amore semper coniugum, aut odio nocens.
Hippolyte tales intuor vultus tuos?
Talesq́; feci? membra quis sæuus Scinis,
Aut quis Procrustes sparsit? aut quis Cressius
Dædalea vasto claustra mugitu replens,
Taurus biformis, ore cornigero ferox
Diuulsit? heu me! quò tuus fugit decor,
Oculiq́;, nostrum sidus? exanimus iaces?
Ades parumper, verbaq́; exaudi mea.
Nil turpe loquimur. hac manu pœnas tibi
Soluam, & nefando pectori ferrum inseram,
Animaq́; Phædram pariter ac scelere exuam:
Et te per vndas, perq́; Tartareos lacus,
Per Styga, per amnes igneos amens sequar.
Placemus vmbras. capitis exuuias cape,
Laceræq́; frontis accipe abscissam comam.
Non licuit animos iungere: at certè licet
Iunxisse fata. morere, si casta es, viro;
Si incesta, amori. coniugis thalamos petam
Tanto impiatos facinore? hoc deerat nefas,
Vt vindicati sancta fruereris toro.
O mors amoris vna solamen mali,
O mors pudoris maximum læsi decus.
Confugimus ad te, pande placatos sinus.
Audite Athenæ, tuq́; funestâ pater
Peior nouercâ: falsa memoraui, & nefas,
Quod ipsa demens pectore insano hauseram,
Mentita finxi: falsa punisti pater,
Iuuenisq́; castus crimine incestæ iacet,
Pudicus, insons. recipe iam mores tuos,

Mucro-

1160 *Gnatus & genitor.* Hippolytus filius tuus, nunc: genitor Aegeus, tunc cùm ex Creta rediisti. quod elegantiss. & suauiss. carmine de Nupt. Pelei & Thetidis Catullus prosequitur.

1162 *Amore.* mei.
Odio. Antiopæ vel Ariadnes.

1166 *Dædalea.* Horatius:
—— *ceratis ope Dædalea*
Nititur pennis vitreo daturus
Nomina ponto.

1177 *Abscissam comam.* moris erat ad sepulcrum cæsa coma mortuos quodammodo munerari. testes Homerus Odyss. δ'. & Euripides in Iphigenia Taurica, & in Oreste, apud quem etiam Electræ exclamatio diuersimode accipitur à Ioanne Casa, & P. Victorio epist. 1 & 2. lib. 1. epist. clarorũ virorum, dico excusarum Lugduni à Gryphij heredibus. ego Casam sequor.

1183 *Sedamen.* in o. v. l. legitur *solamen*, & versus hic proximè præcedenti præponitur.

1189 *Falsa punisti.* m. f. habent *vana punisti.*

Mucrone pectus impium iusto patet,
Cruorq́ sancto soluat inferias viro,
Quid facere rapto debeas gnato parens
Disce ex nouercâ, condere Acherontis plagis.

THESEVS. CHORVS.

Trochaici tetrametri, & Iambici senarij.

TH. *Pallidi fauces Auerni, vosq́ Tænarei specus,*
Vnda miseris grata Lethes, vosq́ torpentes lacus,
Impiũ rapite, atq; mersum premite perpetuis malis.
Nunc adeste sæua ponti monstra, nunc vastũ mare,
Vltimo quodcunq; Proteus æquoris abscondit sinu,
Meq́ ouantẽ scelere tanto, rapite in altos gurgites.
Tuq́ semper genitor iræ facilis assensor meæ,
Morte dignum facinus ausus; qui nouâ natũ nece
Segregem sparsi per agros; quiq́ dum falsum nefas
Exequor, vindex scelestus incidi in verum scelus,
Sidera, & manes, & vndas scelere compleui meo.
Amplius sors nulla restat: regna me norunt tria.
In hoc redimus, patuit ad cælum via,
Bina vt viderem funera, & geminam necem?
Cælebs & orbus, funebres vnâ face
Vt concremarem prolis ac thalami rogos?
Donator atræ lucis Alcide tuum
Diti remitte munus; ereptos mihi
Restitue manes. impius frustra inuoco
Mortem relictam. crudus, & lethi artifex,
Exitia machinatus insolita, effera,
Nunc tibi met ipse iusta supplicia irroga.
Pinus coacto vertice attingens humum
Cælo remissa findat in geminas trabes,
Mittarq́ præceps saxa per Scironia.
Grauiora vidi, quæ pati clusos iubet
Phlegethon, nocentes igneo cingens vado.
Quæ pœna maneat memet, & sedes, scio.
Vmbræ nocentes cedite, & ceruicibus
His his repositum degrauet fessas manus
Saxum, senis perennis Æolij labor:
Me ludat amnis ora vicina alluens:
Vultur relicto transuolet Tityo ferus,
Meumq́ pœnæ semper accrescat iecur.
Et tu mei requiesce Pirithoi pater:
Hæc incitatis membra turbinibus ferat
Nunquam resistens orbe reuoluto rota.

1197 *Miseris grata.* quia illius potu malorum obliuio inducitur.

1204 *Segregem.* hac voce Seneca Philosophus vtitur, item Asconius, Prudentius, Sidonius, alij.

1205 *Verum nefas.* egregiè v. v. l. *scelus.* præter Mogunt. qui, *nefas.*

1218 *Pinus coacto* ad supplicium alludit, quo, quem ipse sustulit Sinis, homines enecabat. qua de re diximus ad Claudianum libro 2. in Rufinum.

1223 *Quæ pœna.* vide Virgilium Aeneid. lib. 6.

1226 *Senis.* Sisyphi.

1227 *Ora.* Tantali.

1230 *Pater.* Ixion.

Dehisce tellus, recipe me dirum chaos,
Recipe: hæc ad vmbras iustior nobis via est.
Gnatum sequor: ne metue, qui manes regis,
Casti venimus. recipe me æternâ domo
Non exiturum. Non mouent diuos preces:
At si rogarem scelera, quàm proni forent.
CHO. *Thesēu querelis tempus æternum manet:*
Nunc iusta gnato solue, & absconde ocyus
Dispersa fœdè membra laniatu effero.
TH. *Huc huc reliquias vehite cari corporis,*
Pondusq́; & artus temere congestos date.
Hippolytus hic est? facinus agnosco meum.
Ego te peremi. neu nocens tantùm semel,
Solúsve fierem; facinus ausurus parens,
Patrem aduocaui. munere en patrio fruor.
O triste fractis orbitas annis malum!
Complectere artus, quodq́; de gnato est super,
Miserande mæsto pectore incumbens foue.
Disiecta genitor membra laceri corporis
In ordinem dispone, & errantes loco
Restitue partes. fortis hic dextræ locus,
Hîc læua frenis docta moderandis manus
Ponenda: læui lateris agnosco notas.
Quàm magna lachrymis pars adhuc nostris abest!
Durate trepidæ lugubri officio manus,
Fletusq́; largos sistite arentes genæ,
Dum membra gnato genitor annumerat suo,
Corpusq́; fingit. hoc quidem est formâ carens,
Et turpe, multo & vulnere ambesum vndique:
Quæ pars tui sit dubito, sed pars est tui:
Hic hîc repone, non suo, at vacuo loco.
Hæc illa facies igne sidereo nitens,
Inimica flectens lumina? hic cecidit decor.
O dira fata numinum! ô sæuus furor!
Sic ad parentem gnatus ex voto redit?
En hæc suprema dona genitoris cape,
Sæpe efferendus. interim hæc ignes ferant.
Patefacite acerbâ cæde funestam domum.
Mopsópia claris tota lamentis sonet.
Vos apparate regij flammam rogi:
At vos per agros corporis partes vagas
Anquirite. istam terra difossam premat,
Grauisq́; tellus impio capiti incubet.

1246 *Facinus.* membranæ, *crimen.*
1255 *Notas.* sic quidam m. s. alij, *nodos.* ceteri, *modos.*
1261 *Ambesum.* dubito num meliùs antiq. cod. *abruptum*, habeant.
1268 *Vota.* nonnulli v. l. *dona.*
1275 *Grauisq́; tellus.* extrema Troade Polyxena cadit, vt Achilli grauem factura terram. ideo dictum hoc est, quia qui defunctis bene cupiebant, terram illis leuem dicebant. idque est quod in innumerabilibus sepulcrorum monumentis scriptum extat; S.T.T.L. sit tibi terra leuis. Romæ, in domo Cæsia:

Sit tibi terra leuis mulier dignissima vita.

ibidem, in ædibus Attilij Delphinij;

Rogo vt discedens terram mihi dicas leuē.

Euripides, in Alcesti.

—— κοῦφα σοὶ
χθὼν ἐπάνω πέσοι γύναι ——

Tibullus lib. 2. eleg. 4.

Et bene, discedens dicet, placideq́; quiescas,
Terraq́; securæ sit super ossa leuis.

Ouidius:

Ossa quieta precor tuta requiescite in vrna,
Et sit humus cineri non onerosa tuo.

Pedo Albinouanus:

Nūc ego quid possū? tellus leuis ossa teneto,
Pendula librato pondus & ipsa tuum.

Seneca, Troad. actu 3.

Patria tellus Hectorem leuiter premat.

huc etiam respicit Iuuenalis:

Dij maiorum vmbris tenuem & sine pulnere terram.

& Martialis lib. 5.

Mollia nec rigidus cespes tegat ossa, nec illi
Terra grauis fueris, non fuit illa mihi.

Et Bartolomæus Nabarrus Lamentation 3.

Y mandares,
Quando mi huessa topares
Hecha de tristes agueros,
Si por encima passares,
Y de mi te recordares,
Haz tus pies algoligeros.

Cui verò male volebant, illi tumulum grauem & onerosum imprecabantur, quò scilicet vmbra hoc onere depressa, è sepulcro nequiret ad locum destinatum euolare. vnde Propertius:

Sit tumulus lenæ curto vetus amphora collo,
Vrgeat hunc supra vis caprifice tua.

Idem:

Si fallo, cinis, heu sit mihi vterq; grauis.

L. ANN.

L. ANN. SENECÆ Hercules furens.

TRAGOEDIA V.

PERSONÆ.

Iuno.	Megara.
Amphitryon.	Lycus.
Hercules.	Theseus.

ACTVS PRIMVS.

IVNO.

Trimetri Iambici.


OROR *Tonantis (hoc enim solum mihi*
Nomen relictum est) semper alienum Iouem,
Ac templa summi vidua deserui ætheris,
Locumq́, cælo pulsa, pellicibus dedi.
Tellus colenda est. pellices cælum tenent.
Hinc arctos, altâ parte glacialis poli
Sublime classes sidus Argolicas agit:
Hinc; quâ tepente vere laxatur dies;
Tyriæ per vndas vector Europæ nitet:
Illinc

IN HERCVLEM FVRENTEM ADVERSARIA.

HERCVLES FVRENS. hoc modo Euripides tragœdiam quandam inscripsit, quam sibi hac fabula noster proposuit imitandam.

1 *Soror tonantis*. fortè ad Ouidiani lib. 3. Metamorph. versus imitationem dictum:

—— si sum regina Iouisq́
Et soror & coniux: certè soror ——

equidem quàm studiosè Nasonem noster expresserit, efficiam vt successu operis appareat. Vxorem Iouis, veteres Iunonem esse finxerunt, quia aër, quem Orpheus, in hymnis, Iunonem esse dixit, ab igne, hoc est, Ioue calefactus, cuncta gignit. Soror dicitur, vt intelligamus omnia elementa simul eodem patre esse genita, deo immortali videlicet, qui omne tempus in se continet. ideo illi Saturnum, Iouis & Iunonis patrem, pro tempore posuerunt.

6 *Hinc Arctos*. Hesiodus & eum secuti plerique omnes, hanc asserunt Callisto, filiam Lycaonis, fuisse; sed Arietes Tegeates historicus, eius ex Ceteo neptem, nomine Megistho, contendit. Hæc Callistus fabula virgines monet summam in pudore custodiendo curam adhibere; ne, dum culpa sua virgineum florem amittunt, à cunctis ludibrio habitæ, in proximorum etiam odiũ incurrant. nam cùm venatione fessam, somno indulgere, & mox à Ioue tradunt deceptam comprimi: nihil aliud volunt innuere, quàm virgines esse nonnullas, quæ initiò quidem diligenter ab amatorum insidiis sibi cauent, assiduò honestis occupationibus vacantes; mox tamen ocio delinitæ (nam somnus ille ocium est) in amoris retia incidunt; & iuuenum delenimentis captæ, libidini eorum obsequuntur. Callisto à Iunone, comperto scelere, in vrsam mutatã, & ab Arcade, quẽ ex furtiuo illo coitu conceperat, ad necẽ petitam fuisse poëtæ tradunt, indicantes eos, qui corporis voluptati se dedunt, brutorum induere habitum, & ne ab iis ipsis quidem esse securos, quorum in beneuolentia maximam fiduciam ponunt. Siue, quód per scelus nati à nullo, quantumuis nefario, facinore sese abstineant. Postremò, Ioue miserante, in cælum translata Lycaonis filia, diuinam misericordiam ac pœnitentiæ fructum denotat. 7 *Agit*. in vno cod. antiq. *vehit* legitur. 9 *Tyria*. Tyriam vocat Europam; quemadmodum eius fratrem Cadmum, vetus quidam poëta Tyrium vocauit. *Vector Europæ*. Taurum, inquit Calpurnius Bassus in comment. Phænom. Cæsaris Germanici, quidam inter astra putant positum propter Iouem, „ quód in bouem fabulosè sit conuersus. Nigidij summæ auctoritatis grammatici alia fuit sententia, ea quoque à „ Basso refertur, cuius verba, quia vulgò non satis emendata exstant, adscribam vt legi puto debere. igitur scribit ille: Nigidius hunc ait Iouem à Neptuno fratre per gratiam abduxisse, qui in figura tauri sensum humanum habe- „ ret: quem Iupiter Sydonem misit, vt Europam, Agenoris filiam, ad se portaret: isque per pelagus Sydonem venit, „ ibique Europam inter æquales suas ludentem in templo Aesculapij conspexit, eamque repentino raptu colloca- „ tam, suo tergo deuexit ad Iouem, in insulam Cretam. ob hanc itaque causam Iupiter taurum sideribus dignatus „ est immortali memoria inferre. Hæc Euripidi, teste Higyno, congruunt. Eratosthenes autem hunc eum esse „ putat, qui Pasiphaën iniit. de hoc tauro citantur à Probo & Pomponio Sabino, in 1. Georg. Virgilij, illa Getulici, in epigram. vereor vt mendosa; nam Pomponius ita citat: *Non aries illum verno feret aëre cornu,*
Gnosia nec gemini præcidunt cornua tantùm. Probus verò ita: *Non aries illum verno feret aëre cornu,*
Gnoßia nec geminos præcidunt cornua taurum.

Illinc timendum ratibus ac ponto gregem
Paßim vagantes exerunt Atlantides,
Ferro minax hinc terret Orion deos,
Suasq́; Perseus aureus stellas habet.
Hinc clara gemini signa Tyndaridæ micant,
Quibusq́; natis mobilis tellus stetit.
Nec ipse tantùm Bacchus, aut Bacchi parens,
Adiere superos: nèqua pars probro vacet,
Mundus puellæ serta Cnoßiaca gerit.
Sed vetera querimur. vna me dira ac fera
Thebana, nuribus sparsa tellus impiis,

Quoties

10 *Illinc timendum.* siue sic, siue, quod est in quibusdam membranis, legas, *tremēdum*, aut, *verendum*, minimum refert. Atlantides Iuno oderat, quia earum tres, Maia, Electra, Taygete, Ioui morigeræ fuerant. Timendas nauigantibus dicit, quia à nautis, ob futuram, quam denunciant, tempestatem timentur, auct. Germanico in Phænom. Hesiod.

εἰ δέ σε ναυτιλίης δυσπεμφέλου ἵμερος αἱρεῖ,
εὖτ' ἂν Πληϊάδες σθένος ὄμβριμον Ὠρίωνος
φεύγουσαι πίπτωσιν ἐς ἠεροειδέα πόντον,
δὴ τότε παντοίων ἀνέμων θύουσιν ἀῆται,
καὶ τότε μηκέτι νῆας ἔχειν ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ.

11 *Atlantides.* Sic quas Ouidius Pleiades vocat, Virgilius in Georg. nuncupauit:
Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur.

12 *Exterret Orion deos.* exterret, quia stricto gladio videtur taurum petere. Statius, in siluis:
—— quanto mucrone minatur Noctibus hybernis, & sidera terret Orion. Sed cur hoc loco Iuno Orionem nominat, quem non ex pellice, sed ex bubula pelle Iupiter cum Neptuno & Mercurio, secundùm Euphorionem & Ouidium, vel Apolline, vt scribit Isacius in Lycophronem, susceperat? dolebátne mulier zelotypa decessisse sibi, quicquid corio bubulo obtigerat? quomodo, & cur Orion occisus fuerit, varia à variis scripta sunt: quibus tamen omnibus facile fuerit sensum moralem attribuere. Vide Apollodorum 1. Biblioth. Nicand. in Theriacis. Ouidium 5. Fastor. Higyn. lib. Astron. 2. Si enim interiit quia Dianam attentare præsumserit, ex Nicandri, Euphorionis, & Horatij sententia; significarunt poëtæ, deum omne stuprum, præsertim violentum, grauissimis pœnis persequi consueuisse. Sin Corino Delio, scribenti, illum propter iactantiam à Scorpio, Dianæ iussu, occisum, assentiamur; ab omni arrogantia monemur esse alieni, vtpote cuius vindicem Nemesim veteres esse voluerunt, teste Theæteto. At si à Diana adamatum ob formam dicas, & fraude Apollinis ab eadem ignorante interemtum; sit illud ipsum exemplo, ne quis potentiorem ducere, néve cum nobiliore vel ditiore audeat congredi: quoniam huiusmodi amores & nuptias infelix vt plurimum exitus consequatur. quod in Antonij Bolognij, & ducis Melsitanæ connubio patuit. Bandellus in tragœdiis Italicis, Belleforestus Gallicarum tragœdiar. to. 2. trag. 1.

13 *Perseus.* de Perseo, legendus Ouid. in Metamorph. cuius natiuitas docuit auro cuncta esse peruia; de Medusa victoria, virum bonum meretricum insidias, deo duce, effugere; in stellam mutatio, eorum qui miseros iuuerint, vt Perseus Andromedam, & luxuriæ stimulum retuderint, nomen immortale fore. *Aureus.* pulcher. Sic apud nescio quem; *μοῦσά μοι ἔννεπε ἔργα πολυχρύσου Ἀφροδίτης.* & Mimnermum: *τίς δὲ βίος τί δὲ τερπνὸν ἄτερ χρυσῆς Ἀφροδίτης.* atque Virgilium: *—— at non Venus aurea contra Pauca refert ——*

14 *Clara.* idcirco hæc stella ab Horatio lib. 1. Carm. alba dicitur. *Tyndaridæ.* Sic ab Homero in hymnis Dioscuri appellantur: quia Castor à Tyndaro fuit genitus: quamuis Polluci Iouem patrem vetustas assignarit. Natalis libro 8. Mytholog. cap. 9. eadem hoc alterna vita frui finxit, vt hominibus fraternam caritatem ac beneuolentiam commendaret. hoc enim volunt, cùm aiunt Castorem alterna morte redemtum. Obiiciunt hoc loco Senecæ nonnulli, Castores seu Tyndaridas tunc temporis nondum mortuos, proinde neque adhuc in cælum translatos fuisse. Sed multa apud poëtas talia inueniri discant. tale est apud Sophoclem, in Electra, nunciari Clytæmnestræ Orestem in Pythiis obiisse, cùm tamen Pythia annis post Orestem penè sexcentis, Triptolemi temporibus, cœperint, vt notant scholasticæ. tale apud Virgil. illud, —— *portusq́; require Velinos*, 6. Aeneid. cùm illo tēpore Velium non foret. Sanè hoc loco, quia Iuno loquitur, nihil mirum est, eam futura tanquam præsentia fari. deam enim credebat antiquitas. porrò hæc figura vocatur anachorismus. 15 *Quibusq́; natis mobilis tellus stetit.* explicatur locus iste à Strabone, lib. 10. vbi de Delo agit his verbis: *μυθεύεται γὰρ ἐνταῦθα ἡ Λητὼ τὰς ὠδῖνας ἀποθέσθαι τοῦ τε Ἀπόλλωνος καὶ τῆς Ἀρτέμιδος. ἦν γὰρ τὸ πάροιθε, φορητά, φησιν ὁ Πίνδαρος, Κύμασί τε, παντοδαπῶν ἀνέμων ῥιπαῖσιν, Ἀλλ' ἁ Κοιογενὴς ὁπότ' ὠδίνεσσι θύοισ' ἀγχιτόκοις ἐπέβαινεν, Δὴ τότε τέσσαρες ὀρθαὶ πρέμνων ἀπώρουσαν χθονίων, Ἂν δ' ἐπικράνοις σχέθον πέτραν ἀδαμαντοπέδιλοι κίονες. Ἔνθα τεκοῖσ' εὐδαίμον' ἐπόψατο γένναν.*

16 *Bacchus, aut Bacchi parens.* consule Ouid. 3 Metamorph. Semelen in cælum translatam memini me apud Philostratum in imagin. & Nonnum lib. 7. Dionys. legere. Semele fulmine cremata fingitur, vt nihil nisi æquum & bonum à deo petere doceamur. Bacchum Iupiter ex igne eripuit, & femori suo alligit, quia parentum noxa filiis obesse non debet. Orpheus in hymn. in Dionysum, Bacchum non Semeles, sed Proserpinæ filium facit, indicans ebrietatem ex cacodæmonum regno erupisse. 18 *Mundus.* mundum pro cælo & hìc, & sæpicule poni aliàs, docui in notis ad Claudianum. addo sumi nonnunquam pro inferorum sedibus. Seneca volens innuere apud inferos perpetuas esse tenebras, ait infrà actu 3. *Immotus aër haret & nigro sedet Nox atra mundo ——* Item Hippol. actu 2. *Arsit obscuri dea clara mundi.* *Puella serta Cnoßiaca.* coronam Ariadnæ.

Quoties nouercam fecit? ascendat licet,
Meumq́, victrix teneat Alcmene locum,
Pariterq́, natus astra promissa occupet;
In cuius ortu mundus impendit diem,
Tardusq́, Eoo Phœbus effulsit mari,
Retinere mersum iussus Oceano iubar.
Non sic abibunt odia. viuaces aget
Violentus iras animus, & sæuus dolor
Æterna bella, pace sublatâ, geret.
Quæ bella? quicquid horridum tellus creat
Inimica; quicquid pontus, aut aër tulit
Terribile, dirum, pestilens, atrox, ferum,
Fractum atq́, domitũ est. superat, & crescit malis,
Iraq́, nostrâ fruitur. in laudes suas
Mea vertit odia. dum nimis sæua impero;
Patrem probauit inde, quâ lucem premit,
Aperitq́, Tethys; quâ, ferens Titan diem,
Binos propinqua tingit Æthiopas face.
Indomita virtus colitur, & toto Deus
Narratur orbe. monstra iam desunt mihi:
Minorq́, labor est Herculi iussa exsequi,
Quàm mihi, iubere: lætus imperia excipit.
Quæ fera tyranni iussa violento queant
Nocere iuueni? nempe pro telis gerit,
Quæ timuit, & quæ fudit: armatus venit
Leone & hydra. nec satis terræ patent.
Effregit ecce limen inferni Iouis,
Et opima victi regis ad superos refert.
Parum est reuerti. fœdus vmbrarum perit.
Vidi ipsa, vidi nocte discussâ inferûm,
Et Dite domito, spolia iactantem patri
Fraterna. cur non vinctum & oppressum trahit
Ipsum cathenis, paria sortitum Ioui,
Ereboq́,

Virgil. 1. Georg.
Cnossiaq́, ardentis decedat stella coronæ.
Cæsar Germanicus, in Phænom. ex Arato:
Clara Ariadnea propiùs stāt signa corona,
Hunc illi Bacchus thalami memor addit honorem.
Horatius lib. 2. Carminum:
Fas, & beatæ coniugis additum
Stellis honorem ——

21 *Quotiens.* bis. semel ibi nato Baccho, & iterum Alcmena pariente Herculem.

22 *Viuaces aget violentus iras animus.* Iuno enim susceptas inimicitias pertinaciter retinebat. ideo Virgilius lib. 1. Aeneid.
—— *memorem Iunonis ob iram.*
lib. 5. Aeneid.
Iunonis grauis ira & inexsaturabile pect°,
Quā nec lōga dies, pietas nec mitigat vlla,
Nec Iouis imperio fatisve infracta quiescit.
Hæc dea Baccho & Herculi grauis semper & infesta fuit. de iis ait Sidonius Antipater:
ἥρη δ' ἀμφοτέροις χαλεπὴ θεός.
cæterùm malè hoc loco libri antiq. vel *minaces aget*, vel *viuacesq́,* habent.

37 *Quá, ferens Titan diem Binos propinqua tingit Æthiopas face.* hoc est, ab ortu ad occasum. nam ait Homerus Odyss. α.
Αἰθίοπας τοὶ διχθὰ δεδαίαται ἔσχατοι ἀνδρῶν,
οἱ μὲν δυσομένου ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος.
Sic enim posteriorem versum legit Aristarchus, licet eundem Crates aliter castigauerit. Strabo libro 1. Apuleius lib. 1. de asino aureo: Indi, vel Aethiopes vtrique.

39 *Toto deus narratur orbe.* ex veterum more; qui à quibus insignia beneficia acceperant, aras illis consecrabant, & diuinos honores decernebant. Hercules per totum orbem latrociniis à se & sceleribus repurgatum, veluti θεὸς ἀλεξίκακος colebatur. hoc Iuno queritur.

45 *Armatus venit leone & hydra.* Herculem finxerunt, vt est apud Hyginum in fabulis, Nemeæi leonis pellem pro armis habuisse, sagittis verò vsum tinctis felle & sanguine hydræ Lernææ. quo indicant bonum Imperatorem, cuius exemplum nobis Herculem proponunt, ad reportandas de hostibus victorias, calliditatem simul & fortitudinem coniungere debere. etenim his virtutibus ducibus, comiteq́; fortuna, quiuis exercitus vinci, omnia possint opida expugnari, nullæ non prouinciæ queant subiugari. Notius est Lysandri Lacedæmonij dictum, quàm vt hoc loco debeat commemorari.

47 *Inferni Iouis.* Homerus Iliad. ι. de Plutone, Ζεύς τε καταχθόνιος —— eundem Statius, profundum Iouem; noster, dirum Iouem; Virgilius, Stygium Iouem vocauit. Sic Proserpina Virgilio & Claudiano, inferna & profunda Iuno dicitur. Stoici, teste Seruio, vnum Deum pro variis actibus & potestate varia nomina habere censebant. ideo vnum eundemque modò Iouem, modò Neptunum, modò Plutonem vocatum; & vnam eandemque Iunonem, modò sic, modò Amphitriten, modò Proserpinam dici. Sanè quia in cælo, terris, & mari Iuppiter imperare credebatur, Troiani, auctore Agatharchide in Asiaticis, tres oculos illi affinxerunt.

49 *Fœdus vmbrarum perit.* lex inferorum violata. exstat antiqui scriptoris incerti huiusmodi epigramma:
Iuppiter astra, fretum Neptunus, tartara Pluto, Regna paterna tenent tres tria, quisque suum.
huic sortitioni addita fuisse quædam fœdera, verisimile est. videlicet, vt neque vita functi cælum infestarent, ne-

que viui ad orcum penetrarent, neque quispiam nauigaret. confirmat eam coniecturam Seneca cùm hoc loco, tum alibi sæpe. item Claudianus lib. 1. de raptu Proserp.

Ne pete firmatas pacis dissoluere leges
Quas dedimus, neuitq; colus. ne fœdera fratrum
Ciuili conuerte tuba. cur impia tollis
Signa? quid incestis aperis Titanibus auras?

ibi enim Lachesis Plutonem alloquitur. & paulo pòst ipse Pluto ait:

Atlantis Tegeæe nepos commune profundis
Et superis numē qui fas per limē vtrumq;
Solus habes, geminoq; facis commercia mundo.

huc spectant quæ infrà dicemus.

54 *Ereboq;* non sequor m. s. in quo legitur; *Cerberoq;*. nam Cerberum ceperat. est autem Erebus profunditas inferorum. Seruius & Sabinus in 4. Aeneid. hic pars, pro toto inferno.

59 *Atrum.* Hercules ab inferis inuitum & reluctantem Cerberum extraxit: quē quidam rectiss. auaritiam interpretantur, thesauros in tenebris occultatos diligenter asseruantem, nec in lucem patientem erui: quę si à viro honoris cupido debelletur, & ex animi recessu, in quo se abdiderat, eiiciatur, atq; opes illæ vsibus hominum accommodentur, ad illustrandum nomen, & acquirendam illustrem gloriam maximū proculdubio momentum adferent. quia, licet in diuitiis vera gloria non sit collocanda, ad gloriam tamen adipiscendam vtilissimas illas esse qui neget, plerisque quidem sanus non esse & ad Anticyras relegandus videtur.

72 *Mediusq; collo.* ad hunc locum Claudianus respexit in præfat. lib. 2. de raptu Proserp. inquiens:

—— te maximus Atlas
Horruit, imposito cùm premerēre polo.
Firmior Herculeā mūdus ceruice pepēdit.

Et Sydonius:

Cùm Lybicæ se rupe gigas subduceret, & cùm
Tutior Herculeo sedisset machina dorso.

quare fortassis hoc loco legendum sit; *meliusq; collo*: sed nihil muto.

74 *Quærit.* in nonnullis autographis, *quæret*, continetur: sed prius malo.

Ereboq; capto potitur, & retegit Styga?
Patefacta ab imis manibus retro via est,
Et sacra diræ mortis in aperto iacent.
At ille, rupto carcere vmbrarum, ferox
De me triumphat, & superbificâ manu
Atrum per vrbes ducit Argolicas canem.
Viso labantem Cerbero vidi diem,
Pauidumq; solem: me quoque inuasit tremor,
Et terna monstri colla deuicti intuens,
Timui imperasse. leuia sed nimium queror.
Cælo timendum est, regna ne summa occupet,
Qui vicit ima. sceptra præripiet patri:
Nec in astra lentâ veniet, vt Bacchus, viâ:
Iter ruinâ quæret, & vacuo volet
Regnare mundo. robore expenso tumet,
Et, posse cælum viribus vinci suis,
Didicit ferendo: subdidit mundo caput:
Nec flexit humeros molis immensa labor,
Mediusq; collo sedit Herculeo polus,
Immota ceruix sidera & cælum tulit,
Et me prementem. quærit ad superos viam.
Perge ira, perge, & magna meditantem opprime,
Congredere, manibus ipsa iam lacera tuis.
Quid tanta mandas odia? discedant feræ:
Ipse imperando fessus Eurystheus vacet.
Titanas ausos rumpere imperium Iouis
Emitte, Siculi verticis laxa specum.
Tellus gigante Doris excusso tremens
Supposita monstri colla terrifici leuet,
Sublimis alias luna concipiat feras.
Sed vicit ista. quæris Alcidæ parem?
Nemo est, nisi ipse: bella iam secum gerat.
Adsint ab imo Tartari fundo excitæ
Eumenides, ignem flammeæ spargant comæ,
Viperea sæuæ verbera incutiant manus.
I nunc superbe, cælitum sedes pete:

Huma-

78 *Imperando fessus.* sic inuenies apud Ouidium 9. Metamorph. de Hercule. *—— defessa iubendo Sæua Iouis coniux, ego sum indefessus agendo.* 81 *Tellus Doris.* Sicilia, in quam Græci frequentes colonias miserunt: quamobrem Græcis Siculi sunt annumerati, & omissa patria Græcam linguam addidicerunt, Diodor. lib. 5. & partim Dorica, partim Ionica, illa tamen maximè dialecto sunt vsi, vt patet ex Siculorum poëtarum eidylliis: nil mirum, cùm teste Thucydide lib. 6. & Pausan. lib. 1. Eliacor. magnam Siciliæ partem ex Peloponneso Dores incoluerint. qua de re nonnulla etiam M. Tullius in accusationibus in Verrem.

83 *Alias.* Ioan. Picus Mirandulæ comes, in opere contra Astrologos, tradit quosdam existimasse, omnia, quæ apud nos sunt, in orbe lunæ inueniri. 86 *Tartari.* qui *bis patet in præceps tantùm, tenditq; sub vmbras Quantus ad æthereum cæli suspectus Olympum.* Virgilius 6. Aeneidos.

Humana temne: iam Styga & manes ferox
Fugisse credis? hîc tibi ostendam inferos.
Reuocabo, in altâ conditam caligine
Vltra nocentum exilia, discordem deam,
Quam munit ingens montis oppositi specus,
Educam, & imo Ditis è regno extraham,
Quicquid relictum est. veniat inuisum scelus,
Suumq; lambens sanguinem impietas ferox,
Errorq;, & in se semper armatus furor.
Hoc, hoc ministro noster vtatur dolor.
Incipite famulæ Ditis, ardentem incitæ
Concutite pinum, & agmen horrendum anguibus
Megæra ducat, atque luctifica manu
Vastam rogo flagrante corripiat trabem
Hoc agite. pœnas petite violatæ Stygis.
Concutite pectus. acrior mentem excoquat,
Quàm qui caminis ignis Ætnæis furit.
Vt possit animo captus Alcides agi,
Magno furore percitus; nobis prius
Insaniendum est. Iuno cur nondum furit?
Me, me sorores, mente deiectam meâ,
Versate primam: facere si quicquam apparo
Dignum nouerca: iam odia mutentur mea.
Natos reuersus videat incolumes, precor,
Manuq; fortis redeat. inueni diem,
Inuisa quo nos Herculis virtus iuuet.
Me pariter & se vincat, & cupiat mori
Ab inferis reuersus. hoc prosit mihi,
Ioue esse genitum: stabo, & vt certo exeant
Emissa neruo tela, librabo manum:
Regam furentis arma: pugnanti Herculi
Tandem fauebo. scelere perfecto, licet
Admittat illas genitor in cælum manus.
Mouenda iam sunt bella. clarescit dies,
Ortuq; Titan lucidus croceo subit.

93 *Discordem deam.* Megæram.
99 *In se semper armatus furor.* infrà act. 5.
—— *quodq; habet proprium furor,*
In se ipse sæuit ——
102 *Agmen horrendum anguibus.* agmen sororum, Tisiphonen & Alecto: vide Medeæ versu 14.
104 *Trabem.* trabs, pro face, ἐμφατικῶς. sic Maro trabale telum; Horatius, clauos trabales; Papinius, hastam trabalem; Claudianus, trabale sceptrum; Silius, trabem pro hasta, posuerunt.
106 *Mentem excoquat.* ita Prudentius:
At Christiani nominis
Hostem coquebant irrita
Cordis venena, & liuidum
Cor efferatæ exusserant.
Virgilius etiam:
Femineæ ardentem curæq; iræq; coquebãt.
Ennius; —— *curamq; leuasso*
Quæ nunc te coquit & versat sub pectore fixa.
107 *Quàm qui caminis ignis Ætnæis.* noster Hippolyto:
Et ardet intus qualis Ætnæo vapor
Exundat antro ——
Catullus:
Cùm tantum arderem quantum Tinacria rupes.
Ouidius, in epist. Sapphus:
Me calor Ætnæo non minor igne tenet:
item 13. Metamorph.
Vror enim, læsusq; exæstuat acrior ignis,
Cumq; suis videor translatam viribus Ætnam
Pectore ferre meo ——
Noster Thyeste:
Ignis Ætnæis resonans caminis.
Hippolyto:
Et qui furentes semper Ætnæis iugis
Versat caminos ——
Hercule Oetæo:
Feret Ætnæos inde caminos
Lucanus lib. 1. vocat, *ora*, noster caminos, cauernas illas, per quas ignis erumpit, secutus Virgilium lib. 3. Aeneid.
Fama est Enceladi semustũ fulmine corpus
Vrgeri mole hac, ingentẽq; insuper Aetnam
Impositã ruptis flammã exspirare caminis.
hoc est, vt ait Sabinus, cauernis. de his Aetnæ incendiis, (citante eodẽ Pomponio Sabino) ita scribit Trogus lib. 4. "Sicilia terra est cauernosa & fistulosa, quo fit vt ventorum flatibus pateat, vnde ignis concipitur. intrinsecus sulphur habetur, & bitumen; vbi cùm ventus per spiramenta cauernarum incubuit, diu luctatus, ignem concipit. sic Aetnæ durat incendium. de quo exstat poëma Cornelij Seueri. 108 *Animo captus.* o. v. l. *animum captus,* habent. 110 *Furit.* in vno m. s. l. *furis,* legitur. 119 *Stabo.* ad finem vsque manebo & durabo. Statius, extrema Achilleide: *Stare iubet contrà, tumidosq; repellere fluctus; Quos vix ipse gradu totiens obstante tulisset.* *Stabam equidem, nec me referebat concitus amnis.*

CHO.

Q

CHORVS.

Anapæstici.

Iam rara micant sidera prono
Languida mundo, nox victa vagos
Contrahit ignes, luce renata
Cogit nitidum Phosphoros agmen.
Signum celsi glaciale poli,
Septem stellis Arcades vrsæ
Lucem verso temone vocant.
Iam cæruleis euectus equis
Titan, summum prospicit Oetam,
Iam Cadmæis inclyta bacchis
Aspersa die dumeta rubent,
Phœbiq; fugit reditura soror.
Labor exoritur durus, & omnes
Agitat curas, aperitq; domos
Pastor gelidâ cana pruinâ,
Grege immisso, pabula carpit.
Ludit prato liber aperto
Nondum ruptâ fronte iuuencus,
Vacuæ reparant vbera matres,
Errat cursu leuis incerto
Molli petulans hædus in herba.
Pendet summo stridula ramo,
Pennasq; nouo tradere soli
Gestit, querulos inter nidos,
Thracia pellex, turbaq; circum
Confusa sonat, murmure misto
Testata diem. carbasa ventis
Credit, dubius nauita vitæ,
Laxos aurâ complente sinus.
Hic exesis pendens scopulis,
Aut deceptos instruit hamos;
Aut suspensus spectat pressâ
Præmia dextrâ: sentit tremulum
Linea piscem. hæc, innocuæ
Quibus est vitæ tranquilla quies,
Et læta suo paruoq; domus,
Spes & in agris.
Turbine magno spes sollicitæ
Vrbibus errant, trepidiq; metus.
Ille superbos aditus regum,
Durasq; fores, expers somni

127 *Cogit nitidum.* Ouid. 2. Metam.

—— diffugiunt stellæ quarum agmina cogit
Lucifer —— id est, Phosphoros.

Martialis:

Phosphore redde diem, quid gaudia nostra moraris?

128 *Celsi poli.* poli Arctici; qui nobis semper sublimis: sed Antarcticum, sub pedibus Styx atra videt, manesque profundi. Virgil. 1. Georg.

132 *Summum prospicit Oetam.* cùm sol à montis cacumine occidit aut oritur, præ se fert nobis speciem cacumen tangentis. ideo ait præstantissimus Poëta:

Iamq; iugis summæ surgebat Lucifer Idæ.
&:
Sparge marite nuces, tibi deserit Hesperus Oetam.

144 *Petulans hædus.* proprium hœdi epithetum, qui naturâ petulans & lasciuus est admodum. Virgil. 2. Georg.

—— hœdiq; petulci
Floribus insultent.

154 *Deceptos.* à piscibus, qui vel eos contemserunt, vel potius, erepta callidè esca, illæsi effugerunt.

157 *Innocua.* non, quæ non nocet; sed cui „ ab aliis non nocetur. Seruius 2. Aeneid. Innocuus, inquit, cui non nocetur: innoxius, qui non nocet. Sed hæc plerumque poëtæ confundunt.

161 *Spes sollicita.* bene, sollicitæ. nam qui sperat, inter gaudium & timorem versatur. speramus non bona solùm, vt Grammatici quidam somniant, sed & mala. Virg. 10.

Nunc etiam horribili visu portenta sequuntur,
Et socij amissi petierunt æthera pennis,
Fluminibusq; vagantur aues (heu dira meorum
Supplicia) & scopulos lacrimosis vocibus implent.
Hæc adeò ex illo mihi iã speranda fuerũt
Tempore, cùm, &c.

& quia vt bona, sic mala speramus, ideo sperare pro timere, & spes pro lætitia ponitur. Virgil. 1. Aeneid.

At sperate deos memores fandi atque nefandi.

Idem 4. Aeneid.

Hunc ego si potui tantum sperare dolorẽ.

Colit: hic nullo fine beatus
Componit opes, gazis inhians,
Et congesto pauper in auro est.
Illum populi fauor attonitum,
Fluctuq; magis mobile vulgus,
Aurâ tumidum tollit inani.
Hic clamosi rabiosa fori
Iurgia vendens improbus, iras
Et verba locat. nouit paucos
Secura quies; qui, velocis
Memores æui, tempora nunquam
Reditura tenent. dum fata sinunt,
Viuite læti. properat cursu
Vita citato, volucriq; die
Rota præcipitis voluitur anni.

Duræ

169 *Fluctuq; magis mobile vulgus.* vulgi inconstantia fluminum fluctibus, & maris procellis solet comparari. Herodotus, in Thalia: ὁμίλου γὰρ ἀχρηίου οὐδέν ἐστι ἀξυνετώτερον, οὐδὲ ὑβριστικώτερον. καὶ τυράννου ὕβριν φεύγοντας ἄνδρας, ἐς δήμου ἀκολάστου ὕβριν πεσέειν, ἐστὶ οὐδαμῶς ἀνασχετόν. ὁ μὲν γὰρ εἴ τι ποιέει, γινώσκων ποιέει· τῷ δὲ οὐ γινώσκειν ἔνι. κῶς γὰρ ἂν γινώσκοι ὃς οὔτ' ἐδιδάχθη, οὔτε οἶδε καλὸν οὐδὲν, οὐδ' οἰκήιον; ὠθέει τε ἐμπεσὼν τὰ πρήγματα ἄνευ νόου χειμάῤῥῳ ποταμῷ ἴκελος; Polyb. lib. 11. ταῦτα δέ ἐστι, διότι πᾶς ὄχλος εὐπαραλόγιστος ὑπάρχει, καὶ πρὸς πᾶν εὐάγωγος. ὅθεν αἰεὶ τὸ παραπλήσιον πάθος συμβαίνει περί τε τοὺς ὄχλους καὶ τὴν θάλατταν. καθάπερ γὰρ κἀκείνης ἡ μὲν ἰδία φύσις ἐστὶν ἀβλαβὴς τοῖς χρωμένοις καὶ στάσιμος, ὅταν δ' εἰς αὐτὴν ἐμπέσῃ τὰ πνεύματα βίᾳ, τοιαύτη φαίνεται τοῖς χρωμένοις οἷοί τινες ἂν ὦσιν οἱ κυκῶντες αὐτὴν ἄνεμοι· τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τὸ πλῆθος ἀεὶ καὶ φαίνεται καὶ γίγνεται πρὸς τοὺς χρωμένους, οἵους ἂν ἔχῃ προστάτας καὶ συμβούλους. Cicero in ea quæ est pro Muræna: Quòd enim fretum, quem Euripum, tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantos æstus habet, & quantas perturbationes ratio comitiorum? Titus Liuius lib. 27. Polybij locum suprà citatum expressit, his verbis: Sed multitudo omnis, sicut natura maris, per se immobilis est: vt venti & auræ cient, ita aut tranquillum aut procellæ in vobis sunt. *Mobile*. Sic Horat. 1. carm. od. 1. *Hunc si mobilium turba Quiritium.* Sic Prudent. περὶ στεφ. hymno 10. *Tu ventilator vrbis & vulgi leuis Procella mentes inquietas mobiles.* Statius 2. Thebaid. *—— non mobile vulgus.* 176 *Dum fata sinunt* Varro περὶ φιλονεικίας idem monet: Properate viuere pueræ, quas sinit ætatula ludere. Tibullus, à quo noster hæc verba accepit:

At tu dum primi floret tibi temporis ætas, Vtere. non tardo labitur illa pede. *Interea dum fata sinunt.*

179 *Rota præcipitis voluitur anni.* ad hanc annorum & temporis circumuolutionem haut dubiè purissimus poëta Tibullus respexit iis versibus, qui, quod summorum virorum pace dixerim, nulla de causa illis negocium exhibuerunt, adeò vt de ipsorum integritate planè dubitarint viri alioquin sagacissimi: at nobis inprimis elegantes & admodum faciles videntur. ait Tibullus lib. 1. eleg. 4. *—— transiet ætas Quàm citò non segnis stat remeatq; dies.* nihil aliud volens innuere, quàm ætatem nostram transire tam citò: quàm dies, qui nunc *stat*, hoc est, præsens consistere & conquiescere à reuolutione illa videtur, mox idem *non segnis* (hoc est, non segniter) remeat, anno scilicet reuoluto. nam poëtæ annum rotæ cuiusdam instar volui fingebant, vt hoc loco Seneca. Aegyptij serpenti caudam voranti assimilant. Claudianus lib. 2. de laudibus Stilichonis:

Est ignota procul, nostraq; imperuia menti,
Vix adeunda deis annorum squalida mater.
Immensi spelunca æui; quæ tempora vasto
Suppeditat reuocatq; sinu. complectitur antrum
Omnia qui placido consumit numine serpens,
Perpetuumq; viret squammis, caudamq; reducto
Ore vorat, tacito relegens exordia lapsu.

Papinius: *In terga reuoluitur annus.* Virgilius:

—— atque in se sua per vestigia voluitur annus.

vnde & dictum censet Macrobius.

Hæc poëtarum de rota & serpente fictio, planè rationi naturæ cõuenit, illique circulorum circuitioni, ex qua dierum noctiumq; varietas & mensis annique mensura procedit; de qua, post Platonem, Cicero in Timæo. Voluit autem Seneca humanæ vitæ breuitatem ostendere, quam vltra centesimum annum extendi Caius & Iustinianus negarunt, l. an vsusfructus, D. de vsufruct. l. municipiis, D. de vsu & vsuf. leg. l. fin. C. de sacrosanct. eccles. qua de re post Alexand. & Aretinum eleganter Oroscius ad l. si quis ex argentariis, col. 741. nu. 50. D. de eden. & Crinitus de honest. discipl. lib. 7. c. 9. & Ioan. Corrasius lib. 5. miscellan. cap. 18. & Iacobus Curtius εἰκαστῶν ad fratrem lib. 1. cap. 36. Sanè complures centesimum ætatis annum excessisse, ex Plinio, Valerio Maximo, & aliis ab illis relatis, constat, quibus ego addo Lucianum in Macrobiis; Phlegontem in lib. περὶ θαυμασίων, & Censorin. de die Natali. Seres quoque ducentesimum ætatis annum superare, Strabo lib. 15. Hyperboreos millesimum Onesicritus, Simonides, & alij produnt; quod fabulosum videtur. Herodotus, in Thalia, Aethiopes, quos μακροβίους vocant, centum & viginti annis viuere solere scripsit: eorundem vitam Solinus meæ editionis cap. 33. dimidio esse protensiorem nostrâ tradidit. vt omnino videatur is humanæ vitæ terminum octoginta annos constituisse, quod nec ratione, nec auctoritate nititur. Cautius Mela lib. 3. eorum vitam dimidio ferè longiorem nostrâ tradit. quod ipsum de incolis oppidi Acrothonis, siti in cacumine montis Athus, idem Pomponius, Solinus, & Plinius lib. 7. natural. hist. cap. 2. testantur, eiusque rei naturalem rationem licet videre apud Aristotelem problem. 7. section. 14. Quæ autem

ex Trebellio Pollione, & Dioscoride retulit Corrasius loco suprà citato, ad verbum ferè ex Cælio Rhodigino, lib. 19. antiq. lection. cap. 21. vel Petro Crinito vbi suprà cap. 10. desumsit. idem Cælius seq. cap. docet, quomodo intelligenda sint, quæ Homerus & alij de Nestoris ætate fabulantur. Ex Censorino, Iulio Materno, aliisque, constat, annos climactericos homini periculosissimos esse, qui septenariis & nouenariis numeris conficiuntur, eorumque quamlibet conduplicationem valde cauendam humano generi; maximè autem ex Platonis & Firmici sententiâ annum sexagesimum tertium, quia tunc vterque numerus concurrit; eoque anno Aristotelem & Ciceronem mortuos accepimus; & exstat Augusti epistola hunc annum gaudentis se excessisse. Beatam virginem Deiparam diutissime vixisse quidam tradiderunt. Volaterranus tamen lib. 31. Philologiæ ita scribit: Diua genitrix, quanquam extra sortem est humanam, ac speciali Dei prouidentiæ reseruata, annum ipsum vndequinquagesimum non excessisse, apud receptum auctorem inueni ex Helizabethæ virginis sanctæ de Sconnagiâ commentario, quæ anno 1160. emicuit. Hæc in diuinâ contemplatione eam annum post filium & quicquid est vltrà vsque ad eius assumtionem vixisse clarè aspexit, quod mihi verisimile fit. Neque enim assentior his qui multis dicunt eam superstitem annis, cùm, Dionysio teste, omnes Apostoli in eius funere conuenerint: ipsi verò palàm est quòd non tot annis, quot vulgò dicunt illam superstitem fuisse, simul fuere. hæc Volaterranus. Sed Nicephorus lib. 2. Eccles. hist. cap. 21. probat eam LIX annos vixisse. Iam quod ex Gaguino de Ioanne de Stampis Corrasius vbi suprà scripsit, multo elegantiùs ab Paullo Aemilio proditum fuit, cuius lib. 5. de rebus Francorum verba sunt hæc: Sub idem tempus obiit Ioannes de Stampis, quem per errorem à Temporibus multi vocitant, ob diuturnam vitam. Plus trecentis sexaginta annis vixisse eum faciunt: sub Carolo meruisse, Ludouico Crassi filio decessisse: cùm interea nulla in tot motibus mentio eius facta fuerit: nec latere ignorarive potuisset virtus, quæ specimen sui iam inde à clarissimi Imperatoris ætate præbuisset. Libentius crediderim eum militasse sub Carolo simplicis nepote: quem regnum paternum auitumque petentem, & in Carolum Magnum originem suam referentem, Capetus regni æmulus cepit, speque rerum potiendarum exuit: nec trecentorum sexaginta, sed centum circiter & sexaginta annorum vitam ei contigisse: id quod etiam consenescente mundo magnum & memorabile sit. Ex quibus Aemilij verbis etiã apparet, Corrasij codices mendosè CCLX. continere. Cardanus lib. 12. de Subtilitate scribit quendam Turcam CCC. annis vixisse. Dauide teste humanæ vitæ terminus est septuagesimus, vel vt summum octogesimus ætatis annus. Psal. 89. eamque iam tum ordinariam vitæ periodum fuisse docet Thostatus ad 3. Reg. 1. q. 1. Hodie sanè plures videmus quinquagesimum ætatis annum non attingere, quàm superare. Et quamquam ego nouerim Louanij & in Hispania nonnullos quos fama ferebat centesimum ætatis annum excessisse, non temere tamen soleo fidẽ adhibere: non ignarus eos qui nonaginta annis sunt seniores, vt plurimum propriæ ætatis non meminisse, vel eam in maius efferre consueuisse. Planè Caius I.C. & Iustinian. Imp. cùm sui temporis rationẽ habuerint, & ad id, quod non ἐκ παραλόγου, sed ἐπὶ τὸ πλεῖστον accidit, respexerint, reprehendi non posse, quotidiana experiẽtia docet: adeò, vt meritò cum egregio poëta dicamus: *Vita summa breuis spes nos vetat inchoare longas.* & ab Hippocrate: βραχὺς μὲν ὁ βίος.

Duræ peragunt pensa Sorores,
Nec sua retro fila reuoluunt.
At gens hominum fertur rapidis
Obuia fatis, incerta sui.
Stygias vltro quærimus vndas.
Nimium, Alcide, pectore forti
Properas mæstos visere manes.
Certo veniunt ordine Parcæ.
Nulli iusso cessare licet,
Nulli scriptum proferre diem.
Recipit populos vrna citatos.
Alium multis gloria terris
Tradat, & omnes fama per vrbes
Garrula laudet, cæloq; parem
Tollat, & astris: alius curru
Sublimis eat: me mea tellus
Lare secreto tutoq; tegat.
Venit ad pigros cana senectus:
Humiliq; loco, sed certa, sedes

180 *Sorores.* Parcæ, quibus varia nomina tribuuntur, vt ex Pausania constat in Att. in Corinth. & in Achaic. quæ quid significent, auctor lib. de mundo ad Alexand. docet his verbis: τρεῖς αἱ μοῖραι, κατὰ τοὺς χρόνους μεμερισμέναι. νῆμα δὲ ἀτράκτου, τὸ μὲν ἐξειργασμένον, τὸ δὲ μέλλον, τὸ δὲ περιστρεφόμενον. τέτακται δὲ, κατὰ μὲν τὸ γεγονὸς, μία τῶν μοιρῶν, ἄτροπος, ἐπεὶ τὰ παρελθόντα πάντα ἄτρεπτά ἐστι· κατὰ δὲ τὸ μέλλον, λάχεσις· εἰς πάντα γὰρ ἡ κατὰ φύσιν μένει λῆξις· κατὰ δὲ τὸ ἐνεστὸς, κλωθὼ, συμπεραίνουσά τε καὶ κλώθουσα ἑκάστῳ τὰ οἰκεῖα.

195 *Me mea,* &c. mihi hæc opinio nõ probatur; & qui sic existimant, non modesti, sed pusillanimes iudicandi videntur. nam periculorum magnitudine à verâ gloriâ & virtute capessendâ deterreri, hominis est non virtute præditi, aut sapientis, sed illius qui priuatam quietẽ bono publico præferat, & cùm verâ gloriâ non excitetur, qua optimus quisque maximè ducitur, humanum nihil, aut potius homine dignum habere sit iudicandus. Sola diuinæ laudis & gloriæ cupiditas mortales ad præclara quæque facinora impellit. quem enim illa ad rectè faciendũ non

Sor-

Sordida paruæ fortuna domus:
Altè virtus animosa cadit.
Sed mæsta venit crine soluto
Megara, paruum comitata gregem,
Tarduś senio graditur Alcidæ parens.

ACTVS SECVNDVS.

MEGARA.

O magne Olympi rector, & mundi arbiter,
Iam statue tandem grauibus ærumnis modum,
Finemq; cladi. nulla lux vnquam mihi
Secura fulsit. finis alterius mali,
Gradus est futuri: protinus reduci nouus
Paratur hostis: antequam lætam domum
Contingat, aliud iussus ad bellum meat:
Nec vlla requies, tempus aut vllum datur,
Nisi dum iubetur: sequitur apprimè statim
Infesta Iuno. nunquid immunis fuit
Infantis ætas? monstra superauit priùs,
Quàm nosse posset. gemina cristati caput
Angues ferebant ora; quos contra obuius
Reptauit infans, igneos serpentium
Oculos, remisso pectore ac placido intuens,
Arctos serenis vultibus nodos tulit,
Et tumida tenerâ guttura elidens manu,
Prælusit Hydræ. Mænali pernix fera,
Multo decôrum præferens auro caput,
Deprensa cursu est. maximus Nemeæ timor
Gemuit lacertis pressus Herculeis leo.
Quid stabula memorem dira Bistonij gregis,
Suisq; regem pabulum armentis datum?
Solitumq; densis hispidum Erymanthi iugis
Arcadia quatere nemora Mænalium suem?
Taurumq; centum non leuem populis metum?
Inter remotos gentis Hesperiæ greges
Pastor

" potest inducere, cum nec metus indignationis diuinæ quidem à fœdissimis factis diu poterit auocare: & cuius animus nihil præsentit in posterum, verùm quibus regionibus vitæ spacium circumscriptum est, eisdē omnes cogitationes terminat suas; ille nullis laboribus se franget, neque vllis curis aut vigiliis pro repub. se offeret: sed qui ab adolescentia sibi persuasit, nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi Dei honorem, & bonum resp. & in iis consequendis, omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exilij parui esse ducenda; ille, me hercle, pro salute patriæ, pro commodis ac emolumentis regis sui, in plurimas & maximas dimicationes, in profligatorum hominū quotidianos impetus inicere se non dubitabit.

203 *Tarduś senio.* senectus enim tardos homines reddit. vnde Virg. 2. Aeneidos:

—— quorum Iphitus æuo
Iam grauior ——

& 9. eiusdem operis:

—— tarda senectus.

215 *Gemina.* per angues hos à Iunone Herculi Decimestri obiectos, & ab eo strangulatos, monemur ab ineunte ætate ferendis laboribus, superandisque ęrumnis nos assuefacere, si cupimus eximiam constantiæ & fortitudinis laudem adipisci.

221 *Mænali pernix fera.* quartus Herculis labor fuit, æripidem ceruam cursu consequi, eiq; aurea cornua detrahere. Q. Smymæus:

χρυσόκερων δ' ἔλαφον μετὰ ταῦτ' ἤγρευσε
τέταρτον.

auctor incertus:

Æripidis quarto tulit aurea cornua ceruæ.

cùm hanc fabulam poëtæ sunt commenti, voluerunt innuere, viro qui superbiam subiugarit, iracundiam represserit, reliquos animi prauos motus sustulerit ad vnum omnes, hoc est, leonem, aprum, & hydram resecatis cunctis capitibus interemerit, ad immortalem gloriam comparandam, quam indicant aurea cornua, inprimis necessarium esse æripedem ceruam consequi, eamque non antè dimittere; quàm, quod petit, fuerit assecutus: videlicet eousque animum suum in humilitate, patientiâ, ceteris virtutibus subigere, donec hac assiduitate bene viuendi habitus cōpararetur; qui cum nūquam sinat ab æquo bonoque deflectere. quod qui fecerit, debitâ claris hominibus gloriâ ne post mortem quidem carebit: sed nomen ipsius, omni auri splendore clarius, in omni memoria elucescet. 222 *Multo decorum praeferens auro caput.* Euripides: τάν τε χρυσοκάρανον δόρκα ποικιλόνωτον συλήτειρ' ἀγρωστᾶν κτείνας θηροφόνον θεάν. Pindarus Olymp. ᾠδ. γ'. vocat χρυσόκερων ἔλαφον. 225 *Quid stabula.* semel dixisse sufficiet, monstra ab Hercule domita, Busirim, Antæum, Diomedem, alios tyrannos occisos, corruptos animi affectus compressos significare. 216 *Suisq; regem.* Hercules eo supplicio Diomedem Thracem interfecit, quo ille viatores è medio sustulerat; quod iustitiæ exemplum in Sinni necando Theseus æmulatus fuit. vide quæ dixi in Notis ad Claudianum lib. 2. in Rufinum. placuit ergo heroibus istis talionis pœna, quæ & decemuiris, & Mosi, & Rhadaman-

Pastor triformis litoris Tartesij
Peremptus: acta est præda ab occasu vltimo:
Notum Cithæron pauit Oceano pecus.
Penetrare iussus solis æstiui plagas,
Et adusta medius regna quæ torret dies;
Vtrinque montes soluit abrupto obice,
Etiam ruenti fecit Oceano viam.
Posthæc, adortus nemoris opulenti domos,
Aurifera vigilis spolia serpentis tulit.
Quid sæua Lernæ monstra, numerosum malum,
Non igne demum vicit, & docuit mori?
Solitasq́; pinnis condere obductis diem,
Petiit ab ipsis nubibus Stymphalidas?
Non vicit illum cælibis semper tori
Regina gentis vidua Thermodontiæ.
Nec ad omne clarum facinus audaces manus
Stabuli fugauit turpis Augiæ labor.
Quid ista prosunt? orbe defenso caret.
Sensere terræ pacis auctorem suæ
Abesse terris. prosperum ac felix scelus, "
Virtus vocatur. sontibus parent boni. "
Ius est in armis. opprimit leges timor. "
Ante ora vidi nostra, truculentâ manu,
Gnatos paterni cadere regni vindices,
Ipsamq́; Cadmi nobilis stirpem vltimam
Occidere. vidi regium capitis decus
Cum capite raptum. quis satis Thebas fleat?
Ferax deorum terra, quem dominum tremit?
E cuius aruis, eq́; fœcundo sinu
Stricto iuuentus orta cum ferro stetit:
Cuiúsque muros natus Amphion Ioue
Struxit, canoro saxa modulatu trahens.
In cuius vrbem non semel diuûm parens
Cælo relicto vênit. hæc; quæ cælites
Recepit, & quæ fecit, & (fas sit loqui)

For-

tho visa est æquissima. Lex Mosaica, & lex XII. tabularum de talione notissimæ sunt: Rhadamanthi legem hanc fuisse;

εἴ κε πάθοι τά κ᾽ ἔρεξε, δίκη ἰθεῖα γένοιτο.

refert Aristot. 5. ethicorum.

231 *Triformis.* Aeschylus & Euripides Geryonem vocant *τρισώματον.* Lucret. lib. 5.

Quidve tripectora tergemini vis Geryonai.

240 *Numerosum.* hæc vox Plinio iuniori, Claudiano, Iustiniano, & aliis nota est. vide notas meas in Claudian. de bello Gildon. Euripides:

τάν τε μυριόκρανον πολύφονον κύνα
Λέρνας ὕδραν ἐξεπύρωσε.

Veram huius fabulæ allegoriam non à Palæphato, sed ab Albrico Philosopho, in lib. de Deor. imagin. petere oportet.

243 *Stymphalidas.* hæ aues fuerunt, humanis carnibus vesci solitæ; quas Hercules, vt Seneca hoc loco innuit, sagittis interemit; vt verò Charon Lampsacenus & Seleucus in Miscellaneis tradiderunt, ærei crotali à Pallade accepti tinnitu fugauit, quod ipsum etiã Nõnus in Dionysiac. prodidit. Sed ista quid sibi volunt? nónne scortillorum illecebras effugere, earumq́ue insidias posse nos detegere, si æneum crepitaculum à Minerua sumamus; hoc est, si sanctorum Patrum & Philosophorum libros nocturna diurnaque manu versantes, inde hausta continentiæ præcepta illis opponamus? nam illorum voce, quę veluti tubę sonitus in aures penetrat, teste D. Basilio in princ. orat. de ieiunio, protinus communes illæ pestes adolescentiæ diffugient. Nec immeritò humanis carnibus vesci sunt dictæ; quoniam meretrices mortalium sanguinem medullitus hirudinum instar exsugunt; mortales ipsos, veluti Lamiæ voracissimæ, penitus exedunt atque consumunt.

261 *Natus Amphion Ioue.* Secundùm Homerum Odys. λ'. & Heraclid. Ponticum apud Plut. lib. de Musicâ. Sed Diophanes lib. 1. hist. Ponticæ, & Zezes chil. 1. hist. 13. Theoboontis filium scribunt fuisse. Horat. ad Pisones:

Dictus & Amphion, Thebanæ cõditor arcis,
Saxa mouere sono testudinis, & prece blãda
Ducere quò vellet.

quia scilicet dicendo homines passim ferarum more sine tectis viuentes in vnum locum coëgit, eisq́ue persuasit Thebas communem habitationem condere: quo impetrato, mox, ad maiorem securitatem incolentium, eas muro circumdedit, posteris testatum relinquens, ad subitos hostium incursus repellendos, & nocturna latrocinia prohibenda, resistendumq́ue hostibus potentioribus, ciuitatibus mœnia magnopere conducere. Qua ratione perpensâ, num Lycurgus errauerit; qui Spartam muris cingi vetuit, quòd robur vrbium nõ muros, sed ciues esse iudicaret, politicæ disciplinæ periti viderint. Ego quidem consilium Amphionis tutius & securius, legem Lycurgi priscæ simplicitati conuenire existimo, & assentior Platoni lib. 6. de legib. & Aristoteli lib. 7. Polit. cap. 11.

265 *Quæ fecit.* in Deorum numerum retulit. ad hunc penè modum Claudian. *Mœrent indigetes, & si quos Roma recepit Vel dedit ipsa Deos*—— & Seneca Philosoph. in ludo de morte Claudij: Quam ipse Deam esse iussit.

Fortaſſe faciet; ſordido premitur iugo.
Cadmea proles, atque Ophionius cinis,
Quò recidiſtis? tremitis ignauum exulem,
Suis carentem finibus noſtris grauem?
Qui ſcelera terrâ, quiq́ perſequitur mari,
Ac ſæua iuſtâ ſceptra confregit manu;
Nunc ſeruit abſens, fertq́ quæ fieri vetat:
Tenetq́ Thebas exſul Herculeas Lycus.
Sed non tenebit. aderit, & pœnas petet,
Subitusq́ ad aſtra emerget. inueniet viam,
Aut faciet. adſis ſoſpes, & remees tuis,
Tandemq́ venias victor ad victam domum.
Emerge coniux, atque diſpulſas manu
Abrumpe tenebras: nulla ſi vetito via,
Iterq́ clauſum eſt; orbe diducto redi.
Et quicquid atrâ nocte poſſeſſum latet,
Emitte tecum: dirutis qualis iugis,
Præceps citato flumini quærens iter,
Quondam dediſti; ſciſſa cùm vaſto impetu
Patuere Tempe, pectore impulſus tuo
Huc mons, & illuc cecidit, & rupto aggere
Nouâ cucurrit Theſſalus torrens via.
Talis parentes, liberos, patriam petens
Erumpe, rerum terminos tecum efferens,
Et quicquid auida tot per annorum gradus
Abſcondit ætas, redde: & oblitos ſui
Lucisq́ pauidos, ante te populos age.
Indigna te ſunt ſpolia, ſi tantum refers,
Quantum imperatũ eſt. magna, ſed nimiũ loquor,
Ignara noſtræ ſortis. vnde illum mihi,
Quo te, tuamq́ dexteram amplectar, diem,
Reditusq́ lentos, nec mei memores querar?
Tibi, ô deorum ductor, indomiti ferent
Centena tauri colla: tibi frugum potens
Secreta reddam ſacra: tibi multâ fide
Longas Eleuſi tacita iactabo faces.
Tum reſtitutas fratribus rebor meis
Animas, & ipſum, regna moderantem ſua,
Florere patrem. Si qua te maior tenet
Clauſum poteſtas, ſequimur. aut omnes tuo
Defende reditu ſoſpes, aut omnes trahe.
Trahes, nec vllus eriget fractos Deus.

AMPHI-

266 *Faciet.* propter Herculem hoc dicit' quem indigetem fore ſperabat.

267 *Ophionius cinis.* Sic Claud. lib. 2. in Eutrop.

Mygdoniĩ cineres, & ſi quid reſtat Eoi
Quod pereat regni ——

282 *Diruptis.* o. v. l. *dirutis*, habent, &, pro *dediſti*, quidam continent, *feciſti.* quod verò hîc Seneca, Catullum & Diodorum ſecutus, Herculi tribuit; hoc Herodotus in Polyhymnia, & Claudian. lib. 2. de raptu, Neptuno aſſcripſerunt.

289 *Afferens.* mihi, *efferens*, quæ eſt duorum m. ſ. lectio, non diſplicet.

299 *Centena tauri.* non fuit ergo nefas Ioui taurum immolare, vt putat Natalis 1. Mytholog. quem in errorem induxit Seruius lib. 3. & 9. Aen. Seruio Donatus repugnat; cuius auctoritate iſte Senecæ locus defenditur.

Frugum parens. Ceres. Lucretius lib. 5.

Namq́ Ceres fertur fruges, Liberq́ liquoris
Vitigeni laticem mortalibus inſtituiſſe.

porrò pro *parens*, m. ſ. *potens habent.*

300 *Secreta reddam ſacra.* de ſacris Cereris loquitur. vide Hippolyt. verſ. 106. *Secreta.* quia fas non fuit illa non initiatis reuelare. Briſſon. conſule initio Formular.

307 *Deus.* in quibuſdam autographis legitur *dius.*

AMPHITRYO, MEGARA.

AM. O socia nostri sanguinis, castâ fide
Seruans torum, natosq; magnanimi Herculis,
Meliora mente concipe, atq; animum excita.
Aderit profectò, qualis ex omni solet
Labore, maior. ME. quod nimis miseri volunt,
Hoc facilè credūt. AM. imò quod metuunt nimis,
Nunquam amoueri posse, nec tolli putant.
Prona est timori semper in peius fides.
ME. Demersus ac defossus, & toto insuper
Oppressus orbe, quam viam ad superos habet?
AM. Quam tunc habebat; cùm per arentē plagam,
Et fluctuantes, more turbati maris,
Abiit arenas, bisq; discedens fretum,
Et bis recurrens; cumq; desertâ rate
Deprensus hæsit Syrtium breuibus vadis,
Et puppe fixâ, maria superauit pedes.
ME. Iniqua rarò maximis virtutibus
Fortuna parcit: nemo se tutò diu
Periculis offerre tam crebris potest.
Quem sæpe transit casus, aliquando inuenit.
Sed ecce sæuus, ac minas vultu gerens,
Et qualis animo est, talis incessu venit,
Aliena dextrâ sceptra concutiens Lycus,
Vrbis regens opulenta Thebanæ loca,
Et omne, quicquid vberi cingit solo
Obliqua Phocis, quicquid Ismenus rigat,
Quicquid Cithæron vertice excelso videt,
Et bina findens Isthmos exilis freta.

LYCVS, MEGARA, AMPHITRYO.

LY. Non vetera patriæ iura possideo domus,
Ignauus heres: nobiles non sunt mihi
Aui, nec altis inclytum titulis genus;
Sed clara virtus. qui genus iactat suum,
Aliena laudat. Rapta sed trepidâ manu
Sceptra obtinentur: omnis in ferro est salus.
Quod ciuibus tenere te inuitis scias,
Strictus tuetur ensis. alieno in loco
Haud stabile regnum est. vna sed nostras potest
Fundare vires, iuncta regali face,
Thalamisq; Megara. ducet è genere inclyto
Nouitas colorem nostra. non equidem reor
Fore vt recuset, ac meos spernat toros.

Quòd

313 *Facilè credunt.* Menander.
δύσπιστον ἀτυχῶν ἐστιν ἄνθρωπος φύσει.
323 *Pedes* Natalis Mytholog. lib. 7. c. 1. fabulatur aureum poculum ab Apolline Herculem dono accepisse, atque eo Oceanum tranasse: Elisius Calentius, ætate sua poëta non omnino malus, lib. 1. eleg. aëneam ollam fuisse docet:

Siue quòd is ventis, ollaq; inuectus aëna
Per mare, ad extremos Hesperiæ populos.

omnino verisimiliùs est Senecæ nostri mendacium.
335 *Findens.* sunt v. l. in quibus *scindens* legitur.
336 *Non vetera.* contrarium tamen tradit Euripides, in Hercule *μαινομένῳ*, his versibus:

γέρων δὲ δή τις ἐστὶ Καδμείων λόγος,
ὡς ἦν πάρος Δίρκης εὐνήτωρ Λύκος,
τὴν ἑπτάπυργον τήνδε δεσπόζων πόλιν,
τὼ λευκοπώλω πρὶν τυραννῆσαι χθονὸς
Ἀμφίον᾽ ἠδὲ Ζῆθον, ἐκγόνω Διός.
οὗ ταὐτὸν ὄνομα παῖς πατρὸς κεκλημένος,
Καδμεῖος οὐκ ὤν, ἀλλ᾽ ἀπ᾽ Εὐβοίας μολὼν,
κτείνει Κρέοντα, καὶ κτανὼν ἄρχει χθονὸς,
στάσει νοσοῦσαν τήνδ᾽ ἐπεισπεσὼν πόλιν.

Iulius Hyginus in fabulis, non quidem, vt arbitror, antiquus ille qui Augusti tempore vixit, & de Virgilio teste Gellio lib. 16. & de vrbibus Italiæ auctore Seruio 7. Aeneidos, scripsit, sed alius recentior; Lycum, inquit, Neptuni filium, quòd Megaram, Creontis filiam, vxorem eius, & filios Theremachum & Ophitem occidere voluit, interfecit. Nūc ergo intelligimus vera esse quæ de Lyci genere Seneca prodidit. antiqui enim eorum principū, qui incerto & obscuro genere nati erant, originem ad deos referre consueuerūt, vt de Hercule, Romulo & Remo, aliisque multis constat. Præterea immanes & crudeles homines, Neptuni filios dicebant: quod de Polyphemo, Amyco, & multis notissimum est. de quo nos alio loco agemus.

Quòd si impotenti pertinax animo abnuet:
Stat tollere omnem penitus Herculeam domum.
Inuidia factum ac sermo popularis premet:
Ars prima regni est, posse te inuidiam pati.
Tentemus igitur: fors dedit nobis locum.
Namque ipsa, tristis vestis obtentu caput
Velata, iuxta præsides adstat deos,
Laterique adhæret verus Alcidæ sator.
ME. *Quidnam iste nostri generis exitium ac lues,*
Noui parat? quid tentat? LY. *O clarum trahens*
A stirpe nomen regiâ, facilis mea
Parumper aure verba patienti excipe.
Si æterna semper odia mortales agant,
Nec cœptus vnquam cedat ex animis furor;
Sed arma felix teneat, infelix paret;
Nihil relinquent bella: tum vastis ager
Squallebit aruis, subditâ tectis face
Altus sepultas obruet gentes cinis.
Pacem reduci velle, victori expedit,
Victo necesse est. particeps regni veni,
Sociemus animos, pignus hoc fidei cape,
Continge dextram: quid truci vultu siles?
ME. *Egon' vt parentis sanguine aspersam manum,*
Fratrumque geminâ cæde contingam? priùs
Exstinguet ortus, referet occasus, diem:
Pax antè fida niuibus & flammis erit:
Et Scylla Siculum iunget Ausonio latus:
Priusque, multo, vicibus alternis fugax
Euripus, vndâ stabit Euboicâ piger.
Patrem abstulisti, regna, germanos, larem,
Patriam: quid vltrà est? vna res superest mihi,
Fratre ac parente carior, regno ac lare,
Odium tui: quod esse cum populo mihi
Commune doleo. pars quota ex isto mea est?
Dominare tumidus, spiritus altos gere:
Sequitur superbos victor à tergo deus.

351 *Ac sermo.* scribendum videtur ex membranis, *at sermo.*

372 *Priùs extinguet, &c.* hæc & similia ἀδυνάτων adagium sapiunt. Sic Thyeste:

—— ætherias priùs
Perfundet Arctos pontus; & Ionio seges
Matura pelago surget, & lucem dabit
Nox atra terris: antè cum flammis aqua,
Cum morte vita, cum mari ventus fidem
Fœdusque iungent——

Hippolyto:

—— ignibus iunges aquas,
Et amica ratibus antè promittet freta
Incerta Syrtis, antè ab extremo sinu
Hesperia Tethys lucidum attollet diem,
Et ora damis blanda præbebunt lupi.

Troade:

Dum terra cælum media libratum feret,
Nitidusque certas mundus euoluet vices,
Numerusque harenis deerit; & solem dies,
Noctem sequentur astra; dum siccas polus
Versabit Arctos, flumina in pontũ cadẽt.

Octauia:

Iungentur antè sæua sideribus freta,
Et ignis vnda, tartaro tristi polus,
Lux alma tenebris, roscida nocti dies.

Hercule Octæo:

—— antè ab occasu dies
Nascetur Indus; antè glacialem polum,
Scythásve tepidâ Phœbus afficiet rotâ.

eadem tragœdia actu 4.

Antè nascetur seges in profundo,
Vel fretum dulci resonabit vnda;
Antè discedet glacialis vrsæ
Sidus, & ponto vetito fruetur.

Sunt hæc tragœdiæ, & tragici versus maiestate digna: sed illa Virg. in ecl. 1.

Antè leues ergo pascẽtur in æquore cerui,
Et freta destituent nudos in litore pisces,
Antè, pererratis amborum finibus, exul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim;

bucolici carminis humilitati longè aptiora & accommodatiora sunt.

376 *Scylla.* cuius formam habes apud Homerum in Odyss. μ'. & Izaciũ in Lycophronem. mater ipsius iuxta Acusilaum & Apollonium lib. 4. fuit Hecate; quæ etiam fuit Charclidæ, in catena, opinio; iuxta Stesichorum, Lamia; Homerus, Plinius, Solinus tradiderunt Cratæim fluuium fuisse, quemadmodum contra Camertem tradidi in emendationibus in Solinum. verùm, vt quæ de Scylla traduntur institutioni vitæ applicemus, Scylla virgo videtur; quæ, quàm diu mentem, cogitationesque à Venereis libidinibus abstinuerit, quàm diu corpus suum illibatum ab omni spurcitie seruauerit, forma egregia censebitur, omnium rapiet oculos atque mentes: sed simulac animo titillationes carnis suscipiet, simul ac intactum priùs virginitatis florem corpore amittet; ab ipsa voluptate (*hæc Circe est*) cuius illecebris se dedit, in immanium monstrorum speciem immutatur. neque immutatur illa modò, verùm ceteros quoque in hoc mundi freto periculosissimo nauigantes (tanta est feminarum huiusmodi malitia, tanta rabies) absorbere, atque in eandem secum calamitatem pertrahere conatur. 384 *Sequitur superbos vltor à tergo Deus.* de Nemesi loquitur:

Thebana noui regna. quid matres loquar
Passas & ausas scelera? quid geminum nefas,
Mistumq; nomen coniugis, nati, patris?
Quid bina fratrum castra, quid totidem rogos?
Riget superba Tantalis luctu parens,
Mœstusq; Phrygio manat in Sipylo lapis.
Quin ipse, toruum subrigens cristâ caput,
Illyrica Cadmus regna permensus fugâ,
Longas reliquit corporis tracti notas.
Hæc te manent exempla. dominare vt lubet,
Dum solita regni fata te nostri vocent.
LY. *Agedum efferatas rabida voces amoue,*
Et disce regum imperia ab Alcide pati.
Ego rapta quamuis sceptra victrici geram
Dextrâ, geramq; cuncta sine legum metu,
Quas arma vincunt; pauca pro causa loquar
Nostra: cruento cecidit in bello pater,
Cecidere fratres: arma non seruant modum: "
Nec temperari facilè, nec reprimi potest "
Stricti ensis ira: bella delectat cruor. "
Sed ille regno pro suo: nos improbâ
Cupidine acti. quæritur belli exitus, "
Non causa: sed nunc pereat omnis memoria. "
Cùm victor arma posuit, & victum decet "
Deponere odia. non, vt inflexo genu "
Regnantem adores, petimus: hoc ipsum placet,
Animo ruinas quòd capis magno tuas.
Es rege coniunx digna, sociemus toros.
ME. *Gelidus per artus vadit exsangues tremor.*
Quod facinus aures pepulit? haud equidē horrui,
Cùm pace ruptâ bellicos muros fragor
Circumsonaret. pertuli intrepidè omnia:
Thalamos tremisco. capta nunc videor mihi.

Gra-

Græcorum enim imitatione & Virgilij ac Calui, deum pro dea posuit, vt copiosè docet Pius Bononiensis in annotament. cap. 70.

386 *Geminum nefas.* necem patris, & matris nuptias. vide Oedipum.

388 *Bina fratrum castra.* consule nostri Thebaidem.

Totidem rogos. lege Statij Thebaid. lib. penult & vlt.

389 *Riget superba Tantalis.* consule Apollod. lib. 1. & 3. Bibliothecæ. Zezem chil. 5. hist. 141. Ouidium Metamorph lib. 6. Niobe est exemplo, superbiā Deo maximè odiosām esse, &, vt suprà dixit, superbos à tergo Deum sequi vltorē. nisi enim superbia fuisset elata, seq; Diis æquasset, in miserias illas grauissimas non incidisset; quibus æquales eos manent, qui idem peccati genus non student euitare. Verùm cùm homines simus, sitque errare, labi, decipi humanum; si ob delicta nostra in diuinam iram continget incurrere, in saxū mutemur oportet. id fiet, æterno cum silentio, sine querelis & murmurationibus meritas ęrumnas perferendo. quia tamen idipsum non sufficit, & ad Dei misericordiam obtinendam, contritione cordis & pœnitentia opus est: saxū illud perpetuò guttis quasi lacrymis quibusdā madet. In Siphyli vertice saxea effigies statuitur, quia pœnitentiæ peragendæ accōmodatissima sit solitudo, montium præsertim; qui propter asperos & difficiles accessus, non nisi rarissimè ab hominibus adeuntur.

392 *Illyrica Cadmus.* Cadmus & Harmonia relictis Thebis Illyricum petierunt, atq; cùm ibi diu iuxta Drilon & Nairona fluuios vixissent, tandem in angues mutati sunt. auctores sunt Metrodorus, in lib. de consuetudine, Nicander in Theriacis, & Dionysius Carthaginensis in libro de situ orbis, Apollodor. lib. 3. Biblioth. Statius lib. 2. Thebaid.

395 *Dum solita.* vt enim in fine Thebaid. dicit: —— *Sceptra Thebarum fuit Impune nulli gerere* ——

397 *Ab Alcide.* Ex Alcide. Virg. Aen. 12. *Disce puer virtutē ex me, verumq; laborē, Fortunam ex aliis* ——

399 *Sine legum metu.* nam lege solutus sum. hoc iuri congruit. eò enim traditur, principem legibus solutum esse. l. ex imperfecto. C. de testam. quamquam rationi consentaneum sit, vt existimet se lege teneri, & iuxta legum præcepta viuere. d. l. ex imperfecto, & l. digna vox. C. de legib. nam custos non violator legum princeps esse debet. ideo Pittacus præcepit; *Pareto legi, quisquis legem sanxeris.* etenim diuina & naturali lege vt priuati, sic reges & principes astringuntur Abbas in c. proposuit, de concess. præbend. & in c. sunt quidam, 25. q. 1. Anton. de Butrio, & Felinus in c. 1. de constit. nam ratio quæ ex diuino fonte promanauit, etiam Imperatore & quouis Rege superior est. Ioan. Andreæ in c. significasti, de for. compet. Baldus in l. Aemilius, D. de minor. & in l. 2. C. de seru. & aqu. hæc autem ratio, vt diuinæ & naturali legi pareamus, iubet.

400 *Arma vincunt.* notum est illud, Inter arma leges silent. notum & illud Marianum, se inter armorum strepitum iuris ciuilis verba exaudire non potuisse.

410 *Adores.* honores. Græcis enim mos non fuit, quemadmodum Persis & Assyriis, reges suos adorare.

413 *Tremor.* in vno codice peruetusto *timor* inuenitur.

Grauent catenæ corpus, & longâ fame
Mors protrahatur lenta: non vincet fidem
Vis vlla nostram: moriar Alcide tua.
LY. *Animósne mersus inferis coniunx facit?*
ME. *Inferna tetigit, posset vt supera assequi.*
LY. *Telluris illum pondus immensæ premit.*
ME. *Nullo premetur onere, qui cælum tulit.*
LY. *Cogêre.* ME. *cogi qui potest, nescit mori.* "
LY. *Effare, thalamus quod nouis potiùs parem*
Regale munus. ME. *aut tuam mortem, aut meam.*
LY. *Moriere demens.* ME. *coniugi occurram meo.*
LY. *Sceptróne nostro potior est famulus tibi?*
ME. *Quot iste famulus tradidit reges neci?*
LY. *Cur ergo regi seruit, & patitur iugum?*
ME. *Imperia dura tolle: quid virtus erit?* "
LY. *Obici feris monstrisq́ virtutem putas?*
ME. *Virtutis est domare, quæ cuncti pauent.* "
LY. *Tenebræ loquentem magna tartareæ premunt.*
ME. *Non est ad astra mollis è terris via.* "
LY. *Quo patre genitus, cælitum penetret domos?*
AM. *Miseranda coniunx Herculis magni sile,*
Partes meæ hæ sunt, reddere Alcidæ patrem,
Genusq́ verum. post tot ingentis viri
Memoranda facta, postq́ pacatum manu
Quodcumq́ Titan ortus & labens videt,
Post monstra tot perdomita, post Phlegram impio
Sparsam cruore, postq́ defensos deos;
Nondum liquet de patre? mentimur Iouem?
Iunonis odio crede. LY. *quid violas Iouem?*
Mortale cælo non potest iungi genus.
AM. *Communis ista pluribus causa est deis.*
LY. *Famulíne fuerant antè, quàm fierent dei?*
AM. *Pastor Pheræos Delius pauit greges.*
LY. *Sed non per omnes exsul errauit plagas.*
AM. *Quem profuga terræ mater erranti dedit.*
LY. *Num monstra, sæuas Phœbus aut timuit feras.*
AM. *Primus sagittas imbuit Phœbi Draco.*
Quàm grauia paruus tulerit, ignoras mala?
E matris vtero fulmine eiectus puer,
Mox fulminanti proximus patri stetit.
Quid? qui gubernat astra, qui nubes quatit,
Non latuit infans rupis exesæ specu?
Sollicita tanti precia natales habent,
Semperq́ magno constitit, nasci Deum.
LY. *Quem-*

420. *Nostram.* sic o.v.l. vulgò legitur *nostra.* non æquè eleganter.

422 *Supera.* cælum, non terram intellige.

429 *Sceptroq́.* ex m.s. *Sceptróne*, reponendum est.

443 *Phlegram.* multi enim scribunt Herculis potissimùm operâ à Ioue gigantes victos fuisse.

446 *Iunonis odio crede.* quorsùm enim tam pertinaci odio illum persequeretur, nisi non à me, sed à Ioue genitus esset?

448 *Communis.* non diis modò, sed & deabus, quæ & ipsæ hominum amplexus expertæ sunt, vide Hesiod. in Theog. & Clementem Alexandr. ἐν στρωματικῷ.

449 *Famulíne fuerant.* deos nonnullos hominibus seruiuisse seruitutem tradit Panyasis, in Heraclea:

τλῆ μὲν Δημήτηρ, τλῆ δὲ κλυτὸς Ἀμφιγυήεις,
τλῆ δὲ Ποσειδάων, τλῆ δ' ἀργυρότοξος Ἀπόλλων,
ἀνδρὶ παρὰ θνητῷ θητευσέμεν εἰς ἐνιαυτὸν,
τλῆ δ' ὀβριμόθυμος Ἄρης ὑπὸ πατρὸς ἀνάγκης.

450 *Greges.* ouium Admeti regis, iuxta Amphrysum fluuium, & Pheras Thessaliæ vrbem, teste Orpheo, Rhiano, Pindaro, & Tibullo. Sed Callimachus, in hymno de lauacro Palladis, ait eum armenta equarum custodiisse; Homerus in Hymno in Mercurium, & Nonnus in Dionysiac. boum, quod Horat. lib. I. carm. sequitur:

Te boues olim nisi reddidisses
Per dolum amotas, puerum minaci
Voce dum terret, viduus pharetra
Risit Apollo.

454 *Draco.* Python ab Apolline cæsus, teste Dionys. ἐν τῆς γῆς περιηγήσει. iuxta Cephissum. Vide Ouid. I. Metamorph. Claudian. in præfat. lib. I. in Rufin. Nicand. in Theriacis.

456 *Fulmine eiectus puer.* Bacchus, testib. Orpheo, Melcagro, Eurip., Ouidio, ceteris.

459 *Latuit infans.* latuit Iuppiter,
Ne Saturnus eum malus mādaret adeptus,
inquit Lucretius.
Specu. antro Dictæo. Apollon. I. Argonaut. Virgilius 4. Georg.

LY. *Quemcunq; miserum videris, hominē sciàs.*
AM. *Quemcunque fortem videris, miserū neges.*
LY. *Fortem vocemus; cuius ex humeris, leo*
Donum puellæ factus, & claua excidit,
Fulsitq; pictum veste Sidoniâ latus?
Fortem vocemus; cuius horrentes comæ
Maduere nardo? laude qui notas manus
Ad non virilem tympani mouit sonum,
Mitrâ ferocem barbarâ frontem premens?
AM. *Non erubescit Bacchus effusos tener*
Sparsisse crines, nec manu molli leuem
Vibrasse thyrsum, cum parum forti gradu
Auro decorum syrma barbaricum trahit.
Post multa virtus opera laxari solet.
LY. *Hoc Euryti fatetur euersi domus,*
Pecorumq; ritu virginum oppreßi greges.
Hoc nulla Iuno, nullus Eurystheus iubet.
Ipsius hæc sunt opera. AM. *non nosti omnia.*
Ipsius opus est, cestibus fractus suis.
Eryx, & Eryci iunctus Antæus Libys;
Et qui, hospitali cæde manantes, foci
Bibêre iustum sanguinem Busiridis.
Ipsius opus est, vulneri & ferro obuius
Mortem coactus, ante Geryones, pati,
Nec vnus vnâ Geryon victus manu.
Eris inter istos; qui tamen nullo stupro
Læsere thalamos. LY. *quod Ioui, hoc regi licet:*
Ioui dedisti coniugem, regi dabis.
Et, te magistro, non nouum hoc discet nurus,
Etiam viro probante, meliorem sequi.
Sin copulari pertinax tædis negat;
Vel ex coactâ, nobilem partum feram.
ME. *Vmbræ Creontis, & penates Labdaci,*
Et nuptiales impij Oedipodæ faces,
Nunc solita nostro fata coniugio date.
Nunc nunc cruentæ regis Ægypti nurus
Adeste, multo sanguine infectæ manus:
Deest vna numero Danais. explebo nefas.
LY. *Con-*

464 *Fortem.* Nunc Herculi Omphales, reginæ Lydorum, seruitutem Lycus exprobrat: quæ seruitus facit ne quid humanum à nobis alienum putemus. Si enim ille Hercules, summa fortitudine, summa prudentia, summa iustitia, vno dicā verbo, virtute summa præditus, tam grauiter in saxum impegit: num est quod arbitremur, omni nos semper parte beatos fore, & nullo vnquam tempore vitiis, quæ hominum fert natura, deditos, auriculas asini, vt ait Persius, habituros?

476 *Hoc Euryti.* vide Sophoclis Trachinias, & Senecæ Herculem Oetæum.

481 *Eryx & Eryci.* de Eryce ait Virgilius in carmine ad villam Scironis;

Victor adest magni magnum decus ecce triumphi,
Victor qua terra, quaq; patent maria.
Horrida barbaricà portās insignia pugna,
Magnus vt Æneides, vtq; superbus Eryx.

Sed in vltimo versu, malim reponi,

Magnus vt Alcides, vtq; superbus Eryx.

nam horum pugnæ, eius quem laudat pugnā conferre vult Maro; si modò ipse carminis illius auctor est. quod quia mēdis scatet, quędam ἐν τῷ παρέργῳ indicabimus, secuti Fabricianam editionem, qua vtimur. post versum, *Mantua quod fuerat, quodq; Cremona priùs*, ponendus asteriscus & defectus nota, sic; *Mantua quod fuerat, quodq; Cremona priùs.* * *Pauca mihi, niueo sed nō incognita Phœbo, &c.* quia hinc poëta aliam rem tractare incipit, & non ampliùs agit de villa Scironis, sed de alicuius laudibus. intercidit autem laudati viri nomen, & carminis inscriptio. Qui deinde versus sequitur,

Alter non famam dixerit esse prior,

mihi omnino suspectus est, & videtur planè hulcus aliquod Chironeum tegere; non tamen habeo quomodo emendem, veterū lib. ope destitutus. Iam vbi legitur, *Qua volucrem cursu vicerat Hippomanem*, cùm de Atalanta loquatur, legendum, *Hippomenen.* Sequitur;

Non defensa diu multum certamine equorum,
Optabāt grauidæ quod sibi quęq; manus.

posterior versus planè vitiosus est: & ego hic olim gerras meras. rectè Plantini editio;

Optabant Graiæ quā sibi quæq; manus.

Quæ sequuntur, indubitata sunt;

Sæpe animam generi pro qua pater impius hausit; pro, *hausi.* item; *Cuius & ob raptum, &c.* non; *huius.* nec non: *Præmia Messallis maxima Poplicolis.* Vbi verò legitur: *Sternere vel dura posse super silice.* rectiùs, flagitante sententia, legas *stertere*, pro *sternere.*

499 *Deest vna numero Danais.* Euripides, in Hercule furente: νὺξ ἄρ' ἐκείνη Δαναΐδων μί' ἐξ ὑμῶν. Danai filię quinquaginta fuerunt, quarum quadraginta nouem, Aegypti filiis, maritis suis, occisis, eorum capita in Lerna defoderunt, teste Herodoro in Argonauticis: vna Hypermnestra Lynceo marito suo pepercit. Ouid. in epist. Hypermn. ea itaque excepta damnatæ apud inferos reliquæ omnes, aquam vase perforato hauriunt: meritò. quia enim, præceptis Dei neglectis, iniqua præcipientibus parentibus obtemperant, digni sunt æterno cruciatu. quo-

niam quamuis multum iis debeamus, quorum operâ nati & educati sumus: tamen iste obligationis nexus, cum eo qui nos Deo Opt. Max. deuincit, comparari nec potest, nec debet. iccirco si tam occæcati fuerimus, vt diuina monita paternis iussionibus postponere non dubitemus, æterni cruciatus nos manent. ea propter videlicet Belides perpetuò vas pertusum conantur aquâ implere: quod quia nunquam efficere poterunt, numquam etiam laborem hunc omittent.

LY. *Coniugia quoniam peruicax nostra abnuis,*
Regemq́; terres; sceptra quid poßint, scies.
Complectere aras. nullus eripiet deus
Te mihi: nec, orbe si remolito queat
Ad supera victor numina Alcides vehi.
Congerite siluas: templa supplicibus suis
Iniecta flagrent: coniugem, & totum gregem
Consumat vnus igne subiecto rogus.
AM. *Hoc munus à te genitor Alcide peto,*
Rogare quod me deceat, vt primus cadam.
LY. *Qui morte cunctos luere supplicium iubet,*
Nescit tyrannus esse. diuersa irroga:
Miserum veta perire, felicem iube.
Ego, dum cremandis trabibus accrescit rogus,
Sacro regentem maria votiuo rogem.
AM. *Prò numinum vis summa, prò cælestium*
Rector parensq́; cuius excußis tremunt
Humana telis; impiam regis feri
Compesce dextram. quid deos frustra precor?
Vbicunque es, audi nate. cur subitò labant
Agitata motu templa? cur mugit solum?
Infernus imo sonuit è fundo fragor.
Audimur. en en sonitus Herculei gradus.

CHORVS.

Choriambici Tetrametri Asclepiadei.

O fortuna viris inuida fortibus,
Quàm non æqua bonis præmia diuidis!
Eurystheus facili regnet in ocio:
Alcmenâ genitus, bella per omnia,
Monstris exagitet cæliferam manum:
Serpentis resecet colla ferocia:
Deceptis referat mâla sororibus;
Cùm somno dederit peruigiles genas,
Pomis diuitibus præpositus, draco.
Intrauit Scythiæ multiuagas domos,
Et gentes patriis sedibus hospitas,
Calcauitq́; freti terga rigentia,
Et mutis tacitum litoribus mare.

500 *Peruicax.* sic quidam, alij v. l. *pertinax.* inter quæ quantum intersit, patet ex Attij, in Myrmidonibus, loco;

Tu pertinaciam hanc esse Archiloche prædicas,
Ego peruicaciã esse aio, & hac me vti volo.
Nam peruicacem dicu me esse & vincere:
Perfacilè patior. pertinacem nihil moror.
Hac fortes sequitur, illã indocti possident.
Tu addu quod vitio est, demis quod laudi datur.

quos versus si quis mendosos contenderet, fortassis non toto cælo erraret. illud sanè ex iis constat: peruicaciam laudabilem, pertinaciam vitiosam esse. Tacitus lib. de moribus Germanorum: Ea est in re prauâ peruicacia: ipsi fidem vocant. quasi dicat, ea est in malo constantiæ virtus.

503 *Remolito.* non desunt m. s. qui contineant, *reuoluto.*

505 *Congerite siluas.* ex Euripide:

τέμνοντ' ἄνωχθ' ἐλθόντες ὑλουργοὺς δρυὸς
κορμούς. ἐπειδὰν δ' εἰσκομισθῶσιν πόλει,
βωμῶν πέριξ νήσαντες ἀμφήρη ξύλα,
ἐμπίπρατ' αὐτῶν καὶ πυροῦτε σώματα
πάντων.

quem morem fugandi ab aris supplices, solemnẽ fuisse ex Euripidis scholiaste didici.

512 *Miserum veta perire.* Euripides:

ταχὺς γὰρ ᾅδης ῥᾷστος ἀνδρὶ δυστυχεῖ.

Plautus in Rudente:

Neq; est melius morte in malis rebus miseris.

Sallust. in Catilin. In luctu atque miseriis " mortem ærumnarum requiem, non cruciatum esse. Ad quam sententiam hautdubiè " M. Tullius 4. inuect. in Catilinam respexit, ita scribens: Alter intelligit mortem à diis " immortalibus non esse supplicij caussa constitutam: sed aut necessitatem naturæ, aut " laborum ac miseriarum quietem esse, &c. " Quinctilianus autem declamat. 11. Mortem, inquit, quisquis damnatis præstat, indulget. quod ipsum non fugiebat Tiberium Imp. de quo Tranquillus lib. 3. in hunc modum: Mori volenti, vis adhibita viuẽdi. nam " mortem adeò leue supplicium putabat; vt, " cùm audisset vnum ex reis, Carnulium nomine, anticipasse eam, exclamarit, Carnulius " me euasit: & in recognoscẽdis custodiis, precanti cuidam pœnæ maturitatem, respondit, " Nondum tecum in gratiam redij. "

532 *Scythiæ multiuagas domos.* Scythæ domos portatiles plaustris circumferunt.

τοῖσι γὰρ μήτε ἄστεα μήτε τείχεα ᾖ ἐκτισμένα, ἀλλὰ φερέοικοι ἐόντες πάντες ἔωσι, ἱπποτοξόται, ζῶντές τε μὴ ἀπ' ἀρότου, ἀλλ' ἀπὸ κτηνέων, οἰκήματά τέ σφι ᾖ ἐπὶ ζευγέων, ait Herodotus ἐν μελπομένῃ.

537 *Qua plena rates.* Virgilius;

Qua ratis egit iter iuncto boue plaustra trahuntur. Idem:

Quas modò plaustra premunt vndas, ratis antè secabat.

540 *Nunc equidem pati.* Virgilius:

Vnda rotam patitur, celerem nunc passa carinam.

547 *Audax.* Virgilius 9. Aeneid.

Audacem ad Turnum ——

quo loco ait Seruius, Audacem significare fortem sine felicitate: meliùs ibidē Tib. Donatus, Audacem, inquit, inconsultum & temerarium accipiendum est. quæ Donati expositio isto Senecæ loco astruitur, vt & sequentibus testimoniis. Catullus, in carmine de nupt. Pelei & Thetidis:

Ausi sunt vada salsa citu percurrere remis.

Horatius lib. 1. carm.

Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.
Audax Iapeti genus, &c.

Claudianus, de bello Getico:

Intacti cùm claustra freti, coëuntibus aquor
Armatum scopulis, audax irrūperet Argo.

Aliud quoque testimonium suppeditat Valerius Flaccus 3. operis sui carmine; vt de hac significatione non sit ambigendum.

549 *Fauonio.* apud Gellium lib. 2. cap. 22. Phauorinus inquit: Item alter Fauonius, qui Græcè vocatur ζέφυρος. quæ opinio verissima est, secundùm Plinium & Fr. Floridum 2. lib. succisiuarum lection. cap. 5. Vegetius tamen lib. 4. de re militari, & Strabo, vt notat Turnebus in Aduersariis, crediderunt Fauoniū & Zephyrum duos esse ventos diuersos: quam sententiam erroneam etiam Garcias Lassus Hispanorum poëtarum princeps sequi videtur, his verbis:

Quando Fauonio y Zephyro soplando
Al campo tornan su beldad primera.

551 *Tyndarida genus.* pro, *genus*, plerique cod. vet. *sidus* habent, malè meo iudicio.

552 *Succurrunt.* Homerus in hymn. Euripides in Oreste, Horat. lib. 1. carm.

558 *Irreuocabiles.* non sequor vet. lib. in quibus legitur: *nonreuocabiles.*

563 *Tenui vulnere.* Homerus Iliad. ε'.

τλῆ δ' Ἀΐδης ἐν τοῖσι πελώριος ὠκὺν ὀϊστόν,
εὖτέ μιν ωὐτὸς ἀνὴρ υἱὸς Διὸς αἰγιόχοιο
ἐν Πύλῳ ἐν νεκύεσσι βαλὼν ὀδύνῃσιν ἔδωκεν.

570 *Eurydicen.* citante Athenæo, Herme-

Illic dura carent æquora fluctibus,
Et, quâ plena rates carbasa tenderant,
Intonsis teritur semita Sarmatis:
Stat pontus vicibus mobilis annuis,
Nauem nunc facilis, nunc equitem pati.
Illic, quæ viduis gentibus imperat,
Aurato religans ilia baltheo,
Detraxit spolium nobile corpori,
Et peltam, & niuei vincula pectoris,
Victorem posito suspiciens genu.
Qua spe præcipites actus ad inferos,
Audax ire vias irremeabiles,
Vidisti Siculæ regna Proserpinæ?
Illic nulla noto, nulla fauonio
Consurgunt tumidis fluctibus æquora:
Non illic geminum Tyndaridæ genus
Succurrunt timidis sidera nauibus.
Stat nigro pelagus gurgite languidum;
Et, cùm mors auidis pallida dentibus
Gentes innumeras manibus intulit,
Vno tot populi remige transeunt.
Euincas vtinam iura feræ Stygis,
Parcarumq́; colos irreuocabiles.
Hîc, qui rex populis pluribus imperat,
Bello cùm peteres Nestoream Pylon,
Tecum conseruit pestiferas manus,
Telum tergemina cuspide præferens:
Effugit tenui vulnere saucius,
Et mortis dominus pertimuit mori.
Fatum rumpe manu: tristibus inferis
Prospectus pateat lucis, & inuius
Limes det faciles ad superos vias.
Immites potuit flectere cantibus
Vmbrarum dominos, & prece supplici
Orpheus, Eurydicen dum repetit suam.
Quæ siluas, & aues, saxaq́; traxerat
Ars; quæ præbuerat fluminibus moras;
Ad cuius sonitum constiterant feræ;
Mulcet non solitis vocibus inferos,
Et surdis resonat clariùs in locis.
Deflent Eurydicen Threiciæ nurus:
Deflent & lachrymis difficiles dei?
Et, qui fronte nimis crimina tetricâ
Quærunt, ac veteres excutiunt reos;

Flen-

Flentes Eurydicen iuridici ſedent.
Tandem mortis, ait, vincimur, arbiter:
Euade ad ſuperos, lege tamen datâ:
Tu poſt terga tui perge viri comes,
Tu non antè tuam reſpice coniugem;
Quàm cùm clara deos obtulerit dies,
Spartaniq́; aderit ianua Tænari.
Odit verus amor, nec patitur, moras.
Munus dum properat cernere, perdidit.
Quæ vinci potuit regia cantibus;
Hæc vinci poterit regia viribus.

ACTVS TERTIVS.

HERCVLES.

O lucis alme rector, & cæli decus;
Qui alterna curru ſpacia flammifero ambiens,
Illuſtre lætis exſeris terris caput;
Da Phœbe veniam, ſi quid illicitum tui
Videre vultus. iuſſus in lucem extuli
Secreta mundi. tuq́; cæleſtûm arbiter
Parensq́;, viſus fulmine oppoſito tege.
Et tu, ſecundo maria qui ſceptro regis,
Imas pete vndas. quiſquis ex alto aſpicit
Terrena, facie pollui metuens nouâ;
Aciem reflectat, oraq́; in cælum erigat,
Portenta fugiens. hoc nefas cernant duo,
Qui aduexit, & quæ iuſſit. In pœnas meas
Atque in labores non ſatis terræ patent,
Iunonis odio. vidi inacceſſa omnibus,
Ignota Phœbo; quaq́; deterior polus
Obſcura diro ſpacia conceſſit Ioui:
Et, ſi placerent tertiæ ſortis loca,
Regnare potui. noctis æternæ chaos,
Et nocte quiddam grauius, & triſtes deos,
Et fata vici. morte contemtâ redi.
Quid reſtat aliud? vidi, & oſtendi inferos.
Da, ſi quid vltrà eſt. tam diu pateris manus
Ceſſare noſtras Iuno? quid vinci iubes?
Sed templa quare miles infeſtus tenet,
Limenq́; ſacrum terror armorum obſidet?

ſianax poëta; in eleg. εἰς ὄρφεα, Ἀγριόπην appellat, quemadmodum & Mimnermus. Vide Athen. lib. 13. cap. 25.

571 *Quæ ſiluas, &c.* Euripides, Bacchis:
——ἔνθά ποτ' Ὀρ-
φεὺς κιθαρίζων
συνάγει δένδρεα μού-
σαις, συνάγει θῆρας ἀγρώτας.

Orpheus ſuppoſititius quaſi de ipſo in Argonaut. canit:
" ἔστη δ' ἄκρα κάρηνα καὶ ἄγκεα δενδρήεντα
" Πηλίου, ὑψηλάς τε μετὰ δρύας ἤλυθε γῆρυς.
καί ῥ' αἱ μὲν πρόρριζοι ἐπ' αὔλιον ἐθρώσκοντο,
πέτραι τ' ἐσμαράγουν· θῆρες δ' ἀΐοντες ἀοιδῆς,
σπήλυγγος προπάροιθεν ἀλυσκάζοντες ἔμιμνον·
οἰωνοί τ' ἐκυκλοῦντο βοαύλια κενταύροιο,
ταρσοῖς κεκμηῶσιν, ἑῆς δ' ἐλάθοντο καλιῆς.

Caſſius Parmenſis, in Orpheo:
Conuulſosq́; ſuis ſcopulos radicibus egit.

Ouidius lib. 3. de arte amandi:
Saxa ferasq́; lyra mouit Rhodopeius Orpheus,
Tartareosq́; lacus, tergeminumq́; canẽ.

581 *Tandem mortis ait, vincimur arbiter.* Seuerinus Boëtius lib. 3. de conſolat. Philoſoph. hoc mutuatur, inquiens:
Tandem vincimur, arbiter
Vmbrarum miſerans ait,
Donamus comitem viro
Emtam carmine coniugem.

Fabula hæc Orphei etiam à Platone lib. 1. Sympoſ. Virg. 4. Georg. & Ouid. 4. Metam. commemoratur. Mortis autem vitæque arbitrum Plutonem ſtatuit Lacheſis Claudiani de raptu Proſerp. lib. 1.
——ô maximè noctis
Arbiter, vmbrarumq́; potens; cui noſtra laborant
Stamina, qui finem cunctis & ſemina præbes,
Naſcendiq́; vices alterna morte rependis,
Qui vitam letumq́; regis——

Porrò quia, auctore Horatio in arte poëtica ad Piſones,
Silueſtres homines ſacer, interpresq́; Deorum,
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus;
Dictus ob hoc lenire tigres, rapidóſque leones.

623 *Agnosco toros.* fuit Hercules valde torosus: quod fortitudinis indicium Physiognomici putant. noster Hippolyto:

Æquas Herculeos iam iuuenis toros.

Valerius Flaccus:

Conspicuusq; toris Tirynthius ——

Plerique qui Herculei corporis habitum nobis describserunt, fuisse memorant, nigrum, gracilem, & pusillum potiùs, quàm procerum. qua in re tamen dissentiunt à ceteris Heraclides Ponticus & Herodorus, ei pedis vnius & quattuor cubitorum longitudinem tribuentes. Seneca etiam, in Octauo, Gigantem appellat. In eo consentiunt omnes, fuisse corpore inprimis vegeto, neruis & ossibus firmiter compacto; valetudine autem tam bona, vt ea semper optima ad annum ætatis vsque quinquagesimum sit vsus. Ion Chius, & Apollodorus habuisse tres ordines dētium prodidit, & igneum splendorem ex oculis emicuisse. Dicæarchus tribuit aduncum nasum, oculos rauistellos, capillos longos, & iuxta Hieronymum Philosophum, hirsutos, atque setarum modo erectos.

631 *Vidit.* o.v.l. *videt.* & sanè nescio quo pacto hoc rei indignitatem vehementiùs exprimit.

643 *Lentum.* hoc est, tardum. apud Afranium, Plautum, Ouidium, & alibi sæpe apud Senecam. Cicero lib. 5. de Repub. vt vulgò
» apud Nonium legitur, ita scripsit: Marcellus
» vt taceret pugnax, Maximus vt consideratus,
» & lentus. Sed omnino Cicero scripsit: Mar-
» cellus vt acer & pugnax, &c.

648 *Canis.* Canem etiam Sophocles in Thrachin. Cerberum vocauit, & Tibullus:

Nec canis anguineâ redimitus terga catenâ,
Cui tres sunt linguæ, tergeminúmque caput.

653 *Peruince.* molem & grauitatem rei denotat. Catullus.

Vna salus hæc est, hoc est tibi peruincendū.

655 *Quod fuit durum pati, meminisse dulce est.* Euripides:

ὡς ἡδύ τι σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων.

quem versum Macrobius lib. 7. Saturnal. latè explicat. Xenophon id sciebat, dum *ἀναβάσ. δ΄.* scripsit: *καὶ πολλὰ τῶν παρεληλυθότων μνημονεύοντες πόνων.* & Virgilius:

—— *forsan & hæc olim meminisse iuuabit,*
Per varios casus, &c.

» Cicero, ad famil. lib. 5. Habet præteriti do-
» loris secura recordatio delectationē. & lib. 2.
» de finibus bon. & malor. Iucunda est malorū
» præteritorum memoria. Huc spectat illud eiusdem Xenophontis, Historici, Oratoris, Philosophi, & Imperatoris optimi, lib. 7.

AMPHITRYO. HERCVLES. THESEVS.

AM. *Vtrúmne visus vota decipiunt meos?*
An ille domitor orbis, & Graiûm decus,
Tristi silentem nubilo liquit domum?
Estne iste natus? membra lætitiâ stupent.
O nate, certa & sera Thebarum salus;
Verúmne cerno corpus? an fallor tuâ
Deceptus vmbrâ? túne es? agnosco toros,
Humerosq;, & alto nobilem trunco manum.
HER. *Vnde iste, genitor, squallor, & lugubribus*
Amicta coniunx? vnde tam fœdo obsiti
Pædore nati? quæ domum clades grauat?
AM. *Socer est peremtus, regna possidet Lycus:*
Natos, parentem, coniugem letho petit.
HER. *Ingrata tellus, nemo ad Herculeæ domus*
Auxilia vênit? videt hoc tantum nefas
Defensus orbis? cur diem questu tero?
Mactetur hostis. TH. *hanc ferat virtus notam,*
Fiatq; summus hostis Alcidæ Lycus,
Ad hauriendum sanguinem inimicum feror.
HER. *Theseu resiste: ne qua vis subita ingruat.*
Me bella poscunt. differ amplexus parens,
Coniunxq; differ. nunciet Diti Lycus
Me iam redisse. TH. *flebilem ex oculis fuga*
Regina vultum, tuq; nato sospite
Lacrymas cadentes reprime. si noui Herculem:
Lycus Creonti debitas pœnas dabit.
Lentum est; dabit: dat; hoc quoq; est lentum: dedit.
AM. *Votum secundet, qui potest, nostrum deus,*
Rebusq; lassis adsit. ô magni comes
Magnanime nati, pande virtutum ordinem:
Quàm longa mæstos ducat ad manes via,
Vt vincla tulerit dura tartareus canis.
THE. *Memorare cogis acta, secura quoque*
Horrenda menti. vix adhuc certa est fides
Vitalis auræ. torpet acies luminum,
Hebetesq; visus vix diem insuetum ferunt.
AM. *Peruince, Theseu, quicquid alto pectore*
Remanet pauoris: néve te fructu optimo
Frauda laborum. quod fuit durum pati, "
Meminisse dulce est. fare casus horridos. "
TH. *Fas omne mundi, teq; dominantem precor*

Regno

ἐκεῖνο δεῖ προσενθυμηθῆν, ὅτι πεινῶντι τἀγαθὰ μᾶλλον εὐφραίνει, ὅσῳ ἂν μᾶλλον ἀναμείνας τις ἐπ' αὐτὰ ἀπίοι (οἱ γὰρ πόνοι ὄψον τοῖς ἀγαθοῖς) ἄνευ δὲ τοῦ δεόμενον τυγχάνειν τινὸς, οὐδ' ἂν οὕτω πολυτελῶς παρασκευασθείη ἂν ὥσθ' ἡδὺ εἶναι.

661 *Tænarus.* etiamsi nonnulli è ſpelæo Heracleæ vicino Cerberum extractum memorent, inter quos Xenophon ἀναβάσ. ζ'. Euripides tamen ἐν τῷ μαινομένῳ à Senecæ partibus ſtat. non deſunt qui hæc omnia fabuloſa credentes, hunc fuiſſe quendam immanem ſerpentem ſtabulantem in ſpecu Tænario arbitrētur, eumque ab Hercule ſuperatum. Pauſanias, in Laconicis: Ἑκαταῖος μὲν γὰρ ὁ Μιλήσιος λόγον εὗρεν εἰκότα, ὄφιν φήσας ἐπὶ Ταινάρῳ τραφῆναι δεινόν. κληθῆναι δὲ ἅδου κύνα· ὅτι ἔδει τὸν δηχθέντα τεθνάναι παραυτίκα ὑπὸ τοῦ ἰοῦ. καὶ τοῦτον ἔφη τὸν ὄφιν ὑπὸ Ἡρακλέους ἀχθῆναι παρ' Εὐρυσθέα. Ὅμηρος δὲ, πρῶτος γὰρ ἐκάλεσεν ἅδου κύνα, ὅν τινα Ἡρακλῆς ἦγεν, οὔτε ὄνομα ἔθετο οὐδὲν, οὔτε συνέπλασεν ἐς τὸ εἶδος. ὥσπερ ἐπὶ τῇ χιμαίρᾳ. οἱ δὲ ὕστερον Κέρβερον ὄνομα ἐποίησαν, καὶ κυνὶ τὰ ἄλλα εἰκάζοντες, τρεῖς κεφαλὰς φασὶν ἔχειν αὐτόν. οὐδέν τι μᾶλλον Ὁμήρου κύνα τοῦ ἀνθρώπου σύντροφον εἰρηκότος, ἢ εἰ δράκοντα ὄντα ἐκάλεσεν ἅδου κύνα. Plutarchus, in Theſeo, perhibet fuiſſe canem Aïdonei regis Moloſſorum.

Regno capaci; teq́ue, quam totâ irrita
Quæſiuit Ætnâ mater; vt iura abdita,
Et operta terris, liceat impunè eloqui.
Spartana tellus nobile attollit iugum,
Denſis vbi æquor Tænarus ſiluis premit:
Hic ora ſoluit Ditis inuicti domus,
Hiatq́ue rupes alta, & immenſo ſpecu
Ingens vorago faucibus vaſtis patet,
Latumq́ue pandit omnibus populis iter.
Non cæca tenebris incipit primò via:
Tenuis relictæ lucis à tergo nitor,
Fulgorq́ue dubius ſolis afflicti cadit,
Et ludit aciem. tale non dubiè ſolet
Præbere lumen primus, aut ſerus dies.
Hinc ampla vacuis ſpacia laxantur locis;
In quæ omne merſum pereat humanum genus.
Nec ire labor eſt. ipſa deducit via:
Vt ſæpe puppes æſtus inuitas rapit,
Sic pronus aër vrget, atque auidum chaos,
Gradumq́ue retrò flectere haud vnquam ſinunt
Vmbræ tenaces. Intus immenſo ſinu
Placido quieta labitur Lethe vado,
Demitq́ue curas: néve remeandi ampliùs
Pateat facultas, flexibus multis grauem
Inuoluit amnem: qualis incertâ vagus
Mæander vndâ ludit, & cedit ſibi,
Inſtatq́ue dubius, litus an fontem petat.
Palus inertis fœda Cocyti iacet,
Hic vultur, illic luctifer bubo gemit,
Omenq́ue triſte reſonat infauſtæ ſtrigis.
Horrent opacâ fronde nigrantes comæ,
Taxo imminente; quam tenet ſegnis Sopor,
Famesq́ue mœſta tabido rictu iacens:
Pudorq́ue ſerus conſcios vultus tegit:
Metus, Pauorq́ue, Funus, & frendens Dolor,
Aterq́ue Luctus ſequitur, & Morbus tremens,
Et cincta ferro Bella: in extremo abdita
Iners Senectus adiuuat baculo gradum.

663 *Ditis inuiſi.* alias; *inuicti*: quod tres lib. ſcripti continent.

672 *Ampla vacuis ſpacia laxantur locis.* ad ingens illud inane inferorum alludit, quemadmodum & Claudianus ſub finem lib. 1. de raptu Proſerpinæ:

—*ſpaciiq́ue Erebi nigrantibus errant.*

Sic enim legendum, non *pratiq́ue*, & quondam in notis meis docui, & nunc hoc Senecę loco planè inducor, vt credam. Sequuntur Seneca & Claudianus eorum Philoſophorum ſententiam, „qui exiſtimabant ἐντὸς τοῦ κόσμου οὐδὲν εἶναι κενὸν, ἐκτὸς δὲ ἄπειρον: quæ fuit opinio Stoicorum. Alij fatentur tantum inanis extra mundum eſſe, quantum cælo, quod natura igneum ſit, ad reſpirandum ſufficit. Empedocles, Ariſtoteles & Plato nullũ omnino inane admiſerunt. Leucippus, Democritus, Metrodorus & Epicurus, Lucret. aiebant, rerum naturam inani & corporibus per inane illud vagantibus conſtare. Claudianus & noſter hoc inane, de quo agitur, ſpacia vocant, Epicurum ſecuti; qui ſuum τὸ κενὸν, ſemper nuncupabat χώραν vel διάστημα. Vnde Lucretius:

Tum verò locus ac ſpacium, quod inane vocamus. Vtrumque Seneca expreſſit.

674 *Nec ire labor.* Virgilius 6. Aeneid.

—*facilis deſcenſus Auerni:*
Sed reuocare gradum, ſuperasq́ue euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt—

677 *Gradũq́ue retrò flectere.* Anacreon Teïus:

ἀΐδεω γάρ ἐστι δεινὸς
μυχὸς, ἀργαλέη δ' ἐς αὐτὸν
κάθοδος· καὶ γὰρ ἑτοῖμον
καταβάντι μὴ ἀναβῆναι.

679 *Lethe.* ex Virgil. 6. Aeneid.

685 *Palus inertis fœda Cocyti iacet.* Cocytus tum demũ eſt iners, cùm in Acheruſiæ ſtagno Pyriphlegethonti fit obuius. Plato, in Phædone. 689 *Taxo.* Ouid. 4. Metam.

Est via decliuis funesta nubila taxo,
Ducit ad infernas per muta silētia sedes.
Quam tenet segnis sopor. Virgilius:
In medio ramos, annosaq́ brachia pandit
Vlmus opaca, ingens: quam sedem somnia vulgò
Vana tenere ferunt.——

illa quoque, quæ mox latè noster prosequitur, omnia ad Virgilij imitationem dicta sunt. ait Maro:

Vestibulum ante ipsum, primisq́ in faucibus Orci
Luctus & vltrices posuere cubilia curæ,
Pallentesq́ habitant morbi, tristisq́ senectus,
Et metus, & malesuada fames, & turpis egestas:
Terribiles visu formæ, letumq́ laborq́,
Tum consanguineus leti sopor, & mala mentis
Gaudia, mortiferumq́ aduerso in limine bellum.

707 *Populos leues.* Manes. alibi, leues deos vocat.

711 *Tacente.* quia, vt ait Simonides,
σιγὰ δ᾽ ἐν νεκύεσσι.
Vnde Orcus, silentum domus; inferi, silentes dij, inferorum cœnæ, silicernium vocantur.

713 *At hic.* vnus m. s. optimus continet; *ast hinc* de altero latice.

714 *Acheron.* non qui in agro Bruttiorum est, apud quem Alexander Molossus fuit interfectus *Strabo, Liuiusq́.* sed alter Epiri, ex Acherusia palude pone Pandosiā ortus, multis in se receptis fluminibus, magno impetu in Maryandinorum regionē influens. *Apollon. 2 Argonaut.* hunc enim inferorum fluuium esse antiqui fabulantur, quemadmodum ex Aretadis Cnidij lib 2. rerum Macedonic. & Nymphodori Samij lib. 1. Heracl. doctissimus Apollonij Scholiastes commemorat, libro 2. Argonaut. quo loco poëta dicit, Acherontem sub terra multis volui vorticibus, tandemque se summa vi è maximo specu effundere. item;
ἔνθα δὲ καὶ προχοαὶ ποταμοῦ Ἀχέροντος ἔασιν.
Meritò ergo Seneca:

Ast hinc tumultu rapitur ingenti ferox,
Et saxa fluctu voluit Acheron.

Et Silius Italicus:

——*hic Acheron sanie crassoq́ veneno*
Æstuat, & gelidam eructans cum murmure harenam,
Descendit nigra lētus per stagna palude.

721 *Dira maiestas deo.* Plutonis forma etiam à Claudiano describitur lib. 1. de raptu Proserp.

Ipse rudi fultus solio, nigraq́ verendus

AM. *Estne aliqua tellus Cereris aut Bacchi ferax?*
TH. *Non prata viridi læta facie germinant,*
Nec adulta leni fluctuat zephyro seges:
Non vlla ramos silua pomiferos habet:
Sterilis profundi vastitas squallet soli,
Et fœda tellus torpet æterno situ,
Rerumq́ mœstus finis, & mundi vltima:
Immotus aër hæret, & pigro sedet
Nox atra mundo: cuncta mœrore horrida,
Ipsaq́ morte peior est mortis locus.
AM. *Quid ille? opaca qui regit sceptro loca,*
Qua sede positus temperat populos leues?
TH. *Est in recessu Tartari obscuro locus,*
Quem grauibus vmbris spissa caligo alligat.
A fonte discors manat hinc imo latex:
Alter, quieto similis; hunc iurant dei,
Tacente sacram deuehens fluuio Styga:
Ast hinc tumultu rapitur ingenti ferox,
Et saxa fluctu voluit Acheron, inuius
Renauigari. cingitur duplici vado,
Aduersa Ditis regia, atque ingens domus
Vmbrante luco tegitur. hic vasto specu
Pendent tyranni limina: hoc vmbris iter:
Hæc porta regni. campus hanc circa iacet,
In quo superbo digerit vultu sedens
Animas recentes. dira maiestas deo:
Frons torua, fratrum quæ tamen specimen gerat,
Gentisq́ tantæ: vultus est illi Iouis,
Sed Fulminantis. magna pars regni trucis
Est ipse dominus, cuius aspectus timet,
Quicquid timetur. AM. *veráne est fama, inferis*
Tam sera reddi iura, & oblitos sui
Sceleris, nocentes debitas pœnas dare?
Quis iste veri rector, atque æqui arbiter?
TH. *Non vnus altâ sede Quæsitor sedens*
Iudicia trepidis sera sortitur reis.
Auditur illo Gnoßius Minos foro,
Rhadamanthus illo, Thetidis hoc audit socer.
Quod quisque fecit, patitur: auctorem scelus “
Repetit, suoq́ premitur exemplo nocens. “
Vidi cruentos carcere includi duces,
Et impotentis terga plebeiâ manu
Scindi tyranni. quisquis est placidè potens, “
Dominusq́ vitæ, seruat innocuas manus, “

Et

Et incruentum mitis imperium regit,
Animoq; parcit: longa permensus diu
Felicis æui spacia, vel cælum petit,
Vel læta felix nemoris Elysii loca.
Iudex futurus, sanguine humano abstine,
Quicunque regnas. scelera taxantur modo
Maiore nostra. AM. *certus inclusos tenet*
Locus nocentes; vtq; fert fama, impios
Supplicia vinclis sæua perpetuis domant?
TH. *Rapitur volucri tortus Ixion rotâ.*
Ceruice saxum grande Sisyphia sedet.
In amne medio faucibus siccis senex
Sectatur vndas: abluit mentum latex,
Fidemq; cùm iam sæpe decepto dedit,
Perit vnda: in ore poma destituunt famem.
Præbet volucri Tityus æternas dapes:
Vrnasq; frustra Danaides plenas ferunt.
Errant furentes impiæ Cadmeides;
Terretq; mensas auida Phineas auis.
AM. *Nunc ede nati nobilem pugnam mei,*
Patrui volentis munus, an spolium refert?
TH. *Ferale tardis imminet saxum vadis,*
Stupente vbi vndâ segne torpescit fretum:
Hunc seruat amnem, cultu & aspectu horridus,
Pauidosq; manes squallidus gestat senex:

Impexa

« *Maiestate sedet: squallent immania fœdo*
« *Sceptra situ. sublime caput mœstissima nubes*
« *Asperat, & dira riget inclementia forma.*
« Sed Senecam non adæquauit.

« 732 *Minos.* poëtæ tres inferorum iudices constituerunt, sicut & Plato in Gorgia. idem tamen Plato in Apolog. Socratis, & Cicero 1. Tuscul. Minoi, Rhadamantho, & Aeaco, quartum adiungunt Triptolemum.

733 *Socer.* Aeacus.

734 *Auctorem scelus repetit.* hoc est, exẽplo suo nocens plectitur, ex lege Rhadamanthi, quam suprà actu 1. nu. 226. posui, quam etiam Hesiodus laudauit. alio sensu dicitur in Thyeste:

Sæpe in magistrum scelera redierunt sua.

quia scilicet, vt apud Sallustium in historiarum fragm. Philippus ait: Praua incepta cõsultoribus sunt noxæ. Malum, inquit ille, consilium consultori pessimum.

749 *Ixion.* Plutarchus, in vita Agidis & Cleom. Ixionem hominis ambitiosi typum esse scribit. rectè Ixion enim ad gloriam, quã sibi opinionis errore finxerat, consequendam opes necessarias esse iudicans, socerum Deioneum interfecit: ne pecuniæ, quas illi promiserat, sibi decederent. nam qui gloriã falsam petunt, facultates vndique quo iure quáque iniuria congerere cupiunt; nõ quo iis rectè fruantur, sed vt easdem postea queant cuiuis immoderatè largiri: eaq; prodiga nummorum effusione veram se laudem consecutos existimant, &, pro rei veritate, fictum eius simulacrum amplectuntur. ambitione tamen occæcati idipsum non intelligunt: verùm se solos prudentes, solos beatos existimant; amicisque suis & fautoribus ob intolerabilem fastum atque iactantiam graues facti, in cunctorum odium incurrunt. Igitur consumtis opibus redacti ad egestatem, nullius adiuti auxilio, sed omnium inimicitiis oppressi, fieri non potest, quin hominum calamitosissimi exsistát, & perpetua præteritæ felicitatis recordatione non minùs torqueantur quàm Ixion, cuius membra celeri rotâ versantur. 750 *Sisyphia.* Sisyphum cùm poëtæ nobis proponunt, propter vulgata Iouis consilia, vel raptum (vt Pausan. scribit in Corinth.) apud inferos saxum ingens ad verticem montis impellentem, quod saxum semper relabitur; monent ne regum arcana temere effutientes, eorum in nos iram prouocemus. quia regum ira grauis est semper. nam quos reges odêre, miserrimos faciunt, & paupertatem cogunt perferre, quando minimum; quod (vtar verbis Lucretij) *—— est aduerso nixantem trudere monte*
Saxum: quod tamen à summo iam vertice rursum Voluitur, & plani raptim petit æquora campi.
751 *Senex.* Tantalus, de quo quæ poëtæ tradiderunt, alio loco explicabimus. 755 *Tityus.* hunc immanẽ hominem corpore, ex Apollonij sententia, Latonæ, vel, vt Euphorion credit, Dianæ vim parantem, ab Apolline necatum, assiduè à vulture laniari prodiderunt. cuius amantes exemplo à raptu deterrentur.

—— per tota nouem cui iugera corpus Porrigitur, rostroq; immanis vultur adunco
Immortale iecur tondens, fœcundaq; pœnis Viscera, rimaturq; epulis, habitatq; sub alto
Pectore, nec fibris requies datur vlla renatis. Virgil. Aeneid. 6. Dicitur ab Apolline interfectus. quia nullius tantum robur, nullius tanta vis aut fortitudo; qui, si viribus ad humanæ societatis perniciem abutatur, non facillimè à quocumque, Dei ope, vinci & necari queat. 757 *Cadmeides.* Agaue, Ino, Autonoë, ceteræ quæ Pentheum lacerauerunt. 758 *Phineas.* quod viuo Phineo accidit; vt, vel ob occæcatos filios suos, vel ob vulgata Deorum consilia, ab Harpyiis infestaretur; id mortuo tribuit. hæc etiam ad morum disciplinã pertinent. nam quòd deorum consilia diuulgarit, indicat auaritiæ deditos, lucri causa, omnia arcana detegere. eodem tendunt, à quibus dicitur filios occæcasse: quòd auari nemini parcunt, ne filiis quidem; sed cunctos circumuenire desiderant, vt quæstum faciant. in quam rem vnam cùm incumbant toto animo, victui suo necessaria detrahunt,

neque audent bonis partis frui. hos cæcos esse, & quid decet non videre, quis neget? alimenta sibi subtrahi patiuntur ab auaritia; quæ cùm rapere aliena gestiat, cùm famem sitimque cogat pati, cùm in arcam, quasi in ventrem insatiabilem, omnia congerat; an non vncas manus, an non ora pallida, an non fœdissimam ventris proluuiem habere, an non vera Harpyia, qua tristius haut vllum monstrum, nec sæuior vlla pestis, esse videatur? huic virgineus vultus attribuitur, quia mulieres quàm viri ad rem ferme sunt attentiores. Harpyias à Phinei mensa Zethes & Calais abegerunt. qui quid significant? ambitionem. etenim si sordidi animum gloriæ cupiditas occupet: confestim multo sudore & diuturno tempore corrasas opes profundet, nec vllum expensarum finem faciet. stulti enim dum vnum vitium fugiunt, facilè in contrarium incidunt. Quid Terentiano Demea parcius? quid eodem mox largiùs? ille agrestis, sæuus, tristis, parcus, truculentus, tenax, de repente alius factus, sic mutatur, vt prodigũ quàm liberalem potiùs cognoscas. *Ego quoque à meis me amari & magni pendi postulo,* *Si id fit dando atque obsequendo, non posterioreis feram.* *Deerit: id mea minimè refert, qui sum natu maxumus.* apud eundem Comicum talem se ostendit Menedemus, vt ab amico Sene meritò audiat;

Vehemens in vtramque partem Menedeme es nimis: *Aut largitate nimia, aut parsimonia.*

Et ne his quidem verbis deterretur, quin dicat; *——faciat quod lubet;* *Sumat, consumat, perdat, decretum est pati.* Adeò faciliùs ex vno extremo in alterum incurras, quàm in medio, vbi virtus sita est, queas consistere. Alati dicuntur & Boreæ filij Zethes ac Calais, credo quia gloria, venti instar, per totum orbem volitat: huius vt vmbram ambitio assequatur, leuissima sit oportet, atque adeò alis indiget. Aliter fabulam exposuit Petrus Angelius Bargæus, ad improbos & iniquos iudices eam referens lib. 2. carminum. vide Medea. 782.

765 *Impexa pendet barba.* Virg. 6. Aen.
Portitor has horrendus aquas & flumina seruat
Terribili squallore Charon; cui plurima mento
Canicies inculta iacet: stãt lumina flama:
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.

766 *Concaua squallent genæ.* hac sententia nihil facilius, nihili dilucidius. obscurior est o.v.l. lectio; *concaua lucent genæ.* sed melius (fateor) si dicas macie eò genas redactas, vt videantur pellucidæ, quod hieme apibus accidit, vel sanè, quod potiùs est, ad illud Virgilij respexerit;
——stant lumina flamma——
Et Ouid 11. Metam.
——rubra suffusus lumina flamma.
vt iracundiam illius hæc notent.

770 *Charon.* Petronius Arbiter, in satyris, inferorum portitorem vocat Proteum:
——vix nauita Proteus
Sufficiet simulacra virum traducere cymba:
Classe opus est, túque ingenti satiare ruina
Pallida Tisiphone, concisáque vulnera mande.
Per Stygios manes laceratus ducitur orbis.
Verùm omnes poëtæ Arbitro repugnant.

775 *Succumbit vni.* ex illo diuini vatis carmine;
——Simul accipit alueo
Ingentem Æneam, gemuit sub pondere cymba
Sutilis, & multam accepit rimosa paludem.

777 *Centauri.* hos etiam cum Hydra Virgil. 6. Aeneid. in foribus inferorum statuit.

Impexa pendet barba, deformem sinum
Nodus coërcet, concauæ lucent genæ,
Regit ipse conto portitor longo ratem.
Hic onere vacuam littori puppim applicans,
Repetebat vmbras. poscit Alcides viam,
Cedente turbâ. dirus exclamat Charon,
Quò pergis audax? siste properantem gradum.
Non passus vllas natus Alcmenâ moras,
Ipso coactum nauitam conto domat,
Scanditque puppem. cymba populorum capax,
Succumbit vni, sedit: & grauior ratis,
Vtrimque Lethen latere titubante bibit.
Tunc vasta trepidant monstra, Centauri truces
Lapithæque, multo in bella succensi mero.
Stygiæ paludis vltimos quærens sinus
Fœcunda mergit capita Lernæus labor.
Post hæc auari Ditis apparet domus:
Hic sæuus vmbras territat Stygius canis,
Qui terna vasto capita concutiens sono,
Regnum tuetur: sordidum tabo caput
Lambunt colubri, viperis horrent iubæ,
Longusque tortâ sibilat caudâ draco.
Par ira formæ. sensit vt motus pedum,
Attollit hirtas angue vibrato comas,
Missumque captat aure subiectâ sonum,
Sentire & vmbras solitus. vt propior stetit
Ioue natus, antro sedit incertus canis,
Et vterque timuit. ecce latratu graui
Loca muta terret: sibilat totos minax
Serpens per armos: vocis horrendæ fragor

Per

Per ora missus terna, felices quoque
Exterret umbras. soluit à laeua feros
Tunc ipse rictus, & Cleoneum caput
Opponit, ac se tegmine ingenti clepit:
Victrice magnum dexterâ robur gerens,
Huc nunc & illuc verbere aßiduo rotat,
Ingeminat ictus. domitus infregit minas,
Et cuncta lassus capita summisit canis,
Antroq; toto cessit. extimuit sedens
Vterque solio dominus, & duci iubet:
Me quoque petenti munus Alcidæ dedit.
Tunc grauia monstri colla permulcens manu
Adamante texto vincit: oblitus sui
Custos opaci peruigil regni canis,
Componit aures timidus, & patiens trahi,
Herumq; fassus, ore summisso obsequens,
Vtrumque caudâ pulsat anguiferâ latus.
Postquam est ad oras Tænari ventum, & nitor
Percußit oculos lucis ignotæ, bonos
Resumit animos victus, & vastas furens
Quassat catenas: penè victorem abstulit,
Pronumq; retro vexit, & mouit gradu.
Tunc & meas respexit Alcides manus:
Geminis vterque viribus tractum canem,
Irâ furentem, & bella tentantem irrita,
Intulimus orbi. vidit vt clarum æthera,
Et pura nitidi spacia conspexit poli:
Oborta nox est, lumina in terram dedit,
Compreßit oculos, & diem inuisum expulit,
Aciemq; retro flexit, atque omni petit
Ceruice terram: tum sub Herculea caput
Abscondit umbra. Densa sed læto venit
Clamore turba, frontibus laurum gerens,
Magniq; meritas Herculis laudes canit.

783 *Terna.* quidam v. l. *trina.*

785 *Viperis horrent iuba.* Sumtum à Virgilio, eodem libro;

Cui vates horrere videns iam colla colubris.

793 *Loca muta.* κατὰ συνεκδοχὴν, vt & Catullus,

Si quidquam mutis gratum acceptumq; sepulcris.

798 *Tegmine ingenti clepit.* qui se tegit, ex alterius aspectu se subducit: qui verò quid alteri clepit, id, ne videat, tegit. quare clepit, positum est pro subducit, tegit, abscondit: quemadmodum & furandi verbum in Agamemnone;

Germane vultus veste furabor tuos.

804 *Vterque solio dominus.* Sic vulgati libri, hoc est, Pluto & Proserpina. m. s. verò habent, *vtrumque*, hoc est, Cerberum & Herculem: malo, *Vterque*, propter præcedens *extimuit.*

815 *Vectorem.* o. v. l. *victorem.*

CHORVS.

Sapphici & choriambici trimetri.

Natus Euristheus properante partu,
Iusserat mundi penetrare fundum:
Deerat hoc solum numero laborum,
Tertiæ regem spoliare sortis.
Ausus est cæcos aditus inire,
Ducit ad manes via quâ remotos
Tristis, & siluâ metuenda nigrâ;

829 *Properante partu.* Septimo mense, vt Herculi imperaret. vide Homerum Iliad. τ'.

843 *Libra.* hæc noctes diebus æquat. hoc est, cùm sol est in libra, æquales noctibus sunt dies. Q. Cicero, Virgilius, Manilius, & Claudianus.

852 *Comis nondum positis ephebi.* impuberibus, vt dinosci possent, cùm alia, tum illud dabatur, vt comam alerent. Iacobus Ræuardus, elegans iuris interpres, lib. 4. variorũ, cap. 10. quam anno demum quattodecimo (quãdo eos puberes esse incipere definitum est, §. 1. instit. quib. mod. tutel. fin.) decurtare & numinis alicuius aræ consecrare solebant; idque non concubini tantùm, vt Lambinus in Horatium existimat; sed omnes omnino pueri. nam vt dignoscerentur puberes ab impuberibus, id fuit factitatum, & hic est habitus ille ex quo Iureconsultorum nõnulli pubertatem corporis æstimari volebant, iuxta Ræuardum dicto cap. 10. qui etiam, si Dis placet, Iustiniani sententiam §. 1. quib. mod. tutela finiatur, ausus fuit reprehendere. at ego Iustinianum temere reprehendi non dubito. etenim idipsum testatur Quinctilianus declamat. 279. de impubere marito agens, his
» verbis: Quo enim tandem modo defendere-
» tur filius tuus, si quis exstitisset, qui diceret,
» Occidisti hominem nondum maritus. nec
» enim vis ista, nominis huiusce appellatione
» prima consistit: nec satis est maritum tãtùm
» osculo putari. Postea nudari filium, atque in
» conspectu iudicum constitui coëgisset: atque
» interrogaret an ille maritus esset, qui fieri pa-
» ter non posset.

858 *Sensit.* nonnulli manusc. libri continent, *sentit.*

860 *Tenebræq; turpes.* vetus poëta, nescio qui, apud Ciceronem:

Adsum atque aduenio Acheronte vix, via alta atque ardua,
Per speluncas saxis structas asperis, pendentibus,
Maximis; vbi rigida constat crassa caligo inferûm.

Ennius Andromacha;

Acherusia templa alta, Orci pallida,
Leti obnubila, obsita tenebris loca.

Catullus:

Qui nunc it per iter tenebricosum. Idem:
At vobis malè sit malæ tenebræ
Orci ——

866 *Properare.* differentiam inter properare & festinare, citante Gellio lib. 16. ca. 14. Cato, in orat. de suis virtutibus, tradidit his
» verbis: Aliud est properare, aliud festinare.
» qui vnum maturè transigit, properat: qui
» multa incipit, neque perficit, is festinat.
Virgilius Aeneid. 9.
——*pulcram properet per vulnera mortem.*

Sed frequens, magnâ comitante turbâ.
Quantus incedit populus per vrbes
Ad noui ludos auidus theatri:
Qualis Eleum coit ad Tonantem,
Quincta cùm sacrum reuocauit æstas:
Quanta; cùm longæ redit hora noctis,
Crescere & somnos cupiens quietos
Libra, Phœbeos tenet æqua currus;
Turba secretam Cererem frequentat,
Et citi tectis properant relictis,
Attici noctem celebrare mystæ:
Tanta per campos agitur silentes
Turba: pars, tardâ gradiens senectâ,
Tristis, & longâ satiata vitâ:
Pars adhuc currit melioris æui,
Virgines nondum thalamis iugatæ,
Et comis nondum positis ephebi,
Matris & nomen modò doctus infans:
His datum solis, minùs vt timerent,
Igne prælato releuare noctem:
Cæteri vadunt per opaca tristes.
Qualis est nobis animus remotâ
Luce, cùm mœstus sibi quisque sentit
Obrutum totâ caput esse terrâ?
Stat chaos densum, tenebræq; turpes,
Et color noctis malus, ac silentis
Ocium mundi, vacuæq; nubes.
Sera nos illò referat senectus.
« *Nemo ad id serò venit, vnde nunquam,*
« *Cùm semel venit, potuit reuerti.*
Quid iuuat durum properare fatum?
Omnis hæc magnis vaga turba terris
Ibit ad manes, facietq; inerti
Vela Cocyto. tibi crescit omne,
Et quod occasus videt, & quod ortus;
Parce venturis, tibi mors paramur:
Sis licet segnis, properamus ipsi.
« *Prima, quæ vitam dedit, hora carpsit.*
Thebis læta dies adest:
Aras tangite supplices,
Pingues cædite victimas.
Permistæ maribus nurus
Solennes agitent choros.
Cessent deposito iugo

Arui

Arui fertilis incola,
Pax est Herculeâ manu
Auroram inter, & Hesperum;
Et, quâ sol medium tenens
Vmbras corporibus negat.
Quodcunque abluitur solum
Longo Tethyos ambitu
Alcidæ domuit labor.
Transuectus vada Tartari,
Pacatis redit inferis.
Iam nullus superest timor,
Nil vltra iacet inferos.
Stantes sacrificus comas
Dilecta tege populo.

ACTVS QVARTVS.

HERCVLES. THESEVS. AMPHITRYO. MEGARA.

HER. *Vltrice dextrâ fusus aduerso Lycus*
Terram petiuit ore: tum quisquis comes
Fuerat tyranni, iacuit & pœnæ comes.
Nunc sacra Patri victor, & superis feram,
Cæsisq; meritas victimis aras colam.
Te te laborum socia & adiutrix precor
Belligera Pallas; cuius in læua ciet
Ægis feroces ore saxifico minas.
Adsit Lycurgi domitor, & rubri maris
Tectam

Seneca infrà actu 5.

—— si quòd etiamnum est scelus
Latura terra properet ——

quo loco Seneca hac voce admodum propriè ex Catonis sententia vsus fuit.

867 *Omnis hæc, &c.* notissima verissimaq; est Homerici versus sententia, neminè Parcam effugere posse; sed nos nostraque morti debere omnia. nam, vt ait Stesichorus,

πάμπαν δ' ἄμοιρος οὔτις, οὔτ' ἀκήρατος.

Phanocles ἐν Ἔρωσιν, vt in Clemente Alexandr. Florentiæ excuso legitur:

ἀλλὰ τὸ μοιρίδιον ἦμ' ἄλλοθι οὐδέ πως ἐστὶν
ἐκφυγεῖν, ὁπόσοι γῆν ἐπὶ ἑρπόμεθα.

Sed Paulus Leopardus lib 4. emendat. cap. 4. prius carmen sic emendat:

ἀλλὰ τὸ μοιρίδιον ἦμ' ἄλυξιν οὐδέ ποτ' ἐστίν.

873 *Carpsit.* vitæ spacium minuit. Catull.

Illa mihi sedes, illic mihi carpitur ætas.

Virgilius;

Soláne perpetua mœrens carpêre iuuenta?

883 *Qua sol medium tenens Vmbras corporibus negat.* Ego arbitror Senecam per Syenem, quæ intelligitur, meridiem significare. de Syene Macrobius, in somnium Scipionis, lib. 1. Ciuitas Syene, quæ prouinciæ Thebaidos, post Superiorum montium deserta, principium sub ipso æstiuo tropico constituta est: & eo die quo sol certam partem ingreditur Cancri, hora diei sexta, quoniam tunc sol super ipsum inuenitur verticem ciuitatis, nulla potest illic in terram de quolibet corpore vmbra iactari. Lucanus lib. 2.

—— vmbras nusquam flectente Syene.

893 *Dilecta tege populo.* Olympionicus in lib. de plantis scribit, Herculem, inuenta in ripa Acherontis alba populo, inde sibi coronam contexuisse. hinc venit in consuetudinem, vt hæc arbor Herculi sacra putaretur. In membranis pro *dilecta*, habetur *delecta*. quo confirmatur Aldi Paulli F. Manutij opinio, in lib. de orthograph. pag. 183. contra Festi auctoritatem, & Dionys. Lambini sententiam. Porrò quod in præcedenti versu habetur; *stantes sacrificus comas*; intellige, *stantes*, præ timore & horrore. alludit ad Virgilianum illud; *—— steteruntq; comæ, vox faucibus hæsit.* vel, *stantes*, hoc est, horridas, inpexas (vt vocat Herc. Oetæo vers. 587.) rigentes & horrentes, vt ibid. vers. 789.

895 *Terram petiuit ore.* olim viri fortes cadentes terram mordebant, ne quis gemitus, anteacta vita indignus, à circumstantibus exciperetur. Claudianus, de bello Getico; *—— Italamq; momordit harenam.* Pleni sunt Heroicorum poëtarum libri huiusmodi testimoniis. Aquilonares verò pugiles etiam ridentes vulnera excepisse & occubuisse memorant. de Agnero quodam Ingelli filio, à Biarcone ingenti vulnere peremto, Saxo Grammaticus histor. Danicæ lib. 2. ita scribit: Sunt qui asserant morientem Agnerum, soluto in risum ore, per summam doloris dissimulationem, spiritum reddidisse. & paulo pòst ipsum Biarconem introducit, pugnam illam & Agneri constantiam prædicantem his versibus:

Ingelli natum fudi, retuliq; trophæum.
Elisum morsu gladium, maiora daturus
Cui contrà læuam lateris cum parte sinistri
Incidit in medias ferrum penetrabile costas.
Seminigil subsedit enim, cubitoq; reclinus
Spreuit & Elysium gaudens [a] successit in orbem.
Supremam celare necem, summumq; dolorem
—— vt Agner
Ille meo capiti inpactum perfregit Hothingum
Vulnera si meliùs ferri viguisset acumen.
Dissecui, dextrumq; pedem, labensq; sub artus
Hercule nemo illo visus mihi fortior vnquam.
Ridendo excepit lethum, mortemq; cachinno
Magna viri virtus, qua risu calluit vno
Corporis ac mentis læto compescere vultu.

[a] malleo pressa, vel transfo.

902 *Adsit* legitur in antiquo codice *assis.* aduocat Palladem, Liberum, Phœbum, Perseum, Pollucem, cæterosque non ex nouerca fratres; vt excludat Martem; (sine operâ viri, floris cuiusdam contactu à Iunone editum,

Tectam virenti cuspidem thyrso gerens;
Geminumq́ numen Phœbus, & Phœbi soror,
Soror sagittis aptior, Phœbus lyræ;
Fraterq́ quisquis incolit cælum meus,
Non ex nouerca frater. huc appellite
Greges opimos. quicquid Indorum seges,
Arabesq́ odoris quicquid arboribus legunt,
Conferte in aras: pinguis exundet vapor:
Populea nostras arbor exornet comas:
Te ramus oleæ fronde gentili tegat
Theseu: Tonantem nostra adorabit manus.
TH. *Dij conditores vrbis, & siluestria*
Trucis antra Zethi, nobiles Dirces aquas,
Laremq́ regis qui aduenæ Tyrium colis;
Date thura flammis. AM. *nate, manantes prius*
Manus cruentâ cæde & hostili, expia.
HER. *Vtinam cruorem capitis inuisi deis*
Libare possem. gratior nullus liquor
Tinxisset aras: victima haud vlla amplior
Potest, magisq́ opima mactari Ioui,
Quàm rex iniquus. AM. *finiat genitor tuos*
Opta labores, detur aliquando ocium
Quiesq́ fessis. HER. *ipse concipiam preces*
Ioue, meq́ dignas. stet suo cælum loco,
Tellusq́ & æther. astra inoffensos agant
Æterna cursus: alta pax gentes alat,
Ferrum omne teneat ruris innocui labor,
Ensesq́ lateant. nulla tempestas fretum
Violenta turbet: nullus irato Ioue
Exsiliat ignis: nullus hiberna niue
Nutritus agros amnis euersos trahat.
Venena cessent: nulla nocituro grauis
Suco tumescat herba. non sæui ac truces
Regnent tyranni. Si quod etiamnum est scelus
Latura tellus; properet, &, si quod parat
Monstrum; meum sit. Sed quid hoc? medium diem
Cinxêre tenebræ: Phœbus obscuro meat
Sine nube vultu! quid diem retro fugat,
Agitq́ in ortus? vnde nox atrum caput
Ignota profert? vnde tot stellæ polum
Implent diurnæ? primus en noster labor
Cæli refulget parte non minimâ Leo,
Iraq́ totus feruet, & morsus parat.
Iam rapiet aliquod sidus, ingenti minax

Stat

teste Ouidio.) Vulcanum, & (siquidem, vt alias l.45. in prin. D. de leg. 1. l.62. & l.81. D. de leg. 2. Sic hoc loco etiam masculinum genus femininum complectitur) Heben; quæ illi postea nupsit.

910 *Exsudet vapor.* in o. v. l. inuenio *exundet.* 912 *Fronde gentili.* Theseus rex fuit Athenarum. olea autem primo Athenis Neptuno & Pallade, de condenda & nominanda vrbe contendentibus, exstitit. ideo ait; fronde gentili.

915 *Zethi.* vulgò legitur; *Ceti.* in membranis quotquot vidi, scriptum est; *Tethi:* quare emendandum opinor *Zethi.* Zethus enim & Amphion in Cythæronis cauernis enutriti fuere, vbi illos Antiopa pepererat. Trucē appellat, quia natura immanis, agrestis, ab omni humanitate & Musis maximè alienus fuit, vt docet Dion Chrysostomus in sermone περὶ χήματος; & Propertius,

Et durum Zethum, & lacrimis Amphiona mollem
Experta est stabulis mater abacta suis.

Palephanis tamen etiam Zetum Musices peritum scribit. Si quis contendat, *Ceti,* retinendum, & cum Badio & Bernardino interpretetur draconem Dirces custodem, exspecto me doceat alibi Cetum pro dracone poni. quod vereor vt probare possit.

Dirces aquas. Dirce quia Antiopam, Amphionis & Zethi matrem, persequebatur; ab iis crudeliter necata, vt declarat Nicocrates in Cypriis, postea in fontem conuersa fuit, Euripid. in Bacchis. hic nimirum malos manet exitus, vt, cùm diu bonos vexauerint, meritas tandem pœnas bonis dent.

916 *Aduena.* Cadmi; cui Tyrus patria. vnde Tyrius dicitur à Cinna, in propompt. Pollionis:

Nec tam donorū ingentes mirabere aceruos
Innumerabilibus congestos vndiq́ saclis,
Iam inde à Belidis, natalíq́ vrbis ab anno
Cecropis, atq́ alta Tyrij ab origine Cadmi.

918 *Expia.* quia diis nefas fuit pollutis cæde manibus sacrificare, patet id ex Homero Iliad. ζ' & Virgilio 2. Aeneid. Anticlides etiā lib. 74. redituum scripsit: ἔθος γὰρ ἦν τοῖς παλαιοῖς, ὅπερ καὶ νῦν ἀκμάζει, ὅταν ἢ φόνον ἀνθρώπων, ἢ καὶ ἄλλας σφαγὰς ἐποίουν, ὕδατι ἀπονίπτειν τὰς χεῖρας ἀπονίψαντες εἰς τοῦ μιάσματος κάθαρσιν.

920 *Gratior nullus liquor* &c. hunc locum citare voluit Ioan. Næuizanus lib. 1. siluæ nuptial. num. 71. hanc sententiam, in Didone tragœdia Italica, mutuatus est Ludouicus Dulcis: —— *perche nissun liquore*

E à Dio piu grato, ò vittima piu cara,
Che quella d'vn tiran crudele & empio.

Stat ore, & ignes efflat, & rutilat, iubam
Ceruice iactans. quicquid auctumnus grauis,
Hiemsq́; gelido frigida spacio refert,
Vno impetu transiliet, & verni petet
Frangétque Tauri colla. AM. *quod subitum hoc malum est?*
Quò nate vultus huc & huc acres refers,
Acieq́; falsum turbidâ cælum vides?
HER. *Perdomita tellus, tumida cesserunt freta:*
Inferna nostros regna sensere impetus:
Immune cælum, est dignus Alcidæ labor.
In alta mundi spacia sublimis ferar:
Petatur æther. astra promittit pater.
Quid si negaret? non capit terra Herculem,
Tandemq́; superis reddit. en vltro vocat
Omnis deorum cœtus, & laxat fores,
Vnâ vetante. recipis & reseras polum:
An contumacis ianuam mundi traho?
Dubitatur etiam? vincla Saturno exuam,
Contraq́; patris impij regnum impotens
Auum resoluam. bella Titanes parent
Me duce furentes. saxa cum siluis traham,
Rapiamq́; dextrâ plena Centauris iuga.
Iam monte gemino limitem ad superos agam.
Videat sub Ossa Pelion Chiron suum:
In cælum Olympus tertio positus gradu
Perueniet, aut mittetur. AM. *infandos procul*
Auerte sensus: pectoris sani parum,
Magni tamen, compesce dementem impetum.
HER. *Quid hoc? gigantes arma pestiferi mouent,*
Profugit & vmbras Tityus, ac lacerum gerens
Et inane pectus, quàm propè à cælo stetit?
Labat Cithæron, alta Pallene tremit,
Marcentq́; Tempe. rapuit hic Pindi iuga,
Hic rapuit OEten, sæuit horrendum Mimas.
Flammifera Erinnys verbere excusso sonat,
Rogisq́; adustas propiùs ac propiùs sudes
In ora tendit. sæua Tisiphone, caput
Serpentibus vallata, post raptum canem,
Portam vacantem clausit oppositâ face.
Sed ecce proles regis inimici latet,
Lyci nefandum semen: inuiso patri
Hæc dextra iam vos reddet: excutiat leues
Neruus sagittas. tela sic mitti decet

Her-

Diuus Thomas etiam de Aquino alicubi affirmat eum, qui Tyrannum interficiat, rem Deo gratam facere; quæ sententia vt periculosa, si absolutè de quouis Tyranno, & à quouis, quouis etiam modo accipiatur, à Felino in c. cùm nobis, ex. de præscript. & Fr. Augustin. de Ancona de potest. ecclesiast. art. 3. q. 54. versic. omnia autem, & communiter reiicitur ab omnibus, teste Cæsare de Perinis, in addition. constit. Neapolitan. in tit. de homicid. & damnis clandestin. constit. incip. Si damna clandestina. & contra Thomę sententiam conclusum fuisse in Concil. Constantiensi, referunt Brixiensis in repertorio suo, in verbo, tyrannus: & Curtius in tractat. feud. relati à Bartholomæo Romuleio in l. filiusfamilias, §. Diui. num. 64. D. de leg. 1. Planè tyrannum, qui principatum occupauit, si tyrannis aliter tolli non possit, interficere, cuilibet licitum est. *ita Paris de Puteo in tract. Syndic. Cataldin. de Boncompagnis cons. 55. tomo 1. consil. crimin. Babtis. Zileti. & sic intelligendus D. Thom.* Sed illum qui iure successionis electionísve princeps est, quamuis tyrannus fiat, priuato non licet occidere. ita *Alph. à Castro lib. contra hæres. vers. tyrannus, & Dominicus à Soto lib. 5. de iust. & iur. q. 1. art. 3.* nisi vno casu, quo etiam Imperatorem & Pontificem occidere fas esse voluerunt Cardinalis & Capicius, teste Carrerio in pract. crimin. mihi, fol. 144. col. 4. scilicet ad corporis sui defensionem. arg. l. 3. D. de iust. & iur. qua de re Duennas reg. 191. Anton. Gomez de delict. cap. 3. & Iul. Clarus in pract. crimin. de homic. quos referunt Fran. Viuius lib. 2. commun. opin. voce, tyrannus; & Eman Zoares à Ribeira, in thesau. recept. sentent.

545 *Primus en.* Q. Smyrnæus,
πρῶτα μὲν, ἐν νεμέῃ βριαρὸν κατέπεφνε λέοντα.

967 *Saxa cum siluis traham.* Sic legitur in autographis: vulgati libri habent; *feram.*

988 *Excutiat. excutiet*, habetur in vet. cod.

989 *Tela sic mitti decet Herculea.* puero, quem petebat, interemto hoc ait. quia, vt Sophocles, in Philoctete, prodidit, ea conditio telorum Herculis fuit, vt à scopo proposito nunquam aberrarent, & semper id figerent, quod petebatur. de his noster in Octæo Hercule actu 5.

—— has enim nunquam irritas
Mittes in hostem; siue de media voles
Auferre volucres nube, descendent aues,
Et certam prædam tela de cælo ferent,
Nec fallet vnquã dexterã hic arcus tuã,
Librare telum didicit, & certam dare
Fugam sagittis: ipsa non fallunt iter
Emissa neruo tela.

993 *Medio spiculum collo fugit.* hoc est, per medium collum transiuit. Fugisse autem dicit, vt sagittæ emissæ velocitatem indicet.

996 *Cyclopea.* videndus super hac re Arsenius interpres Euripidis, vt aliàs monui.

1005 *Misit: ast.* tam ridicula est Danielis Cayetani lectio, *missitat*; vt, quam referre nō piguit, pudeat confutare.

1010 *Feret.* auferet. Virgilius;

Hos ego versiculos feci, tulit alter honorē.

1012 *Infenso.* o.v.l. *infesto.*

1015 *Vultus tuos.* hoc inter aureæ ætatis felicitates Hesiodus ἐν ἔργ. numerat. Horat.

Laudantur simili prole puerpera.

Tunc enim omnis adulterij suspicio abest. Spynthyos illud περὶ γυναικὸς σωφροσύνης apud Stobæum, dignum est quod adscribatur: κάλλιστος δὲ κόσμος γυναικὸς ἐλευθέρας πράτιστον δ' εἶδος τὸ διὰ τῶν αὐτᾶς τέκνων ἐπιμαρτύρεσθαι τὰν σωφροσύναν τὰν ποτὶ τὸν ἄνδρα, αἴκα τὸν τύπον τᾶς ὁμοιότατος ἐπιφέρωντι τῶ κατασπείραντος αὐτὰς πατρός. esse hoc certissimum maternæ pudicitiæ testimonium Martialis docet;

Est tibi quæ patrij signatur imagine vultus,
Testis maternæ nata pudicitiæ.

Hunc Martialis locum mihi suppeditauit Ioan. Corras. lib. 2. Miscellan. cap. 22. quo loco contra But. & aliorum sententiam multa de hac similitudine disserit. quibus addo quod à Sorano Ephesio Isagog. Medices capite 17. proditur, fœtum hanc similitudinem septimo mense induere.

1017 *Renuo nouercam.* sic quidam antiq. codices, sed in pluribus continetur *teneo*: & quamquam neutra lectio displicet, posterior tamen quo ad sententiā valde elegantior est.

1021 *Igneo vultu patris.* iratorum oculi ardere videntur. Homerus Iliad α.

πίμπλαντ', ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην.

„ M. Tullius: Nam cùm spumas ageret in ore, „ arderent oculi. Idem: Inflammatus scelere ac „ furore, in forum venit: ardebant oculi, toto „ ex ore crudelitas eminebat. Virgilius:

His agitur furiis, totoq; ardentis in ore
Scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis.

Et sic fortè intelligendum quod Ion Chion, vt suprà dictum est, prodidit, Herculem ex oculis quendam igneum splendorem emisisse. Vide suprà actu 3. nu 624.

1027 *Pectus in tela indue.* Theb. actu 1,

— nunc manum cerebro indue.

Herculea. AM. *quò se cæcus inuergit furor?*
Vastum coactus flexit arcum cornibus,
Pharetramq; soluit, stridet emissa impetu
Arundo, medio spiculum collo fugit
Vulnere relicto. HER. *ceteram prolem eruam,*
Omnesq; latebras. quid moror? maius mihi
Bellum Mycenis restat: vt Cyclopea
Euersa manibus saxa nostris concidant.
Huc eat & illuc aula, disiecto obice,
Rumpatq; postes, columen impulsum labet:
Procumbat omnis regia. hic video abditum
Gnatum scelesti patris. AM. *en blandas manus*
Ad genua tendens voce miseranda rogat.
Scelus nefandum, triste, & aspectu horridum!
Dextrâ precantem rapuit, & circa furens
Bis ter rotatum misit: ast illi caput
Sonat, cerebro terra disperso madet.
At misera paruum protegens natum sinu
Megara, furenti similis, è latebris fugit.
HER. *Licet Tonantis profuga condaris sinu,*
Petet vndecumque temet hæc dextra, & feret.
AM. *Quò misera pergis? quam fugam aut latebras petis?*
Nullus salutis Hercule infenso est locus:
Amplectere ipsum potiùs, & blanda prece
Lenire tenta. ME. *parce iam coniunx precor,*
Agnosce Megaram. natus hic vultus tuos,
Habitusq; reddit: cernis, vt tendat manus?
HER. *Teneo nouercam. sequere, da pœnas mihi,*
Iugoq; pressum libera turpi Iouem.
Sed ante matrē paruulum hoc monstrum auferam.
ME. *Quò tendis amens? sanguinem fundes tuum?*
AM. *Pauefactus infans igneo vultu patris*
Perit ante vulnus, spiritum rapuit pauor.
In coniugem nunc claua libratur grauis;
Perfregit ossa: corpori trunco caput
Abest, nec vsquam est. cernere hoc audes, nimis
Viuax senectus? si piget luctus, habes
Mortem paratam. pectus in tela indue:
Vel stipitem istum, cæde monstrorum illitum,
Conuerte: falsum, ac nomini turpem tuo
Remoue parentem, ne tuæ laudi obstrepat.
TH. *Quò te ipse genitor obuium morti ingeris?*
Quò pergis amens? profuge, & obtectus late,

Vnumq́ manibus aufer Herculeis scelus.
HER. *Bene habet. pudendi regis excisa est domus.*
Tibi hunc dicatum maximi coniunx Iouis
Gregem cecidi. vota persolui libens
Te digna: & Argos victimas alias dabit.
AM. *Nondum litasti nate, consumma sacrum.*
Stat ecce ad aras hostia, exspectat manum
Ceruice pronâ. praebeo, occurro, insequor,
Macta. quid hoc est? errat acies luminum,
Visusq́ maeror hebetat? an video Herculis
Manus trementes? vultus in somnum cadit,
Et fessa ceruix capite summisso labat,
Flexo genu, iam totus ad terram ruit:
Vt caesa siluis ornus, aut portus mari
Datura moles. viuis? an letho dedit
Idem, tuos qui misit ad mortem, furor?
Sopor est, reciprocos spiritus motus agit.
Detur quieti tempus: vt somno grauis
Vis victa morbi pectus oppressum leuet.
Remouete famuli tela, ne repetat furens.

CHORVS.

Anapaestici, & duo Adonij.

Lugeat aether, magnusq́ parens
Aetheris alti, tellusq́ ferax,
Et vaga ponti mobilis vnda;
Tuq́ ante omnes; qui per terras,
Tractusq́ maris fundis radios,
Noctemq́ fugas ore decoro,
Feruide Titan: obitus pariter
Tecum Alcides vidit, & ortus,
Nouitq́ tuas vtrasque domos.
Soluite tantis animum monstris,
Soluite superi: rectam in melius

Flecti-

1044 *Fessa.* qui somno opprimebantur, fessos dicebant. Maro:

—— quale sopor fessis in gramine.

Idem:

—— placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras.

1046 *Vt caesa siluis ornus.* Virg. 2. Aeneid.

Ac veluti summis antiquam in montibus ornum
Cùm ferro accisam, crebrisq́ bipennibus instant
Eruere agricolae certatim: illa vsq́ minatur,
Et tremefacta comā cōcusso vertice nutat,
Vulnerib. donec paulatim euicta, supremū
Congemuit, traxitq́ iugis auulsa ruinam.

Simili comparatione tribus locis Iliad. δ'. ν'. & π'. vsus fuit Homerus: item Lucanus li. 1. Pharsal. & Statius libro 9. Thebaid.

Aut portus mari datura moles.

Sic Virgilius 9. Aeneid.

—— collapsa ruunt immania membra.
Dat tellus gemitum, & clypeum super intonat ingens:
Qualis in Euboico Baiarū litore quondā
Saxea pila cadit; magnis quā molib. ante
Constructam iaciunt pōto: sic illa ruinam
Prona trahit, penitusq́ vadis illisa recūbit.

Hunc Virgilij locum Silius lib. 4. fuit imitatus, vt mihi quidem semper visum fuit, satis inuitâ Mineruâ:

Procumbit latâ porrectus in arma ruinâ,
Et percussa gemit tellus ingentibus armis:
Haud aliter structo Tyrrhena ad litora saxo
Pugnatura fretis subter caecisq́ procellis
Pila immane sonās impingitur ardua pōto:
Immugit Nereus, diuisaq́ caerula pulsu
Illisum accipiunt irata sub aequora montē.

1052 *Ne.* hanc vocem, cùm prohibet, sine diphthongo scribit Aldus in Orthogr. cùm affirmat, diphthongum addit: cui ne assentiar, faciunt ea quae Leonhardus Malaspina, in emendation. epistol. Ciceronis ad Atticū, & postea Dion. Lambinus, in emendation. in Orat. Ciceronis pro Fonteio & in 2. Catilin. scripserunt; quorum sententiam sequi non dubito.

1053 *Parens aetheris.* hoc est, Iupiter, interpretes inquiunt. Sed quomodo Iupiter aetheris parens? nam Iupiter Saturni filius est, Saturnus Caeli; qui, teste Cicerone lib. 3. de natura deor., ipse Aetheris filius fuit. ego arbitror aetheris vocabulum pro caelo poni: vt apud Pacuuium, *Hoc quod memoro, nostri caelum, Graij perhibent aethera.* Orpheus enim, in hymnis, nihil aliud caelum esse credidit quàm aethera. Non verò hic aether ponitur pro Ioue. Itaque huius aetheris seu caeli patrem intellige non tam Iouem Saturni filium, & Aetheris, vt dixi, pronepotem; quàm illum Deum optimum & maximum, caeli & terrae creatorem; quem antiquorū multi esse sciebant quidem; sed quis ille foret, ignorantiae tenebris occaecati non assequebantur. Ideo Seneca noster, quem ignorabat, non nominat, descripsisse contentus, ne in nomine erraret. eadem opinor causa est, cur Virgilius Georg. 2. aethera potiùs quàm Iouem dixerit: *Tum pater omnipotens foecundis imbribus aether Coniugis in gremium laetae descendit, & omnes Magnus alit magno commistus corpore fetus.* ideo etiam antiqui caelum exprimere volentes, hoc appellarunt: vnde, *Lucessit hoc. iam cesso pultare ostium*; apud Comicum, in Heautont.

Flectite mentem. tuq; ô domitor
Somne malorum, requies animi,
Pars humanæ melior vitæ,
Volucer, matris genus Astrææ,
Frater duræ languide mortis,
Veris miscens falsa, futuri
Certus, & idem peßimus auctor;
Pater ô rerum, portus vitæ,
Lucis requies, noctisq; comes;
Qui par regi, famuloq; venis;
Placidus fessum lenisq; foues;
Pauidum lethi, genus humanum
Cogis longam discere mortem:
Preme deuictum torpore graui,
Sopor indomitos alliget artus;
Nec torua priùs pectora linquat,
Quàm mens repetat pristina cursum.
En fusus humi sæua feroci
Corde volutat somnia: nondum est
Tanti pestis superata mali:
Clauæq; graui lassum solitus
Mandare caput; quærit vacuâ
Pondera dextrâ, motu iactans
Brachia vano. nec adhuc omnes
Expulit æstus: sed, vt ingenti
Vexata noto seruat longos
Vnda tumultus, &, iam vento
Cessante, tumet. pelle insanos
Fluctus animi, redeat pietas
Virtusq; viro: vel sit potiùs
Mens vesano concita motu:
Error cæcus, quà cœpit, eat.
Solus te iam præstare potest
Furor insontem. proxima puris
Sors est manibus nescire nefas.
Nunc Herculeis percussa sonent
Pectora palmis, mundum solitos
Ferre lacertos verbera pulsent
Victrice manu: gemitus vastos
Audiat æther, audiat atri
Regina poli; vastisq; ferox
Qui colla gerit vincta catenis,
Imo latitans Cerberus antro.
Resonet mœsto clamore chaos,

1064 *Tuq; ô domitor Somne malorum.* sic o. v. l. quidam excusi habent; *laborum:* quam lectionem Cicero astruit, inquiens, „ li. 2. de diuinat. Perfugium videtur omnium „ laborum & solicitudinum esse somnus. Homerus, Odyss. 20.

νύκτας δ' ὕπνος ἔχησιν, ὁ γάρ τ' ἐπίλησεν ἁπάντων
ἐσθλῶν ἠδὲ κακῶν.

Ouidius 2. Metamorph.

Somne quies rerum, placidissime somne Deorum,
Pax animi; quem cura fugit, qui corpora duris
Fessa ministeriis mulces, reparasq; labori.

Iccirco somnus vati ter maximo γλυκύς; Theocrito, νήδυμος; Apollinari γλυκίων μέλιτος; Theognidi λυσιμελής; Pindaro, σύγκοιτος γλυκύς; Catullo, dulcis; Virgilio, dulcis, iucundus & mollis; Furio annal. 1. mitis; Papinio, diuûm mitissimus; Ennio, li. 12. annal. mollissimus; Laberio, in aquis caldis, optimus; Varroni Attacino, placidus dicitur. Euripides:

ὕπνου γλυκυτάτου φερομένου χαράν.

Item: ἥσυχον ὕπνου χαράν. & alibi: ὦ φίλον ὕπνου θέλγητρον, ἐπίκουρον νόσου.

Seneca, Agamemnone: *curarum Somne domitor.*

1067 *Genus Astrææ.* summo consensu traditur Somnus Noctis & Erebi filius esse. cur Seneca hoc loco Astrææ genus nominauit? an quòd, qui iusti sunt, somno vt plurimũ quieto fruãtur; qui verò animũ sceleribus inquinarunt, nunquam quiescere aut somnum capere queant? an verò, quia, cùm iustitia viget, tutò liceat omnibus, absque latronum metu, somno indulgere?

1068 *Frater duræ languide mortis.* Orpheus, in hymnis, sic somnum affatur:

καὶ θανάτου μελέτην ἐπάγεις, ψυχὰς διασώζων.
αὐτοκασίγνητος γὰρ ἔφυς λήθης θανάτου τε.

Homerus Iliad. ξ'.

ἔνθ' Ὕπνῳ ξύμβλητο κασιγνήτῳ θανάτοιο.

Hesiodus, in Theogon.

ἡ δ' ὕπνον μετὰ χερσί, κασίγνητον θανάτοιο.

D. Basilius in περὶ νηστείας orat.

μέθη γὰρ ὕπνον μὲν ἐπάγει, ἀδελφὸν θανάτου.

Petrarcha sonet. 191.

Il sonno è veramente qual huom dice,
Parente di la morte ——

Leontinus Gorgias morti vicinus sensim in somnum delabebatur; rogantibusque amicis quid ageret, respondit, teste Stobæo: ἤδη με ὁ ὕπνος ἄρχεται παρακατατίθεσθαι τ' ἀδελφῷ.

1076 *Cogis longam discere mortem.* quoniam illi es simillimus. huc spectat Orphei

Latiq; patens vnda profundi,
Et, qui meliùs tua tela tamen
Senserat, æther.
Pectora tantis obsessa malis
Non sunt ictu ferienda leui:
Vno planctu tria regna sonent.
Et tu collo decus, ac telum
Suspensa diu, fortis arundo,
Pharetræq; leues; date sæua fero
Verbera tergo: cedant humeros
Robora fortes, stipesq; potens
Duris oneret pectora nodis.
Plangant tantos arma dolores.
Non vos patriæ laudis comites,
Vlti sæuos vulnere reges:
Non Argiuâ membra palæstrâ,
Flectere docti, fortes castu,
Fortesq; manu; iam tamen ausi
Telum Scythici leue coryti
Missum certâ librare manu,
Tutosq; fuga figere ceruos,
Nondumq; feræ terga iubatæ.
Ite ad Stygios vmbræ portus,
Ite innocuæ; quas in primo
Limine vitæ scelus oppressit,
Patriusq; furor: ite infaustum
Genus, ô pueri noti, per iter
Triste laboris: ite, iratos
Visite reges.

ACTVS QVINCTVS.

HERCVLES. AMPHITRYO. THESEVS.

HER. *Quis hic locus? quæ regio? quæ mũdi plaga?*
Vbi sum? sub ortu solis, an sub cardine
Glacialis vrsæ? nunquid Hesperij maris
Extrema tellus hunc dat Oceano modum?
Quas trahimus auras? quod solum fesso subest?
Certè redimus. vnde prostratâ domo
Video cruenta corpora? an nondum exuit

Simu-

testimonium suprà positum. Xenophon in orat. Cyri morientis ad filios: ἐννοήσατε δ' ὅτι ἐγγύτερον μὲν τῷ ἀνθρωπίνῳ θανάτῳ οὐδέν ἐστιν ὕπνου. Cicero, 1. Tusc. Mors somno similis. " item; Somnus est imago mortis. Sic Ouid. "

Stulte quid est somnus, gelida nisi mortis imago? Sic Silius:

Nox similes morti dederat placidissima somnos.

1096 *Solus te iam præstare potest Furor insontem.* qui nescit se peccare, in peccatum non consentit, & in maleficiis consensus potissimùm ac voluntas spectatur. l. Diuus Hadrianus, D. ad leg. Cornel. de sicar. l. 1. C. eodem tit. l. quod reip. D. de iniur. adeò vt qui iniuriæ causâ ianuam effregit; licet inde per alios res amotæ sint; furti non teneatur. l. qui iniuriæ, in princip. D. de furt. propterea cùm furiosus, quamdiu furore vrgetur, nihil velle, sed dormire & quiescere censeatur. l. si ei qui, §. furiosus. D. de iu. codicil. furor delicta eius excusat. l. D. Marcus. D. de offic. præsid. l. pœna, D. de leg. Pompeia. de parricid. l. infans, D. ad leg. Cornel. de sicar.

1106 *Cerberus.* ab Eurystheo dimissus, & à Plutone antiquæ custodiæ iterũ præpositus.

1109 *Meliùs tua tela.* s. pulsis Stymphalidibus.

1110 *Æther.* cælum, vt suprà.

1116 *Date sæua fero.* in duobus cod. scriptis legitur, *date fera fero*; quod ipsum quoque recipi potest.

1124 *Flectere docti.* sic in quibusdã memb. legitur: in aliis, *flectere forti fortes castu.* in nõnullis etiã: *flectere fortes forti castu.* placet;

Non Argiuâ membra palæstrâ
Flectere docti, fortes castu
Fortesq; manu.

Sic Horatius 3. carmin.

—— ludere doctior
Seu Græco iubeas trocho, &c.

1126 *Coryti.* o. v. l. *corichi.* & quod apud Virgilium 10. Aeneid. legitur,

Corytiq; leues humeris,

hoc in vulgatis lib. Nonij Marcelli habetur, *Coriscíq;* in m. s. verò eiusdem codicibus; *coriciq;*. in Seruij quoque membranis nõ vno modo vox ista scribitur. quare, dum certiùs quid comperero, hîc & apud Virgilium, Statium 9. Thebaid. & vbique scribam *corytus.* quia Græcè apud Homerum Odyss. φ'. scribitur κωρυτός. Qui *corythus* malunt, errant. est enim hoc oppidum Tusciæ, cuius etiam Maro meminit 9. Aeneid.

1136 *Visite.* vnum cod. vidi, in quo continebatur, *visere*: sed erat ille codex ante centum dumtaxat annos non nimis emendatè scriptus. REGES] Plutonem & Proserpinam.

1140 *Modum.* finem, terminum. ita apud Horatium, modus agri non ita magnus, dicitur.

Simulachra mens inferna? post reditus quoque
Oberrat oculos turba feralis meos?
Pudet fateri, paueo: nescio quod mihi,
Nescio quod animus grande præsagit malum.
Vbi est parens? vbi illa natorum grege
Animosa coniux? cur latus læuum vacat
Spolio leonis? quónam abiit tegmen meum?
Idemq́ somno mollis Herculeo torus?
Vbi tela? vbi arcus? arma quis viuo mihi
Detrahere potuit? spolia quis tanta abstulit?
Ipsumq́ quis non Herculis somnum horruit?
Libet meum videre victorem, libet:
Exsurge victor; quem nouum cælo pater
Genuit relicto: cuius incestu stetit
Nox longior, quàm nostra. quod cerno nefas?
Nati cruentâ cæde confecti iacent,
Peremta coniux. quis Lycus regnum obtinet?
Quis tanta Thebis scelera moliri ausus est,
Hercule reuerso? quisquis Ismeni loca;
Actæa quisquis arua; qui gemino mari
Pulsata Pelopis regna Dardanij colis,
Succurre; sææ cladis auctorem indica.
Ruat ira in omnes. hostis est, quisquis mihi
Non monstrat hostem. victor Alcidæ lates?
Procede: seu tu vindicas currus truces
Thracis cruenti; seu tu Geryonis pecus,
Libyæve dominos; nulla pugnandi mora est.
En nudus asto. vel meis armis licet
Petas inermem. cur meos Theseus fugit
Paterq́ vultus? ora cur condunt sua?
Differte fletus. quis meos dederit neci
Omnes simul, profare. quid, genitor, siles?
At tu ede Theseu, sed tuâ Theseu fide.
Vterq́ tacitus ora pudibunda obtegit,
Furtimq́ lachrymas fundit. in tantis malis,
Quid est pudendum? nunquid Argiuæ potens
Dominator vrbis? nunquid infestum Lyci
Pereuntis agmen clade nos tantâ obruit?
Per te meorum facinorum laudem precor
Genitor, tuiq́ nominis semper mihi
Numen secundum; fare quis fudit domum?
Cui præda iacui? AM. *tacita sic abeant mala.*
HE. *Vt inultus ego sim?* AM. *sæpe vindicta obfuit.*
HE. *Quisquámne segnis tanta tolerauit mala?*

AM. *Ma-*

1145 *Feralis.* mortuorum. nam quæcumque ad mortuos vel manes spectabant, vocabantur feralia: quia veteribus mors, dicebatur *Fera*, vt notat Beroald. in Apuleium. vnde ferales cyparissi apud Ouidium: feralia officia, apud Apuleium lib. 1. de asino aureo: epulum ferale Plinio: ligna feralia, apud Minucium in Octauio: reliquiæ ferales, apud Tacitum lib. 2. vrna feralis, apud eundem lib. 3. pestis feralis l. 6. C. de malef. hoc est, mors. Vide Iac. Ræuardum lib. 5. varior. c. 3. Beroald. in Apuleium, & Turneb. lib. 14. aduersar. cap. 12.

1159 *Nati.* Pindarus octo fuisse scribit: Izacius quatuor, Onitem, Therimachum, Democoontem, & Creontidem: Apollodorus Therimachum, Creontiadem, Lamium, & Deicontem: Euripides & Philostratus tres: Higynus duos, Theremachum & Ophyten.

1165 *Actæa.* sic legitur in o. v. l. nō *Attica.* *Actæa*, hoc est, παραθαλασσίδια. vt Fuluius Vrsinus exponit illud poëtæ; —— *Actæo Aracyntho.* ducta voce ab actis, quæ litus significant Ciceroni, Aemilio Probo, Seruio, Prudentio, Ausonio, Paullino, Theocrito εἰδυλ. 13. vide Stephan. in ἀκτὴ, & Cuiacium lib. 8. obseru. cap. 1. Sic Virgilius Aeneid. 5.

At propè in sola secreta Troades acta.

Sic Turpilius comicus, in Demetrio:

In acta cooperta age inoreis ostreas.

acta cooperta, litus fluctibus aut alga, aut alia quapiam re tectum interpretās. Possis etiam hoc loco, cum Marmita, legere *Atthæa.* Atthis est Attica regio; hinc Atthæus; quod mihi non placet, propter insolētem deriuationē. Sanè Maro ab ea voce deduxit Atthias, 4. Georg. Seneca etiam Hippolyt. actu 1. dixit Atthidum. idcirco retineo *Actæa*, quod est explicandum vt suprà explicui; vel, vt dicamus, *Actæa*, hoc est, Attica, quemadmodum Daniel accipit illud nostri poëtæ Hipp. act. 3.

—— *gentis Actæa decus.*

Ab Acte fit Actæus: & quæ regio postea ab Atthide, Granai regis filia, dicta fuit Attica, ea priùs Acte vocabatur. ita Pausan. in Attic. & Plinius lib. 4. cap. 7. vel ab Actæo rege, iuxta Stephanum de vrbibus, vel quia litoralis est maxima ex parte. Solet huc referri versus Ouidij lib. 3. Metamorph.

Separat Ionios Actæis Phocis ab aruis.

Verùm arbitratur Fr. Sanctius, vir eruditissimus, in schol. in siluas Politiani, versum illum emendandum hoc modo:

Separat Ionios Oetæis Phocis ab aruis.

Sed profectò etiam Tyri episcopus, qui ferè ante quadringentos annos vixit, lib. 4. belli sacri capite decimo citat, quemadmodum vulgò legitur: verior tamen est fortassis Sanctij emendatio.

AM. Maiora quisquis timuit. HER. his etiam pater
Quidquam timeri maius aut grauius potest?
AM. Cladis tuæ pars ista, quam nosti, quota est?
HER. Miserere genitor, supplices tendo manus.
Quid hoc? manus refugit. hic errat scelus.
Vnde hic cruor? quid illa puerili madens
Arundo letho, tincta Lernæa nece?
Iam tela video nostra: non quæro manum.
Quæ potuit arcum flectere? aut quæ dextera
Sinuare neruum vix recedentem mihi?
Ad vos reuertor: genitor, hoc nostrum est scelus?
Tacuere. nostrum est. AM. luctus est istic tuus,
Crimen nouercæ: casus hic culpâ caret.
HER. Nunc parte ab omni genitor iratus tona:
Oblite nostri, vindica serâ manu
Saltem nepotes: stelliger mundus sonet,
Flammasq; & hic & ille iaculetur polus.
Rupes ligatum Caspiæ corpus trahant,
Atque ales auida. cur Promethei vacant
Scopuli? paretur vertice immenso feras
Volucresq; pascens Caucasi abruptum latus,
Nudumq; siluis. illa, quæ pontum Scythen
Symplegas arctat, hinc & hinc victas manus
Distendat alto: cumq; reuocatâ vice
In se coibunt, saxaq; in cælum expriment,
Actis vtrinque rupibus, medium mare;
Ego inquieta montium iaceam mora.
Quin structum aceruans nemore congesto aggerē,
Cruore corpus impio sparsum cremem?
Sic sic agendum est, inferis reddam Herculem.
AM. Nondum tumultu pectus attonitum caret,
Mutauit iras: quodq; habet proprium furor,
In seipse sæuit. HER. dira furiarum loca,
Et inferorum carcer, & sonti plaga
Decreta turbæ, & si quod exilium latet
Vlterius Erebo, Cerbero ignotum, & mihi;
Huc me abde tellus: Tartari ad finem vltimum
Mansurus ibo. pectus ô nimium ferum!
Quis vos per omnem liberi sparsos domum
Deflere dignè poterit? hic durus malis
Lachry-

1176 *Tuâ Theseu fide.* id est, bona. Ouidius, in Tristibus:
O mihi Theseâ pectora iuncta fide.
contrà sumitur in Hippolyto, pro mala:
Præstatq; nuptæ quam solet Theseus fidē.
vtrumque rectè. nam fidus amicis, vxoribus infidus fuit.

1184 *Secundum.* à Ioue.

1185 *Tacita sic abeant mala.* Euripides: in Hercule μαινομένῳ, dixit:
τοῦτο ἴσθι τῶν κακῶν· τὰ δ' ἄλλ' ἔα.

1199 *Tacuere. nostrum est.* dici vulgò solet, qui tacet, eum consentire. ideo Sophocles in Trachiniis,
τί σῖγ' ἀφέρπεις; οὐ κάτοισθ' ὁθ' οὕνεκα
ξυνηγορεῖς σιγῶσα τῷ κατηγόρῳ;
Euripides, Oreste:
φησὶ σιωπῶν· δοκέειν δ' ἐγὼ λέγων.
apud eundem Theseus Hippolytum hoc modo coarguit:
τίς τοὺς ἀφώνους μάρτυρας φεύγεις; σαφῶς
τόδ' ἔργον οὐ λέγον σε μηνύει κακόν.
Sic intelligendum illud Marij apud Sallustium de bello Iugurthino: " Cùm omnibus locis me vosq; maledictis lacerent, non placuit reticere, ne quis modestiam in conscientiam duceret. D. Gregorius magnus hom. 18. " Vnum negauit, aliud tacendo consensit. In Catilin. ait Cicero: " Quid exspectas loquentium auctoritatem, quorum voluntatem tacitorum perspicis? Quæ omnia, quia in caussis præiudicium afferentibus dicuntur, iuris nostri dispositioni conueniunt. eo namque cautum est, vt nonnunquam qui contrariæ voluntatis testationem, cùm possit, continuò non interposuit, tacendo consentire videatur. l. si filiusfamilias, D. de senatusconsf. Macedonian. dixi *nonnunquam*, quia licet multi semper id & promiscuè in omni contractu putent obtinere: assentior tamen tradentibus hoc in mutuo tātùm eo casu procedere. quia contractus ille ex patris tātùm scientiâ, etiāsi expressè non consenserit, defenditur; iuxta I. C. traditionem in l. si tamen, D. de S. C. Macedon. quo loco disertè traditur solā patris scientiam sufficere. in aliis contractibus non idem iuris est. in iis enim consensu obligationes fiunt l. cōsensu, D. de action. & oblig. qui verò tacet, non vtique consentit. dicta l. qui tacet. Bar in l. quæ dotis, D. solu. matrimon. Decius, Cagnolus, & alij ad d. l. qui tacet: cuius regulæ potissimas exceptiones enumerat Siluest Aldobrandinus §. sed & si pater, inst. quib. modis ius pat. potest solu.

1200 *Casus hic culpâ caret.* & quia culpa caret, ideo de hoc casu non teneris. l. 26. §. non omnia, D. mandati. l. 24 § hæc stipulatio. D. de damno infecto Fortuiti enim casus nullo humano consilio possunt præuideri l. 2. §. Si eo, D de admin. rerum ad ciuit pertinen. Meritò autem distinxit ca'um à culpa seu peccato: inter quæ quid intersit, docet Aristot. lib. 5. eth. ad Nicom. c. 8. 1218 *Caret.* vel. *carens.*

Lachrymare vultus nescit. huc ensem date,
Date huc sagittas, stipitem huc vastum date.
Tibi tela frangam nostra, tibi nostros puer
Rumpemus arcus, ac tuis stipes grauis
Ardebit vmbris, ipsa Lernæis frequens
Pharetra telis in tuos ibit rogos.
Dent arma pœnas. vos quoque infaustas meis
Cremabo telis, ô nouercales manus.
TH. *Quis nomen vnquam sceleris errori dedit?*
HER. *Sæpe error ingens sceleris obtinuit locum.*
TH. *Nunc Hercule opus est. perfer hanc molẽ mali.*
HER. *Non sic furori cessit extinctus pudor,*
Populos vt omnes impio aspectu fugem.
Arma, arma, Theseu, flagito properè mihi
Subtracta reddi. sana si mens est mihi,
Referte manibus tela: si remanet furor,
Pater recede. mortis inueniam viam.
AM. *Per sancta generis sacra, per ius nominis*
Vtrunque nostri; siue me altorem vocas,
Seu tu parentem; perq́; venerandos piis
Canos; senectæ parce desertæ precor,
Annisq́; fessis. vnicum lapsæ domus
Firmamen, vnum lumen afflicto malis
Temet reserua. nullus ex te contigit
Fructus laborum. semper aut dubium mare,
Aut monstra timui. quisquis in toto furit
Rex sæuus orbe, manibus aut aris nocens,
A me timetur. semper absentis pater
Fructum tui, tactumq́; & aspectum peto.
HER. *Cur animam in ista luce detineam amplius,*
Morerq́; nihil est. cuncta iam amisi bona;
Mentem, arma, famam, coniugem, natos, manus,
Etiam furorem. nemo polluto queat
Animo mederi: morte sanandum est scelus.
TH. *Perimes parentẽ?* HE. *facere ne possim, occidã.*
TH. *Genitore corã.* HE. *cernere hunc docui nefas.*
AM. *Memoranda potius omnibus facta intuens,*
Vnius à te criminis veniam pete.
HER. *Veniam dabit sibi ipse, qui nulli dedit?*
Laudanda feci iussus. hoc vnum, meum est.
Succurre genitor, siue te pietas mouet,
Seu triste fatum, siue violatæ decus
Virtutis; effer arma, vincatur meâ
Fortuna dextrâ. TH. *sunt quidem patriæ preces*

1236 *Errori.* meritò errorem à scelere distinguit. aliud est enim culpa, aliud erratum. Cicero pro Ligario, statim in principio, Cùm „ à te non solùm liberationem culpæ, sed errati „ veniã impetrassent. Seneca in Herc. Oetæo:

Haut est nocens, quicunque non sponte est nocens.

Thucydides lib. 3. ἄκοντες μὲν γὰρ οὐκ ἔβλαψαν, εἰδότες δὲ ἐπιβούλευσαν. ξύγγνωμον δ' ἐστὶ τὸ ἀκούσιον. Vide quæ dixi suprà nu. 1096 Sed qui errat, non est spontè nocens. errantis enim nulla voluntas est l. 20. D. de aqu. & aqu. plu. arc. neque consentiunt qui errant. l. 15. D. de iurisdict. omn. iud. l. 2. D. de iud. ideo erranti ignoscendum est, Quò spectat illud Ouidij:

— quod enim scelus error habebat?

1238 *Nunc Hercule opus est.* eâ opus est animi constantiâ & fortitudine, quâ hactenus vsus fuisti. Sic Euripidis Amphitryo, in μαινομένῳ Hercule:

ἄγαν γ' ὁ κλεινὸς Ἡρακλῆς, ποῦ κεῖνος ὤν;

noster infrà; *Herculem irasci veta.* hoc est, teipsum vince, & iram tuã compesce: quę victoria est longè pulcherrima. P. Syrus:

Iracundiam qui vincit, hostem vincit maximum.

Idem: *Bis vincit, qui se vincit.*

1240 *Impio aspectu fugem.* similiter in Agamemn. actu 1.

Fugio Thyestes inferos, superos fugo.

1242 *Reddi.* redde, est in membranis.

1245 *Generis sacra.* gentilitia sacra intelligit: quorum mentio apud Liuium lib. 5. quæ gentilibus erant communia. Gentiles verò dicuntur, qui ex eodem genere orti sunt, vt Sex. Pompeius scribit. & qui simili nomine appellantur, vt ait Cincius, gentiles mihi sunt. Quo sensu, secundùm quosdam, Cicero Seruium Tullium regem gentilem suum appellauit, cùm interim ab eo genus nõ traheret. vide Paul. Manutium ad 1. epist. famil. Ciceron.

1246 *Vtrumque.* patris & altoris.

1253 *Monstra.* quidam manusc. continent, *Aut terram.*

1257 *Cur animam.* Euripides:

τί δῆτα φείδομαι ψυχῆς ἐμῆς;

1261 *Morte sanandũ est scelus.* tradit Phalaris (si ipse auctor) in epist. ad Alcibonum, neminem animi morbo, qualis est insania, aliter quàm morte mederi posse.

1262 TH. *Perimes parentem?* HER. *facere ne possim, occidam. Genitore coram.* TH. *cernere hunc docui nefas.* AM. *Memoranda potius.* ita hæc leguntur in Lipsicâ editione, tãnè ineptissimè. nos aliter cum quibusdã m. s. & (nisi fallor) optimè, legimus hoc modo:

Satis efficaces, sed tamen nostro quoque
Moueare fletu. surge, & aduersa impetu
Perfringe solito: nunc tuum nulli imparem
Animum malo resume: nunc magnâ tibi
Virtute agendum est: Herculem irasci veta.
HER. *Si viuo, feci scelera: si morior, tuli.*
Purgare terras propero: iamdudum mihi
Monstrum impium, sæuumq́, & immite, ac ferum
Oberrat: agedum dextra, conare aggredi
Ingens opus, labore bisseno amplius.
Ignaue cessas? fortis in pueros modò,
Pauidamq́ matrem? arma nisi dentur mihi:
Aut omne Pindi Thracis exscindam nemus,
Bacchiq́ lucos, & Cithæronis iuga
Mecum cremabo; tota, cum domibus suis
Dominisq́, tecta; cum deis, templa omnibus
Thebana, supra corpus excipiam meum,
Atque vrbe versâ condar: &, si fortibus
Leue pondus humeris mœnia immissa incident,
Septemq́ opertus non satis portis premar:
Onus omne media parte qua mundus sedet,
Dirimitq́ superos, in meum vertam caput.
Redde arma. AM. *vox est digna genitore Herculis.*
Hoc en peremtus spiculo cecidit puer:
Hoc Iuno telum manibus emisit tuis:
Hoc nunc ego vtar. THE. *ecce quàm miserum metu*
Cor palpitat, corpusq́ sollicitum ferit.
Aptata arundo est: ecce iam facies scelus
Volens sciensq́: pande, quid fieri iubes?
HER. *Nihil rogamus, noster in tuto est dolor.*
AM. *Natum potes seruare tu solus mihi*
Theseu, ipse necdum maximum euasi metum.
Miserum haud potes me facere, felicem potes.
Sic statue, quicquid statuis, vt causam tuam,
Famamq́ in arcto stare & ancipiti scias.
Aut viuis, aut occidis. hanc animam leuem,
Fessamq́ senio, nec minùs quassam malis
In ore primo teneo. tam tardè patri
Vitam dat aliquis? non feram vlteriùs moram,
Lethale ferrum pectori impressum induam,
Hic hic iacebit Herculis sani scelus.
HER. *Iam parce genitor, parce, iam reuoca manũ:*
Succumbe virtus, perfer imperium patris.
Eat ad labores hic quoque Herculeos labor.

1277 *Si viuo, feci.* quia viuendo viderer ea, quæ furore cogente feci, scelera rata habere & confirmare.

Si morior, tuli. tunc apparebit me in scelera illa non consensisse, propter quæ à me ipso pœnas exegerim.

Tuli. hoc est, à furore illata pertuli.

1290 *Incident.* quidam v. l. habent, *excidens.* fortè elegantiùs.

1296 *Hoc Iuno telum manibus emisit tuis.* homicidæ solebant excusationis loco adferre telum non à se emissum, sed vel effugisse manus, vel ab alio emissum fuisse. posterioris exemplum hic apud Senecam, prioris habes apud Euripidem, in Oreste:

—— παρηΐδα τ' ἐξ ἐμῶν
ἐκρεμνᾶσθ', ὥστε χέρας ἐμὰς λαχεῖν βέλος.

1307 *Aut occidis.* si non viuis, me occidis, causam mortis præbendo.

1309 *In ore primo teneo.* ita apud Laërtium & Gellium. Plato; de Agathone

τὴν ψυχὴν ἀγάθωνα φιλῶν ἐπὶ χείλεσιν ἔσχον.
ἦλθε γὰρ ἡ τλήμων ὡς διαβησομένη.

Lucilius Satyr. 20. vt ego apud Nonium lego, in Priores;

Eduxiq́ ollis animam in primoribu' labris.

& sequenti fragmento reponendum; *animã in labris primoribus vix pertuli.* Seneca epist. 30. Senilis anima in primis labris esset. & incertus poëta apud Gellium & Macrob.

Anima tunc ægra & saucia
Cucurrit ad labias mihi
Orisq́ rictu peruium
Et labra pueri mollia,
Rimata itineri transitus
Vbi transiret nititur.

Viuamus. artus alleua afflictos solo
Theseu parentis. dextra contactus pios
Scelerata refugit. AM. *hanc manum amplector libens;*
Hac nixus ibo; pectori hanc ego admouens
Pellam dolores. HER. *quem locũ profugus petam?*
Vbi me recondam? quáve tellure obruam?
Quis Tanais, aut quis Nilus, aut quis Persicâ
Violentus vndâ Tigris, aut Rhenus ferox,
Tagúsve Iberâ turbidus gaza fluens,
Abluere dextram poterit? Arctoum licet
Mæotis in me gelida transfundat mare;
Et tota Tethys per meas currat manus;
Hærebit altum facinus. in quas impius
Terras recedes? ortum, an occasum petes?
Vbique notus, perdidi exilio locum.
Me refugit orbis, astra transuersos agunt
Obliqua cursus, ipse Titan Cerberum
Meliore vultu vidit. ô fidum caput
Theseu; latebram quære longinquam, abditam.
Quicunque semper sceleris alieni arbiter
Amas nocentes, gratiam meritis refer,
Vicemq́; nostris. redde me infernis precor
Vmbris reductum, meq́; subiectum tuis
Restitue vinclis. ille me abscondet locus,
Sed & ille nouit. THE. *nostra te tellus manet:*
Illic solutam cæde Gradiuus manum
Restituit armis. illa te, Alcide, vocat,
Facere innocentes terra quæ superos solet.

1318 *Hanc manum.* Herculis.

1327 *Tota Tethys.* Catullus, in Gellium: *Suscipit, ô Gelli, quantum non vltima Tethys,*
Non genitor Nympharũ abluat Oceanus.

1336 *Amas nocentes.* hoc dicit, quia Theseus amauerat Pirithoum, atque eum iuuerat in rapienda Proserpina; nunc se liberos necantem, & summum furentem furorem non deseruerat.

1339 *Restitue vinclis.* redde me catenis quibus te apud inferos vinctum exemi.

1342 *Illa te, &c.* Euripides in Herc. fur.
Θήβας μὲν οὖν ἔκλειπε, τοῦ νόμου χάριν·
ἕπου δ' ἅμ' ἡμῖν πρὸς πόλισμα Παλλάδος.
ἐκεῖ χέρας σὰς ἁγνίσας μιάσματος, &c.

1343 *Quæ superos.* Mars enim in Areopago, de Halirrothij Neptuni F. cæde causam dixit, & absolutus fuit omnium deorum sententiis. quia vim vi repulisset. quod vtique gentium iure permittitur. l. 1. §. vim vi, D. de vi & vi arma. l. sed & partus. §. quæri poterit, D. quod met. cau. &c. l. vt vim, D. de iust. & iur. l. scientiam, §. qui cum, D. ad leg. Aquil. l. 3. D. vnde vi, & de vi arma.

L. ANN.

L. ANN. SENECÆ Hercules OEtæus.

TRAGOEDIA VI.

PERSONÆ.

Hercules. Chorus mulierum.
Iole. Nutrix.
Hyllus. Alcmena.
Philoctetes. Deianira.

ACTVS PRIMVS.

HERCVLES.



ATOR deorum; cuius excussum manu
Vtraq; Phœbi sentiunt fulmen domus;
Secure regna: protuli pacem tibi,
Quacunque Nereus porrigi terras vetat.
Non est tonandum. perfidi reges iacent,
Saui tyranni: fregimus, quicquid fuit
Tibi fulminandum. sed mihi cælum parens
Adhuc negatur. parui certè, Ioue
Vbique dignus: teq; testata est meum
Patrem nouerca. quid tamen nectis moras?
Nunquid timemur? nunquid impositum sibi
Non poterit Atlas ferre cum cælo Herculem?
Quid astra genitor, quid negas? mors me tibi
Certè remisit. omne concessit malum,
Quod terra genuit, pontus, aër, inferi.
Nullus per vrbes errat Arcadias leo,
Stymphalis icta est, Mænali nulla est fera.
Sparsit peremtus aureum serpens nemus,
Et Hydra vires posuit, & notos Hebro
Cruore pingues hospitum fudi greges,
Hostisq; traxi spolia Thermodontiæ.
Vidi regentem fata, nec tantùm redij;
Sed trepidus atrum Cerberum vidit dies,
Et ille solem. nullus Antæus Libys
Animam resumit. cecidit ante aras suas
Busiris. vnâ est Geryon sparsus manu,
Taurusq; populis horridus centum pauor.

Quod-

IN HERCVLEM OETAEVM ADVERSARIA.

Hercules OEtæus. licet noster hac tragœdia eam Sophoclis, quæ τραχίνιαι inscribitur, imitatus fuerit: inscriptionem tamen ab Euripide maluit accipere. quia illa Sophoclea reprehensione non vacat, si Scaligero patri lib. 3. de arte poët. cap. 97. credimus. Porrò ex hac Senecæ tragœdia Martiranus Coriolanus multa in tragœdiam suam, Christum transtulit.

1 *Vtraque Phœbi sentiunt fulmen domus.* id est, oriens & occidẽs. Sic Ouid. 1. Metam.
Litera voce replet sub vtroque iacentia Phœbo.
& in epistolis:
Implesti meritis solis vtramque domum.

16 *Leo.* hic fuit primus labor Herculis. Hilasius:
Oppressit Nemeæ primùm virtute leonem.

17 *Stymphalis.* quinctus labor. Euphorbus:
Deiicit horrisono quincto Stymphalidas arcu.
Mænali. Eustenius:
Tertius, enectus sus est Erymanthius ingens.

18 *Serpens* custos Hesperidum. Vitalis:
Postremò Hesperidum victor tulit aurea mala.
Fuit ergo hic labor duodecimus.

19 *Hydra.* Secundus labor. Maximian.
Exstincta est anguis quæ pullulat hydra secundo.

20 *Fudi.* quotquot vidi antiq. cod. non *fudi*, habent, sed *fregi*.
Greges. Diomedis equos. Vomanus:
Tũ Diomedis equos nono, cũ rege, peremit.

21 *Hostisq; traxi spolia Thermodontia.* Hippolytes Amazonum reginæ. Pompeian.
Abstulit Hippolyta sexto sua cingula victa.

23 *Cerberum.* Almenus:
Vndecimo extractus vidit noua Cerberus astra.
Atrum Cerberum. sic alibi dixit:
Atrum per vrbes traxit Argolicas canẽ.

24 *Antæus.* cur Antæus iste terræ filius sit dictus, à Procopio, lib. 4. de bello Vandalico, traditum memini: scilicet, quia Tingitani, quorum Rex Antęus, se veros Africæ indigenas gloriabantur.

26 *Geryon.* Palladius:
Geryonẽ decimo triplici cum corpore vicit.

27 *Taurusq;.* Iulianus:
Octauo domuit magno luctamine taurum,

Populis horridus centum pauor. iratus Neptunus taurum Cretensibus immiserat: quia Minos, eius beneficio latè mari imperans, nihilo quàm ceteris diis maiorem sibi honorem habuisset. cum taurum ab Hercule in Creta occisum Claudianus testatur: alij in Peloponneso necatum volunt. fortè quia, vt constat, è Creta in Peloponnesum traiecit. Pausanias, in Atticis: καὶ τοῦτον οἱ Κρῆτες τὸν ταῦρον ἐς γῆν πέμψαι σφίσι Ποσειδῶνα φασίν, ὅτι θαλάσσης ἄρχων Μίνως τῆς Ἑλληνικῆς, οὐδένα Ποσειδῶνα ἦγεν ἄλλου θεοῦ μᾶλλον ἐν τιμῇ· κομισθῆναι μὲν δὴ τὸν ταῦρον τοῦτον φασὶν ἐς Πελοπόννησον ἐκ Κρήτης, καὶ Ἡρακλεῖ τῶν δώδεκα καλουμένων ἕνα καὶ τοῦτον γενέσθαι τὸν ἆθλον. non est igitur facilè iudicare, de Creta an Peloponneso loquatur Seneca: cùm vtraque centum vrbes habuerit.

46 *Terra defecit gradum.* hæc omnium omnino librorum lectio est: quidam tamen

ἔτι μουσῶν ἔτι χαρίτων ἐπιδεὴς ἀνὴρ

ex coniectura reposuit; *terra deseruit gradū.* quia dehiscens tellus viam Herculi ad inferos, & ab inferis rursus ad superos præbuit. Sed huic emendationi non priùs assentiendum, quàm libri alicuius scripti auctoritate, aut firmioribus rationum momentis astruatur. fortè legendum; *terra defecit gradu.* Sic deficere facultatibus, conditione, & similia apud probos scriptores inuenias: & eadē erit sententia, quæ futura esset, si, *deseruit gradum*, legeremus.

51 *Prosequor?* *persequor*, est in nonnullis autographis.

56 *Quanta nunc fregi mala.* hoc mihi est suspectum an scripsit Seneca? *quanta confregi mala.*

69 *Annum fugata tradit Astrea leo.* fugatæ ab hominum impietate & iniustitia, vt aliàs dixi. Obseruabis quàm peritè hęc signa à poëta suo quæque ordine collocentur. ante virginem leo, ante leonē cancer de quibus & ceteris Zodiaci signis Q. Cicero ita scripsit:

Flumina verna cient obscuro lumine pisces:
Curriculumq; aries *aquat noctisq; diesq;*:
Cornua quē comunt, florū prænuncia tauri:
Aridaq; æstatis gemini *primordia pandūt*:
Longaq; iā minuit præclarus lumina cācer:
Languificusq; leo *proflat ferus ore calores*:
Post modicum quatiens virgo *fugat orta vaporem*:
Auctumni reserat portas, æquatq; diurna
Tempora nocturnis, dispenso sidere, libra:
Et fœtos ramos denudat flamma nepai:
Pigra sagittipotens *iaculatur frigora terris*:
Bruma gelu glaciās iuba respirat capriconi:
Quam sequitur nebulas rorans liquor altus aquarij;
Tanta super circaq; vigēt vbi flumina, &c.

Quodcunque tellus genuit infestum, occidit,
Meaq; fusum est dexterâ. iratis deis
Non licuit esse. si negat mundus feras,
Animum nouerca: redde nunc gnato patrem,
Vel astra forti. nec peto, vt monstres iter:
Permitte tantùm, genitor, inueniam viam.
Vel si times, ne terra concipiat feras:
Properet malum quodcunq;, dum terra Herculem
Habet, videtq;. nam quis inuideat mala?
Aut quis per vrbes rursus Argolicas erit
Iunonis odio dignus? in tutum meas
Laudes recepi. nulla me tellus silet.
Me sensit Vrsæ frigidum Scythicæ genus,
Indusq; Phœbo subditus, Cancro Libys.
Te clare Titan testor, occurri tibi
Quacunque fulges: nec meos lux prosequi
Potuit triumphos: solis excessi vices,
Infraq; nostras substitit metas dies.
Natura cessit. terra defecit gradum.
Laxata per me nox, & extremum chaos
In me cucurrit: inde ad hunc orbem redij,
Vnde retro nemo. tulimus Oceani minas:
Nec vlla valuit quatere tempestas ratem,
Quacunq; pressi. pars quota est, quam prosequor?
Iam vacuus æther non potest odio tuæ
Sufficere nuptæ: quasq; deuincam feras
Tellus timet concipere, nec monstra inuenit.
Feræ negantur: Hercules monstri loco
Iam cœpit esse. quanta nunc fregi mala,
Quot scelera nudus? quicquid immane obstitit,
Solæ manus strauere: nec iuuenis feras
Timui, nec infans: quicquid est iussum, leue est.
Nec vlla nobis segnis illuxit dies.
O quanta fudi monstra, quæ nullus mihi
Rex imperauit! institit virtus mihi,
Iunone peior. sed quid impauidum genus
Fecisse prodest? non habent pacem dei.
Purgata tellus omnis, in cælo videt
Quodcunque timuit. transtulit Iuno feras.
Ambit peremtus Cancer ardentem plagam,
Libyæq; sidus fertur, & messes alit.
Annum fugatæ tradit Astreæ Leo:
At ille iactans feruidam cælo iubam
Austrum madentem siccat, & nimbos trahit.

Inuasit omnis ecce iam cælum fera,
Meq́ antecessit. victor è terris meos
Specto labores. astra portentis priùs
Ferisq́ Iuno tribuit: vt cælum mihi
Faciat timendum. sparserit mundum licet;
Cælumq́ terris peius ac peius Styge
Irata faciat; dabitur Alcidæ locus.
Si post feras, post bella, post Stygium canem
Nondum astra merui; Siculus Hesperium latus
Tangat Pelorus, vna iam tellus erit,
Illinc fugabo maria: si iungi iubes;
Committat vndas Isthmos, & iuncto salo
Nouâ ferantur Atticæ puppes viâ:
Mutetur orbis: vallibus currat nouis
Ister, nouasq́ Tanais accipiat vias.
Da da tuendos Iuppiter saltem deos.
Illâ licebit fulmen à parte auferas,
Ego quam tuebor. siue glacialem polum,
Seu me tueri feruidam partem iubes;
Hac esse superos parte securos puta.
Cirrhæa Pæan templa, & ætheriam domum
Serpente cæso meruit: at quoties iacet
Python in Hydra? Bacchus & Perseus deis
Iam se intulere: sed quota est mundi plaga
Oriens subactus? aut quota est Gorgon fera?
Quis astra gnatus laudibus meruit suis
Ex te, & nouerca? quem tuli, mundum peto.
Sed tu comes laboris Herculei Lycha
Præfer triumphos, Euryti victos lares,
Stratumq́ regnum. vos pecus rapite ocyus,
Quà templa tollens ara Cenæi Iouis
Austro timendum spectat Euboicum mare.

CHORVS. IOLE.

Choriambici & Anapæstici.

Par ille est superis, cui pariter dies
Et fortuna fuit: mortis habet vices,
Lentè cùm trahitur vita gementibus,
Quisquis sub pedibus fata rapaciá,
Et puppem posuit luminis vltimi,
Non captiua dabit brachia vinculis,
Nec pompæ veniet nobile ferculum:
Nunqnam est ille miser, cui facile est mori.
Illum si medio decipiat ratis

80 *Siculus.* loci istius hæc esse debet sententia. Si post tot exanciatos labores nondum merui vt in cælum transferar, maius opus aggrediar. Siciliam Italiæ, fugato quod interiacet freto, cõiungam: quemadmodum olim coniuncta fuit, cùm vna continens erat. ita tamen si hoc tibi, genitor, videbitur. Si verò non terras coniungi, sed maria confundi & commisceri iubes, Isthmum Corinthiũ perfodiam. quare versus hos sic olim recensebã:

Si post feras post bella, post Stygium canẽ
Nondũ astra merui. Siculus Hesperiũ lat'
Tangat Pelorus; vt vnà cùm tellus erat;
Illinc fugabo maria. Si iungi iubes;
Committat vndas, &c.

Dixit; *vt vna cùm tellus erat.* Sallust. in histor. citante Isidoro lib. 14. etymolog. cap. 7. Italiæ olim, inquit, Siciliam coniunctã fuisse; &, cùm esset vna tellus, medium spacium aut per humilitatem abruptum est aquis, aut per angustiam scissum, & inde Rhegium nominatum, quia Græcè abruptum hoc nomine nuncupatur. idem Strabo li. 4. & magnus Cassiodorus lib. 1 2. variar. Virgil. Aen. 3. Lucan. lib. 1. docuerunt. Seneca videtur à Sallustio hoc sumsisse. Dixit; *si iungi.* non quidem Siciliam cum Italia; sed maria, quæ dixerat sese fugaturum. dixerat autem se fugaturum mare quod inter Siciliam & Italiam iacet: nunc verò se dicit Aegeum & Ionium, perfosso Isthmo, qui illa dispescit, confusurum.

102 *Cenæi Iouis* Sophocles in Trachiniis:

ἀκτή τις ἐς' Εὐβοΐς, ἔνθ' ὁρίζεται
βωμοὺς, τελεῖτ' ἔγκαρπα Κηναίῳ Διΐ.

Aeschylus ἐν τῷ Ποντίῳ γλαύκῳ,

Εὐβοΐδα καμπτὴν ἀμφὶ Κηναίου Διὸς ἀκτὴν
κατ' αὐτὸν τύμβον ἀθλίου Λίχα.

Igitur scribe; *Cenæi Iouis.* cum Strabone & Ptolomæo. nam Stephanus hic mendosus videtur.

103 *Astro.* Arcturo, qui Euboico mari dominatur; de quo Virgilius Aeneid. 2.

—— scit triste Minerua
Sidus & Euboicæ cautes, vltorq́ Caphareus.

110 *Nobile ferculũ.* non ducetur in triumpho. ferculum, inquit Placiades, est missus carnium. Sed hoc loco ponitur pro instrumento, quo spolia suspendebantur, vt Liuius vsurpauit lib. 1. his verbis: Inde exercitu victore reducto, ipse cùm factis vir magnificus, tum factorum ostentator haut minor, spolia, ducis hostium cæsi suspensa, fabricato ad id aptè ferculo, gerens in Capitolium, &c. Nec enim audiendus est Nicol. Perrottus, in verbo Feretrius Iuppiter, qui apud Liuium non *ferculo*, sed *feretro* legendum existimat; & errat Oliuerius Arziganensis, in commen-

tariis in Valerium Maximum, in hanc sententiam inclinans. Asconius Pedianus, Ferculis, inquit, signa ante triumphantem vehi per pompam solebant.

114 *Mare diuidunt.* venti victores, Eurus & Africus.

125 *Gelidus Dolops.* Nam Dolopes ad Pindum in extrema Phthia habitant.

134 *Ieiuna soli iugera Thessali* vnus m.s. liber habet: *ieiuna Pholi, &c.* vt de Pholoe monte locutus fuerit.

142 *Quæ cautes Scythiæ.*

—— duris genuit te Caucasus horrens
Cautibus —— ait Virgilius.

Idem:

—— duris in cautibus illum
Ismarus aut Rhodope aut extremi Garamantes:

Quis genuit lapis? Aeschylus, in Prometheo vincto:

σιδηρόφρων κἀκ πέτρας εἰργασμένος.

idem loquendi genus Homer. vsurpat Il. π'.

144 *Te fera Caspia.* tigris. Virgilius:

—— Hyrcanæq; admorunt vbera tigres.

Ouid 7. Metamorph.

—— tum me de tigride natam.

145 *Virgata.* maculis dispersa. sic alibi:

Virgatas India tigres ——

151 *Sensit.* m.s. *sentit.* rectè. vt sequentibus conueniat.

156 *Poterunt.* lege ex v.l. *poterant.*

167 *Tumidus Gyges.* in omnibus apographis legitur *Gygas.* vnde possit videri legendum *Gyas*, sicut apud Horatium Muretus & Lambinus reposuerũt ex Apollodori bibliotheca. retineo tamen *Gyges*, quam vocẽ Hesiodus, Apollonij Scholiastes, Higynus Capitolinus, & Priscianus agnoscunt. Ouidius quoque cecinit:

Centimanum Gygen, semibouemq; virum.

Idem 2. Amorum:

Ausus eram memini cælestia dicere bella,
Centimanũq; Gygen, & satis oris erat.

Fastor lib. 5.

Quid grauiùs victore Gyge captiua tulissem?

vnde apparet inane esse quod Dion. Lambino ad od. 17 lib. 2. carm. Horatij scrupulum iniecit. patet namque idem quod in aliis nominibus propriis vsuuenire solet, in hoc nomine quoque verisimiliter cõtingere; vt *Gyges* priorem syllabam modò corripiat, modò producat. Quare non video cur in Horatij odis tantopere *Gyas* pro *Gyges* iuuet reponere. potuit faciliùs vnius Apollodori liber vitiari: quàm omnia Hesiodi, Apollonij Scholiastæ, Ouidij, Higyni Capitolini, & Prisciani exemplaria. Præterea carminis conditio

Ponto, cùm borean expulit africus,
Aut eurus zephyrum, cùm mare diuidunt,
Non puppis laceræ fragmina colligit,
Vt litus medio speret in æquore.
Vitam qui poterit reddere protinus,
Solus naufragium non poterit pati.
Nos turpis macies, & lachrymæ tenent,
Et crinis patrio puluere sordidus.
Nos non flamma rapax, non fragor obruit.
Felices sequeris mors, miseros fugis.
Stamus. nec patriæ mœnibus (heu) locus
Et siluis dabitur, lapsaq; sordidæ
Fient templa casæ: iam gelidus Dolops
Hâc ducet pecudes, quâ tepet obrutus
Stratæ qui superest Oechaliæ cinis:
Illo Thessalicus pastor in opido
Indoctâ referens carmina fistulâ,
Cantu nostra canet tempora flebili.
Et dum pauca Deus sæcula contrahit,
Quæretur patriæ quis fuerit locus.
Felix, incolui non steriles locos,
Nec ieiuna soli iugera Thessali:
Ad Trachyna vocor, saxa rigentia,
Et dumeta iugis horrida torridis,
Vix gratum pecori montiuago nemus.
At si quas melior sors famulas vocat;
Illas, aut volucer transferet Inachus,
Aut Dircea colent mœnia; quâ fluit
Ismenus tenui flumine languidus:
Hic mater tumidi nupserat Herculis.
Quæ cautes Scythiæ, quis genuit lapis?
Num Titana ferunt? te Rhodope tulit,
Te præruptus Athos, te fera Caspia,
Quæ virgata tibi præbuit vbera.
Falsa est de geminis fabula noctibus,
Æther cùm tenuit sidera longiùs,
Commisitq; vices Lucifer Hespero,
Et soles vetuit Delia tardior.
Nullis vulneribus peruia membra sunt:
Ferrum sentit hebes, lentior est chalybs,
In nudo gladius corpore frangitur,
Et saxum resilit, fataq; negligit,
Et mortem indomito corpore prouocat.
Non illum poterant figere cuspides,

Non

Non arcus Scythicâ tensus arundine,
Non quæ tela gerit Sarmata frigidus,
Aut; qui soliferæ suppositus plagæ
Vicino Nabathæ vulnera dirigit;
Parthus Cnoßiacis certior ictibus.
Muros OEchaliæ corpore propulit.
Nil obstare valet: vincere quod parat,
Iam victum est. quota pars vulnere concidit?
Pro fato potuit vultus iniquior,
Et vidisse sat est Herculeas minas.
Qui vastus Briareus, qui tumidus Gyges
Supra Thessalicos constitit aggeres,
Vt cælo insereret vipereas manus;
Hoc vultu riguit. commoda cladibus
Magnis magna patent. nil superest mali,
Iratum misere vidimus Herculem.
IOL. *At ego infelix non templa suis*
Collapsa deis, sparsósve focos,
Natis mistos arsisse patres,
Hominíq; deos, templa sepulchris:
Nullum querimur commune malum.
Aliò nostras fortuna vocat
Lachrymas: alias flere ruinas
Mea fata iubent. quæ prima querar?
Quæ summa gemam? pariter cuncta
Deflere iuuat: nec plura dedit
Pectora tellus. vt digna sonent
Verbera planctu: me vel Sipyli
Flebile saxum figite superi,
Vel in Eridani ponite ripis;
Vbi mœsta sonat Phaëtontiadum
Turba sororum: me vel Siculis
Addite saxis; vbi fata gemit
Thessala Siren: vel in Edonas
Tollite siluas: qualis natum
Daulias ales solet Ismariâ
Flere sub vmbrâ, formam lachrymis
Aptate meis, resonetq; malis
Aspera Trachyn. Cyprias lachrymas
Myrrha tuetur: raptum coniux
Ceyca gemit: sibi Tantalis est
Facta superstes: fugit vultus
Philomela suos, natumq; sonat
Flebilis Itym: cur mea nondum

non minùs vnum quàm alterum recipit. Quinetiam nec ipsi dissimulant in multis autographis *Gyges* cõtineri. Sanè quod nonnulla exemplaria *Gygas* habeant, quid ad rẽ? cur *Gygas* potiùs ex *Gyas* sit deprauatum, quàm ex *Gyges*? imò illuc magis crediderim. facit hic Senecæ locus, in quo eadem ratione pro *Gyges* scriptũ fuit mendosè *gygas*.

173 *Templa suis Collapsa Deis* item, *templa sepulcris*. hæc duo ex cũctis miseriis quæ in vrbium expugnationibus perferũtur, miserrima veteres existimarunt. vnde eleganter Cornificius lib. 4. ad Heren. O feros animos! ô crudeles cogitationes! ô derelictos ab humanitate homines! qui agere ausi sunt, aut qui cogitare potuerunt, quo pacto hostes reuulsis maiorum sepulcris, deiectis mœnibus ouantes irruerent in ciuitatẽ, quomodo Deorum templis spoliatis, optimatibus trucidatis, aliis abreptis in seruitutem, virginibus, matribusfamilias, ingenuis pueris sub hostilem libidinẽ subiectis, vrbs acerbissimo concidat incendio conflagrata.

184 *Sipyli.* me adinstar Niobes in saxum Dij mutent, & in Sipylo statuant. caue scribas *Sypilus.* Aeschylus ἐν τῇ Νιόβῃ,

Σίπυλον Ἰδαίαν ἀνὰ χθόνα.

id confirmant Strabo lib. 1. Pausanias in Atticis, Stephanus de vrbibus, & Plutarchus in lib. de fluuiis. quod autem in quibusdam libris legitur *Sisyphi*, non placet, quia Sisiphi lapis non est flebilis: infrà autem dicitur,

Flebile saxum.

Niobes autem statua:

Liquitur, & lachrymis etiamnunc marmora manant.

vt testantur Ouidius, Pausanias, & Q. Smyrnæus lib. 1.

190 *Thessala Siren.* Thessalam dicit. vel quia Sirenes Acheloi filiæ sunt, Nonnus in Dionysiacis; vel quia opera earum veneficiis erant non absimilia; Thessali autem veneficiis quondam nobilissimi exstiterunt, vt docent Aristoph. in Nubibus, & ibi Scholiastes; Plinius lib. 30. Apuleius de asino aureo lib. 1. & 2. vnde venefici Thessali sunt appellati, Horat. lib. 1. odar. Plautus in Amphitruone.

192 *Daulias.* C. Albinouanus, in eleg. de morte Neronis ad Liuiam:

Talis in vmbrosis mitis nunc deniq; siluis
Deflet Threicium Daulias ales Ityn.

199 *Philomela.* non est hic mulieris nomen proprium, nam omnes consentiunt, Procnen non Philomelam Ityli matrẽ fuisse: sed est nomen auis, quam lusciniam vocamus; in quam Procnen fuisse conuersam plerique scriptores tenuerunt, vt à Iacobo Crucio, in annotation. Virgilianis; Pierio lib. 22.

Cadunt

Hieroglyphic. Petro Victorio, in comment. Rhetoric. Aristotelis; & Fuluio Vrsino, in collationibus Virgilianis, fuit obseruatum: ego tamen plures (ni fallor) scriptorum locos subieci, quam illi collegerũt. Hom. Odyss. τ'.

> ὡς δ' ὅτε Πανδαρέου κούρη χλωρηῒς ἀηδὼν
> καλὸν ἀείδῃσιν ἔαρος νέον ἱσταμένοιο
> δενδρέων ἐν πετάλοισι καθεζομένη πυκινοῖσιν,
> ἥ τε θαμὰ τρωπῶσα χέει πολυηχέα φωνὴν,
> παῖδ' ὀλοφυρομένη Ἴτυλον φίλον.

Virgilius:

> *Quas illi Philomela dapes, quæ dona pararit,*
> *Quo cursu deserta petiuerit, & quibus ante*
> *Infelix sua tecta superuolitauerit alis.*

Tzetzes Chiliad. 7. histor. 142.

> —— οἱ δὲ θεοὶ ἐκείνας
> εἰς ὄρνεις μεταβάλλουσι. Πρόκνην εἰς ἀηδόνα,
> τὴν Φιλομήλαν ἤμειψαν πάλιν εἰς χελιδόνα.

Aristophanis Scholiastes: Πρόκνη εἰς ἀηδόνα, ἡ δὲ Φιλομήλα εἰς χελιδόνα μεταβληθεῖσα. quibus consentit Gabrias in fabulis, dicens Ityn filiũ Lusciniæ, & Probus ac Seruius ad 15 carmen lib. 4. Georg. & noster poëta his verbis: —— *qualis natum*

> *Daulias ales solet Ismaria*
> *Flere sub vmbra;*

quæ, vt dixi, imitatione Albinouani sunt scripta.

200 *Flebilis Itym.* Horatius lib. 4. carm.

> *Nidum ponit Itym flebiliter gemens*
> *Infelix auis.*

206 *Turba loquetur.* egregiè duo lib. vet. *Fama loquetur.* Catullus:

> —— *nam te omnia secla*
> *Noscent, & qui sis fama loquetur anus.*

" *Vidi, vidi,* Higynus, siue Hyginus, siue
" Hygenus, in fabulis, Hercules, inquit, cùm
" Iolem Euryti filiam in coniugium petiisset,
" illeque eum repudiasset, Oechaliam expu-
" gnauit: qui, vt à virgine rogaretur, (*sic emen-*
" *do*) parentes eius coram ea interficere velle
" cœpit; illa animo pertinacior, parentes suos ante se necari est perpessa.

213 *Vestite.* barbate. nã barba vestis dicitur. inde, teste Seruio, inberbes dicuntur inuestes.

219 *Sæpe dolor.* in multis v. l. continetur; *saue dolor.* in aliis; *sæpè.* hoc est, quoties iussa perferre cogar.

220 *Formaq; mortem paritura mihi.* Deianeira apud Sophoclem, in Trachiniis, ait venustam formam Iolæ exitio fuisse:

> —— προσβλέψασ' ὅτι
> τὸ κάλλος αὐτῆς τὸν βίον διώλεσεν.

Plutarch. in Parallelis, ex Nicia Malloto, re-

Capiunt volucres brachia plumas?
Felix, felix; cùm silua domus
Nostra feretur, patrioq; sedens
Ales in agro referam querulo
Murmure questus, volucremq; Iolem
Fama loquetur. vidi vidi
Miseranda mei fata parentis;
Cùm lethifero stipite pulsus,
Totâ iacuit sparsus in aulâ.
Prô si tumulum fata dedissent,
Quotiens genitor quærendus eras?
Potuine tuam spectare necem,
Nondum teneras vestite genas,
Nec dum fortis sanguine Thoxeu?
Quid vestra querar fata parentes?
Quos in tutum mors æqua tulit.
Mea me lachrymas fortuna rogat:
Iam iam dominæ captiua, colos,
Fusosq; legam: prô, sæpe decor,
Formaq; mortem paritura mihi.
Tibi cuncta domus concidit vni:
Dum me genitor negat Alcidæ,
Atque Herculeus socer esse timet.
Sed iam dominæ tecta petantur.
CH. *Quid regna tui clara parentis,*
Proauosq; tuos respicis amens?
Fugiat vultus fortuna prior.
Patiens quisquis nouit famulum,
Regemq; pati; vultusq; suos
Variare potest; vires pepulit
Pondusq; mali: casus animo
Qui tulit æquo.

ACTVS SECVNDVS.

NVTRIX. DEIANIRA.

NV. *O quàm cruentus feminas stimulat dolor,*
Cùm patuit vna pellici & nuptæ domus.
Scylla & Charybdis Siculâ contorquens freta
Minus est timenda: nulla non melior fera est.
Namq; vt reluxit pellicis captæ decus,
Et fulsit Iole, qualis innubis dies,
Purùmve claris noctibus sidus micat:
Stetit furenti similis, ac toruum intuens

Her-

Herculea coniux: fœta vt Armeniâ iacens
Sub rupe tigris, hoste conspecto exilit:
Aut iussa thyrsum quatere, conceptum ferens
Mænas Lyæum, dubia quò gressus agat,
Hæsit parumper. tum per Herculeos lares
Lymphata rapitur, tota vix satis est domus:
Incurrit, errat, sistit, in vultus dolor
Processit omnis: pectori penè intimo
Nihil est relictum: fletus insequitur genas:
Nec vnus habitus durat, aut vno furit
Contenta vultu: nunc inardescunt genæ,
Pallor ruborem pellit, & formas dolor
Errat per omnes: queritur, implorat, gemit.
Sonuere postes: ecce præcipiti gradu
Secreta mentis ore confuso exerit.
DE. *Quamcunque partem sedis ætheriæ premis*
Coniux Tonantis, mitte in Alcidem feram
Quæ mihi satis sit. si qua fœcundum caput
Palude totâ vastior serpens mouet,
Ignara vinci: si quid excessit feras
Immane, dirum, horribile, quo viso Hercules
Auertat oculos, hoc specu immenso exeat:
Vel si feræ negantur, hanc animam precor
Conuerte in aliquod, quodlibet possum malum
Hac mente fieri: commoda effigiem mihi
Parem dolori: non capit pectus minas.
Quid excutis telluris extremæ sinus,
Orbemque versas? quid rogas Ditem mala?
Omnes in isto pectore inuenias feras,
Quas timeat. odiis accipe hoc telum tuis:
Ego sum nouerca. perdere Alcidem potes.
Profer manus quocumque. quid cessas Dea?
Vtere furente. quod iubes, fiat nefas?
Reperi. quid hæres? ipsa iam cesses licet,
Hæc ira satis est. NVT. *pectoris sani parum*
Alumna questus comprime, & flammas doma,
Frena dolorem, coniugem ostende Herculis.
DE. *Iole meis captiua germanos dabit*
Natis, Iouisque fiet ex famulâ nurus?
Non flamma cursus pariter, & torrens feret,
Et vrsa pontum sicca cæruleum bibet?
Non ibo inulta: gesseris cælum licet,
Totusque pacem debeat mundus tibi.
Est aliquid Hydrâ peius irata dolor

tulit, Iolem, cùm Hercules Oechaliam oppugnaret, se de muro præcipitem dedisse; casu autem vento vestem sinuante, nihil mali perpessam fuisse.

238 *Innubus.* ἀνίφελος Aristoteli, innubilus Lucretio.

246 *Lymphata.* Pacuuius,
— *tanquam lymphata & Bacchi sacris commota.*

254 *Sonuere postes.* Attius, Iliona:
Ibo ad eam, vt sciscam quid velint, valuæ sonunt.

Idem, Neoptolemo:
Atque adeo valuas sonere sensi regias.

Pacuuius, in Duloreste:
Quódnam autem hoc soniti est quod stridunt fores?

Gracchus, in Atalanta:
O grata cardo regium egressum indicans.

Cæcilius, Calchis:
Nam quidnam fores fecere soniti?

quæ omnia cùm in Græcia agantur, nō mirum si ex more Græcorum, quem Plutarchus in Poplicola cōmemorat, dicta fuerint. Plutarchi verba sunt: τῶν δ' ἄλλων τότε θυρῶν εἴσω τῆς οἰκίας εἰς τὸ κλείσιον ἀνοιγομένων, ἐκείνης μόνης τῆς οἰκίας ἐποίησαν ἐκτὸς ἀπάγεσθαι τὴν αὔλειον· ὡς δὴ κατὰ τὸ συγχώρημα τῆς τιμῆς ἀεὶ τοῦ δημοσίου προσεπιλαμβανομένου. τὰς δ' Ἑλληνικὰς πρότερον οὕτως ἔχειν ἁπάσας λέγουσιν, ἀπὸ τῶν κωμῳδιῶν λαμβάνοντες· ὅτι κόπτουσι καὶ ψοφοῦσι τὰς αὑτῶν θύρας ἔνδοθεν οἱ προϊέναι μέλλοντες, ὅπως αἴσθησις ἔξω γένοιτο τοῖς παρερχομένοις, ἢ προεστῶσι, καὶ μὴ καταλαμβάνοιντο προϊούσαις ταῖς κλεισιάσιν εἰς τὸν στενωπόν. Subiungit deinde Plutarchus soli L. Valerio, Poplicolæ fratri, hoc fuisse tributū: quod etiam Dionys. voluit li. 5. sed repugnat Plinio lib. 36. cap. 18. ita scribenti: Sicut in „ P. Valerio Poplicola (*malè in meo Plinio legitur; L, pro P. vel M. vt Plutarch. & Dionys. vocant.*) qui primus consul fuit cum L. „ Bruto, post tot merita; & fratre eius, qui bis in „ eodem magistratu Sabinos deuicerat, adiici „ decreto, vt domus eorum fores extra aperi- „ rentur, & ianua in publicum reiiceretur. „

262 *Specu immenso.* o. v. l. repræsentant. *sinu immenso*, & ita Daniel Cayetanus legebat.

269 *Inuenias.* posset etiam legi *inuenies*, vt est in autographis.

278 *Germanos.* impropriè positum pro consanguineis fratribus.

284 *Potius?* ego; est *aliquid hydrâ peius.* quæ est vulgata lectio, o. v. l. consentanea, retineo: alij *potius*, pro *peius*, reposuerunt: sollummodo quia Iouianus Pontanus ita hunc versum citauerat. Verùm potuit Iouianus memoria labi.

Nuptæ. quis ignis tantus in cælum furit
Ardentis Ætnæ? quicquid est victum tibi,
Hic vincet animus. capta præripiet toros?
Adhuc timebam monstra, iam nullum est malum.
Cessere pestes: in locum venit fera
Inuisa pellex. summe prô rector deum,
Et clare Titan! Herculis tantum fui
Coniux timentis. vota quæ superis tuli,
Cessere captæ: pellici felix fui:
Illi meas audistis ô superi preces:
Incolumis illi remeat. ô nûllâ dolor
Contente pœna, quære supplicia horrida,
Incogitata, infanda: Iunonem doce,
Quid odia valeant: nescit irasci satis.
Pro me gerebas bella, propter me vagas
Achelous vndas sanguine infecit suo;
Cùm lenta serpens fieret; in taurum trucem
Nunc flecteret, serpente depositâ, minas,
Et mille in hoste vinceres vno feras.
Iam displicemus? capta prælata est mihi?
Non præferetur. qui dies thalami vltimus
Nostri est futurus, hic erit vitæ tuæ.
Quid hoc? recedit animus, & ponit minas.
Iam cessit ira. quid miser langues dolor?
Perdis furorem? coniugis sanctæ fidem
Mihi reddis iterum? quid vetas flammas ali?
Quid frangis ignes? hunc mihi serua impetum.
Pares eramus. non erit votis opus.
Aderit nouerca, quæ manus nostras regat,
Nec inuocata. NV. *quod paras demens scelus?*
Perimes maritum? cuius extremus dies
Primusq; laudes nouit, & cælotenus
Erecta terras fama suppositas habet?
Rogos in istos terra consurget parens;
Domusq; soceri prima, & Ætolûm genus
Sternetur omne: saxa iamdudum & faces
In te ferentur: vindicem tellus suum
Defendet omnis. vna quot pœnas dabis?
Effugere terras crede, & humanum genus
Te posse: fulmen genitor Alcidæ gerit.
Iam iam minaces ire per cælum faces
Specta, & tonantem fulmine excusso diem.
Mortem quoque ipsam, quam putas tutam, time.
Dominatur illic patruus Alcidæ tui.

Qua-

301 *Cùm lenta serpens.* Sophocles, in Trachiniis, Acheloum triplicem formam induisse scribit:

μνηστὴρ γὰρ ἦν μοι ποταμὸς, Ἀχελῷον λέγω,
ὅς μ' ἐν τρισὶ μορφαῖσιν ἐξῄτει πατρὸς,
φοιτῶν ἐναργὴς ταῦρος, ἄλλοτ' αἰόλος
δράκων ἑλικτὸς, ἄλλοτ' ἀνδρείῳ τύπῳ
βούκρανος ——

Taurum trucem. Ab Ouidio acceptum, qui eadem de re 9. Metam.

—— restabat tertia tauri
Forma trucis ——

314 *Nec.* vt Græci οὐδ', pro οὐκ; sic nos sæpe *nec*, pro *non*.

Quocunque pergis misera, cognatos deos
Illic videbis. DE. *maximum fieri scelus*
Et ipsa fateor; sed dolor fieri iubet.
NVT. *Moriere.* DE. *moriar Herculis nempe inclyti*
Coniux: nec vllus nocte discußâ dies
Viduam vocabit: nec meos pellex toros
Captiua capiet: antè ab occasu dies
Nascetur Indis: antè glacialem polum,
Scytháſve tepida Phœbus afficiet rota;
Quàm me relictam Thessalæ aspiciant nurus.
Meo iugales sanguine exstinguam faces.
Aut pereat, aut me perimat. elisis feris
Et coniugem addat. inter Herculeos licet
Me quoque labores numeret: Alcidæ toros
Moritura certè corpore amplectar meo.
Ire, ire ad vmbras Herculi iunctam licet,
Sed non inultam. si quid è nostro Hercule
Concepit Iole, manibus euellam meis
Antè; & per ipsas pellicem inuadam faces.
Me nuptiali victimam feriat die
Infestus: Iolem dum suprà exanimem ruam.
Felix iacet, quicunque, quos odit, premit.
NVT. *Quid ipsa flammas pascis? & vastum foues*
Vltrò dolorem misera? quid caßùm times?
Dilexit Iolem; nempe dum starent lares,
Regisq; natam peteret. in famulæ locum
Regina cecidit; perdidit vires amor,
Multumq; ab illo traxit infelix status.
Illicita amantur, excidit quicquid licet.
DE. *Fortuna amorem peior inflammat magis,*
Amat vel ipsum; quòd caret patrio lare,
Quòd nudus auro crinis & gemma iacet:
Ipsas misericors forsan ærumnas amat.
NVT. *Hoc vsitatum est Herculi, captas amat.*
Dilecta Priami nempe Dardanij soror
Concessa famulo est. adice, quot nuptas priùs,
Quot virgines dilexit. errauit vagus.
Arcadia nempe virgo, Palladios choros
Dum nectit, Auge, vim stupri passa excidit,
Nullamq; amoris retinet Herculei notam.
Referam quid alias? méne Thespiades vocant?
Breuiq; in illas arsit Alcides face.
Hospes Tymoli Lydiam fouit nurum,
Et, amore captus, ad leues sedit colos:

334 *Viduam notabit.* o.v.l. *viduā vocabit.*

344. *Herculis nuptam.* o.l.v. & plerique excusi habent; *Herculi iunctam libet.*

350 *Felix iacet quicumque quos odit premit.* suprà dixit:

Mors misera non est cōmori quocum velis.

357 *Illicita amantur, excidit quidquid licet.* hoc non ignorans Nonnus Dionys. λϛ'. fugiente puella amorem duplicari scripsit. Ouidius:

Nitimur in vetitum semper, cupimusq; negata.
Sic interdictis imminet ager aquis.

Petronius Arbiter:

Nolo, quod cupio, statim tenere;
Nec victoria mi placet parata.

Ausonius:

Hanc volò, quæ non vult; illam, quæ vult, ego nolo.
Vincere vult animos, non satiare Venus.
Oblatas sperno illecebras.

huc spectat illud Turpilij, in Demiurgo:

Ego adepol docta dico; quæ mulier volet sibi
Sauium amicum esse indulgentem & diutinum.
" *Modicè atq; parcè eius seruiat cupidini.*

Phylarchus histor. lib. 19. fabulam quandam recenset; quæ poëtæ nostri sententiam valdè confirmat. ait olim Iunonem Ioui iratam in Eubœam secessisse; quam cùm placare Iuppiter conaretur, ad Cytheronem Platæensiū regem, hominem vaferrimum, consilij capiendi causâ, accessit: à quo edoctus, ligneum simulacrum affabrè dedolauit ad muliebrem " effigiem, idque plaustro impositum vestibus ornatissimis induit, rumoremque sparsit se Platæam, Asopi filiam, vxorem ducturum. quo nuncio accepto, Iuno, quæ nullis precibus placari potuerat, vltrò Iouem accedit, procatur, amplexatur; ipsi simulacro, pellicē vltura, manus iniicit: vt verò se ludum fieri sensit, nullâ morâ interpositâ, cum Ioue in gratiam redit, eique confestim morigera fit. Huc etiam spectat callidum Aesopi fabulatoris, qui Crœsi tempore floruit, de reducenda Xanthi philosophi vxore, quæ diuerterat, commentum, à Maximo Planude, in Aesopi vita, relatum.

373 *Vnum feroci stamen intorquens manu.* Ascensius interpretatur, texendo iniiciens singula fila; quod est ridiculum. meliùs Guil. Canterus in lib. nouarum lection. reponit:

Vdum feroci stamen, &c.

quamuis in o.v.l. legatur; *vtrumq; forti stamen,* &c.

377 *Leui caluit face.* amori facem & ignes antiqui tribuerunt. Zenodotus:

τίς γλύψας τὸν ἔρωτα παρὰ κρήνῃσιν ἔθηκεν
οἰόμενος παύσειν τοῦτο τὸ πῦρ ὕδατι;

Antipater Sidonius:

μὴ κλαίων τὸν ἔρωτα δόκει, Τηλέμβροτε, πείσειν,
μηδ᾽ ὀλίγῳ παύσειν ὕδατι πῦρ ἄνυτον.
χρυσὸς ἔρωτος ἀεὶ παιώνιος. ἐσβέσθη δ᾽
οὐδὲ τότ᾽ ἐν πολλῷ κεκτόμενος πελάγει.

Ascribam & Porcij Lucini elegans epigramma, solùm vt appareat vnde fuerit desumtum: parum enim pertinet ad id de quo agitur. ait Lucinus:

Custodes ouiũ, teneraq́ propaginis agnûm
Quaeritis ignem: ite huc. quaeritis? ignis homo est.
Si digito attigero; incendam siluam simul omnem,
Omne pecus. flamma est omnia quae video.

haec suspicor accepta ex isto incerti poëtae tetrasticho:

αὐτὸ τὸ πῦρ καίουσι διζήμενος οὗτος, ὁ νύκτωρ
τὸν καλὸν ἱμείρων λύχνον ἀναφλογίσαι·
δεῦρ᾽, ἀπ᾽ ἐμῆς ψυχῆς ἅψον σέλας, ἰσὶ δὲ γάρ μου
καιόμενον πολλὴν ἐξανίησι φλόγα.

huc spectat & illud:

Quid faculam praefers, Phileros, qua nil opu' nobis?
Ibimus, hoc lucet pectore flamma satis.

& reliqua quae refert Gellius lib. 19. cap. 9. Ceterùm cur amor igneus, amátes verò igne dicantur ardere, Paullus Silentiarius docet, his verbis:

—— ἀντιτύπου γὰρ
εὐθὺς ἀπαστράπτει κοῦφος ἔρως κραδίης.
εἰ στερεὸς λιθίνοισιν ἔχει φύσιν. ἢν δὲ τις οἴνου
ἄγρει ὕλη, φλογέου δ᾽ ὕστατα αὐτὸς ὅλος.
ἐλπίδι μὴ θέλξῃς φρένα κεχλαδότι. γινώσκω γὰρ
πῦρ ὑπερελπίζει θυμὸν ἐφιλαγαθίην.

385 *Sic nostra longum.* quae sequuntur, dicta sunt propterea quae apud Sophoclem in Thrachiniis Deianeira sic ait:

ὁρῶ γὰρ ἥβην τὴν μὲν ἕρπουσαν πρόσω,
τὴν δὲ φθίνουσαν. ὧν ἀφαρπάζειν φιλεῖ
ὀφθαλμὸς ἄνθος, τῶν δ᾽ ὑπεκτρέπει πόδα.

399 *Quo nimis quisquis deos Orabat vllos.* non mirum si interpretibus hic locus magna crux fuit. est enim mendosus. legendum opinor: *quod nimis quisquis deos Orabat vllos.* hac sententia: quaecumque deos vllos orabat, nimis orabat vt Herculis coniux fieret. & ne quis miretur me ita interpretari: singillatim vnumquodque persequar. Pro *quo* reposui *quod.* hoc est, thalamos nostros, Herculis con-

Vdum feroci stamen intorquens manu.
Nempe illa ceruix spolia deposuit ferae,
Crinemq́ mitrâ pressit, & famulus stetit
Hirtam Sabaeâ marcidus myrrhâ comam:
Vbique caluit, sed leui caluit face.
Haerere amantes post vagos ignes solent.
Famulámne, & hostis praeferet gnatam tibi?
DE. *Vt alta siluas forma vernantes alit,*
Quas nemore nudo primus inuestit tepor:
Aut cùm solutos expulit boreas notos,
Et saeua totas bruma decussit comas,
Deforme solis aspicis truncis nemus:
Sic nostra longum forma percurrens iter,
Deperdit aliquid semper, & fulget minus,
Malisq́ minus est. quicquid in nobis fuit
Olim petitum, cecidit, & partu labat,
Materq́ multum rapuit ex illo mihi,
Aetas citato senior & rapuit gradu.
Vides vt altum famula non perdat decus?
Cessere vultus penitus, & paedor sedet,
Tamen per ipsas fulget aerumnas decor,
Nihilq́ ab illa casus & fatum graue,
Nisi regna traxit. hinc meum pectus timor
Altrix lacessit, hinc rapit somnos pauor.
Praeclara notis gentibus coniux eram,
Thalamosq́ nostros inuido fato nurus
* *Optabat omnis. quo nimis quisquis deos*
Orabat vllos: nuribus Argolicis fui
Mensura voti. quem Ioui socerum parem
Altrix habebo? quis sub hoc mundo mihi
Dabitur maritus? ipse qui Alcidae imperat,
Facibus suis me iungat Eurystheus licet;
Minus est. toros meruisse regnantis, leue est.
Altè illa cecidit, quae viro caret Hercule.
NVT. *Conciliat animos coniugum partus ferè.* "
DE. *Sic ipse forsan diuidet partus toros.*
NV. *Famula illa trahitur interim donum tibi.*
DE. *Hic quem per vrbes ire praeclarum vides,*
Et viua tergo spolia gestantem ferae,
Qui regna miseris donat; & celsis rapit, "
Vastâ grauatus horridam clauâ manum;
Cuius triumphos vltimi Seres canunt,
Et quisquis alius orbe concepto iacet;
Leuis est, nec illum gloriae stimulat decor,

Errat

Errat per orbem, non vt æquetur Ioui,
Nec vt per vrbes magnus Argolicas eat.
Quod amet requirit: virginum thalamos petit.
Si qua est negata, rapitur: in populos furit.
Nuptas ruinis quærit, & vitium impotens,
Virtus vocatur. cecidit OEchalia inclita,
Vnusq; Titan vidit, atque vnus dies,
Stantem & cadentem: causa bellandi, est amor.
Toties timebit, Herculi gnatam parens
Quoties negabit. hostis est, quoties socer
Fieri recusat: si gener non est, furit.
Post hæc quid istas innocens seruo manus?
Donec furentem simulet, ac sæuâ manu
Intendat arcus, meq; natumq; opprimat?
Sic coniuges expellit Alcides suas,
Hæc sunt repudia. nec potest fieri nocens:
Terris videri sceleribus causam suis
Fecit nouercam. quid stupes segnis furor?
Scelus occupandum est: perge, dum feruet manus.
NV. *Perimes maritum?* DE. *pellicis certè meæ.*
NV. *At Ioue creatũ.* DE. *nempe & Alcmenâ satum.*
NV. *Ferróne?* D. *ferro.* N. *si nequis?* D. *perimã dolo.*
NV. *Quis iste furor est?* D. *quẽ meus coniux docet.*
NV *Quẽ nec nouerca perimit, hunc perimes virũ?*
D. *Cælestis ira quos premit, miseros facit,*
Humana nullos. NV. *parce miseranda, & time.*
D. *Contemsit omnes ille, qui mortem priùs.*
Libet ire in enses. NV. *maior admisso tuus*
Alumna dolor est. culpa par odium exigat.
Cur sæua modicis statuis? vt passa es, dole.
D. *Leue esse credis pellicis nuptæ malum?*
Quicquid dolorem pascit, id nimium puta.
NV. *Amórne clari fugit Alcidæ tibi?*
D. *Non fugit, altrix: remanet, & penitus sedet*
Fixus medullis, crede: sed magnus dolor,
Iratus amor est. NV. *artibus magicis ferè*

Con-

ingium. dixit *nimis*. hoc est, valdè. & subauditur, orabat. *Quisquis* positũ pro quęcunq;. Nonius in voce, quisquis. Cæcilius:

Quæso igitur, quisquis es mea mulier.

Pacuuuius:

Quisquis tu es mulier, quæ me insueto nuncupasti nomine.

Liuius Andronicus:

Mulier quisquis es, te volumus.

Ennius:

Et quis illic est, quæ lugubri accincta est stola?

hæc illis addi possunt, quæ à Cæpola, Alciato, Caleagnino, & Brechæo scripta sunt ad l. 1. D. de verbor. significat.

426 *Furit.* in membranis est *ferit.*

441 *Humana nullos.* Dij, quos oderunt, illos miseros faciunt; homines eos quos odêre, interimunt. hoc dicit.

445 *Exigat.* in v. l. est *exigit.*

452 *Artibus magicis.* Lucanus:

—— quos non concordia mixti
Alligat vlla tori, blandæq; potentia formæ,
Traxerunt torti magica vertigine fili.

Ideo ait Virgilius:

Coniugis vt magicis sanos auertere sensus
Experiar sacris ——

profectò magicas artes rebus amatoriis sceleratos mortales adhibere, præter antiquos Theocr & Virg. in Pharmaceut. Virgilius 4. Aeneid. Ouid. de arte amandi, & de remedio amoris, Apuleium in lib. de asino aureo, Aristot. lib. 2. de histor. Animal. cap. 14. & lib. 6. cap. 22. Plutarch. in præcept. connubialib. & Lucianum in vita Demonactis, etiam complures Neoterici, veluti Marsilius Ficinus libro 13. de theol. Platonis, Iacob. Sprenger, mallei malefic. par. 1. quæst. 7. Albert. in rubric. C. de hæret. col. 3. Matthæus Afflictus in constitut. Neapolitan. & Tiraquel. in leg. connub. prodiderunt. Quamquam ea omnia inprimis noxia esse sæpè compertum sit. nam & Lucretium, & Antiochum, & Caligulam philtris in furorem versos constat ex Suetonio, Eusebio, & Iosepho; & Lucullum, aliosque interemtos legimus apud Cornelium Nepotem, Plutarchum, Albertum Magnum & alios. Vide Antonium Guibertum Costanum lib. 1. quæst. iur. cap. 16. Propterea tamen, inquiunt nonnulli, amor Platoni δεινὸς γόης καὶ φαρμακεὺς dicitur. quod ego potiùs cum Ludou. Regio, in comment. Gallicis ad Sympos. Platonis, factum existimem, quia amantium oculi nescio quid maleficum & incantatorium in se habere videantur. ecce, vidisti mulierem, bona visa est, placuit. hæc affectio, quam videndo hausisti, ab oculis ad cor transmittitur. eam vocamus amorem; qui in corde sedem figit, &, vt inquietus est, sanguinem cordi circumfusum agitat: agitatus sanguis subtilissimos quosdam calidissimosque vapores per vniuersum corpus diffundit: hi, cum in omnia membra faculas quasdam seu scintillas diuidant, potissimam tamen partem ad oculos mittunt. vapores enim leues admodum, altiora petunt, & qua ingressi sunt, exitum quærunt oculi itaque his faculis pleni, in aciem oculorum amicæ intenti, igniculos seu radios suos in radios oculorum amicæ immittunt, & eos contagione sua inficiunt: deinde

Coniugia nuptæ precibus admistis ligant.
Vernare iußi frigore in medio nemus,
Missumq; fulmen stare, concußi fretum
Cessante vento; turbidum explicui mare;
Et sicca tellus fontibus patuit nouis:
Habuere motum saxa, discußi fores:
Vmbræ stetistis, & mea iußi prece
Manes loquuntur, sonuit infernus canis:
Mare, terra, cælum, & tartarus seruit mihi.
Nox media solem vidit, & noctem dies,
Nihilq; leges ad meos cantus tenent.
Flectemus illum, carmina inuenient iter.
D. *Quas Pontus herbas generat, aut quas Thessalâ*
Sub rupe Pindus, aut vbi inueniam malum,
Cui cedat ille? carmine in terras mago
Descendat astris luna desertis licet,
Et bruma messes videat, & cantu fugax
Stet deprehensum fulmen, & versa vice
Medius coactis fugerit stellis dies:

Non

non secus in amasiæ cor illabuntur, atque solis radij vitreas fenestras penetrant. inde confestim vt cor occuparunt, ἀντέρως nascitur. Nec est quod id mirum videatur. si etenim

Dum spectant oculi læsos, læduntur & ipsi,
Multaq; corporibus transitione nocent:

& si qui in lipporum oculos visu incidunt, lippitudine tanguntur: cur non amantiũ oculi, subtilissimo purissimi & acerrimi sanguinis vapore venenato imbuti, inuicem mixtis radiis, contagionem suam communicabunt, & ita veneno ad cor trasmisso, facient vt vterque mutuo amore incipiat deflagrare? an nescimus amorem ἔρωτα dici, non quidem, vt in Phædro Plato dixit, ἀπὸ τῆς ῥώμης: sed, vt idem in Cratylo docuit, ἀπὸ τοῦ εἰσρεῖν: vel, ex sententia Plotini lib. 3. de amore, ἀπὸ τῆς ὁράσεως? iccirco Propertius:

Cynthia prima suis miserũ me cepit ocellis
Contactum nullis ante cupidinibus.

Idem:

Crescit enim assiduè spectando cura puellæ,
Ipse alimenta sibi maxima præbet amor.

& poëtarum princeps Aeneid. 4.

Carpit enim vires paulatim vritq; vidẽdo
Femina:

Musæus:

κάλλος γὰρ περίπυστον ἀμωμήτοιο γυναικὸς,
ὀξύτερον μερόπεσσι πέλει πτερόεντος ὀϊστοῦ.
ὀφθαλμὸς δ' ὁδός ἐστιν· ἀπ' ὀφθαλμοῖο βολάων
ἕλκος ὀλισθαίνει, καὶ ἐπὶ φρένας ἀνδρὸς ὁδεύει.

adde quæ dicam infrà actu 5. Oedipi, num. 956.

455 *Missumq; fulmen stare.* apud Claudian. lib. 1. in Rufin. iactitat Megæra:

Ire vagas quercus & flamina stare coëgi.

quo loco in m. s. libro legitur *flumina*. sed suspicor ex hoc Senecæ versu legendum *fulmina*. in proximo enim carmine habetur;

Versaq; non prono curuaui flumina lapsu.

Qua de re Apollonius Medeæ potentiam memorans lib. 3. τῇ σι καὶ ἀκαμάτοιο πυρὸς μειλίσσετ' ἀϋτμήν, καὶ ποταμοὺς ἵστησιν ἄφαρ κελαδεινὰ ῥέοντας.

Ouidius de eadem Medea, in epist. Hypsipyles:

*Illa refrenat aquas, obliquaq; * flumina sistit.* (*malim, *fulmina*; quæ proprie obliqua.)

Concussi fretum cessante vento. Lucanus lib. 7.

—— Ventis cessantibus æquor
Intumuit; rursus vetitum sentire procellas,
Conticuit turbante Noto.

457 *Sicca tellus fontibus patuit nouis.* Petronius Arbiter de venefica quadam,

—— florida tellus
Cùm volo, siccatis arescit languida succis;
Cùm volo fundat aquas, scopulus atq; arida saxa
Niligenas iaculantur aquas.

458 *Habuêre motum saxa.* Ouidius dicto loco:

Illa etiam siluas, viuaq; saxa mouet.

Idem de Circe lib. 14. Metamorph.

Exsiluêre loco, dictu mirabile, siluæ,
Ingemuitq; solum, vicinaq; palluit arbor,
Sparsaq; sanguineis rubuerunt pabula guttis,
Et lapides visi mugitus edere raucos.

Lucanus, de Erisichtho venefica:

—— submisso vertice montes
Explicuêre iugum ——

460 *Manes loquuntur.* Empedocles, de seipso:

ἄξεις δ' ἐξ Ἀΐδαο καταφθιμένου μένος ἀνδρός.

Tibullus:

Hæc cantu finditq; solum, manesq; sepulcris
Elicit, & tepido deuocat ossa rogo:
Iam ciet infernas magico stridore cateruas,
Iam iubet aspersas lacte referre pedem.

Ouidius, de Circe;

—— & tenues animæ volitare videntur.

Sonuit infernus canis. Ouidius:

Et lapides visi mugitus edere raucos,
Et latrare canes ——

461 *Mare, terra, cælum, & tartarus seruit mihi.* Similia sagæ cuidam Apuleius lib. 1. & 2. de asino aureo tribuit.

463 *Nihilq; leges ad meos cantus tenent.* Lucanus:

Cessauêre vices rerum, dilataq; longa
Hæsit nocte dies, legi non paruit æther.

Apollonius:

ἄστρα τε καὶ μήνης ἱερῆς ἐπέδησε κελεύθους.

465 *Quas pontus herbas generat.* Virg. eclog. 9.

Has herbas atque hæc ponto mihi lecta venena
Ipse dedit Mæris, nascuntur plurima ponto.

Thessala sub rupe. Thessalia fœta est venenis. Vnde Lucanus:

Thessala quin etiam tellus herbasq; nocentes
Rupibus ingenuit, sensuraq; saxa canentes

Non flectet vnum. NVT. *vicit & superos amor.*
DE. *Vincetur vni forsan, & spolium dabit,*
Amorq; summus fiet Alcidæ labor.
Sed te per omne cælitum numen precor,
Per hunc timorem; quicquid arcani apparo,
Penitus recondas, & fide tacitâ premas.
NVT. *Quid istud est, quod esse secretum iubes?*
DE. *Non tela sunt, non arma, non ignis minæ.*
NVT. *Præstare fateor posse me tacitam fidem,*
Si scelere careat, interim scelus est fides.
DE. *Circunspice, agedum, ne quis arcana occupet,*
Partemq; in omnem vultus inquirens eat.
NVT. *En locus ab omni tutus arbitro vacat.*
DE. *Est in remoto regiæ sedis loco*
Arcana tacitus nostra defendens specus:
Non ille primos accipit soles locus,
Non ille seros, cùm ferens Titan diem,
Lassam rubenti mergit Oceano rotam.
Illic amoris pignus Herculei latet.
Altrix fatebor, Nessus est auctor mali;
Quem grauida nubes Thessalo genuit duci,
Quâ celsus astris inserit Pindus caput,
Vltraq; nubes Othrys eductus riget.
Namq; vt subactus Herculis clauâ horridi
Achelous, omnes facilis in species dari,
Tandem peractis omnibus patuit feris,
Vnoq; turpis subdidit cornu caput:
Me coniugem dum victor Alcides habet,
Repetebat Argos: fortè per campos vagus
Euenus altum gurgitem in pontum ferens,
Iam penè summis turbidus ripis erat:
Transire Nessus verticem solitus vagum,
Precium poposcit: meq; iam dorso ferens,
Quâ iungit hominem spina deficiens equo,

" *Arcanū ferale magos ibi plurima surgūt*
Vim factura deis: & terris hospita Colchis
Legit in Æmoniis, quas non aduexerat herbas.

472 *Vicit & superos amor.* suprà dixit:
Maximum numen Venus
Sophocles, in Trachiniis:
μέγα τι σθένος ἁ
Κύπρις ἐκφέρεται νίκας ἀεί.
καὶ τὰ μὲν θεῶν,
παρέβαν· καὶ ὅπως
Κρονίδαν ἀπάτασεν, οὐ λέγω·
" οὐδὲ τὸν ἔννυχον Ἅιδαν
ἢ Ποσειδάωνα τινάκτορα γαίας·
Idem, in Oedipo tyranno:
— ἄμαχος γὰρ ἐμ-
παίζει θεὸς ἀφροδίτα. Caluus:
Potentemq; Deum Venerem.
485 *Loco.* vidi duos v. l. in quibus scriptum erat *luco.*
497 *Patuit.* siue sic, siue cùm m. s. legas *paruit*, eadem erit sententia. nam paruit, hoc est, apparuit, comparuit. vide Antonium Augustinum, Tarraconensis Hispaniæ decus clariss. in annotat. ad Festum, & adde l. 5. D. de rei vindicat. l. 179. D. de verb. significat. & § sic itaque. Instit. de action. quo loco ex veteribus libris, paret, legi debere docent Cuiacius, Hotomanus, Contius, & Russardus. Theoph. φαίνεται reddidit.
501 *Euenus altum gurgitem in pontum ferens.* Sophocles Euenum βαθύρροον ποταμὸν appellat.
502 *Iam penè summis turbidus ripis erat.* Ouid. 9. Metamorph.
Venerat Eueni rapidas Ioue natus ad vndas,
Vberior solito, nimbis hiemalibus auctus,
Verticibusq; frequens erat atque imperuius amnis.
Vibius Sequester, in libro de fluminibus: Esper, inquit, qua Nessus Centaurus Deianiram Herculis traiecit. quę verba mendo non vacant, & pro *Esper* legendum *Euenus.* Subiungit enim idem Sequester; Euenus Calydoniæ, vbi Hercules sagittis Nessum Centaurum interfecit. Quis verò Deianiræ pater fuerit, non possum definire. Seneca & plerique, Oeneum; Didymus in Odyss. Homeri, Luctatius in Papinium, & Hygenus in fabulis, Dexamenum appellant. iidem tradunt Eurytionem Centaurum ab Hercule occisum, quia Deianeiram Eurytioni à Dexameno metu coacto despōsam, coram ipso liberius contrectasset. vnde declaratur Ouidij, in Ibin, locus: *Aut duo diuersis sub eodem vindice casi Temporibus, Nessus, Dexameniq; gener.* hoc & Leopardus obseruauit. 503 *Transire Nessus verticem solitus.* Ouidius: *Nessus adest membrisq; valens, scitusq; vadorum.* 504 *Precium poposcit.* Sophocles, de Nesso: ὃς τὸν βαθύρροον ποταμὸν Εὔηνον βροτοὺς μισθοῦ 'πόρευε χερσίν. Strabo lib. 10. καὶ ὁ νέσσος ὁ κένταυρος λέγεται πορθμεὺς ἀποδεδειγμένος ὑφ' Ἡρακλέους ἀναιρεθῆναι, ἐπειδὴ πορθμεύων τὴν Δηιάνειραν ἐπεχείρει βιάσασθαι. 505 *Equo.* Centauri semiuiri & semiequi fuisse finguntur. dico finguntur; quia, vt ait Lucret. lib. 5.
— neque Centauri fuerant, neque tempore in vllo Esse queunt duplici natura & corpore bino,
Ex alienigenis membris compacta potestas. Sic Hippocentaurus inueniri posse negatur in princ inst. de inutil. stipulation. nega. id etiam Cicero 1. Tuscul. quæstion. & lib. 1. de nat. Deor. & Galenus lib. 3. de vsu partium,

Fran-

& dubitat Xenophon lib. 4. κυνηγετικ. & Celsus l. si ita stipulatus, 97. D. de verbor. obligat. Sed in contrarium est auctoritas diui Hieronymi, in vita Paulli heremitæ, & Plinij lib. 7. omnino vide Ioan. Corrasium lib. 5. miscellan. cap. 2. & Couarruuiam lib. 4. resolut cap. 1. Cęterum fictionis causam huiusmodi memorant, fuisse Centauros Pelei Thessaliæ mõtis accolas, à quibus primò fuerit monstrata ratio ex equis dimicandi. Ferunt autem accidisse vt dum fortè iuxta Peneum amnem aquarentur, quorum equi potantes habebant immersa fluctibus ora, eam procul spectãtibus speciem præbuisse, quam in biformibus Centauris postea credula fabulosaque expressit vetustas. hæc nonnulli. Ego verò fictionis causam arbitror fuisse non aliam, quàm quod homines fuerint scelestissimi, & in omne malum facinus procliues. quod cùm totius gẽtis nomẽ, tum etiã singulorũ ferè nomina testantur. nam quia omnes aduenas iniuriis pungebant & lacessebant, ἀπὸ τοῦ κεντάω, Centauri sunt dicti. Harpasus, ab ἁρπάζω, raptorem significat: Arius, ab ἄρης, pugnacem: Aphidas contemtorem, ab ἀφειδέω: Antimachus hostem, ab ἀντὶ & μάχομαι: Asbolus, à fuligine, hoc est, ἀσβόλη, tenebris gaudentem; vel, si mauis, atrum & nigrum: Bromus rixosum, à rixantium strepitu, ἀπὸ τοῦ βρόμου: Bianor violentum, à vi, quam βίαν dicunt: Cæneus amatorem nouitatis, à καινίζω: Craneus durum, à κρανεία: Dryalus furem, ἀπὸ τοῦ δρύειν: Gripheus, à γρῖφος, deceptorem. Posset hoc ipsum in ceteris ferè omnium Centaurorum nominibus ostendi; potissimùm in Astylo, Amyco, Abryto, Breto, Croneo, Cyllaro, Dyneo, Dorpo, Demoloonte, Elope, Emmachio, Ripheo, Thaumase, Thereo, Teleboa, Thurio, Sylantho, Latreo, Lyco, Pholo, Petræo, Pyreto, Orneo, Nycto, Mermero, Mymante, & aliis: verũ his mythologia nostra satis cõfirmatur.

506 *Fluminis tumidi.* in autographis *turbidi* habetur.

512 *Prohibetur vndis.* scilicet Hercules. sunt autem hæc verba Nessi.

519 *Iam quærens diem.* iam moriens (Sophocles ait ἐνθνήσκων) sumtum à Virgilio lib. 4. Aeneid. de Didone moriente:

Quæsiuit cælo lucem.

525 *Mycale.* Ouidius Metamorph. 12.

—— *Orco*

Mater erat Mycale. quã deduxisse canẽdo,
Sæpe reluctantis constabat cornua lunæ.

hinc itaque locus iste desumtus fuit.

531 *Conspiciat* o.v.l. *aspiciat.*

543 *Timende matri.* cùm ne ab ipsa quidem te abstineas. hoc enim Venus apud Lucianũ

Frangebat ipsas fluminis tumidi minas.
Iam totus vndis Nessus exierat ferox,
Medioq; adhuc errabat Alcides vado,
Vasto rapacem verticem scindens gradu.
Ast ille vt esse vidit Alcidem procul,
Tu præda nobis, inquit, & coniux eris.
Prohibetur vndis, meq; complexam ferens
Gressum citabat. non tenent vndæ Herculem:
Infide vector, inquit, immisti licet
Ganges & Ister vallibus iunctis eant;
Vincemus ambos, consequar telo fugam.
Præcessit arcus verba: tum longum ferens
Harundo vulnus, tenuit hærentem fugam,
Mortemq; fixit. ille, iam quærens diem,
Tabem fluentis vulneris dextrâ excipit,
Traditq; nobis vngulâ insertam suâ,
Quam fortè sæuâ sciderat auulsam manu.
Tum verba moriens addit: hoc, inquit, magæ
Dixere amorem posse defigi malo.
Hoc docta Mycale Thessalas monuit nurus,
Vnam inter omnes luna quam sequitur magam,
Astris relictis. illitas vestes dabis
Hac, inquit, ipsâ tabe, si pellex tuos
Inuisa thalamos tulerit, & coniux leuis
Aliam parenti dederit altisono nurum.
Hoc nulla lux aspiciat, hoc tenebræ tegant
Tantum remotæ. sic potens vires suas
Sanguis tenebit. verba deprehendit quies,
Mortemq; lassis intulit membris sopor.
Tu, quam meis admittit arcanis fides,
Perge, vt nitentes virus in vestes satum,
Mentem per artus adeat, & tactus sinus
Intret medullas. NVT. *ocyus iussa exsequar*
Alumna: precibus tu Deum inuictum aduoca,
Qui certa tenerâ tela dimittit manu.
DE. *Te te precor, quem mundus & superi timent,*
Et æquor, & qui fulmen Ætnæum quatit,
Timende matri teliger sæuæ puer;
Intende certâ spiculum velox manu,
Non è sagittis leuibus, è neruo precor
Grauiore profer; quod tuæ nondum manus
Misêre in aliquem. non leui telo est opus,
Vt amare possit Hercules: rigidas manus
Intende, & arcum cornibus iunctis para.

Nunc

Nunc nunc ſagittam prome, qua quondã horridus
Iouem petiſti; fulmine abiecto deus,
Cùm fronte ſubitâ tumuit, & rapidum mare
Taurus puellæ vector Aſſyriæ ſcidit.
Immitte amorem, vincat exempla omnia:
Amare diſcat coniuges. ſi quas decor
Immiſit Ioles pectori Herculeo faces;
Exſtingue totas: perbibat flammas mei.
Tu fulminantem ſæpe domuiſti Iouem,
Tu furua nigri ſceptra geſtantem poli,
Turbæ ducem maioris, & dominum Stygis.
Tu, qui nouercâ es grauior iratâ deus,
Cape hunc triumphum. ſolus euince Herculem.
NVT. *Prolata vis eſt, quæq; Palladiâ colu*
Laſſauit omnem texta famularem manum:
Nunc congregetur virus, vt veſtis bibat
Herculea peſtem: precibus augebo malum.
In tempore ipſo gnauus occurrit Lichas:
Celanda vis eſt, illa ne pateant malâ.
D. *O, quod ſuperbæ non habent vnquam domus,*
Fidele ſemper regibus nomen, Licha,
Cape hos amictus; noſtra quos neuit manus:
Dum vagus in orbem fertur, & victus mero
Tenet feroci Lydiam gremio nurum.
Nunc poſcit Iolem: ſed iecur fors horridum
Flectam emerendo. merita vincunt & malos.
Non antè veſtes induat coniux, iube;
Quàm thure flammas ſpargat, & poſcat deos,
Canâ rigentem populo vinctus comam.
Ipſa ad penates regios greſſus feram,
Precibusq; Amoris horridi matrem colam.
Vos, quas paternis extuli comites focis,
Calydoniæ, deflete lugendas vices.

CHORVS.

Anapæſtici.

Flemus caſus O Enei tuos,
Comitum primos turba per annos,
Flemus dubios miſeranda toros:
Nos Acheloi tecum ſolitæ
Pulſare vadum; cùm iam tumidas
Vere peracto poneret vndas,
Gracilisq; vado ſerperet æquo,
Nec præcipitem volueret amnem

queritur. *Teliger.* Cupido Luciano τοξότης, Orpheo τοξαλκής, Leonidi ὀξυβέλος dicitur eius tela nõ vniuſmodi eſſe Ouidius, Aeneas Siluius, & Michaël Marullus ſcripſerunt, quædam eſſe aurea, quæ amorem concilient; quædam plumbea, quæ amorem ex animo eiiciant.

565 *Congregetur.* in membranis quibuſdã *aggregetur.* alij, *congeratur.* mihi placebat; *ingeretur.*

569 *O, quod ſuperba non habent vnquam domus,*
Fidele ſemper regibus nomen, Lyca. Seneca, in Agamemn.

Tu quicumque es, qui ſceptra tenes,
Licet omne tua vulgus in aula
Centum pariter limina pulſet;
Cùm tot populis ſtipatus eas,
In tot populis vix vna fides.

Attius:

Multi iniqui atque infideles regno, pauci boni ſunt.

quid mirum? ſiquidem, vt ait Aeſchyl.

ἔνεστι γάρ πως τοῦτο τῇ τυραννίδι
νόσημα, τοῖς φίλοισι μὴ πεποιθέναι.

571 *Noſtra quos neuit manus.* apud Sophoclem eſt:

— πέπλον
δώρημ' ἐκείνῳ τἀνδρὶ τῆς ἐμῆς χερός.

574 *Iecur.* in quo amoris ſedes ſtatuitur: iuxta illud,

Splen ridere facit, cogit amare iecur.

ideo Horatius:

Non ancilla tuũ iecur vlceret vlla, puer.

578 *Cana.* alba.

Flauus rapido fonte Lycormas:
Nos Palladias ire per aras,
Et virgineos celebrare choros;
Nos Cadmeis orgia ferre
Tecum solitæ condita cistis,
Cùm iam pulso sidere brumæ
Tertia soles euocat æstas,
Et spiciferæ concessa deæ
Attica mystas claudit Eleusis:
Nunc quoque fatum quodcunque times,
Fidas comites accipe fatis.
"*Nam rara fides, vbi iam melior*
"*Fortuna ruit.*
"*Tu quicunque es, qui sceptra tenes,*
"*Licet omne tuâ vulgus in aulâ*
"*Centum pariter limina pulset;*
"*Cùm tot populis stipatus eas,*
"*In tot populis vix vna fides.*
"*Tenet auratum limen Erinnys,*
"*Et cùm magnæ patuere fores,*
"*Intrant fraudes, cautiq́ doli,*
"*Ferrumq́ latens: cumq́ in populos*
"*Prodire parant, comes inuidia est.*
"*Noctem quoties summouet Eos,*
"*Regem toties credite nasci.*
Pauci reges, non regna colunt:
Plures fulgor conuocat aulæ.
Cupit hic regi proximus ipsi,
Clarus claras ire per vrbes:
Vrit miserum gloria pectus.
"*Cupit hic gazis implere famem:*
"*Nec tamen omnis plaga gemmiferi*
"*Sufficit Istri, nec tota sitim*
Lydia vincit; nec, quæ, zephyro
Subdita tellus, stupet aurato
Flumine clarum radiare Tagum;
Nec si totus seruiat Hebrus,
Ruraq́ diues cingat Hydaspes,
Intraq́ suos currere fines
Spectet toto flumine Gangem.
Auidis auidis natura parum est.
Colit hic reges, regumq́ lares,
Non, vt presso vomere semper
Nunquam cesset curuus arator,

591 *Flauus.* Ouidius 1. Metamorph.
—— flauus Lycormas.
Valerius Flaccus:
—— flaui tristis quem nata Lycormæ.

Lycormas. Euenus. Strabo lib. 7 ὁ Εὔηνος, ὁ Λυκόρμας πρότερον καλούμενος. Archelaus lib. 1. de fluminibus: Λυκόρμας τῆς Αἰτωλίας ποταμὸς μετωνομάσθη δ' Εὔηνος. γεννᾶται δ' ἐν αὐτῷ βοτάνη σάρισσα προσαγορευομένη, λόγχῃ παρόμοιος, ποιοῦσα πρὸς ἀμβλυωπίας ἄριστα. fluuius iste priùs Lycormas, posteà Euenus dictus fuit. quia Euenus Idam, Marpessæ filiæ suæ raptorem, insecutus, cùm ad eum fluuium peruenisset, videretque omnem vlteriùs insequendi occasionẽ sibi eripi, amens sese in Lycormam præcipitauit, vt est apud Apollodor. lib. 1. biblioth. & Plutarchũ in Parallelis, ex Dositheo, nec non in libello περὶ ποταμῶν, qui vnus nobis hodie superest ex multis qui de fluminibus olim Græcè scripserunt, veluti Chrysermus, Archelaus, Timagoras, Asclepiades, alijque.

598 *Spicifera.* Cereri. Manilius:
Spicifera est virgo Cereris.

602 *Nam rara fides vbi iam melior Fortuna ruit.* Pindarus in Nem. ᾠδ. ι.
οἴχεται τιμὰ φίλων τατωμένῳ
φωτί· παῦροι δ' ἐν πόνῳ πιστοὶ βροτῶν
καμάτου μεταλαμβάνειν.
huc pertinet illud Petronij:
Nomen amicitiæ si quatenus expedit hæret,
Calculus in tabula mobile ducit opus.
Cùm fortuna manet, vultũ seruatis amici;
Cùm cecidit, turpi vertitis ora fuga.

622 *Nec tamen omnis, &c.* ostendit auaritiam insatiabilem esse. Lucanus lib. 7.
Sed non impleuit cupientes omnia mentes,
Quicquid fodit Hiber, quicquid Tagus extulit auri,
Quodq́ legit diues summis Arimaspus arenis.
Eandem sententiam habes apud Horatium lib. 3. od. 24. Boëtium lib. 2. de consolat. philosoph met. 2. & lib. 3. met. 3. & Claudianum lib. 1. in Rufin.

Vel mille secent arua coloni:
Solas optat, quas donet, opes.
Colit hic reges, calcet vt omnes,
Perdatq́, aliquos, nullumq́, leuet:
Tantùm vt noceat, cupit esse potens.
Quota pars moritur tempore fati?
Quos felices Cynthia vidit,
Vidit miseros abitura dies.
Rarum est, felix, idemq́, senex.
Cespes Tyrio mollior ostro
Solet impauidos ducere somnos:
Aurea rumpunt tecta quietem,
Vigilesq́, trahit purpura noctes.
O si pateant pectora ditum,
Quantos intus sublimis agit
Fortuna metus. Bruttia coro
Pulsante fretum mitior vnda est.
Pectora pauper secura gerit:
Tenet è patulâ pocula fago;
Sed non trepidâ tenet ipsa manu:
Carpit faciles vilesq́, cibos,
Sed non strictos respicit enses:
Aurea miscet pocula sanguis.
Coniux modico nupta marito,
Non disposito clara monili,
Gestat pelagi dona rubentis,
Nec gemmiferas detrahit aures
Lapis Eoâ lectus in vnda:
Nec Sidonio mollis aheno
Repetita bibit lana rubores:
Nec Maoniâ distinguit acu,
Quæ Phœbeis subditus euris,
Legit Eois Ser arboribus:
Qualibet herbæ tinxere colos,
Quas indoctæ neuere manus.
Sed non dubios fouet illa toros.
Sequitur dira lampade Erinnys
Quorum populi coluere diem.
Nec sibi felix pauper habetur,
Nisi felices cecidisse videt.
Quisquis medium defugit iter,
Stabili nunquam tramite curret.
Dum petit vnum præbere diem,
Patriosq́, puer concitat axes,

640 *Quota pars moritur tempore fati.* Indicat paucos tyrannos non violenta morte mori. Iuuenalis ait:

Ad generum Cereris sine cæde & sanguine pauci
Descendunt reges, & sicca morte tyranni.

645 *Rarum est felix idemq́, senex.* talem Bathonis sententiam alibi posui.

653 *Patula pocula fago.* ita Virgilius:
Tityre tu patulæ recubans sub tegmine fagi.

661 *Detrahit aures* pondere & magnitudine sua deprimit ac deducit. de ornamentis loquitur muliebribus, quæ inaures vocat Vlpianus l.26.D. de auro & arg. leg. de quibus ait Seneca, quid refert quãtum habeat, quot lecticarios, quàm oneratas aures, quàm laxã sellam. quibus addes & illud D. Ambrosij libro 1. de Abraham; quod huc pertinet: Inaures habebat, quæ non grauarent aurem, sed demulcerent: virias, quæ manum non materiali auro onerarent, sed spirituali actu leuarent. quem locum, à, nunquam satis laudato viro, Iacobo Cuiacio accepi. adde quę ex Iuliano & aliis refert Iacobus Ræuardus lib. 1. variorum, cap. 4.

664 *Repetita bibit lana rubores.* de dibapha purpura loquitur, de qua Lazarus Baysius ad legem vestis, D. de auro & arg. leg. cap. 3. Horat. lib. 2. carmin.

——te bis Afro
Murice tinctæ vestiunt lanæ.

Item in Epod.

Muricibus Tyriis iterata vellera lanæ.

666 *Phœbeis.* Orientalibus.

667 *Ser.* ait *arboribus.* quia apud Seres, vt refert Ammianus lib. 23. siluæ sunt sublucidæ, à quibus arborum fœtus, aquarũ crebris asperginibus, velut quædã vellera mollientes, ex lanugine & liquore mixtam quandam subtilitatem tenerrimam, pectunt, nentesque subtemina, conficiunt sericum. Idem referunt Plinius & Solinus, ille lib. 6. nat. histor. cap. 27. hic cap. 51.

672 *Quorum populi coluere diem.* principum & regũ, quorum olim natales dies colebantur, nunc etiã publica lætitia celebrãtur.

678 *Puer.* Phaëthon.

Nec per solitum percurrit iter;
Sed Phœbeis ignota secat
Sidera flammis, errante rotâ;
Secum pariter perdidit orbem.
Medium cæli dum sulcat iter;
Tenuit Latias Dædalus oras,
Nulliq́; dedit nomina ponto.
Sed dum volucres vincere veras
Icarus audet, patriasq́; puer
Despicit alas, Phœboq́; volat
Proximus ipsi, dedit ignoto
Nomina ponto.
Malè pensantur magna ruinis.
Felix alius, magnusq́; volet:
Me nulla vocet turba potentem.
Stringat tenuis litora puppis,
Nec magna meos aura phaselos
Iubeat medium scindere pontum.
Transit tutos fortuna sinus;
Medioq́; rates quærit in alto,
Quarum feriunt suppara nubes.
Sed quid pauido territa vultu,
Qualis Baccho saucia Thyas,
Fertur rapido regina gradu?
Quæ te rursus fortuna rotat,
Miseranda? refer. licet ipsa neges:
Vultus loquitur, quodcunque negas.

687 *Patriasq́; puer Despicit alas.* humilem Dædali volatum contemnit.

698 *Medioq́; rates quærit in alto.* naues quæ secundis ventis, & plenis velis nauigāt, fortuna quærit, vt demergat: quæ verò remis circa litus propelluntur, & metu tempestatis se non audent alto credere, illas præterit. vnde Clitomachus:

τοῖς εὐπαθοῦσιν ἀντιπνέουσ' ἡ τύχη
πάντα συγχεῖ.

ACTVS TERTIVS.

DEIANIRA. CHORVS.

DE. *Vagus per artus errat excussos tremor,*
Erectus horret crinis, impulsis adhuc
Stat terror animis, & cor attonitum salit,
Pauidumq́; trepidis palpitat venis iecur.
Vt fractus austro pontus etiamnum tumet,
Quamuis quiescat languidis ventis dies.
Ita mens adhuc vexatur excusso metu.
Semel profectò premere felices Deus
Cum cœpit, vrget. hos habent magna exitus.
CH. *Quis tam impotens, ô misera, te casus rotat?*
DE. *Vt missa palla est, tabe Nesseâ illita,*
Thalamusq́; mœrens intuli gressum meis,
Nescio quid animus timuit, & fraudem astruit.

707 *Erectus horret crinis.* contingit hoc territis. Virgilius:

——steteruntq́; coma——

Ouidius 3. Metamorph.

——gelidoq́; coma terrore rigebant.

713 *Semel profectò premere felices Deus Cùm cœpit, vrget.* Idem scripsit Philoetas, qui corporis exiguitatem, eruditionis magnitudine pensauit:

οὐδ' ἀπὸ μοίρας τέλος τι κακῶν φέρεσ' ἀλλὰ
φέρουσιν
ἔμπεδα καὶ τοῖσιν ἄλλα προσαυξάνεται.

718 *Fraudem struit.* sic m.s. & Lipsiæ impressi: sed Parisiens. Lugdunens. Veneti quidam, aliique, *astruit*, magis perspicuè. & sic legit Bernard. Gellius.

Libet

Libet experiri: solibus virus ferum,
Flammisq. Nessus sanguinem ostendi arcuit.
Hic ipse fraudes esse præmonuit Deus.
Et fortè nullâ nube respersus iubar
Laxabat ardens feruidum Titan diem.
Vix ora solui patitur etiam nunc timor,
Medios in ignes solis, & claram facem
Quo tincta fuerat palla, vestisq. illita.
Abiectus horret sanguis, & Phœbi comâ
Tepefactus ardet: vix queo monstrum eloqui,
Niues vt eurus soluit, aut tepidus notus,
Quas vere primo lubricus perdit Mimas:
Vtq. euolutos frangit Ionio salo
Opposita fluctus Leucas, & lassus tumor
In litore ipso spumat; aut cælestibus
Aspersa tepidis thura laxantur focis:
Sic languet omne virus, & perdit comam.
Dumq. ipsa miror, causa mirandi perit.
Quin ipsa tellus spumeos motus agit,
Et quicquid illâ tabe contactum est, labat.
[Tumensq. tacita sequitur, & quassat caput.]
Natum pauentem cerno, & ardenti pede
Gressus ferentem, prome quid portes noui.

HYLLVS. DEIANIRA. NVTRIX.

HYL. *I, profuge, quære si quid vlteriùs patet*
Terris, freto, sideribus, Oceano, inferis,
Vltra labores mater Alcidæ fuge.
DE. *Nescio quod animus grande præsagit malum.*
HYL. *Regia triumphi templa Iunonis pete:*
Hæc tibi patent. delubra præclusa omnia.
DE. *Effare, qui me casus insontem premat.*
HYL. *Decus illud orbis, atque præsidium vnicum,*
Quem fata terris in locum dederant Iouis,
O mater, obiit. membra, & Herculeos toros
Vrit lues Nessea. qui domuit feras;
Ille ille victor, vincitur, mœret, dolet.
Quid quæris vltrà? DE. *miserias properant suas*
Audire miseri. fare, quo posita in statu
Iam nostra domus est. ô lares, miseri lares!
Nunc vidua, nunc expulsa, nunc feror obruta.
HYL. *Non sola mæres, Hercules toto iacet*
Mundo gemendus. fata ne mater tua

727 *Abiectus horret sanguis.* in quibusdam v.l. continetur; *Abiectum horret virus, & Phœbi coma Tepescens ardet.* Porrò quia totus iste locus facilè nequit intelligi, nisi ex Sophocle, vnde desumitur, ipsius verba subijciam:

ὃ γὰρ τὸν ἐνδυτῆρα πέπλον ἀρτίως
ἔχριον, ἀργῆτ' οἰὸς εὐέρου πόκῳ,
τοῦτ' ἠφάνισται, διάβορον πρὸς οὐδενὸς
τῶν ἔνδον, ἀλλ' ἐδεστὸν ἐξ αὑτοῦ φθίνει,
καὶ ψῇ κατ' ἄκρας σπιλάδος.

& paullo postea:

τὸ γὰρ κάταγμα τυγχάνω ῥίψασά πως
τῆς οἰός, ᾧ προὔχριον, εἰς μέσην φλόγα
ἀκτῖν' ἐς ἡλιῶτιν. ὡς δ' ἐθάλπετο,
ῥεῖ πᾶν ἄδηλον, καὶ κατέψηκται χθονί.
μορφῇ μάλιστ' εἰκαστὸν, ὥστε πρίονος
ἐκβρώματ' ἂν βλέψειας ἐν τομῇ ξύλου.
τοιόνδε κεῖται προπετές. ἐκ δὲ γῆς ὅθεν
προὔκειτ', ἀναζέουσι θρομβώδεις ἀφροί,
γλαυκῆς ὀπώρας ὥστε πίονος ποτοῦ
χυθέντος εἰς γῆν βακχίας ἀπ' ἀμπέλου.

732 *Leucas.* pro Leucate. Leucadia est regio, (Nerite Plinio) Leucas eius regionis vrbs Straboni: Leucates verò in eadem promontorium; Virgilio lib. 3. Aeneid. sed hæc sæpe confunduntur.

Laxus. quidam manusc. *lapsus*, alij *lassus*. vtrumque recipi potest.

749 *Decus illud orbis, atq. præsidium vnicum.* Sic ista coniunxit etiam Horatius:

O & præsidium & dulce decus meum.

750 *Vrit lues Nessea: qui domuit feras.* O. v. l. *Vrit lues nescio qua: qui domuit feras.* quo ad sententiam, præclarè. quia Hyllus adhuc nesciebat quæ lues Herculem vreret, quoad legem versus, malè.

752 *Miserias properant suas Audire miseri.* videtur Aeschylum imitatus, qui, in Prometheo vincto, scripserat:

—— τοῖς νοσοῦσί τι γλυκὺ
τὸ λοιπὸν ἄλγος προὐξεπίστασθαι τορῶς.

Priuata credas: iam genus totum obstrepit.
Hunc eiulatu, quem gemis, cuncti gemunt.
Commune terris omnibus pateris malum.
Luctum occupasti prima: non sola Herculem
Miseranda mœres. DE. *quàm propè à letho tamen,*
Ede, ede, quæso, taceat Alcides meus.
HYL. *Mors refugit illum, victa quæ in regno suo*
Semel est, nec audent fata tam vastum nefas
Admittere. ipsa forsitan trepida colos
Clotho manu proiecit, & fatum Herculis
Timet peragere: prò diem, infandum diem!
Hócne ille summo magnus Alcides eat
Ad fata, & vmbras, atque peiorem polum?
DE. *Præcedere tu illum dicis? an possum prior*
Mortem occupare? fare, si nondum occidit.
HYL. *Euboica tellus vertice immenso tumens*
Pulsatur omni parte: Phryxeum mare
Scindit Caphareus, seruit hoc austro latus:
At quâ niuosi patitur aquilonis minas,
Euripus vndas flectit instabilis vagas,
Septemq; cursus flectit, & totidem refert,
Dum lassum Titan mergat Oceano iubar.
Hîc rupe celsâ, nulla quam nubes ferit,
Annosa fulgent templa Cænei Iouis.
Vt stetit ad aras omne votiuum pecus,
Totumq; tauris gemuit armentis nemus:
Spolium Leonis sordidum tabo exuit,
Posuitq; clauæ pondus, & pharetrâ graues
Laxauit humeros: veste tunc fulgens tuâ,
Canâ reuinctus populo horrentem comam
Succendit aras: accipe has, inquit, focis
Non false messes genitor, & largo sacer
Splendescat ignis thure, quod Phœbum colens,
Diues Sabæis colligit truncis Arabs.
Pacata tellus, inquit, & cælum, & freta,
Feris subactis omnibus victor redi.
Depone fulmen. gemitus in medias preces
Stupente & ipso, cecidit. hic cælum horrido
Clamore complet: qualis impressâ fugax
Taurus bipenni, vulnus & telum ferens,
Delubra vasto trepida mugitu replet.
Aut quale mundo fulmen emissum tonat:
Sic ille gemitus sidera & pontum ferit,
Et vasta Chalcis sonuit, & voces Cyclas

769 *Magnus Alcides.* Seneca, Medeæ act. 3.
Herculi magno puer irrepertus.
Crispinus, in Heraclea:
Diuinus virtutibus antistans Alcides.
Sic enim in Fulgentij Placiadis libello de expositione sermonum antiquorum, in verbo *Antistare*, legitur: vbi interpretatur eam vocem, præcellere. Symmachus, in epist. *Qui Romanis rebus antistat*: quorum locorum auctoritate videtur illorum sententia confirmari, qui apud Catullum legunt;
Veranni omnibus è meis amicis
Antistans mihi millibus trecentis.
assentior tamen legentibus *Antistes.*
774 *Pulsatur omni parte.* Sophocles, in Trachiniis:
ἀκτή τις ἀμφίκλυστος Εὐβοίας ἄκρον
Κήναιόν ἐστι.
vide Strab. lib. 10. & Lilium Syntagm. 2.
776 *Niuosi.* Plinius, nam memini, alicubi niualem vocat.
778 *Septemq;* iuxta Pomponium Melam lib. 4.
779 *Dum lassum Titan mergit Oceano iubar.* hæc est o. v. l. lectio, & sic ante Ascensium legebatur: primus ille reposuit, *Dum lassa Titan mergat Oceano iuga.* quod (ni fallor) etiam Aegidio Maserio, in Argonaut. Valerij, placuit. scilicet ne versus κακόμετρος.
780 *Hic rupe celsa.* non immeritò tēplum Cænei Iouis in rupe celsa fuit situm. nam Ioui in montibus sacra fiebant. Vnde ait poëta nescio qui;
καὶ βωμὸν ποίησε μέγαν διὸς Ἰκμαίοιο
ἱερά τ' εὖ ἔρρεξεν ἐν οὔρεσιν ——
Herodotus, in Clio: οἱ δὲ νομίζουσι Διὶ μὲν ἐπὶ τὰ ὑψηλότατα τῶν ὀρέων ἀναβαίνοντες, θυσίας ἔρδειν. Melanthes in lib. de sacrificiis: πᾶν δὲ ὄρος, τοῦ Διὸς ὄρος ὀνομάζεται, ἐπεὶ ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς, ὑψίστῳ ὄντι τῷ θεῷ, ἐν ὕψει θυσίας ποιεῖσθαι.
785 *Pharetra graues.* graui, est in v. l.
788 *Aspice has inquit.* vetus hæc est lect.
795 *Hic cælum horrido Clamore complet.* Ouid. 9. Metamorph. tantùm dixerat:
Impleuitq; suis nemorosam vocibus Oethē:
at quanto noster grauior?
796 *Qualis impressa fugax.* hanc similitudinem ab Ouidio commodato accipit. ait enim Ouidius dicto loco;
Haud aliter graditur, quàm si venabula taurus
Corpore fixa gerat, factiq; refugerit auctor.

Excepit omnis. hinc petræ Capharides,
Hinc omne voces reddit Herculeas nemus.
Flentem videmus, vulgus antiquam putat
Rabiem rediſſe: tunc fugam famuli petunt.
At ille vultus igneâ torquens face,
Vnum inter omnes quærit & ſequitur Licham.
Complexus aras ille tremebundâ manu
Mortem metu conſumſit, & parum ſui
Pœnæ reliquit: dumq́ tremebundum manu
Tenuit cadauer; hac manu, inquit, hac ferar
O fata! victus? Herculem perimit Lichas.
Ecce alia clades: Hercules perimit Licham.
Fata inquinantur. fiet hic ſummus labor.
In aſtra miſſus fertur, & nubes vago
Spargit cruore: talis in cælum exilit
Harundo, Geticâ iuſſa dimitti manu,
Aut quam Cydon excuſſit: inferiùs tamen
Et tela fugient. truncus in pontum cadit,
In ſaxa ceruix: funus ambobus iacet.
Reſiſtite, inquit, nón furor mentem abſtulit.
Furore grauiùs iſtud atque irâ, malum eſt.
In me iuuat ſæuire. vix peſtem indicat,
Et ſæuit, artus ipſe dilacerat ſuos,
Et membra vaſtâ carpit auellens manu:
Exuere amictus quærit: hoc ſolum Herculem
Non poſſe vidit: trahere conatus tamen,
Et membra traxit: corporis palla horridi
Pars eſt, & ipſa veſtis immiſcet cutem.
Nec cauſa diræ cladis in medio patet:
Sed cauſa tamen eſt, vixq́ ſufficiens malo.
Nunc ore terram languidus prono ferit,
Nunc poſcit vndas; vnda non vincit malum;
Et nota quærit litora, & pontum occupat.
Famularis illum retinet errantem manus,
O ſortem acerbam, fuimus Alcidæ pares.
Nunc puppis illum litore Euboico refert,
Auſterq́ lenis pondus Herculeum rapit.
DE. *Deſtituit animus membra, nox oculos premit:*
Quid anime ceſſas? quid ſtupes factum ſcelus?
Gnatum repoſcit Iuppiter, Iuno æmulum,
Reddendus orbi eſt: quod poteſt reddi, exhibe.
Eat per artus enſis exactus meos.
Sic ſic agendum eſt? tam leues pœnas manus
Tantis repoſcit? tolle fulminibus ſocer

Nurum

827 *Trahere conatus tamen.* Ouidius lib. 9. Metamorph.
Qua trahitur trahit illa cutem, (fœdumq́ relatu)
Aut hæret mēbris fruſtrà tentata reuelli,
Aut laceros artus & grandia detegit oſſa.

832 *Nunc ore terram.* Sophoc. in Trachin.
—— πολλὰ μὲν πέδοι χθονὶ
ῥίπτων ἑαυτὸν ——

833 *Vnda non vincit malum.* Hyginus, in Parerg. Herculis, de hac re ait: cùm ſe in flumen coniecisset vt ardorem exſtingueret, maior flamma exibat.

839 *Nox oculos premit.* Virgilius:
Olli dura quies oculos & ferreus vrget
Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem.
Horatius lib. 1. carm.
Iam te premet nox, fabulæq́ manes,

846 *Nec leui telo.* fulminum alia grauiora, leuiora alia. illius generis est, quo Phaëthon & Gygantes interemti leguntur: istius, quo Semele combusta fuit. Ouid. 3. Metam.

Nec quo centimanũ deiecerat igne Typhoea
Nũc armatur eo, nimiũ feritatis in illo est:
Est aliud leuius fulmẽ, cui dextra Cyclopũ
Sæuitiæ flãmæq; minus, minus addidit iræ:
Tela secunda vocant superi.

huc respexit Seneca tum hic, tum in Thyeste, ita scribens:

Manuq; nõ qua tecta & immeritas domos
Telo petis minore: sed qua montium
Tergemina moles cecidit, & qui montibus
Stabant pares Gygantes, hac arma expedi.

vbi Tergemina moles dicitur, Olympus, Ossa, & Pelius.

851 *Emitte telum.* fulmen vocat telũ Græcorum imitatione. sic Herodotus: βέλος ἐνίσκηψε θεός. Sophocles:

—— ἐγκατάσκηψον βέλος
πάτερ κεραυνοῦ ——

inuenias simile quid apud Virgil. 9. Aeneid.

857 *Quicquid in mortem trahit telum est abundè.* etiam quoad verbi significationem. in scheda quadam fragmentorum Iurisconsultorum scriptum habetur: " Teli appellatione non tantùm ferrum continetur; " sed omne quod nocendi causa portatur. Sic " Caius lib. 1. ad leg. 12. tab. Teli, inquit, ap" pellatione & ferrum, & fustis, & lapis, & de" nique omne quod nocendi causa habetur, si" gnificatur. l. 233. §. fin. D. de verbor. signif. " Attius, in Chrysippo: Neque quisquam à te" lis vacuus, sed vti cuique obuiam fuerat, fer" rum alius, alius saxum raudémve. Virgilius lib. 7. Aeneid.

—— *quod cuique repertum*
Rimanti telum ira facit.

Telorum genera prosequuntur Leo Imp. in lib. τῶν τακτικῶν, Alexander ab Alexand. li. 6. genial. dierum. cap. 2. Lazius commentar. Reip. Rom. lib. 4. Vegetius, Valturius, & ceteri militaris rei scriptores: & Crinitus de honest. discipl. lib. 13. c. 6. & lib. 19. c. 2.

867 *Herculeus ensis.* sumtum à Virgilio, qui ab Aenea in Elisæ thalamis ensem relictum fingit, quo Dido seipsam interemit. vnde Ouidius:

Prabuit Æneas & causam mortis & ensem,
Ipsa sua Dido concidit vsa manu.

875 *Similem colenti.* propter Busirim hoc dicit. 878 *Facem.* m. s. libri plurium numero *faces.* 884 *Haud est nocens, quicumque haud sponte est nocens.* omne enim, vt inquiunt Theologi, delictum voluntarium est. vnde & Sophocles:

—— ἀμφὶ τοῖς σφαλεῖσι μὴ ἐξ ἑκουσίας,
ὀργὴ αἴτιος ——

Nurum scelestam: nec leuì telo manus
Armetur: istud fulmen exsiliat polo,
Quo, ni fuisset genitus Alcides tibi,
Hydram cremasses: pestem vt insolitam feri,
Et vt nouercâ petus iratâ malum:
Emitte telum; quale in errantem priùs
Phaëthonta missum est. perdidi erepto Hercule
Et ipsa populos. quid rogas telum deos?
Iam parce socero. coniugem Alcidæ, necem
Optare pudeat: hæc erit voto manus.
A me petatur. occupa ferrum ocyùs.
Cur? deme ferrum. quicquid in mortem trahit,
Telum est abundè. rupe ab ætheriâ ferar.
Hæc, hæc renatum prima quæ poscit diem,
O Eta eligatur: corpus hinc mitti placet.
Abrupta cautes scindat, & partem mei
Ferat omne saxum, pendeant laceræ manus,
Totumq; rubeat asperi montis latus.
Leuis vna mors est: leuis, at extendi potest.
Eligere nescis anime cui telo incubes.
Vtinam esset, vtinam fixus in thalamis meis
Herculeus ensis: huic decet ferro immori.
Vna perire dextera nobis sat est?
Coite gentes, saxa & incensas faces
Iaculetur orbis, nulla nunc cesset manus:
Corripite tela, vindicem vestrum abstuli.
Impunè sæui sceptra iam reges gerent,
Impunè iam nascetur indomitum malum.
Reddentur aræ cernere assuetæ hostiam
Similem colenti. sceleribus feci viam.
Ego vos tyrannis, regibus, monstris, feris,
Sæuisq; rapto vindice, opposui deis.
Cessas Tonantis socia? non spargis facem
Imitata fratrem, & mittis ereptam Ioui,
Meq; ipsa perdis? laus tibi erepta inclita est,
Ingens triumphus: æmuli Iuno tui
Mortẽ occupaui. NV. *quid domũ impulsam trahis?*
Erroris istuc omne quodcunque est nefas.
" *Haud est nocens, quicunq; non sponte est nocẽs.*
DE. *Quicunque facto ignoscit, & parcit sibi,*
Errare meruit, morte damnari placet.
NVT. *Nocens videri qui petit, mortem cupit.*
DE. *Mors innocentes sola deceptos facit.*
NVT. *Titana fugies?* DE. *ipse me Titan fugit.*

NV. *Vi-*

NV. *Vitã relinques misera?* DE. *vt Alcidẽ sequar.*
NV. *Superest, & auras ille cælestes trahit.*
DE. *Vinci Hercules cùm potuit, hinc cœpit mori.*
NV. *Natum relinques, fataq́; abrumpes tua?*
DE. *Quæcunque natum sepelit, hæc vixit diu.*
NV. *Virum sequeris?* DE. *prægredi castæ solent.*
NV. *Si te ipsa damnas, sceleris te misera arguis.*
DE. *Nemo nocens sibi ipse pœnas irrogat.*
NV. *Multis remissa est vita, quorum error nocens,*
Non dextra fuerat. fata quis damnat sua?
DE. *Quicunque fata iniqua sortitus fugit.*
NV. *Hic ipse Megaram nempe confixam suis*
Strauit sagittis, atque natorum indoles
Lernea flectens tela furibundâ manu
Ter parricida factus, ignouit tamen
Sibi: nam furoris fonte Cyniphio scelus
Sub axe Libyco tersit, & dextram abluit.
Quò misera pergis? quid tuas damnas manus?
DE. *Damnat meas deuictus Alcides manus:*
Fraudem placet punire. NV. *si noui Herculem,*
Aderit cruenti forsitan victor mali,
Dolorq́; fractus cedet Alcidæ tuo.
DE. *Exedit artus virus, vt fama est, Hydræ:*
Immensa pestis coniugis membra abstulit.
NV. *Serpentis illud virus enectæ autumas*
Haud posse vinci, qui malum & viuum tulit?
Elisit Hydram, dente cùm infixo stetit
Media palude victor, effuso obrutus
Artus veneno. sanguis hunc Nessi opprimet,
Qui vicit ipsas horridi Nessi manus?
DE. *Frustrà tenetur ille, qui statuit mori.*
Proinde lucem fugere decretum est mihi.
Vixit satis, quicunque cum Alcide occidit.
NV. *Per has aniles ecce te supplex comas,*
Atque vbera ista penè materna obsecro,
Depone tumidas pectoris læsi minas,
Mortisq́; diræ expelle decretum horridum.
DE. *Quicunque misero fortè dissuadet mori,*
Crudelis ille est. NV. *interim pœna est mori.*
DE. *Sed sæpe donum.* NV. *in pluribus veniæ fuit.*
Defende saltem dexteram infelix tuam:
Fraudisq́; facinus esse, non nuptæ sciat.
DE. *Defendar illic, inferi soluent ream.*
A me ipsâ damnor: purget has Pluto manus.

890 *At Alcidem sequar.* ita vulgò legitur: o.v.l. habent *vt a. s.*

894 *Quæcunque natum sepelit.* vt ego, quæ eo ipsò quod Herculem occidi, filium quoque meum interemi. ille enim paterno præsidio orbatus, viuere non poterit. locus est difficilis, & mihi de mendo suspectus.

899 *Facta quis damnat sua?* malo cum membranis legere *fata*, quam *facta*. tribuit enim Herculis necem fatali necessitati; quæ quia (sic illi opinabantur) euitari non potuerit; immeritò sibi imputet Deianeira se fatis viam aperuisse. eò spectat quod inf. dicitur:
Ignosce fatis, error à culpa vacat.
quod satis probat proximè sequēs versiculus:
Quicumque fata iniqua sortitus fugit.

902 *Natorum indolem.* natos suos ex Megara. Hellenismus est.

905 *Fonte Cyniphio.* Euripides, in μαινομένῳ, & Seneca in furente Hercule, indicant hanc cædem non fonte Cyniphio, qui iuxta Iouis Ammonis est; sed Athenis Herculem expiasse.

922 *Vixit satis.* Ego hunc versum adhuc Deianiræ; sequētem demum nutrici tribuo: sic, *Vixit satis, &c.*
NVT. *Per has aniles, &c.*

928 *Interim pœna est mori.* fortè legendū: *Interim pœna est mora.* sic Ouidius cecinit;
Morsq́; minus pœna quàm mora mortis habet.
qua de re scripsi Troad. actu 4. num. 996.

Stabo ante ripas immemor Lethe tuas,
Et vmbra tristis coniugem excipiam meum.
Sed tu, nigrantis regna qui torques poli,
Para laborem. scelera quæ quisque ausus est:
Hic vicit error. Iuno non ausa Herculem est
Eripere terris. horridam pœnam para.
Sisiphia ceruix cesset, & nostros lapis
Impellat humeros. me vagus fugiat latex,
Meamq; fallax vnda decipiat sitim.
Merui manus præbere turbinibus tuis,
Quæcunque regem Thessalum torques rota.
Effodiat auidus hinc & hinc vultur fibras.
Vacet vna Danais: has ego explebo vices.
Laxate manes. recipe me comitem tui
Phasiaca coniux, peior hæc, peior tuo
Vtroque dextra est scelere; seu mater nocens,
Seu dira soror es: adde me comitem tuis
Threicia coniux sceleribus: gnatam tuam
Althæa mater recipe: nunc veram tuam
Agnosce prolem. quid tamen tantum manus
Vestræ abstulerunt? claudite Elysium mihi,
Quæcunque fidæ coniuges nemoris sacri
Lucos tenetis: si qua respersit manus
Viri cruore, nec memor castæ facis
Stricto cruenta Belias ferro stetit;
In me suas cognoscat & laudet manus:
In hanc abire coniugum turbam libet.
Sed & illa fugiet turba tam diras manus.
Inuicte coniux, innocens animus mihi,
Scelesta manus est: prò nimis mens credula!
Prò Nesse fallax! namque semiferi dolis
Auferre cupiens pellici, eripui mihi.
Recede Titan; tuq;, quæ blandâ tenes
In luce miseros, vita caritura Hercule.
Lux vilis ista est. exigam pœnas tibi,
Reddamq; vitam. fatáne extendam mea?
Mortemq; coniux in tuas seruem manus?
Virtúsne superest aliqua? armata & manus
Intendere arcum tela missurum valet?
An arma cessant, teq; languenti manu
Non audit arcus? si potest telum dare
Animosa coniux, dexteram expecto tuam.
Mors differatur: frange vt insontem Licham,
Alias in vrbes sparge, & ignotum tibi

940 *Sisyphia ceruix cesset.* Sic Propert. *Sisyphe mole vaces.*

950 *Seu dira soror es.* Medeam alloquitur. ideo malè, qui *es* in *est* mutarunt.

951 *Threicia coniux.* Procne.

952 *Nunc veram tuam agnosce prolem.* Similiter Deianira apud Nasonem; *Tu quoq; cognosces ni me Meleagre sororē.* vtpote quæ studuerim tibi scelere similis esse. Meleager auunculos; Althæa, filium; Deianeira, maritum, & proinde, vt dixi superiùs, filium sustulit.

969 *Fatáne extendam mea?* hoc versu plerique m. s. *extendo*, sequenti verò *seruo* habent. item paulo pòst; *timuit manus*, pro *tremuit.* postremo, *dextera parcunt tua*, non verò, *parcant.*

Emitte

Emitte in orbem. perde vt Arcadiæ nefas,
Et quicquid aliud restitit, ab illis tamen
Coniux redisti. HYL. *parce iam mater precor,*
Ignosce fatis, error à culpâ vacat. "
DE. *Si vera pietas, Hylle, quærenda est tibi,*
Iam perime matrem. pauida quid tremuit manus?
Quid ora flectis? hoc erit pietas scelus.
Ignaue dubitas? Herculem eripui tibi.
Hæc, hæc peremit dextrá; cui debes patri
Auum Tonantem: maius eripui decus,
Quàm in luce tribui. si tibi ignotum est nefas,
A matre disce. seu tibi iugulo placet
Mersisse ferrum, siue maternum libet
Inuadere vterum; mater intrepidum tibi
Præbebit animum. non erit totum scelus
A te peractum. dexterâ sternar tuâ,
Sed mente nostrâ. gnatus Alcidæ times?
Ita nulla peragas iussa: nec peragens mala
Erres per orbem. si qua nascetur fera,
Referas parentem. dexteram intrepidam para.
Patet ecce plenum pectus ærumnis: feri.
Scelus remitto. dexteræ parcunt tuæ
Eumenides ipsæ. verberum crepuit sonus.
Quænam ista torquens angue vipereo comam
Temporibus atras squallidis pinnas quatit?
Quid me flagrante dira persequeris face,
Megæra? pœnas poscit Alcides? dabo.
Iámne inferorum, diua, sedêre arbitri?
Sed ecce diras carceris video fores.
Quis iste saxum immane detritis gerit
Iam senior humeris? ecce iam vectus lapis
Quærit relabi. membra quis præbet rotæ?
Hic ecce pallens dira Tisiphone stetit,
Causam poposcit: parce verberibus precor,
Megæra, parce, sustine Stygias faces.
Scelus est amoris. sed quid hoc? tellus labat,
Et aula tectis crepuit. excessit minax
Vnde iste cœtus? totus in vultus meos
Decurrit orbis, hinc & hinc populi premunt,
Totusq́; poscit vindicem mundus suum.
Iam parcite vrbes. quò fugam præceps agam?
Mors sola portus. dabitur ærumnis locus.
Testor nitentis flammeam Phœbi rotam,
Superosq́; testor, Herculem terris adhuc

1005 *Iámne inferorum diua sedêre arbitri.* Iudex sententiam sedens ferebat, siue pro tribunali, siue de plano sella extra ordinem posita iudicabat. quod apud inferos etiam à trucibus illis quæsitoribus obseruari Seneca indicat, imitatus Propertium, cuius sunt hæc:

Aut si quis posita iudex sedet Æacus vrna,
In mea sortita iudicet ossa pila.
Assideant fratres iuxta Minoida sellam,
Eumenidum intento turba seuera foro.

1012 *Sustine.* contine paulisper. Ouid.

Sæpè Iouem vidi, cùm iam sua mittere vellet
Fulmina, thure dato, sustinuisse manū.

1016 *Fremunt.* o.v.l. habent *premunt.* nec malè.

1032 *Calliopæ genus.* Phanoclem, Apollonium, Asclepiadem, & Virgilium sequitur, qui Orpheum Calliopæ filium faciunt.

1033 *Æternum fieri nihil.* Anicius Boëtius lib. 2. de consolat. philosoph.

Constat, æternaque positumq́; lege est
Vt constet genitum nihil.

1034 *Illius stetit ad modos.* idem Boëtius lib. 3. eiusdem operis:

Quondam funera coniugis
Vates Threicius gemens,
Postquam flebilibus modis,
Siluas currere mobiles,
Amnes stare coëgerat.

1039 *Geten, Hebrum.* Claudianus in præfat. lib. 2. de raptu Proserp.

Vix auditus erat, vēti sternūtur & vnda,
Pigrior astrictis torpuit Hebrus aquis.

1047 *Centauris obitum ferens.* tres lib. scripti, & Badiana editio habent; *Centauros obiter ferens.* vtriusque lectionis perspicua est sententia. 1048 *Et iuxta Rhodope stetit, Laxata niue cantibus.* Claudianus:

Porrexit Rhodope sitientes carmina rupes,
Excussit gelidas pronior Ossa niues.

1050 *Quercum fugiens suam* quibusdam arboribus pagani vnam singulis Dryadem præesse credebant, quarum mors ab arboris eius fato dependeret, vt testis est Ouidius in Metamorph. non vno loco.

1055 *Marmaricus.* sic,

Et sua Marmaricos cogit iuga ferre leones,

inquit Nemesianus, in eclogis; qui non vixit sub Augusto, vt stultè Diomedes Guidalottus, in comment. in Nemesian. & Calpurnium, existimauit, sed diu postea, vt rectè Crinitus tradidit.

1056 *Damæ trepidant lupos.* Claudianus:

Securum blandi leporem fouêre Molossi,
Vicinumq́; latus præbuit agna lupo,
Concordes varia ludunt cū tigride damæ.

Primum Claudiani carmen Boëtius, his verbis, expressit,

Nec visum timuit lepus
Iam cantu placidum canem.

1059 *Per Tænarias fores.* Moschus Siculus, in eclogis:

—— εἰ δυνάμαν δὲ,
ὡς Ὀρφεὺς καταβὰς ποτὶ τάρταρον, ὥς ποκ' Ὀδυσσεύς,
ὡς πάρος Ἀλκείδας, κἠγὼ τάχ' ἂν ἐς δόμον ἦλθον
Πλουτέος —— Virgilius:

Tænarias etiam fauces, alta ostia Ditis,
Et caligantem nigra formidine lucum
Ingressus, manesq́; adiit regēq́; timendum.

Ouid 12. Metamorph.

Ad Styga Tænaria est ausus descendere porta.

Moritura linquo. HYL. *fugit attonita, hei mihi,*
Peracta iam pars matris est: statuit mori.
Nunc nostra superest, mortis auferre impetum.
O misera pietas? si mori matrem vetas;
Patri es scelestus: si mori pateris tamen;
In matre peccas. surgit hinc illinc nefas.
Inhibenda tamen est: pergam, & eripiam scelus.

CHORVS.
Choriambici.

Verum est, quod cecinit sacer
Thressæ sub Rhodopes iugis,
Tangens Threiciam chelym,
Orpheus, Calliopæ genus;
Æternum fieri nihil.
Illius stetit ad modos
Torrentis rapidi fragor,
Oblitusq́; sequi fugas
Amisit liquor impetum:
Et, dum fluminibus mora est,
Defecisse putant Geten
Hebrum Bistones vltimi.
Aduexit volucres nemus,
Et siluâ residens venit;
Aut, si quâ aëra peruolat,
Auditis vaga cantibus
Ales deficiens cadit.
Abrupit scopulos Athos,
Centauris obitum ferens,
Et iuxtà Rhodope stetit
Laxatâ niue cantibus.
Et quercum fugiens suam,
Ad vatem properat Dryas.
Ad cantus veniunt suis
Ipsæ cum latebris feræ.
Iuxtaq́; impauidum pecus
Sedit Marmaricus leo:
Nec damæ trepidant lupos:
Et serpens latebras fugit,
Tunc oblita veneni.
Quin per Tænarias fores,
Manes commonitos adit:
Mœrentem feriens chelym,
Cantu tartara flebili

Et tristes Erebi deos
Mouit, nec timuit Stygis
Iuratos superis lacus.
Hæsit non stabilis rota
Victo languida turbine.
Increuit Tityi iecur,
Dum cantus volucres tenet.
Audito quoque nauita
Inferni ratis æquoris
Nullo remigio venit.
Tunc primùm Phrygius senex
Vndis stantibus immemor
Excussit rabidam sitim,
Nec pomis adhibet manus.
Sed cùm linqueret inferos
Orpheus carmina fundens;
Et vinci lapis improbus,
Et vatem potuit sequi.
Consumtas iterum deæ
Supplent Eurydices colos.
Sed dum respicit immemor,
Nec credens sibi redditam
Orpheus Eurydicen sequi;
Cantus præmia perdidit:
Quæ nata est iterum perit.
Tunc solamina cantibus
Quærens flebilibus modis,
Hæc Orpheus cecinit Getis.
Leges in superos datas,
Et qui tempora digerens,
Quattuor præcipitis Deus
Anni disposuit vices,
Nulli non auidas * *polo*
Parcas stamina nectere.
Quod natum est, poterit mori.
Vati credere Thracio
Deuictus iubet Hercules.
Iam iam legibus obrutis
Mundo cùm veniet dies;
Australis polus obruet

Cassius Parmensis, in Orpheo:
Ausus & ire viam mortalibus incôcessam
Pœnarũ oblitos demulsit carmine manes.

1066 *Hæsit non stabilis rota Victo languida turbine.* Virgilius:
Atque Ixionei vento rota constitit orbis.

Ouidius:
—— stupuitq; Ixionis orbis.

Boëtius Seuerinus:
Non Ixioneum caput
Velox præcipitat rota.

1069 *Dum cantus volucres tenet.* Ouid.
Nec carpsêre iecur volucres.

Boëtius:
Vultur, dum satur est modis,
Non carpsit Tityi iecur.

1070 *Nauita.* Charon, qui Sanctij mei, hominis doctissimi, iudicio est à χάρωπος dictus. Natalis à χαίρω deducit. Ego Aegyptium nomen esse censeo. nam Aegyptij portitorem sic appellant, vt docet Caietanus, & alij quidam. Vnde videntur Græcis dicta χαρώνεια, quasi Charontis ostia & portus, quę Romani Deorum Manium seu inferorum ostia appellabant.

1073 *Phrygius senex.* Tantalus. Ouid.
—— nec Tantalus vndam
Captauit refugam ——

Boëtius:
Et longa site perditus
Spernit flumina Tantalus.

1087 *Quæ nata est.* o. v. l. habent; *quæ data est.* non placet.

1097 *Quod natum est, poterit mori.* Seneca senior, in epistolis, ait: Cui nasci contigit, restat mori. Item: Lex vetus est, quæ iubet nasci & mori.

1098 *Vati credere Thracio.* hoc epithetum Orpheo Phanocles, Ouidius, Virgilius & Claudianus tribuunt. De Orpheo ἀλληγορικῶς ista Festus Auienus:
Threicius quõdã vates fide creditur canora
Mouiss. sensus acrium ferarum, leg. *colo.*
Atque amnes tenuisse vagos ——
Et surda cantu concitasse saxa:
Suauisonosq; modos testudinis arbores secutæ
Vmbram feruntur præbuisse vati.
Sed placidis hominum dictis fera corda mitigauit,
Doctaq; vitam voce temperauit,
Iustitiã docuit, cœtu quoq; cõgregauit vno,
Moresq; agrestes expoliuit Orpheus.

*Quic-*hunc Orphea Aristoteles & Cicero fuisse negant. At Arnobius etiã scripsisse testatur li. 5. contra gentes ita scribens: Libros sumant Threicij vatis, quos esse memorant antiquitatis diuinæ, hic Arnobij locus me admonet alterius apud eundẽ loci, qui hunc, aliquot lineis interpositis, præcedit: quem adscribam, vt emendari debet. est autem huiusmodi; Sitienti ardori oggerit potionem cinnum, cyceonem quem nuncupat Græcia.

pro *cynum* reposui *cinnũ*. cinnus apud veteres, teste Nonio, potionis genus est ex multis liquoribus confectum. de cyceone Clemens Alexandrinus ἐν τῷ προτρεπτικῷ inquit: ξενίσουσα ἡ Βαυβὼ τὴν Δηὼ ὀρέγει κυκεῶνα αὐτῇ.
1103 *Libyam*. Africam, quam sic antiqui vocabant. sic accipe Pompeiorum epitaphia quæ sequuntur:

Magne premis Libyam, fortes tua pignora nati
Europam atque Asiam, nomina quanta iacent? Item:
Membra pater Libyco posuit malè tecta sepulcro, &c. Item:
Diuersis iuuenes Asia atque Europa sepulcris
Distinet, infida Magne iaces Libya.

Varro Attacinus de Pompeio Magno, Catone Vticensi, & quodam Licino:

Litore diuerso Libyæ, clarissima quondam
Nomina, vix vllo condita sunt tumulo
Magnus, & humano maior Cato, qui procul à te
Aspicit, heu, cineres Roma iacere suos.
Marmoreo Licinus tumulo iacet, at Cato paruo,
Pompeius nullo. credimus esse Deos?

1107 *Siccus boreas*. sic Lucanus:

Pigro bruma gelu siccisque aquilonibus hærens.

boreas enim idem qui aquilo.
1131 *Atra nube*. in v. l. *nube atra* legitur.
1136 *Partem in omnem*. cùm in omnibus m. s. & in plerisq; impressis lib. legatur; *Nunc parte in omni Iuppiter specta poli*. sunt qui reponant; *Nunc partem in omnem Iuppiter specta poli*. idq; aiunt se facere propter versiculum hunc; *Nunc parte ab omni genitor iratus tona* qui tamē faceret vt ego mallem legere, *Nunc parte ab omni Iuppiter specta poli*. 1137 *Gigas*. Gigantomachiam alibi perduellium conatibus accommodaui. posset etiam plebeiorum cōtra optimates bellis applicari. Iouis enim filij à Pindaro diuites ac nobiles dicuntur; & Deorum plerique Iouis filij fuerunt, & Iuppiter Diuûm pater à bono poëta vocatur. Terræ filij homines viles & ignobiles appellantur à Cicerone. Minucius quoque, in Octauio, ait: Ignobiles & ignotos, terræ filios nuncupamus. Porrò gigantes dicti videntur παρὰ τὸ ἐκ γῆς ἰέναι, quòd è terra exiuerint. 1138 *Othrys*. non sic Othrym dixit, quasi putet sub eo Enceladum oppressum iacere: sed exempli causa, quia præcedenti carmine dixerat,

Ne quis gigas Thessalica iaculetur iuga.

1140 *Patri*. Saturno hoc Ioui apud Claudian. lib. 1 de raptu Proserp. Pluto minatur:

—— patefacta ciebo
Tartara, Saturni veteres laxabo catenas.

Quicquid per Libyam iacet,
Et sparsus Garamas tenet:
Arctous polus obruet,
Quicquid subiacet axibus,
Et siccus boreas ferit:
Amissum trepidus polo
Titan excutiet diem.
Cæli regia concidet,
Certos atque obitus trahet,
Atque omnes pariter deos
Perdet mors aliqua, & chaos.
Et mors fata nouissima
In se constituet sibi.
Quis mundum capiet locus?
Discedet via tartari,
Stratis vt pateat polis?
An quod diuidit æthera
A terris spacium, sat est,
Et mundi nimium malis?
Quis tantum capiet nefas
Fati? quis superis locus?
Pontum, sidera, tartara,
Regna vnus capiet tria.
Sed quis non modicus fragor
Aures attonitas mouet?
Est, est Herculeus sonus.

ACTVS QVARTVS.

Trimetri & Anapæstici.

HERCVLES. CHORVS.

HER. *Conuerte Titan clare anhelantes equos,*
Emitte noctem, pereat hic mundo dies,
Quo moriar: atra nube inhorrescat polus.
Obstet nouercæ. nunc pater cæcum chaos
Reddi decebat: hinc & hinc compagibus
Ruptis vterque debuit frangi polus.
Quid parcis astris? Herculem amittis pater.
Nunc parte in omni Iuppiter specta poli:
Ne quis gigas Thessalica iaculetur iuga,
Et fiat Othrys pondus Encelado leue.
Laxabit atri carceris iam iam fores
Pluton superbus, vincula excutiet patri,
Cælumq; reddet. ille, qui, pro fulmine

Tuisq. facibus, natus in terris eram,
Ad Styga reuertor. surget Enceladus ferox,
Mittetq., quo nunc premitur, in superos onus.
Regnum omne genitor ætheris dubium tibi
Mors nostra faciet. antequam spolium tui
Cælum omne fiat; conde me totâ pater
Mundi ruinâ: frange, quem perdis polum.
CH. *Non vana times nate Tonantis,*
Iam Thessalica Pelion Ossa
Premet, & Pindo congestus Athos
Nemus ætherius inseret astris.
Vincet scopulos inde Typhoeus,
Et Tyrrhenam feret Inarimen.
Feret Ætnæos inde caminos,
Scindetq. latus montis aperti,
Nondum Enceladus fulmine victus.
Iam te cæli signa sequentur.
HER. *Ego, qui relictâ morte, contemta Styge,*
Per media Lethes stadia cum spolio redi,
Cùm penè trepidus excidit Titan equis:
Ego, quem deorum regna senserunt tria,
Morior: nec vllus per meum stridet latus
Transmissus ensis. haud meæ telum necis
Saxum est, nec instar montis abrupti latus,
Aut totus Othrys. non truci vultu Gigas,
Pindo cadauer obruit toto meum.
Sine hoste vincor: quodq. me torquet magis,
(*O mi-*

1155 *Inarimen.* post Virgilium omnes Latini poëtæ hoc vsurparũt. Virgilius à multis reprehẽsus fuit. & quę Nicolaus Erythręus in indice Virgiliano adfert, talia sunt, ipsa vt magis defensoribus indigeant, quàm Maronem defendant. quid, quęso, simile habet Inalpinus cum Inarimis? hoc proprium, illud appellatiuum est. quæ terrarum portio Inalpes, aut Inalpinia dicitur? at duo hæc vt sint similia, illud necesse fuerit.

1160 *Per media Lethes stadia.* sic in o.v.l. legitur, nec sensus ratio, nec carminis natura repugnat, quin hoc amplectamur. scansio erit ista;

- ∪ ∪ Per medi ∪ - a Le - ∪ ∪ thes stadi ∪ - a cum ∪ ∪ - spolio ∪ - redij.

nam *redy* contrahetur, quemadmodum in hoc versu;

Et fata vici morte contemta redij.

Iam Lethes stadia dixit, sicut Claudianus Erebi spacia,

—— qui pascua mandunt
Cocyti, spaciisq. Erebi nigrantibus errant.

alludens ad immensum illud inane in quo inferos statuebant.

1163 *Nec vllus per meum stridit latus.* querela hæc Herculis magna ex parte à Sophocle in Trachiniis desumta fuit. ait ille:

κοὐ ταῦτα λόγχη πεδιὰς, οὔθ' ὁ γηγενὴς
στρατὸς γιγάντων, οὔτε θήρειος βία,
οὔθ' Ἑλλὰς, οὔτ' ἄγλωσσος, οὔθ' ὅσην ἐγὼ
γαῖαν καθαίρων ἱκόμην, ἔδρασέ πω.
γυνὴ δὲ, θῆλυς οὖσα, κοὐκ ἀνδρὸς φύσιν,
μόνη με δὴ καθεῖλε φασγάνου δίχα.

quæ carmina sic Cicero 2. Tusculan. vel potiùs Attius reddidit:

Hos non hostilis dextra, non terra edita
Moles Gigantũ, non biformato impetu ◆

◆ *Centaurus ictus corpori inflixit meo,*
Non Graia vis, non barbara vlla immanitas,
Non sæua terris gens relegata vltimis,
Quas peragrans vndiq. omnem hinc feritatẽ expuli:
Sed feminea vir, feminea interimor manu.

Nihil autem obstat quo minùs eadem opera ex eodem etiam libro reliquos etiam versus adscribam, Sophocleis quibus respondent, appositis, quo faciliùs vnusquisque possit illos cum Græcis conferre; vt meo labore, quãtum in me quidem, aliorum labori consulatur. Cicero ait:

O multa dictu grauia, perpessu aspera,
Quæ corpore exantlaui, atque animo pertuli.

Sophocles:

ὦ πολλὰ δὴ καὶ θερμὰ, ἔ λόγῳ κακὰ,
καὶ χερσὶ καὶ νώτοισι μοχθήσας ἐγώ.

Cicero:

Nec mihi Iunonis terror implacabilis,
Nec tantum inuexit tristis Eurystheus mali,
Quantum vna vecors Oenei partu edita.
Hæc me irretiuit veste furiali inscium,
Quæ lateri adhærens morsu lacerat viscera,
Vrgensq. grauiter pulmonum haurit spiritus,
Iam decolorem sanguinem omnem exsorbuit,
Sic corpus clade horribili absumtum extabuit,
Ipse illigatus peste interimor textili.

Sophocles:

κοὔπω τοιοῦτον οὔτ' ἄκοιτις ἡ Διὸς
προὔθηκεν, οὔθ' ὁ στυγνὸς Εὐρυσθεὺς ἐμοὶ,
οἷον τόδ' ἡ δολῶπις Οἰνέως κόρη
καθῆψεν ὤμοις τοῖς ἐμοῖς Ἐριννύων
ὑφαντὸν ἀμφίβληστρον, ᾧ διόλλυμαι.
πλευραῖσι γὰρ προσμαχθὲν, ἐκ μὲν ἐσχάτας
βέβρωκε σάρκας, πλεύμονός τ' ἐξ ἀρτηρίας
ῥοφεῖ ξυνοικοῦν, ἐκ δὲ χλωρὸν αἷμά μου
πέπωκεν ἤδη, καὶ διέφθαρμαι δέμας
τὸ πᾶν, ἀφράστῳ τῇδε χειρωθεὶς πέδῃ.

bona sunt hæc: sed aut fallor, aut longè πραγματώτερα ista Senecæ:

Eheu quis intus scorpio, quis feruida
Plaga reuersus cancer infixus meas

Vrit medullas: sanguinis quondam capax
Tumidi iecur pulmonis arentes fibras
Distendit; ardet felle siccato iecur,
Totumq́; lentus sanguinem auexit vapor.
Primum cutem consumsit: hinc aditus (nefas)
In membra fecit: abstulit costis iecur:
Exedit artus penitus, & totas malum
Hausit medullas; ossibus vacuis sedet:
Nec ossa durant ipsa; sed compagibus
Discussa ruptis mole collapsa fluunt.
Defecit ingens corpus & pesti satis
Herculea non sunt membra.

Cicero:

O nate, verè hoc nomen vsurpa patri,
Ne me occidentem matris superet caritas.
Huc arripe ad me manibus abstractam piis,
Iam cernam men' an illam potiorem putes.
Perge, aude nate, illacruma patris pestibus,
Miserere. gentes nostras flebunt miserias.

Sophocles:

ὦ παῖ, γενοῦ μοι παῖς ἐτήτυμος γεγὼς,
καὶ μὴ τὸ μητρὸς ὄνομα πρεσβεύσῃς πλέον.
δός μοι χεροῖν σαῖν αὐτὸς ἐξ οἴκου λαβὼν
εἰς χεῖρα τὴν τεκοῦσαν, ὡς εἰδῶ σάφα
εἰ τοὐμὸν ἀλγεῖς μᾶλλον, ἢ κείνης ὁρῶν
λωβητὸν εἶδος ἐν δίκῃ κακούμενον.
ἴθ' ὦ τέκνον, τόλμησον, οἴκτειρόν τέ με
πολλοῖσιν οἰκτρόν.

quod vltimum interpretatus Cicero,

—— gentes nostras flebunt miserias.

longiusculè à Græco recessit: verum noluit verbum verbo reddere, quod nec fidus interpres curat, vt ex sequentibus etiam patet.

Cicero:

Heu virginalem me ore ploratum edere,
Quem vidit nemo, vlli ingemiscentem malo!
Sic feminata virtus afflicta occidit?
Accede nate, assiste, miserandum aspice
Euisceratum corpus lacerati patris.
Videte cuncti ——

at Sophocles:

—— ὅστις ὥστε παρθένος
βέβρυχα κλαίων, καὶ τόδ' οὐδ' ἂν εἷς ποτε
τόνδ' ἄνδρα φαίη πρόσθ' ἰδεῖν δεδρακότα,
ἀλλ' ἀστένακτος αἰὲν ἑσπόμην κακοῖς.
νῦν δ' ἐκ τοιούτου θῆλυς ηὕρημαι τάλας.
καὶ νῦν προσελθὼν στῆθι πλησίον πατρός·
σκέψαι δ' ὁποίας ταῦτα συμφορᾶς ὕπο
πέπονθα· δείξω γὰρ τάδ' ἐκ καλυμμάτων·
ἰδοὺ, θεᾶσθε πάντες ἄθλιον δέμας·
ὁρᾶτε τὸν δύστηνον, ὡς οἰκτρῶς ἔχω.

horum versuum priorem partem Seneca imitatur:

Vnde iste fletus? vnde in has lacrymæ genas?
Inuictus olim vultus, & nunquam malis
Lacrymas suis præbere consuetus (pudor)
Iam flere didicit. quis diem fletum Herculis,
Quæ terra vidit? siccus ærumnas tuli.

ideo apud eundem Hercules furore solutus dixerat:

—— hic durus malis
Lacrymare vultus nescit ——

quamuis apud Euripidem ἐν τῷ μαινομένῳ inquiat; innumeris laboribus perfunctus, neque vllum mali genus fugi.

—— οὔτ' ἀπ' ὀμμάτων
ἔσταξα πηγάς. οὐδ' ἂν ᾠόμην ποτὲ
εἰς τοῦθ' ἱκέσθαι, δάκρυ' ἀπ' ὀμμάτων βαλεῖν.

Cicero:

—— tuq́; cælestûm pater
Iace obsecro in me vim coruscam fulminis.

Sophocles:

ἔνσεισον ὦ 'ναξ, ἐγκατάσκηψον βέλος
πάτερ κεραυνοῦ.

Seneca:

Vnicum fulmen peto, &c.

hanc enim partem noster poëta latiùs quàm Sophocles, vt & Sophocles fusiùs Cicerone, tractauit. Cicero:

Nunc nunc dolorum anxiferi torquent vertices.
Nunc serpit ardor. ô ante victrices manus!
O pectora! ô terga! ô lacertorum tori!

Sophocles:

ἔθαλψεν ἄτης σπασμὸς ἀρτίως. ὅδ' αὖ
διῇξε πλευρῶν ——

Idem paullo postea:

—— δαίνυται γὰρ αὖ πάλιν.
ἰὼ θηκεν. ἐξώρμηκεν. ὦ χέρες, χέρες!
ὦ νῶτα, καὶ στέρν' ὦ φίλοι βραχίονες.

Cicero:

Vestrône pressu quondam Nemeæus leo
Frendens efflauit grauiter extremum halitum?
Hæc dextra Lernam tetra mactata excetra
Placauit?

Sophocles:

ὑμεῖς ἐκεῖνοι δὴ καθέσταθ', οἵ ποτε
Νεμέας ἔνοικον βουκόλων ἀλάστορα
λέοντ', ἄπλατον θρέμμα, κἀπροσήγορον
βίᾳ κατειργάσασθε, Λερναίαν θ' Ὕδραν.

quæ quadamtenus Seneca expressit:

His ego lacertis spolia Nemeæi mali
Elisa pressi?

postremo quæ Sophocles protulerat in hunc modum:

διφυῆ τ' ἄμικτον ἱπποβάμονα στρατὸν
θηρῶν, ὑβριστήν, ἄνομον, ὑπείροχον βίαν,
Ἐρυμάνθιόν τε θῆρα, τόν θ' ὑπὸ χθονὸς
Ἅιδου τρίκρανον σκύλακ' ἀπρόσμαχον τέρας
δεινῆς ἐχίδνης θρέμμα, τόν τε χρυσέων
δράκοντα μήλων φύλακ' ἐπ' ἐσχάτοις τόποις.
ἄλλων τε μόχθων μυρίων ἐγευσάμην,
κοὐδεὶς τροπαῖ' ἔστησε τῶν ἐμῶν χερῶν.

illa Cicero sic expressit:

—— hæc bicorporem afflixit manum:
Erymanthiam hæc vastificam abiecit belluam:
Hæc à Tartarea tenebrica abstractum plaga
Tricipitem eduxit Hydra generatum canem:
Hæc interemit tortu multiplicabili
Draconem, auriferam obtutu obseruantē arborem.
Multa alia victrix nostra lustrauit manus,
Nec quisquam è nostris spolia cepit laudibus.

(O misera virtus!) summus Alcidæ dies
Nullum malum prosternit. impendo, hei mihi,
In nulla vitam facta. prò mundi arbiter,
Superiq; quondam dexteræ testes meæ!
Prò cuncta tellus! Herculis vestri placet
Mortem perire? dirus ô nobis pudor!
O turpe fatum! femina Herculeæ necis
Auctor feretur, auctor Alcides quibus?
Inuicta si me cadere femineâ manu
Voluere fata; perq; tam turpes colos
Mea mors cucurrit; cadere potuissem hei mihi,
Iunonis odio. feminæ caderem minis,
Sed cælum habentis. Si nimus superis fuit:
Scythico sub axe genita domuisset meas
Vires Amazon. feminæ cuius manu
Iunonis hostis vincor? hinc grauior tui
Nouerca pudor est: quid diem hunc letum vocas?
Quid tale tellus genuit iratæ tibi?
Mortalis odia femina excessit tua.
Adhuc ferebas esse te Alcidæ imparem:
Victa es duobus. pudeat irarum deos,
Vtinam meo cruore satiasset suos
Nemeæa rictus pestis: aut centum anguibus
Vallatus Hydram tabe pauissem meâ.
Vtinam fuissem præda, Centauris datus:
Aut inter vmbras vinctus, æterno miser
Saxo sederem, spolia cùm traxi vltima
Fato stupente. tunc ab infernâ Styge
Lucem recepi, Ditis euici moras.
Vbique me mors fugit: vt letho inclito
Fortis carerem. prò feræ victa! ô feræ!
Non me triformis sole conspecto canis
Ad Styga reduxit: non sub Hesperio polo
Ibera vicit turba pastoris feri,
Non gemina serpens: perdidi mortem, hei mihi,
Toties honestam. titulus extremus quis est?
CH. *Viden' vt laudis conscia virtus*
Non Lethæos horreat amnes?
Pudet auctoris, non morte dolet.
Cupit extremum finire diem
Vastâ pressus mole gigantum,
Et montiferum Titana pati,
Rabidæq; necem debere feræ.
Si tuæ causa est miseranda necis:

Quòd

a

1169 *O misera virtus.* de hoc Herculis dicto sunt hæc Dionis historici lib. 47. ἀπογνοὺς μὲν τὴν σωτηρίαν, ἀπαξιώσας δὲ τὴν ἅλωσιν, ἐς τὸν θάνατον καὶ αὐτὸς κατέφυγε, καὶ ἀναβοήσας τοῦτο δὴ τὸ Ἡράκλειον, ὦ τλῆμον ἀρετὴ, λόγος ἄρ᾽ ἦσθα ἄλλως, ἐγὼ δέ σε ὡς ἔργον ἤσκουν, σὺ δ᾽ ἄρ᾽ ἐδούλευες τύχῃ.

1181 *Sed nimis superis fuit.* sic priùs legebatur: nos edi curauimus; *Si nimis superis fuit: Scythico, &c.* o. scilicet v. l. lectionẽ amplexi: neque de ea dubitandum quidquam putamus; cuius valde commodior est sententia. defendi tamen potest vulgata lectio.

1187 *Femina excessit tua.* in v. l. legitur *exstinxit*: sed non ausim receptam lectionem reiicere. nam Mogunt. etiam *excessit.*

1194 *Victus.* omnes membranæ *vinctus* habent; præter Mogunt. qui, *victus.*

1210 *Monstriferum.* in antiq. codicibus continetur *montiferum* nec malè potest videri dictum, quia gigantes fulmine icti, iis montibus oppressi iacent, quibus sibi viam in cœlum struxerant. q. m. l. *mortifferum.* non probo.

Quòd nulla fera est, nullusq́; gigas:
Iam quis dignus necis Herculeæ
Superest auctor, nisi dextra tui?
HER. *Eheu quis intus scorpius, quis feruidâ*
Plagâ reuersus cancer infixus meas
Vrit medullas? sanguinis quondam capax
Tumidi iecur pulmonis arentes fibras
Distendit; ardet felle siccato iecur;
Totumq́; lentus sanguinem auexit vapor.
Primam cutem consumsit: hinc aditus nefas
In membra fecit, abstulit costis latus.
Exedit artus penitus, & totas malum
Hausit medullas, oßibus vacuis sedet:
Nec ossa durant ipsa; sed compagibus
Discußâ ruptis mole collapsâ fluunt:
Defecit ingens corpus, & pesti satis
Herculea non sunt mẽbra. prò quantũ est malum,
Quod esse vastum fateor! ô dirum nefas!
En cernite vrbes, cernite ex illo Hercule
Quid iam supersit. Herculem agnoscis pater?
His ego lacertis spolia Nemeæi mali
Elisa preßi? tensus hac arcus manu.
Astris ab ipsis detulit Stymphalidas?
His ego citatam greßibus vici feram,
Radiante clarum fronte gestantem caput?
His fracta Calpe manibus elisit fretum?
His tot feræ, tot scelera, tot reges iacent?
His mundus humeris sedit? hæc moles mei est?
Hæc illa ceruix? has ego opposui manus
Cælo ruenti? cuius ô custos manu
Trahetur vltra Stygius? vbi vires priùs
In me? sepultæ. quid patrem appello Iouem?
Quid per Tonantem vendico cælum mihi?
Iam iam meus credetur Amphitryo pater.
Quæcunque pestis viscere in nostro lates,
Procede, quid me vulnere occulto petis?
Quis te sub axe frigido pontus Scythes,
Quæ pigra Tethys genuit, aut Maurum premens
Ibera Calpe litus? ô dirum malum!
Vtrúmne serpens, squallidum cristâ caput
Vibrans, an aliquod es mihi ignotum malum?
Nunquid cruore es genita Lernææ feræ?
An te reliquit Stygius in terris canis?
Omne es malum, nullumq́;. quis vultus tibi est?
Con-

1232 *Agnoscis.* antea erat *agnoscas.* ego secutus v.l. *agnoscis* reposui.

1233 *His ego lacertis.* sic Ouid. 9. Metam. *His elisa iacet moles Nemeæa lacertis.*

1235 *Stymphalidas.* hoc quoque Ouidius posuerat.

1240 *His mundus humeris sedit.* Ouid. *Hac cælum ceruice tuli.*

1256 *Omne es malum, nullumq́;.* omne, quia quoduis malum te exsuperare sentio: nullum, quia quid sis ignoro.

Concede saltem scire, quo peream malo.
Quæcunque pestis, sæua quæcunque es fera;
Palàm timeres. quis tibi in medias locum
Fecit medullas? ecce, direptâ cute
Viscera manus detexit: vlterior tamen
Inuenta latebra est. ô malum simile Herculi!
Vnde iste fletus? vnde in has lachrymæ genas?
Inuictus olim vultus & nunquam malis
Lachrymas suis præbere consuetus (pudor!)
Iam flere didicit. quis dies fletum Herculis,
Quæ terra vidit? siccus ærumnas tuli.
Tibi illa virtus; quæ tot elisit mala,
Tibi cessit vni. prima, & ante omnes mihi
Fletum abstulisti. durior saxo horrido,
Et chalybe vultus, & vaga Symplegade
Rictus meos infregit, & lachrymam extulit.
Flentem, gementem, summe prô rector poli,
Me terra vidit: quodq́ me torquet magis,
Nouerca vidit. vrit ecce iterum fibras,
Incaluit ardor: vnde nunc fulmen mihi?
CHO. *Quid non possit superare dolor?*
Quondam Getico durior Hæmo,
Nec Parrhasio lentior axe,
Sæuo cessit membra dolori,
Fessumq́ mouens per colla caput
Latus alterno pondere flectit.
Fletum luctus sæpe resoluit.
Sic Arctoas laxare niues,
Quamuis tepido sidere Titan,
Non tamen audet: vicitq́ faces
Solis adusti glaciale iubar.

HERCVLES. ALCMENA.

HER. *Conuerte vultus ad meas clades pater.*
Nunquam ad tuas confugit Alcides manus:
Non, cùm per artus Hydra fœcundum meos
Caput implicaret. inter infernos lacus
Possessus atrâ nocte cum fato steti,
Nec inuocaui: tot feras vici horridas,
Reges, tyrannos: non tamen vultus meos
In astra torsi. semper hæc nobis manus
Votum spopondit: nulla propter me sacro
Micuere cælo fulmina: hic aliquid dies
Optare iussit: primus audierit preces,

1264 *Inuictus olim vultus, & nunquam malis Lachrymas suis præbere cōsuetus, (pudor) Iam flere didicit.* hanc lectionem in omnibus schedis inueni: nisi quòd pro *suis*, malè quædam *suas* continebant.

1270 *Durior saxo horrido Et chalybe vultus.* monent nonnulli hanc comparationem sumtam ex Ouidio lib. 14. Metamor. de Anaxarete:

Sæuior illa freto surgente cadentib. austris,
Durior & ferro, quod Noricus excoquit ensis,
Et saxo, quod adhuc viuū radice tenetur.

Sic Moschus ἐν τῇ Μεγάρᾳ de Hercule:

πέτρης ὅγ' ἔχων νόον ἠὲ σιδήρου
καρτερὸν ἐν στήθεσσι ——

Ennius, Andromacha, vt lego;

Sed quasi ferrum aut lapis dura est.

1283 *Fletum virtus sæpe resoluit.* o. v. l. pro *virtus*, habent *luctus*.

1298 *Audierit.* in s. *audiuit.* nil muto.

Idemq́; summus. vnicum fulmên peto.
Giganta, crede. non minùs cælum mihi
Asserere potui: dum patrem verum puto,
Cælo peperci. siue crudelis pater,
Siue es misericors; commoda gnato manum.
Propera ante mortem, & occupa hanc laudem tibi.
Vel, si piget, manusq́; detrectat nefas,
Emitte Siculo vertice ardentes, pater,
Titanas in me; qui manu Pindum ferant,
Aut te, Ossa; qui me monte proiecto opprimant.
Abrumpe & Erebi claustra. me stricto petat
Bellona ferro. mitte Gradiuum trucem;
Armetur in me dirus, & frater quidem,
Sed ex nouercâ. tu quoque Alcidæ soror
Tantum ex parente, cuspidem in fratrem tuum
Iaculare Pallas. supplices tendo manus
Ad te nouerca; sparge tu saltem, precor,
Telum: perire femina possum manu.
Iam fracta, iam satiata, quid pascis minas?
Quid quæris vltrà? supplicem Alciden vides.
Et nulla tellus, nulla me vidit fera
Te deprecantem: nunc mihi iratâ quidem
Opus est nouercâ, nunc tuus cessat dolor?
Nunc odia ponis? parcis, vbi votum est mori?
O terræ & vrbes? non facem quisquam Herculi,
Non arma tradet? tela subtrahitis mihi?
Ita nulla sæuas terra concipiat feras
Post me sepultum: nec meas vnquam manus
Imploret orbis: si qua nascetur fera,
Nascatur alius: vndique infelix caput
Mactate saxis: vincite ærumnas meas.
Ingrate cessas orbis? excidimus tibi?
Adhuc malis ferisq́; suppositus fores,
Ni me tulisses: vindicem vestrum malis
Excipite populi: tempus hoc vobis datur,
Pensate merita. mors erit precium omnium.
AL. *Quas misera terras mater Alcidæ petam?*
Vbi natus, vbinam est? certa si visus notat,
Reclinis ecce corde anhelanti æstuat,
Gemit, peractum est. membra complecti vltima
O nate liceat: spiritus fugiens meo
Legatur ore: brachia in amplexus cape.
Vbi membra sunt? vbi illa, quæ mundum tulit,
Stelligera ceruix? quis tibi exiguam tui
Par-

1314 *Pallas.* apud Sophoclem quoque in Trachiniis, Hercules Palladis opē implorat

1328 *Nascatur alius.* mihi similis: qui illas interimat.

1330 *Ingrate cessas orbis?* sic Sophocles in eadem tragœdia:

——πόθι ἐστ' ὦ
πάντων Ἑλλάνων
ἀδικώτατοι ἀνέρες, οὓς δὴ
πολλὰ μὲν ἐν πόντῳ,
κατά τε δρία πάντα καθαίρων,
ὠλεκόμαν ὁ τάλας. & quæ sequuntur,

Partem reliquit? HER. *Herculem spectas quidem*
Mater, sed vmbra simile nescio quid mei
Agnosce mater: ora quid flectis retro,
Vultumq́ue mœrens? Herculem dici tuum
Partum erubescis? AL. *quis feram mūdus nouam,*
Quæ terra genuit? quódve iam dirum nefas
De te triumphat? victor Herculis quis est?
HER. *Nuptæ iacentem cernis Alciden dolis.*
AL. *Quis tantus est, qui vincat Alciden dolus?*
HER. *Quicunque mater feminæ iratæ sat est.*
AL. *At vnde in artus pestis, aut ossa incidit?*
HER. *Aditum venenis palla femineis dedit.*
AL. *Vbinam ipsa palla est? membra nudata intuor.*
H. *Consumpta mecū est.* A. *tantáne inuēta est lues?*
HER. *Errare mediis credo visceribus meis,*
O mater, Hydram; & mille cum lerna feras.
Quæ tanta nubes flamma Sicanias bibit?
Quæ Lemnos ardens? quæ plaga inferni poli,
Vetans flagranti currere in zona diem?
In ipsa me iactate, prò comites, freta,
Mediosq́ue in amnes: qui sat est Ister mihi?
Non ipse terris maior Oceanus meos
Franget vapores: omnis in nostris malis
Deficiet humor, omnis arescet latex.
Quid rector Erebi me remittebas Ioui?
Decuit tenere. redde me tenebris tuis:
Talem subactis Herculem ostende inferis:
Nil inde ducam. quid? times iterum Herculem?
Inuade mors non trepida. iam possum mori.
AL. *Compesce lachrymas saltē, & ærumnas doma,*
Malisq́ue tantis Herculem indomitum refer,
Mortemq́ue vince, quod soles, vince inferos.
HER. *Si me catenis horridus vinctum suis*
Præberet auidæ Caucasus volucri dapem,
Scythiâ gemente, flebilis gemitus mihi
Non exstitisset. si vagæ Symplegades
Vtraque premerent rupe; redeuntis minas
Ferrem ruinæ. Pindus incumbat mihi
Atque Hæmus, & qui Thracios fluctus Athos
Frangit, Tonantis fulmen excipiens Iouis:
Non ipse si in me, mater, hic mundus ruat,
Superq́ue nostros flagret incensus rogos
Phœbeus axis; degener mentem Herculis
Clamor domaret. mille decurrant feræ,

1358 *Errare.* N. ex vno m.s. hunc versum transposuit: cui, quia quotquot vidi v. l. vulgatis cōsentientes repugnant, nō assentior.

1367 *Rector Erebi.* Sophocleus etiā Hercules Plutonem inuocat.

1377 *Scythia gementem.* quid si legas *gemente?* planè in sequenti versu elegantiùs legeretur *excidisset.* sed non quia elegantiùs statim reponendum: quia aliter cuncti libri. nec malè.

Pariterq́; lacerent, hinc feris clangoribus
Ætheria me Stymphalis, hinc taurus minax
Ceruice totâ pulset, & quicquid furit:
Solum quoque ingens surgat, hinc illinc fremens,
Artusq́; nostros durus imminuat dolor;
Sparsus silebo. non feræ excutient mihi,
Non arma gemitus: nil, quod impelli potest.
AL. *Non virus artus nate femineum coquit,*
Sed dura series operis, & longus tibi
Fauet cruentis forsitan morbis dolor.
HER. *Vbi mors? vbi illa? testis est aliquis mali?*
Intendat arcus, nuda sufficiet manus:
In orbe mecum veniat, huc aliquis mihi
Procedat, agedum huc. AL. *hei mihi sensus quoque*
Excussit ille, nimius impulsus dolor.
Remouete quæso tela, & infestas precor
Rapite hinc sagittas. igne suffusæ genæ
Scelus minantur. quâ fugâ latebras petam?
Dolor iste furor est: Herculem solus domat.
Cur deinde latebras aut fugam vecors petam?
Obire forti meruit Alcmene manu:
Vel scelere pereat: antequàm lethum mihi
Ignauus aliquis mandet, ac turpis manus
De me triumphet. ecce lassatus malis
Sopore fessas alligat venas dolor,
Grauiq́; anhelum pectus impulsu quatit.
Fauete superi: si mihi gnatum inclitum
Miseræ negatis; vindicem saltem, precor,
Seruate terris. abeat excussus dolor,
Corpusq́; vires reparet Herculeum suas.

1407 *Meruit.* pro *meruit* in antiquis impressis, qui recentioribus plerumque sunt fideliores, & in libris scriptis legitur, *meminit.*

HYLLVS. ALCMENA.
HERCVLES.

HYL. *Prò lux acerba! prò capax scelerum! dolor!*
Nurus Tonantis occidit, natus iacet,
Nepos supersum: scelere materno hic perit,
Fraude illa capta est. quis per annorum vices,
Totoq́; in æuo poterit ærumnas senex
Referre tantas? vnus eripiet dies
Parentem vtrunque. cætera vt sileam mala,
Parcamq́; fatis; Herculem amitto patrem.
AL. *Compesce voces inclitum Alcidæ genus,*
Miseræq́; fato similis Alcmenæ nepos:
Longus dolorem forsitan vincet sopor.

1422 *Eripiet.* in Sophoclis Trachiniis, non quidem hoc ipse Hyllus queritur, sed nutrix introducitur inquiens;
κλαίων ὅδ' ἔνεκ' ἐκ δυοῖν ἔσοιθ' ἅμα
πατρός τ' ἐκείνης τ' ὠρφανισμένος βίον.
1425 *Compesce vocem.* est hoc quoque è Sophocle:
σίγα τέκνον ——
&,
—— ἀλλ' ἴσχε δεικνὺς
στόμα σόν ——

Sed

Sed ecce lassam deserit mentem quies,
Redditq́; morbo corpus, & luctus mihi.
HER. *Quid hoc? rigenti cernitur Trachyn iugo?*
At inter astra positus euasi genus
Mortale? tandem quis mihi cælum parat?
Te te pater iam video, placatam quoque
Specto nouercam. qui sonus nostras ferit
Cælestis aures? Iuno me generum vocat.
Video nitentem regiam clari ætheris,
Phœbiq́; tritam flammeâ zonam rotâ:
Cubile video Noctis, hinc tenebras vocat.
Quid hoc? quis axem cludit, & ab ipsis pater
Deducor astris? ora Phœbeus modò
Afflabat axis. tam propè à cælo fui.
Trachyna video: quis mihi terras dedit?
Modò nempe me infra steterat, ac totus mihi
Suppositus orbis. tam benè excideras dolor.
Cogis fateri: parce, & hanc vocem occupa.
Hæc, Hylle, dona matris, hoc munus parat.
Vtinam liceret stipite ingesto impiam
Effringere animam; quale Amazonium malum
Circa niualis Caucasi domui latus.
O clara Megara, túne, cùm furerem, mihi
Coniux fuisti? stipitem atque arcus date:
Dextra inquinetur, laudibus maculā imprimam.
Summus legatur femina Herculeus labor.
HYL. *Compesce diras genitor irarum minas.*
Habet, peractum est: quas petis pœnas, dedit:
Suâ peremta dexterâ mater iacet.
HER. *Cæci dolores, manibus irati Herculis*
Occidere meruit: perdidit comitem Lychas.
Sæuire in ipsum corpus exanime impetus
Atque ira cogit. cur minis nostris caret?
Ipsum cadauer pabulum accipiant feræ.
HYL. *Plus misera læso doluit: huic aliquid quoque*
Detrahere velles. occidit dextrâ suâ,
Tuo dolore. plura, quàm poscis, tulit.
Sed non cruentæ sceleribus nuptæ iaces,
Nec fraude matris: Nessus hos struxit dolos;
Ictus sagittis qui tuis vitam expulit.
Cruore tincta est palla semiferi, pater,
Nessusq́; nunc has exigit pœnas sibi.
HE. *Habet, peractum est: fata se nostra explicant.*
Lux ista summa est: quercus hanc sortem mihi

Fati-

1435 *Generum.* Heben mihi despondet.

1456 *Sua perempta dexterâ mater iacet.* Sophocles:

Ὕλλ. αὐτὴ πρὸς αὐτῆς, οὐδενὸς πρὸς ἐκτόπου.
Ἡρ. οἴμοι. πρὶν ὡς χρῆν σφ' ἐξ ἐμῆς θανεῖν χερός;

1458 *Perdidit comitem Lychas.* me scilicet. fortassis tamen rectiùs legeretur; *Perdidit comitem Lycham.* hoc est, causa fuit cur ego comitem meum Lycham occiderim.

1470 *Habet, peractum est.* idem ante aliquot versus posuit. Quod verò sequitur;

—— *fata se nostra explicant,*
Lux ista summa est ——

hoc in nullis v.l. inuenitur. Porrò decorū hoc loco noster in Herculis persona diligentiùs seruauit, quàm Sophocles; qui Herculem, vt intellexit mortem sibi instare, viro forti non satis dignas voces tribuit:

Ἰοὺ ἰοὺ δύστηνος. οἴχομαι τάλας.
ὄλωλ', ὄλωλα. φέγγος οὐκέτ' ἐστὶ μοι.
οἴμοι.

quis quæso virorum? eia mitto virorum, quæ quæso muliercula tam flebiliter eiularet?

Fatidica quondam dederat, & Parnaßio
Cirrhea quatiens templa mugitu nemus.
Dextra peremti victor Alcide viri
Olim iacebis: hic tibi emenso freta,
Terrasque & vmbras, finis extremus datur.
Nil querimur vltra. decuit hunc finem dari,
Ne quis superstes Herculis victor foret.
Nunc mors legatur, clara, memoranda, inclita,
Me digna prorsus. nobilem hunc faciam diem.
Cædatur omnis silua, & OEteum nemus
Suscipiat ignis: Herculem accipiat rogus.
Sed ante mortem tu, genus Pæantium,
Hoc triste nobis iuuenis officium appara,
Herculea totum flamma succendat diem.
Ad te preces nunc Hylle supremas fero:
Est clara, captas inter inclytum genus
Regnumq; referens, Euryto virgo edita,
Iole: tuis hanc facibus & flammis para.
Victor cruentus abstuli patrio à lare,
Nihilq; miseræ præter Alciden dedi;
Et ipse rapitur: penset ærumnas suas,
Iouis nepotem foueat, & natum Herculis.
Tibi illa pariat quicquid ex nobis habet.
Tuq; ipsa planctus pone funebres, precor,
O clara genitrix. viuet Alcides tuus.
Virtute nostrâ pellicem feci tuam
Credi nouercam. siue nascente Hercule
Nox illa certa est; siue mortalis meus
Pater est, licet sit falsa progenies mihi;
Materna culpa cesset, & crimen Iouis.
Merui parentem: contuli cælo decus.
Natura me concepit in laudes Iouis.
Quin ipse quanquam Iuppiter credi meus
Pater esse gaudet: parce iam lacrymis parens,
Superba matres inter Argolicas eris.
Quid tale Iuno peperit, ætherium gerens
Sceptrum, & Tonanti nupta? mortali tamen
Cælum tenens inuidit, Alciden suum
Dici esse voluit. Perage nunc Titan vices
Solus relictus: ille qui vester comes
Vbique fueram, tartara & manes peto.
Hanc tamen ad imos perferam laudem inclitam:
Quòd nulla pestis vicit Alciden palàm,
Omnemq; pestem vicit Alcides palàm.

CHO-

1474 *Dextra perempti. &c.* Sophocles:
ἐμοὶ γὰρ ἦν πρόφαντον ἐκ πατρὸς πάλαι,
πρὸς τῶν πνεόντων μηδενὸς θανεῖν ὕπο,
ἀλλ' ὅστις ᾅδου φθίμενος οἰκήτωρ πέλοι.

1475 *Olim.* hæc vox, vt Nonius & Seruius scribunt, etiam futurum tempus significat. Sic hic capitur, & apud Virgilium;
Hunc tu olim cælo spoliis Orientis onustum
Accipies secura.
Lucilius, si quidem emendentur versus ex coniectura nostra, Sat. lib. 19.
Sic tu illos fructus quæras aduersa hieme olim,
Quis vti possis & delectare domi te.
posterior versus apud Nonium habetur ita scriptus;
Quis vti possis hac delectare domi ve.
planè mendosè. Romæ in quodam marmore Transtiberinæ regionis sculptum est:
Quisquis es, aut olim nostra de stirpe futurus,
Sis memor antiqui nominis & tituli.

1483 *Genus Pæantium.* Philoctera.

1487 *Est clara captas inter, inclytum genus Regnumq; referens.* ex hac antiqua lectione nihil mutari velim. sensus enim est luce meridiana clarior. Præterea hæc à Sophocle accepit.

1492 *Et iste rapitur.* O. v. l. continent *ipse.*

CHORVS.

Sapphici.

O decus mundi, radiate Titan;
Cuius ad primos Hecate vapores
Lassa nocturnæ leuat ora bigæ;
Dic sub aurora positis Sabæis,
Dic sub occasu positis Iberis,
Quiq́ue feruentem patiuntur axem,
Quiq́ue sub plaustro patiuntur vrsæ;
Dic, ad æternos properare manès
Herculem, & regnum canis inquieti,
Vnde non vnquam remeauit vllus.
Sume, quos nubes radios sequantur.
Pallidus mœstas speculare terras,
Et caput turpes nebulæ pererrent.
Quando, prò Titan, vbi, quóve summe
Herculem in terris alium sequeris?
Quas manus orbis miser inuocabis,
Si qua sub terra numerosa pestis
Sparget intentam rabiem draconis;
Arcadum si quis, populi vetusti,
Fecerit siluas aper inquietas;
Thraciæ si quis Rhodopes alumnus
Durior terris Helices niuosæ
Sparget humano stabulum cruore?
Quis dabit pacem populo timenti;
Si quid irati superi per vrbes
Iusserint nasci? iacet omnibus par,
Quem parem tellus genuit Tonanti.
Planctus immensas resonet per vrbes,
Et, comas nullo cohibente nodo,
Femina exsertos feriat lacertos;
Solaq́ue obductis foribus deorum,
Templa securæ pateant nouercæ.
Vadis ad Lethen, Stygiumq́ue litus,
Vnde te nullæ referent carinæ.
Vadis ad manes miserandus, vnde
Morte deuictâ tuleras triumphum.
Vmbra nudatis venies lacertis,
Languido vultu, trepidoq́ue collo.
Teq́ue non solum feret illa puppis,
Non tamen viles eris inter vmbras,
Æacumq́ue inter, geminosq́ue Cretas,

1516 *Radiate Titan.* Sol radiis coronate. Attius, in Phœnissis, citante Prisciano, in libello de versibus comicis:

Sol, qui micantẽ candido curru atq́ue equis
Flammã citatis feruido ardore explicas,
Quàm natum aduerso augurio atque inimico omine
Thebis radiatum lumen ostendis tuum.

Lucretius:

Matutina rubent radiati lumina solis.

Idem;

—— dum veniat radiatum insigne diei.

Ouidius:

—— quid nunc Hyperione nate,
Forma colorq́ue tibi, radiataq́ue lumina prosunt?

1518 *Lassa nocturnæ leuat ora bigæ.* Caius Cæsar lib. 1. de analogia; non posse dici Latinè quadrigam credidit, vnde nec bigam dicendum videretur. Cæsaris verba sunt hæc: Num tu harum rerum natura accidere arbitraris, quod vnam terram & plures terras, & vrbẽ & vrbes, & imperium & imperia dicamus; neque quadrigam in vnam nominis figuram redigere, neque arenas in multitudinis appellationem conuertere possimus. Varro etiam libro 9. de ling. Latina in eam sententiam pronior videtur, vt non satis aptè in vnius numero bigam vel quadrigam dicamus. Sed neutra Cæsaris opinio posteritati placuit, vt ex subiectis testimoniis apparet. Ipse Varro, in Exdemetrico, non quadrigas, sed, si vera referunt antiqui Grammatici, quadrigam dixit. & Papinius:

Rorifera gelidum tenuauit aëra biga.

& Vlpianus quadrigæ, inquit, vsufructu legato. Virgilius;

—— quàm multa Zephyro turbãtur arena.

Ouidius:

Ille potest vacuo furari litore arenas.

Catullus:

Laserpiti feris iacet arenis.

Seneca: *—— serpens Libycis arenis*
Concidit Mopsus ——

1525 *Vnde non vnquam remeauit vllus.* Philetas: —— ἀτραπὸν εἰς ἀΐδαο νέοντο τὴν οὔπω τις ἐναντίον ἤλυθεν ὁδίτης. Seneca Hippolyti actu 1.

—— non vnquam amplius
Conuexa tetigit supera, qui mersus semel
Adiit silentem nocte perpetua domum.

Seneca senior, in ludo de morte Claudij: Cyllenius illum obtorto collo trahit è cælo ad inferos, vnde negant redire quemquam. quæ postrema verba Catulli sunt.

Facta discernens. fieri tyranni
Parcite ô dites, inhibete dextras.
Laudis est, purum tenuisse ferrum:
Dumq; regnabas, minimum cruentis
In tuas vrbes licuisse fatis.
Sed locum virtus habet inter astra:
Sedis Arctoæ spacium tenebis?
An grauis Titan vbi promit æstus,
An sub occasu tepido nitebis;
Vnde commisso resonare Ponto
Audies Calpen? loca quæ sereni
Deprimes cæli? quis erit recepto
Tutus Alcidæ locus inter astra?
Horrido tantum procul à Leone
Det pater sedes, calidoq; Cancro,
Ne tuo vultu tremefacta leges
Astra conturbent, trepidetq; Titan.
Vere dum flores venient tepenti;
Et comam siluis hiemes recident;
Vel comam siluis reuocabit æstas;
Pomaq; autumno fugiente cedent;
Nulla te terris rapiet vetustas.
Tu comes Phœbo, comes ibis astris.
Antè nascetur seges in profundo,
Vel fretum dulci resonabit vnda:
Antè discedet glacialis vrsæ
Sidus, & ponto vetito fruetur;
Quàm tuas laudes populi quiescant.
Te pater rerum miseri precamur,
Nulla nascatur fera, nulla pestis,
Non duces sæuos miseranda tellus
Habeat, nec vlla dominetur aula;
Cui potest solum decus esse regni,
Semper impensum tenuisse ferrum.
Si quid in terris iterum timetur,
Vindicem terræ petimus relictæ.
Heu quid hoc? mundus sonat. ecce mæret,
Mæret Alcide pater? an deorum
Clamor, an vox est timidæ nouercæ?
Hercule an viso fugit astra Iuno?
Lassus an pondus titubauit Atlas?
An magis diri tremuere manes
Herculem, an visum canis inferorum
Fugit abruptis trepidus catenis?

1557 *Fata discernens.* melius v.l. *facta,* continent.

1576 *Tepenti.* Maximianus:
Veris honos tepidi flores, vere omnia rident.

1583 *Vetito fruetur.* Idem tradit antiquus ille poëta, qui Cretica conscripsit:
Teq; Lycaonia mutata semine nympha,
Quam gelido raptam de vertice Nonacrina,
Oceano prohibet semper se tinguere Tethys:
Ausa sua quia sis quondam subcumbere alumna.
apud Higyn. leguntur mendosi.
vides igitur causam cur vrsa se mari abluere nequeat.

Falli-

Fallimur. læto venit ecce vultu,
Quem tulit Paas, humerisq; tela
Gestat, & notas populis pharetras,
Herculis hæres.

ACTVS QVINTVS.

NVTRIX. PHILOCTETES.

NV. *Effare casus iuuenis Herculeos precor,*
Vultuq; quonam tulerit Alcides necem.
PH. *Quo nemo vitam.* NV. *lætus adeóne vltimos*
Inuasit ignes? PH. *esse iam flammas nihil*
Ostendit ille, qui sub occasu Hercules
Virtute vinci docuit indomita omnia.
NV. *Inter vapores quis fuit forti locus?*
PH. *Quod vnum in orbe venerat nondũ malum,*
Et flamma victa est: hac quoque accessit feris:
Inter labores ignis Herculeos abit.
NV. *Edissere agedum, flamma quo victa est modo?*
PH. *Vt omnis OEten mœsta corripuit manus:*
Hinc fagus vmbras perdit, & tota iacet
Succisa trunco, flexu hinc pinum ferox
Astris minantem, & nube de mediâ vocat.
Ruitura cautes mouit, & siluam trahit
Secum minorem. Chaonis quondam loquax
Stat vasta latè quercus, & Phœbum vetat,
Vltraq; totos porrigit ramos nemus:
Gemit illa multo vulnere impresso minax,
Frangitq; cuneos: resilit excussus chalybs,
Vulnusq; ferrum patitur, & truncum fugit:
Commota tandem est: tunc cadens lentâ morâ
Duxit ruinam. protinus radios locus
Admisit omnes. sedibus pulsæ suis
Volucres pererrant nemore succiso diem,
Quæruntq; lassis garrulæ pinnis nemus.
Iamq; omnis arbor sonuit, & sacræ quoque
Sensere quercus horridam ferro manum,
Nulliq; priscum profuit ligno nemus.
Aggeritur omnis silua, & alternæ trabes
In astra tollunt Herculi angustum rogum.
Rapit alta flammas pinus, & robur tenax,
Et breuior ilex: silua contexit pyram,
Populea silua frondis Herculeæ nemus.
At ille, vt ingens, nemore sub Nasamonio,
Æger reclini pectore admugit leo;

1617 *Fagus vmbras perdit.* fagus, cùm sit vt plurimum patulis diffusa ramis, multam vmbram facit: iisque abscissis, vmbram perdit. Theocr.

—— *σκιερὰν δ' ὑπὸ φαγόν.*

1621 *Chaonis quondã loquax.* de hac quercu ait Sophocles:

—— *καὶ πολυγλώσσου δρυός.*

Sophocli consentiunt Lycophron in Cassandra, Apollonius in Argonauticis, Higynus lib. 2 astronom. & Claudianus in panegyr. de 6. consulat. Honorij.

1622 *Stat lata vasti quercus.* Ouidius 7. Metamorph.

Stabat in his ingens annosa robore quercus
Vna nemus.

1623 *Vltraq; totos porrigit ramos nemus.* Ouidius;

—— *cætera tantum*
Silua sub hac omnis, quantum fuit herba sub illa.

1624 *Gemit illa* Ouidius:

—— *gemitumq; dedit decidua quercus.*

1628 *Duxit ruinam.* Ouidius:

—— *labefactaq; tandem*
Ictibus innumeris, adductaq; finibus arbor
Corruit, & multam prostrauit pondere siluam.

1636 *Herculi augustum rogum.* legendum sine dubio cum v. l. est *angustum.* ait enim inferius:

—— *latuit in spolio rogus.*

Fertur. quis illum credat ad flammas rapi?
Vultus petentis astra, non ignes erant.
Vt preßit OEten, ac suis oculis rogum
Lustrauit; omnes fregit impositus trabes.
Arcumq́ poscit: accipe hæc, inquit, sate
Pæante dona, munus Alcidæ cape.
Has Hydra sensit, his iacent Stymphalides,
Et quicquid aliud eminus vici malum.
Victure felix. has enim numquam irritas
Mittes in hostes: siue de media voles
Auferre volucres nube; descendent aues,
Et certa prædam tela de cælo ferent:
Nec fallet vnquam dexteram hic arcus tuam.
Librare telum didicit, & certam dare
Fugam sagittis, ipsa non fallunt iter
Emissa neruo tela. tu tantum, precor,
Accommoda ignes, & facem extremam mihi.
Hic nodus, inquit, nulla quem capiet manus,
Mecum per ignem flagret: hoc telum Herculem
Tantum sequetur. hoc quoque acciperes, ait,
Si ferre posses: adiuuet domini rogum.
Tum rigida secum spolia Nemeæi mali
Arsura poscit. latuit in spolio rogus.
Ingemuit omnis turba, nec lachrymas dolor
Cuiquam remisit. mater in luctum furens
Diduxit auidum pectus, atque vterotenus
Exserta, vastos vbera in planctus ferit:
Superosq́ & ipsum vocibus pulsans Iouem,
Impleuit omnem voce femineâ locum.
Deforme lethum mater Herculeum facis,
Compesce lachrymas, inquit; introrsus dolor
Femineus abeat: Iuno cur lætum diem
Te flente ducat? pellicis gaudet suæ
Spectare lachrymas. comprime infirmum iecur
Mater: nefas est vbera atque vterum tibi
Laniare, qui me genuit. & dirum fremens,
Qualis per vrbes duxit Argolicas canem
Cum victor Erebi Dite contemto redit
Tremente fato; talis incubuit rogo.
Quis sic triumphans lætus in curru stetit
Victor? quis illo gentibus vultu dedit
Leges tyrannus? quanta pax obitus tulit?
Hæsere lachrymæ, cecidit expulsus dolor
Nobis quoque ipsis: nemo morituro ingemit.

1659 *Hic nodus.* Senecæ repugnat Pisander; qui clauam Herculis æream fuisse refert; at Seneca ligneã. Nodum enim hic, clauam interpretor nodosam: vnde dictum, nodosæ robora clauæ. Scio quæ de nodo Herculeo prodita sunt à Plinio lib. 26 cap. 6. Macrobio lib. 1. Saturnal. cap. 19. & Festo, in voce, cingulum: sed hunc locum ad ea accommodare, hominis foret aliud agentis.

1660 *Hoc telum.* Nodus hic.

1664 *Spolio.* pelle leonis Nemeæi, qua Hercules indutus fingitur. quia prisci homines pellibus corpora contegebant. qui quia, nondum reperto telorum vsu, lignis vim hostium retundebant, ideo Herculi clauam veteres attribuerunt. Diodor. Siculus lib. 1.

1670 *Voce feminea.* clamore, qui femineus dicitur Philostrato in Heroicis, Virgilio 2. Aeneid. Ouidio 12. Metamorph. & Silio libro 15. Sicut & vlulatus feminei, Virg. 4. & 9. Aeneid. Valerius Flaccus 4. Argonaut. Silius lib. 13. eiulatus muliebres Tacitus lib. 15. & querelas muliebres Claudianus de victoria Stilicho. cont. Alari. dixerunt. D. Cyrillus ait: *φιλόδακρύ πως ἀεὶ τὸ θῆλυ γένος.* quo spectat illud:

Vt fleant oculos erudiêre suos.

est enim de mulieribus dictum. vetus poëta;

Fletus muliebri ingenio est additus.

1672 *Dolor femineus.* ab Archilocho sumtum, qui ait:

τλῆτε, γυναικεῖον πένθος ἀπωσάμενοι.

1675 *Comprime.* m. f. habent *contine.*

Infirmum. tenerum.

Iecur. iecur nominat, quia in eo amoris & beneuolentiæ sedes statuitur, vt diximus.

Iam flere pudor est: ipsa, quam sexus iubet
Mærere, siccis hæsit Alcmene genis,
Stetitq́, nato pœnè iam similis parens.
NVT. *Nulláſne in astra misit ad superos preces*
Arsurus? aut in vota respexit Iouem?
PH. *Iacuit sui securus, & cælum intuens*
Quæsiuit oculis; arce an ex aliquâ pater
Despiceret illum. tum manus tendens ait;
Quacunque parte prospicis natum pater,
Iste est pater; quem nocte commissâ dies
Quæsinit vnus. si meas laudes canit
Vtrumque Phœbi litus, & Scythiæ genus,
Et omnis ardens ora quam torret dies:
Si pace tellus plena, si nullæ gemunt
Vrbes, nec aras impias quisquam inquinat;
Si scelera desunt; spiritum admitti hunc precor
In astra. nec me mortis infernæ locus,
Nec mœsta nigri regna conterrent Iouis:
Sedire ad illos vmbra, quos vici, deos,
Pater, erubesco. nube discussâ diem
Pande, vt deorum vultus ardentem Herculem
Spectet. licet tu sidera & mundum neges,
Vltrò pater cogêre. si voces dolor
Abstulerit vllas; pande tum Stygios lacus,
Et redde fatis. approba gnatum prius.
Vt dignus astris videar, hic faciet dies.
Leue est quod actum est. Herculem genitor prius
Inuenit, an damnauit? hoc postquam addidit;
Nouerca cernat, quo feram flammas modo;
Flammas poposcit. hoc age Alcidæ comes,
Non segnis, inquit, corripe OEteam facem.
Quid dextra tremuit? num manus pauida impiũ
Scelus refugit? redde iam pharetras mihi
Ignaue, iners. inermis est nostros manus
Quæ tendat arcus. quis sedet pallor genis?
Animo faces inuade, quo Alciden vides
Vultu iacêre. respice arsurum miser.
Rogat ecce me iam genitor, & pandit polos.
Venio pater. vultuq́, non idem fuit.
Tremente pinum dexterâ ardentem impuli:
Refûgit ignis, & reluctantur faces,
Et membra vitant: sed recedentem Hercules
Insequitur ignẽ: Caucasum, aut Pindũ, aut Atho
Ardere credas: nullus erupit sonus,

Quid misera duras vita? quid lucem hanc tenes?
Quem parere rursus Herculem possum Ioui?
Quis me parentem gnatus Alcmenam suam
Tantus vocabit? ô nimis felix, nimis
Thebane coniux! Tartari intrasti loca
Florente gnato; teq; venientem inferi
Timuere forsan; quod pater tantum Herculis
Vel falsus aderas. quas petam terras anus,
Inuisa sæuis regibus? si quis tamen
Rex est relictus sæuus. hei misera mihi?
Quicunque cæsos ingemunt gnati patres,
A me petent supplicia: me cuncti obruent.
Si quis minor Busiris, aut si quis minor
Antæus, vrbes perfidæ terrent plagæ:
Ego præda ducar. si quis Ismarios greges
Thracis cruenti vindicat: carpent greges
Mea membra diri. forsitan pœnas petet
Irata Iuno. totus vretur dolor:
Secura victo tandem ab Alcide vacat:
Pellex supersum, supplicia de quâ exigat.
Ne párere possem, fecit hic gnatus mihi
Vterum timendum. quæ petam Alcmene loca?
Quis me locus, quæ regio, quæ mundi plaga
Defendet? aut quas mater in latebras agar?
Vbique certè nota. si patriam petam,
Laresq; miseros; Argos Eurystheus tenet.
Orbata Thebas, regnum & Ismenum petam,
Thalamosq; nostros, in quibus quondam Iouem
Dilecta vidi? prò nimis felix, nimis,
Si fulminantem & ipsa sensissem Iouem.
Vtinam meis visceribus Alcides foret
Exsectus infans. nunc datum est miseræ, datum,
Videre gnatum laude certantem Ioui:
Et hoc daretur scire, quod fatum mihi
Eripere posset. quis memor viuet tui
O gnate populus? omne iam ingratum est genus.
Petam Cleonas? Arcadum an populos petam?
Meritisq; terram nobilem quæram tuis?
Hic dira serpens cecidit, hic ales fera,
Hic rex cruentus, hic tua fractus manu;
Qui te sepulto possidet cælum Leo.
Si grata terra est, populus Alcmenam tuam
Defendat omnis. Thracias gentes petam,
Hebriq; populos? hæc quoque est meritis tuis

De-

1808 *Omne iam ingratum est genus.* in v. L. apertè scriptum exstat non *iam*, sed *nam*.
1810 *Terram nobilem.* D. Hieronymus, in prologo Machabæorum, bis hoc epithetum terræ tribuit.

Defensa tellus. stabula cum regno iacent:
Hic pax cruento rege prostrato data est.
Vbi enim negata est? quod tibi infelix anus
Quæram sepulchrum? de tuis totus rogis
Contendat orbis. reliquias magni Herculis
Quis populus, aut quæ templa, quæ gentes colent?
Quis tam petet, quis poscet Alcmenes onus?
Quæ tibi sepulchra gnate, quis tumulus sat est?
Hic totus orbis. fama erit tumulus tibi.
Quid anime trepidas? Herculis cineres tene,
Complectere ossa, reliquiæ auxilium dabunt,
Erunt satis præsidia, terrebunt tuæ
Reges vel vmbræ. PH. *debitos gnato quidem*
Compesce fletus mater Alcmene incliti.
Non est gemendus, nec graui vrgendus nece,
Virtute quisquis abstulit fatis iter.
Æterna virtus Herculem fleri vetat;
Fortes vetat mærere, degeneres iubet.
AL. *Sedabo questus? vindicem amisi parens*
Terræ atque pelagi, quaq; purpureus dies
Vtrunque clarâ spectat Oceanum rotâ.
Quot misera in vno condidi gnato parens?
Regno carebam, regna sed poteram dare.
Vna inter omnes terra quas matres gerit,
Votis peperci. nil ego à superis peti,
Incolume gnato: quid dare Herculeus mihi
Non poterat ardor? quis deus quicquam mihi
Negare poterat? vota in hac fuerant manu:
Quicquid negaret Iuppiter, daret Hercules.
Quid tale genitrix vlla mortalis tulit?
Defleuit aliqua mater, & toto stetit
Succisa fœtu, bisq; septenos greges
Deplanxit vna: gregibus æquari meus
Quot ille poterat? matribus miseris adhuc
Exemplar ingens deerat; Alcmene dabit.
Cessate matres, pertinax si quas dolor
Adhuc iubet lugere; quas luctus grauis
In saxa vertit; cedite his cunctæ malis.
Agedum. senile pectus ô miseræ manus
Pulsate. & vna funeri tanto sat est
Grandæua anus, defecta, quod totus breui
Iam quæret orbis? expedi in planctus tamen,
Defessa quamquam brachia: vt inuidiam deis
Lugendo facias, aduoca in planctum genas.

ALC-

1829 *Debitos gnato quidem.* prius editum fuit *indebitos*; id alij mutarunt, & reposuerũt *debitos*, quod o.v.l. confirmant: sed quæ sequuntur, prima facie videntur pristinam lectionem magis astruere.

1833 *Æterna virtus Herculem fleri vetat.* Solon mortem suam fleri ab amicis voluit: contra Ennius,

Nemo me lacrumeis decoret; nec funera fletu
Faxsit. cur? volito viuu' per ora virom.

Puppius amicos in morte sua fleturos confidebat. eius enim tale fragmentũ circũfertur:

Flebunt amici & bene noti morte in mea,
Nam populus etiam viuo me lacrumatus est.

Sed ad rem. rectè Seneca. Hercules enim famam incomparabili fortitudine perennem sibi compararat. Eorum verò mortem immodicè flere oportet, qui nihil in vita egerũt quo posteris bene vixisse se testentur. Non possum Charondæ Catanæi legem probare, qua indistinctè vllum omnino lugeri vetuit. est hoc hominis prorsus inhumani. eleganter & recte Euphorion:

καὶ τόκα μήτηρ μιν ἐπὶ φθιμένῳ ἀχάχοιτο,
μήτηρ καὶ κλαύσειεν· ἐπεὶ καὶ πάμπαν ἀδακρύω
μοῖραι ἐπῃνήναντο.

1836 *Purpureus dies.* Ouid. 3. Fastor.

Purpureum rapido qui vehis axe diem.

ALCMENA.

Anapæstici.

Flete Alcmenen, magniq; Iouis
Plangite gnatum; cui concepto
Lux vna perit, noctesq; duas
Contulit Eos: ipsa quiddam
Plus luce perit. totæ pariter
Plangite gentes; quarum sæuos
Ille tyrannos iußit Stygias
Penetrare domos, populisq; madens
Ponere ferrum: fletum meritis
Reddite tantis. totus, totus
Personet orbis: fleat Alciden
Cærula Crete; magno tellus
Clara Tonante. centum populi
Brachia pulsent: nunc Curetes,
Nunc Corybantes arma Idæa
Quassate manu: armis illum
Lugere decet: nunc, nunc funus
Plangite verum: iacet Alcides
Non minor ipso, Creta, tonante.
Flete Herculeos Arcades obitus,
Nondum Phœbo nascente genus.
Et iuga Spartes Nemeæq; sonent,
Feriatq; graues Mænala planctus:
Poscite magno Alciden gemitu:
Stratus vestris setiger oris,
Alesq; sequi iussa sagittas,
Totum pinnis velata diem.
Flete Argolici, flete Cleonæ:
Hic terrentem mœnia quondam
Vestra leonem fregit nostri
Dextera nati. date Sitoniæ
Verbera matres, gelidusq; sonet
Planctibus Hebrus, flete Alciden;
Quod non stabulis vescitur infans,
Nec vestra greges viscera carpunt.
Fleat Antæo libera tellus,
Et rapta fero plaga Geryone.
Mecum miseræ plangite gentes:
Audiat ictus vtraq; Tethys.
Vos quoque mundi turba citati,
Flete Herculeos numina casus.

1874 *Nunc Curetes, Nunc Corybantes.* Ex veteribus Euphorion, Eratosthenes, Orpheus & Callisthenes; ex neotericis Scaliger in libro de arte poetica, & Dion Lambinus in lib. 2. Lucretij, Curetes & Corybantes eosdem esse scripserunt: sed Semus Delius, Archemachus Euboicus & Echemenes diuersos esse crediderunt: quos Seneca hic sequitur; & Ouidius scribens,

Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus.

1894 *Vescitur.* non alitur esca futurus equis illaudati Diomedis.

Vestrum Alcides ceruice meus
Mundum, superi, cælumq́ tulit:
Cùm stelligeri vector olympi,
Pondere liber spirauit Atlas.
Vbi nunc nostræ Iuppiter arces?
Vbi promißi regia mundi?
Nempe Alcides mortalis obit,
Nempe sepultus. quoties telis
Facibusq́ tuis ille pepercit?
Quoties ignis spargendus erat?
In me saltem iaculare facem,
Semelemq́ puta.
Iámne Elysias ô gnate domus,
Iam litus habes; ad quod populos
Natura vocat? an post raptum
Styx atra canem præclusit iter,
Teq́ in primo limine Ditis
Monstra morantur? quis nunc vmbras
Gnate tumultus, manesq́ tenet?
Fugit abductâ nauita cymbâ,
Et Centauris Thessala motis
Ferit attonitos vngula manes?
Anguesq́ suos Hydra sub vndis
Territa mersit? teq́ labores
O gnate timent?
Fallor, fallor, vesana parens,
Nec te manes, vmbræq́ timent.
Non Argolico rapta leoni
Fuluâ pellis contecta iubâ
Læuos operit dura lacertos,
Vallantq́ feri tempora dentes:
Donum pharetræ cessere tuæ,
Telaq́ mittet iam dextra minor:
Vadis inermis gnate per vmbras;
Ad quas semper mansurus eris.

HERCVLES. ALCMENA.
Iambici & dactylici.

Quid me tenentem regna siderei poli,
Cæloq́ tandem redditum planctu iubes
Sentire fatum? parce. nam virtus mihi
In astra, & ipsos fecit ad superos iter.
AL. *Vnde sonus trepidas aures ferit?*
Vnde meas inhibet lachrymas fragor?

Agnosco

1906 *Vbi nunc nostra.* o. v.l. *vestra.*

1915 *Ad quod populos Natura vocat?* AEschylus: τὸ ἀποθανεῖν ὁμοίως ἐπικεκλωσμένον πᾶσιν. Iuncus: ἀνθρώπῳ δὲ, καὶ τοῖς ἄλλοις ζώοις ἡμέροις τε καὶ ἀγρίοις, ἐξιέναι τοῦ βίου πᾶσιν ἀνάγκη. Vide Stobæum serm. 118.

1919 *Monstra morantur.* æquè bene in antiq. lib. continetur *fata morantur.*

1928 *Nec te manes.* v.l. *non te manes.*

1937 *Quid me.* prodit Hercules ex loco extraordinario, qui erat sublimis sine machina, & ex quo numina in theatrum introducebantur, Iul. Scaliger in Historico.

Agnosco agnosco, victum est chaos.
A Styge, gnate, redis iterum mihi:
Fractaq́ non semel est mors horrida:
Vicisti rursus noctis loca,
Puppis & infernæ vada tristia.
Peruius est Acheron iam languidus,
Et remeare licet soli tibi,
Nec te fata tenent post funera.
An tibi præclusit Pluton iter,
Et pauidus regni metuit sibi?
Certè ego te vidi flagrantibus
Impositum siluis: cùm pluribus
In cælum furerent flammæ minis.
Arsisti certè. verùm vltima
Non tenuere tuas vmbras loca.
Quid timuere tui manes precor?
Vmbra quoque est Diti nimis horrida?
HER. *Non me rigentis stagna Cocyti tenent,*
Non puppis vmbras furua transuexit meas.
Iam parce mater questibus. manes semel
Vmbrasq́ vidi: quicquid in nobis tui
Mortale fuerat, ignis infectus tulit:
Paterna cælo pars data est, flammis tua.
Proinde planctus pone; quos gnato paras,
Genitrix in ortu luctus in turpes eat:
Virtus in astra tendit, in mortem timor.
Præsens ab astris mater Alcides cano:
Pœnas cruentus iam tibi Eurystheus dabit,
Curru superbum vecta transcendes caput.
Me iam decet subire cælestem plagam.
Inferna vinco rursus Alcides loca.
AL. *Mane parumper. cesset, ex oculis abit,*
In astra fertur. fallor, an vultus putat
Vidisse gnatum? misera mens est credula.
Es numen, & te mundus æternus tenet.
Credo triumphis. regna Thebarum petam,
Nouumq́ templis additum numen canam.

CHORVS.

Anapæstici.

Nunquam Stygias fertur ad vmbras
Inclita virtus. viuite fortes,
Nec lethæos sæua per amnes
Vos fata trahent: sed, cùm summas

1965 *Paterna cælo pars* apud Ouidium 9. Metamorph. ait Iuppiter:
Omnia qui vicit, vincet quos cernitis ignes,
Nec nisi materna Vulcanū parte potentem
Sētiet: æternū est à me quod traxit, & expers
Atq; immune necis, nulla domabile flammas
Idq; ego defunctum terra cælestibus oris
Excipiam.

1966 *Proinde planctus pone, quos gnato pater, Genitrix inerti: luctus in turpes eat?* Sic isti versus in Fabriciana editione leguntur, omnino deteriùs quàm in ceteris: qui habent, *Proinde planctus pone, quos gnato paras Genitrix in ortu, luctus in turpes eat.* quam sanè lectionem retinebo, donec certi aliquid de hoc loco constituero. nunc valde ambigo, non tam propter eam quam modò retuli varietatem: quam quia in nulla membranarum quibus vsus sum, duo hæc carmina habentur. Si in vno aliquo codice desiderarentur, minus mirarer: sed in nullo exstare cum mihi scrupulum iniicit, vt ampliem, & hoc tempore mihi non liquere pronunciem.

1968 *Virtus in astra tendit.* Euripides, Heraclidis:

ἁ δ' ἀρετὰ βαίνει διὰ μόχθων.

1970 *Pœnas cruentus iam tibi Eurystheus dabit.* vide Euripidem dicto loco; à quo Strabo li. 8. dissentit. Euripides scribit Eurystheū non in pugna ab Iolao interemtum, sed in pugna captum, viuum Alcmenæ traditum fuisse. Strabo autem lib. 8. Εὐρυσθέως μὲν οὖν
“ στρατεύσαντος εἰς Μαραθῶνα ἐπὶ τοὺς Ἡρακλέους παῖδας καὶ Ἰόλαον, βοηθησάντων Ἀθηναίων, ἱστοροῦσι πεσεῖν ἐν τῇ μάχῃ, καὶ τὸ μὲν ἄλλο σῶμα Γαργηττοῖ ταφῆναι, τὴν δὲ κεφαλὴν χωρὶς ἐν τῇ Κορίνθῳ, ἀποκόψαντος αὐτὴν Ἰολάου περὶ τὴν κρήνην τὴν Ἀκαρίαν, ὑπὸ ἁμαξιτόν. Pausanias in Atticis simpliciter ab Iolao cæsum testatur, non addens in pugna an à pugna idipsum contigerit.

1976 *Misera mens est credula.* sic in ple-
“ risque v. l. & in antiquis editionibus legitur. Lipsiensis cod. habet, *misera mens incredula est.* quæ lectio inelegans non est, & confirmatur toto cap. 1. lib. 2. miscellan. Nannij. Ego pristinam lectionem seruaui, cùm propter librorum antiquitus scriptorum & excusorum multorum consensum, quem nemo sanus vnquam contemsit: tum quia Seneca noster in Hercule furente scripserat,

—— *quod nimis*
“ *Miseri volunt, hoc facilè credunt.*
“ nec ad rem pertinet, quod ibi subiungitur:
—— *imò quod metuunt nimis,*
Nunquam amoueri posse, nec tolli putant.
Praua est timori semper in peius fides.

Exiget horas consumta dies,
Iter ad superos gloria pandet.
Sed tu domitor magne ferarum,
Orbisq; simul pacator ades:
Nunc quoq; nostras respice terras:
Et si qua nouo bellua vultu
Quatiet populos terrore graui;
Tu fulminibus frange trisulcis,
Fortius ipso genitore tuo
Fulmina mittens.

1993 *Mittens.* sic legitur in o.v. L ideo miror Ascens. qui maluit; *mittes.*

L. ANN. SENECÆ Thyestes.

TRAGOEDIA VII.

PERSONÆ.

Tantalus.	Atreus.
Thyestes	Nuncius.
Megæra.	Seruus.
Plisthenes.	Chorus.

ACTVS PRIMVS.

TANTALVS. MEGAERA.



Vis me furor nunc sede ab infausta extrahit,
Auido fugaces ore captantem cibos?
Quis malè deorum Tantalo viuas domos
Ostendit iterum? peius inuentum est siti
Arente in vndis aliquid, & peius fame
Hiante semper? Sisyphi nunquid lapis
Gestandus humeris lubricus nostris venit?
Aut membra celeri differens cursu rota?
Aut pœna Tityi semper accrescens iecur
Visceribus atras pascit effossis aues?
Et nocte reparans, quicquid amisit die,
Plenum recenti pabulum monstro iacet?
In quod malum transcribor? ô quisquis noua
Supplicia functis durus vmbrarum arbiter
Disponis; adde si quid ad pœnas potes,
Quod ipse custos carceris diri horreat,

Quod

IN THYESTEM ADVERSARIA.

THYESTES] hoc nomine tragœdias scripserunt Græci Euripides, Agathon, Nicomachus Atheniensis, Theognides, Cleophon, Carcinus, quem citat Aristoteles, Diogenes, siue Philiscus AEginensis (neq; enim constat vtri è duobus tribuenda sit.) & Apollodorus Tharsensis, teste Suidæ lexico. Chæremon, auctore Athenæo, Thyestem comœdiam composuit. Latinorum, qui *Thyestem* tragœdiam ediderint Ennium inuenio, &, citante Cornelio Tacito, Maternum, L. Varium, seu, vt volunt Helenius & Porphyrion, potiùs Cassium Parmensem Non dubito quin idem argumentum persecuti fuerint alij in Atreo, & Pelopidis, vt Attius, Aemilius Scaurus, & ceteri. Italicè tragœdiam Thyestem non ineleganter Lud. Dulcis cõposuit. Porrò malè Ioan. le Cirier lib. 1. de iure primogeni. q. 7. hanc tragœdiam Senecæ vocat, *Tantalum.*

2 *Auido fugaces ore captantem cibos?* hæc de Tantali supplicio, Alcmanis, Euripidis, Alcæi, Pindari, Archilochi, Latinorum verò ferè omnium est opinio.

3 *Quis malè deorum.* poetis familiare fuit Diis suis tam mala quàm bona omnia accepta ferre. Archilochus:

Τοῖς θεοῖς τίθει πάντα. Virgilius:

——quis te Palinure Deorum
Eripuit nobis? Idem:
Quis Deus Italiã, quæ vos demẽtia adegit?

Ouidius:

——quis Deus hunc formosis, inquit, iniquus,
Perdere vult?—— Seneca infrà actu 3.
Otium è tanto subitum tumultu
Quis Deus fecit? Euripides:
ἢ θεὸς, ἢ βροτὸς, ἢ
τι τῶν ἀδικούντων
πόῤῥωθεν ἄπωθεν ἐξανύσας.

Quod mæstus Acheron paueat; ad cuius metum
Nos quoque tremamus: quare iam nostra subit
E stirpe turba, quæ suum vincat genus,
Ac me innocentem faciat, & inausa audeat.
Regione quidquid impiâ cessat loci,
Complebo: nunquam stante Pelopeiâ domo,
Minos vacabit. ME. *perge detestabilis*
Vmbra, & penates impios furiis age.
Certetur omni scelere, & alternâ vice
Stringantur enses, nec sit irarum modus,
Pudórve: mentes cæcus instiget furor,
Rabies parentum duret, & longum nefas
Eat in nepotes: nec vacet cuiquam vetus
Odisse crimen, semper oriatur nouum,
Nec vnum in vno: dumq́ punitur, scelus
Crescat. superbis fratribus regna excidant,
Repetantq́ profugos: dubia violentæ domus
Fortuna reges inter incertos labet:
Miser ex potente fiat, ex misero potens,
Fluctuq́ regnum casus assiduo ferat.
Ob scelera pulsi; cùm dabit patriam deus,
In scelera redeant: sintq́ tam inuisi omnibus,
Quàm sibi. nihil sit ira quod vetitum putet.
Fratrem expauescat frater, & natum parens,
Natusq́ patrem. liberi pereant malè,
Peius tamen nascantur. immineat viro
Infesta coniunx. bella trans pontum vehant:
Effusus omnes irriget terras cruor,
Supraq́ magnos gentium exsultet duces
Libido victrix. impiâ stuprum in domo
Leuissimum sit: fratris & fas, & fides,
Iusq́ omne pereat. non sit à vestris malis
Immune cælum: cùm micant stellæ polo,
Flammæq́ seruant debitum mundo decus;
Nox atra fiat, excidat cælo dies.
Misce penates: odia, cædes, funera
Accerse, & imple scelere Tantaleam domum.
Ornetur altum columen, & lauro fores
Lætæ virescant, dignus aduentu tuo
Splendescat ignis. Thracium fiat nefas
Maiore numero: dextra cur patrui vacat?
Nondum Thyestes liberos deflet suos?
Ecquando tollet ignibus iam subditus
Spumante aheno membra? per partes eant

His adde quæ supposititius Donatus scribit ad illa Eunuchi Terentiani actu 5.

—— *quid si hoc quisquam voluit deus?*

10 *Pascit effossis aues.* ita o.v.l. *aues*, autem dicit secutus Homerũ Odyss. λ'. Lucretium lib 3. & Tibullum lib. 1. Virgilius 6. Aeneid. vnicum vulturem agnoscit.

21 *Pelopeia domo.* nullum scelus fuit, quo se Pelopidæ abstinuerint. nam parentes liberos, liberi parentes, vxor maritum, maritus vxorem, frater fratrem, affines affinitate iunctos occiderunt; pater liberos comedit; demũ affinem patruelis, glorem leuir, filiam pater stuprauit. meritò igitur eorum familia conuiciis omnium proscissa fuit adeo, vt *Pelopeia domus*, pro sæua & impia, adagij loco etiã hodie vsurpetur. Xenarcho dicitur ἄστυτος οἶκος, Euripidi δυστυχῶν δόμος, Horatio *sæua Pelopis domus*. huc refero illud L. Attij, in armorum iudicio:

Ocule, noxitudo obliteretur Pelopidarum,
ac per nos sanctescat genus.

Seneca, infrà actu 4.

—— *ô domus Pelopi quoque*
Et Tantalo pudenda ——

& in Agamemnone:

Reuoluit animus virginis thalamos meæ,
Quos ille dignos Pelopeia fecit domo.

& in Troade ironicè ait Pyrrhus:

Atrei & Thyestæ nobilem noui domum

Auorum memoria Pelopeiæ familiæ similis fuit domus illa Buffali ciuis Romani, de qua Raph. Volaterranus, in Geograph.

26 *Nec sit.* duo m.s. *ne sit.*

31 *Dumq́ punitur, scelus Crescat.* Thyestes cùm Aerope vxore Atrei adulterium commiserat, hoc scelus vt puniret Atreus, illi liberos epulandos proposuit: Thyestes autem, vt Atreum vlcisceretur, filiam suam Pelopeiam compressit.

56 *Thracium fiat nefas.* Terei, Martis & nymphæ Bystonidis filij calamitas notissima est, ex Ouidio Metam. 6. qui, quod vxori, sororem adduceret oranti, consensit; docet virum prudentem nõ semper vxoris precibus, potissimùm si non vacent periculo, debere. prouieniunt hinc sæpenumero multæ & magna mala. Tereus cùm Philomenam adduceret, in amoris retia incidit, illamque cœpit amare, vitanda fuerat occasio, neque ad eum ignem, quo incaluit postea plus satis, accedendum. Viris enim coniugatis minimè tutum est, formas aliarum mulierum spectare: cùm amor oculis hauriatur. debuerat itaque Tereus periculo se non offerre; aut, quia se obtulit, sapientis fuisset, oculos continere: quod, quia ne ipsum quidem præstitit, Philomenam ardere cœpit, amatam deinde, vi-

A Pau… fama in Attic. Terei historia sic narratur, præter Metamorphoses istas, vna verè videatur accidisse

tiauit. hæc amoris, an furoris sunt opera? opinor vtriusque. nam tanta est horum cognatio & affinitas; vt amantes furere dicantur, & in omne scelus, tanquam furiosi, ruant: sic, vt patratum facinus semper gradus sit futuri. Hircus iste Mendesius Philomenam amat; amatam stuprat; stupratę linguam ex intimis faucibus euellit; ipsam verò in solitario nemore cum feris victuram includit, videlicet, ne crimen suum diuulgetur. ea nempe sceleratorum est conditio, nunquam vt eorũ animus conquiescat, semper vt timeant cunctis nota fore quæ deliquerunt. ideo, vt fit, scelus scelere conantur obruere, quemadmodũ Phędræ nutrix in Hippolyto nostri poëtæ: sed laterem lauant. siquidem nihil est tam occultum, vt non in lucem prodeat aliquando: nec valet humana calliditas abscondere, quod diuina prudentia vult manifestare. Equidẽ hoc Tyranni factum tam atrox & truculentum non diu latuit: sed Progne de tota re facta certior, ad vltionem accingitur nouam, inauditam, & quæ posteris narrari quàm persuaderi facilius queat. tanta nimirum mulieris læsæ est iracundia, vt, dum quem vult vlciscatur, susque deque ferat, qua ratione id faciat; sibique interdum nocere non vereatur, dummodo hostem lædat. vt de Medea taceã, testis Progne, testis Philomena; quarum vna proprium filium, altera sororis filium trucidauit; nec hoc tantum, sed & patri epulãdum proposuit. Postea sceleris conscientia, & pœnarũ metu exagitatę, fuga sibi consuluerunt: quas quia Tereus, re cõperta, fuit insecutus, propter fugientium & insequentis velocitatem, omnes in aues mutati finguntur. Docet hoc facinorosis nihil tutum esse, eosque sese inuicem persequi solere. Vide Attiũ *in Tereo.*

92 *Taxata pœnâ lingua.* uam Tantalus iuxta nonnullos apud inferos cruciatur:

ὅτι θεοῖς ἄνθρωπος ὤν
κοινῆς τραπέζης ἀξίωμ' ἔχων ἴσον
ἀκόλαστον ἔσχε γλῶσσαν, αἰσχίστην νόσον.

ait Euripides in Oreste: cui consentit Cornelius Gallus, his versibus:

οὗτος ὁ πρὶν μακάρεσσι συνέστιος, οὗτος ὁ νήστης
πολλάκι νεκταρέου πλησάμενος στόματος,
νῦν λιβάδος θνητῆς ἱμείρεται· ἡ φθονερὴ δὲ
κρατῆρος αἰεὶ χείλεος ἐστὶ ταπεινοτέρη.
πῖνε, λέγει, τὸ τόρευμα, καὶ ὄργια μάνθανε σιγῆς·
οἱ γλώσσῃ προπετεῖς ταῦτα κολαζόμεθα.

Monet nos Tantalus linguam compescere, & principum arcana non reuelare. In libello illo non inutili, qui de Moribus, vulgò quidẽ Censorij Catonis titulo; in membranis verò, Ouidij (cùm sit cuiusdam Dionysij Ca-

Discerpta, patrios polluat sanguis focos,
Epulæ instruantur. non noui sceleris tibi
Conuiua venies, liberum dedimus diem,
Tuamq́; ad istas soluimus mensas famem.
Ieiunia exple, mistus in Bacchum cruor
Spectante te potetur. inueni dapes,
Quas ipse fugeres. siste, quò præceps ruis?
TAN. *Ad stagna, & amnes, & recedentes aquas,*
Labrisq́; ab ipsis arboris plena fugas,
Abire in atrum carceris liceat mei
Cubile: liceat, si parum videor miser,
Mutare ripas: alueo medius tuo
Phlegethon relinquar, igneo cinctus freto.
Quicunque pœnas lege fatorum datas
Pati iuberis; quisquis exeso iaces
Pauidus sub antro; quiq́; venturi times
Montis ruinam; quisquis auidorum feros
Rictus leonum, & dira furiarum agmina
Implicitus horres; quisquis immissas faces
Semiustus abigis; Tantali vocem excipe
Properantis ad vos: credite experto mihi,
Amate pœnas. quando continget mihi,
Effugere superos? ME. *antè perturba domum,*
Inferq́; tecum prælia, & ferri malum
Regibus amorem. concute insano ferum
Pectus tumultu. TAN. *me pati pœnas decet,*
Non esse pœnam. mittor, vt dirus vapor
Tellure ruptâ, vel grauem populis luem
Sparsura pestis. ducam in horrendum nefas
Auus nepotes? magne diuorum parens,
Nosterq́;, quamuis pudeat, ingenti licet
Taxata pœna lingua crucietur, loquar:
Nec hoc tacebo. moneo, ne sacra manus
Violata cæde, néve furiali malo
Aspergat aras. stabo, & arcebo scelus.
Quid ora terres verbere, & tortos ferox
Minaris angues? quid famem fixam intimis
Agitas medullis? flagrat incensum siti
Cor, & perustis flamma visceribus micat.
Sequor. ME. *furorem diuide in totam domum.*
Sic sic ferantur, & suum infensi inuicem
Sitiant cruorem. sensit introitus tuos
Domus, & nefando tota contactu horruit.
Actum est abundè. gradere ad inferos specus,

Amnemq́;

Amnemq; notum. iam tuum mœstæ pedem
Terræ grauantur. cernis vt fontes liquor
Introrsus actus linquat? vt ripæ vacent,
Ventusq; raras igneus nubes ferat?
Pallescit omnis arbor, ac nudus stetit
Fugiente pomo ramus: & qui fluctibus
Illinc propinquis Isthmos atque illinc fremit,
Vicina gracili diuidens terrâ vada,
Longè remotos latus exaudit sonos.
Iam Lerna retrocessit, & Phoronides
Latuere venæ: nec suas profert sacras
Alpheus vndas, & Cithæronis iuga
Stant parte nullâ cana depositâ niue,
Timentq; veterem nobiles Argi sitim:
En ipse Titan dubitat, an iubeat sequi,
Cogatq; habenis ire periturum diem.

CHORVS.
Choriambici Tetrametri.

Argos de Superis si quis Achaicum,
Piseasq; domos turribus inclitas:
Isthmi si quis amat regna Corinthij,
Et portus geminos, & mare dissidens:
Si quis Taygeti conspicuas niues;
Quas, cùm Sarmaticus tempore frigido
In summis boreas composuit iugis,
Æstas veliferis soluit Etesiis:
Quem tangit gelido flumine lucidus
Alpheus, stadio notus Olympico;
Aduertat placidum numen, & arceat
Alternæ scelerum ne redeant vices,
Neu succedat auo deterior nepos,
Et maior placeat culpa minoribus.
Tandem lassa feros exuat impetus
Sicci progenies impia Tantali:
Peccatum satis est: fas valuit nihil,
Aut commune nefas. proditus occidit
Deceptor dominæ Myrtilus, & fide

Vectus

tonis, teste Vineto in Auson.) circumfertur, scriptum est:

Virtutē primā puta esse cōpescere linguā.
Proximus ille deo, qui scit ratione tacere.

96 *Tortos angues.* Varro Attacinus:

Cuius vt adspexit torto caput angue reuinctum. Virgilius:
——tortosq; Ixionis angues.

Ouidius quarto Metamorph.

——tortoq; incingitur angue.

Seneca in Medea actu 5.

—— anguis excusso sonat.
Tortus flagello --

104 *Ad inferos.* quidam libri scripti habent; *ad intimos.*

110 *Pomo* pomi significatio valde generalis est, complectitur enim malum & nucem. Sic Paullus I.C vt pomum, inquit, decerpere liceat. l. vt pomum, & ibi Ioannes Pyrandus, D. de seruitut. nux est omne pomum, quod foris duro tegitur, & intus habet quod esui est: malum verò, quod intus durū includit, foris autem habet quod esui est. Macrob. lib. 3. Saturnal. ex Cloatij Verrij lib. 4. à Græcis tractorum, seu ordinatorum Græcorum.

Qui fluctibus. Ionio & Hellesponto. apud Senecam philosophum lib. 2. epist. veteris cuiusdam poetæ de Isthmo carmina hæc habētur: *Impero Argis, regna mihi liquit Pelops,*
Qua pontus Helles & qua ab Ionio mari
Vrgetur Isthmos ——

quæ verba sunt fortassis ex Attij Atreo.

115 *Profert sacras Alpheus vndas.* noster Medeæ actu 1. *Et quas Aonius latex*
Alpheusq; sacer lauat.

vide quæ ibi scripsimus.

118 *Veterem.* ineptè Ascensius *situm* legit: ineptius Marmita *sitim*, ad siccitatem quæ fuit tempore Phaethontis, refert. Rectè Aegyd. Maserius, in comment. Valerij Flacci, & Cælius Rhodiginus scribunt loqui Senecam de siti quæ ante Danai tempora fuit: cùm, nondum inuentis puteis, Argos in loco arido situm, aquarum penuria laborabat; quam Danaus teste Plinio natur. hist. lib. 7. sustulit inuentis puteis. vnde Hesiodus teste Eustathio Iliad. δ'.

Ἄργος ἄνυδρον ἐὸν Δαναὸς ποίησεν ἔνυδρον.

122 *Turribus.* in quibusdam membranis inuenio *curribus.* nō omnino absurdè. potest enim intelligi de Oenomai, Pelopis, ac aliorum procorum curribus.

128 *Veliferis Etesiis.* his enim flantibus mare nauigationi accommodatissimum existit. 133 *Neu succedat auo, &c.* fortè respicit ad illud Horatij lib. 3. od. 6. *—— ætas tulit Nos nequiores, mox daturos Progeniem vitiosiorem.* 139 *Fide Vectus, quam tulerat.* quemadmodum Myrtylus Oenomai axem, ab Hippodamia persuasus, prodidit: sic ab Hippodamia falsò accusatus, ex Geræsto à Pelope præcipitatus, interiit. vide Isacium in Lycophronem. quæ, quia historia est, non fabula; etsi fabulosa quædam admiscentur; nō est quod anxiè de eius interpretatione laboremus. Illud tantùm, proditores vt plurimum illis, quibus proditione sua pro-

Vectus quâ tulerat, nobile reddidit
Mutato pelagus nomine. notior
Nulla est Ioniis fabula nauibus.
Exceptus gladio paruulus impio
Dum currit patrium natus ad osculum,
Immatura focis victima concidit.
Diuisusq; tuâ est Tantale dexterâ,
Mensas vt strueres hospitibus deis.
Hos æterna fames prosequitur cibos,
Hos æterna sitis: nec dapibus feris
Decerni potuit pœna decentior.
Stat lusus vacuo gutture Tantalus,
Impendet capiti plurima noxio
Phineis auibus præda fugacior.
Hinc illinc grauidis frondibus incubat,
Incuruata suis fœtibus, ac tremens
Alludit patulis arbor hiatibus.
Nec quamuis auidus, nec patiens moræ,
Deceptus toties tangere negligit,
Obliquatq; oculos, oraq; comprimit,
Inclusisq; famem dentibus alligat:
Sed tunc diuitias omne nemus suas
Demittit propiùs, pomaq; desuper
Insultant foliis mitia languidis,
Accenduntq; famem; quæ iubet irritas
Exercere manus: has vbi protulit,
Et falli libuit; totus in arduum
Autumnus rapitur, siluaq; mobilis.
Instat deinde sitis non leuior fame;
Qua cùm percaluit sanguis, & igneis
Exarsit facibus: stat miser obuios
Fluctus ore petens; quos profugus latex
Auertit, sterili deficiens vado,
Conantemq; sequi deserit: hic bibit
Altum de rapido gurgite puluerem.

ACTVS

fuerunt, iustas tandem pœnas dare. sicuti hoc loco Myrtilus, si communem traditionem sequimur. nã Istrus, in Atticis, scripsit Myrtilum singulari certamine pro Hippodamia cum Pelope decertantem cecidisse.

140 *Nobile reddidit*, &c. Pausanias tamen, in Arcadicis, Myrtoum mare non à Myrtilo, sed à Myrto puella appellatum fuisse affirmat.

143 *Exceptus gladio*, &c. Tantalus (iuxta Ioannem Diaconum & Didymum Od. λ'. & Nonnum Dionysiac. α; Iouis ac Plutus nymphæ filius, vel secundùm Eusebium libro 2. Euangelicæ præparationis, Iouis & Plotæ) filium suum Diis epulandum apposuit; quem cibum reliquis auersantibus, sola Ceres humerum edit, cuius loco eburneum Dij substituerunt. eam ob rem Tantalus

Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat.

Hac fabula consilium fuit antiquis sordidos homines exprimere: & quod voluerunt optimè sunt assecuti. Tantali parentes sunt, Iuppiter & Pluto (nam Eusebij codicem mendosum puto, Diaconi, Didymi, Nonni, & Tzetzis chiliad. 5. histor. 10. libros sequor) nympha. ex felicitate enim & diuitiis plerunque nascitur auaritia: quæ auari animum totum sibi sic vindicat, eo etiam vt tempore quo preces concipit, hoc est, Deum excipit conuiuio, non sinat illum alia esculenta proponere, quàm filium proprium; impuras videlicet de coaceruanda pecunia sollicitudines & cogitationes; quas Claudianus 1. in Rufin. auaritiæ filias nuncupat:

Fœdaq; auaritia complexa pectora matris
Insomnes longo veniunt examine curæ.

Quia verò huiusmodi cogitationes apprime turpes, tetræ & nefandæ sunt, atque veteres quæ abominabantur vt mala, nigra vocabãt, (vnde Pythagoras inquiebat μὴ γεύεσθαι τῶν μελανούρων, vetans, teste Plutarcho περὶ παίδων ἀγωγῆς, συνδιατρίβειν μέλασιν ἀνθρώποις, διὰ κακοήθειαν. & Horatius;

Hic niger est, hunc tu Romane caueto.)

meritò illas Pelopem, hoc est, nigrum facie, nominarunt. Deinde quia tales cogitationes terram sapiunt, neque diuinum aliquid habent, Iuppiter illas respuit; Ceres, terram denotans, naturæ suæ conuenientibus vescitur, earumque partem absumit, eamq; partem in qua totius corporis potissimum robur consistit. Postmodum, illo absumto, eburneum Dij substituunt: quod qui sic terrenis cogitationibus intendat, qui sic gazis inhiet, vt post nummos pietatem ac virtutem statuat; versa illi in naturam peccandi consuetudine, animus eius instar eboris indurescat, atque monitores, sicut ebur malleos, aspernetur. Quamobrem insatiabili opum comparandarum cupiditate vexatus, partis diuitiis auarus frui non audebit; eique tam deerit quod habet, quàm quod non habet. auaritia illa furiarum est maxima, quæ, teste poëta, Tantalo *Accubat, & manibus prohibet contingere mensas.* Est eadem saxum illud quod, ex quorundam sententia (Homeri Odyss. λ'. Pindari Olymp. 1. Eurip. in Oreste, & Seruij in 6. Aeneid.) eius capiti impendet. etenim perpetuò auari paupertatem metuunt, hanc sibi nunquam non existimant imminere; huius effugiendæ gratia patiuntur miserias ipsa paupertate

ACTVS SECVNDVS.

ATREVS. SERVVS.

AT. *Ignaue, iners, eneruis, & (quod maximum*
Probrum tyranno rebus in summis reor)
Inulte; post tot scelera, post fratris dolos,
Fasq; omne ruptum, questibus vanis agis
Iras: at Argos fremere tam totum tuis
Debebat armis, omnes & geminum mare
Innare classes: iam tuis flammis agros
Lucere, & vrbes decuit, ac strictum vndique
Micare ferrum. tota sub nostro sonet
Argolica tellus equite. non siluæ tegant
Hostem, nec altis montium structæ iugis
Arces. relictis bellicum totus canat
Populus Mycenis. quisquis inuisum caput
Tegit ac tuetur, clade funestâ occidat.
Hæc ipsa pollens incliti Pelopis domus
Ruat, vel in me, dummodo in fratrem ruat.
Age anime, fac quod nulla posteritas probet;
Sed nulla taceat. aliquod audendum est nefas
Atrox, cruentum, tale; quod frater meus
Suum esse malit. scelera non vlcisceris,
Nisi vincis. & quid esse tam sæuum potest,
Quod superet illum? nunquid abiectus iacet?
Nunquid secundis patitur in rebus modum,
Fessus quietem? noui ego ingenium viri
Indocile; flecti non potest, frangi potest.
Proin, antequam se firmet, aut vires paret;
Petatur vltrò; ne quiescentem petat.
Aut perdet, aut peribit. in medio est scelus
Positum occupanti. SER. *fama te populi nihil*
Aduersa terret? AT. *maximũ hoc regni bonum est,*
“ *Quòd facta domini cogitur populus sui,*
“ *Quàm ferre, tam laudare.* SER. *quos cogit metus*
“ *Laudare, eosdem reddit inimicos metus.*
“ *At qui fauoris gloriam veri petit,*
“ *Animo magis, quàm voce, laudari volet.*
“ ATR. *Laus vera, & humili sæpe contingit viro;*
“ *Non nisi potenti falsa. quod nolunt, velint.*
“ SER. *Rex velit honesta, nemo non eadem volet.*
“ ATR. *Vbicunq; tantũ honesta dominanti licent,*

Pre-

triplo grauiores. 167 *Autumnus.* hoc est, omnia poma. posuit autem Autumnum pro pomis, quia hac anni parte pomorum prouentus maximus est. vnde Horatius,

—— simul
Pomifer autumnus fruges effuderit. &:
Vel cùm decorum mitibus pomis caput
Autumnus aruis extulit ——

162 *Mitibus pomis.* hoc est, maturis. sic noster suprà, *—— pomaq; desuper*
Insultant foliis mitia languidis.

& Virgilius:

—— sunt nobis mitia poma.

188 *Tegit.* hoc formam æquitatis habet. nam Marcianus scripsit perinde puniendos receptatores, ac ipsos facinorosos. l. 1. D. de receptator. quod congruit l. 13. D. de offic. præsid. & variis Imperatorum rescriptis l. 1. & 2. C. Iustin. de iis qui latro. vel aliorũ crim. reos occultau. l. 1. & 2. C. Theodos. tit. 29. l. 9.

203 *Famate.* aptissimum argumentum deducendi aliquem à peccati cogitatione. nam, vt ait Cicero, nemo est tam agrestis, quem si non ipsa honestas, contumelia tamen & dedecus magnopere moueat.

205 *Domini.* tyrannicé loquitur. nam domini vocabulũ ad seruos habet relationem. vnde Augustum, Tiberium, & Alexandrum Romanorum Imperatores hoc nomen repudiasse legimus, apud Dionem lib. 55. Tertullianum in Apologetico, & alios, vide Anton. Guibertum Costanũ Polyhistoris c. 16. antiqui etiam omnem dominis inuidiã, omnem seruis contumeliam detrahentes, dominum, patremfamilias; seruos, familiares nuncuparunt: auctores Seneca lib. 6. epist. & ex eo ferè ad verbum Macrob. lib. 1. Saturnal.

207 *Eosdem reddit inimicos metus.* apud Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 11. Prætextatus in hunc modum differit: Deinde qui colitur, etiam amatur: non potest amor cum timore misceri. vnde putas arrogantiss. illud manasse prouerbium, quod iactatur: Totidem nobis hostes esse quot seruos? non habemus illos hostes, sed facimus: cùm in illos superbissimi, contumeliosissimi, crudelissimi sumus. & ad rabiẽ nos cogunt peruenire deliciæ, vt quicquid non ex voluntate respondit, iram furoremq; euocet. Domini enim animos induimus tyrannorum, & non quantum decet, sed quantum libet, exercere volumus in seruos.

212 *Rex velit honesta, nemo non eadem volet.* Plinius, in Panegyrico: Vita principis cẽsura est, eaque perpetua: ad hanc dirigimur. item; Melius homines exemplis docentur. Claudianus: *—— componitur orbis Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus Humanos edicta valent, quã vita regẽtis. Mobile mutatur semper cum principe vulgus.*

Idem affirmant Plato libro quarto de legib. Isocrates in orat. de regno. Cicero lib. 3. de legib Xenophon in Cyropæd. Sallust. in Iugurth. D. Greg. Nazian. in Apologet. Chrysostomus, & alij.

214 *Precariò*. regnatur non absolutè, sed cum timore reddendæ rationis administrati regni tum, cùm de regno discedetur. hanc interpretationẽ exigit precarij significatio apud Vlpianum l. 1. D de precario.

Vbi non est pudor. rectè ratiocinatur. omnis enim ciuitas nullo vinculo melius retinetur, quàm iustitia; quæ, quamuis vna ex quatuor virtutibus sit auctore Platone de legib. Cicerone, & D. Ambrosio de officiis; propriè tamen virtus est & ceteras in se complectitur, iuxta Aristot. 5. ethic. ad Nicomachum. nam sine ea nec prudentia, nec fortitudo, nec temperantia esse potest, vt ait Eguinar. Baro ad tit. Institut. de iust. & iure. Iustitiæ officia tria sunt, honeste viuere, alterum non lædere, suum vnicuique tribuere: ad primum refertur pudor, ad secundũ sanctitas, ad tertium pietas & fides; ad omnia tria simul cura iuris. hęc enim tria sunt ipsa iuris præcepta, l. iustitia, D. de iust. & iur. §. iuris præcepta, instit. e. tit. Cumque omne regnũ maximè per hæc tria conseruetur, meritò instabile regnum esse dicit vbi illa omnia desunt.

217 *Priuata*. curam iuris omisit: quia illa potius publicum bonum sit, & potissimum ad principem pertinet.

221 *Stupro*. hoc est, adulterio. loquitur κατ᾽ἐξοχικῶς quemadmodum & lex Iulia de adulteriis, teste Papiniano & Modestino l. inter liberas, l. stuprum D. ad leg. Iul. de adulter. l. 101. D. de verb. signific. vide Alciatum lib. 1. dispunct. cap. 26. & 2. prætermissor. Catellianum Cottam in Memor. in voce adulterium. dixi in Repet. l. transigere, C. de transaction.

224 *Est Pelopis*. apud Ciceronem 3. de natura Deorum exstant de hoc ariete antiqui poëtæ, fortassis Attij in Atreo, carmina huiusmodi:

Addo huc: quod mihi portẽto cælestũ pater
Prodigium misit, regni stabilimen mei;
Agnum inter pecudes aurea clarũ coma.
Quondam Thyestem clepere aussum esse è regia:
Qua in re adiutricem coniugem cepit sibi.

229 *Possessor huius regnat*. hoc non abs re confictum fuit. nam in libro Etruscorũ, teste Macrobio 3. Saturnal. traditur, si aries insolito colore fuerit indutus, portendi imperatori rerum omnium felicitatem. & Tarquinius in Epytoma. ostentarij Tusci, inquit: Purpureo „ aureóve colore ouis ariétve si adspergetur, „

Precario regnatur. SER. *vbi non est pudor,* “
Nec cura iuris, sanctitas, pietas, fides; “
Instabile regnum est. AT. *sanctitas, pietas, fides,* “
Priuata bona sunt: quà iuuat, reges eant. “
SER. *Nefas nocere vel malo fratri puta.* “
AT. *Fas est in illo, quicquid in fratre est nefas.*
Quid enim reliquit crimine intactum, aut vbi
Sceleri pepercit? coniugem stupro abstulit,
Regnumq́; furto: specimen antiquum imperi,
Fraude est adeptus, fraude turbauit domum.
Est Pelopis alius nobile in stabulis pecus,
Arcanus aries, ductor opulenti gregis;
Huius per omne corpus effuso coma
Dependet auro; cuius è tergo, noui
Aurata reges sceptra Tantalici gerunt:
Possessor huius regnat: hunc tantæ domus
Fortuna sequitur: tuta sepositâ sacer
In parte carpit prata; quæ cludit lapis,
Fatale sacro pascuum muro tegens.
Hunc, facinus ingens ausus, assumptâ in scelus
Consorte nostri perfidus thalami auehit.
Hinc omne cladis mutuæ fluxit malum,
Per regna trepidus exsul errauit mea,
Pars nulla nostri tuta ab insidiis vacat.
Corrupta coniux, imperij quassa est fides:
Domus ægra, dubius sanguis est, certi nihil,
Nisi frater hostis. quid stupes? tandem incipe,
Animosq́; sume, Tantalum & Pelopem aspice.
Ad hæc manus exempla poscuntur meæ.
Profare, dirum qua caput mactem via.
SER. *Ferro peremtus spiritum inimicum expuat.*
AT. *De fine pœnæ loqueris, ego pœnam volo:*
Perimat tyrannus: lenis in regno meo
Mors impetratur. SER. *nulla te pietas mouet?*
AT. *Excede pietas, si modo nostra in domo*
Vnquam fuisti: dira furiarum cohors,
Discorsq́; Erinnys veniat, & geminas faces
Megæra quatiens. non satis magno meum
Ardet furore pectus, impleri iuuat
Maiore monstro. SER. *quid noui rabidus struis?*
AT. *Nil, quod doloris capiat assueti modum.*
Nullum relinquam facinus, & nullum est satis.
SER. *Ferrum?* AT. *parum est.* SER. *Quid ignis?*
(AT. *etiámnum parum est.*
SER. *Quó-*

principi ordinis & generis summa cum felicitate largitatem auget, genus progeniemque propagat in claritate lætioremque efficit. non est igitur mirum si Phryxus & Helle ab aureo ariete seruati fingantur, &, qui agnum aurea clarum coma possideret, Argis imperaturum eum responsum fuerit. hunc agnum Atreus, interfecto Chrysippo fratre, fuit adeptus; eundem amisit Aeropes vxoris & Thyestæ fratris fraude. hoc est, scilicet quod dicitur, Malè parta malè dilabi: quo spectat illud Cl. Paradini symbolum de simia fœneratoris nummos extra fenestram dispargente.

234 *Consorte*. vxor dicitur consors: quemadmodum nuptiæ totius vitæ consortium l. 1. D. de ritu nuptiar. & consortio, l. 96. D. sol. matr. CONSORTE. Aerope.

245 *De fine pœnæ*. vide quæ dixi Hercule Fur. num. 512.

263 *Tonat dies serenus*. habebatur hoc pro prodigio, testis Homerus Odyss. υ.

Ex hac opinione est illud Maron. 9 Aeneid.

Audiit & cæli genitor de parte serena
Intonuit læuum ——

264 *Lares*. Penates. eosdem esse indicat Cicero pro Quinctio, cùm enim dixisset: at hic quidē iam de fundo depulsus, iam à suis diis Penatibus eiectus esset; mox subiungit; illud dico, dominum depulsum esse de prædio, domino à familia sua manus illatas esse ante suos Lares familiares.

267 *Nescio quid animus maius*. antiquus ille poëta, in Atreo, apud Tullium;

Maior mihi moles, maius miscendum est malum,
Qui illius acerbum cor contundam & comprimam.

In quibusdam membranis legitur: *Nescio quid animus magnum.*

273 *Odrysia* de Tereo loquitur; qui fuit rex Odrysarum, (Thraciæ pars est, Thucidides lib. 2. Plinius lib. 4. hist. natural.) quibus sollemne fuit in conuiuiis preliari, & se inuicem vulneribus deformare, teste Ammiano Marcellino. de his loqui puto Horatium l. 1. ode 18. & 27.

—— monet Sithoniis non leuis Euius. &,
Natis in vsum lætitiæ scyphis
Pugnare, Thracum est. tollite barbarum
Morem ——

& Anacreonta Teïum:

ἄγε, δῶτε, μηκέθ' οὕτω
πατάγῳ τε κ' ἀλαλητῷ
Σκυθικὴν πόσιν παρ' οἴνῳ
μελετῶμεν, ἀλλὰ καλοῖς
ὑποπίνοντες ἐν ὕμνοις.

279 *Bene est*. sic loquitur infrà actu 5. & Medeæ actu 5. & Agamemn. actu 5.

SER. *Quónam ergo telo tantus vtetur dolor?*
ATR. *Ipso Thyeste.* SER, *maius est irâ hoc malum.*
ATR. *Fateor, tumultus pectora attonitus quatit,*
Penitusq; voluit: rapior, & quò nescio,
Sed rapior. imò mugit è fundo solum,
Tonat dies serenus, ac totis domus
Vt fracta tectis crepuit, & moti lares
Vertêre vultum. fiat hoc, fiat nefas,
Quod dij timetis. SER. *facere quid tandem paras?*
ATR. *Nescio quid animus maius, & solito ampliùs*
Supraq; fines moris humani tumet,
Instatq; pigris manibus: haud, quid sit, scio.
Sed grande quiddam est: ita sit, hoc anime incipe,
Dignum Thyeste facinus, & dignum Atreo
Vterque faciat. vidit infandas domus
Odrysia mensas. fateor; immane est scelus,
Sed occupatum: maius hoc aliquid dolor
Inueniat. animum filio inspira parens,
Sororq;, causa est similis: aßiste, & manum
Impelle nostram. liberos auidus parens,
Gaudensq; laceret, & suos artus edat.
Benè est, abundè est. hic placet pœnæ modus.
Tantisper, vbínam est? tam diu cur innocens
Versatur Atreus? tota iam ante oculos meos
Imago cædis errat, ingesta orbitas
In ora patris. anime quid rursus times,
Et ante rem subsidis? audendum est, age.
Quod est in isto scelere præcipuum nefas,
Hoc ipse faciat. SER. *sed quibus captus dolis,*
Nostros dabit perductus in laqueos pedem?
Inimica credit cuncta. ATR. *non poterit capi,*
Nisi capere vellet. regna nunc sperat mea:
Hac spe, minanti fulmen, occurret Ioui;
Hac spe subibit gurgitis tumidi minas,
Dubiumq; Libycæ Syrtis intrabit fretum.
Hac spe, quod esse maximum retur malum,
Fratrem videbit. SER. *quis fidem pacis dabit?*
Cui tanta credet? ATR. *credula est spes improba,*
Gnatis tamen mandata, quæ patruo ferant,
Dabimus: relictis exsul hospitiis, vagus
Regno vt miserias mutet, atque Argos regat

Ex parte dominus. si nimis durus preces
Spernet Thyestes, liberos eius rudes,
Malisq; fessos grauibus, & faciles capi
Preces mouebunt. hinc vetus regni furor,
Illinc egestas tristis, hinc durus labor,
Quamuis rigentem tot malis subigent virum.
SER. *Iam tempus illi fecit ærumnas leues.*
ATR. *Erras. malorum sensus accrescit die.*
Leue est miserias ferre, perferre graue.
SER. *Alios ministros consiliis istis lege:*
Peiora iuuenes facilè præcepta audiunt.
In patre facient, quicquid in patruo doces,
Sæpe in magistrum scelera redierunt sua.
ATR. *Vt nemo doceat fraudis & sceleris vias,*
Regnum docebit. ne mali fiant, times?
Nascuntur: istud, quod vocas sæuum, asperum,
Agiq; dirè credis, & nimium impiè;
Fortasse & illic agitur. SER. *hanc fraudem scient*
Gnati parari? tacita tam rudibus fides
Non est in annis. detegent forsan dolos.
ATR. *Tacere multis discitur vita malis.*
SER. *Ipsósne, per quos fallere alium cogitas,*
Falles? ATR. *at ipsi crimine & culpa vacent,*
Quid enim est necesse liberos sceleri meo
Inserere? per nos odia se nostra explicent.
Malè agis, recedis anime: si parcis tuis,
Parces & illi, consilij Agamemnon mei
Sciens minister fiat, & patris cliens
Menelaus adsit. prolis incertæ fides,
Ex hoc petatur scelere. si bella abnuunt,
Et gerere nolunt odia; si patruum vocant;
Pater est. eatur. multa sed trepidus solet
Detegere vultus, magna nolentem quoque
Consilia produnt. nesciant quantæ rei
Fiant ministri. nostra tu cœpta occule.
SER. *Haud sum monendus: ista nostro in pectore*
Fides, timórque; sed magis cludit fides.

309 *Peiora iuuenes facilè præcepta audiũt.* de iuuene ait Horatius in arte poëtica:
Cereus in vitiũ flecti, monitoribus asper.

330 *Multa turbatus solet Detegere vultus.* nam ex vultu certissima affectuum animi indicia ducuntur. vide Lambinum in comment. Horat. lib. 1. epist. 18. in verbis; *deme supercilio nubem.*

CHORVS.

Choriambici trimetri.

Tandem regia nobilis
Antiqui genus Inachi,
Fratrum composuit minas.
Quis vos exagitat furor,

337 *Antiqui Inachi* Horat. lib. 2. od. 3.
Diuésne prisco natus ab Inacho.
Genus. quia Inachus Argiuorum rex fuit.
338 *Composuit.* condidit. Virg. 1. Aeneid.
Ante diem clauso componet vesper Olympo.
Horat. lib. 4. od. 14.
Te cæde gaudentes Sycambri
Compositis venerantur armis.

Alter-

Alternis dare sanguinem,
Et sceptrum scelere aggredi?
Nescitis cupidi arcium,
Regnum quo iaceat loco.
Regem non faciunt opes,
Non vestis Tyriæ color,
Non frontis nota regia,
Non auro nitidæ trabes.
Rex est, qui posuit metus,
Et diri mala pectoris:
Quem non ambitio impotens,
Et nunquam stabilis fauor,
Vulgi præcipitis mouet;
Non quicquid fodit Occidens,
Aut vndâ Tagus aureâ
Claro deuehit alueo;
Non quicquid Libycis terit
Feruens area messibus:
Quem non concutiet cadens
Obliqui via fulminis;
Non eurus rapiens mare,
Aut sæuo rapidus freto
Ventosi tumor Adriæ:
Quem non lancea militis,
Non strictus domuit chalybs:
Qui tuto positus loco,
Infra se videt omnia,
Occurritq́; suo libens
Fato, nec queritur mori.
Reges conueniant licet;
Qui sparsos agitant Dacas,
Qui rubri vada litoris,
Aut gemmis mare lucidum
Latè sanguineum tenent;
Aut qui Caspia fortibus
Recludunt iuga Sarmatis.
Certet Danubium licet,
Audet qui pedes ingredi;
Et, quocunque loco iacent,
Seres vellere nobiles.
Mens regnum bona possidet:
Nil vllis opus est equis,
Nil armis, & inertibus
Telis, quæ procul ingerit

Par-

340 *Alternis dare sanguinem.* o.v.l. *alternum dare sanguinem.*

355 *Claro deuehit alueo.* in vno cod. antiquo habetur *caro.* Porrò Tagi arenas & messes Libycas, vt noster sic Martialis etiam coniunxit: *Possideat Libycas Messes, Hermumq́; Tagumq́;.*

356 *Non quicquid Libycis terit Feruens area, &c.* sic Horat. ode 1.

Illum, si proprio condidit horreo
Quicquid de Libycis verritur areis.

362 *Ventosi tumor Adriæ.* mare Adriaticum vt ventis & tempestatibus obnoxium, damnat Horatius lib. 1. ode 33. lib. 3. ode 9. & ode 27.

381 *Nil vllis opus, &c.* similia sunt hæc Horatij lib. 1. ode 22.

Integer vitæ, scelerisq́; purus
Non eget Mauri iaculis nec arcu,
Nec venenatis grauida sagittis,
Fusce, pharetra.

382 *Inertibus.* quia à fugientibus sparguntur. Virg. Georg. 3. Horat. ode 13. lib. 2.

386 *Machinis.* Vitruuius tradit machinam esse continentem ex materia cõiunctionem, maximas ad onerum motus habentem virtutes: eaque mouetur ex arte circulorum rotundationibus, per κυκλικὴν κίνησιν.

388 *Rex est, qui metuit nihil.* horũ & quadamtenus sequentium sententiam fortè ex Euripidis Ione fuit mutuatus. ait Eurip.

τυραννίδος δὲ τῆς μάτην αἰνουμένης
τὸ μὲν πρόσωπον ἡδὺ, τἀν δόμοισι δὲ
λυπηρά. τίς γὰρ μακάριος, τίς εὐτυχὴς,
ὅστις δεδοικὼς καὶ παραβλέπων βίαν,
αἰῶνα τείνει; δημότης δ' ἂν εὐτυχὴς
ζῆν ἂν θέλοιμι μᾶλλον, ἢ τύραννος ὤν.

& quæ sequuntur.

395 *Nullis nota Quiritibus.* ociosam vitam, & à publicis muneribus remotam laudat, ad Epicureorum λάθε βιώσας respiciens; qua de re integer Plutarchi liber exstat. vulgò dicitur:

Bene qui latuit, bene vixit.

quod si cunctis placeret, nulla non ciuitas periret breui.

400 *Illi mors grauis &c.* Euripides, in Iphigenia priore:

ζηλῶ δ' ἀνδρῶν ὃς ἀκίνδυνον
βίον ἐξεπέρασ' ἀγνὼς, ἀκλεής.
τοὺς δ' ἐν τιμαῖς ἧσσον ζηλῶ.

402 *Ignotus moritur sibi.* solus sapiens felix est ex Zenonis sententia, (Cicero 4. de finib.) stultus verò omnis infelix & miser, auctore Cicerone in Paradoxis: qui autem seipsum non nouit, stultus est. quia sapientis potissimùm munus est, seipsum nosse. Infelix ergo est qui sibi ipsi ignotus moritur.

405 *Tactum soli natalis.* patria, nihil potest esse iucundiùs.

406 *Cyclopum sacras Turres.* suprà Hercule Furente dixit:

Bellum Mycenis restat, vt Cyclopea
Euersa manibus saxa nostris concidant.

Euripides, in Iphigenia Taurica;

—— ὦ κυκλωπίδες ἑστίαι,
ὦ πατρὶς Μυκήνα φίλα.

quæ, quomodo sunt intelligenda, ex Arsenio interprete petere licet.

408 *Per quæ nobilis &c.* vnus m. s. *nobilẽ.* Licet autem hic notare senilem iactantiam; quam in Nestore Homerus, in Euandro Virgilius bene expresserunt. Aristoteles 2. Rhetoric. huius iactantiæ causam reddit; διατελοῦσι γὰρ τὰ γενόμενα λέγοντες. ἀναμιμνησκόμενοι γὰρ ἥδονται.

413 *Clarus hic regni nitor Fulgore non est, quod oculos falsò auferat.* quoniã magno alicuius rei splendore oculi offenduntur, & quasi cæcantur. Laberius apud Gelliũ lib. 10.

Democritus Abderites, physicus philosoph.

Parthus, cùm simulat fugas:
Admonitis nihil est opus
Vrbes sternere machinis,
Longè saxa rotantibus:
Rex est, qui metuit nihil:
[Rex est quique cupit nihil.]
Hoc regnum sibi quisque dat.
Stet, quicunque volet, potens
Aulæ culmine lubrico:
Me dulcis saturet quies.
Obscuro positus loco,
Leni perfruar ocio:
Nullis nota Quiritibus
Ætas per tacitum fluat.
Sic cùm transierint mei
Nullo cum strepitu dies,
Plebeius moriar senex.
Illi mors grauis incubat;
Qui, notus nimis omnibus,
Ignotus moritur sibi.

ACTVS TERTIVS.

THYESTES. PLISTHENES.

TH. *Optata patriæ tecta, & Argolicas opes,*
Miserisq́; summum ac maximum exsulibus bonũ,
Tactum soli natalis, & patrios deos,
(Si sunt tamen dij) cerno; Cyclopum sacras
Turres, labore maius humano decus,
Celebrata iuueni stadia; per quæ nobilis
Palmam paterno non semel curru tuli.
Occurret Argos, populus occurret frequens;
Sed nempe & Atreus: repete siluestres fugas,
Saltusq́; densos potiùs, & mistam feris
Similemq́; vitam. clarus hic regni nitor
Fulgore non est quod oculos falso auferat.
Cùm, quid datur, spectabis; & dantem aspice.
Modò inter illa quæ putant cuncti aspera
Fortis fui, lætusq́;: nunc contrà in metus
Reuoluor: animus hæret; ac retrò cupit
Corpus referre: moueo nolentem gradum.
PL. *Pigro (quid hoc est?) genitor incessu stupet,*
Vultumq́; versat, seq́; in incerto tenet.
THY. *Quid anime pendes? quidve consilium diu*

Tam facile torques? rebus incertißimis,
Fratri atque regno, credis? an metuis mala
Iam victa, iam mansueta, & ærumnas fugis
Bene collocatas? esse iam miserum iuuat.
Reflecte gressum, dum licet, teq́ eripe.
PL. *Quæ causa cogit genitor à patria gradum*
Referre visa? cur bonis tantis sinum
Subducis? irâ frater abiectâ redit,
Partemq́ regni reddit, & laceræ domus
Componit artus, teq́ restituit tibi.
THY. *Causam timoris ipse quam ignoro, exigis.*
Nihil timendum video, sed timeo tamen.
Placet ire: pigris membra sed genubus labant,
Alioq́ quàm quò nitor, abductus feror:
Sic concitatam remige & vento ratem
Æstus resistens remigi & velo refert.
PL. *Peruince, quicquid obstat, & mentem impedit,*
Reducemq́ quanta præmia exspectent vide.
Pater potes regnare. THY. *cùm possim mori,*
Summa est potestas. PL. *nulla, si cupias nihil,*
Gnatis relinques. TH. *non capit regnum duos.*
PL. *Miser esse mauult, esse qui felix potest?*
TH. *Mihi crede, falsis magna nominib. placent.*
Frustrà timentur dura: dum excelsus steti,
Nunquam pauere destiti, atque ipsum mei
Ferrum timere lateris. ô quantum bonum est,
Obstare nulli, capere securas dapes!
Humi iacentem scelera non intrant casam,
Tutusq́ mensâ capitur angustâ cibus.
Venenum in auro bibitur. expertus loquor.
Malam bonæ præferre fortunam licet.
Non vertice alti montis impositam domum,
Et eminentem ciuitas humilis tremit:

Nec

Clypeũ cõstituit contra exortũ Hyperionis,
Oculos effodere vt posset splendore æreo, &
Radiis solis aciem effodit luminis;
Malis bene esse ne videret ciuibus:
Sic ego splendore fulgentis pecuniæ,
Volo eludificare exitum ætatis meæ:
Ne in re bona videam esse nequam filium.

Rationem reddit Lucretius his versibus,
Splendida porrò oculi fugiũt vitantq́ tueri:
Sol etiam cæcat contra si tendere pergas;
Propterea quia vis magna est ipsius, et altè
Aëra per purũ grauiter simulacra ferũtur,
Et feriunt oculos turbantia compositura.
Præterea splendor quicunq́ est acer, adurit
Sæpe oculos: ideo quòd semina possidet ignis
Multa, dolorẽ oculis quæ gignũt insinuãdo.

414 *Falso.* non sunt omnino aliena quæ Cicero ad Brutum quadam epist. scribit, ostendens timere se ne animus Octauiani propter flexibilem eius ætatem corrumpatur à nonnullis venenis & pestibus iuuentutis. verba Ciceronis, ni fallor, sunt hæc: multi ad " deprauandum parati, qui splendore falsi ho- " noris obiecto, aciem boni ingenij præstringi " posse confidunt. "

" 441 THY. *Cùm possim mori, summa est potestas.* PL. *nulla, si cupias nihil gnatis relinques.* THY. *non, &c.* sic legitur in o. v. l.

443 *Non capit regnum duos.* sic Lucanus;
" *Nulla fides regni socius, omnisq́ potestas*
Impatiens consortis erit.
nonnulla huc pertinentia tradit Sozinus in consil. nouis in 1. volum. cons. 88.

" 444 *Miser esse mauult esse qui felix potest?* " meus codex scriptus continet *m. e. mauis, & q. f. potes.*

" 448 *O quantum bonum est, &c.* Euripi- " des, in Iphigenia Aulidensi:
" ζηλῶ σ' ἄνθρωπ' ὃς ἀκίνδυνον
βίον ἐξεπέρασ' ἀγνὼς ἀκλεής·
" τοὺς δ' ἐν τιμαῖς ἧσσον ζηλῶ.
Πρε. καὶ μὴν τὸ καλόν γ' ἐνταῦθα βίου.
Αγ. τοῦτο δέ γ' ἐστὶ τὸ καλὸν, σφαλερὸν
καὶ τὸ φιλότιμον
γλυκὺ μὲν, λυπεῖ δὲ προσιστάμενον.

452 *Venenum in auro bibitur.* Satyricus idipsum sensit, inquiens; *—— non aconita bibuntur*
Fictilibus: tunc illa time, cùm pocula sumes
Gemmata ——

454 *Non vertice alti montis.* dictum videtur propter Valerium Poplicolam; qui, cùm in summa Velia ædificaret, venit in suspicionem affectati regni. itaque ne à ciuibus suis timeretur; non in planum modò ædes suas detulit, sed etiã colli ipsi subiecit. id se facere inquiens, vt populus suprà suspectum se ciuem habitaret, & in Velia ædificarent, quibus meliùs publica libertas, quàm sibi patriæ liberatori credebatur. Liuius libro secundo hunc verò locum traxit totum ab aliis, nec infeliciùs tractauit Lucretius libro primo.
Si non aurea sunt iuuenum simulacra per ædes
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis vt suppeditentur:
Nec domus argento fulget, auroq́ renidet,
Nec cytharis reboant laqueata aurataq́ templa:
At tamen inter se prostrati in gramine molli,
Propter aquæ riuum sub ramis arboris altæ,
Non magnis opibus iucundè corpora curant.
Virgilius:
Si non ingentem foribus domus alta superbis
Mane salutantum totis vomit ædibus vndam,
Nec varios inhiant pulcra testudine postes,

Illusasq; auro vestes, Ephyreiaq; æra,
Alba nec Assyrio fucatur lana veneno,
Nec casia liquidi corrumpitur vsus oliui:
At secura quies & nescia fallere vita,
Diues opum variarũ: at latis otia fundis,
Spelunca, viuiq; lacus: at frigida Tempe,
Mugitusq; boum, mollesq; sub arbore somni &c.

Item alius, nescio quis:

Si non Assyrio fuerint bis lauta colore
Attalicis opib' data vellera: si nitor auri
Sublaqueare domus animum non tangit auarum,
Picturaq; decus, lapidum nec fulgor in vlla
Cognitus vtilitate manet: nec pocula gratum
Alconis referũt Boëtiq; toreuma, nec Indi
Conchea bacca maris pretio est: at pectore puro
Sæpe super tenero prosternit gramine corpus;
Florida cùm tellus gemmantes picta per herbas, &c.

Quæcũque enim plus viginti versibus comprehensa sequuntur, omnia huc pertinent.

456 *Tectis.* loquitur de tectis laqueatis, de quibus Cicero 2. de legib. & Horat. 2. carm.

458 *Classibus piscamur.* insanam Romanorum in conquirendis vndique piscibus luxuriam, quasi aliud agens reprehẽdit: de qua vide Macrobium lib 3. Saturnal. cap. 15. sequentibus verbis profusissimam illam libidinem villarum in Baiano sinu, aliisque locis exstruendarum notat.

495 *Tempero animo.* tres m. s. animum.

496 *Sic cùm feras.* sic Vlyssem cani latrãti comparat Homerus Odyss. υ'.

—— κραδίη δέ οἱ ἔνδον ὑλάκτει.
ὡς δὲ κύων ἀμαλῇσι περὶ σκυλάκεσσι βεβῶσα,
ἄνδρ' ἀγνοιήσασ' ὑλάει μέμονέν τε μάχεσθαι.

&, quod ad rem propiùs accedit, Ennius:

—— *animusq; in pectore latrat:*
Sicuti siquando vinclo venatica aeno
Apta solet cani' forte feram si ex nare sagaci
Sensit; voce sua nictatq; vlulatq; ibi acutè.

Nec fulget altis splendidum tectis ebur,
Somnosq; non defendit excubitor meos:
Non classibus piscamur, & retro mare
Iacta fugamus mole: non ventrem improbum
Alimus tributo gentium: nullus mihi
Vltra Getas metitur, & Parthos ager:
Non thure colimur, nec meæ excluso Ioue
Ornantur aræ: nulla culminibus meis
Imposita nutat silua: nec fumant manu
Succensa multâ stagna: nec somno dies,
Bacchoq; nox ducenda peruigili datur:
Sed non timemus: tuta sine telo est domus,
Rebusq; paruis alta præstatur quies.
Immane regnum est, posse sine regno pati.
PL. *Nec abnuendum est, si dat imperium deus.*
THY. *Nec appetendum.* PL. *frater vt regnes rogat.*
THY. *Rogat? timendum est: errat hic aliquis dolus.*
PL. *Redire pietas, vnde summota est, solet,*
Reparatq; vires iustus amissas amor.
THY. *Amat Thyesten frater? ætherias priùs*
Perfundet Arctos pontus, & Siculi rapax
Consistet æstus vnda, & Ionio seges
Matura pelago surget, & lucem dabit
Nox atra terris: antè cum flammis aquæ,
Cum morte vita, cum mari ventus fidem
Fœdusq; iungent. PL. *quam tamen fraudem times?*
TH. *Omnem. timori quem meo statuam modum?*
Quantum potest, tãtum odit. PL. *in te quid potest?*
THY. *Pro me nihil iam metuo. vos facitis mihi*
Atrea timendum. PL. *decipi captus times?*
Serum est cauendi tempus in mediis malis.
TH. *Eatur. vnum genitor hoc testor tamen:*
Ego vos sequor, non duco. PL. *Respiciat deus*
Bene cogitata. perge non dubio gradu.

ATREVS. THIESTES.

ATR. *Plagis tenetur clusa dispositis fera,*
Et ipsum, & vnà generis inuisi indolem
Iunctam parenti cerno. iam tuto in loco
Versantur odia: vênit in nostras manus
Tandem Thyestes, vênit, & totus quidem.
Vix tempero animo, vix dolor frenos capit.
Sic, cùm feras vestigat, & longo sagax
Loro tenetur Vmber, ac presso vias

Scrutatur ore, dum procul lento suem
Odore sentit; pâret, & tacito locum
Rostro pererrat: præda cùm propior fuit;
Ceruice totâ pugnat, & gestu vocat
Dominum morantem, seq́ retinenti eripit.
Cùm spirat ira sanguinem, nescit tegi,
Tamen tegatur. Aspice, vt multo grauis
Squallore vultus obruat mæstos coma;
Quàm fœda iaceat barba. præstetur fides.
Fratrem iuuat videre: complexus mihi
Redde expetitos: quicquid irarum fuit,
Transierit: ex hoc sanguis ac pietas die
Colantur: animis odia damnata excidant.
THY. *Diluere possem cuncta, nisi talis fores:*
Sed fateor, Atreu fateor, admisi omnia
Quæ credidisti. pessimam causam meam
Hodierna pietas fecit. est prorsus nocens,
Quicunque visus tam bono fratri est nocens.
Lachrymis agendum est. supplicem primus vides.
Hæ te precantur pedibus iniectæ manus:
Ponatur omnis ira, & ex animo tumor
Erasus abeat: obsides fidei accipe
Hos innocentes frater. ATR. *à genubus manus*
Aufer, meosq́ potiùs amplexus pete.
Vos quoque, senum præsidia, tot iuuenes, meo
Pendete collo. squallidam vestem exue,
Oculisq́ nostris parce, & ornatus cape,
Quales mei: lætusq́ frater, imperi
Capesse partem: maior hæc laus est mea,
Fratri paternum reddere incolumi decus.
Habere regnum casus est, virtus dare. "
THY. *Dij paria frater precia pro tantis tibi*
Meritis rependant: regiam capitis notam
Squallor recusat noster, & sceptrum manus
Infausta refugit: liceat in mediâ mihi
Latêre turbâ. ATR. *recipit hoc regnum duos.*
THY. *Meum esse credo, quicquid est frater tuum.*
ATR. *Quis influentis dona fortunæ abnuit?* "
THY. *Expertus est quicũq́, quàm facilè effluant.* "
ATR. *Fratrem potiri gloriâ ingenti vetas?*
TH. *Tua iam peracta gloria est, restat mea.*
Respuere certum est regna consilium mihi.
ATR. *Meam relinquam, nisi tuam partem accipis.*
TH. *Accipio, regni nomen impositi feram:*

506 *Quàm fœda iaceat barba.* de Thyeste videntur illa antiquæ tragœdiæ (sunt tamen de Acëtha) apud Ciceronem 3. Tusc. quæst.
Refugêre oculi, corpus macie extabuit,
Lacrumæ peredêre humore exsangues genas,
Situ nidoris barba pedore horrida
Atque intonsa infuscat pectus illuuie scabrum.

536 *Quàm facilè effluant.* P. Syrus:
Leuis est fortuna, citò reposcit quæ dedit.
Q. Curtius li. 6. Fortunam tuam pressis manibus tene, lubrica est, nec teneri potest. alibi lib. 5. idem versatilem appellat: quod forte dictum fuit, quia vt ait Tibullus lib. 1. eleg. 5.
Versatur celeri sors leuis orbe rota.
Herodotus lib. 1. qui inscribitur Clio:
ἐκεῖνο πρῶτον μάθε, ὡς κύκλος τῶν ἀνθρωπηΐων ἐστὶ πρηγμάτων, περιφερόμενος δὲ, οὐκ ἐᾷ ἀεὶ τοὺς αὐτοὺς εὐτυχέειν

556 *Sanguinem Mauors cupiens.* Orpheus:

Ἄρης ἄναξ δολόδουπε, φόνοις πεπαλαγμένε αἰεὶ,
αἵματι ἀνδροφόνῳ χαίρων, πολεμόκλονε, φρικτὲ,
ὃς ποθέεις ξιφέεσσί τε καὶ ἔγχεσι δῆριν ἄμουσον.

562 *Pallidæ matres timuere natis.* hoc Fabricius ex coniectura reposuit, & sanè est elegantissimum; non ausim tamen hoc amplecti, quia in o. v. l. tam excusis quàm scriptis habetur; *pallidæ matres tenuêre natos.* & potest videri dictum ad imitationem illius Virgiliani lib. 7. Aeneid.

Et trepidæ matres pressêre ad vbera natos.

Statius 1. Thebaid.

—— gremioq; Palæmona pressit.

quod in Oriando furioso cãtu 27. Stanz. 101. sic expressit Ludou. Ariost.

Si strinzere le madri il figli al seno.

& Ludouic. de Camoes, in Lusiadib. cant. 4.

E as mãis que o som terribil escuitárão
A os peitos os filhinhos apertárão.

574 *Litui strepentis.* Lituus incuruus erat, auctore festo, ideo sonum streperum & acutum edebat. Ennius:

Inde loci lituus sonitus effudit acutos.

iccirco ait *strepentis.* imitatus Horatium, qui 2. carmin. ait;

Iam nunc minaci murmure cornuum
Perstringis aures, iam litui strepunt.

580 *Quod rapax haustum reuomit Charybdis.* ab Homero Odyss. μ'.

—— δῖα χάρυβδις ἀναρροιβδεῖ μέλαν ὕδωρ.
τρὶς μὲν γάρ τ' ἀνίησιν ἐπ' ἤματι, τρὶς δ' ἀναρροιβδεῖ
δεινὸν —— quæ sic expressit P. Virgilius Aeneid. 3.

—— Charybdis
Obsidet, atque imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursusq; sub auras
Erigit alternos, & sidera verberat vnda.

581 *Cyclops metuit parentem.* Conon in Heraclea scribit Polyphemi patrem fuisse Elasum; quem Andron Teïus, in lib. de affinitatibus, Elatam appellat; Homer. Odyss. ά. Euripides in Cyclope, Apollonius 1. Argonaut. & Lucianus in dialog. marinor. deor. Neptunum fuisse dicunt. quod noster hic sequitur: fortè quia vt Tzetza chil. 2. histor. 51. scribit, *τοὺς θυμικοὺς γὰρ σύμπαντας καὶ πάντας τοὺς ἀνδρείους, ἤτοι καὶ φίλους, ἱερέας φασὶ τοῦ Ποσειδῶνος.* Præterea rectè noster per Neptunum voluit vim maris significare. nam Cicero lib. 1. de nat. deor. ex Chrysippi sententia, prodidit Neptunum nihil esse aliud quàm spiritum qui mare commouet.

Sed iura & arma seruient mecum tibi.
ATR. *Imposita capiti vincla venerando gere.*
Ego destinatas victimas superis dabo.

CHORVS.

Sapphici, & vnus Adonius.

Credat hoc quisquam? ferus ille & acer,
Nec potens mentis, truculentus Atreus,
Fratris aspectu stupefactus hæsit.
Nulla vis maior pietate verâ est: “
Iurgia externis inimica durant, “
Quos amor verus tenuit, tenebit. “
Ira cùm magnis agitata causis
Gratiam rupit, cecinitq; bellum;
Cùm leues frenis sonuere turmæ,
Fulsit hinc illinc agitatus ensis;
Quem mouet crebro furibundus ictu
Sanguinem Mauors cupiens recentem;
Opprimit ferrum, manibusq; iunctis “
Ducit ad pacem pietas negantes. “
Ocium è tanto subitum tumultu
Quis deus fecit? modò per Mycenas
Arma ciuilis crepuere belli.
Pallidæ matres tenuere natos,
Vxor armato timuit marito;
Cùm manum inuitus sequeretur ensis,
Sordidus pacis vitio quietæ:
Ille labentes renouare muros,
Hic situ quassas stabilire turres,
Ferreis portas cohibere claustris
Ille certabat, pauidusq; pinnis
Anxiæ nocti vigil incubabat.
Peior est bello, timor ipse belli. “
Iam minæ sæui cecidere ferri,
Iam silet murmur graue classicorum,
Iam tacet stridor litui strepentis,
Alta pax vrbis reuocata lætæ est.
Sic vbi ex alto tumuere fluctus,
Bruttium Coro feriente pontum,
Scylla pulsatis resonat cauernis,
Ac mare in portu timuere nautæ,
Quod rapax haustum reuomit Charybdis;
Et ferus Cyclops metuit parentem

Rupe feruentis residens in Ætna,
Ne superfusis violetur vndis
Ignis Ætneis resonans caminis.
Et putat mergi sua posse pauper
Regna Laërtes Ithacâ tremente.
Si suæ ventis cecidere vires,
Mitius stagno pelagus recumbit:
Alta quæ nauis timuit secare
Hinc & hinc fusis spaciosa velis,
Strata, ludenti patuere cymbæ:
Et vacat mersos numerare pisces;
Hic, vbi ingenti modò sub procella
Cyclades pontum timuere motæ.
Nulla sors longa est. dolor ac voluptas
Inuicem cedunt. breuior voluptas.
Ima permutat breuis hora summis.
Ille qui donat diadema fronti,
Quem genu nixæ tremuere gentes,
Cuius ad nutum posuere bella
Medus, & Phœbi propioris Indus,
Et Daca Parthis equitem minati:

Anxius

581 *Ætna.* AEtnæi incendij causam tradit Lucretius lib. 6. his versibus:

—— primùm totius sub caua montis,
Est natura fere, silicum suffulta cauernis:
Omnibus est porrò in speluncis vẽtus & aër,
Vẽtus enim fit vbi est agitãdo percitus aër:
Hic vbi percaluit, calefecitq; omnia circum
Saxa furẽs, qua cõtingit, terrãq; & ab ollis
Excussit calidũ flammis velocibus ignem;
Tollit se ac rectis ita faucibus eiicit altè,
Funditq; ardorem longè, longeq; fauillam
Differt, & crassa voluit caligine fumum,
Extruditq; simul mirãdo põdere saxa, &c.

addit Claudian. lib. 1. de raptu Proserp.

Quæ scopulos tormenta rotant? quæ tanta cauernas
Vi glomerat? quo fonte ruit Vulcanius ignis?
Siue quod obicibus discurrẽs ventus opertis
Offenso per saxa ruens rimosa meatu,
Dum scrutatur iter, libertatemq; reposcẽs
Putrida multiuagis populatur flatibus antra:
Seu mare sulphurei ductum per viscera montis
Oppressis ignescit aquis & pondera librat, &c.

Auctor libri de mundo docet terram multos flatus & ignis fontes in se continere; quorum alij sub terra sint occulti & obscuri, alij verò ἀναπνοὰς ἔχουσι καὶ ἀναφυσήσεις, ὥσπερ Λιπάρα τε καὶ Αἴτνη καὶ τὰ ἐν Αἰόλου νήσοις· αἳ δὴ καὶ ῥέουσι πολλάκις ποταμῶν δίκην καὶ μύδρους ἀναρριπτοῦσι διαπύρους. adde quæ diximus superiùs in Hercule Furente ex Trogi Pompeij sententia.

595 *Dolor ac voluptas.* Iouem tradunt fabulæ, cùm dolorem ac voluptatem grauiter dissidentes, nullo modo conciliare posset, adamantina cathena simul vinxisse: vt, manente etiamnum dissidio, se mutuo tamen semper consequantur.

597 *Ima permutat breuis hora summis.* rectiùs noster quàm tragicus Græcus; qui diem dixerat. quamobrem in Demetrij Phalerei reprehensionem incidit, vt à Plutarcho accepi, cuius verba in consolatoria ad Apollonium sunt hæc: ὀρθῶς ὁ Φαληρεὺς Δημήτριος, εἰπόντος Εὐριπίδου, ὁ δ᾽ ὄλβος οὐ βέβαιος ἀλλ᾽ ἐφήμερος, καὶ ὅτι μικρότατα σφάλλοντα, καὶ ἡμέρα τὰ μὲν καθεῖλεν ὑψόθεν, τὰ δ᾽ ἦρ᾽ ἄνω· τὰ μὲν ἄλλα καλῶς ἔφη λέγειν αὐτόν, βέλτιον δ᾽ ἂν ἔχειν, εἰ μὴ μίαν ἡμέραν, ἀλλὰ στιγμὴν εἶπε χρόνου. Carmina Euripidis, quæ Demetrius reprehendebat, si coniecturæ licentia datur, fortè fuerunt, in Hecuba:

οὐδ᾽ εὐτυχοῦντας, δεῖ δοκεῖν πράξειν ἀεί.
κἀγὼ γὰρ ἦν ποτ᾽, ἀλλὰ νῦν οὐκ εἴμ᾽ ἔτι,
τὸν πάντα δ᾽ ὄλβον ἦμαρ ἕν μ᾽ ἀφείλετο.

Vt vt est, iustè Demetrius. celerrima enim est rerum vicissitudo. Simonides,

ὠκεῖα γὰρ οὐδὲ τανυπτερύγου μυίας
οὕτως ἡ μετάστασις.

quia, vt idem inquit,

οὐδὲν ἐν ἀνθρώποισι μένει χρῆμ᾽ ἔμπεδον αἰεί.

neque enim vllus vnquam tam fuit fortunatus, vt non sæpissimè illi multa aduersa acciderint, ne illi quidem qui vixisse felicissimè traduntur. Pindarus:

—— αἰὼν δ᾽ ἀσφαλὴς
οὐκ ἔγεντ᾽ οὔτ᾽ Αἰακίδᾳ παρὰ Πηλεῖ,
οὔτε παρ᾽ ἀντιθέῳ
Κάδμῳ· λέγονταί γε μὰν βροτῶν
ὄλβον ὑπέρτατον οἳ
σχεῖν ——

Simonides:

οὐδὲ γὰρ οἳ πρότερόν ποτ᾽ ἐπέλοντο,
θεῶν δ᾽ ἐξ ἀνάκτων ἐγένονθ᾽ υἷες
ἡμίθεοι, ἄπονον, οὐδ᾽ ἄφθιτον,
οὐδ᾽ ἀκίνδυνον βίον ἐς γῆρας
ἐξίκοντο τελέσαντες ——

rationem reddit Pindarus: —— ἀλ-
λοτε δ᾽ ἀλλοῖαι πνοαὶ
ὑψιπετᾶν ἀνέμων.
ὄλβος δ᾽ οὐκ ἐς μακρὸν ἀνδρῶν ἔρχεται &c.

Ideo Theodectes ait βεβαίως esse hominum fortunas: & noster Seneca alibi, in lib. de remed. fortunæ:

Neminem illæsum fata transmittunt.

B. Nylus episcopus & martyr, quæ nobis prospera contingunt, rotæ, fumo, ac vmbræ comparauit. quia vt vmbra non permanent, vt fumus euanescunt, & veluti rota

Anxius sceptrum tenet, & mouentes
Cuncta diuitias, metuitq; casus
Mobiles rerum, dubiumq; tempus.
Vos, quibus rector maris atque terræ
Ius dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos tumidosq; vultus:
Quicquid à vobis minor expauescit,
Maior hoc vobis dominus minatur.
Omne sub regno grauiore regnum est.
Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens iacentem.
Nemo confidat nimium secundis,
Nemo desperet meliora lapsis.
Miscet hæc illis, prohibetq; Clotho
Stare fortunam: rotat omne fatum.
Nemo tam diuos habuit fauentes,
Crastinum vt possit sibi polliceri.
Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

ACTVS

vertuntur. In Nelei carmine legitur:

Topper fortunæ commutantur hominibus.

Quin etiam si rem recta via reputemus, tum demum nos extra ictus fortunæ constitutos comperiemus; cùm anima nostra hoc corporis carcere emissa in cælum, vnde ducit originem, euolarit. Hoc neque Solonem, neque Euripidem, neque Ouidium latuit. (quorum tamen sententiam malignè, & non sine calumnia vellicat Aristoteles lib. I. Ethicorum ad Nicomachum cap. 10.) Solon Crœsi gazas despiciens, dixit eum se beatũ nominare, cui deus ad mortem vsque felicem vitam tribuisset. auctores sunt Herodotus & Plutarchus. Euripides testatur omnium, quotquot hoc cæli munere vescimur, vitam lubricam esse & laboriosam, hos erigi afflictos, illos affligi erectos, neque huius vicissitudinis vllũ terminum esse ante mortem; quam Diphilus vult esse malorum medicinam his verbis,

—— οὐκ ἔστι βίος ὃς οὐ κέκτηται κακά,
λύπας, μερίμνας, ἁρπαγάς, στρόφας, νόσους.
τούτων ὁ θάνατος καθάπερ ἰατρὸς φανεὶς
ἀνέπαυσεν τοὺς ἔχοντας, ἀναπαύσας ὕπνῳ.

Ouidius autem:

—— *vltima semper*
Exspectanda dies homini, diciq; beatus
Ante obitũ nemo supremaq; funera debet.

quod fortè mutuatus fuit ab Euripide, qui in Andromache, χρὴ δ' οὔποτ' εἰπεῖν ὄλβιον βροτῶν, πρὶν ἂν θανόντος τὴν τελευταίαν ἴδῃς ὅπως περάσας ἡμέραν ἥξει κάτω. nec non in Troadibus; τῶν δ' εὐδαιμόνων μηδένα νομίζετ' εὐτυχεῖν, πρὶν ἂν θάνῃ. vel equidem mutuatus fuit à Sophocle, in Oedipo Tyranno: ὥστε θνητὸν ὄντ' ἐκείνην τὴν τελευταίαν ἰδεῖν ἡμέραν ἐπισκοποῦντα, μηδέν' ὀλβίζειν, πρὶν ἂν τέρμα τοῦ βίου περάσῃ μηδὲν ἀλγεινὸν παθών. quod ipsum etiam Dionysius Tyrannus, in Leda, litteris prodidit: eaque causa est, cur D. Augustinus alicubi inquiat, Lauda post mortem, cùm ad triumphum venit. 603 *Mouentes Cuncta diuitias.* cur mouentes cuncta diuitias? an quia nihil tam sanctum, quod non violari; nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit? Cicero, in Verrem. Ideo prudenter Pythia consulenti Philippo, quomodo aduersarios vinceret, dicitur respondisse: Ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα νικήσεις. quia, vt ait AEschylus:, τὰ πάντα χρυσοῦ τίμιεται καὶ πράττεται. Aristodemi dictum celebratur hoc: Χρήματ' ἀνήρ, πενιχρὸς δ' οὐδεὶς πέλετ' ἐσθλός, οὐδὲ τίμιος. Menander: Χρυσὸς δ' ἀνοίγει πάντα, καὶ ᾅδου πύλας. Apuleius lib. 9. de asino, scripsit pecuniæ difficultates omnes esse peruias, auroque adamantinas perfringi fores. Archidamus Spartanus lib. I. Thucydidis inquit, καὶ ἔστιν ὁ πόλεμος οὐχ ὅπλων τὸ πλέον, ἀλλὰ δαπάνης, δι' ἣν τὰ ὅπλα ὠφελεῖ ἄλλως τε καὶ ἠπειρώταις πρὸς θαλασσίους. Porrò in hac Archidami oratione nonnulla videntur esse transposita, non quidem in his verbis, sed alibi. Idem Thucydides lib. 6. tradit. 614 *Nemo confidat nimium secundis.* Q. Curtius lib. 4. Breues & mutabiles vices rerum sunt. T. Liuius lib. 45. Exemplum insigne cernitis mutationis rerum humanarum. vobis hoc præcipuè dico, iuuenes. Ideo in secundis rebus nihil in quemquam superbè ac violenter consulere decet, nec præsenti credere fortunæ: cùm, quid vesper ferat, incertum sit. Is demum vir erit; cuius animum nec prospera flatu suo efferet, nec aduersa infringet. Laberius, apud Macrobium; *Non possunt primi esse omnes omni in tempore.*
Summum ad gradum cùm claritatis veneris, Consistes ægrè, & citiùs, quàm ascendas, decides.
619 *Crastinum.* Euripides, in Alcesti. βροτοῖς ἅπασι κατθανεῖν ὀφείλεται, κοὐκ ἔστι θνητῶν ὅστις ἐξεπίσταται τὴν αὔριον μέλλουσαν εἰ βιώσεται. Horatius: *Quis scit an adiiciant hodiernæ tempora vitæ Crastina Dij superi.* Theocritus: εἰ θνατοὶ πελόμεσθα, τὸ δ' αὔριον οὐκ ἐσορῶμες. Gulhelmus Tirius de bello sacro lib. I. c. 17. Ignorat enim mortalis infirmitas, quid sibi crastina pariat dies.

ACTVS QVARTVS.

NVNCIVS. CHORVS.

NVN. *Quis me per auras turbo præcipitem vehet,*
Atraq; nube inuoluet, vt tantum nefas
Eripiat oculis? ô domus Pelopi quoque,
Et Tantalo pudenda. CH. *quid portas noui?*
NVN. *Quænam ista regio est? Sparte & Argos, impios*
Sortita fratres, & maris gemini premens
Fauces Corinthus? an feris Ister fugam
Præbens Alanis? an sub æternâ niue
Hyrcana tellus? an vagi paßim Scythæ?
Quis hic nefandi est conscius monstri locus?
CH. *Effare, & istud pande, quodcunq; est malum.*
NVN. *Si steterit animus, si metu corpus rigens*
Remittet artus: hæret in vultu trucis
Imago facti. ferte me insanæ procul
Illò procellæ: ferte, quò fertur dies
Hinc raptus. CH. *animos grauiùs incertos tenes.*
Quid sit quod horres ede, & auctorem indica.
Non quæro quis sit, sed vter. effare ocyus.
NVN. *In arce summâ, Pelopeæ pars est domus*
Conuersa ad austros; cuius extremum latus
Æquale monti crescit, atque vrbem premit,
Et contumacem regibus populum suis
Habet sub ictu: fulget hîc turba capax
Immane tectum; cuius auratas trabes
Variis columnæ nobiles maculis ferunt.
Post ista vulgo nota, quæ populi colunt,
In multa diues spacia discedit domus.
Arcana in imo regia secessu patet,
Altâ vetustum valle compescens nemus,
Penetrale regni: nulla quæ lætos solet
Præbere ramos arbor, aut ferro coli,
Sed taxus, & cupressus, & nigrâ ilice
Obscura nutat silua; quam supra eminens
Despectat altè quercus, & vincit nemus.
Hinc auspicari regna Tantalidæ solent,
Hinc petere lapsis rebus & dubiis opem.
Affixa inhærent dona, vocales tubæ,
Fractiq; currus, spolia Myrtoi maris,
Victæq; falsis axibus pendent rotæ,
Et omne gentis facinus: hoc Phrygius loco

629 *Alanis.* hi, iuxta Plinium & Ammianum Sarmatiam Europæam incoluerunt; iuxta alios vel Daciæ partem, vel vlterioris Scythiæ. Alanorum formam habes apud Claudianum, de bello Gethico:

Cui natura breues, animus ingẽtibus artus
Finxerat, immaniq; oculos infecerat ira:
Vulneribus pars nulla vacat, recisaq; cũctis
Gloria fœdati splendet iactantior oris.

Lucanus li. 10. feritatis & crudelitatis exempla, Mauros, Scythas, & Alanos proponit.

649. PATET] ampla est & capax.

648 *In multa diues spacia discedit domus.* pars domus interior describitur, quæ reliquis vt plurimum ditior & augustior erat. Catull.

Ipsius at sedes quacunq; opulenta recessit
Regia, fulgenti splendet auro atque argento,
Candet ebur soliis, collucent pocula mẽsis,
Tota domus gaudet regali splẽdida gaza.

Virgilius:

At domus interior regali splendida luxu
Instruitur.

653 *Nigra ilice.* Virgilius:

Ilice sub nigra pallentes ruminat herbas.

Claudianus lib. 1. in Rufin.

—— caligantia nigris
Ilicibus ——

quo loco rationem reddidi, cur ilex nigra dicatur.

Fixus tiaras Pelopis: hic præda hostium,
Et de triumpho picta barbarico chlamys.
Fons stat sub vmbrâ tristis, & nigrâ piger
Hæret palude: talis est diræ Stygis
Deformis vnda, quæ facit cælo fidem.
Hîc nocte cæca gemere ferales deos
Fama est: catenis lucus excußis sonat,
Vlulantq́; manes: quicquid audire est metus,
Illic videtur: errat antiquus vetus
Emissa bustis turba, & insultant loco
Maiora notis monstra: quin tota solet
Micare flammis silua, & excelsæ trabes
Ardent sine igne: sæpe latratu nemus
Trino remugit: sæpe simulachris domus
Attonita magnis: nec dies sedat metum:
Nox propria luco est, & superstitio inferûm
In luce mediâ regnat: hinc orantibus
Responsa dantur certa, cùm ingenti sono
Laxantur adyto fata, & immugit specus
Vocem deo soluente: quò postquam furens
Intrauit Atreus liberos fratris trahens,
Ornantur aræ. quis queat dignè eloqui?
Post terga iuuenum nobiles religat manus,
Et mæsta vittâ capita purpureâ ligat:
Non thura desunt, non sacer Bacchi liquor,
Tangénsve salsâ victimam culter molâ.
Seruatur omnis ordo, ne tantum nefas
Non ritè fiat. CH. *quis manum ferro admouet?*
NVN. *Ipse est sacerdos, ipse funesta prece*
Lethale carmen ore violento canit,
Stat ipse ad aras, ipse deuotos neci
Contrectat, & componit, & ferro admouet.
Attendit ipse. nulla pars sacri perit.
Lucus tremiscit, tota succusso solo
Nutauit aula, dubia quò pondus daret,
Ac fluctuanti similis: è læuo æthere
Atrum cucurrit limitem sidus trahens:
Libata in ignes vina mutato fluunt
Cruenta Baccho: regium capiti decus
Bis terq́; lapsum est: fleuit in templis ebur.
Mouere cunctos monstra: sed solus sibi
Immotus Atreus constat, atque vltrò deos
Terret minantes: iamq́; dimissâ morâ
Aßiluit aris, toruum & obliquum intuens.

Ieiuna

662 *Tiaras.* vide quæ dixi in not. ad Claudiani Panegyr. de 4. consulatu Honorij A.

666 *Quæ facit cælo fidem.* facit vt diis credatur; qui eius iurare timent & fallere numen, iuxta Hesiodum in Theogon. Homerum Odyss. ί. & Apollonium Argonaut. β'. vide Herc. Fur. 711.

„ 682 *Liberos.* hic liberos pro filiis posuit.
„ rectè, iuxta l. 10. D. de Senator. l. 10. §. liber-
„ tos, D. de in ius voc. l. liberorum, D. de verb. signific. vbi traditur liberorum appellatione omnes descendentes contineri, vt parentum nomine omnes superiores l. 51. d. tit. sed & Papirius Fronto lib. 3. responsorum scripsit, filij appellatione etiam aliquando nepotes accipi, quod & Iuliano placuit l. 201. d. tit.

697 *Læuo æthere.* q. v. l. *leuo.* alij *læuo.* priorem orthographiam confirmat Nonius, posteriorem Festus. Lapides vtramque scripturam agnoscunt, non alteram tantùm, vt voluit Aldus Manutius orthograph. pag. 477. nisi nos idem fallit pag. 302.

701 *Fleuit in templis ebur.* solemne prodigium. Tibullus lib 2.

Et simulacra Deûm lachrymas fudere tepentes.

Ouidius 15. Metamorph.

Mille locis lachrymauit ebur ——

Lucanus lib. 7.

—— *rorantia fletu*
Vsque ad Thessaliam Romana & publica signa.

Silius lib. 8.

—— *lachrymæq́; vetusta*
Effigie patrii latè fluxere Quirini.

Iulius Obsequens, in lib. de prodigiis; testatur L. AEmilio Paullo & Cn. Bæbio Tamphilo Lanuuij Iunonis sospitæ simulacrum lachrymasse. Ap. verò Claudio & M. Perperna coss. Apollinis effigiem per quatriduum fleuisse.

Ieiuna siluis qualis in Gangeticis
Inter iuuencos Tigris errauit duos,
Vtriusque prædæ cupida, quò primos ferat
Incerta morsus, flectit huc rictus suos,
Illò reflectit, & famem dubiam tenet:
Sic dirus Atreus capita deuota impiæ
Speculatur iræ: quem priùs mactet sibi,
Dubitat; secundâ deinde quem cæde immolet.
Nec interest: sed dubitat, & tantum scelus
Iuuat ordinare. CH. *quem tamen ferro occupat?*
NVN. *Primus locus (ne deesse pietatem putes)*
Auo dicatur: Tantalus prima hostia est.
CH. *Quo iuuenis animo, quo tulit vultu necem?*
NVN. *Stetit sui securus, & non est preces*
Perire frustrà passus: ast ille ferus
In vulnere ensem abscondit, & penitus premens
Iugulo manum commisit: educto stetit
Ferro cadauer; cumq; dubitasset diu
Hac parte an illâ caderet, in patruum cadit.
Tunc ille ad aras Plisthenem sæuus trahit,
Adiicitq; fratri: colla percussa amputat,
Ceruice cæsâ truncus in pronum ruit,
Querulum cucurrit murmure incerto caput.
CH. *Quid deinde geminâ cæde perfunctus facit?*
Pueróne parcit? an scelus sceleri ingerit?
NVN. *Siluâ iubatus qualis Armeniâ leo,*
In cæde multâ victor armento incubat,
Cruore rictus madidus, & pulsâ fame
Non ponit iras: hinc & hinc tauros premens
Vitulis minatur, dente iam lasso piger:
Non aliter Atreus sæuit, atque irâ tumet,
Ferrumq; geminâ cæde perfusum tenens,
Oblitus in quem rueret, infestâ manu
Exegit vltra corpus. at pueri statim
Pectore receptus ensis, in tergo exstitit:
Cadit ille, & aras sanguine exstinguens suo,
Per vtrumq; vulnus moritur. CH. *ô sæuum scelus!*
NVN. *Exhorruistis? hactenus non stat nefas:*
Plus est. CH. *an vltra maius, aut atrocius*
Natura recipit? NVN. *sceleris hunc finem putas?*
Gradus est. CH. *quid vltra potuit? obiecit feris*
Lanianda forsan corpora, atque igne arcuit?
NVN. *Vtinam arcuisset, ne tegat functos humus,*
Ne soluat ignis. auibus epulandos licet

Ferisq;

707 *Inter iuuencos.* Ouid. 5. Metamorph.
Tigris vt auditis diuersa valle duorum
Exstimulata fame mugitibus armentorum,
Nescit vtro potiùs ruat, & ruere ardet vtroque.

708 *Primos.* o. v. l. habent *primùm.*

711 *Sic dirus Atreus.* hanc animi æstuantis anxietatem præclarè Ennius expressit, in Thyeste:
Ibi quid agat, secum cogitat, parat, putat.

725 *Sæuus.* in nonnullis membranis legitur malè, *ferus.*

731 *Silua iubatus qualis Armenia leo.* quotquot crudelia facinora vel fortia perpetrant, leonibus cõparantur, apud Euripidem, Virgilium & Ouidium passim, apud Homerum Iliad. γ'. Iliad. ι. λ'. ρ'. & σ'. Hesiodum in Scuto. Lucanum lib. 1. & 4. Statiũ Theb. li. 1. & 6. Silium lib. 5. 10. & 11. & Claudianum lib. 2. in Rufin. & lib. 2. de raptu Proserpinæ.

738 *Fureret.* m. s. *rueret* habent.

740 *Exiit.* tres cod. scripti continent *exstitit.*

747 *Igne arcuit?* fuit hoc sepulturæ genus, vt scilicet mortuorum corpora comburerentur, Græcis, Romanis, & Barbaris valde familiare: vide Claudium Guicciardum lib. 1. de Funerib. cap. 4. cuius consuetudinis varias rationes refert Eustathius Iliad. α'. mihi præ ceteris illa placet, voluisse hoc modo cadauera, quę erant impura, igne purgare. fuit hoc ab Heraclide Pontico institutum, vt docet M. Varro, περὶ ταφῆς, his verbis, Quare Heraclides Ponticus plus sapit, qui præcepit vt comburerent; quàm Democritus, qui vt in melle seruarent: quem si vulgus secutus esset, peream si centum denariis calicem mulsi bibere possimus.

a

Ferisq́ triste pabulum sæuis trahat;
Votum est sub hoc, quod esse supplicium solet,
Pater insepultos spectet. ô nullo scelus
Credibile in æuo, quodq́ posteritas neget.
Erepta viuis exta pectoribus tremunt,
Spirantq́ venæ, corq́ adhuc pauidum salit.
At ille fibras tractat, ac fata inspicit,
Et adhuc calentes viscerum venas notat.
Postquam hostiæ placuere; securus vacat
Iam fratris epulis, ipse diuisim secat
In membra corpus, amputat truncotenus
Humeros patentes, & lacertorum moras:
Denudat artus dirus, atque ossa amputat:
Tantum ora seruat, & datas fidei manus.
Hæc verubus hærent viscera, & lentis data
Stillant caminis: illa flammatus latex
Querente aheno iactat: impositas dapes
Transiluit ignis, inq́ crepitantes focos
Bis ter regestus, & pati iussus moram
Inuitus ardet: stridet in verubus iecur.
Nec facilè dicam, corpora an flammæ magis
Gemuere. piceus ignis in fumos abit:
Et ipse fumus tristis, ac nebulâ grauis
Non rectus exit, seq́ in excelsum leuat,
Ipsos penates nube deformi obsidet.
O Phœbe patiens, fugeris retrò licet,
Medioq́ ruptum merseris cælo diem;
Serò occidisti. lancinat gnatos pater,
Artusq́ mandit ore funesto suos:
Nitet fluente madidus vnguento comam,
Grauisq́ vino: sæpe præclusæ cibum
Tenuere fauces. In malis vnum hoc tuis
Bonum est Thyesta, quòd mala ignoras tua.
Sed & hoc peribit. verterit currus licet
Sibi ipse Titan, obuium ducens iter,
Tenebrisq́ facinus obruat tetrum nouis,
Nox missa ab ortu tempore alieno grauis:
Tamen videndum est, tota patefient mala.

CHORVS.

Anapæstici, & vnus Adonicus.

Quò terrarum, superûmq́ parens;
Cuius ad ortus noctis opacæ,
Decus omne fugit; quò vertis iter,

754 *Erepta viuis*. plerique lib. antiq. *eiecta viuis*. non minori sanè elegantia.

765 *Illa flammatus latex*. Seruius 1. Aeneid. heroes elixis carnibus negat vsos: verùm vt illi non credam faciunt quæ sequuntur. Euripides, in Cyclope, ait Polyphemo parata fuisse ἑφθὰ καὶ ὀπτά. Attius, in Atreo, de hac ipsa immanitate agens, inquit; Concoquit „ partem vapore, flammam tribuit verubus, la- „ certa in focos. Fuit ergo pars carnium elixa. Ouidius de Lycaone:

Atque ita semineces partim feruentibus artus
Mollit aquis. partim subiecto torruit igne.

&, de Itylo, idem;

—— pars inde cauis exsultat ahenis,
Pars verubus stridit, &c.

767 *Crepitantes focos*. v.l. continent; *trepidantes focos*.

769 *Stridet in verubus iecur*. ab Ouidio sumtum; cuius versus suprà posui.

770 *Corpora an flamma gemant, Gemuêre* in o.m.s. legitur; *corpora an flammæ magis Gemuere*. postea in solo Moguntino; vulgatam inueni lectionem, sed non placet.

776 *Ruptum*. ex vno cod. peruetusto corrigo *raptum*.

779 *Nitet*. vnguentis nitere, apud Anacreontem & Horatium inuenitur.

783 *Verterit cursus*. sic omnes vulgati & quidam libri scripti; alij autem, *verterit currus*.

788 *Ad ortus*. pleræque membranæ; *ad ortum*.

Medioq́

Medioq; diem perdis Olympo?
Cur Phœbe tuos rapis aspectus?
Nondum seræ nuncius horæ
Nocturna vocat lumina vesper:
Nondum Hesperiæ flexura rotæ
Iubet emeritos soluere currus.
Nondum in noctem vergente die
Tertia misit bucina signum:
Stupet ad subita tempora cœnæ,
Nondum fessis bubus, arator.
Quid te ætherio pepulit cursu?
Quæ causa tuos limite certo
Deiecit equos? nunquid aperto
Carcere Ditis victi tentant
Bella gigantes? nunquid Tityus
Pectore fesso renouat veteres
Saucius iras? num reiecto
Latus explicuit monte Typhoeus?
Nunquid struitur via Phlegræos
Alta per hostes, & Thessalicum
Thressâ premitur Pelion Ossâ?
Solitæ mundi periere vices,
Nihil occasus, nihil ortus erit.
Stupet eoos assueta deo
Tradere frenos, genitrix primæ
Roscida lucis, peruersa sui
Lumina regni; nescit fessos
Tingere currus, nec fumantes
Sudore iubas mergere ponto.
Ipse insueto nouus hospitio,
Sol auroram videt occiduus,
Tenebrasq; iubet surgere, nondum
Nocte paratâ. non succedunt
Astra, nec vllo micat igne polus.
Nec luna graues digerit vmbras.
Sed quicquid id est, vtinam nox sit.
Trepidant, trepidant pectora magno
Perculsa metu; ne fatali
Cuncta ruinâ quassata labent,
Iterumq; deos, hominesq; premat
Deforme chaos: iterum terras,
Et mare & ignes, & vaga picti
Sidera mundi natura tegat.
Non æterna facis exortu

799 *Tertia misit.* quemadmodum nox, sic & dies in tres partes diuiditur; eæq; partes, vt nūc horologiis horæ, bucinarum clangore indicabantur.

Bucina. ita ad vnum o.v.l. & ita scribendum docet Aldus Manutius ex Isidori & marmorum auctoritate.

808 *Typhoeus.* hic etiam Typhon vocatur, de quo Homerus in hymno Apollinis, & Hesiodus in Theogonia. Fuit iste germanus hominis ambitiosi typus. nam & ambitionis origo, vnde & aliorum vitiorum, ex inferno fluxit; ideo Typhon Erebi filius. ambitiosus æqualis astris graditur, & sidera sublimi ferit vertice: iccirco Typhon cælum manu cōtingebat, curæ est ambitioso cunctis se accommodare: ideo Typhon pedes habebat omni labori perferendo pares. erat illi lingua serpentis & oculi ignei, tum quòd ira ambitionis comes sit, tum etiā quòd ambitiosi nulli non detrahunt, ex aliorum infamia decus suum petentes. centum capita habebat, quia ambitiosus variis semper cogitationibus æstuat. varias brutorum animalium voces edebat: quoniam qui hoc morbo laborant, nihil humanum loqui, sed omnia sonare immania, omnia belluina consueuerunt. Postremò Typhoeum Iuppiter fulmine deiecit & Aetna obruit, quoniam ambitiosi sic à Deo puniuntur, vt, cùm se iam iam votis suis fruituros confidunt, omni tunc spe prorsus decidant, & illorum, quos contempserunt aliquando, cachinnos nasòsq; que onus Aetna grauius perpeti cogantur. vide sup. Med. 773.

816 *Roscida.* verū Auroræ epithetū. Maro;
Roscida puniceo Pallantias exit amictu.
quod Egnatius li. 1. de rer. nat. Lunæ tribuit;
Roscida noctiuagis astris labentibu' Phœbe
Pulsa loco cessit concedens noctibus altis.

817 *Nescit fessos Tingere currus.* Virgil.
Ni roseus fessos iam gurgite Phœbus Ibero
Tingat equos. Sidonius & Claudian. Soli tribuunt Gryphes.

818 *Nec fumantes Sudore iubas mergere ponto.* Solem veteres astrologi cùm apparere desinebat occidere & interire, & cùm rursus apparere incipiebat nasci credebant, in quo errore etiam Epicurum fuisse docet Cleomedes lib. 2. quo loco diram quandam veterum Hispanorum fabulam narrat: ἐμπίπτοντα τὸν ἥλιον τῷ ὠκεανῷ, ψόφον ἐμποιεῖν σβεννύμενον, ὡς διάπυρον σίδηρον ἐν ὕδατι.

828 *Perculsa.* in o.v.l. continetur *percussa.* sic Lucret. lib. 1. —— *sed acri*
Percussit thyrso laudis spes magna meū cor.
si quis tamen vulgatam lectionem malit, est quo se tueatur. dixit enim Virgilius;
Quarū sacra fero ingēti perculsus amore.

Dux astrorum secula ducens
Dabit æstatus brumæq; notas.
Non Phœbeis obuia flammis,
Demet nocti luna timores,
Vincetq; sui fratris habenas
Curuo breuius limite currens.
Ibit in vnum congesta sinum
Turba deorum.
Hic, qui sacris peruius astris
Secat obliquo tramite zonas,
Flectens longos signifer annos,
Lapsa videbit sidera labens.
Hic qui nondum vere benigno,
Reddit zephyro vela tepenti,
Aries præceps ibit in vndas,
Per quas pauidam vexerat Hellen.
Hic qui nitido taurus cornu
Perfert Hyadas, secum Geminos
Trahet, & curui brachia Cancri.
Leo flammiferis æstibus ardens
Iterum è cælo cadet Herculeus:
Cadet in terras virgo relictas,
Iustæq; cadent pondera Libræ,
Secumq; trahent Scorpion acrem.
Et, qui neruo tenet Æmonio
Pennata senex spicula, Chiron,
Rupto perdet spicula neruo.
Pigram referens hiemem gelidus
Cadet Ægoceros, frangetq; tuam,
Quisquis es, vrnam: tecum excedent
Vltima cæli sidera Pisces:
Monstraq; nunquam perfusa mari
Merget condens omnia gurges:
Et qui medias diuidit vrsas,
Fluminis instar, lubricus Anguis;
Magnoq; minor iuncta draconi
Frigida duro Cynosura gelu;
Custosq; sui tardus plaustri,
Iam non stabilis, ruet Arctophylax.
Nos è tanto visi populo
Digni, premeret quos euerso
Cardine mundus: in nos ætas
Vltima venit. ô nos durâ
Sorte creatos, seu perdidimus

835 *Dux astrorum.* Cicero, de nat. deor.; Sol, qui astrorum obtinet principatum.

848 *Zephyro vela tepenti.* meritò *tepenti.* nam Zephyrus aëris, qui est tepidus, habet temperaturam. Ouidius;

Aut niue, quæ Zephyro victa tepente fluit.

849 *Aries.* Aries ille aureo vellere insignis fingitur Hellen; à cuius casu Hellespõtus dicitur; & Phryxum, Athamantis iram fugientes, per mare vexisse, deinde inter astra collocatus. quæ quòd ad fortunæ inconstantiam retulerunt, laudo: sed illud desidero, quod aliàs fere semper requirere soleo; scilicet vt quæ secundùm ipsos temerè; vt ego sentio, magno iudicio sunt addita, accuratiùs singula perpendantur. neque enim inducar facilè, vt credam nihil præterea hac fabula indicari: verùm ex illa arbitror complura nos debere documẽta elicere. Vtpote cùm ab Athamãte legimus Nephelen vxorem repudiatã fuisse, & Ino ductam; monemur non temerè ad secundas nuptias conuolare, ne prioribus liberis simus iniurij, & nobis nocumento: vnde, si non hinc, illæ lachrymæ? vnde in Phryxum & Hellen proprios liberos odium? solent nouercarum delinimẽtis patres capti, erga prioris matrimonij liberos paternum affectum exuere, sic vt illos nonnunquam odio prosequantur. Ino sanè priuignis suis Athamantem infensum reddidit: illi ariete duce fugam arripiunt. Helle metu perculsa decidit in mare, cui nomen indidit Phryxus impauidè fretum superat, & Colchorum regis filiam vxorem ducit. Aries inter astra statuitur. Docemur miserias constanter ferre, neque ab iis perferendis vlla mollitie animi aut metu deterreri. si enim illis obrui nos patimur, nunquã ex iis emergemus; sin rebus aduersis fortes ac animosos nos exhibemus, iis superatis, melior sors nos manet. Monemur amicitiam colere, & amicos in calamitatibus non deserere. quia qui, quos in prospera fortuna coluerunt, eosdẽ in miseriis constitutos amant; illorum memoriam nulla vnquam temporis diuturnitas valet exstinguere.

852 *Perfert Hyadas.* malo, quod est in o. v. l. *præfert.*

855 *Iterum.* semel deciderat cùm ab Hercule fuit suffocatus.

859 *Et qui neruo.* Chiron Centaurus, non quidem, vt Sudas nugatur, Ixionis; sed potiùs Saturni filius ex Cratini & Acusilai comicorum sententia, vulneris impatiens sagittâ Herculis in pedem eius delapsâ, vel, teste Mnesagora, longioris vitæ tædio, à Ioue impetrauit vt sibi mori liceret. itaque inter sidera fuit trãslatus, Higyno auctore. nil mirum: cùm à Pindaro in Pyth. Homero Iliad. 11.

Solem

Solem miseri, siue expulimus.
Abeant questus, discede timor:
Vitæ est auidus; quisquis non vult,
Mundo secum pereunte, mori.

ACTVS QVINTVS.

ATREVS.

AEqualis astris gradior, & cunctos super
Altum superbo vertice attingens polum,
Nunc decora regni teneo, nunc solium patris.
Dimitto superos: summa votorum attigi.
Benè est, abundè est, iam sat est etiam mihi.
Sed cur satis sit? pergam, & implebo patrem
Funere suorum. nequid obstaret pudor,
Dies recessit: perge, dum cælum vocat.
Vtinam quidem tenere fugientes deos
Possem, & coactos trahere, vt vltricem dapem
Omnes viderent: quod sat est, videat pater.
Etiam die nolente discutiam tibi
Tenebras, miseriæ sub quibus latitant tuæ:
Nimis diu conuiua securo iaces,
Hilariq; vultu: iam satis mensis datum est,
Satisq; Baccho: sobrio tanta ad mala
Opus est Thyeste. turba famularis fores
Templi relaxa, festa patefiat domus:
Libet videre, capita natorum intuens
Quos det colores, verba quæ primus dolor
Effundat, aut vt spiritu expulso stupens
Corpus rigescat: fructus hic operis mei est.
Miserum videre nolo; sed dum fit miser,
Aperta multâ tecta collucent face.
Resupinus ipse purpurâ atque auro incubat,
Vino grauatum fulciens lævâ caput:
Eructat. ô me cælitum excelsissimum,
Regumq; regem, vota transcendi mea.
Satur est, capaci ducit argento merum.
Ne parce potu, restat etiam nunc cruor
Tot hostiarum. veteris hunc Bacchi color
Abscondit, hoc hæc mensa claudatur scypho,
Mistum suorum sanguinem genitor bibat,
Meum bibisset. ecce iam cantus ciet,
Festasq; voces, nec satis menti imperat.

Apollonio lib. 3. & 4. Xenophonte in Hipparcho, Philostrato lib. 2. imaginum, Clemente lib. 1. Stromat. Ouidio lib. 5. Fastor. Germanico in Phænom. Statio & Claudiano proditum sit singulari illum iustitia ac pietate fuisse.

856 *Senex spicula Chiron.* Theocritus:
κρητῆρ' Ἡρακλῆι γέρων ἐστάσατο Χείρων.

864 *Quisquis es.* diuersi enim diuersos esse credunt, Eubulus Cecropem, Hegesianax & Nigidius Deucaliona Thessalum, Euanthes Aristeum Apollinis F. Echemenes aliique Ganymedem Iouis catamitum & pincernam.

884 *Altum superbo vertice attingens polum.* talia sunt illa Herodoti in Thalia; ψαύσεις τῇ κεφαλῇ τοῦ οὐρανοῦ. Horatius:
Sublimi feriam sidera vertice.
Ouidius:
—— quo coniuge felix
Et diis cara ferar, & sidera vertice tangam.

943 *Flore recenti.* quidam m.s. *decenti.*

945 *Rosa.* scriptum est ab Aristotele & Aristone Chio, veteres, ne ex immodico potu capite dolerent, tempora coronis vinxisse, roseis potissimùm (quæ cephalalgiæ prosunt. vide Mizalolum Centuria. 2. memorabil. aphorismo 101): quod Athenæo non probatur, qui existimat huius moris causam esse, quòd in capite omnes sensus contineantur. Plutarchus verò in Sympos. causam reddit, factum ad significandam hilarem ingenij libertatem, & sales ab omni morositate alienos, proprios esse côuiuiorum. Ceterùm non caput modò aut pectora, sed collum etiã coronari consueuisse didici ex Stephani Nigri Musonio. Vtebantur conuiuæ vt plurimum triplici coronarum genere; duobus rosaceis, tertio myrteo; quod, Polycharmo teste, Naucratiten vocabant. aliæ quoque herbæ coronarum vsum præbebant, vt ex Anacreonte & aliis scriptoribus constat. vitex auctore Anacreonte & Theodoro Samio; lotos, Callixeno Rhodio; palma, Sosibino; acis, Androne; hyacinthus, anysa, coriandria, demum omnes herbæ oculos vel nares delectantes, vt docet Pollux in Onomastico. Vtrum verò antiqui initio conuiuij an demùm secundis mensis coronari fuerint soliti, quia Philoxenus & Nicostratus dissentiunt, nequeo dicere. Plura inuenies apud Athenæum lib. 15. c. 5. 6. & seqq. Steph. Nigrum in Musonio, & Leonicum lib. 1. variar. hist. cap. 70. & 71.

946 *Pingui madidus crinis amomo.* antiqui coronati & vnguentis delibuti conuiuabantur. De coronis dictum est: nunc de vnguentis quædam ponamus. Vnguenta quia variè conficiebantur & diuersis morbis occurrebant, non iisdem locis applicabantur. de Metopio multa Hieron. Mercurialis lib. 2. variar. lection. cap. 19. fuit hoc vnguentum Aegyptium, sicut & Mendesium. vtroque crura & pedes inungebantur; Phœnicino, malæ & mammæ; herpyllino genua & collum; sisymbrino alterum brachium; amaracino supercilia & coma; amomo coma, vt patet ex hoc loco Senecæ, & ex aliorum testimoniis. Ouidius:

Spissaq; de nitidis tergit amoma comis.

Statius:

—— *nec pingui crinem deducere amomo,*

Sollius Sidonius:

Indus odorifero crinẽ madefactus amomo.

Præterea fuisse vnguentum hoc, non liquidum, vt Bernardinus opinatur, sed valde spissum; cùm ex supracitato Ouidij versu, tum ex hoc Persij carmine patet;

Compositus lecto crassisq; lutatus amomis;

quem locum ceteris melius Annæus Cornutus Persij præceptor (nisi fallit inscriptio) &

THYESTES.

Anapæstici, cum Adonio.

Pectora longis hebetata malis,
Iam sollicitas ponite curas:
Fugiat mæror, fugiatq; pauor,
Fugiat trepidi comes exsilij
Tristis egestas, rebusq; grauis
Pudor afflictis. magis vnde cadas,
Quàm quò, refert: magnum ex alto
Culmine lapsum, stabilem in plano
Figere gressum: magnum ingenti
Strage malorum pressum, fracti
Pondera regni non inflexâ
Ceruice pati; nec degenerem
Victumq; malis, rectum impositas
Ferre ruinas. sed iam sæui
Nubila fati pelle, ac miseri
Temporis omnes dimitte notas:
Redeant vultus ad læta boni,
Veterem ex animo mitte Thyesten.
Proprium hoc miseros sequitur vitium,
Nunquam rebus credere lætis.
Redeat felix fortuna licet,
Tamen afflictos gaudere piget.
Quid me reuocas, festumq; vetas
Celebrare diem, quid flere iubes
Nullâ surgens dolor ex causâ?
Quis me prohibet flore recenti
Vincire comam? prohibet, prohibet.
Vernæ capiti fluxere rosæ:
Pingui madidus crinis amomo
Inter subitos stetit horrores:
Imber vultu nolente cadit.
Venit in medias voces gemitus,
Mæror lachrymas amat assuetas.
Flendi miseris dira cupido est.
Libet infaustos mittere questus,
Libet & Tyrio saturas ostro
Rumpere vestes: vlulare libet.
Mittit luctus signa futuri
Mens, antè sui præsaga mali.
Instat nautis fera tempestas,
Cùm, sine vento tranquilla, tument.

Quos

Quos tibi vultus, quósve tumultus
Fingis demens? credula præsta
Pectora fratri: iam quicquid id est,
Vel sine causâ, vel serò times.
Nolo infelix, sed vagus intrà
Terror oberrat. subitos fundunt
Oculi fletus, nec causa subest.
Dolor an metus est? an habet lachrymas
Magna voluptas?

ATREVS. THYESTES.

Festum diem germane consensu pari
Celebremus: hic est sceptra qui firmet mea,
Solidamq; pacis alliget certæ fidem.
THY. *Saties dapis me, nec minùs Bacchi tenet:*
Augere cumulus hic voluptatem potest,
Si cum meis gaudere felici datur.
ATR. *Hic esse natos crede in amplexu patris,*
Hic sunt, eruntq;, nulla pars prolis tuæ
Tibi subtrahetur: ora, quæ exoptas, dabo,
Totumq; turbâ iam suâ implebo patrem.
Satiaberis, ne metue. nunc mixti meis,
Iucunda mensæ sacra iuuenilis colunt,
Sed accientur. poculum infuso cape
Gentile Baccho. THY. *capio fraternæ dapis*
Donum, paternis vina libentur diis,
Tunc hauriantur: sed quid hoc? non vult manus
Parêre: crescit pondus, & dextram grauat.
Admotus ipsis Bacchus à labris fugit,
Circaq; rictus ore decepto effluit,
Et ipsa trepido mensa subsiluit solo:
Vix lucet ignis: ipse quin æther grauis
Inter diem noctemq; desertus stupet.
Quid hoc? magis magisq; concussi labant
Conuexa cæli. spissior densis coit
Caligo tenebris, noxq; se in nocte abdidit.
Fugit omne sidus. quicquid est, fratri precor,
Gnatisq; parcat: omnis in vile hoc caput
Abeat procella. redde iam gnatos mihi.
ATR. *Reddam, & tibi illos nullus eripiet dies.*
THY. *Quis hic tumultus viscera exagitat mea?*
Quid tremuit intus? sentio impatiens onus,
Meumq; gemitu non meo pectus gemit.
Adeste gnati, genitor infelix vocat:

scholiastes exposuit. Fuit autem maximè in precio non Aegyptium illud, de quo Daniel hoc loco, qui inscitè amomum cum metopio confundit: sed Assyrium, de quo Virgilius in eclogis;

Assyrium vulgò nascetur amomum.

De quibusdam vnguenti generibus veluti commageno, rhodino, nardino, crinino, atque aliis, mentio fit à Pomponio lib. 6. ad Sabinum l. 21. D. de aur. argent. &c. leg.

962 *Sine causa.* si nihil in te molitur Atreu.

Serò. si quid molitur. nunc enim in manu ipsius constitutus nequis euadere. debebas itaque vel priùs timuisse, vel nunc timere non debes.

969 *Hic est sceptra.* ambiguè loquitur. aliter enim intelligit Thyestes, aliter Atreus sentit. ille Atreum hoc dicere existimat propter pacem factam: hic propter occisos à se nepotes hoc dicebat.

Adeste, visis fugiet hic vobis dolor.
Vnde obloquuntur? ATR. *expedi amplexus pater.*
Venêre gnatos ecquid agnoscis tuos?
THY. *Agnosco fratrem. sustines tantum nefas*
Gestare tellus? non ad infernam Styga
Te, nosq; mergis, rupta & ingenti viâ
Ad chaos inane regna cum rege abripis?
Non tota ab imo tecta conuellens solo,
Vertis Mycenas? stare circa Tantalum,
Auosq; nostros, si quis intra Tartara est,
Vterq; iam debuimus. hinc compagibus
Et hinc reuulsis; huc tuam immani sinu
Demitte vallem, nosq; defossos tege
Acheronte toto: noxiæ supra caput
Animæ vagentur nostrum, & ardenti freto
Phlegethon arenas igneus totas agens,
Exitia supra nostra violentus fluat.
Immota tellus pondus ignauum iaces?
Fugêre superi. ATR. *at accipe hos potiùs libens,*
Recipe hosce citiùs: liberis tandem tuis
Diu expetitis, nulla per fratrem est mora,
Fruere: osculare: diuide amplexus tribus.
THY. *Hoc fœdus? hæc est gratia? hæc fratris fides?*
Sic odia ponis? non peto, incolumes pater
Gnatos vt habeam, scelere quod saluo dari
Odioq; possit; frater hoc fratrem rogo,
Sepelire liceat. redde quod cernas statim
Vri. nihil te genitor habiturus rogo,
Sed perditurus. ATR. *quicquid è gnatis tuis*
Superest, habebis: quódq; non superest, habes.
THY. *Vtrúmne sæuis pabulum alitibus iacent?*
An belluis seruantur? an pascunt feras?
ATR. *Epulatus ipse es impiâ gnatos dape.*
THY. *Hoc est, deos quod puduit: hoc egit diem*
Auersum in ortus. quas miser voces dabo?
Questusq; quos? quæ verba sufficient mihi?
Abscissa cerno capita, & auulsas manus,
Et rupta fractis cruribus vestigia.
Hoc est, quod auidus capere non potuit pater.
Voluuntur intus viscera, & clusum nefas
Sine exitu luctatur, & quærit viam.
Da frater ensem, sanguinis multum mei
Habet ille: ferro liberis demus viam.
Negatur ensis: pectora illiso sonent

1007 *Chaos inane*. Ouid. lib. 4. Fast.
Possidet alter aquas, alter inane chaos.
vterque de inferis loquitur, apud quos maximum inane, de quo suprà in Herc. Fur. dictum est satis. vide Med. 9.

1022 *Diuide amplexus tribus.* ita Horat.
—— caris multa sodalibus,
Nulli tamen plura diuidit oscula,
Quam caro Lamia ——
Seneca, Troad.
Lassabar in tot oscula & in totum gregem
Diuidere matrem ——
vnde patet Latinè dictum à Claudiano lib. 2. in Rufin.
—— cladem diuisit in orbem.
qua de re memini me in Notis meis ampliasse.

1042 *Sanguinis multum mei.* liberos vocat suum sanguinem. sic in Herc. Furente;
Quo tendis amens? sanguinē fundis tuum.
Tibullus:
—— sanguis est tamen ille tuus.
Ouid. in epist. Canaces;
Cùm mea, me corā, siluas inimicus in altas
Viscera montanis ferret edenda lupis.
Item, in epistola Didus;
Forsitan & grauidam Dido scelerate relinquis,
Parsq; tui latitat corpore clausa meo.
apud Q. Curtium lib. 4. Darius de matre & liberis suis agens, Eripite, inquit, viscera mea ex vinculis.

Con-

Concussa planctu. sustine infelix manum.
Parcamus vmbris. tale quis vidit nefas?
Quis inhospitalis Caucasi rupem asperam
Heniochus habitans, quísve Cecropiis metus
Terris Procrustes? genitor en gnatos premo
Premorq́ gnatis. sceleris est aliquis modus?
ATR. *Sceleri modus debetur, vbi facias scelus,*
Non vbi reponas. hoc quoque exiguum est mihi.
Ex vulnere ipso sanguinem calidum in tua
Diffundere ora debui, vt viuentium
Biberes cruorem: verba sunt iræ data,
Dum propero, ferro vulnera impresso dedi.
Cecîdi ad aras, cæde votiuâ focos
Placaui, & artus, corpora exanima amputans,
In parua carpsi frusta: & hæc feruentibus
Demersi ahenis: illa lentis ignibus
Stillare iussi: membra, neruosq́ abscidi
Viuentibus, graciliq́ traiectas veru
Mugire fibras vidi, & aggessi manu
Meâ ipse flammas. omnia hæc meliùs pater
Fecisse potuit. cecidit incassum dolor.
Scidit ore natos impio, sed nesciens,
Sed nescientes. THY. *clusa litoribus vagis*
Audite maria, vosq́ dij audite hoc scelus,
Quocunq́ diffugistis; audite inferi,
Audite terræ, noxq́ Tartareâ grauis
Et atra nube, vocibus nostris vaca.
Tibi sum relictus, sola tu miserum vides,
Tu quoque sine astris. vota non faciam improba,
Pro me nihil precabor: ecquid iam potest
Pro me esse? vobis vota prospicient mea.
Tu summe cæli rector ætheriæ potens
Dominator aulæ, nubibus totum horridis
Conuolue mundum, bella ventorum vndique
Committe, & omni parte violentum intona,
Manuq́, non quâ tecta, & immeritas domos
Telo petis minore; sed quâ montium
Tergemina moles cecidit, & qui montibus
Stabant pares Gigantes: hæc arma expedi,
Ignesq́ torque, vindica amissum diem:
Iaculare flammas, lumen ereptum polo
Fulminibus exple: causa, ne dubites diu,
Vtriusque mala sit: si minus, mala sit mea,
Me pete: trisulco flammeam telo facem

1047 *Inhospitalis Caucasi.* hoc illi epithetum Horatius & Valerius Flaccus tribuunt.

1052 *Non vbi reponas.* æquè impiè Euripides, in Ione;
τὴν δ' εὐσέβειαν, εὐτυχοῦσι μὲν, καλὸν
τιμᾶν· ὅταν δὲ πολεμίους δρᾶσαι κακῶς
θέλῃ τις, οὐδεὶς ἐμποδὼν κεῖται νόμος.

1082 *Qui montibus Stabant pares.* Virgilius 9. Aeneid.
Abietibus iuuenes patriis & montibus æquos.

1085 *Lumen ereptum polo.* huius rei mythologiam habes apud Hyginum in fabulis.

Per

Per pectus hoc transmitte. si gnatos pater
Humare, & igni tradere extremo volo,
Ego sum cremandus. si nihil superos mouet,
Nullumq́ telis impios numen petit;
Æterna nox permaneat, & tenebris tegat
Immensa longis scelera. nil Titan queror,
Si perseueras. ATR. *nunc meas laudo manus,*
Nunc parta vera est palma. perdideram scelus,
Nisi sic doleres, liberos nasci mihi
Nunc credo, castis nunc fidem reddi toris.
TH. *Quid liberi meruere?* ATR. *quòd fuerant tui.*
THY. *Gnatos parenti?* ATR. *fateor, &, quod me iuuat,*
Certos. THY. *piorum præsides testor deos.*
ATR. *Quid coniugales?* THY. *scelere quis pensat scelus?*
ATR. *Scio, quid queraris. scelere prærepto, doles:*
Nec, quòd nefandas hauseris tangit dapes,
Quod non pararis: fuerat hic animus tibi,
Instruere similes inscio fratri cibos,
Et adiuuante liberos matre aggredi,
Similiq́ letho sternere: hoc vnum obstitit,
Tuos putâsti. THY. *vindices aderunt dei,*
His puniendum vota te tradunt mea.
ATR. *Te puniendum liberis trado tuis.*

1099 *Quid liberi meruêre.* scelus patris æquum non est filios sustinere, quod diuino & humano iuri congruere ostendit Hieronymus Gygas lib. 3. de crim. læsæ maiestatis q. 1. in princ. nisi in quibusdam casibus, quorum aliquos refert illustrissimus præses Didacus Couarruuias à Leyua lib. 2. variar. resolut. cap. 8. Quomodo autem hac in re diuina iustitia procedat, vide Abulens. in lib. 4. Reg. c. 10. q. 6. & cap. 14. q. 5. & 6. Hadrian. Pontif. Quodlib. 12. circa princip. & Adamum Sasbault Quodlib. 3.

L. ANN.

L. ANN. SENECÆ Troas.

TRAGOEDIA VIII.

PERSONÆ.

Hecuba	Pyrrhus.
Chorus mulierum.	Andromacha.
Talthybius.	Senex.
Agamemnon.	Vlysses.
Calchas.	Astyanax.
Helena.	Nuncius.

ACTVS PRIMVS.

HECVBA.



VICVNQVE regno fidit, & magnâ potens
Dominatur aulâ, nec leues metuit deos,
Animúmque rebus credulum lætis dedit;
Me videat, & te Troia: non vnquam tulit
Documenta Fors maiora, quàm fragili locos

Sta-

IN TROADES ADVERSARIA.

TROAS. Iulius Scaliger Ideæ cap. 97 hanc inſcriptionem vellicat. immeritò. nam in quibuſdam codicibus antiq. non *Troas*, ſed *Troades* habetur. quod Luctatius agnoſcit, & Euripidis, & Attij auctoritate aſtruitur, & verò elegantiſſimum eſt. Poteſt etiam vulgata inſcriptio defendi, ſiquidem ipſemet Scaliger paullo antè ſcripſerat, titulum eſſe imponendum ab ea perſona, quæ eſt celeberrima dignitate aut infelicitate, aut quæ plurimum verſatur in toto argumento: eſt autem hic haut dubiè talis Hecuba, cui hæc omnia ſimul conueniunt: noluerit tamen Hecubam (etſi non immeritò putes, *Hecubam* fuiſſe inſcriptam) inſcribere, vel quia Andromachæ, Polyxenæ, ceterarū Troadum calamitates inſeruntur; vel quia Troadis appellatione Hecuba intelligitur; quemadmodum *poeta* Homerus & Virgilius; (Cicero in Topic. Seneca lib. 8. epiſt. Ariſtot. 1. Rhetor. l. aut facta, §. euentus, D. de pœn. §. ſed ius quidem, inſt. de iur. nat gent. & ciu.) *Ponti*, mare quod à Mæotide palude vſque ad Tenedum decurrit; (Strabo lib. 1.) *prudentium & prudentia*, iuriſprudentia & iuriſprudentes, l. 7. D. de iuſtit. & iur. & in conſtitut. de conceptione, D. in §. omnes verò, procem. inſtit. Quamquam, verū vt fatear, malim hanc tragœdiam inſcribi *Troades*, propter ea quæ dixi. Vir autem doctiſſimus, quia iudicis & cenſoris munus obibat, omni affectione liber eſſe debuerat, odio potiſſimùm, quo qui non vacat, tantum abeſt vt iuſtè iudicare queat, vt etiam ſæpiùs litem ſuam faciat; manifeſtè iniqua pronuncians, quod illi nimirum accidit, cùm, quod neſcio an non inprimis ridiculum ſit, Hiſpanos, quos omnium gentium minimè potus eſſe conſtat, idem bibaces ſcribere veritus non fuit, eadem arte poëtica. Ceterùm *Troades* ediderunt Attius & Euripides, è quibus, & huius Hecuba, multa noſter deſumſit. Troadem etiam tragœdiam Q. Cicero ſcripſit, vt ex M. Ciceronis ad eum epiſtolis patet. Macrobius lib. 5. Saturnal. ait Epicharmum *Troes* compoſuiſſe. τὰ τρωικὰ & res ſub Priamo geſtas memoriæ prodiderunt Græcè quidem Demetrius Scepſius, Dionyſius Mileſius, Metrophanes Phrygius ſophiſta, Palæphatus Abydenus, Polemō Euergeti filius, Timolaus Lariſſæus, Philoſtratus Neruiani F. Phormus Syracuſanus, Heſtiæa Alexandrina, Metrodorus Chius, Piſander, Hegeſianax Alexandrinus, Acatus Argiuus, Phileas, Chamæleon, Hellanicus, Hermogenes, Idomeneus & Ariſtonymus, qui Ptolemæi bibliothecæ præfuit; hos omnes citant Athenæus, Plutarchus, Pauſanias, Strabo, Laertius, Suidas, Clemens Alexand. & Sholiaſtæ Homeri, Heſiodi, Dioniſij, Apollonij, Theocriti, Euripidis, Arati, Aeſchyli, Sophoclis, Pindari, Lycophronis & Ariſtophanis; quos qui non legerit, vix eſt vt huiuſmodi de rebus ſcribere queat, vix etiam vt poëtarum fabulas probè intelligat. Idem argumentum proſecuti ſunt Dictys, Leſches, Tryphiodorus, Dares, Coluthus, Smyrnæus, Lycophron & Homerus; qui tamen, quod vulgò creditur, primus non fuit. Nam Plutarchus in lib. de Muſica refert Phemium Ithacenſem ante Homerum ſcripſiſſe de Græcorum reditu à Troia. & Dionyſ. Halycarnaſſ. lib. 1. Antiqu. eſt auctor, Abratinum quendam omnium antiquiſſimum poëtam Troianas res ſcripſiſſe: & Aelianus lib. 4. var. hiſtor. teſtatur poëtam quendam Syagrum ante omnes bellum Troianum ceciniſſe: & in Sudæ lexico legitur Corinnum Ilienſem poëtam belli Troiani tempore vixiſſe, & primum Iliada ſcripſiſſe, atque ab eo Homerum Iliada ſuam mutuatum fuiſſe. quod ipſum de Siſypho Coo tradidit Ioan. Meleles teſte Tzetze Chiliad. 5. hiſtor. 29. Illud penè exciderat, Neſtorem Larandenſem, Piſandri patrem, Seueri Imp. tēpore Iliadem ſcripſiſſe vt arbitror, non inuita Minerua. eius namque Metamorphoſes Parthenij Niceni, in primis laudati ſcriptoris, Metamorphoſium libris comparantur. Teſte Laërtio, tertius quidam Ariſtoteles opus edidit περὶ Ἰλιάδος

Peplum forte, qui exstat. Dionis libellus de Troia non capta ad Ilienses exstat. Latinum qui ex professo hoc argumentum tractauerit scio neminem, exceptis Trimatio, & Nummio Crasso, & Cn. Marilio, quos Iliades scripsisse refert ex Prisciano Lilius dialog. 4. Sed ego nomina duo priora corrupta non dubito, & reponendum C. Marij & Næuij nomen. Addo Clodium Sabinum, quem de bello Troiano scripsisse comperio; & Lucanum, quem P. Crinitus de poët. Latin. lib. 3 ait quædam de Troiæ incendio & Priami calamitate composuisse; Macrum etiã Aemilium. Auorum nostrorum memoria à quodam Guidone (qui & quando vixerit, & cuias fuerit, nescio) Troianum bellum oratione soluta descriptum fuisse inuenio. à Ioan Scopa citatur Ioan. iudex de columna, in Troiana historia, quem scriptorem non vidi. puto esse illum quem sæpe D. Antoninus in Sum. histor. adducit. Exstat Martirani Coriolani Odyssea ex Homero desumta. & de raptu Helenæ Sfondrati poëma non inelegans. Obiter istam expeditionem attigerunt Virgilius lib. 2. Aenid. Ouid. 12. & 13. Metamorph. & ceteri poëtæ variis locis.

Starent Superbi. columen euersum occidit
Pollentis Asiæ, cælitum egregius labor:
Ad cuius arma vênit, & qui frigidum
Septena Tanaim ora pandentem bibit;
Et, qui renatum prorsus excipiens diem,
Tepidum rubenti Tigrin immiscet freto;
Et quæ vagos vicina prospiciens Scythas
Ripam cateruis Ponticam viduis ferit.
Excisa ferro est Pergamos, incubuit sibi.
En

6 *Superbi.* quia *superbia* commune nobilitatis malum est, teste Sallustio in Iugurth. & Petro Arboriuio lib. 1. Nanceidos, inualuit apud Latinos vt *superbia* pro nobilitate, & *superbi* pro nobilibus dicatur, vt ait Seruius Aeneid. 1. 3. & 7. & sequitur Merula in commentar. Ouidianis, in 5. Tristium eleg. vlt. Virgilius;

—— ceciditq; superbum
Ilium ——

& Silius, de annulis in Cannensi clade nobilibus Romanis detractis agens;

Testes hi stragis; quos, signum illustre, superbis
Mos laua gestare viris, tum funditur ante Ora admirantum præfulgens annulus auro.

7 *Cælitum.* Neptuni & Apollinis, qui, à Laomedonte mercede conducti Troiæ muros ædificarunt, auctoribus Virg. 3. Aeneid. Ouidio in epist. Paridis, & Aphthonio in Progymnasmat. 8 *Frigidum.* Claudianus; *—— seu fortè rigentem Thermodontiaca Tanaim fregêre securi.* Idem; *Trans gelidum Tanaim ——* apud Senecam Nat. quæst. lib. 6. c. 7. legendum, *Tanais & Rhenus.* 9 *Septena* Rhœsum significat. porrò quod Istri est, mulier, cosmographiæ ignara, Tanai tribuit: in quo præclarè Seneca decorum seruauit.

10 *Qui renatum.* Euphratis accolam Memnonem describit; qui non ex Aethiopia, sed ex Susis, auctore Pausania, Troiam venit. Euphrates ortus in penitissima Asia, supra Zimaram, ad Capotis montis radices, totus in paludem quandam influens, & mox egressus, ac, Dione teste, Tigri amni commistus, in Persicum mare influit, non, vt ait noster, in rubrum mare. *Prorsus.* in Armenia enim maiore oritur; quæ in Orientem vergit, itaque Solis ortum ante se videt, & orientem diem quasi excipit. *Prorsus* autem hic idem valet quod rectà. Plautus, in Pseudolo; *Non prorsus, velut in transuersum cedit. quasi cancer solet.* Terentius, in Hecyra; *Trepidari sentio, cursari sursum, prorsum.* 11 *Trepidum rubenti* ex Herodoti ἐν κλειοῖ, Diodori τῆς τῶν ἱστορ. βιβλιοθ. β'. Q. Curtij lib. 6. Iosephi lib. 1. antiq. cap. 2. D. Hieronymi & aliorum veterum sententia hæc est. Res tamen ipsa testatur Euphratem & Tigrim in mare Persicum, non in Erythræum mare, se exonerare: idque ab Arriano lib. 7. Historiæ Alexandri, Ptolomæo, Mela, Plinio & Solino traditur. Fallitur etiam Philostratus lib. 1. scribens Euphratem in nullum pelagus se exonerare, sed in quandam paludem maximam eius partem illabi, rursusque in terra sui finem recipere. de hoc flumine quædam admiratione digna refert Procopius lib. 1. de bello Persico.

13 *Viduis.* castis virorum amplexus non expertis. hoc enim inter cetera *viduum* significat. vnde & virgines, viduæ dicuntur. de quo nos alibi ex Antistio Labeone diximus; cuius sententiam in l. malum, D. de verb. sign. immerito And. Alciatus reprehendit. Scio veteribus *viduare* idem fuisse, quod priuare. vnde Horatius, *—— Viduus pharetra Risit Apollo.* Scio *viduertatem* dici calamitatem, quòd viduet bonis, auctore Festo. nec ignoro vidui etymologiam à Macrobio lib. 2. Saturnal. cap. 15. traditam. Non me fugit postremò *viduam* plerumque dici eam, cuius maritus mortuus est. c. vidua, 34. distinct. sed quid tum? obtinent illa omnia, quando in propria significatione, & iuxta vsum quotidianum vocem illam accipimus, vt etiam censuit illustrissimus & optimè meritus episcopus & preses Couarruuias Practicar. quæst. cap. 7. nu 2. Labeonis autem sententia confirmatur auctoritate Senecæ in Agamemnone, scribentis; *Ante morantur virgines viduæ domi?* & Plauti, in Cistellaria;

Hæc equidem ecastor cottidie viro nubit, nupsitq; hodie, Nubet mox noctu, nunquam ego hanc viduam cubare siui. Sic etiam *vidua* dicitur cuius maritus abest. apud Senecam in Agamemn. ait Clytæmnestra;

Decem per annos vidua respiciam virum? apud Ouidium in epist. Heroid. Deianira; *Vir mihi semper abest, & coniuge notior hospes, Monstraq; terribiles persequiturq; feras; Ipsa domo vidua votis operosa pudicis Torqueor infesto ne vir ab hoste cadat.* Plautus, in Stycho; *Credo ego miseram fuisse Penelopen soror, suo Ex animo, quæ tam diu vidua viro suo caruit.* vnde à iuris interpretibus passim receptum est viduam dici quæ maritum inutilem vel senem nacta est, quod & Plautus in milite glorioso probat.

En alta muri decôra congesti iacent,
Tectis adustis regiam flamma ambiunt,
Omnisq́; latè fumat Assaraci domus.
Non prohibet auidas flamma victoris manus,
Diripitur ardens Troia: nec cælum patet
Vndante fumo, nube ceu densâ obsitus
Ater fauillâ squallet Iliacâ dies.
Stat auidus irâ victor, & lentum Ilium
Metitur oculis, ac decem tandem ferus
Ignoscit annis. horret afflictam quoque,
Victamq́; quamuis videat, haud credit sibi
Potuisse vinci. spolia populator rapit
Dardania, prædam mille non capiunt rates.
Testor deorum numen, aduersum mihi,
Patriæq́; cineres; teq́; rectorem Phrygum,
Quem Troia toto conditum regno tegit;
Tuosq́; manes, quo stetit stante, Ilion;
Et vos meorum liberûm magni greges,
Vmbræ minores: quicquid aduersi accidit,
Quæcunque Phœbas ore lymphato furens,
Credi Deo vetante, prædixit mala;
Prior Hecuba vidi grauida, nec tacui metus,
Et vana vates ante Cassandram fui.
Non cautus ignes Ithacus, aut Ithaci comes
Nocturnus in vos sparsit, aut fallax Sinon:
Meus ignis iste est, facibus ardetis meis.
Sed quid ruinas vrbis euersæ gemis
Viuax senectus? respice infelix ad hos
Luctus recentes. Troia iam vetus est malum.

15 *En alta.* Cicero lib. 3. Tusculan.
Quid petam præsidij aut exequar? quo nunc exsilio aut fuga
Freta sim: arce & vrbe orba sum quò accedam? quò applicem?
Quoi nec aræ patriæ domi stant, fractæ & disiectæ iacent.
Fana flamma deflagrata, tosti alti sunt parietes.

16 *Tectis adustis regiam flamma ambiũt.* Cicero dicto loco, ex veteri poëta:
O pater, ô patria, ô Priami domus,
Septum altisono cardine templum;
Vidi ego te, adstante ope barbarica,
Tectis cælatis, laqueatis,
Auro, ebore instructam magnificè:
Hæc omnia vidi inflammari.

Porrò eius imitatione, quod iste vetus poëta, qui, existimo, fuit Attius, dixit; *ope barbaricâ*; scriptum fuit à Virgilio 2. Aeneid.
Barbarico postes auro spoliisq́; superbi.

17 *Omnisq́; latè fumat.* Virg. 3. Aeneid.
——*& omnis humo fumat Neptunia Troia.*
Assaraci domus. Virgilius Aeneid. 1.
Cùm domus Assaraci, &c.
Horatius, in Epod.
Te manet Assaraci tellus.

32 *Liberûm magni greges.* Homerus, Euripides & Virgilius Hecubæ quinquaginta liberos tribuunt; pauciores Theocritus; Cicero 1. Tuscul. septendecim.

34 *Phœbas.* Cassandræ vaticinia habes apud Lycophronem, nonnulla etiam apud Ciceronem lib. 1. de diuinat. his verbis: Illud quod volumus expressum est, vt vaticinari vera furor soleat:
Adest, adest fax obuoluta sanguine atque incendio:
Multos annos latuit. ciues ferte opem & restinguite.

Deus inclusus corpori humano iam, non Cassandra loquitur; *Iamq́; mari magno classis cita*
Texitur, exitiûm examen capiti
Classis aduenit, & fera veliuolantibus
Nauibus compleuit manus litora.
In eôdem libro etiam hæc carmina ponuntur, quæ & ipsa ex Cassandræ vaticiniis esse arbitror:
Eheu videte iudicauit iudicium inclutum
Inter deas tres aliquis, quo iudicio
Mulier, furiarum vna, adueniet.

35 *Credi Deo vetante.* Virgil. 2. Aeneid.
Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora, Dei iussu, non vnquam credita Teucris.

36 *Prior Hecuba vidi grauida, nec tacui metus*) per somnium scilicet, de quo idem Tullius suprà citato loco cecinit;
Quia mater grauida parere se ardentem facem
Visa est in somnis Hecuba; quo facto pater
Rex ipse Priamus, somnio mentis metu
Perculsus, curis sumtis suspirantibus,
Exsacrificabat hostiis balantibus:
Tum coniectorem postulat, pacem petens,
Vt se edoceret obsecrans Apollinem,
Quò se vortant tanta sortes somniûm.
Ibi ex oraclo voce diuina edidit
Apollo, puerum, primus qui Priamo foret
Post illa natus temporæ, hunc ne tolleret,
Eum esse exitium Troiæ, pestem pergamo.
Ouidius, in epist. Paridis;
Matris adhuc vtero partu remorante tenebar,
Iam grauidus iusto pondere venter erat;
Illa sibi ingentem visa est sub imagine somni,
Flammiferam pleno reddere ventre facem.
Territa consurgit, metuendaq́; noctis opacæ
Visa, seni Priamo; vatibus ille, refert.
Arsurum Paridis vates canit Ilion igni.

Vidi

Vidi exſecrandum regiæ cædis nefas,
Ipſasq́; ad aras maius admiſſum ſcelus
Aeacidæ armis: cùm ferox ſæuâ manu
Comâ reflectens regium tortâ caput,
Alto nefandum vulneri ferrum abdidit;
Quod penitus actum, cùm recepiſſet libens,
Enſis ſenili tinctus è iugulo redit.
Placare quem non potuit à cæde efferâ,
Mortalis æui cardinem extremum premens,
Superiq́; teſtes ſceleris, & quondam ſacrum
Regni iacentis? ille tot regum parens
Caret ſepulchro Priamus, & flamma indiget
Ardente Troia: non tamen ſuperis ſat eſt,
Dominum ecce Priami nuribus & natis, legens
Sortitur vrna. præda quem vilis ſequar?
Hic Hectoris coniugia deſpondet ſibi,
Hic optat Heleni coniugem, hic Antenoris,
Nec deeſt tuos Caſſandra qui thalamos petat.
Mea ſors timetur: ſola ſum Danais metus.
Lamenta ceſſant? turba captiuæ mea
Ferite palmis pectora, & planctus date,
Et iuſta Troiæ facite: iamdudum ſonet
Fatalis Idæ iudicis diri domus.

CHORVS MVLIERVM.
HECVBA.

Anapæſtici.

Non rude vulgus, lachrymisq́; nouum
Lugere iubes: hoc continuis
Egimus annis; ex quo tetigit
Phrygius Graias hoſpes Amyclas,
Secuitq́; fretum pinus matri
Sacra Cybelli: decies niuibus
Canuit Ide, Ide noſtris
Nudata rogis; & Sigeis
Trepidus campis decies ſecuit
Meſſor ariſtas: vt nulla dies "
Mœrore caret, ſed noua fletus "
Cauſa miniſtrat. ite ad planctus, "
Miſeramq́; leua regina manum, "
Vulgus dominam vile ſequemur: "
Non indociles lugere ſumus.
HE. *Fidæ caſus noſtri comites,*

Sol-

44 *Vidi execrandum.* hoc concinit Euripidis verſibus, quorum initium eſt, καὶ τὸν φυτουργὸν Πρίαμον, &c.
45 *Ipſasq́; ad aras.* Iouis. Tryphiodorus;
Αἰακίδης δ' ἐγέροντα Νεοπτόλεμος βασιλῆα
πήχεσι κτεινόμενον παρ' ἑρκείῳ κλάσε βωμῷ.
Attius;
Hæc omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam euitari,
Iouis aram ſanguine turpari.
46 *Sæua manu.* læuâ, quam vet. ſcæuâ vocabant. Virgil. 2. Aeneid.
Implicuitq́; comā læua, dextraq́; coruſcū
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit enſem.
53 *Quondam ſacrū Regni iacentis.* quondam ait; quia dij omnes antequam Troia caperetur, vrbem deſeruiſſe credebantur. Virgilius dicto loco:
Exceſſere omnes adytis, ſacrisq́; relictis
Dij; quibus imperium hoc ſteterat.
Aeſchyli ſcholiaſtes; λέγεται γὰρ ὅτι ὅταν ἔμελλε πορθηθῆναι ἡ Τροία ἐφάνησαν οἱ θεοὶ τῆς Τροίας ἀπερχόμενοι ἐκ τῶν ναῶν τὰ ἀγάλματα αὐτῶν. Veientium quoque vrbem tutelares deos deſeruiſſe Liuius ſcribit lib. 5. ſed hoc facta euocatione; cuius ritus à Sammonico Sereno lib. 5. rerum reconditarum ex Furio quodam refertur, teſte Macrobio: qua de re latè Rober. Valturius lib. 6. de re milit. cap. 2. poſt Plinium lib. 28. cap. 2.
56 *Superi.* o. v. l. *ſuperis.*
58 *Sortitur.* veteres pleraque ſortibus decidebant, l. ſi cùm ambo D. de iudic. l. ſi duobus in prin. D. comm. de legat. c. hi qui. c. illud. 26. q. 2. cum ſimilib. vt copioſè oſtendit more ſuo And. Tiraquellus, magnus librorū helluo, de iure primogen. q. 17. pag. 527. & de ſortis iudicio nonnulla Ioannes le cirier Pariſienſis lib. 1. de iure primogenituræ, ſeu Maioricatus quæſt. 9.
59 *Deſpondet.* in m. ſ. legitur *depoſcit.*
66 *Fatalis Idæ iudicis.* Ouidius & alij penè omnes ſcriptores Paridem in Ida monte referunt iudicaſſe; quam ſententiam hoc loco Seneca probat. Strabo autē γεωγραφ. ι'. tradit in Antandro iudicium illud fuiſſe celebratū.
Diri. propriè, quaſi deorum ira ad ſententiam illam ferendam electi.
70 *Graias.* hoc addidit ad earum diſtinctionem quæ ſunt in Campania.
Hoſpes Amyclas. ex Ouidio, qui ait lib. 2. de arte,
Talis ab armiferis Priameius hoſpes Amyclis
Candida, cum rapta cōiuge, vela dedit.
71 *Pinus matri Sacra Cybeli.* Ouidius libro 10. Metamorph.

Soluite crinem, per colla fluant
Maesta capilli tepido Troiae
Puluere turpes, paret exertos
Turba lacertos: veste remissâ
Substringe sinus, vteroque tenus
Pateant artus. cui coniugio
Pectora velas captiue pudor?
Cingat tunicas palla solutas,
Vacet ad crebri verbera planctus
Furibunda manus. placet hic habitus,
Placet. agnosco Troada turbam.
Iterum luctus redeant veteres,
Solitum flendi vincite morem,
Hectora flemus. CH. *Soluimus omnes*
Lacerum multo funere crinem,
Coma demisso est libera nodo,
Sparsitque cinis feruidus ora.
HE. *Complete manus, hoc ex Troiâ*
Sumsisse licet: cadat ex humeris
Vestis apertis, vtrunque tegat
Suffulta latus: iam nuda vocant
Pectora dextras. nunc nunc vires
Exprome dolor: Rhaetaea sonent
Litora planctu: habitansque cauis
Montibus Echo, non (vt solita est)
Extrema breuis verba remittat;
Totos reddat Troiae gemitus.
Audiat omnis pontus, & aether.
Saeuite manus, pulsu vasto
Tundite pectus: non sum solito
Contenta sono. Hectora flemus.
CH. *Tibi nostra ferit dextra lacertos,*
Humerosque ferit tibi sanguineos,
Tibi nostra caput dextera pulsat,
Tibi maternis vbera palmis
Laniata iacent: fluit, & multo
Sanguine manat, quamcunque tuo
Funere feci rupta cicatrix;

Cola-

Et succincta comas, hirsutáque vertice pinus
Grata Deûm Matri. siquidem Cybeleius Atis
Exuit hac hominem, truncoque induruit illo.
plura Pierius lib. 52. Hieroglyphic.

76 *Messor aristas.* simile est illud Catulli;
Smyrna mei Cinnae nonam post denique messem
Quàm coepta est, nonámque edita post hyemem.
fieri potest, vt Sophoclem Catullus imitatus fuerit. nam apud illũ ἄροτος annũ denotat.

80 *Sequemur.* tres lib. m. s. *sequamur.*

85 *Soluite crinem.* mos fuit Troianarum mulierum in luctu crinem soluere. Virgilius;
Et circum Iliades crinem de more soluta.
communis etiam mos Graecis. Seneca, in Herc. Fur.
Sed maesta venit crine soluto Megara.
Et Herc. Oetaeo, Graecanicae mulieres,
Et comas nullo cohibente nodo
Femina exertos feriat lacertos.
Italicis quoque & Gallicis feminis hunc morem communem fuisse ostendũt Propertius Eleg. lib. 2. eleg. 15. Ouidius Fastor. libro 3. T. Liuius ab V. C. lib. 1. & Iulius Caesar lib. 7. de bello Gallico.

100 *Hoc ex Troia.* licet meus cod. m. s. contineat *hac*; placet tamen vulgata lectio. Hecuba cùm istud diceret pauxillum cineris Troiani manu acceptum spargebat.

103 *Suffulta.*] subfibulata.

107 *Non, vt solita est.* Ouid. 3. Metamor.
Corpus adhuc Echo, non vox, erat, & tamen vsum
Garrula non alium, quàm nunc habet, oris habebat;
Reddere de multis vt verba nouissima posset.
Ausonius;
Commoritur, Narcisse, tibi resonabilis Echo,
Vocis ad extremos exanimata modos,
Et pereuntis adhuc gemitum prosecuta querelis,
Vltima nunc etiã verba loquẽtis amat.
ideo quidã poëta vocat Echo ῥήματος ἔρων. Penes me est Caelij Symphosij libellus AEnigmatum manuscriptus, in quo de Echo tale AEnigma habetur;
Virgo modesta, sacri legem bene seruo pudoris,
Ore procax non sum, nec sum temeraria lingua;
Vltrò nolo loqui, sed do responsa loquenti.
Echo alicubi à Varrone appellatur Pieridum comes. Echus cuiusdam in Charentonio, primò à Lutetia Paris. lapide, exemplum mirabile, sed quod verum esse non semel cõperi, refert Petrus Boystuaus in historiis prodigiosis, Pausanias Heptophoni Attici meminit, de quo loqui videtur Lucret. lib. 4. Quomodo verò fiat ista soni iteratio, vide Aristotelem sect. 11. problem. 23. & 51. & Fran. Toletum & alios ad lib. 2. Arist. de Anima.

Columen patriæ, mora fatorum.
Tu præsidium Phrygibus fessis,
Tu murus eras, humerisq; tuis
Stetit illa decem fulta per annos;
Tecum cecidit: summusq; dies
Hectoris idem, patriæq; fuit.
HE. *Vertite planctus, Priamo vestros*
Fundite fletus: satis Hector habet.
CHO. *Accipe rector Phrygiæ planctus,*
Accipe fletus bis capte senex:
Nil Troia semel te rege tulit.
Bis pulsata Dardana Graio
Mœnia ferro, bisq; pharetras
Passa Herculeas. post elatos
Hecubæ partus, regumq; rogos,
Postrema pater funera cludis,
Magnoq; Ioui victima cæsus
Sigea premis litora truncus.
H. *Aliò lachrymas flectite vestras,*
Non est Priami miseranda mei
Mors, Iliades. felix Priamus,
Dicite cunctæ. liber manes
Vadit ad imos, nec feret vnquam
Victâ Graium ceruice iugum.
Non ille duos vidit Atridas,
Nec fallacem cernit Vlyssem:
Non Argolici præda triumphi
Subiecta feret colla trophæis:
Non assuetas ad sceptra manus
Post terga dabit, currusq; sequens
Agamemnonios aurea dextrâ
Vincula gestans lætus fiet
Pompa Mycenis. CH. *Felix Priamus,*
Dicimus omnes: secum excedens
Sua regna tulit: nunc Elysii
Nemoris tutus errat in vmbris,
Interq; pias felix animas
Hectora quærit. felix Priamus.
Felix quisquis bello moriens
Omnia secum consumta videt.

ACTVS

121 *Mora fatorum.* viuo Hectore Troia capi non potuit: tantum in eo ad victoriam Græcorum differendam momenti positum erat. ideo Virgilius 9. Aeneid.

Haut sibi cum Danais rem faxo, aut pube Pelasga
Esse putent, decimum quos distulit Hector in annum.

Horatius; —— *& ademtus Hector*
Tradidit fessis leuiora tolli
Pergama Graiis.

noster, in Agamemnone;

——*sola Danais Hector & bello mora.*

qui versus fortè ex illis Abroni Silonis, apud Senecam desumtus fuit;

Ite, agite Danai magnũ Paana canentes,
Ite triumphãtes, belli mora concidit hora.

nam de Hectore occiso hoc fragmentum accipio. exstant etiã in hanc rem ista Pentadij;

Hectore sub magno summa est mihi gloria caso,
Qui sæpe Argolicas debilitauit opes:
Ille interfectus subiit, me vindice pœnas:
Pergama tunc ferro procubuere meo.

123 *Tu murus eras.* in vno eorum epigrãmatum, qui Maronis operibus solent subiungi; legitur:

Defensor patriæ, iuuenũ fortissimus Hector,
Qui murus miseris ciuibus alter erat,
Occubuit telo violenti victus Achillis;
Occubuêre simul spesq; salusq; Phrygum.

auctor est Higynus Achillem, cùm Hectorẽ raptaret, exclamasse, Expugnaui Troiam.

133 *Bisq; pharetras Passa Herculeas.* Hercules in Sophoclis Philoctete ait bis debere Troiam telis suis expugnari: τὸ δεύτερον γὰρ τοῖς ἐμοῖς αὐτὴν χρεὼν τόξοις ἁλῶναι. vnde Propertius lib. 3. eleg. 1.

Exiguo sermone fores nunc Ilion & tu
Troia, bis Oetai numine capta dei.

In eadem elegia obscuriùs est illud;

Idæum Simoenta, Iouis cunabula parui.

Nam Iuppiter in Creta verè natus & sepultus traditur à Callimacho & plerisque, alij in Siciliæ Messana, alij in Thebis Bœotiis, alij in Arcadiæ Olympo natum ferunt. Propertium igitur in errorem videatur induxisse Callimachus scribens;

Ζεῦ σὲ μὲν Ἰδαίοισιν ἐν οὔρεσι φασὶ γενέσθαι.

cùm tamen Callimachus de Ida Cretæ loqueretur. Virgilius 3. Aeneid.

Creta Iouis magni medio iacet insula põto,
Mons Idæus vbi & gẽtis cunabula nostræ.

Sed nõ est cur Propertium errasse credamus. Nam didici ex scholiaste Apollonij lib. 3. Demetrium Schepsium tradidisse Phrygas Iouem apud se natum & educatũ contendere cum Cretensibus & Arcadibus: ideoque omnia quæ Arcades & Cretenses de eius natali ac Rheæ puerperio vlulatibus & fanatico discursu exhibebant, eadem Gallos in Phrygia repræsentare. Quò non dubito Propertium respexisse.

138 *Truncus.* Virgilius 2. Aeneid. ——*iacet ingens litore truncus.* Manilius lib. 4. astronom.

ACTVS SECVNDVS.

TALTHYBIVS. CHORVS.

TAL. *Quàm longa Danais semper in portu mora,*
Seu petere bellum, petere seu patriam volunt.
CH. *Quæ causa ratibus faciat, & Danais moram,*
Effare, reduces quis Deus cludat vias?
TA. *Pauet animus, artus horridus quassat tremor,*
Maiora veris monstra vix capiunt fidem.
Vidi, ipse vidi: summa iam Titan iuga
Stringebat, ortus vicerat noctem dies;
Cùm subitò cæco terra mugitu fremens
Concussa, cæcos traxit ex imo sinus.
Mouêre siluæ capita, & excelsum nemus
Fragore vasto tonuit, & lucus sacer,
Idea ruptis saxa ceciderunt iugis:
Nec sola tellus tremuit, & pontus suum
Adesse Achillem sensit, ac strauit vada.
Tunc scissa tellus aperit immensos specus,
Et hiatus Erebi: peruium ad superos iter
Tellure fractâ præbet, ac tumulum leuat.
Emicuit ingens vmbra Thessalici ducis,
Threicia qualis arma præcludens tuis
Iam Troia fatis strauit. aut Neptunium
Canâ nitentem perculit iuuenem comâ:
Aut cùm inter acies Marte violento furens,
Corporibus amnes clusit, & quærens iter
Tardus cruento Xanthus errauit vado:
Aut cùm superbo victor in curru stetit,
Egitq́; habenas, Hectorem & Troiam trahens;
Impleuit omne litus irati sonus:
Ite, ite inertes, debitos manibus meis
Auferte honores, soluite ingratas rates
Per nostra ituri maria. non paruo luet
Iras Achillis Græcia: at magno luet
Desponsa nostris cineribus Polyxena.
Pyrrhi manu mactetur, & tumulum riget.
Hæc fatus altâ voce, dimisit diem,
Repetensq́; Ditem, mersus ingentem specum
Coeunte terra iunxit: immoti iacent

Tran-

Inq́; rogo Crœsum, Priamumq́; in litore truncum
Cui nec Troia rogus ——
quod posteriùs hemistichium noster poëta imitatus suprà cecinit:
—— *illi tot regum parens*
Caret sepulchro Priamus, & flāma indiget
Ardente Troia ——

146 *Nec fallacem.* Ouidius;
Narycias q́; domos regnum fallacis Vlyssis.

" 159 *Felix quisquis.* ideo olidus ille senex Tiberius Priamum felicem censebat. Identidem, inquit Suetonius, felicem Priamum " vocabat, quod superstes omnium suorum ex- " stitisset. hæc verba Suetonij sunt è lib. 3. hi- " storiar. nam in libros scriptorem illum partiendum esse, non vt vulgò fit, ex m.s. apparet; & quia sic adducitur à Iacobo Magno Sophologij lib. 2. cap. 17. capitum quoque distinctio ab iisdem abest, & sanè est planè commentitia. vtique in m.s. D. Martini Tornacensis recenter ab aliquo capitum distinctio margini fuit ascripta, fortassis ab Erasmo vel Glareano; qui eo libro vsi fuerunt.

168 *Vicerat noctem dies.* maior noctis pars erat peracta: quo tempore, quæ apparēt somnia, vera veteres existimabāt, vt alibi docem⁹.

174 *Pontus suum.* ideo *suum*, quia Achilles Thetidis filius fuit, Nerei nepos. sic infrà ait Achilles; —— *per nostra ituri maria.*

179 *Thessali ducis.* Achillis. alibi legitur;
Mactanda virgo Thessali busto ducis.
Horatius, in Odis, Achillem, Thessalum vocat. rectè Eguian. cod. *Thessalici.*

180 *Threicia qualis arma.* Thracum & Mysorum exercitum, Telepho duce, Græcos repellentem, Achilles fudit, testis est Dictys Cretensis.

181 *Neptunium.* Cycnum, Neptuni & Mandrodicæ, vel, iuxta alios, Hapalæ filium, de quo Ouidius lib. 12. Metamorph. Izacius in Lycophronem, & Theon sophista, in Encomio Achillis.

182 *Cana nitentem.* in Agamemn. leges;
Non niuea proles Cycnus æquorei Dei.

185 *Tardus cruento.* vide Homer. Iliad. φ'. huc respicit Papinius, in Achilleide;
—— *modo crassa exire vetabit*
Flumina ——
in quatuor codicibus scriptis, Statij Achilleis vnicus est liber.

187 *Egitq́; habenas.* Homerus Iliad. χ'.

191 *Per nostra ituri maria.* communem scriptorum sententiam noster sequitur, arbitrantium Achillem Thetidis filium fuisse. Daimachus lib. 2. redituū, Achillis matrē nominat Caloen; Staphylus in lib. de Thessalia, Philomelā vocat; Tzetza scribit Chironis filiam fuisse. 197 *Coeunte terra iunxit.* o. [illegible] quos vidi, omnes etiam prælo impressi ita continent, & sententia est minimè obscura. quare non audio eum, qui pro *iunxit* emendat *visit.* SPECVM hiatum quem egrediens aperuerat.

200 *Triton.* Tritonis, iuxta Aceſandrum, Neptuni & Celænus; vel ſecundùm Numenium in lib. de piſcationibus, Oceani & Tethyos; vel, ex Heſiodi, in Theogonia, ſentententia, Neptuni & Amphitrites filij, habes formam apud Apollonium Argonaut. δ'. & Claudianū in carm. de nupt. Honor. & Mariæ. hic teſtibus Virg. lib. 10. Aeneid. & Ouid. lib. 1. Metamorph. & Seuero in Aethna, eſt maris bucinator. ideo Seneca fingit illum Achilli & Polyxenæ hymenem cecinisse.

212 *Pylij ſenis.* Neſtoris. Horatius;

—— non Pylium Neſtora adſpicis?

Albinouanus Pedo, in elegia de obitu Mæcenatis;

Ter Pylij fleuere ſuum ter Neſtora canum.

218 *Et mitem manum.* Telephus, Herculis F. rex Myſorum, ſtrennuè Græcos aditu regni ſui arcens, Bacchi dolo cadens, in Pergami cacumine, iuxta Suidam, ab Achille lancea percuſſus, ab eodem ſanatus fuit, auctore Higyno c. 101. Dicty, & Izacio in Lycophronem. Propertius;

Myſus & Hæmoniæ iuuenis qua cuſpide vulnus
Senſerat, hac ipſa cuſpide ſenſit opem.

Q. Serenus;

Vt Lariſſæa curatur Telephus haſta.

idem Ouidius & alij pleriq; affirmant, nēpe curatum Telephum ferrugine haſtæ Achilleæ. vnde:

Vulneris auxilium Pelias haſta tulit.

quod inde confictū puto, quia ſyderite herba à ſe inuenta, Telephi vulnus Achilles ſanauit. vide Dioſcoridem lib. 4. cap. 33. Plinium lib. 25. cap. 5. & Apuleium de herbarum viribus cap. 89. qui, ne quis fallatur, non eſt Madaurenſis ille qui de Aſino ſcripſit: ſed ab eo alius, cuius liber ab Aldo excuſus exſtat, & citatur etiam à Scribonio Largo, ac Marcello Burdegalenſi: qui verò à Conſtantino Imp. in Geoponicis citatur, alius eſt antiquior. Hinc intelliges illa Claudiani;

Sanus Achilleis remeauit Telephus herbis;
Cuius pertulerat vires, & ſenſit in vno
Lethalem placidamq; manum, medicina per hoſtem
Contigit & pepulit, quos fecerat ipſe, dolores.

nec mirum. medicinam etenim Achilles didicit à Chirone, vt teſtatur idem Claudianus de 3. conſul. Honorij agens;

—— nec ocyus hauſit Achilles
Semiferi præcepta ſenis; ſeu cuſpidis artes,
Siue lyræ cantus, ſocias ſeu diſceret herbas.

Porrò ab hoc vulnere Telephi, immedicabilia vulnera dicuntur Τηλέφια τραύματα, auctore Paullo Aegineta lib. 4. cap. 46. quo loco idem de Chironeo vulnere tradit, poſt

Tranquilla pelagi, ventus abiecit minas,
Placidumq; fluctu murmurat leni mare,
Triton ab alto cecinit hymenæum choro.

PYRRHVS. AGAMEMNON. CALCHAS.

PYR. *Cùm læta pelago vela rediturus dares,*
Excidit Achilles; cuius vnius manu
Impulſa Troia corruit tandem ſolo,
Breui repenſans quicquid obiecit moræ
Scyros, fretumq; Lesbos Ægeum ſecans;
Illo remoto, dubia quò caderet ſtetit:
Velis licet, quod petitur, ac properes dare,
Serò es daturus: iam ſuum cuncti duces
Tulere precium. quæ minor merces poteſt
Tantæ dari virtuti? an is meruit parum,
Qui, fugere bellum iuſſus, & longâ ſedens
Æuum ſenectâ degere, ac Pylij ſenis
Tranſcendere annos; exuit matris dolos,
Falſasq; veſtes, faſſus eſt armis virum?
Inhoſpitali Telephus regno impotens,
Dum Myſiæ ferocis introitus negat,
Rudem cruore regio dextram imbuit,
Fortemq; eandem ſenſit, & mitem manum. cc
Cecidere Thebæ, vidit Eetion capi
Sua regna victus: clade ſubuerſâ eſt pari
Appoſita celſo parua Lyrneſſos iugo,
Captaq; tellus nobilis Briſeide,
Et, cauſa litis regibus, Chryſe iacet,
Et nota fama Tenedos, & quæ paſcuo
Fæcunda pingui Thracios nutrit greges,
Et ſacra Phœbo Cilla: quid? quas alluit
Vernis Caycus gurgitem attollens aquis?
Hæc tanta clades gentium, ac tantus pauor,
Sparſæ tot vrbes, turbinis vaſti modo,
Alterius eſſet gloria, ac ſummum decus,
Iter eſt Achillis. ſic meus venit pater,
Et tanta geſſit bella, dum bellum parat.
Vt alia ſileam merita: non vnus ſatis
Hector fuiſſet? Ilium vicit pater,
Vos diruiſtis. inclytas laudes iuuat,
Et clara magni facta genitoris ſequi.
Iacuit peremtus Hector ante oculos patris,
Patruiq; Memnon; cuius ob luctum parens

Pal-

Pallente mæstum protulit vultu diem,
Suiq; victor operis exemplum horruit,
Didicitq; Achilles, & deâ natos mori.
Tum versa Amazon vltimus cecidit timor:
Debes Achilli, merita si dignè æstimas,
Etsi Mycenis virginem, atque Argis petat.
Dubitatur etiam? placita nec subitò probas?
Priamiq; natam, Pelei nato, ferum
Mactare credis? at tuam natam parens
Helenæ immolasti: solita iam, & facta expeto.
AG. *Iuuenile vitiũ est, regere non posse impetũ.*
Ætatis alios feruor hic primæ rapit,
Pyrrhum paternus: spiritus quondam truces,
Minasq; tumidi lentus Æacidæ tuli.
Quò plura possis, plura patienter feras.
Quid cæde dira nobilem clari ducis
Aspergis vmbram? noscere hoc primùm decet,
Quid facere victor debeat, victus pati.
Violenta nemo imperia continuit diu.
Moderata durant: quoq; fortuna altiùs
Euexit, ac leuauit humanas opes;
Hoc se magis supprimere felicem decet,
Variosq; casus tremere, metuentem deos
Nimium fauentes. magna momento obrui
Vincendo didici. Troia nos tumidos facit,
Nimium ac feroces: stamus hoc Danai loco,
Vnde illa cecidit. fateor, aliquando impotens
Regno ac superbus, altiùs memet tuli.
Sed fregit illos spiritus hæc, quæ dare
Potuisset alij, causa, fortunæ fauor.
Tu me superbum Priame, tu timidum facis.
Ego esse quicquam sceptra, nisi vano putem
Fulgore tectum nomen, & falso comam
Vinclo decentem? casus hoc rapiet breuis,
Nec mille forsan ratibus, aut annis decem.
Non omnibus fortuna tam lenta imminet.
Equidem fatebor (pace dixisse hoc tuâ
Argiua tellus liceat) affligi Phrygas,
Vinciq; volui: ruere, & æquari solo,

Etiam

Galenum lib. 4 de composit. med. & Therapeut. lib. 2. 220 *Sua regna*. eam Ciliciæ partem, cuius metropolis Thebæ. Ouidius;

Eetioneas impleui sanguine Thebas.

Horatius; —— *Eetionæ ve Thebæ.* Propertius lib. 2.

Et Thebæ steterant, altaq; Troia fuit.

Macrobius lib. 5. Saturnal. cap. 14. Theben, vnius, non plurium, numero efferre Græcos secutus. cuius rei duo quidem exempla ipse adducit; ego verò etiam altera duo proferre possem, Strabonis lib. 13. & Q. Smyrn. lib. 3. 221 *Lyrnessos*. sic scribendum ex Homero, Smyrnæo, Strabone, Ouidio, cæteris: quamquam vitio operarum proximè citato Macrobij loco λυρνίσσον. pro λυρνήσσον exstet. 223 *Caussa litis*. vide Homerum, Iliad. ά. 226 *Sacra Phœbo Cilla*. Homerus; Κίλλαν τε ζαθέην. pro *sacra*, meus cod. antiq. habet *cara*. 231 *Iter est Achillis*. simillimum est illud Claudiani, in 1. panegyr. de 1. consulat. Stilichonis;

Vestra manus dubio quicquid discrimine gessit,
Transcurrens egit Stilicho ——

239 *Pallente mæstum*. Ouidius de Aurora Memnonis matre lib. 13. Metam. scripsit;

Cura deã propior luctusq; domesticus angit
Memnonis amissi, Phrygiis quem lutea cãpis
Vidit Achillea pereuntem cuspide mater,
Vidit & ille color, quo matutina rubescunt
Tẽpora, palluerat; latuitq; in nubibus æther.

idem tradidit Triphilodorus.

241 *Diis natos mori*. o. v. l. quos vidi continent; *Deâ natos mori*. quod amplector. nam & ante Memnonem, Troiano bello, multi diis nati oppetierunt; Memnone verò Auroræ filio, à se occiso, Achilles, Thetidis filius, se quoque mortalem esse, didicit.

242 *Amazon*. Penthasilea; quam Dares à Neoptolemo interfectam scribit.

247 *At tuam natam parens*. Iphigeniam noster, vt Euripides, Agamemnonis ex Clytæmnestra; alij eiusdem ex Chryseide, Astynomæ filia; Duris, & alij nonnulli Thesei ex Helena filiam fuisse tradiderunt. Non minor controuersia est, de Iphigeniæ in sacrificio metamorphosi. Sunt à quibus proditur in anum transformata; Nicandrus ait mutatam in Taurum; Phanodemus historicus in vrsum; plerique in ceruam; Meryllus, primo Bœoticorum, in buculam. Simile quidpiam Romanæ cuidam virgini Metellæ accidisse, tradit alicubi Plutarc. ex Pythocle, in Italicis.

249 *Impetum*. quidam v. l. *impetus*. 252 *Tuli*. Iliad. ά. 260 *Felicem decet*. Horatius; *Contrahes vento nimium secundo Turgida vela.* 261 *Variosq; casus tremere*. Horatius lib. 2. odar.

Sperat infestis, metuit secundis Alteram sortem bene præparatum Pectus &c.

262 *Magna momento obrui*. dici solet, facilius est diruere, quàm ædificare. Isocrates πρὸς Φίλιππον τὸ συστῆσαι

μὲν ἐστιν ἀνατρέψαι χαλεπὸν, διαλῦσαι δὲ ῥᾴδιον. quo spectat dictum illud Laconis cuiusdam de Philippo, qui Olynthum diruerat, apud Plutarchum περὶ ἀδολεσχίας.

290 *Qui non vetat peccare, cùm possit, iubet.* ex Thucydide lib. 1. οὐ γὰρ ὁ δουλωσάμενος, ἀλλ' ὁ δυνάμενος μὲν παῦσαι, περιορῶν δὲ, ἀληθέστερον αὐτὸ δρᾷ, εἴπερ καὶ τὴν ἀξίωσιν τῆς ἀρετῆς ὡς ἐλευθερῶν τὴν Ἑλλάδα φέρεται. Cicero in offic. Nam qui iniustè impetum in „ aliquem facit, aut ira, aut aliqua perturbatio- „ ne incitatus, is quasi manus videtur adferre „ socio: qui autem non defendit, nec obsistit, si „ potest, iniuriæ; tam est in vitio, quàm si pa- „ rentes aut patriam aut socios deserat. Conuenit autem hæc Senecæ sententia cum nonnullis responsis Pauli, l. 4. D. de noxal. action. l. 45. D. ad leg. Aquil. l. 50. & l. 109. D. de diuers. regul. iur. antiq. & Vlpiani l. 25. §. 5. D. de Damn. infec. l. 11. in fi. D. de his qui notan. infam. huc spectat illud Apulei lib. 6. de „ asino aureo; An ignoras etiam eos, qui mori- „ turis auxilium salutare denegarint, quòd cō- „ tra bonos mores id fecerint, solere puniri? de hac re plura Decius, Cagnol. Faber & Ræuard. ad d. l. 50. & ad d. l. 109. Bart. Alex. Ias. & omnes in l. quæ dotis. D. solu. matri. Phanuctius de lucro dot. glos. 13. num. 8. Imbertus Rupellanus in Enchiridio, pag. 160. & alij passim.

297 *Quando in inferias homo.* ab Achille Patroclo duodecim homines in inferias impenduntur apud Homerum Iliad. φ'. & Pallanti ab Aenea, apud Virgilium Aeneid. 10. Præterea pseudodiis antiquorum homines immolari non fuit insolens. Fecerunt hoc Carthaginenses & Celtæ, teste Dionysio Halicarnass. lib. 1. Scythæ auctore Herodoto in Melpom. Leucadij & Albani, si Straboni credimus lib. 10 & 11. Achæi & Lacedæmonij, vt scribit Pausanias in Lacon. & Achaicis, fecere Aristomenes, Pellæi, Phocenses, Lesbij, Lycij teste Clemente Alex. in Protrept. & Euseb. lib. 4. de præparat. c. 7. & 8. Rhodij, Salaminij, Spartani, & alij de quibus Theodoret. lib. 7. curation. Græcan. necnon Gotthi, vt testantur Olaus Magnus, & Ioannes Magnus in eorum historia.

303 *Soluo.* propter Briseidem & Chryseidē hoc dicit. sed in o. v. l. legitur *subitò*. vtroque modo πολυφιλίαν eius carpit.

306 *Maiorem.* teipsum.

312 *Supplex paternus.* Iliad. Ω.

315 *Aiaci preces.* Iliad. ι.

320 *Chelym.* apud Homerum dicto loco.

Etiam arcuissem. sed regi frenis nequit,
Et ira, & ardens hostis, & victoria
Commissa nocti. quicquid indignum, aut ferum
Cuiquam videri potuit, hoc fecit dolor,
Tenebræq́; per quas ipse se irritat furor,
Gladiusq́; felix; cuius infecti semel "
Vecors libido est. quicquid euersæ potest "
Superesse Troiæ, maneat: exactum satis
Pœnarum, & vltra est. regia vt virgo occidat,
Tumuloq́; donum detur, & cineres riget,
Et facinus atrox cædis, vt thalamos vocem,
Non patiar. in me culpa cunctorum redit.
Qui non vetat peccare, cùm possit, iubet. "
PYR. *Nullúmne Achillis præmium manes ferent?*
AG. *Ferent, & illum laudibus cuncti canent,*
Magnumq́; terræ nomen ignotæ audient.
Quòd si leuatur sanguine infuso cinis;
Opima Phrygij colla cædantur gregis,
Fluatq́; nulli flebilis matri cruor.
Quis iste mos est, quando in inferias homo est
Impensus homini? detrahe inuidiam tuo
Odiumq́; patri, quem coli pœnâ iubes.
PYR. *O tumide, rerum dum secundarum status*
Extollit animos: timide, cùm increpuit metus.
Regum Tyranne: iámne flammatum geris
Amore subito pectus, ac Veneris noua?
Solúsne toties spolia de nobis feres?
Hac dextrâ Achilli victimam reddam suam:
Quam si negas, retinesq́;, maiorem dabo,
Dignamq́; quam det Pyrrhus. & nimium diu
A cæde nostra regiâ cessat manus,
Paremq́; poscit Priamus. AG. *haud equidem nego*
Hoc esse Pyrrhi maximum in bello decus,
Sæuo peremtus ense quòd Priamus iacet,
Supplex paternus. PYR. *supplices nostri patris,*
Hostesq́; eosdem nouimus. Priamus tamen
Præsens rogauit: tu graui pauidus metu
Nec ad rogandum fortis, Aiaci preces
Ithacoq́; mandas, clusus, atque hostem tremens.
AG. *At non timebat tunc tuus fateor parens,*
Interq́; cædes Græciæ, atque vstas rates,
Segnis iacebat, belli & armorum immemor,
Leui canoram verberans plectro chelym.
PYR. *Tunc magnus Hector arma contemnens tua,*

Cantus

Cantus Achillis timuit: & tanto in metu
Naualibus pax alta Thessalicis fuit.
AG. *Nempe iisdem in istis Thessalis naualibus,*
Pax alta rursus Hectoris patri fuit.
PYR. *Est regis alti, spiritum regi dare.*
AG. *Cur dextrâ regi spiritum eripuit tua?*
PYR. *Mortem misericors saepe pro vitâ dabit.*
AG. *At non misericors virgines busto petis.*
PYR. *Iámne immolari virgines credis nefas?*
AG. *Praeferre patriam liberis regem decet.* "
PYR. *Lex nulla capto parcit, aut poenam impedit,*
AG. *Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.* "
PYR. *Quodcunque libuit, facere victori licet.*
AG. *Minimum decet libêre, cui multum licet.*
PYR. *His ista iacta, quos decem annorum graui*
Regno subactos Pyrrhus exoluit iugo.
AG. *Hos Scyros animos?* P. *scelere quae fratrũ caret.*
AG. *Inclusa fluctu.* PY. *nempe cognati maris.*
Atrei & Thyestae nobilem noui domum.
AG. *Ex virginis concepte furtiuo stupro,*
Et ex Achille nate, sed nondum viro.
PYR. *Illo ex Achille, genere qui mundum suo*
Sparsus per omnem, caelitum regnum tenet.
Thetide aequor, vmbras Æaco, caelum Ioue.
AG. *Illo ex Achille, qui manu Paridis iacet.*
PYR. *Quem nec deorum cominus quisquam petiit.*
AG. *Compescère equidem verba, & audacem malo*
Poteram domare: sed meus captis quoque
Scit parcere ensis. potiùs interpres deûm
Calchas vocetur: fata si poscunt, dabo.
Tu qui Pelasgae vincla soluisti rati,
Morasq́ bellis, arte qui reseras polum,
Cui viscerum secreta, cui mundi fragor,
Et stella longâ semitam flammâ trahens
Dant signa fati: cuius ingenti mihi
Mercede constant ora, quid iubeat Deus
Effare Calcha, nosq́ consilio rege.
CAL. *Dant fata Danais, quo solent precio, viam.*
Mactanda virgo est Thessali busto ducis:
Sed quo iugari Thessalae cultu solent,
Ionidésve, vel Mycenaea nurus.
Pyrrhus parenti coniugem tradat suo.
Sic ritè dabitur. non tamen nostras tenet
Haec vna puppes causa. nobilior tuo,

Polyxe-

329 *At nunc misericors.* libri m. s. *non* pro *nunc.*

338 *Hos Scyros animos?* scilicet tam vile regnum, vt eius inopia & humilitas adagio, ἀρχὴ σκυρία originem dederit.

342 *Sed nondum viro.* non abs re hoc dictum est. nam qui à iuuenibus procreantur, non aequè robusti aut perfecti esse solent, ac illi qui gignuntur à viris, auctore Aristotele lib. 7. Politic. cap. 16. quare plerique viros matrimonium ante trigesimum aetatis annum contrahere noluerunt, Aristoteles dicto loco, Plato lib. 6. de Repub. Solon apud Philonem lib. 2. de mundi opificio.

352 *Rati.* quaedam membranae, *ratis.*

361 *Iugari.* matrimonio iungi. metaphora à bubus ducta, qui, quãdo idem iugum subeunt, iugantur. ea figura sic vsum comperio Plautum, in Curculione:

—— *iámne ea fert iugum?*

& Horatium;

Nondum subacta ferre iugum valet
Ceruice ——

Sanè posset quis suspicari, Senecã allusisse ad morem, quem Seruius & S. Isidorus cõmemorant, sponso & sponsae iugum imponendi, vnde *Iuga Iuno* Sex. Pompeio; ζυγία Dionysio, Musonio & Apuleio, vt rectè senserunt Brissonius in lib. singulari de ri. nupt. & M. Anton. Antimachus, teste Alexandro Sardio in libro de moribus gentium. à Nonno etiam Panoplitano Dionysiac. δ'. sic nominatur. Musaeus citante & emendante Gerarto Falckenburgio ad dictum locum Nonni cecinit;

ἦν γάμος, ἀλλ' ἀχόρευτος. ἔην λέχος,
ἀλλ' ἄτερ ὕμνων·
οὐ ζυγίην ἥρην &c.

Polyxena, cruore debetur cruor,
Quem fata quærunt: turre de summâ cadat
Priami nepos Hectoreus, & lethum oppetat.
Tum mille velis impleat claßis freta.

CHORVS.

Choriambici.

Verum est, an timidos fabula decipit,
Vmbras corporibus viuere conditis?
Cùm coniux oculis imposuit manum,
Supremusq́; dies solibus obstitit,
Et tristes cineres vrna coercuit;
Non prodest animam tradere funeri,
Sed restat miseris viuere longius?
An toti morimur? nullaq́; pars manet
Nostri; cùm profugo spiritus halitu
Immistus nebulis cessit in aera,
Et nudum tetigit subdita fax latus?
Quicquid sol oriens, quicquid & occidens
Nouit: cæruleis Oceanus fretis
Quicquid vel veniens, vel fugiens lauat,
Ætas Pegaseo corripiet gradu.
Quo bissena volant sidera turbine,
Quo cursu properat sæcula voluere
Astrorum dominus, quo properat modo
Obliquis Hecate currere flexibus.
Hoc omnes petimus fata, nec ampliùs,
Iuratos superis qui tetigit lacus,
Vsquam est. vt calidis fumus ab ignibus
Vanescit spacium per breue sordidus:
Vt nubes grauidas, quas modò vidimus,
Arctoi boreæ dißicit impetus:
Sic hic, quo regimur, spiritus effluet.
Post mortem nihil est, ipsaq́; mors nihil,
Velocis spacij meta nouißima.
Spem ponant auidi solliciti metum.
Quæris quo iaceas post obitum loco?
Quo non nata iacent.
Tempus nos auidum deuorat, & chaos.
Mors indiuidua est noxia corpori,
Nec parcens animæ. Tænara, & aspero
Regnum sub domino, limen & obsidens
Custos non facili Cerberus ostio,
Rumores vacui, verbaq́; inania
Et par sollicito fabula somnio.

ACTVS

367 *Turre de summa.* pro *summa*, in membranis vel *dira*, vel *dura* legitur.

372 *Coniux oculis imposuit manum:* olim propinquiores quique morientium oculos claudebant. Virgil. 9. Aeneid.

—— nec te, tua funera, mater,
Produxi, preßiue oculos ——

quo loco Donatus scribit hoc moris fuisse. Ouid lib. 4. amor. eleg. 8

Hic certè manibus fugientes pressit ocellos
Mater, & in cineres vltima dona dedit.

Non lubet alia testimonia congerere. sunt enim infinita.

384 *Pegaseo corripiet gradu.* prouerbialiter, pro celerrimo. Sic Valer. Catullus;

Non si Pegaseo ferar volatu.

399 *Quo iaceas.* in v. l. inuenio; *quo iaceant*, malè.

405 *Non facili.* sic Horatius, in elegantissima ode ad Virgilium, de morte Quinctilij Vari;

Quam virga semel horrida,
Non leuis precibus fata recludere,
Nigro compulerit Mercurius gregi.

435 *Sopor.* varia somniorum genera ab Hippocrate, in libro de insomniis, referuntur. noster soporis nomine id comprehendit quod Thessalus Hippocratis filius, in legatione, φάσμα vocauit: Herodotus verò non semel ὄψιν ἐνύπνιον Homerus Iliad β'. ὕπαρ. ὅτι τὸ ὄντως ὕπαρ, ait doctissimus Scaliger, in commentario dicti libri Hippocratis. huiusmodi φάσματα siue ὁράματα, multa refert Valerius Maximus, & Tullius lib. 1. de nat. deor. & lib. 1. de diuinat.

ACTVS TERTIVS.

ANDROMACHA. SENEX. VLYSSES.

AN. *Quid mæsta Phrygiæ turba laceratis comas?*
Miserumq́ tunsæ pectus, effuso genas
Fletu rigatis? leuia perpessæ sumus,
Si flenda patimur. Ilium vobis modò,
Mihi cecidit olim; cùm ferus curru incito
Mea membra raperet, & graui gemeret sono
Peliacus axis pondere Hectoreo tremens.
Tunc obruta atque euersa Troia concidit.
Torpens malis, rigensq́ sine sensu ferar:
Iam erepta Danais coniugem sequerer meum,
Nisi hic teneret. hic meos animos domat,
Moriq́ prohibet: cogit hic aliquid deos
Adhuc rogare. tempus ærumnæ addidit.
Hic mihi malorum maximum fructum abstulit,
Nihil timere. prosperis rebus locus
Ereptus omnis: dira, quâ veniant, habent.
Miserrimum est timere, cùm speres nihil.
SE. *Quis te repens commouit afflictam metus?*
AN. *Exoritur aliquod maius è malo malum.*
Nondum ruentis Ilij fatum stetit.
SE. *Et quas reperiet, vt velit, clades Deus?*
AN. *Stygij profundi claustra, & obscuri specus*
Laxantur: & ne desit euersis metus,
Hostes ab imo conditi tumulo exeunt.
Solísne retro peruium est Danais iter?
Certè æqua mors est: turbat, atque agitat Phrygas
Communis iste terror. hic propriè meum
Exterret animum, noctis horrendæ sopor.
SE. *Quæ visa portent, effer in medium, metus.*
AN. *Partes ferè nox alma transierat duas,*
Clarumq́ septem verterant stellæ iugum:
Ignota tandem vênit afflictæ qûies,
Breuisq́ fessis somnus obrepsit genis,
(Si somnus ille est mentis attonitæ stupor)
Cùm subitò nostros Hector ante oculos stetit,
Non qualis vltrò bella in Argiuos ferens,
Graias petebat facibus Idæis rates;
Nec cæde vastâ qualis in Danaos furens
Vera ex Achille spolia simulato tulit;
Non ille vultus flammeum incendens iubar;

436 *Visa.* ὁράματα hæc triplicia sunt, vt ait Scaliger d. loco, pag. 9. aut enim præsentē rem ostendunt, vt apud Virgil. Hector Aeneæ: aut præteritam, vt Elysæ Sichæus & Alcyonæ Ceyx Ouidianus: aut futuram, vt Anchises Aeneæ & hic Hector Andromachæ; itē boues Pharaoni, statua regi Assyriorum in sacris litteris, necnon apud Claudianum Vmbræ Ruffino. ea pars χρηματισμὸς Græcis, nostris diuinatio appellatur.

437 *Partes fere nox alma transierat duas.* Renatus Vegetius lib. 3. de re milit. Romanos scribit noctem in quatuor partes diuisisse: quod huc non pertinet. Arbitror enim Senecam hoc loco noctem in tres partes distribuisse. nam Andromacham, Græcorum captiuam, in Græcis castris agentem, verisimile est iuxta Græcorum consuetudinem loqui. quæ consuetudo traditur ab Homero Odyss. ξ'.

ἄλλοτε δὴ τρίχα νυκτὸς ἔην, μετὰ δ' ἄστρα βεβήκει.

post mediam igitur noctem ait sibi φάσμα oblatum, vt verum esse credatur. Theocritus;

Εὐρώπῃ ποτὲ Κύπρις ἐπὶ γλυκὺν ἧκεν ὄνειρον,
νυκτὸς ὅτε τρίτατον λάχος ἵσταται, ἐγγύθι δ' ἠώς,
ὕπνος ὅτε γλυκίων μέλιτος βλεφάροισιν ἐφίζων
λυσιμελὴς πεδάᾳ μαλακῷ κατὰ φάεα δεσμῷ,
εὖτε καὶ ἀτρεκέων ποιμαίνεται ἔθνος ὀνείρων.

Nox alma. almam dici Cererem ab alendo, alibi scripsi. nox etiam alma vocatur, quia nocturna quies, cibi instar, homines alit, vel quia noctem siderum matrem seu nutricem veteres dixerunt. Euripides;

ὦ νὺξ μέλαινα, χρυσέων ἄστρων τροφέ.

Tibullus lib. 2.

Ludite, iam nox iungit equos, currumq́ sequuntur
Matris, lasciuo sidera fulua choro.

quod etiam Theocritus in Pharmaceutria.

Transierat. al. *transmiserat.* vtrumque quoad sententiam recipi potest. transmitto enim pro transeo nō est insolens. Lucr. li. 2.

Et circū volitant equites mediośq́ repētè
Transmittunt valido quatientes impete campos.

apud Macrobium lib. 6. Saturnal. cap. 4. scriptum est: sed & Pestanus Vibonensis sic ait: Pedibus equos transmisimus. sic vulgò extat: fortassis tamen tutiùs sit reponere; *Pedibus Æquos transmisimus.*

444 *Facibus Ideis.* Iliad. ό & Iliad. χ'.

446 *Vera ex Achille spolia simulato.* Patroclum intellige, qui Achillis arma induerat, Iliad. π'. ceterum sunt hæc ex Virgilio l. 2. Aeneid.

Sed fessus, ac deiectus, & fletu grauis,
Similisq; nostro, squallida obtectus comâ.
Iuuat tamen vidisse. tum quassans caput,
Depelle somnos, inquit, & natum eripe
O fida coniux. lateat, hæc vna est salus.
Omitte fletus. Troia quod cecidit, gemis?
Vtinam iaceret tota: festina, amoue
Quocunque nostræ paruulam stirpem domus.
Mihi gelidus horror ac tremor somnum excutit,
Oculosq; nunc huc pauida, nunc illuc ferens,
Oblita nati, misera quæsiui Hectorem.
Fallax per ipsos vmbra complexus abit.
O gnate, magni certa progenies patris,
Spes vnica Phrygibus, vnica afflictæ domus,
Veterisq; soboles sanguinis nimium inclyti,
Nimiumq; patri similis. hos vultus meus
Habebat Hector, talis incessu fuit,
Habituq; talis: sic tulit fortes manus;
Sic celsus humeris, fronte sic toruâ minax,
Ceruice fusam dissipans latâ comam.
O nate serò Phrygibus, at matri citò,
Erit ne tempus illud, ac felix dies;
Quo Troici defensor & vindex soli,
Rediuiua ponas Pergama, & sparsos fugâ
Ciues reducas? nomen & patriæ suum,
Phrygibusq; reddas? sed mei fati immemor,
Tam magna timeo vota. quòd captis sat est,
Viuamus. heu me! quis locus fidus meo
Erit timori? quáve te sede occulam?
Arx illa pollens opibus, & muris deûm
Gentes per omnes clara, & inuidiæ capax,
Nunc puluis altus. strata sunt flamma omnia,
Superestq; vastâ ex vrbe ne tantum quidem,
Quo lateat infans. quem locum fraudi legam?
Est tumulus ingens coniugis cari sacer,
Verendus hosti, mole quem immensâ parens,
Opibusq; magnis struxit in luctus suos,
Rex non auarus. optimè credam patri.
Sudor per artus frigidus totos cadit:
Omen tremisco misera feralis loci.
SE. *Hæc caussa multos vna ab interitu arcuit,*
Credi perisse. AN. *vix spei quicquam est super.*
Graue pondus illum, magna nobilitas, premit.
SEN. *Ne prodat aliquis: amoue testes doli.*

AN.

Hei mihi, qualis erat, quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuuias indutus Achillis,
Vel Danaûm Phrygios iaculatus puppibus ignes.

449 *Squallida obtectus coma.* Virgilius, de Hectore;

Squallentemq; barbam & concretos sanguine crines,
Vulneraq; illa gerens quæ circum plurima muros
Accepit patrios ——

459 *Fallax per ipsos.* Virgilius Aeneid. 6.

Ter conatus ibi collo dare bracchia circũ,
Ter frustra cõprẽsa manus effugit imago,
Par leuibus ventis, volucriq; simillima somno.

A. Sabinus, in epist. heroid.

Rettulit illa domus eadem mala, méque querentem
Fugit ab amplexu ter resoluta meo.

quo loco pro *meq;* fortè legendum *terq;*, vt Virgilij dictis versibus, & Homericis Odyss. λ'. quos imitatur, respondeat.

462 *Nimium inclyti.* nobilis. sic sumitur Herculе Fur. actu 2. Hercule Oetæo actu 4. Medea actu 3. sic interpretatur Festus, cui assentitur Seruius libro 6. Aeneid. qui à Græco κλυτὸς deducit.

463 *Hos vultus.* Dares ait Hectorem blæsum, barbatum, crispum, strabũ, candidum, pernicibus membris, venerabili vultu fuisse.

471 *Rediuiua ponas Pergama.* Virgilianum illud imitatur;

Et rediuiua manu posuissem Pergama victis.

481 *Fraudi.* infra dolum dicit,

—— amoue testes doli.

scilicet quia omnis fraus dolus est. non omnis tamen dolus est fraus. quidam enim dolus bonus est ideo edicto Prætoris adiicitur malus, l. 1. D. de dolo malo. fraudem quoque veteres delictum dixerunt: & quia iure omni delicto pœna adiuncta est, fraudem etiam pœnam nominarunt, vt aduertit Hugo Donellus, in tract. de ædil. edict. pag. 279.

AN. *Si quæret hostis?* SE. *vrbe in euersa perit.*
AN. *Quid proderit latuisse redituro in manus?*
SE. *Victor feroces impetus primos habet.*
AN. *Quid? quòd latere sine metu magno nequit?*
SE. *Miser occupet præsidia, securus legat.*
AN. *Quis te locus, quæ regio seducta, inuia*
Tutò reponet? quis feret trepidis opem?
Quis proteget? qui semper, etiam nunc tuos
Hector tuere: coniugis furtum pia
Serua, & fideli cinere victurum excipe.
Succede tumulo nate: quid retro fugis,
Turpesq́ latebras spernis? agnosco indolem.
Pudet timere: spiritus magnos fuge,
Animosq́ veteres, sume quos casus dedit.
En intuere, turba quæ simus super,
Tumulus, puer, captiua: cedendum est malis.
Sanctas parentis conditi sedes, age,
Aude subire. fata si miseros iuuant,
Habes salutem: fata si vitam negant,
Habes sepulchrum. SE. *claustra comissum tegunt.*
Quem ne tuus producat in medium timor,
Procul hinc recede, teq́ diuersam amoue.
AN. *Leuius solet timere, qui propius timet.*
Sed si placet, referamus hinc aliò pedem.
SE. *Cohibe parumper ora, questusq́ opprime:*
Gressus nefandos dux Cephalenûm admouet.
AN. *Dehisce tellus, tuq́ coniux vltimo*
Specu reuulsam scinde tellurem Stygis,
Sinu profundo conde depositum meum.
Adest Vlysses, & quidem dubio gradu
Vultúque, nectit pectore astus callidos.
VL. *Duræ minister sortis, hoc primùm peto;*
Vt ore quamuis verba dicantur meo,
Non esse credas nostra: Graiorum omnium,
Procerumq́ vox est: petere quos seras domus
Hectorea soboles prohibet: hanc fata expetunt.
Sollicita Danaos pacis incertæ fides
Semper tenebit, semper à tergo timor
Respicere coget, arma nec poni sinet;
Dum Phrygibus animos natus euersis dabit,
Andromacha. AN. *vester augur hoc Calchas, canit?*
VL. *Et si taceret augur hæc Calchas, tamen*
Dicebat Hector; cuius & stirpem horreo,
Generosa in ortus semina exsurgunt suos:

Sic

506 *En intuere turba quæ simus super,*
" *Tumulus, puer, captiua* tale est Penelopes apud Ouidium argumentum;
Tres sumus imbelles numero, sine viribus vxor,
Laertesq́ senex, Telemachusq́ puer.

523 *Hoc primum peto.* solent, qui mala nũciant, ante precari, ne sibi hoc imputetur. Talthybius apud Euripidem Troadib.
" μή με στυγήσῃς, οὐχ ἑκὼν γὰρ ἀγγελῶ
Δαναῶν τε κοινὰ Πελοπιδῶν τ' ἀγγέλματα.
apud Sophoclem, in Antigone, nuncius:
φράσαι θέλω σοὶ πρῶτα τἀμαυτοῦ. τὸ γὰρ
πρᾶγμ' οὔτ' ἔδρασ', οὔτ' εἶδον ὅστις ἦν ὁ δρῶν.
Terentius Eunuch. actu 5.
P. Here. primùm te arbitrari id quod res est, velim:
Quicquid huius factum est, culpa non factum est mea.
L. Quid? P. rectè sane interrogasti. oportuit
Rem prænarrasse me. Emit quendam Phædria, &c.
huiusmodi proloquium antiqui *prologium* vocabant. Festus.
535 *Generosa in ortus.* ab Euripide translatum, qui in Heraclidis;
δεινὸν γὰρ ἐχθροῖς βλαστάνοντες εὐγενεῖς
νεανίαι τε, καὶ πατρὸς μεμνημένοι
λύμης.
Item, in eadem fabula;
ἐχθροῦ λέοντος δυσγενῆ βλαστήματα
ἤλαυνες ἂν κακοῖσιν.
ea verò de causa, quam hic Vlysses prætexit, scribit Stasimus;
νήπιος ὃς πατέρα κτείνας παῖδας καταλείπει.
" quod ipsum etiam à Xenophonte alicubi scriptum memini.

Sic ille magni paruus armenti comes,
Primisq; nondum cornibus findens cutem,
Ceruice subitò celsus, & fronte arduus,
Gregem paternum ducit, ac pecori imperat.
Quæ tenera cæso virga de trunco stetit,
Par ipsa matri tempore exiguo subit,
Vmbrasq; terris reddit, & cælo nemus.
Sic malè relictus igne de magno cinis,
Vires resumit. est quidem iniustus dolor
Rerum æstimator: si tamen tecum exigas,
Veniam dabis, quòd bella, post hiemes decem,
Totidemq; messes, iam senex miles timet,
Aliasq; clades rursus, ac nunquam benè
Troiam iacentem. magna res Danaos mouet,
Futurus Hector. libera nos hoc metu.
Hæc vna naues causa deductas tenet,
Hic classis hæret. néve crudelem putes,
Quòd sorte iussus Hectoris natum petam,
Petissem Orestem: patere quod victor tulit.
AN. *Vtinam quidem esses nate maternâ in manu,*
Nossemq; quis te casus ereptum mihi
Teneret, aut quæ regio: non hostilibus
Confossa telis pectus, aut vinclis manus
Secantibus præstricta, non acri latus
Vtrunque flammâ cincta, maternam fidem
Vnquam exuissem. nate quis te nunc locus,
Fortuna quæ possedit? errore auio

Vagus

540 *Quæ tenera cæso virga.* hanc virgæ comparationem Naso quoque non neglexit, inquiens;

Quæ præbet latas arbor spaciãtib' vmbras,
Quæ primũ posita est tempore virga fuit:
Tũc poterat manibus summa tellure reuelli,
Nunc stat in immẽsum viribus aucta suis.

541 *Matri.* arborem plantarum, quæ ab eius trunco, quasi pulli, nascuntur, matrem vocauit, vt Virgilius;

Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum.

Item; —— *Parnassia laurus*
Parua sub ingẽti matris se subiicit vmbra.

554 *Victor.* Agamemnon. Euripides, in Iphigenia priore.

559 *Præstricta* manus ferro præstringuntur. oculi etiam splendore præstringuntur. quod posteriùs nolim mutari in præstinguũtur; cùm propter omnium librorum vnanimem consensum: tum quia Nonius ait; Stricturæ dicuntur propriè scintillæ, quæ de ferro feruenti exeunt, quod aut strictè emittantur, hoc est, celeriter: aut oculos suo fulgore præstringant. Et Asconius Pedianus, dignissimus cui credatur in re longè maiori: PRAESTRINGAT aciem. Vel à præstigiatoribus transtulit verbum: vel à tironibus, qui ignari & rudes pugnæ etiam vano armorum sonitu terrentur præstrictis luminibus. Si à præstigiatoribus, præstringo; non ab antiquo verbo stinguo, deducitur. si à præstringo, stricturæ; præstringo, non præstinguo dicendum. alioquin stincturas vel stictur as diceremus. quod quis ferat?

560 *Latus flamma cincta.* veteres flãmam & ignem ad exprimendum, quod volebant, quæstionibus adhibuisse, ex Martyrum historiis patet à Prudentio & aliis compositis: & Lucretio; *Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tæda.* Iudocus Damhauderius V.C. in praxi rerum crimin. c. 37. num. 18. vt & Ludouic. Carrerius in pract. crimin. pagina 69. num. 10. negant vspiam in iure alterius tormenti fieri mentionem, quam eius quod funibus fit, cuius exstat vestigium l. nullus C. ad leg. Iul. Maiest. exstat tamen in iure nostro eculei, vngularum seu fidicularum mentio l. 8. C. de malefic & mathemat. l. 4. C. ad leg. Iul. Maiest. l. 16. C. de quæstion. & malæ mansionis, l. 15. §. quæstionis, D. de iniur. l. 7. D. depos. de qua Furnerius lib. 2. selection. c. 1. & Cuiacius lib. 9. obseruat. c. 37. D. Cyprianus de his quæstionibus & tormentis agens lib. 2. epist. Incisæ sint, inquit, leges XII. tabulis & publico ære præfixa iura, præscriptaque sint: inter ipsas leges delinquitur, inter iura peccatur: innocentia nec illic, vbi defenditur, reseruatur. Sæuit inuicem discordantium rabies: inter togas omnia repleta sunt litibus, hasta illic & gladius & carnifex præsto est, vngula effodiens, eculeus extendens, ignis exurens, ad hominis corpus vnum plura sunt supplicia, quàm membra. Iam Ammianus Marcellinus quodam loco ita scribit; Intenduntur eculei, expenduntur pondera plumbea, fidiculis & verberibus resultabant omnia. vngularum etiam Eusebius & Tertullianus meminerunt. Synesius nouit δακτυλήθραν, ποδοστράβην, πιεστήριον, ῥινολαβίδα, ὠτάγραν, χειλοστρόφιον. hæc igitur omnia & si qua olim alia fuerunt tormentorum ad verum exculpendum genera, veluti rota, taureæ, hystriches, icrion, intelligo in Martiani responso d. l. fin. C. ad leg. Iul. maiest. & præterea quotiescunque simpliciter de quæstionibus & tormentis in iure agitur. Ferulam verò & habenam, cuius mentio fit in l. 1. D. ad Syllanian. nõ æquè: quia non tam quæstionis, quàm ad terrendum loco pœnæ adhibetur. sed & virgis veritas eruebatur. c. circum celliones 23. q. 1. Carrerium & Damhauderium fortè impulit fidicularum significatio ab Acursio vbique tradita, & ab Alberi. & aliis antiquis iuris interpretibus passim, &, quod magis miror, à Cælio antiq lect. lib. 10 c. 5. & Turnebo lib. 4. aduersar. cap. 3. recepta: cùm sit alia fidicularum significatio magis vsitata, & propria. Isidorus lib. 5. etymolog. cap. 27.

Vngulæ dictæ, inquit, quod effodiant. hæ & fidiculæ: quia his rei in eculeo torquentur, vt fides inueniatur. eculeus autem dictus, quòd extendat. Papias etiam in Dictionario scribit; Fidiculæ sunt vngulæ, quibus torquētur in eculeo appensi. quod etiam vetus glossarium confirmat. Hinc apparet, vngulas & fidiculas idem quandoque fuisse. & apparet etiam fidiculas, quando in iure earum mentio occurrit, posse non tantùm pro funibus illis & tendiculis (vt apud Maximum & Tranquillum sumuntur) accipi, sed etiam pro vngulis; & temerè D. Isidorum à nonnullis reprehendi. Porrò, vt nec illud taceam, existimo olim veteres reum primò in eculeo extendisse, deinde fidiculas, postremò ignem & flammam adhibuisse. Patet hoc ex Prudentio, in hymno de Eulalia, vbi non fidiculæ post flammam, sed flamma post vngulas lateri & stomacho applicatur. & in hymno de S. Vincentio, præfectus iubet vinctū retortis bracchiis sursum ac deorsum extendi, scilicet in eculeo; deinde vngulis extentum dissecari. Q. Curtius quoque scribit lib. 6. Philotam post fidiculas lampadibus ardentibus tortum fuisse. Suetonius lib. 3. Excogitauerunt inter genera cruciatus, vt repentè veretris deligatis fidicularum simul vrinæque tormento distenderet. Hodie experientia constat nullum tormenti genus efficacius aut præstantius & minus noxium esse, coacta plurium dierum vigilia & somni prohibitione.

Vagus arua lustras, vastus an patriæ vapor
Corripuit artus? sæuus an victor tuo
Lusit cruore? numquid immanis feræ
Morsu peremtus pascis Idæas aues?
VLYS. *Simulata remoue verba. non facilè est tibi*
Decipere Vlyssem. vicimus matrum dolos,
Etiam dearum: cassa consilia amoue.
Vbi natus est? AN. *vbi Hector? vbi cuncti Phryges?*
Vbi Priamus? vnum quæris, ego quæro omnia.
VLYS. *Coacta dices, spontè quod fari abnuis.*
AN. *Tuta est, perire quæ potest, debet, cupit.*
VLY. *Magnifica verba mors propè admota excutit.*
AN. *Si vis Vlysse cogere Andromacham metu,*
Vitam minare: nam mori votum est mihi.
VLYS. *Verberibus, igne, morte, cruciatu, eloqui*
Quodcunque cælas, adiget inuitam dolor,
Et pectore imo condita arcana eruet.
Necessitas plus posse, quàm pietas solet.
Stulta est fides, celare, quod prodas, statim.
AN. *Propone flammas, vulnera, & diras mali*
Doloris artes, & famem, & sæuam sitim,
Variasq; pestes vndique, & ferrum inditum
Visceribus vstis, carceris cæci luem,
Et quicquid audet victor iratus, tumens.
Vt animosa nullos mater admittit metus?
Hic ipse, quo nunc contumax perstas, amor
Consulere paruis liberis Danaos monet.
Post arma tam longinqua, post annos decem.
Minus timerem, quos facit Calchas metus;
Si mihi timerem: bella Telemacho paras.
AN. *Inuita Vlyssi gaudium, ac Danais dabo.*
Dandum est: fatere, quos premis, luctus dolor.
Gaudete Atridæ, tuq; lætifica, vt soles,
Refer Pelasgis: Hectoris proles obit.

563 *Vastus an.* duo li. scr. cōtinent *notus an.*

568 *Vlyssem.* de quo sunt illa Hom. Iliad. γ'.

εἰδὼς παντοίους τε δόλους καὶ μήδεα πυκνά.

& Odyss. α'.

πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω.

Vicimus matris dolos. Thetidis. vide Statij Achilleidem.

577 *Morte, cruciatu.* o. v. l. *mortis cruciatu.* & sanè ridiculum sit, si sententiam spectes, mori volenti mortem minari: mortis verò cruciatum illi minari, hoc est minari per cruentos cruciatuum modos se enecaturum, magis metuendum sit.

580 *Necessitas plus posse, quàm pietas solet.* maxima necessitatis vis est. Aeschylus, in Prometheo vincto,

τὸ τῆς ἀνάγκης ἔστ' ἀδήριτον σθένος.

idem;

τέχνη δ' ἀνάγκης ἀσθενεστέρα μακρῷ.

Euripides;

δεινῆς ἀνάγκης οὐδὲν ἰσχύει πλέον.

Simonides;

ἀνάγκῃ δ' οὐδὲ θεοὶ μάχονται.

Thales, apud Laërtium: *ἰσχυρότατον ἀνάγκη, κρατεῖ γὰρ πάντων.* Laberius;

Necessitas (cuius cursus transuersi impetū
Voluerunt multi effugere, pauci potuerūt)
Quò me detrusit penè extremis sensibus?

Salustius, in bello Catilinario: Præterea necessitudo, quæ etiā timidos fortes facit. T. Liuius; Necessitate, quę vltimum ac maximum telum est, fortiores estis. Q. Curtius li. 5. Ignauiam quoque necessitas acuit, & sæpe desperatio spei causa est. Porrò ex omnium membranarum fine post hunc versum, aliūm, qui in vulgatis libris ab hoc est sextus ordine, collocandū crediderim exigente sentētia. nēpe;

Necessitas plus posse quàm pietas solet.
Stulta est fides, celare, quod prodas statim.
AN. *Propone flammas, &c.*

583 *Famem.* teste Menandro, famis dolor est maximus. Cicero lib. 5. ad Atticū; Fames, qua nihil miserius est. Homerus Odyss. μ'.

πάντες μὲν στυγεροὶ θάνατοι δειλοῖσι βροτοῖσι,
λιμῷ δ' οἴκτιστον θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν.

&icirco propter famem licet patri filios suos vendere, l. final. C. de patrib. qui lib. distraxer. Lucas de penna in l. 1. C. de quib. muner. vel præstat. nem. lic. se excus. Ceterum istud famis tormentum hodierno die inter quæstionum genera receptum est à criminalium rerum scriptoribus, Gaudino, de malefic. in tit. de quæstionib. Angel. de malefic. in glos. fama publica, in versic. tortura Hippol. de Marsil. in l. 1. D. de quæstion. Iacob. de Bellouis. in pract. crimin. tit. de quæstion. Fran. Bruno in tract. de indiciis & tortura, Paullo Grillando in tract. de quæstion. & tortura.

584 *Carceris cæci.* Virgilius;
Respiciunt clausa tenebris & carcere cæco.

603 *Debita.* iusta.

618 *Alioqui.* de hoc loco Mar. Antonius Muretus lib. 2. variar. lection. cap. 4. iampridem eleganter & copiosè disseruit.

VLYS. *Et esse verum hoc, qua probas Danaïs fide?*
AN. *Ita quod minari maximum victor potest,*
Contingat, & me fata maturo exitu
Faciliq; soluant, ac meo condant solo,
Et patria tellus Hectorem leuiter premat:
Vt luce caret, vt inter exstinctos iacet,
Datusq; tumulo debita exanimis tulit.
VL. *Expleta fata stirpe sublatâ Hectoris,*
Solidamq; pacem lætus ad Danaos feram.
Quid agis Vlysse? Danaidæ credent tibi,
Tu cui? parenti: fingit an quicquam parens,
Nec abominandæ mortis auspicium pauet?
Auspicia metuunt, qui nihil maius timent.
Fidem alligauit iureiurando suam.
Si peierat, timere quid grauius potest?
Nunc aduoca astus anime, nunc fraudes, dolos,
Et totum Vlyssem: veritas nunquam latet. “
Scrutare matrem: mæret, illachrymat, gemit,
Et huc & illuc anxios gressus refert,
Missasq; voces aure sollicita excipit.
Magis hæc timet, quàm mæret: ingenio est opus.
Alios parentes alloqui in luctu decet:
Tibi gratulandum est, misera, quòd nato cares;
Quem mors manebat sæua, præcipitem datum
E turre, lapsis sola quæ muris manet.
AN. *Reliquit animus, membra quatiuntur, labant,*
Torpetq; vinctus frigido sanguis gelu.
VL. *En tremuit hac, hac parte quærenda est mihi:*
Matrem timor detexit. iterabo metum.
Ite ite celeres, fraude maternâ abditum
Hostem Pelasgi nominis, pestem vltimam,
Vbicunque latitat, erutam in medium date.
Benè est, tenetur: perge, festinà, attrahe.
Quid respicis, trepidasq;? iam certè perit.
AN. *Vtinam timerem, solitus ex longo est metus.*
Dediscit animus serò, quod didicit diu. “
VL. *Lustrale quoniam debitum muris puer*
Sacrum antecessit, nec potest vatem sequi
Meliore fato raptus: hoc Calchas ait
Modo piari posse redituras rates;
Si placet vndas Hectoris sparsi cinis,
Ac tumulus imo totus æquetur solo.
Nunc ille quoniam debitam effugit necem;
Erit admouenda sedibus sacris manus.

640 *Sedibus sacris.* hoc est, sepulchro nam sepulchra eorumq; iura, sacra fuisse antiquis docent Paullus Manutius de legibus, & Cælius lib. 17 antiq. lection. vide Claudiũ Guicchiardum lib. de funerib. 1. c. 1. & 3. & lib. 2. c. 2. & patet ex multis legibus per totum penè titulum D. de relig. & sumtib. funerũ, &c. & D. de sepul. viol. adeò vt mortuum in locum suum purum inferendo, locus ille religiosus factus, l. 6. §. religiosum. D. de rerum diuis. §. religiosum, eod. tit. instit. nullius efficiatur, l. 1. in princ. D. & §. nullius. instit. dic. titulo: sic vt eius dominium nullus vindicare queat: ius tamen eius ad illum, in cuius fundo est sepulchrum, vel inferentem eiusq; heredes omnemque familiam pertinet, vt latè docet Ioan. Robertus Aurelius lib. 1. recept. iur. ciuil. lection. cap. 5.

A. *Quid agimus? animũ distrahit geminus timor,*
Hinc gnatus, illinc coniugis cari cinis.
Pars vtra vincet? testor immites deos;
Deosq; veros, coniugis manes mei;
Non aliud Hector in meo nato mihi
Placere, quàm te: viuat, vt poßit tuos
Referre vultus. prorutus tumulo cinis
Mergetur? ossa fluctibus spargi sinam
Disiecta vastis? potius hic mortem oppetat.
Poteris nefandæ deditum mater neci
Videre? poteris celsa per fastigia
Missum rotari? potero, perpetiar, feram,
Dum non meus post fata victoris manu
Iactetur Hector. hic suam pœnam potest
Sentire, at illum fata iam in tuto locant:
Quid fluctuaris? statue, quem pœna extrahas.
Ingrata dubitas? Hector est illinc tuus.
Erras, vtrinque est Hector: hic sensu potens,
Forsan futurus vltor exstincti patris.
Vtrique parci non potest, quidnam facis?
Serua è duobus anime, quem Danai timent.
VL. *Responsa peragam, funditus busta eruam.*
AN. *Quæ vẽdidistis?* VL. *pergã, & è summo aggere*
Traham sepulchra. AN. *cælitum appello fidem,*
Fidemq; Achillis. Pyrrhe, genitoris tui
Munus tuere. VL. *tumulus hic campo statim*
Toto iacebit. AN. *fuerat hoc prorsus nefas*
Danais inausum: templa violastis, deos
Etiam fauentes: busta transierat furor.
Resistam, inermes offeram armatis manus:
Dabit ira vires. qualis Argolicas ferox
Turmas Amazon strauit: aut qualis deo
Percussa Mænas, entheo. siluas gradu
Armata thyrso terret, atque expers sui
Vulnus dedit, nec sensit: in medios ruam,
Tumuloq; cineris socia defenso cadam.
VL. *Cessatis? & vos flebilis clamor mouet?*
Furorq; cassus feminæ? iussa ocyus
Peragite. AN. *me me sternite hîc ferro prius.*
Reuelle Auernum: rumpe fatorum moras.
Molire terras, Hector; vt Vlyssem domes,
Vel vmbra satis es. arma concußit manu:
Iaculatur ignes: cernitis Danai Hectorem,
An sola video? VL. *funditus cuncta erue.*

661 *Serua è duobus anime, quem Danai timent.* variant libri antiq. sunt in quibus legitur; *Serua è duobus illum quem Danai timent.* in aliis continetur; *Serua è duobus malum, quod Danai timent.*

663 *Quæ vendidistis?* Græci vendiderant Priamo non ipsum sepulchrum, sed locum sepulchro ædificando destinatum. hoc est, nõ superficiem, sed solum, loquor more iurisconsultorum, quorũ superficies alia est à superficie mathematicorum, id est, lata extremitate corporis. Iurisconsultis enim superficies est terræ superior pars, faciesque cuiusq; rei quæ oculis cernitur: etiamsi profunditatem habeat. auctore Vaconio lib. 2. declarat. iur. cap. 82. Tu vide Brissonium de verb. significat. lib. 17. pag. 558. & 578. Scaligerum, in Idæa cap. 5.

668 *Deos Etiam fauentes.* propter Palladẽ hoc dicit, in cuius æde Aiax Oileus Cassandram stuprauerat.

673 *Percussa.* vnus lib. scriptus, *perculsa.*

AN. Quid agis? ruinâ mater & gnatũ & virum
Prosternis vnâ: forsitan Danaos prece
Placare poteris: conditum elidet statim
Immane busti pondus: intereat miser,
Vbicunque potius, ne pater gnatum obruat,
Prematq́ patrem gnatus. ad genua accido
Supplex Vlysse, quamq́ nullius pedes
Nouere dextram, pedibus admoueo tuis:
Miserere matris, & preces placidus pias
Patiensq́ recipe: quoq́ te celsum altius "
Superi leuarunt, mitius lapsos preme. "
Misero datur, quodcunque fortunæ datur. "
Sic te reuisat coniugis sanctæ torus,
Annosq́ dum te recipit, extendat suos
Laërta: sic te iuuenis excipiat tuus,
Et vota vincens vestra felici indole,
Aetate auum transcendat, ingenio patrem.
Miserere matris: vnicum afflictæ mihi
Solamen hic est. VLYS. exhibe gnatum, & roga.

699 *Iuuenis.* Telemachus. nam Telegonum nondum genuerat.

ANDROMACHA.
Anapæstici.

Huc è latebris procede tuis,
Flebile matris furtum miseræ.
Hic puer, hic est terror, Vlysse
Mille carinis. submitte manus,
Dominiq́ pedes supplice dextrâ
Stratus adora: nec turpe puta, "
Quicquid miseros fortuna iubet: "
Pone ex animo reges atauos,
Magniq́ senis iura per omnes
Inclita terras. excidat Hector,
Gere captiuum, positoq́ genu,
Si tua nondum funera sentis,
Matris fletus imitare tuæ.
Vidit pueri regis lachrymas
Et Troia prior, paruusq́ minas
Trucis Alcidæ flexit Priamus.
Ille, ille ferox, cuius vastis
Viribus omnes cessere feræ,
Qui perfracto limine Ditis
Cæcum retro patefecit iter,
Hostis parui victus lachrymis,
Suscipe, dixit, rector habenas:

718 *Prior.* hoc est, prius, veluti, *serus*, pro *serò*.

Patrioq́

Patrioq́; sede celsus solio,
Sed sceptra fide meliore tene.
Hoc fuit, illo victore capi.
Discite mites Herculis iras.
An sola placent Herculis arma?
Iacet ante pedes, non minor illo
Supplice, supplex, vitamq́; petit.
Regnum Troiæ, quocunque volet,
Fortuna ferat.

727 *Fide meliore*, &c. quàm pater tuus Laomedon.

VLYSSES. ANDROMACHA. ASTYANAX.

VL. *Matris quidem me mœror attonitæ mouet:*
Magis Pelasgæ me tamen matres mouent;
Quarum iste magnos crescit in luctus puer.
AN. *An has ruinas vrbis in cinerem datas*
Hic excitabit? hæ manus Troiam erigent?
Nullas habet spes Troia, si tales habet.
Non sic iacemus Troes, vt cuiquam metus
Possimus esse. spiritus genitor facit?
Sed nempe tractus ipse post Troiam pater
Posuisset animos, magna quos frangunt mala.
Si pœna petitur; quæ peti grauior potest?
Famulare collo nobili subeat iugum:
Seruire liceat. aliquis hoc regi negat?
VL. *Non hoc Vlysses, sed negat Calchas tibi.*
AN. *O machinator fraudis, ô scelerum artifex,*
Virtute cuius bellicâ nemo occidit,
Dolis & astu maleficæ mentis iacent
Etiam Pelasgi. vatem & insontes deos
Prætendis? hoc est pectoris facinus tui.
Nocturne miles, fortis in pueri necem.
Iam solus audes aliquid, & claro die.
VL. *Virtus Vlyssis nota Danais est satis,*
Nimisq́; Phrygibus: non vacat vanis diem
Conterere verbis: ancheras classis legit.
AN. *Breuem moram largire, dum officium parens*
Gnato supremum reddo, & amplexu vltimo
Auidos dolores satio. VL. *misereri tui*
Vtinam liceret. quod tamen solùm licet,
Tempus moramq́; dabimus, arbitrio tuo
Implere lachrymis: fletus ærumnas leuat.
AN. *O dulce pignus! ô decus lapsæ domus,*
Summumq́; Troiæ funus! ô Danaûm timor!

746 *Collo nobili.* sic Euripides, in Helena; φασὶ βρόχῳ γ' ἀγχόνῃ δέρην, &c. Epitetum hoc additum vim habet. nam, vt ait Attius,

Is demum miser est, cuius miserias nobilitas nobilitat.

752 *Etiam Pelasgi.* Iphigenia, Palamedes, Aiax Telamonius.

758 *Legit.* o. v. l. *legat.* continere.

761 *Misereri tui.* duo m. s. habent *miserere.* nec veró id exemplo caret. Attius in Athamante.

Atque ita de illis merui, vt iure hac numquam misererent mala.

Ennius in Hecubâ;

Miserete anuis, date ferrum, qui me anima priuem.

764 *Fletus ærumnas leuat.* Ouidius;

"*Expletur lachrymis, egeriturq́; dolor.*

Hieron. Cardanus, in libris de subtilitate, scripsit nonnullis lethale fuisse fletum continere, neque dolori suo indulgere.

770 *Non tu.* hæc vota Andromachæ conueniunt, quæ vbique fingitur mulier virilis animi & nomini suo respondens: talia etiam Theodosius Honorio, apud Claudianum de tertio consulat. Honorij A. & filio suo Telamonius Aiax optat, apud Sophoclem in Aiace flagellifero. Sed quæ sequuntur muliebria sunt; iis tamen quæ nutricula Flacci lib. 1. epist. alumno optat suo nonnihil grauiora.

777 *Solemne referens Troici lustri sacrum.* scilicet ludorum qui postea Troiani vocati fuerunt, & à Virgilio 5. Aeneid. & Suetonio lib. 1. describuntur.

780 *Concitos cornu modos.* Phrygios modos, de quibus loquitur, meritò concitos nominat. quia tam erant concitati, vt iis homines ad furorem, non ad hilaritatem commouerentur, si quidem Aristoteli lib. 8. Politicorum, & Galeno lib. 5. sententiarum Hippocratis & Platonis credimus. de his sunt Telestæ Selinuntij hi versus:

πρῶτοι παρὰ κρητῆρας Ἑλλάνων ἐν αὐλοῖς
συνοπαδοὶ Πέλοπος ματρὸς ὀρείας
Φρύγιον ἄεισαν νόμον,
τοὶ δ' ὀξυφώνοις πηκτίδων ψαλμοῖς
κρέκον Λύδιον ὕμνον.

781 *Saltatu.* Phrygio, de quo ait Euripides in Troadib.

Λίβυς τε λωτὸς ἐκτύπει,
Φρύγιά τε μέλεα. παρθένοι
δ' ἀέριον ἀνὰ κρότον ποδῶν
βοὰν τ' ἔμελπον εὔφρον'.

782 *O morte dira tristius lethi genus.* Oedipi actu 1. dixit;

O dira noui facies lethi
Grauior letho ——

Sic Martialis:

Tristius est letho lethi genus ——

790 *Quid meos retines sinus.* conueniunt hæc cum illis Euripideis;

τί μου δέδραξαι χερσὶ, κἂν δέχῃ πέπλων;

797 *Talis è nostro sinu.* comparatio ista prius fuit vsurpata ab Euripide, apud quem Polyxena:

σκύμνον γάρ μ' ὥστ' οὐριθρέπταν
μόσχον, δειλαία δειλαίαν
εἰσόψει χειρὸς ἀναρπαστάν.

813 *Quæ.* velim hunc chorum diligenter comparari cum exactissima Græciæ descriptione, quã composuit Nicolaus Sophianus.

818 *Iolchos.* Græci libri plerique docent scribendum *Iolcos.* Steph. *iolchos.* maris domitrix dicitur, propter Iasonem Argonautarum ducem.

820 *Tricce.* ex Homero, Stephano, Strabone, & Ptolomæo scribas *Tricce.* Porphyrius in libro de Responsis, citante Eusebio lib. 3. de præparat. euangelica: Τρίκκης ἐξ ἱερῆς ἥκω

Genitricis ô spes vana! cui demens ego
Laudes parentis bellicas, annos aui
Medios precabar: vota destituit Deus.
Iliaca non tu sceptra regali potens
Gestabis aulâ, iura nec populis dabis,
Victasq; gentes sub tuum mittes iugum;
Non Graia cædes terga, non Pyrrhum trahes;
Non arma tenerâ parua tractabis manu,
Sparsasq; passim saltibus latis feras
Audax sequêris; nec stato lustri die
Solenne referens Troici lustri sacrum,
Puer citatas nobilis turmas ages:
Non inter aras mobili velox pede,
Reuocante flexo concitos cornu modos,
Barbarica prisco templa saltatu coles.
O morte dirâ tristius lethi genus! "
Flebilius aliquid Hectoris magni nece
Muri videbunt. VL. *rumpe iam fletus parens.*
Magnus sibi ipsi non facit finem dolor. "
A. *Lachrymis Vlysse parua, quã petimus, mora est.*
Concede paruos vt meâ condam manu
Viuentis oculos. occidis paruus quidem,
Sed iam timendus. Troia te exspectat tua.
I, vade, liber liberos Troas vide.
AST. *Miserere mater.* AN. *quid meos retines sinus,*
Manusq; matris? cassa præsidia occupas.
Fremitu leonis qualis audito tener
Timidum iuuencus applicat matri latus:
At ille sæuus matre summota leo,
Prædam minorem morsibus vastis premens
Frangit, vehitq;: talis è nostro sinu
Te rapiet hostis. oscula, & fletus puer,
Lacerosq; crines excipe, & plenus mei
Occurre patri: pauca maternæ tamen
Perfer querelæ verba; si manes habent
Curas priores, nec perit flammis amor:
Seruire Graio pateris Andromachen viro
Crudelis Hector? lentus & segnis iaces?
Rediit Achilles. sume nunc iterum comas,
Et sume lachrymas, quicquid è misero viri
Funere relictum est. sume, quæ reddas tuo
Oscula parenti. matris hanc solatio
Relinque vestem, tumulus hanc tetigit meus,
Manesq; cari: quicquid hic cineris latet,

Scru-

Scrutabor ore. VL. *nullus est flendi modus.*
Abripite properè classis Argolicæ moram.

CHORVS.

Sapphici.

Quæ vocat sedes habitanda captas?
Thessali montes, & opaca Tempe,
An viros tellus dare militares
Aptior Phthie? meliorq; fœtu
Fortis armenti lapidosa Trachyn?
An maris vasti domitrix Iolcos?
Vrbibus centum spaciosa Crete?
Parua Gortyne, sterilisq; Trice?
An frequens ruscis leuibus Methone;
Quæ sub O Etæis latebrosa siluis
Misit infestos Troiæ ruinis
Non semel arcus?
Olenos tectis habitata raris
Virginis Pleuros inimica diuæ?
An lati maris sinuosa Træzen?
Pelion regnum Protei superbum
Tertius cælo gradus? hic recumbens
Montis exesi spaciosus antro
Iam trucis Chiron pueri magister.
Tinnulas plectro feriente chordas,
Tunc quoque ingentes acuebat iras
Bella canendo.
An ferax varij lapidis Carystos?
An premens litus maris inquieti
Semper Euripo properante Chalcis?
Quolibet vento faciles Echinæ?
An carens nunquam Gonoessa vento?
Quæq; formidant Borean Enispæ?
Attica pendens Peparethos ora?
An sacris gaudens tacitis Eleusis?
Nunquid Aiacis Salamina veri?
An ferâ notam Calydona sæuâ?
Quásve perfundit subiturus æquor

Segni-

θὸς, &c. eodem modo scriptum est in Heliodori ἀπολίθικοις ad Nicomachum, si non est mendosus Galeni contextus lib. 2. antidotorum. Domitius Calderinus in Commentario super Statium, Triccen cum Trachyne confundit: sed vel ex hoc Senecæ loco, eas separantis, manifestissimè refellitur: ideoque meritò ab Hermolao, in emendationibus Plinianis, fuit reprehensus.

824 *Non semel.* semel tantùm misit: sed iidem arcus bis Troiæ infesti fuerunt.

826 *Inimica diua?* Dianæ, cuius ira aprum Calydoniis immisit.

828 *Pelion regnum Protei superbum.* Proteus enim in Thessalia & Thracia regnauit, quemadmodum in Aegypto. Izacius in Lycophronis Cassandram; Πρωτεὺς Ποσειδῶνος υἱὸς, τῷ γένει Αἰγύπτιος, εἰς Φλέγραν τῆς Παλλήνης ἐκ Θρᾴκης ἐλθὼν, ἐξ Αἰγύπτου Τορώνην γαμεῖ ἐξ ἧς αὐτῷ παῖδες Τμῶλος καὶ Τηλέγονος, οἳ καταπαλαίοντες τοὺς ξένους ἀνῄρουν· ἀντὴν ξενοκτονίαν μὴ φέρων ὁ Πρωτεὺς, ηὔξατο τῷ αὐτοῦ πατρὶ Ποσειδῶνι, πάλιν καταστῆσαι αὐτὸν εἰς τὴν Αἴγυπτον· ὁ δὲ ὑπακούσας αὐτοῦ, ἀπήλασεν ἐκ τοῦ χάσματος τῆς Παλλήνης ποιήσας ὑποκάτω τῆς θαλάσσης, οὕτως διήγαγεν αὐτὸν ἀβρόχως μέχρι Αἰγύπτου. quem locum mihi indicauit Fr. Sanctius meus, homo doctissimus & humanissimus. vide Lilium Syntagm. 5.

830 *Montis exesi.* Chironis antrum describens Papinius, ait;

Longæuum Chirona petit. domus ardua montem
Perforat & certo suspendit Pelion arcu:
Pars exhausta manu, partem sua ruperat ætas.

833 *Tunc quoque ingẽtes acuebat iras Bella canendo.* Papinius in Achilleide de eadẽ re;

Elicit extremo chelym, & solantia curas
Fila mouet, leuiterq; expertas pollice chordas
Dat puero: canit ille libens ingentia laudũ
Semina, &c.

ingentes iras dicit, propter iracundiam Achillis, vnde Ilias Homeri inchoatur.

835 *Varij lapidis.* nonnulli m. s. habent *rari lapidis.* Carystos, teste Plinio, priùs Chalcodoris dicta est, si Ephoro credimus; sin Callidemo apud Solinũ, Chalcis. sed eas separat poëta noster hoc choro. subiungit enim;

Semper Euripo properante Chalcis.

838 *Echidnæ.* m. s. *echinæ.* & ἐχίνας appellant Homerus, Callimachus, Euripides, Strabo; &, quem in compendium redegit Hermolaus Byzantius grammaticus, Stephanus περὶ πόλεων. 839 *Genoessa.* lege *Gonoëssa*, ex Homero, qui alto loco sitam scribit: ideo noster ait; —— *nunquam carens Gonoessa vento.* 840 *Formidant Borean Enispæ.* idcirco Homerus Iliad. β'. è quo multa in hunc chorũ translata sunt; —— καὶ ἠνεμόεσσαν Ἐνίσπην. 843 *Veri.* vel quia eius nomini exitus vitæ bellè respondit: vel recti & veracis minimeque soliti mentiri; qualem Aiacem Telamonium vbique pingit Homerus. dicit porrò, Salamina Aiacis, quia Aiax Telamonius in illa insula natus sit, vt, ex Aretade Cnidio, Plutarchus in Parallelis memorat.

853 *Sparte.* odio Helenæ, quæ Spartana fuit, negat se Spartam proficisci velle.

854 *Pelopis Mycena.* hoc & proximè præcedenti versu ad Ouidij locum respexit;

Argosq; & Sparte Pelopeiadesq; Mycenæ.

856 *Nocens saxis Ithace.* saxosam enim & asperam esse Ithacam Homericus Telemachus Menelao affirmat. Cicero etiam, de Oratore, sic scribit, Ithacam illam in asperrimis saxis tanquam nidulum affixam. Marius Niger Geograph. lib. 11. tradit eam hodie vocari *val de Compagno.* Sophianus autem appellat *Compare*, vt testatur Ortelius in Theatro orbis. adeo hodierna regionum nomina incerta sunt.

862 *Auspice.* Romanos constat nihil neque priuatim neque publicè inauspicato gessisse. quo ex more, inquit, post Ciceronem Valerius Maximus, nuptiis auspices interponũtur. Lucanus de nuptiis Catonis & Martię;

Iunguntur taciti, contentiq; auspice Bruto.

quem locum Sulpitius non satis videtur intellexisse. hunc morem Gręcis quoque familiarem fuisse præter Senecam hic, docet Claudianus;

— *hac auspice tæda*
OEdipodem matri, nata iunxère Thyestem.

Porrò de hac re copiosè & eleganter illustrissimus Cardinalis Gabriel Paleottus libro de spuriis & nothis cap. 4.

Helena. Stasimus, Pausanias & Higynus Helenæ matrem Nemesim vocant: Homerus, Theocritus, Euripides, Theon Arati scholiastes & Ouidius Ledam nominant; quæ contraria non sunt. cùm Bassus, in Germanicum, Lactantius lib. 1. de falsa religione, & Crates tradiderint Ledam mortuã Nemesis nomen assumsisse. Apollodorus lib. 3 biblior. credit Nemesim à Ioue adamatam, cùm periculi euitandi causâ in anserem se mutasset, à Ioue, qui cygni formam induerat, compressam, & eo compressu grauidam decumo post mẽse ouum peperisse, quod Ledæ custodiendum tradiderit: inde natam Helenam; quæ quia à Leda educabatur pro sua, Ledæ filia dicta fuit. Clearchus, in amatoriis, teste Athenæo lib. 2. cap. 17. prodidit Helenam in cœnaculis, quæ ὠὰ dicebantur, educatã fuisse: vnde fabula Helenam ouo prognatam. quod tamen Lucianus in Gallo, quia Helena olorinum collum, candidum habuerit & oblongum, putat confictum. Ridicula etiam est Melissi Euboici fabulæ istius interpretatio, quam Fulgentius lib. 2. Mytholog. refert. Magis etiam ridiculum Neoclis Grotoniatę commentum, cecidisse ouum è luna, è quo Helena nata sit, & mulieres lunares oua parere, è quibus nati ceteros homines quin-

Segnibus terras Titaressos vndis,
Bessan & Scarphen? Pulon an senilem?
Pharin, an Pisam Iouis, & coronis
Elida claram?
Quolibet tristis miseras procella
Mittat, & donet cuicunque terræ:
Dum luem tantam Troiæ atque Achiuis
Quæ tulit, Sparte, procul absit, absit
Argos, & sæui Pelopis Mycenæ;
Neritos paruâ breuior Zacyntho,
Et nocens saxis Ithace dolosis.
Quod manet fatum, dominusq; quis te
Aut quibus terris Hecube videndam
Ducet? in cuius moriere regno?

ACTVS QVARTVS.

HELENA. ANDROMACHA. HECVBA.

HE. *Quicunque hymen funestus illætabilis,*
Lamenta, cædes, sanguinem, gemitus habet;
Est auspice Helena dignus. euersis quoque
Nocere cogor Phrygibus. ego Pyrrhi toros
Narrare falsos iubeor, ego cultus dare,
Habitusq; Graios: arte capietur meâ,
Meaq; fraude concidet Paridis soror.
Fraudetur. ipsi leuius hoc equidem reor.
Optanda mors est, sine metu mortis, mori. "
Quid iussa cessas agere? ad auctorem redit
Sceleris coacti culpa. Dardaniæ domus "
Generosa virgo, melior afflictos Deus "
Respicere cœpit, teq; felici parat "
Dotare thalamo: tale coniugium tibi
Non ipsa sospes Troia, non Priamus daret.
Nam te Pelasgæ maximum gentis decus
Ad sancta lecti iura legitimi petit,
Cui regna campi lata Thessalici iacent.
Te magna Tethys, teq; tot pelagi deæ,
Placidumq; numen æquoris tumidi Thetys
Suam vocabunt: te datam Pyrrho socer
Peleus nurum vocabit, & Nereus nurum.
Depone cultus squallidos, festos cape.
Dedisce captam. deprime horrentes comas,
Crinemq; doctâ patere distingui manu.

Hic

Hic forsitan te casus excelso magis
Solio reponet: profuit multis capi.
AN. *Hoc deerat vnum Phrygibus euersis malum,*
Gaudere. flagrant strata passim Pergama.
O coniugale tempus! an quisquam audeat
Negare, quisquam dubius ad thalamos eat;
Quos Helena suadet? pestis, exitium, lues
Vtriusque populi, cernis hos tumulos ducum;
Et nuda totis ossa quæ passim iacent
Inhumata campis? hæc hymen sparsit tuus.
Tibi fluxit Asiæ, fluxit Europæ cruor:
Cùm dimicantes læta prospiceres viros,
Incerta voti, perge, thalamos appara.
Tædis quid opus est? quidve solenni face?
Quid igne? thalamis Troia prælucet nouis.
Celebrate Pyrrhi Troades connubia,
Celebrate: digni planctus & gemitus sonent.
HEL. *Ratione quamuis careat, & flecti neget*
Magnus dolor, sociosq́ nonnumquam sui
Mœroris ipsos oderit: caussam tamen
Possum tueri iudice infesto meam.
Grauiora passa luget Andromacha Hectorem,
Et Hecuba Priamum: solus occultè Paris
Lugendus Helenæ est. durũ & inuisum & graue (est
Seruitia ferre: patior hoc olim iugum
Annis decem captiua. prostratum Ilium est,
Versi penates; perdere est patriam graue:
Grauius timere. vos leuat tanti mali
Comitatus: in me victus & victor furit.
Quam quisque famulam traheret, incerto diu
Casu pependit: me meus traxit statim
Sine sorte dominus. caussa bellorum fui,
Tantæq́ Teucris cladis. hoc verum puta,
Spartana puppis vestra si secuit freta:
Sin rapta Phrygiis præda remigibus fui,
Deditq́ donum iudici victrix dea;
Ignosce Paridi. iudicem iratum mea
Habitura caussa est. ista Menelaum manent
Arbitria. nunc hanc luctibus paulum tuis,
Andromacha, omissis flecte. vix lachrymas queo
Retinere. AN. *quantum est, Helena quod lachrymat, malum!*
Cur lachrymat autem? fare quos Ithacus dolos,
Quæ scelera nectat: vtrum ab Idæis iugis

quies & decies proceritate excedant, auctore Herodoto Heracleote. hæc partim ab aliis accepi, partim addidi de meo.

868 *Optanda mors est, sine metu mortis mori.* huc spectat quod de Iulio Cæsare his verbis traditur à Suetonio lib. 1. Illud planè inter omnes constitit, talem ei mortem pene ex sententia contigisse. nam & quondã cùm apud Xenophontem legisset Cyrum vltima valetudine mãdasse quædam de funere suo, aspernatus tam lentum mortis genus, subitam sibi celeremq́; optauerat, & pridie quàm occideretur, in sermone super cænam nato apud M. Lepidum, quisnam esset vitæ finis commodissimus, repentinum inopinatumq́; prætulerat. hoc ergo mortis genus præoptauerat Cæsar.

869 *Ad auctorẽ.* m. s. nonnulli *ad auctores.*
Coacti. noster, in Thyeste;
Sæpe in magistrum scelera redierunt sua.
Mimographus;
Malum consilium consultori pessimum.
vbi notandum, consultoris nomẽ pro eo qui dat consilium esse positum; cùm frequentius ponatur, pro eo qui consilium accipit. Horat.
—— *consultor vbi ostia pulsat.*

875 *Nam te.* in nonnullis v. l. legitur *iam te.*

879 *Æquoris tumidi.* Ouidius;
Obstitit inceptis tumidum iuuenilibus æquor.

887 *Hoc deerat.* hæc verba quibusdam in m. s. Polyxenæ potiùs, quàm Andromachæ tribuuntur. sed infrà, Helena ostendit Andromachæ verba fuisse.

896 *Prospiceres viros.* Iliad. γ'.

902 *Ratione quamuis, &c.* auctor est Plutarchus in orat. consolatoria omnium animi perturbationum grauissimum esse dolorem: eumque tradit Aristoteles lib. 6. ethic. cap. 5. iudicium rectamque existimationem ad res gerendas corrumpere atque peruertere. eaq́; est huius Senecæ loci ratio, quemadmodum & alterius vbi ait, Leuis est dolor qui consilium capere potest.

Iactanda virgo est, arcis an celsæ edito
Mittenda saxo? num per has vastum in mare
Voluenda rupes, latere quas scisso leuat
Altum vadosos Sigeon spectans sinus?
Dic, fare, quicquid subdolo vultu tegis.
Leuiora mala sunt cuncta; quàm Priami gener,
Hecubæq; Pyrrhus. fare, quam pœnam pares,
Exprome, & vnum hoc deme nostris cladibus,
Falli, paratas perpeti mortem vides.
HEL. *Vtinam iuberet me quoque interpres deûm*
Abrumpere ense lucis inuisæ moras,
Vel Achillis ante busta, furibundâ manu
Occidere Pyrrhi, fata comitantem tua
Polyxena miseranda; quam tradi sibi,
Cineremq; Achilles ante mactari suum,
Campo maritus vt sit Elysio, iubet.
AN. *Vide vt animus ingens, lætus audierit necem.*
Cultus decoros regiæ vestis petit,
Et admoueri crinibus patitur manum.
Mortem putabat illud, hoc thalamos putat.
At misera luctu mater audito stupet,
Labefacta mens succubuit. assurge, alleua
Animum, & cadentem misera firma spiritum.
Quâm tenuis anima vinculo pendet leui!
Minimũ est, quod Hecubam facere felicem potest.
Spirat, reuixit. prima mors miseros fugit.
HEC. *Adhuc Achilles viuit in pœnas Phrygum?*
Adhuc rebellat? ô manum Paridis leuem.
Cinis ipse nostrum sanguinem, ac tumulus sitit.
Modò turba felix latera cingebat mea,
Lassabar in tot oscula, & in totum gregem
Diuidere matrem. sola nunc hæc est super,
Votum, comes, leuamen, afflictæ quies.
Hæc totus Hecubæ fœtus, hac solâ vocor
Iam voce mater. dura & infelix age
Elabere anima: denique hoc vnum mihi
Remitte funus. irrigat fletus genas,
Imberq; victo subitus è vultu cadit.
Lætare, gaude gnata; quàm vellet tuos
Cassandra thalamos, vellet Andromache tuos!
AN. *Nos Hecuba, nos nos Hecuba lugendæ sumus.*
Quas mota classis huc & huc sparsas feret,
Hanc cara tellus sedibus patriis teget.
HEL. *Magis inuidebis, si tuam sortem scias.*

AN.

944 *Viden' animus ingens.* in Hecuba Euripidis ait Polyxena;

καὶ σὲ μὲν μᾶτερ δύστανε
κλαίω πανοδύρτοις θρήνοις.
τὸν ἐμὸν δὲ βίον, λώβαν, λύμαν
τ' οὐ μετακλαίομαι. ἀλλὰ θανεῖν μοι
ξυντυχία κρείσσων ἐκύρησεν.

965 *E vultu cadit.* Hecuba apud Euripidem dicto loco idem ait. & apud Ennium, in Andromacha;

Vide hinc, mea inquam lachrumæ guttatim cadunt.

971. *Scias.* o.v.l. *scies.*

986 *Armis Achillis.* quæ Vlysses iudicio obtinuerat.

989 *Hectoris spolium feret.* spolium est quod corpori hærens, & corpus quodammodo vestiens, corpori detrahitur. suprà in Herc. Fur.

Illic qua viduis gentibus imperat.
Aurato religans ilia baltheo,
Detraxit spolium nobile corpori.

Vlpianus in l. 6. D. de bon. damnator. spolia definit, quibus quis indutus est, cùm ad supplicium ducitur. Ideo Hecuba se, quæ Hectorem vtero clausum gestauerat, Hectoris spolium vocat. simile ferè est quod ad Claudianum lib. 2. in Rufin. notaui, in notis meis pag. 25. ibi;

AN. *An aliqua pœnæ pars mea ignota est mihi?*
HEL. *Versata dominos vrna captiuis dedit.*
AN. *Cui famula tradar, ede: quem dominum voco?*
HEL. *Te sorte primâ Scyrius iuuenis tulit.*
AN. *Cassandra felix, quam furor sorte eximit,*
Phœbusq. HEL. *regũ hanc maximus rector tenet.*
HEC. *Estne aliquis, Hecubam qui suam dici velit?*
HEL. *Ithaco obtigisti preda nolenti breuis.*
HEC. *Quis tam impotẽs, ac dirus, & iniquæ ferus*
Sortitor vrnæ, regibus reges dedit?
Quis tam sinister diuidit captas Deus?
Quis arbiter crudelis, & miseris grauis?
Eligere dominos nescit, & sæuâ manu
Dat iniqua miseris fata. quis matrem Hectoris
Armis Achillis miscet? ad Vlyssem vocor.
Nunc victa, nunc captiua, nunc cunctis mihi
Obsessa videor cladibus: domini pudet,
Non seruitutis: Hectoris spolium feret,
Qui tulit Achillis. sterilis, & sæuis fretis
Inclusa tellus, num capit tumulos meos?
Duc, duc Vlysse: nil moror, dominum sequor,
Me mea sequentur fata. non pelago quies
Tranquilla veniat, sæuiat ventis mare,
Et bella, & ignis, & mea, & Priami mala:
Dumq. ista venient, interim hac pœna in loco est.
Sortem occupauĩ, præmium eripuit mihi.
Sed incitato Pyrrhus accurrit gradu,
Vultuq. toruo. Pyrrhe quid cessas? age
Reclude ferro pectus, & Achillis tui
Coniunge soceros. perge mactator senum,
Et hic decet te sanguis. abreptam trahite,
Maculate superos cæde funestâ deos,
Maculate manes. quid precer vobis? precor
His digna sacris æquora. hoc classi accidat
Toti Pelasgæ, ratibus hoc mille accidat;
Meæ precabor, cùm vehar, quicquid rati.

CHORVS.

Sapphici.

Dulce mœrenti populus dolentum,
Dulce lamentis resonare gentes.
Lenius luctus lachrymæq. mordent,
Turba quas fletu simili frequentat.
Semper ah semper dolor ipse magnus

Flexilis inductis animatur lamina membris.
quam lectionem Pulmannus in contextum recipere debebat.

993 *Sequentur.* melius in m.s. legitur *sequantur*, vt apparet ex sequentibus.

996 *Interim hac pœna in loco est.* omnes libri impressi ita habent: scripti verò: *interim hoc pœna in loco est.* fuit tempus cùm crediđi posse reponi; *interim hoc pœna loco est.* hac sententia: Interim dum ista mala eos manent & ceruicibus eorum, quasi iam iam casura imminent, ipsa hæc mali expectatio pœnæ loco est. nam qui in continuo metu versatur infortunij, grauius nonnunquam cruciatur, & affligitur vehementius, quàm qui malum ipsum patitur. metus enim & spes cuncta in maius efferunt, suntque tyranni mentis nostræ crudelissimi: qui verò nec spe nec metu vrgeatur, felicissimus putandus est. nobis non licet esse tam beatis. Catholicus noster Rex Philippus II. Symboli loco ferebat olim; NEC SPE NEC METV. de quo Symbolo P. Ronsardus, poëta Gallus ita cecinit:

Espoir & crainte est la seule misere
Qui nous tourmente: & qui en ce bas lieu,
Ainsi que toy, ne craint plus ny espere,
Se doit nommer non pas hõme, mais dieu.

Ideo poëtæ Tantalum æterno metu capiti impendentis saxi cruciari finxerunt; ideo vana carpendorum pomorum & aquarum sorbendarum spe ludi tradiderunt. ideo scripsit Ouidius;

Morsq. minus pœna quàm mora mortis habet.

huc alludit noster, in Hercule OEtæo;

Quicumque misero fortè dissuadet mori,
Crudelis ille est. interim pœna est mori.

Item, in Thyeste;

Peior est bello, timor ipse belli.

Fuit olim hæc mea de recensendo & explicando hoc loco sententia: cuius me (dicam quod res est) ne nunc quidem valde pœnitet. de sententia quidem omnino certus sum, de emendatione non æquè. ideo si quis hunc sensum ex m.s. codicum lectione, quam posui, eliciat, facilè illi assentiar.

1000 *Reclude ferro pectus.* Euripidis Hecuba mori exoptat:

ἡμᾶς δ' ἄγοντες πρὸς πυρὰν Ἀχιλλέως
κεντεῖτε, μὴ φείδεσθε ——

& apud Ennium ait eadem;

" *Miserete anuis, date ferrum, qui*
" *Me anima priuem.*

1008 *Dulce.* hanc vocem eodem modo repetit Horatius;

" *Dulce ridentem Lalagen amabo*
" *Dulce loquentem.*

Gaudet in multos sua fata mitti,
Seq; non solum patuisse pœnæ.
Ferre, quam sortem patiuntur omnes,
Nemo recusat.
Nemo se credit miserum, licet sit:
Tolle felices, remoueto multo
Diuites auro, remoueto centum
Rura qui scindant opulenta bubus;
Pauperi surgent animi iacentes.
Est miser nemo, nisi comparatus.
Dulce in immensis posito ruinis,
Neminem lætos habuisse vultus.
Ille deplorat, queriturq; fatum,
Qui secans fluctum rate singulari
Nudus in portus cecidit petitos:
Æquior casum tulit, & procellas,
Mille qui ponto pariter carinas
Obrui vidit, tabulaq; litus
Naufragâ spargi, mare cùm coactis
Fluctibus corus prohibet reuerti.
Questus est Hellen cecidisse Phryxus,
Cùm gregis ductor radiante villo
Aureo, fratrem simul, & sororem
Sustulit tergo, medioq; iactum
Fecit in ponto: tenuit querelas
Et vir, & Pyrrha, mare cùm viderent,
Et nihil præter mare cùm viderent,
Vnici terris homines relicti.
Soluet hunc questum, lachrymasq; nostras
Sparget huc illuc agitata classis.
Et tubâ iussi dare vela nautæ,
Cùm semel ventis properante remo
Prenderint altum, fugientq; litus.
Quis status mentis miseris, vbi omnis
Terra decrescet, pelagusq; crescet,
Celsa cùm longè latitabit Ide:
Tum puer matri, genitrixq; gnato,
Troia qua iaceat regione monstrans
Dicet, & longè digito notabit:
Ilium est illic, vbi fumus altè
Serpit in cælum, nebulæq; turpes.
Troes hoc signo patriam videbunt.

ACTVS

1013 *Gaudet.* tractat eleganter & copiosè vulgatissimum illud; Solatium est miseris socium habere in pœnis. Item, Mala communia leuius tangunt. Sumta occasione eius, quod Helena dixerat;

—— vos leuat tanti mali
Comitatus, in me victus & victor furit.

1019 *Remoueto centum.* simili in re hunc numerum Horatius posuit;

Te greges centum, Siculæq; circum
Mugiunt vaccæ ——

& Virgilius de Galeso;

Terram centum vertebat aratris,

quia numerorum perfectissimus. vide Iulianum epist. ad Serapionem.

1021 *Animi iacentes.* membranæ continent; *animi recentes.*

1026 *Rate singulari.* vnica & sola, vel, vt Plautus loquitur, singula; vel, vt Turpilius, singularia.

1036 *Iactum Fecit.* iecit. Paullus lib. 2. recept. sentent. si leuandæ nauis gratia iactus mercium factus est. Callistratus etiam, non infimæ auctoritatis I.C. lib. 2. quæstionum: cùm autem iactus de naue factus est. Quod Paullus & Callistratus facere iactum, hoc Iulianus, in quem Marcellus & Paullus notas scripsere, dixit, proiicere, lib. 2. ad Minicium his verbis: qui leuandæ nauis gratia res aliquas proiiciunt. Hæc Iurisconsultorum testimonia ex lib. 14. Pandectarum seu Digestorum tit. 11. desumsi: quibus congruit illud Senecæ patris lib. 4. declamation. Necessitas est, quæ nauigia iactu exonerat.

1038 *Et vir.* Deucalion Promethei filius iuxta Hellanicum, Hesiodũ, & Apollonium.

Pyrrha. Epimethei filia, auctore Proclo in Hesiodicis enarrationib. de qua & isto diluuio multa Natalis lib. 8. Mytholog. cap. 17.

1039 *Et nihil præter mare cùm viderent.* nullum vidi co. m. s. vidi autẽ multos, in quo iste versus haberetur, sed aberat ab omnibus.

1043 *Tuba.* imitatur Euripidem, qui in Rhœso,

πόνους δ' ἔχοντας χρὴ μένειν Τυρσηνικῆς
σάλπιγγος αὐδὴν.

& in Heraclidis;

—— ἐσήμην' ὄρθιον Τυρσηνικῇ
σάλπιγξ.

Sophoclis tamen & Euripidis scholiastæ tradiderunt neque Græcos neq; Barbaros Troiani belli tempore tuba visos fuisse; quibus Euripides & Seneca, vt videtis, alij etiã poëtę repugnant. vide Comm. Agamemn. ver. 424.

1045 *Fugientq; litus.* vnus manuscr. habet *fugietq;.* sanè è portu soluentibus ac altum petentibus litus recedere; contra ex alto por-

ACTVS QVINTVS.

NVNCIVS. ANDROMACHA. HECVBA.

NVN. *O dira fata, sæua, miseranda, horrida!*
Quod tam ferum, tam triste, bis quinis scelus
Mars vidit annis? quod prius referens gemam?
Tuósne potiùs, an tuos luctus, anus?
HEC. *Quoscunque luctus fleueris, flebis meos,*
Sua quenque tantùm, me omnium clades premit.
Mihi cuncta pereunt. quisquis est, Hecubæ est miser.
NV. *Mactata virgo est, missus è muris puer:*
Sed vterque lethum mente generosa tulit.
AN. *Expone seriem cædis, & duplex nefas*
Prosequere: gaudet animus ærumnas meus
Tractare totas: ede, & enarra omnia.
NVN. *Est vna magnâ turris è Troiâ super,*
Assueta Priamo; cuius è fastigio
Summisq́ pinnis, arbiter belli sedens
Regebat acies: turre in hac blando sinu
Fouens nepotem, cùm metu versos graui
Danaos fugaret Hector & ferro & face,
Paterna puero bella monstrabat senex.
Hæc nota quondam turris, & muri decus,
Nunc sæua cautes, vndique effusâ ducum
Plebisq́ turbâ cingitur. totum coit
Ratibus relictis vulgus. his collis procul
Aciem patenti liberam præbet loco:
His alta rupes; cuius è cacumine
Erecta summos turba librauit pedes:
Hunc pinus, illum laurus, hunc fagus gerit,
Et tota populo silua suspenso tremit.
Extrema montis ille prærupti petit,
Semusta at ille tecta, vel saxum imminens
Muri cadentis pressat: atque aliquis (nefas)
Tumulo ferus spectator Hectoreo sedet.
Per spacia latè plena sublimi gradu
Incedit Ithacus, paruulum dextrâ trahens
Priami nepotem: nec gradu segni puer
Ad alta pergit mœnia: vt summâ stetit
Pro turre; vultus huc & huc acres tulit,
Intrepidus animo: qualis ingentis feræ
Paruus tenerq́ fœtus, & nondum potens
Sæuire dente, iam tamen tollit minas,

tui appropinquantibus, idem accedere videtur. Vnde Virgilius libro 3. Aeneid.

Prouehimur portu, terræq́ vrbesq́ recedunt.

Lucretius lib. 4. de rerum natura;

Qua vehimur naui fertur, cùm stare videtur;
Quæ manet in statione, ea præter creditur ire,
Et fugere ad puppim colles campíque videntur,
Quos agimus præter nauim, velisq́ volamus.

Seneca alibi;

—— terra procul
Quantum recedunt vela fugientes notat.

1060 *Sua quemque tantum, &c.* num istud sumsit ex Sophocle in OEdipo Tyranno,

—— καὶ νοσοῦντες ὡς ἐγὼ
οὐκ ἔστιν ὑμῶν ὅστις ἐξ ἴσου νοσεῖ.
τὸ μὲν γὰρ ὑμῶν ἄλγος εἰς ἓν ἔρχεται
μόνον καθ᾽ αὑτὸν, κ᾽ οὐδέν᾽ ἄλλον· ἡ δ᾽ ἐμὴ
ψυχὴ πόλιν τε κἀμὲ καὶ σ᾽ ὁμοῦ στένει.

1068 *Cuius è fastigio.* de turri Scææ portæ loquitur: è qua Priamus vnà cum senioribus vtrumque exercitum contemplatur. Iliad. γ'.

Morsuq; inanes tentat, atque animis tumet:
Sic ille dextrâ prensus hostili puer
Ferox, superbè mouerat vulgum, ac duces,
Ipsumq; Vlyssem: non flet è turba omnium,
Qui fletur: ac dum verba fatidici, & preces
Concipit Vlysses vatis, & sæuos ciet
Ad sacra superos; spontè desiluit suâ
In media Priami regna.
AN. *Quis Colchus hoc, quis sedis incerta Scytha*
Commisit? aut quæ Caspium tangens mare
Gens iuris expers ausa? non Busiridis
Puerilis aras sanguis aspersit feri.
Nec parua gregibus membra Diomedes suis
Epulanda posuit. quis tuos artus teget,
Tumuloq; tradet? NVN. *quos enim præceps locus*
Reliquit artus? ossa disiecta & graui
Elisa casu, signa clari corporis,
Et ora, & illas nobiles patris notas
Confudit imam pondus ad terram datum.
Soluta ceruix, silicis incussu caput
Ruptum, cerebro penitus expresso, iacet
Deforme corpus. AN. *hic quoque est similis patri.*
NVN. *Præceps vt altis cecidit è muris puer,*
Fleuitq; Achiuûm turba, quod fecit, nefas.
Idem ille populus aliud ad facinus redit,
Tumulumq; Achillis; huius extremum latus
Rhætea leni verberant fluctu vada:
Aduersa cingit campus, & cliuo leui
Erecta medium vallis includens locum
Crescit theatri more: concursus frequens
Impleuit omne litus: hi classis moras
Hac morte solui rentur; hi stirpem hostium
Gaudent recidi: magna pars vulgi leuis
Odit scelus, spectatq;: nec Troes minus
Suum frequentant funus, & pauidi metu
Partem ruentis vltimam Troiæ vident.
Cùm subitò, thalami more, præcedunt faces.
It pronuba illi Tyndaris, mæstum caput
Demissa. tali nubat Hermione modo,
Phryges precantur; sic viro turpis suo
Reddatur Helena. terror attonitos mouet
Vtrosq; populos. ipsa deiectos gerit
Vultus pudore, sed tamen fulgent genæ,
Magisq; solito splendet extremus decor.

1101 *Dissiluit.* o.v.l. *desiluit.* melius.

1112 *Nobilis.* o.m.f. *nobiles patris notas.*

1115 *Cerebro penitus expresso.* si quis contenderet hoc loco Senecã parum decori meminisse, ex eo quod scribit Euripid. in Troad.

ὃν πόλλ' ἐκήπευσ' ἡ τεκοῦσα βόστρυχον,
φιλήμασίν τ' ἔδωκεν. ἔνθεν ἐκγελᾷ,
ὀστέων ῥαγέντων, φόνος, ἵν' αἰσχρὰ μὴ λέγω.

& quia Apollodorus, teste Athenæo lib. 2. c.27. tradidit, nullum antiquorum nominasse cerebrum: dicerem me Apollodoro non credere, & Senecam id aliorum, atque ipsius etiam Euripidis exemplo fecisse. ait Euripides, in Cyclope;

τὸν δ' αὖ τένοντος ἁρπάσας ἄκρου ποδὸς,
παίων πρὸς ὀξὺν στόνυχα πετραίου λίθου,
ἐγκέφαλον ἐξέρρανε.

Sophocles, in Trachiniis;

κόμης δὲ λευκὸν μυελὸν ἐκραίνει μέσου
κρατὸς διασπαρέντος αἵματός θ' ὁμοῦ.

Virgil. 8. Aeneid.

—— atque arma cruenta cerebro
Sternit humi moriens ——

Ouid. 12. Metamorph.

Perq; cauas nares, auresq; oculosq; cerebrum
Molle fluit: veluti concretum vimine querno
Lac solet, vtúe liquor rari sub pondere cribri
Manat, & exprimitur per densa foramina succus.

Silius Italicus lib. 9.

—— concreta cruento
Per nares cerebro sanies fluit ——

Seneca, in Hercule Furente;

—— cerebro terra dispersa madet.

Aurel. Prudentius;

O barbarum spectaculum,
Illisa ceruix cautibus
Spargit cerebrum lacteum.

1116 *Similis patri.* quia pater raptatus toto corpore lacer fuit.

1133 *Hermione face.* in o.v.l. scriptum inuenio; *Hermione modo.*

Vt esse Phœbi dulcius lumen solet
Iam iam cadentis, astra cùm repetunt vices,
Premiturq́ dubius nocte vicinâ dies.
Stupet omne vulgus, & ferè cuncti magis
Peritura laudant: hos mouet formæ decus,
Hos mollis ætas, hos vagæ rerum vices:
Mouet animus omnes fortis, & letho obuius.
Pyrrhum antecedit: omnium mentes tremunt,
Miserentur, ac mirantur. vt primum ardui
Sublime montis tetigit, atque altè editus
Iuuenis paterni vertice in busti stetit;
Audax virago non tulit retrò gradum,
Conuersa ad ictum stat truci vultu ferox.
Tam fortis animus omnium mentes ferit:
Nouumq́ monstrum est, Pyrrhus ad cædem piger.
Vt dextrâ ferrum penitus exactâ abdidit,
Subditus receptâ morte prorupit cruor,
Per vulnus ingens. nec tamen moriens adhuc
Deponit animos. cecidit, vt Achilli grauem
Factura terram, prona, & irato impetu.
Vterq́ fleuit cœtus: at timidum Phryges
Misere gemitum. clarius victor gemit.
Hic ordo sacri. non stetit fusus cruor,
Humóve summâ fluxit: abduxit statim,
Sæuusq́ totum sanguinem tumulus bibit.
HEC. *Ite, ite Danai, petite iam tuti domos,*
Optata velis maria diffusis secet
Secura classis: concidit virgo, ac puer.
Bellum peractum est. quò meas lachrymas feram?
Vbi hanc anilis expuam lethi moram?
Gnatam, an nepotem, coniugem, an patriam fleam?
An omnia? an me? sola mors votum meum,
Infantibus violenta, virginibus venis,
Vbicunque properas, sæua: me solam times,
Vitasq́ gladios inter, ac tela & faces;
Quæsita totâ nocte cupientem fugis.
Non hostis, aut ruina, non ignis meos
Absumsit artus. quàm propè à Priamo steti?
NVN. *Repetite celeri maria captiuæ gradu,*
Iam vela puppis laxat, & classis mouet.

1150 *Virago.* virilis animi virgo. sic in Hippolyto Dianam, sic in Agamemnone Cassandram appellat. sic Iuturna apud Virgiliũ 12. Aeneid. Pallas apud Ouidium. 6. Metamorph. & Statium lib. 4. Siluar. & Bellona apud Ausonium in Epigram. 1. de Augusto, viragines dicuntur. Iulij Firmici locos lib. 6. & 8 Astron. vbi *virago* videtur *virosam* significare, idque nonnulli autumant, potiùs mendosos suspicor. minimo enim negotio, cùm malè scriptum foret, *viroga* pro *virosa*, potuit *virago* perperam scribi.

1153 *Pyrrhus ad cædem piger.* hoc Euripides prior his verbis expressit:

ὁ δ' οὐ θέλων τε καὶ θέλων οἴκτῳ κόρης
τέμνει σιδήρῳ πνεύματος διαρροάς.

1157 *Cecidit.* Euripides & Ouidius sollicitam faciunt, ne quid inter cadendum astantium oculis aperiretur, quod natura tectum voluit. Euripides.

—— ἡ δὲ καὶ θνῄσκουσ' ὅμως
πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχήμως πεσεῖν,
κρύπτειν θ' ἃ κρύπτειν ὄμματ' ἀρσένων χρεών.

Ouidius:

Tunc quoque cura fuit partes velare pudendas
Cùm caderet, castique decus seruare pudoris.

De aliis quoque mulieribus id traditum est ab aliis; de Lucretia Ouidius 2. Fast. de Micça Aristodemi filia Plutarchus in lib. de claris mulieribus. Olympiade Alexandri matre Iustinus libro 14. & Cornelia vestali Plinius Cæcilius lib. 4. epistolar. Vide Magium lib. 2. miscel. cap. vlt.

1166 *Concidit virgo.* ab aliis Philostratus dissentit, scribens Polyxenam, stante Troia, Achillis desiderio egressam vrbe ad ipsius tumulum mortem sibi consciuisse. credo vt à Græcis tantæ crudelitatis notam amoueret.

1168 *Anilis expuam lethi moram.* Prudẽt.
Absoluas precor, Optime,
Huius nunc animæ moras.
Expuam. ita loquitur Varro περὶ ἐξαγωγῆς: Andromeda vincta & proposita Ceto, debuit patri suo, homini stupidissimo, in os exspuere vitam. Seneca Thyeste;
Ferro peremtus spiritum inimicum expuat.
Sed & Merlinus Cocalius, Macaronicorum poëmatum princeps, Baldi lib. 18. id vsurpauit.

L. ANN.

ADVERSARIA IN AGAMEMNONEM.

AGAMEMNON. Agamemnones tragœdias scripserunt Ion & Aeschylus; è quo tamen pauca noster fuit mutuatus. Nonius citat L. Pomponij, Agamemnonem suppositum, sed illa vel comœdia vel sanè hilarotragœdia fuit. à Latinis Grammaticis nonnullæ tragœdiæ nominantur, quibus venit aliquando mihi in mentem suspicari, huius fabulæ materiam fuisse tractatam: ex hoc numero sunt Attij Aegisthus, Agamemnonides, Clytæmnestra; Liuij Andronici Aegisthus; Næuij Aegisthus, & similes.

L. ANN. SENECÆ Agamemnon.

TRAGOEDIA IX.

PERSONÆ.

Thyestes.	Eurybates.
Clytæmnestra.	Cassandra.
Nutrix.	Agamemnon.
Ægisthus.	Electra.
Chorus.	Strophius.

ACTVS PRIMVS.

THYESTES.



PACA *linquens Ditis inferni loca,*
Adsum profundo tartari emissus specu,
Incertus vtras oderim sedes magis.
Fugio Thyestes inferos, superos fugo.
En horret animus, & pauor membra excutit,
Video paternos, imo fraternos lares:
Hoc est vetustum Pelopeæ limen domus.
Hinc auspicari regium capiti decus
Mos est Pelasgis. hoc sedent alti toro;
Quibus superbâ sceptra gestantur manu.
Locus hic habendæ curiæ, hîc epulis locus.
Libet reuerti. nónne vel tristes lacus
Incolere satius? nónne custodem Stygis
Trigemina nigris colla iactantem iubis?
Vbi ille celeri corpus euinctus rotæ
In se refertur: vbi per aduersum irritus
Redeunte toties luditur saxo labor:
Vbi tondet ales auida fœcundum iecur,
Et inter vndas feruidâ exustus siti
Aquas fugaces ore decepto appetit,
Pœnas daturus cælitum dapibus graues.
Sed ille nostræ pars quota est culpæ senex?
Repetamus omnes, quos ob infandas manus
Quæsitor vrna Cnossius versat reos:
Vincam Thyestes sceleribus cunctos meis,

Afra-

14 *Trigemina.* o. v. l. *tergemina.*
15 *Corpus euinctus.* malè in quibusdam membranis, *deuinctus*, vel *reuinctus.*
23 *Reputemus.* m. s. cod. continêt *repetamus.*

A fratre vincar liberis plenus tribus
In me sepultis. viscera exedi mea.
Nec hactenus fortuna maculauit patrem:
Sed maius aliud ausa commisso scelus;
Natæ nefandos petere concubitus iubet.
Non pauidus hausi dicta, sed cœpi nefas.
Ergo vt per omnes liberos irem parens
Coacta fatis nata fert vterum grauem,
Me patre dignum. versa natura est retro:
Auo parentem, (prò nefas) patri virum,
Natis nepotes miscui, nocti diem.
Sed sera tandem respicit fessos malis
Post facta demum sortis incestæ fides.
Rex ille regum, ductor Agamemnon ducum,
Cuius secutæ mille vexillum rates,
Iliaca velis maria texerunt suis;
Post bina Phœbi lustra, deuicto Ilio,
Adest, daturus coniugi iugulum suæ.
Iam iam natabit sanguine alterno domus.
Enses, secures, tela, diuisum graui
Ictu bipennis regium video caput.
Iam scelera propè sunt, iam dolus, cædes, cruor.
Parantur epulæ. causa natalis tui
Ægysthe vênit. quid pudor vultus grauat?
Quid dextra dubio trepida consilio labat?
Quid ipse temet consulis, torques, rogas;
An deceat hoc te? respice ad matrem: decet.
Sed cur repentè noctis æstiuæ vices
Hyberna longâ spacia producunt morâ?
Aut quid cadentes detinet stellas polo?
Phœbum moramur. redde iam mundo diem.

CHORVS.
Anapæstici.

O Regnorum magnis fallax “
Fortuna bonis, in præcipiti “
Dubioq; nimis excelsa locas. “
Nunquam placidam sceptra quietem, “
Certúmve sui tenuere diem. “
Alia ex aliâ cura fatigat,
Vexatq; animos noua tempestas.
Non sic Lybicis Syrtibus æquor
Furit alternos voluere fluctus,

30 *Nata.* Pelopeiæ.

41 *Velis maria texerunt.* Ingens hyperbole. sic infrà actu 3.
Splendetq; classe pelagus & pariter latet.
& Octauiæ actu 1.
Ignota tantis classibus texit freta.

53 *Noctis æstiuæ vices Hyberna longa spacia producunt mora:* æstiuæ noctes hybernis natura breuiores sunt. Ouidius volens rem impossibilem significare, ait lib. 2. de Ponto;
Longa dies citior brumali tempore, noxq;
Tardior hyberna solstitialis erit.
inter horas quoque æstiuas & hybernas magnum discrimen est longitudinis; qua de re vide Pierium Valerianum in compendio sphæræ cap. 17. Cælium Chalcagninum, & Ioan. Brechæum ad l. 2. §. cuiusque diei, D. de verb. signific.

64 *Libycis Syrtibus.* Lucanus:
Reppulit à Lybicis immensum Syrtibus æquor.

Non

l

Non Euxini turget ab imis
Commota vadis vnda, niuali
Vicina polo; vbi cæruleis
Immunis aquis lucida versat
Plaustra Bootes;
Vt præcipites regum casus
Fortuna rotat. metui cupiunt,
Metuiq́; timent: non nox illis
Alma recessus præbet tutos,
Non curarum somnus domitor
Pectora soluit.
Quas non arces scelus alternum
Dedit in præceps? impia quas non
Arma fatigant? iura, pudorq́;,
Et coniugij sacrata fides,
Fugiunt aulas. sequitur tristis
Sanguinolentâ Bellona manu,
Quæq́; superbos vrit Erinnys,
Tumidas semper comitata domos:
Quas in planum qualibet hora
Tulit ex alto. licet arma vacent,
Cessentq́; doli, sidunt ipso
Pondere magna, ceditq́; oneri
Fortuna suo.
Vela secundis inflata notis,
Ventos nimium timuere suos.
Nubibus ipsis inserta caput
Turris pluuio vapulat austro,
Densasq́; nemus spargens vmbras
Annosa videt robora frangi.
Feriunt celsos fulmina colles.
Corpora morbis maiora patent.
Et cùm in pastus armenta vagos
Vilia currant; placet in vulnus
Maxima ceruix. quicquid in altum
Fortuna tulit, ruitura leuat.
Modicis rebus longius æuum est.
Felix, mediæ quisquis turbæ
Parte quietus, aurâ stringit
Litora tutâ, timidusq́; mari
Credere cymbam, remo terras
Propiore legit.

75 *Non curarum somnus domitor Pectora soluit.* elegâter pectus vel animus curis solui dicitur. inde solutus, liber & vacuus. Lucret.

—— animi curas è pectore soluat.

Euripides: σὺ νῦν χάριν μοι τὸν φόβον λύσασα δός. Varro περὶ ἐξυθλίων.

Non fit thesaurus, non auro pectu' solutũ,
Non animis demunt curas aut religiones,
Persarum montes, non atria diuitî Crassi.

verũ, vt hoc loco noster ait, hoc somnus præstat. vnde Themistius: ὅτι τῶν περὶ ἡμᾶς παθῶν ὁ ὕπνος ἥδιστον ἐστί. στρατιῶται μὲν γὰρ αἴσθησιν ἀλγηδόνος πᾶσι σβέννυσι διὰ τὴν ἡδονὴν, πολλοῖς τῆς οἰκείας κατεγνωσμένης· ἐπείπερ τῶν ἄλλων ἐπιθυμιῶν κρατεῖ, κἂν ὦσι σφοδρότεραι. Horum effectuum causam pete à Plutarcho li. 5. de placit philosophor. cap. 24. & Aristot. lib. de somn. & vigilia.

96 *Feriunt celsos fulmina colles,* &c. Lucret.

Inuidia quoniam, seu fulmine, summa vaporant
Plerumque & quæ sunt aliis magis edita cunque,

Horatius, quem Seneca imitatur;

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celsæ grauiore casu
Decidunt turres, feriúntque summos
Fulmina montes.

P. Syrus;

Excelsis multo facilius casus nocet.

Herodotus, in Polymnia; ὁρᾷς ὡς τὰ ὑπερέχοντα ζῷα κεραυνοῖ ὁ θεὸς, οὐδὲ ἐᾷ φαντάζεσθαι· τὰ δὲ σμικρὰ οὐδέν μιν κνίζει· ὁρᾷς δὲ ὡς ἐς οἰκήματα τὰ μέγιστα ἀεὶ καὶ δένδρεα, τὰ τοιαῦτα ἐπισκήπτει βέλεα. φιλέει γὰρ ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα κολούειν &c. In hanc sent. multa vlt. chorus Hippolyti.

102 *Modicis rebus longius æuum est.* huius chori sententia fortè desumta est ex quodam fragmento Apollodori.

τὰ μεγάλα δῶρα, τῆς τύχης ἔχει φόβον·
καὶ τὸ πάνυ λαμπρὸν οὐκ ἀκίνδυνον κυρεῖ·
οὐδ' ἀσφαλὲς πᾶν ὕψος ἐν θνητῷ γένει,
ὃ περιέτρεψεν ἢ χρόνος τις, ἢ φθόνος,
ἐπὰν ἐπ' ἄκρον τοῦ καλῶς πράττειν δράμῃ.
ἡ δὲ μεσότης ἐν πᾶσιν ἀσφαλεστέρα.
τοῦ μήτε λίαν ἐν ταπεινῷ τῆς ψυχῆς
μέρει φέρεσθαι, μήτ' ἐν ὑψηλῷ πάλιν.
κἂν γὰρ πέσῃ τις ἐξ ἐλάττονος μέτρου,
οὐ περικάλυπτον ἔχει τὴν δυσπραξίαν.
ὄγκου δὲ μεγάλου πτῶμα γίνεται μέγα·
περὶ γὰρ τὸ λαμπρὸν ὁ φθόνος βιάζεται,
σφάλλει δ' ἐκείνους, οὓς ἂν ὑψώσῃ τύχη.

ACTVS

ACTVS SECVNDVS.

CLYTAEMNESTRA. NVTRIX.

CLY. *Quid segnis anime tuta consilia expetis?*
Quid fluctuaris? clusa iam melior via est.
Licuit pudicos coniugis quondam toros,
Et sceptra castâ vidua tutari fide.
Periere mores, ius, decus, pietas, fides;
Et qui redire, cùm perit, nescit pudor. “
Da frena, & omnem prona nequitiam incita.
Per scelera semper sceleribus tutum est iter. “
Tecum ipsa nunc euolue femineos dolos.
Quod vlla coniux perfida, atque impos sui,
Amore caeco; quod nouercales manus
Ausae; quod ardens impiâ virgo face,
Phasiaca fugiens regna Thessalicâ trabe;
Ferrum, venena: vel Mycenaea domo,
Coniuncta socio, profuge furtiua rate.
Quid timida loqueris furta, & exsiliũ, & fugas?
Soror ista fecit: te decet maius nefas.
NVT. *Regina Danaûm, & inclytum Ledae genus,*
Quid tacita versas? quidve consilij impotens
Tumido feroces impetus animo geris?
Licet ipsa sileas, totus in vultu est dolor.
Proin quicquid est, da tempus ac spacium tibi.
Quod ratio nequiit, saepe sanauit mora. “
CLY. *Maiora cruciant, quàm vt moras possim pati.*
Flammae medullas & cor exurunt meum,
Mistus dolori subdidit stimulos timor:
Inuidia pulsat pectus: hinc animum iugo
Premit Cupido turpis, & vinci vetat.
Et inter istas mentis obsessae faces;
Fessus quidem, & deiectus, & pessundatus
Pudor rebellat. fluctibus variis agor:
Vt, cùm hinc profundum ventus, hinc aestus rapit,
Incerta dubitat vnda, cui cedat malo.
Proinde omisi regimen è manibus meis:
Quocunque me ira, quò dolor, quò spes feret,
Huc ire pergam. fluctibus dedi ratem.
Vbi animus errat, optimum est casum sequi “
NV. *Caeca est temeritas, quae petit casum ducem.* “
CLY. *Cui vltima est fortuna, quid dubium timet?*
NV. *Tuta est, latetq́ culpa, si pateris, tua.*
CLY. *Perlucet omne regiae vitium domus.*

120 *Thessalica trabe.* sic Horatius ode 1. Cypriam trabem dixit.

137 *Deiectus.* in v. l. est deuictus.

143 *Dedi ratem.* membranae continent *dedam ratem.*

146 *Cui vltima est fortuna.* cuius ita se res habent, illi vt pessima fortuna, hoc est, grauissimae miseriae sint subeundae; sic vltimum sumitur. Cicero lib. 3. de finibus bonorum & malorum; eorum dico qui summum bonum, quod vltimum appellant, in animo reponerent. Seneca;

—— vltimum est nuptae malum
Palam mariti possidens pellex domum.

148 *Perlucet omne regiae vitium domus.* id ipsum sensit Cl. Claudianus, poëta prudentissimus;

—— te totius medio telluris in orbe
Viuere cognoscas; cunctis tua gentibus esse
Facta palam; nec posse dari regalibus vnquam
Secretum vitiis. nam lux altissima fati
Occultum nihil esse sinit, latebrasq́ per omnes
Intrat & obstrusos explorat fama recessus.

NV. *Piget prioris, & nouum crimen struis?*
CLY. *Res est profectò stulta, nequitiæ modus.*
NV. *Quod meruit, auget, qui scelus sceleri obruit.*
CLY. *Et ferrum & ignis sæpe medicinæ loco est.*
NV. *Extrema primo nemo tentauit loco.*
CLY. *Capienda rebus in malis præceps via est.*
NV. *At te reflectat coniugis nomen sacrum.*
CLY. *Decem per annos vidua respiciam virum?*
NV. *Meminisse debes sobolis ex illo tuæ.*
CLY. *Equidem & iugales filiæ memini faces,*
Et generum Achillem: præstitit matri fidem.
NV. *Redemit illa classis immotæ moras,*
Et maria pigro fixa languore impulit.
CLY. *Pudet, pigetq́, Tyndaris cæli genus,*
Lustrale classi Doricæ peperit caput.
Reuoluit animus virginis thalamos meæ,
Quos ille dignos Pelopeâ fecit domo:
Cùm stetit ad aras ore sacrilego pater
Quasi nuptiales. horruit Calchas suæ
Responsa vocis, & recedentes focos.
O scelera semper sceleribus vincens domus!
Cruore ventos emimus, bellum nece.
NV. *Sed vela pariter mille fecerunt rates.*
CLY. *Non est soluta prospero classis Deo.*
Eiecit Aulis impias portu rates.
Sic auspicatus bella, non melius gerit.
Amore captæ captus, immotus prece
Smynthea tenuit spolia Phœbei ducis,
Ardore sacræ Virginis iam tum furens.
Non illum Achilles flexit indomitus minis,
Non ille solus fata qui mundi videt,
In nos fidelis augur, in captas leuis:
Non populus æger, & relucentes rogi,
Inter ruentis Græciæ stragem vltimam
Sine hoste victus marcet, ac Veneri vacat,
Reparatq́ amores: néve desertus foret
A pellice vnquam barbarâ cælebs torus,
Ablatam Achilli diligit Briseida:
Nec rapere puduit è sinu vulsam viri.
En Paridis hostem. nunc nouum vulnus gerens
Amore Phrygiæ vatis incensus furit:
Et post trophæa Troica, ac versum Ilium,
Captæ maritus remeat, & Priami gener.
Accingere anime, bella non leuia apparas:

Scelus

151 *Scelus scelere obruit.* in antiq. lib. legitur *scelus scelere obstruit.*

156 *Vidua.* de hac voce suprà in Hippolyth. & in Troadib. plura diximus.

158 *Filia.* Iphigeniæ. Euripides in Iphigenia priore.

170 *Cruore ventos emimus.* Virg. Aen. 2.
Sanguine placastis ventos & virgine cæsa.

176 *Phœbai ducis.* Chrysæ Apollinis sacerdotis. Iliad. ά.

177 *Iam tum.* vt nunc rursus Cassandræ.

178 *Indomitus.* talem nobis Achillem Homerus vbique, & Horat. in epist. ad Pisones de arte poëtica depingunt. posset etiam legi *indomitum,* vt ad Agamemnonem referas.

179 *Solus fata qui mundi videt.* Calchas, Homerus Iliad. ά:
Κάλχας Θεστορίδης οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος,
ὃς ᾔδη τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα.

180 *In nos fidelis augur.* quia statim illi Agamemnon credidit, vt Iphigeniam Dianæ sacrificandam dixit.

In captas leuis. quia cùm Chryseida reddi debere fateretur, mox Agamemnon illius fidem his verbis eleuauit;
μάντι κακῶν &c. Iliad. ά.

181 *Relucentes rogi.* de hac peste eodem loco ait Homerus;
—— αἰεὶ δὲ πυραὶ νεκύων καίοντο θαμειαί.

182 *Græcia.* huius Troianæ expeditionis poëtæ semper ita meminerunt, veluti si illi tota Græcia interfuisset. Sed refragatur Artemidorus inquiens: *μόνοι οἱ Θηβαῖοι τῶν Βοιωτῶν οὐκ ἐστρατεύσαντο εἰς Ἴλιον.* verum fortè voluit Homerus eos etiam ad Ilium pugnasse: siquidem in nauium catalogo, hos inter Bœotios enumerat, Iliad. β'.
οἳ δ' Ὑποθήβας εἶχον ἐϋκτίμενον πτολίεθρον.

188 *Hem Paridis hostem.* mihi verò, quia dicendum est, cum o v. l. & excusis ferè omnibus placet legi *En Paridis hostē,* δεικτικῶς.

193 *Scelus occupandum est.* antequam Agamemnon me interficiat, tollendus ipse è medio. ea est vis verbi, occupo. sic sumitur Thyestes actu 2. & Hercule OEtæo actu 2. Sic accipi docet Nonius Marcellus, apud quem, vestigia membranarum secutus, Pacuuij testimonium ex Dulorgste sic lego; Vlysses est, quem, si occupas, letho dabis.

Scelus occupādum est. pigra quem exspectas diem?
Pelopea Phrygiæ sceptra dum teneant nurus?
An te morantur virgines viduæ domi,
Patrique Orestes similis? horum te mala
Ventura moueant, turbo quis rerum imminet.
Quid misera cessas? en adest natis tuis
Furens nouerca. per tuum, si aliud nequit,
Latus exigatur ensis, & perimat duos.
Misce cruorem. perde pereundo virum.
Mors misera non est, commori quicum velis.
NV. *Regina frena temet, & siste impetus,*
Et, quanta tentas, cogita: victor venit
Asiæ ferocis, vltor Europæ, trahens
Captiua pergama, & diu victos Phrygas.
Hunc fraude nunc conaris insana aggredi;
Quem non Achilles ense violauit fero,
Quamuis procacem toruus armasset manum;
Non melior Aiax morte decretâ furens,
Non sola Danais Hector, & bello mora;
Non tela Paridis certa, non Memnon niger;
Non Xanthus armis corpora immistis gerens;
Fluctusque Simois cæde purpureos agens;
Non niuea proles Cycnus æquorei dei;
Non bellicoso Thressa cum Rhæso phalanx;
Non picta pharetras, & securigerâ manu
Peltata Amazon. hunc domi reducem paras
Mactare, & aras cæde maculare impiâ?
Vltrix inultum Græcia hoc facinus feret?
Equos & arma, classibusque horrens fretum
Propone, & alto sanguine exundans solum,
Et tota captæ fata Dardaniæ domus
Regesta Danais. comprime affectus truces,
Mentemque tibimet ipsa pacifica tuam.

ÆGI-

195 *Virgines viduæ.* loquitur Clytæmnestra de suis & Agamemnonis filiabus. ideo ridiculus est Ferandus Adduensis lib. 1. explicationum c. vlt. existimans hic viduas dici virgines, quę matre carēt. viuebat enim Clytæmnestra, ac ipsamet loquitur.

201 *Perde pereundo.* talis traductio est illa Catulli;

Dux bonæ virginis boni Cōiugator amoris.
apud Senecam huiusmodi traductiones vigintiquinque possem ostendere, apud Aeschylum quoque complures inuenio.

" 202 *Commori qui cum velis.* quid si legas? *commori quo cum velis.* sic loquitur auctor Epitomarum Liuianarum lib. 2. quas nos quoque fuimus conati restituere. (exstant in Plantiniana editione. nam qui iteratò Solinum edidit, ea omnia me incōsulto reliquit, largus alieni laboris, nec bono exemplo) in acie cum Arunte filio Superbi commortuus est. videntur pro, *quo cum*, qui hanc phrasim non intelligebant, *qui cum*, reposuisse.

208 *Quem non Achilles.* Homerus Iliad. ά. narrat Achillem gladium strinxisse, vt Agamemnonē occideret, sed Palladis interuentu se abstinuisse: quo monemur iram ratione temperare.

209 *Procacem.* cædis appetentem. nam *procax* est petax, teste Donato, in Terentij Hecyram actu 2. *procari* enim nihil aliud significat, quàm impudenter petere, auctore Nonio Marcello. inde *procacitas*, immodicè petendi vitium, seu immensa lucrandi cupiditas; quam, *procaciam*, vocant Imperatores in l. si traditio, C. de action. empt. vbi factū erat venditoris procacia, ne res tradi posset. *procacia*, hoc est immodica lucri appetentia, quia videlicet venditor non contentus vni vendidisse, maioris lucri causa, secundo vendidit, & tradidit. quæ fortassis vera est l. illius interpretatio: quod si verum sit, vtique hac lege non confirmaretur Ioannis, Bulgari, Azonis, Zazij, Aleiati, & aliorum sentētia, putantium venditorē non teneri præcisè ad rei traditionē, sed pręstatione eius quod interest liberari.

210 *Melior Aiax.* melior, non Achillis, sed Aiacis Oïlei respectu. quod confirmat Homerus;

Λοκρῶν δ' ἡγεμόνευε Ὀϊλῆος ταχὺς Αἴας
μείων, οὔ τι τόσος γε ὅσος Τελαμώνιος Αἴας,
ἀλλὰ πολὺ μείων ——

Morte decreta. hoc est, vt ait Horatius de Cleopatra, deliberata morte.

Furens. vide Sophoclem ἐν τῷ μαστιγοφόρῳ, & Ouidium 13. Metamorph.

212 *Memnon niger.* Virgilius;
—— *nigri Memnonis arma.*

213 *Xanthus.* Homerus Iliad. φ'

215 *Niuea proles Cygnus.* m. l. *vnica.* quod non placet. *niuea*, dicit propter candidam cæsariem.

Æquorei Dei. Neptuni. additum ad differentiam alterius Cycni, Martis filij, ab Hercule superati, de quo Hesiodus in fragmento Oearum, de Herculis scuto.

216 *Thressa cum Rhæso.* vide Rhesum tragœdiam incerti auctoris, quæ vulgò perperam Euripidi ascribitur, & nos vulgus secuti sic eam sæpe citauimus, & Homerum Iliad. κ'.

218 *Peltata Amazon.* Penthesilæa. consule Q. Smyrnæum, quem non vulgus tantum, sed & doctiores nonnulli Q. Calabrum appellant. non benè.

ÆGISTHVS. CLYTÆMNESTRA.

AE. *Quod tempus animo semper ac mente horrui,*
Adest profectò rebus extremum meis.
Quid terga vertis anime? quid primo impetu
Deponis arma? crede perniciem tibi,
Et dira sæuos fata moliri deos:
Oppone meritis vile suppliciis caput,
Ferrumq́, & ignes pectore aduerso excipe.
CLY. *Ægisthe non est pœna sic nato mori.*
AEG. *Tu nos pericli socia, tu Ledâ sata*
Comitare tantum. sanguinem reddet tibi
Ignauus iste ductor, ac fortis pater.
Sed quid trementes circuit pallor genas,
Iacensq́, vultus languido obtutus stupet?
CLY. *Amor iugalis vincit, ac flectit retrò.*
Remeemus illuc, vndè non decuit prius
Abire: sed nunc casta repetatur fides.
Nam sera nunquam est, ad bonos mores via. "
Quem pænitet peccasse, pene est innocens. "
AEG. *Quò raperis amens, credis aut speras tibi*
Agamemnonis fidele coniugium? vt nihil
Subesset animo, quod graues faceret metus:
Tamen superba & impotens flatu nimis
Fortuna magno, spiritus tumidos daret.
Grauis ille sociis stante adhuc Troiâ fuit:
Quid rere ad animum suapte natura trucem,
Troiam addidisse? rex Mycenarum fuit,
Veniet tyrannus. prospera animos efferunt. "
Effusa circa pellicum quanto venit
Turba apparatu? sola sed longè eminet,
Tenetq́, regem famula veridici dei.
Feresne thalami victa consortem tui?
At illa nolet, vltimum est nuptæ malum,
Palàm mariti possidens pellex domum.
Nec regna socium ferre, nec tedæ sciunt. "
CLY. *Ægisthe, quid me rursus in præceps rapis,*
Iramq́, flammis iam residentem excitas?
Permisit aliquid victor in captas sibi:
Non coniugem hoc respicere, non dominam decet.
Lex alia solio est, alia priuato toro.
Quid quòd seueras ferre me leges viro
Non patitur animus, turpis admissi memor?

Det

234 *Ledâ sata.* plerique v. l. *Leda nata.* quidam, *Leda nata* habent. non probo.

236 *Ignauus iste ductor.* omnes schedæ cõtinent; *ignauus iste victor.* quod fortassis deterius non est.

At fortis pater. qui filiæ necem fortiter tulit; vel qui strennuam liberis procreandis operam det cum concubinis.

" 241 *Remeemus.* sic Cicero ad Atticum. Eò, " vnde discedere non oportuit, aliquando re- " uertamur.

249 *Grauis ille sociis.* hoc illi exprobrat Achilles Iliad. ά.

252 *Prospera animos efferunt.* stultorũ scilicet. Varro περὶ τύχης. sapiens & bonum ferre " potest modicè, & malum fortiter ac leuiter.

255 *Tenetq́, regem:* regi imperat. Horatius;
O quæ beatam Diua tenes Cyprum.

259 *Nec regna socium ferre.* dixit hoc etiam Lucanus, sed versus nunc non occurrunt. alibi etiam Seneca inquit; Non capit regnum duos. & Matthæi 12. Omne regnum in se diuisum desolabitur. Cyprianus de idolorũ vanitate, relatus à Simanca lib. 2. de repub. c. 5. " Quando vmquam regni societas aut cum fi- " de cœpit, aut sine cruore desiit?

260 *In præceps.* sic Virgilius;
Atque illum in præceps prono rapit alueus amne.

262 *Permisit aliquid victor in captam sibi, Nec coniugem hoc respicere, nec dominam decet.* in o. v. l. constanter legitur; *P. a. v. in captas sibi, Non c. h. r. non d. decet.* Dominam, hoc est, reginam. aliâs domina significat matremfamilias. Catullus;
—— domum dominam voca.
quo verò sensu matresfamiliæ dominæ vocatæ fuerint, docuit Guilhelmus Fornerius lib. 1. selection. cap. 11. Si Seneca dominam pro matrefamilias posuit, vt potuit posuisse; aptissimè hæc duo dominam & coniugem coniunxit. sicut Menander;
ἢ γ' εὐγενὴς ὢν εἶχέ μου γυνὴ δέσποινα.
ibi enim γυνὴ pro vxore ponitur. Hesychius: δεσποίνας, γυναῖκας Θεσσαλοί. Epictetus, in Enchir. αἱ γυναῖκες εὐθὺς ἀπὸ τεσσαρεσκαίδεκα ἐτῶν ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν κύριαι καλοῦνται. neque enim aliæ mulieres, quàm vxores, nec ab aliis quàm à maritis sic appellabantur. vt Simplicius ad illum Epicteti locum innuit. Sic apud Scæuolam in l. 41. D. de leg. 3. maritus ait; Peto à te domina vxor.

Det ille veniam facile, cui veniâ est opus.
AEG. *Ita est. pacisci mutuam veniam licet.*
Ignota tibi sunt iura regnorum, haud noua:
Nobis maligni iudices, æqui sibi,
Id esse regni maximum pignus putant:
Si quicquid aliis non licet, solis licet.
CLY. *Ignouit Helenæ, iuncta Menelao redit,*
Quæ Europam & Asiam paribus afflixit malis.
AEG. *Sed nulla Atridem Venere furtiuâ abstulit,*
Nec cepit animum coniugi obstrictum suæ.
Iam crimen ille quærit, & causas parat.
Nil esse crede turpe commissum tibi.
Quid honesta prodest vita, flagitio carens:
Vbi dominus odit? fit nocens, non quæritur.
Spartámne repetes spreta, & à tanto viro,
Patriasq; sedes profuga? non dant exitum
Repudia regum: spe metum falsa leuas.
CLY. *Delicta nouit nemo, nisi fidus, mea.*
AEG. *Non intrat vnquam regium limen fides.*
CLY. *Opibus merebor, vt fidem precio obligem.*
AEG. *Precio parata, vincitur precio fides.*
CLY. *Surgit residuus pristinæ mentis pudor,*
Quid obstrepis? quid voce blandiloquâ, mala
Consilia dictas? scilicet nubet tibi
Regum relicto rege, generosa exsuli?
AEG. *Et cur Atridâ videor inferior tibi,*
Natus Thyeste? CLY. *si parum est, adde & nepos.*
AEG. *Auctore Phœbo gignor, haud generis pudet.*
CLY. *Phœbum nefandæ stirpis auctorem vocas;*
Quem nocte subitâ frena reuocantem sua
Cælo expulistis? quid deos probro aduocas,
Surripere doctus fraude genitales toros,
Quem Venere tantum scimus illicitâ virum?
Secede properè, dedecus claræ domus,
Asporta ab oculis: hæc vacat regi ac viro.
AEG. *Exilia mihi sunt haud noua, assueui malis.*
Si tu imperas regina, non tantum domo
Argísve cedo: nil moror iussu tuo
Aperire ferro pectus ærumnis graue.
CLY. *Siquidem hoc cruenta Tyndaris fieri sinam?*
Quæ inuita peccat, debet & culpæ fidem.
Secede mecum potius, vt rerum statum
Dubium ac minacem iuncta consilia explicent.

CHO-

267 *Det ille veniam facilè, cui venia est opus.* ideo Vlpianus lib. 2. de adulteriis in l. si vxor, §. iudex, D. ad leg. Iul. de adulteriis, scripsit; Iudex adulterij ante oculos habere debet & inquirere, an maritus pudicè viuens, mulieri quoque bonos mores colendi auctor fuerit. periniquum enim videtur esse, vt pudicitiam vir ab vxore exigat, quam ipse non exhibuit. è quo Vlpiani responso est desumtum illud Lactantij lib. 6. Exemplo continentiæ docenda est vxor, vt castè se gerat. iniquum est enim vt id exigas, quod ipse præstare non possis.

275 *Atridem.* Menelaum.

277 *Ille.* Agamemnon.

280 *Dominus.* rex & maritus. Marcus Brutus, in lib. de officio, Itaque, inquit, patresfamiliæ, domini sumus. Virgilius;

——connubia nostra
Reppulit & dominum Ænean in regna recepit.

Fit nocens, non quæritur. non inquiritur num deliquerit; sed quasi deliquisset indictâ causâ damnatur.

289 *Blandiloqua.* χρηστολόγη, quam Cicero blandiloquentiam, Græci χρηστολογίαν, & blandiloquos χρηστολόγους vocant. sic vocatus fuit Pertinax Imp. testibus Capitolino & Aurelio Victore.

294 *Auctore Phœbo.* Thyestæ redditũ erat oraculum, quem ex Pelopeia filia sua gigneret, illum ab Atreo pœnas exacturum. ideo filiam suam cõpressit, eaque illi Aegisthum peperit. vide Higynum, in fabulis.

301 *Hæc vacat regia viro* v. l. dissentiunt, quidam sic habẽt. alij; *hæc vacat regi ac viro.* nonnulli; *regia hæc vacat viro.* quomodo olim ab Ascensio excusum fuit.

311 *Coronat.* videlicet ex lauro. nam fuit hoc in Apollinis sacris sollemne. Apollonius;

χαιτᾶ δ᾽ ἐστεψάμενοι δάφνῃ καθύπερθε μέτωπα.

313 *Innuba.* ἄγαμος. Ouidius;

—— contenta munere Phœbi
Innuba permanet ——

Marcus Varro, in Baiis: Quod non solùm innubæ fiunt cõmunes, sed etiam veteres puellascunt, & multi pueri puellascunt.

319 *Fatorum præscia Manto.* omnino sumsit hæc ab Ouid. lib. 6. Metam.

Nam sata Tyresia venturi præscia Mãto,
Per medias fuerat diuino concita motu
Vaticinata vias. Ismenides ite frequentes
Et date Latonæ Latonigenisq; duobus
Cũ prece tura pia, lauroq; innectite crinem.
Ore meo Latona iubet.

322 *Arcus victor.* ad illud Horatij respicit;

—— neque semper arcum
Tendit Apollo.

337 *Pelion Ossa.* Antipater Sidonius;

—— σὺν Ὄσσῃ Πήλιον ἀνθέμενος.

Homerus Odyss. λ'.

Ὄσσαν ἐπ᾽ Οὐλύμπῳ μέμασαν θέμεν, αὐτὰρ ἐπ᾽ Ὄσσῃ
Πήλιον εἰνοσίφυλλον, ἵν᾽ οὐρανὸς ἀμβατὸς εἴη.

Virgilius, Georg. 1.

Ter sunt conati imponere Pelio Ossam
Scilicet atque Ossæ frondosum inuoluere Olympum.

Ouidius Metamorph. 1.

Tum pater omnipotens misso perfregit Olympum
Fulmine, & excussit subiectũ Pelion Ossæ.

338 *Soror & coniux.* Virgilius;

Ast ego quæ diuûm incedo regina, Iouisq;
Et soror & coniux ——

340 *Tua te colimus Turba Mycenæ.* ex Homero Iliad. δ'. vbi Iuno loquitur;

ἤτοι ἐμοὶ τρεῖς μὲν πολὺ φίλταταί εἰσι πόληες,
Ἄργος τε, Σπάρτη τε, καὶ εὐρυάγυια Μυκήνη.

342 *Argos Sola tueris.* ideo Pindarus in Nemeis, Argos vocat Ἥρας δῶμα, iccirco Euripides in Iphig. Aulidensi, ait de Iunone; μὰ τὴν ἄνασσαν θεὰν Ἀργείαν &c. & in Heracl.

—— θεοῖσι δ᾽ οὐ κακίοσι
χρώμεσθα συμμάχοισιν Ἀργείων ἄναξ.
τῶν μὲν γὰρ Ἥρα προστατεῖ Διὸς δάμαρ,
ἡμῶν δ᾽ Ἀθηνᾶ ——

ideo scripsit Horatius;

Plurimus in Iunonis honorem
Aptum dicit equis Argos ditesq; Mycenas.

346 *Multifora tibia Buxo.* Ouidius;

Longaq; multifori delectat tibia buxi.

multifora tibia, quæ multa habet foramina. Apuleius, in Floridis, multiforatiles tibias

CHORVS.

Anapæstici.

Canite ô pubes inclita Phœbum,
Tibi festa caput turba coronat:
Tibi virgineas laurum quatiens
De more comas innuba fundit
Stirps Inachia. tu quoque nostros
Thebana manus comitare choros,
Quæq; Erasini gelidos fontes,
Quæq; Eurotam, quæq; virenti
Tacitum ripâ bibis Ismenon;
Quam fatorum præscia Manto
Sata Tiresiâ, Latonigenas
Monuit, sacris celebrare deos.
Arcus victor pace relatâ
Phœbe relaxa, humeroq; graues
Leuibus telis pone pharetras,
Resonetq; manu pulsa citatâ
Vocale chelys: nil acre velim,
Magnumq;, modis intonet altis:
Sed quale soles leuiere lyrâ
Flectere carmen simplex, lusus
Cùm docta tuos Musa recenset.
Licet & chorda grauiore sones,
Quale sonabas; cùm Titanas
Fulmine misso fregere Dei.
Vel cùm montes montibus altis
Superimpositi, struxere gradus
Trucibus monstris: stetit impositâ
Pelion Ossâ, pinifer ambos
Pressit Olympus. Ades ô magni
Soror & coniux consors sceptri,
Regia Iuno: tua te colimus
Turba Mycenæ: tu sollicitum
Supplexq; tui numinis Argos
Sola tueris: tu bella manu
Pacemq; regis: tu nunc lauros
Agamemnonias accipe victrix:
Tibi multiforâ tibia buxo
Solenne canit: tibi fila mouent
Docta puellæ carmine molli:
Tibi votiuam matres Graiæ
Lampada iactant: ad tua coniux

Can-

Candida tauri delubra cadit,
Nescia aratri, nullo collum
Signata iugo. Tuq; ô magni
Nata Tonantis, inclita Pallas;
Quæ Dardanias sæpe petisti
Cuspide turres: te permisto
Matrona minor maiorq; choro
Colit, & reserat veniente deâ
Templa sacerdos: tibi nexilibus
Turba coronis redimita venit:
Tibi grandæui lassiq; senes,
Compote voto reddunt grates,
Libantq; manu vina trementi.
Et te Triuiâ gratâ memores
Voce precamur: tu maternam
Sistere Delon Lucina iubes,
Huc atque illuc prius errantem
Cycladaventis. nunc iam stabilis
Fixâ terras radice tenet;
Respuit auras, religatq; rates
Assueta sequi: tu Tantalidos
Funera matris victrix numeras.
Stat nunc Sipyli vertice summo
Flebile saxum, & adhuc lachrymas
Marmora fundunt antiqua nouas.
Colit impensè femina virq;
Numen geminum. tuq; ante omnes
Pater ac rector, fulmine pollens;
Cuius nutu simul extremi
Tremuere poli, generis nostri
Iuppiter auctor; cape dona libens,
Abauusq; tuam non degenerem
Respice prolem.
Sed ecce vasto concitus miles gradu
Manifesta properat signa lætitiæ gerens.
Namq; hasta summo lauream ferro gerit,
Fidusq; regi semper Eurybates adest.

ACTVS TERTIVS.

EVRYBATES. CLYTAEMNESTRA.

EVR. *Delubra & aras cælitum, & patrios lares*
Post longa fessus spacia. vix credens mihi.

Sup-

dixit. Harum inuentionem Osyridi tribuit Scaliger in arte poëtica.

350 *Coniux Candida Tauri.* diis enim feminis feminæ, maribus mares, superis albæ, inferis atræ victimæ cædebantur.

353 *Signata iugo.* nullum passa iugum. antiqui tria armentorum genera habebant; vt docet Virgilius 3. Georg.

Continuò notas & nomina gentis inurũt,
Et quos aut pecori malunt summittere habendo,
Aut aris seruare sacris aut scindere terrã.

365 *Tu maternam Sistere Delon.* Cicero lib. 3. Accusat. Verrinar. Latonam ex longo errore & fuga grauidam, & iam ad pariẽdum vicinam temporibus exactis fugisse Delon, atque ibi Apollinem Dianamque peperisse. Innixam scilicet vel oleastro, vel palmæ, vt Homerus tradidit. Virgilius;

—— Delon maternam inuisit Apollo.

366 *Lucina iubes.* Virgilius Aeneid. 3. hoc Apollini tribuit, Lucianus, in dialogo Neptuni & Iridis, Neptuno.

374 *Et adhuc lachrymis.* Ouid. Metam. 6.

—— fixa cacumine montis
Liquitur, & lacrymis etiam nunc marmora manant.

quæ sunt ex Callimacho, in hymno Apollinis. versus adduxi in Herc. Furente.

379 *Cuius nutu.* ab Homero Iliad. ά. accepit, cuius versus notissimi sunt. Catull. etiam;

Annuit inuito cælestum numine rector,
Quo tunc & tellus atque horrida contremuerunt
Æquora, cõcussitq; micantia sidera mũdi.

Virgilius;

Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum.

Ouidius:

Terrificam capitis cõcussit terq; quaterq;
Cæsariem, cum qua terram, mare, sidera mouit.

Si rectè memini de Ioue Horatius alicubi dixit, cuncta supercilio mouentis.

382 *Abauusq;* Iupiter Tantalum genuit, Tantalus Pelopem, Pelops Atreum, Atreus Agamemnonem. Iupiter igitur Agamemnonis Abauus, hic illius abnepos.

387 *Eurybates.* huius apud Homerum multa mentio.

388 *Delubra & aras cælitum.* Antonius Muretus, vnus ex luminibus litterarum, in elegantiss. commentario Catulli, adductis Menandri, Plauti, & aliorum auctoritatibus, obseruauit, morem antiquis fuisse, vt qui primum ingrederentur aliquam regionem, ad eámve ex interuallo aliquo reuerterentur, religiosè eam salutarent: quoniam cuique loco suum genium præesse arbitrabantur. testi-

moniis ipsius, & huic Senecæ loco adde quæ sequuntur. Seneca alibi;

Tandem reuertor sospes ad patrios lares,
O cara salue terra —

Virgil. 7. Aeneid.

— salue fatis mihi debita tellus,
Vosq́; ait ô fidi Troiæ saluete penates.

Ouidius 1. Fastor.

Diiq́; petitorum dixit saluete locorum,
Tuq́; nouos cælo terra datura deos;
Fluminaq́; & fontes, quibus vtitur hospita tellus,
Et nemorum Nymphæ Naïadúmque chori.

Scholiastes Apollonij lib. 2. τοὺς ἐπιδημοῦντας ἔθος ἦν ἐν τῇ ἀλλοδαπῇ θύειν θεοῖς ἐπιχωρίοις καὶ ἥρωσι. τοῦτό φασι καὶ Ἀλέξανδρον ποιῆσαι τὸν Μακεδόνα ἐν Ἰλίῳ.

395 *Terras. terram* habent antiq. codic.

412 *Infaustum iubes.* sic Aeneas apud Virgilium 2. Aeneid.

Infandum regina iubes renouare dolorem.

414 *Inhorrescit malis.* Aeneas autem;

Quamquam animus meminisse horret, luctuq́; refugit.

423 *Regia vt fulsit rate.* Virgilius dicto loco, *— flammas vt regia puppis Extulerat.* 435 *Nixu.* o. v. l. *nisu.*

437 *Canæ.* albæ. Catullus:

Tortaq́; remigio spumis incanuit vnda.

Ouidius;

— spumisq́; sonantibus albet.

Cærulum mare. Aratus:

— κυανέου πεφολαγμένοι ὠκεανοῖο.

444 *Herceum Iouem.* vide Virgilium, Tryphiodorum, & Cælium Rhodiginum li. 21. antiq. lect. cap. 1.

447 *Tyrrhenus.* hoc confirmant Lucanus, Plinius, & S. Isidorus, vide commentarium Hispanicum Ioannis de Mena poëtæ Cordubensis. idem tradiderat Antonius Mizaldus ephimeridum aëris clas. 3. aphoris. 69. scilicet delphinos per maris tranquillitatem lasciuientes, ventorum impetum ex eo tractu, vnde primùm visi fuerunt, portendere. Rationem reddit Cælius Rhodiginus lib. 8. antiq. lection. cap. 6.

451 *Millesimam.* Aeschylus, in Agamemn.

στόλον Ἀργείων χιλιοναύτην.

vt & Virg. Propert. & alij. eaque communis poëtarum est opinio, vt mille fuerint Græcorum naues. quod intelligendum est, iuxta il-
„ lud Varronis lib. 2. de re rust. cap. 1. Si nquam
„ numerus non est ad amussim, vt cùm dici-
„ mus mille naues iisse ad Troiam, centumui-
„ rale esse iudicium Romæ. Equidem si quis cum Homero Iliad. β'. rationem subducat, inueniet mille & octoginta naues. Dares au-

Supplex adoro. vota superis soluite.
Telluris altum remeat Argolicæ decus,
Tandem ad penates victor Agamemnon suos.
CLY. *Felix ad aures nuncius venit meas.*
Vbinam petitus per decem coniux mihi
Annos moratur? pelagus, an terras premit?
EV. *Incolumis, auctus gloriâ, laude inclitus,*
Reducem expetito litori impreßit pedem.
CLY. *Sacris colamus prosperum tandem diem,*
Et si propitios, attamen lentos, deos.
Tu pande, viuat coniugis frater mei,
Et pande, teneat quas soror sedes mea.
EV. *Meliora votis posco, & obtestor deos.*
Nam certa fari sors maris dubij vetat.
Vt sparsa tumidum claßis excepit mare,
Ratis videre socia non potuit ratem.
Quin ipse Atrides æquore immenso vagus,
Grauiora pelago damna, quàm bello tulit,
Remeatq́; victo similis, exiguas trahens
Lacerasq́; victor classe de tantâ rates.
CLY. *Quis, fare, nostras hauserit casus rates,*
Aut quæ maris fortuna dispulerit duces?
EV. *Acerba fatu poscis, infaustum iubes*
Miscere læto nuncium: refugit loqui
Mens ægra, tantis atque inhorrescit malis.
CLY. *Exprome: clades scire qui rèfugit suas,*
Grauat timorem. dubia plus torquent mala. «
EV. *Vt Pergamum omne Doricâ cecidit face;*
Diuisa præda est: maria properantes petunt,
Iamq́; ense fessum miles exonerat latus,
Neglecta summas scuta per puppes iacent,
Ad militares remus aptatur manus,
Omnisq́; nimium longa properanti mora est. «
Signum recursus regiâ vt fulsit rate,
Et clara lentum remigem monuit tuba,
Aurata primas prora signauit vias,
Aperitq́; cursus, mille quos puppes secent.
Hinc aura primo lenis impellit rates,
Allapsa velis, vnda vix tactu leuis
Tranquilla zephyri mollis afflatu tremit,
Splendetq́; classe pelagus, & pariter latet.
Iuuat videre nuda Troiæ litora,
Iuuat relicti sola Sigæi loca.
Properat iuuentus omnis adductos simul

Len-

Lentare remos: adiuuat ventos manu,
Et valida nisu brachia alterno mouet:
Sulcata vibrant æquora, & latera increpant,
Dirimuntq́ canæ cærulum spumæ mare.
Vt aura plenos fortior tendit sinus,
Posuere tonsas: credita est vento ratis,
Fususq́ transtris miles, aut terras procul,
Quantum recedunt vela, fugientes notat,
Aut bella narrat; Hectoris fortis minas,
Currusq́, & emto redditum corpus rogo,
Sparsum cruore regis Herceum Iouem.
Tum qui iacente reciprocus ludit salo,
Tumidumq́ pando transilit dorso mare,
Tyrrhenus omni piscis exsultat freto,
Agitq́ gyros, & comes lateri annatat,
Anteire naues lætus, & rursus sequi.
Nunc prima tangens rostra lasciuit chorus,
Millesimam nunc ambit & lustrat ratem.
Iam litus omne tegitur, & campi latent,
Et dubia parent montis Idæi iuga:
Et iam, quod vnum peruicax acies videt,
Iliacus atrâ fumus apparet notâ.
Iam lassa Titan colla releuabat iugo,
In astra iam lux prona, iam præceps dies:
Exigua nubes sordido crescens globo,
Nitidum cadentis inquinat Phœbi iubar,
Suspecta varius occidens fecit freta.
Nox prima cælum sparserat stellis: iacent
Deserta vento vela: tum murmur graue
Maiora minitans collibus summis cadit,
Tractuq́ longo litus ac petræ gemunt,
Agi-

tem Phrygius scribit fuisse naues mille, centum & quadraginta. Dictys mille ducentas nonaginta quinque.

455 *Parent.* apparent, conspicua sunt. Iurisconsultorum verbum, ad quorum formulam, SI PARET, alludens Petronius, inquit:

Iurisconsultus PARET, NON PARET, *habeto;*
Atque esto quicquid Seruius & Labeo.

459 *Phœbi iubar.* Caluus:

Hesperium ante iubar quatiens.

Varro quoque tempestatem quamdam descripsit his verbis,

Repentè noctu circiter meridiem,
Cùm pictus aër feruidis latè ignibus
Cæli choreas astricas ostenderet:
Nubes aquales frigido velo leues
Cæli cauernas aureas subduxerant,
Ventiq́ frigido se ab axe eruperant
Phrenetici Septemtrionum filij,
Secum ferentes tegulas, ramos, syrus.
At nos caduci naufragij ciconiæ,
Quarum bipennis fulminis plumas vapos
Perussit altè, mæstè in terram cecidimus.

460 *Suspecta varius.* Sol occidens maculis conspersus ventos & pluuias portendit. Aratus;

ἢν μὲν ὑποσκιάῃσι μελαινομένη εἰκυῖα
ἥλιον νεφέλη, ταὶ δ' ἀμφί μιν ἔνθα καὶ ἔνθα
ἀκτῖνες μεσηγὺς ἑλισσόμεναι διχόωνται,
οὔ τ' ἂν ἔτ' εἰς ἠῶ σκέπαος κεχρημένος εἴης.
εἰ δ' ὁ μὲν &c.

Virgilius 1 Georg.

Hoc etiam immenso cùm iam decedit Olympo
Profuerit meminisse magis. nam sæpe videmus
Illius in vultu varios errare colores:
Cæruleus pluuiã denunciat, igneus Euros.
Sin maculæ incipient rutilo immiscerier igni;
Omnia tunc pariter nimbis, ventisque videbis
Feruere, non illa quisquam me nocte per altum
Ire, neque à terra moneat conuellere funem.

» Nigidius; Si pallidus, inquit, Sol in nigras nubes occi-
» dat Aquilonem ventum significat. Claudianus, de bel-
» lo Gildonico, circa finem;

Heu nimium segnes cauta qui mente notatis,
Si reuolent mergi, graditur si litore cornix,
Ora licet maculis adsperserit occiduus Sol,
Lunaq́ concepta liuescat turbida cornu,
Et concussa vagos iaculentur sidera crines.
Imbribus humescant hœdi nimbosaq́ taurum
Ducat hyas, totusq́ fretis descendat Orion.

quæ cuncta ferè Claudianus ex Marone decerpsit, vt vel eo solo peruincat quis magnam Claudianum imitationis curam habuisse, non omnia illum sua, at aliquid alienum adferre. ecce ait;

Si reuolent mergi.

Virgilius;

Cùm medio celeres reuolant ex æquore mergi.

Claudianus;

—— graditur si litore cornix.

Virgilius;

Tum cornix plena pluuiam vocat improba voce,
Et sola in sicca secum spaciatur harena.

Sanè ex cornicis cantu etiam alia auguria veteres colligebant. vnde Virgilius;

Sæpe sinistra mihi prædixit ab ilice cornix.

idque imitatur poeta Hispanus;

Bien claro con su voz me lo dezia
La siniestra corneja repetiendo
La desuentura mia. item;
Acuerdase me agora, que el siniestro
Canto de la corneja y el aguero, &c.

Claudianus;

Ora licet maculis, &c.

quod vnde sumtum sit, iam vidimus. Claudianus;

Lunaq́; conceptu liuescat, &c.

Virgilius;

Luna reuertentes cùm primùm colligit ignes,
Si nigrum obscuro comprenderit aera cornu;
Maximus agricolis, pelagoq́; parabitur imber.

idem testatur etiam Dominicus Cyllenius lib. 3. de disciplina militari cap. 10. Claudianus:

—— vagos iaculentur sidera crines.

Virgilius;

Sæpe etiam stellas vento impendente videbis
Præcipites cælo labi, noctisq́; per vmbras
Flammarum longos à tergo albescere tractus.

Claudianus;

Imbribus humescant hædi ——

Virgilius;

Præterea tam sunt Arturi sidera nobis
Hædorumq́; dies seruandi ——

Columella lib. 11. ait; Quincto Kal. Octobris hœdi oriuntur: Fauonius, nonnumquam Hauster cum pluuia. Claudianus:

—— nimbosaq́; taurum
Ducat Hyas ——

hoc non planè à Virgilio, sed partim etiam à Germanico Cæsare, in Phænom. accepit. Germanicus;

Ast vbi se taurus sinuosis cornibus effert,
Grandine significat.

de Hyade Virgilius 3. Aeneid.

Sidera cuncta notat tacito labentia cælo,
Arcturum, pluuiasq́; Hyadas, geminosq́; triones,
Armatumq́; auro circumspicit Oriona.

Claudianus;

- - - totusq́; fretis descendat Orion.

Virgilius;

Cùm subitò assurgens fluctu nimbosus Orion.

Propertius lib. 2.

Non hac Pleiades faciunt, neque aquosus Orion.

Nec repugnat Calpurnius Bassus, Germanici interpres, in hunc modum scribēs; Tempestates vocamus in quibus grandines, procellę, ceteraque similia intelliguntur; quæ, cùm in plenilunio acciderint, maiore vi impelluntur. hæc ab horridis sideribus exeunt, vt sæpe diximus, veluti Arcturo, Orione, hædis &c. nonnulla huc spectantia tradidit Galeottus Martius, de doctrina promiscua c. 37. quem vide.

Agitata ventis vnda venturis tumet:
Cùm luna subitò conditur, stellæ cadunt,
In astra pontus tollitur, cælum perit.
Nec vna nox est, densa tenebras obruit
Caligo, & omni luce subductâ fretum
Cælumq́; miscet: vndique incumbunt simul,
Rapiuntq́; pelagus, infimo euersum solo,
Aduersus euro zephyrus, & boreæ notus.
Sua quisque mittunt tela, & infesti fretum
Emoliuntur, turbo conuoluit mare.
Strymonius altas aquilo contorquet niues,
Libycusq́; arenas auster, ad Syrtes agit.
Nec manet in austro. fit grauis nimbis notus,
Imbre auget vndas: eurus Orientem mouet,
Nabathæa quatiens regna, & Eoos sinus.
Quid rapidus ora corus oceano exerens?
Mundum reuelli sedibus totum suis,
Ipsosq́; rupto crederes cælo deos
Decidere, & atrum rebus induci chaos.
Vento resistit æstus, & ventus retrò
Æstum reuoluit: non capit sese mare,
Vndasq́; miscent imber & fluctus suas.
Nec hoc leuamen denique ærumnis datum est,
Videre saltem, & nosse, quo pereant malo.

465 *Agitata ventis vnda venturis tumet.* Virgilius;

—— freta ponti
Incipiunt agitata tumescere.

Hinc incipit elegantissima tempestatis descriptio: qua in re multi poëtæ ingeniũ suum exercuerunt; pace tamen aliorũ dixero, cunctos (Virgilium excipio, qui nihil molitur ineptè, lib. 1. Aeneid.) facilè poeta noster hac in re superauit. nec enim furit, vt Lucanus libro 5. nec nugatur, vt Ouidius 1. Tristium, & 11. Metamorph & copiosior est & diligentior epithetorum quam Papinius 5. Thebaid. accuratior quoque & verior quàm Valerius Flaccus 1. Argonaut. qui verò illum cũ Homero Odyss. i. aut Apollonio lib. 2. velit componere, næ ille valde iniquus sit rerum æstimator. nam in Homerica descriptione multa sunt Homeri ingenio prorsus indigna, quæ inuenies apud Iulium Scaligerum art. poet. lib. 5. cap. 3. Apollonius verò sui similis est, hoc est totus plebeius & vilis, & non meo, sed doctorum quorumdam iudicio, ferè indignus qui legatur.

467 *In astra pontus tollitur.* Ouidius;

—— cælumq́; æquare videtur
Pontus, et inductas aspergine tãgere nubes.

Cælum perit. Virgilius;

Eripiunt subitò nubes cælumq́; diemq́;
Teucrorũ ex oculis, ponto nox incubat atra.

468 *Densa tenebras obruit Caligo.* Apollonius:

Pre-

—— ὦρτο δὲ κῦμα
κεκληγὼς πνοιῆσι· κελαινὴ δ' οὐρανὸν ἀχλὺς
ἄμπεχεν, οὐδέ πῃ ἄστρα διαυγέα φαίνετ' ἰδέσθαι
ἐκ νεφέων, σκοτόεις δὲ περὶ ζόφος ἠρήρειστο.

472 *Aduersus Euro Zephyrus.* doctissimus poeta rectissimè suas vnicuique vento sedes attribuit. hæc autem sunt similia illis Homeri:

—— πάσας δ' ὀρόθυνεν ἀέλλας
παντοίων ἀνέμων, σὺν δὲ νεφέεσσι κάλυψε
γαῖαν ὁμοῦ καὶ πόντον, ὀρώρει δ' οὐρανόθεν νύξ,
σὺν δ' Εὖρός τε Νότος τ' ἔπεσε Ζέφυρός τε δυσαὴς
καὶ Βορέης αἰθρηγενέτης μέγα κῦμα κυλίνδων.

475 *Aquilo.* à Septemtrione flans. Varro Attacinus, in Chorographia; (quos Diomedes lib. vlt. tribuit Paccuuio, & citat mendosissimè.)

Omninomo Oceano Hyperion fulgurat Euro,
Arctoo plaustro Boreas bacchatur ab Æmo,
Hesperio Zephyro sed Orion voluitur Istro,
Fuluo acriq; Noto vaga Cynthia proruit Afro.

479 *Nabathæa quatiens regna.* adscribam Ouidij locum vnde hæc reor desumta;

Eurus ad Auroram, Nabathæaq; regna recessit;
Persidaq; & radiis iuga subdita matutinis:
Vesper & occiduo quæ litora Sole tepescunt,
Proxima sunt Zephyro: Scythiam Septemq; triones
Horrifer inuasit Boreas: contraria tellus,
Nubibus assiduis pluuiisq; madescit ab Haustro.

porrò noster poeta à se ipso dissensit, qui lib. 5. natural. quæst. c. 6. posse fieri negat, vt vno eodemque tempore hi venti contrarij flent. Sed contrarium tenent Homerus, Musæus, Virgilius, ceterique poetæ: & Lucretius quidem libro 4. ait;

Vides etiam diuersis nubila ventis
Diuersas ire in partes ——

& Lucanus lib. 5.

Primus ab Oceano caput exeris Atlanteo
Core, mouens æstus; tam te tollente furebat
Pontus, & in scopulos totas erexerat vndas:
Occurris gelidus Boreas, pelagusq; retundit, &c.

quem vltimum versum Iul. Scaliger lib. 5. de arte poetica cap. 12. planè meritò reprehendit: nisi dicas, retundit, ibi non in propria significatione positum, sed pro obruit aut confundit: & venti duo ab eadem parte flantes vnus alterius fluctus obruere ac vndæ suæ superuentu confundere possunt. Fluctus autẽ à fluctu alterius venti obrutus sistitur primò, mox quasi resilit, queẽadmodum si in solidius quid & durius impegisset: quæ res sensu comprehendi facilius, quàm verbis declarari queat. quomodo Lucanũ, poetam non malum in plerisque, magnę & supinæ negligentiæ nota liberari posse censeo.

480 *Corus.* Corus ab Occidentis latere Septemtrionem stipat, quemadmodum Boreas ab Orientis latere.

483 *Et atrum rebus induci chaos.* Furit Lucanus, non canit;

Extimuit natura chaos, rupisse videntur
Concordes elementa moras, rursusq; redire
Nox manes mistura deis ——

486 *Vndásque miscent imber & fluctus suas.* similiter poeta;

—— latet obsitus aer
Inferna pallore domus: nimbisq; grauatus
Deprimitur, fluctusque in nubibus accipit imbrem.

Premunt tenebræ lumina, & diræ Stygis
Inferna nox est: excidunt ignes tamen,
Et nube dirum fulmen elisâ micat,
Miserisq; lucis tanta dulcedo est malæ:
Hoc lumen optant. ipsa se classis premit,
Et prora proræ nocuit, & lateri latus.
Illam dehiscens pontus in præceps rapit,
Hauritq;, & alto redditam reuomit mare.
Hæc onere sidit: illa conuulsum latus
Summittit vndis: fluctus hanc decimus tegit:
Hæc lacera, & omni decore populato leuis
Fluitat: nec illi vela, nec tonsæ manent,
Nec rectus altas malus antemnas ferens;
Sed fracta toto puppis Ionio natat.

Nil

490 *Inferna nox est.* interpretatur illud poetæ;

Non cæli nox illa fuit ——

Excidunt ignes tamen. sed obscuri. Virg.

—— nec fulgura currunt
Clara: sed obscurum nimbosus dissilit aer.

Valerius Flaccus:

—— nec sola tridentis
Regna mouent: vasto pariter ruit igneus æther
Cum tonitru, piceóque premit nox omnia cælo.

Pacuuius autem;

Interea prope iam occidente sole inhorrescit mare,
Tenebræ conduplicantur, noctisq; & nimbûm occæcat nigror,
Flamma inter nubes coruscat, cælum tonitru contremit,
Grando mista imbri largifluo subita turbine præcipitans cadit, Vndiq; omnes venti erumpunt, sæui existunt turbines, Feruet æstu pelagus.

quos versus citat Cicero lib. 1. de diuinat. & lib. 3. de Oratore.

498 *Fluctus hanc decimus tegit.* decimus fluctus fluctuum maximus est secundùm Valer. Flacc. lib. 2. Silium Ital. lib. 14. Lucanum lib. 5. & Ouidium 1. Tristium & 11. Metamorph. & Latinis decumanus dicitur, auctore Festo, propter denarij numeri perfectionem, de qua Cælius lib. 22. antiq. lection. c. 14. à Græcis vocatur τρικυμία, teste Hesychio. Euripides in Troadib. de hac tempestate agens, inquit; Αἰγαῖον πόρον τρικυμίαις βρέμοντι. vtuntur etiam hac voce Synesius & Aristides. Sunt qui de decumano fluctu intelligant l. 96. & l. 112. D. de verb. signific. & §. flumina, Institut. de rerum diuis. & acquir. ear. domin.

503 *Ars cessit malis*. sic Maro;
—— cedit quoniam spoliata magistro est.
Ouidius:
Tāta mali moles, tantoq; potentior arte est.
Idem;
Deficit ars, animiq; cadunt ——
Lucanus;
Artis opem vicere metus, nescitq; magister
Quam frangat, cui cedat aqua ——

511 *Felix vocatur*. desumtum ex Homero Odyss. ε. vel ex Virg. Aeneid. 1.

Qui meruit. plerique libri scripti habent, *qui potuit*.

518 *Vel Troia lachrymas*. magna sit oportet miseria, cuius hostem misereat. ideo scriptores volentes summas calamitates exprimere, passim hoc addunt. eamque Suidas παροιμίαν vocat. Pacuuius;
Si Priamus adesset, & ipse eius commiseresceret.
Ennius, Annal. 5.
Cogebant hosteis lachrymantes vt misererent.
Virgilius 11. Aeneid.
—— infanda per orbem
Supplicia & scelerum pœnas expendimus omnes,
Vel Priamo miseranda manus ——
Ouidius 14. Metamorph.
Græcia tunc potuit Priamo quoque flenda videri.
Sophocles:
ὡς κἀν παρ᾽ ἐχθροῖς ἄξιος θρήνων τυχεῖν.
P. Aemylius hist. Francorum lib. 2. inhumana vastitas, ac, si in alio hoste contigisset, victori etiam miseranda.

524 *Fulmine irati Iouis Armata Pallas*. non est hoc abs re confictum. nam in libris Hetruscorum scriptum fuit, Manubias, id est fulminum iactus, tres deos possidere, Iouem, Palladem, & Vulcanum. docet hoc Seruius, ad illud Virgilij,
Ipsa Iouis rapidū iaculata è nubibus ignē
Disiecitq; rates: &c.
eadem de caussa Pallas apud Euripidem, in Troadibus,
ἐμοὶ δὲ δώσειν φησὶ πῦρ κεραύνιον
βάλλειν Ἀχαιούς, ναῦς τε πιμπράναι πυρί.

528 *Solus inuictus malis*. vide Virgilium 1. Aeneid. Q. Smyrnæum lib. 14. Philostratū in Imaginibus, & Izacium in Lycophron.

540 *Furibundū intonat*. multa ex sequentibus translata sunt ex Homero Odyss. δ'. non vacat totum locum ascribere; incipit ibi,
Αἴας μὲν μετὰ νηυσὶ δάμη δολιχηρέτμοισι.
Γυρῇσι μὲν, &c.

Nil ratio & vsus audent in magnis malis.
Tenet horror artus, omnis officio stupet
Nauita relicto, remus effugit manus.
In vota miseros vltimus cogit timor,
Eademq; superos Troes & Danai rogant.
Quid fata possunt? inuidet Pyrrhus patri,
Aiaci Vlysses, Hectori Atrides minor,
Priamo Agamemnon. quisquis ad Troiam iacet,
Felix vocatur; cadere qui meruit manu,
Quem fama seruat, victa quem tellus tegit.
Nil nobile ausos pontus atque vndæ ferent?
Ignaua fortes fata consument viros?
Pudenda mors est. quisquis es nondum malis
Satiate tantis cælitum, tandem tuum
Numen serena. cladibus nostris daret
Vel Troia lachrymas: odia si durant tua,
Placetq; mitti Doricum exitio genus;
Quid hos simul perire nobiscum iuuat,
Quibus perimus? sistite infestum mare.
Vehit ista Danaos classis, & Troas simul.
Nec plura possunt: occupat vocem mare.
Ecce alia clades: fulmine irati Iouis
Armata Pallas, quicquid aut hastâ minax,
Aut Ægide, aut furore Gorgoneo potest,
Aut igne patrio, tentat, & cælo nouæ
Spirant procellæ: solus inuictus malis
Luctatur Aiax; vela cogentem hunc sua
Tenso rudente flamma perstrinxit cadens.
Libratur aliud fulmen: hoc toto impetu
Tortum reductâ Pallas excussit manu,
Imitata patrem, transit Aiacem, & ratem,
Ratisq; partem secum, & Aiacem tulit.
Nil ille motus; ardua vt cautes salo
Ambustus exstat, dirimit insanum mare,
Fluctusq; rumpit pectore, & nauem manu
Complexus in se traxit: & cæco mari
Collucet Aiax, omne resplendet fretum.
Tandem occupatâ rupe, furibundùm intonat,
Superasse nunc se pelagus, atque ignes: iuuat
Vicisse cælum, Palladem, fulmen, mare.
Non me fugauit bellici terror Dei:
Et Hectorem vnà solus, & Martem tuli,
Phœbea nec me tela pepulerunt gradu:
Cum Phrygibus istos vicimus. tandem horream

Aliena inerti tela mitti dextera?
Quid si ipse mittat? plura cum auderet furens,
Tridente rupem subruit pulsam pater
Neptunus, imis exerens vndis caput,
Soluitque montem; quem cadens secum tulit,
Terraque & igne victus, & pelago iacet.
Nos alia maior naufragos pestis vocat.
Est humilis vnda, scrupeis mendax vadis,
Vbi saxa rapidis clusa vorticibus tegit
Fallax Caphareus: aestuat scopulis fretum,
Feruetque semper fluctus alterna vice.
Arx imminet praerupta; quae spectat mare
Vtrinque geminum, Pelopis hinc oras tui,
Et Isthmon, arcto qui recuruatus solo
Ionia iungi maria Phryxeis vetat.
Hinc scelere Lemnon nobilem, & hinc Chalcida,
Tardamque ratibus Aulida: hanc arcem occupat
Palamedis ille genitor, & clarum manu
Lumen nefandâ vertice è summo efferens,
In saxa ducit perfidâ classem face.
Haerent acutis rupibus fixae rates,
Has inopis vndae breuia comminuunt vada:
Pars vehitur, huius prima pars scopulo sedet,
Hanc alia retro spacia relegentem ferit,
Et fracta frangit: iam timent terram rates,
Voluntque maria: cedit in luctum furor.
Postquam litatum est: Phoebus in lucem redit,
Et damna noctis tristis ostendit dies.
CLY. *Vtrúmne doleam, laeter an, reducem virum?*
Remeasse, laetor: vulnus at regni graue,
Lugere cogor. redde iam Graiis pater,
Altisona quatiens regna, placatos deos.
Nunc omne laetâ fronde veletur caput,
Sacrifica dulces tibia effundat modos,
Et niuea magnas victima ante aras cadat.
Sed ecce turba tristis, incomtae comas
Iliades adsunt; quas super celso gradu
Effrena Phoebas entheas lauros quatit.

CHO-

549 *Pater Neptunus.* ex multis supra docui hoc esse Neptuni epithetum. quibus adde hoc fragmentum Varronis;

Te Neptune pater cui flumina cana sonāti
Cincta salo resonant: magnus cui prapete nimbo
Perflnit Oceanus, & flumina crinib. errāt.

556 *Fallax Caphareus.* hoc loco Nauplius Palamedis pater Graecos in caeca saxa pertraxit. vnde Pacuuius;

—— pater
In Caphareis saxis pleros Achiuos perdidit.

Virgil. Aeneid. 11. hanc cladem Mineruae sideri ascribit;

—— scit triste Mineruae
Sidus & Euboicae cautes, vltorque Caphareus.

quae Virgilij sententia Straboni vera videtur lib. 8. & sit sanè vera. Seneca Euripidem sequitur, cuius sunt illa, in Helena;

πολλοὺς δὲ πυρσεύσας
φλογερὸν σέλας ἀμφὶ ῥυτὰν
Εὔβοιαν, εἷλ' Ἀχαιῶν
μονόκωπος ἀνὴρ, πέτραις
Καφηρείαις ἐμβαλὼν,
Αἰγαίαις τ' ἐναλίοις ἀκταῖς
δόλιον ἀστέρα λάμψας.

561 *Scelere Lemnon nobilem.* sic Plautus in Rudente;

—— qui se scelere fieri volunt nobiles.

D Hieronymus, contra Eluidium: nobilis „ factus est scelere. Q. Cicero, de petit. consu- „ latus, eodem modo dixit, Flagitio nobiles. Lemniades autem mares omnes occiderunt, excepta vna Hypsipyle; quae patri Thoanti pepercit.

Hinc Chalcida. sunt qui referant Chalcidenses mulieres maritos suos occidisse. quo de dubito. quidam m. s. *hinc Calcedona.*

564 *Palamedis ille genitor.* Nauplius; quem, vt id faceret, impulsum volunt cupiditate vlciscendi Agamemnonem & Vlyssem, qui Palamedem occiderant iuxta plerosque. nam Dares à Paride interfectū fuisse scribit, vt vt est, Xenophon in Cynaegetico tradidit mortem Palamedis deos vindicasse.

586 *Vita dirus amor.* nullus non viuere cupit, quamuis miserè sit victurus. rectè tamen Iamblichus; *ὐ τὸ ζῆν ἐπὶ πλεῖστον ποιητέον, ἀλλὰ τὸ εὖ ζῆν.*

606 *O quàm miserum est nescire mori.* tam miser est qui mori nescit, quàm naufragus qui portum nequit inuenire. quia, vt ait Sotades; *πάντων λιμὴν τῶν μεριμνῶν ὁ θάνατός ἐστι.*

607 *Nocte funesta.* excidium Troiæ in noctem incidisse consentaneum est Aeschylo in Agamemn. & Euripidi in Hecuba. auctor paruæ Iliadis idipsum probat:

νὺξ μὲν ἔην μεσάτη, λαμπρὰ δ' ἐπέτελλε σελήνη.

Petronius Arbiter, in Troiæ Halosi:

Iam plena Phœbe candidũ extulerat iubar,
Minora ducens astra radiante face,
Cùm inter sepultos Priamidas nocte & mero
Danai relaxant claustra, &c.

Sed quæ nox illa fuerit, nemo facilè certò dixerit; qui sciat Hellanicum, Dionysium Argiuum & Lysimachum prodidisse Troiam captam XII. Febr. Callisthenem verò lib. 2. Græcanicæ historiæ, Februario ineunte. Qui Attica scripserunt, in octauum diem huius mensis desinentis hanc cladem reiiciunt: nec defuerunt, qui ad octauum desinẽtis Martij id retulerint. Dercylas autem & Aegias contendunt funestæ huius noctis diem fuisse octauum desinentis *Πανέμου*, hoc est, si Corinthios audimus, Iulij; sin Bœotios sequimur, Maij. hæc ex Euripidis scholiis Græcis, & Clemente Aegyptio decerpsi.

614 *Falsus.* Patroclus, Iliad. π'.

616 *Sustulit luctu.* Iliad. σ. τ. υ.

Celeremq; saltu. Achillem Homerus, *ὠκύμορον, πόδας ταχὺν, πόδας ὠκὺν* appellat. quemadmodum Seneca Achillem, celerem saltu, sic Ennius Annal. 2. Coclitem, inclutum saltu, vocauit.

—— *at Horatius inclutu' saltu.*

Saltu. de saltu Achillis, cuius Lycophron in Cassandra, meminit, non vulgaria, ex Antimacho & Euripide, ibi refert Izacius. datum Græcis responsum, eum qui primus Troianę terræ vestigium imprimeret, primum occubiturum: quod cùm Protesilaus morte sua confirmasset; desiluisse Achillem à naui in terram, & eo loco, quem conculcarat, repentè aquæ fontem emanasse. Sed eò non respicit Seneca, verùm solummodo ad Achillis pernicitatem.

621 *Molis immensa.* magnus fuerit oportet equus Durateus, in cuius aluo tot duces inclusi fuerunt, quos refert Izacius, dicto loco; *ἐπεποίηκται ὁ Πανοπεὺς υἱὸς Ἐπειὸς ἐποίησε τὸν*

CHORVS. CASSANDRA.

Versus choriambici, dactylici, iambici, trochaici, sapphici, anapæstici, acatalecti, hypercatalecti, & brachycatalecti, & catalecti, scazontes, mirificè inter se permixti.

Heu quàm dulce malum mortalibus [additũ] "
Vitæ dirus amor; cùm pateat malis "
Effugium, & miseros libera mors vocet,
Portus æterna placidus quiete.
Nullus hunc terror, nec impotens
Procella fortunæ mouet,
Aut iniqui flamma Tonantis.
Pax alta nullos ciuium cœtus "
Timet, aut minaces victoris iras; "
Non maria asperis insana coris, "
Non acies feras
Puluereamq; nubem,
Motam barbaricis equitum cateruis;
Non vrbe cum totâ populos cadentes,
Hosticâ muros populante flamma,
Indomitúmve bellum. Perrumpet omne,
Solus contemtor leuium deorum;
Qui vultus Acherontis atri,
Qui Styga tristem non tristis videt,
Audetq; vitæ ponere finem;
Par ille regi, par superis erit.
O quàm miserum est nescire mori! "
Vidimus patriam ruentem nocte funestâ,
Cùm Dardana tecta Dorici raperent ignes:
Non illa bello victa, nec armis,
Vt quondam Herculeâ cecidit pharetrâ:
Quam non Pelei, Thetidisq; natus,
Carusq; Pelidæ nimium feroci
Vicit; acceptis cùm fulsit armis,
Fuditq; Troas falsus Achilles:
Aut cùm ipse Pelides animos feroces
Sustulit luctu, celeremq; saltu
Troades summis timuere muris.
Perdidit in malis extremum decus,
Fortiter vinci. restitit annis
Troia bis quinis,
Vnius noctis peritura fato.
Vidimus simulata dona molis immensæ,

Fatale

Fatale munus Danaûm traximus nostrâ
Creduli dextrâ: tremuitq́ sæpe
Limine in primo sonipes, cauernis
Conditos reges bellumq́ gestans:
Et licuit versare dolos, vt ipsi
Fraude suâ capti caderent Pelasgi.
Sæpe commotæ sonuere parmæ,
Tacitumq́ murmur percussit aures,
Et fremuit malè subdolo
Parens Pyrrhus Vlyssi.
Secura metu Troica pubes,
Sacros gaudet tangere funes,
Hinc æquæui gregis Astyanax,
Hinc Æmonio desponsa rogo,
Ducunt turmas; hæc femineas,
Ille viriles.
Festæ matres votiua ferunt
Munera diuis: festi patres
Adeunt aras: vnus tota est
Vultus in vrbe.
Et, quod nunquam post Hectoreos
Vidimus ignes, læta est Hecube.
Quid nunc primùm dolor infelix
Quidve extremum deflere paras?
Mœnia diuûm fabricata manu,
Diruta nostrâ?
An templa deos super vsta suos?
Non vacat istis lachrymare malis:
Te magne parens flent Iliades.
Vidi, vidi senis in iugulo,
Telum Pyrrhi vix exiguo
Sanguine tingui.
CA. *Cohibete lachrymas, omne quas tempus petit,*
Troades, & ipsæ vestra lamentabili
Lugete gemitu funera: ærumnæ meæ
Socium recusant. cladibus questus meis
Remouete: nostris ipsa sufficiam malis.
CHO. *Lachrymas lachrymis miscere iuuat.*
Magis exurunt, quos secretæ
Lace-

Δουράτεον ἵππον, εἰς ὃν πεντήκοντα, ἢ τρισχίλιοι, ἢ κατ' ἐμὲ κγ' ἄνδρες εἰσελθόντες Ἕλληνες ἐκάθηντο. ideo ait Petronius;

Cùm, Delio profante, cæsi vertices
Idæ trahuntur, scissaq́ in molem cadunt
Robora, minacem quæ figurarent equum,
Aperitur ingẽs claustrũ & obducti specus,
Qui castra caperent ——

molem huius equi declarauit Homer. dicẽs;

αὐτὰρ ὅτ' εἰς ἵππον κατεβαίνομεν.

& Virgilius;

Demissum lapsi per funem.

nam sic quoque altitudo demonstrata est, in- « quit Fabius lib. 8. Institut. Oratoriar. cap. 3. «

623 *Fatale munus* Virgil. 6. Aeneid.

Cùm fatalis equus saltu super ardua venit
Pergama.

de quo equo ait Petronius;

—— vteri notauit fata

Traximus nostra creduli dextra. ex Virg. 2. Aeneid.

627 *Versare dolos.* Virgilius;

Seu versare dolos seu certæ occũbere morti.

631 *male subdolo Parens Pyrrhus Vlyssi.* videtur Sophoclem adumbrasse, qui, in Phyloctete, Pyrrho simplex & minime subdolum ingenium tribuit, ægreq́; fingit ab Vlysse induci, vt fallaciis & astu vtatur; quod magni & excelsi animi proprium esse docet Aristoteles lib. 4. ad Nicomachum. De morib. ca. 3. Cùm Vlysses dixisset debere illũ callidè Philoctetæ arcus subducere, respondet Pyrrhus;

ἐγὼ μὲν οὓς ἂν τῶν λόγων ἀλγῶ κλύειν,
Λαερτίου παῖ, τοὺς δὲ καὶ πράσσειν στυγῶ.
ἔφυν γὰρ οὐδὲν ἐκ τέχνης πράσσειν κακῆς,
οὔτ' αὐτὸς, οὔθ', ὥς φασιν, οὑκφύσας ἐμέ·
ἀλλ' εἴμ' ἕτοιμος πρὸς βίαν τὸν ἄνδρ' ἄγειν,
καὶ μὴ δόλοισιν ——

quæ Pyrrho vt iuueni & magnanimo conueniunt optimè; fraudes verò Vlyssi, vt seni & cauto. porrò quod ait οὔθ' ὥς φασιν, οὑκφύσας ἐμὶ, iis quadrant quæ de seipso Achilles Euripidis in Iphigenia Aulidensi ait hoc modo;

ἐγὼ δ' ἐν ἀνδρὸς εὐσεβεστάτου τραφεὶς
Χείρωνος, ἔμαθον τοὺς τρόπους ἁπλοῦς ἔχειν.

talem se apud Euripidem in Licymnio Hercules: & apud incertum poëtam, in Rheso, tales se Hector & Rhesus esse profitentur. apud Ennium etiam nescio qui, his verbis;

Ego eo ingenio natus sum, amicitiam
« *Atq́ inimicitiam in fronte promptã gero.*

quæ omnia exemplorũ loco ad d. cap. 3. Aristotelis adferri possunt, quod nullus Interpretum præstitit, & sane indigent illi decem De moribus libri, vberioribus commentariis quàm in illos hactenus editi fuerunt, à Græcis & Latinis.

634 *Tangere funes.* Virgilius; *-- circum pueri innuptæq́ puellæ Sacra canunt, funemq́ manu contingere gaudent.* 661 *Magis exurunt, quos secreta Lacerant cura.* lacrymæ enim tristitiam leuant, vt alibi dixi. Huc spectat etiam illud Ludouici Ariosti, in Orlando Furioso; *Cosi fa ch' ella vn poco il duol rafrena;*

Ch' auendo oue sfogarlo, è meno acerbo.
„ & illud Actij Sinceri, in Arcadia: Per che lo
„ sfogare con parole ali miseri suole esser ale-
„ uolte aleuiamento di peso.
666 *Nobile carmen.* sic Cornelius Seuerus, in AEtna;

—— hinc auget nobile carmen
Plurima pars scena ——

Virgilius ecloga 6.

Si valeam meminisse, neque est ignobile carmen.

hoc carmen etiam celebrat Callimachus in lauacro Palladis.
667 *Querula Edonis.* in Octauia ait;

Repete assuetos
Iam tibi questus, atque æquoreas
Vince Halcyonas, vince & volucres
Pandionias ——

Moschus, in Bionis epitaphio;

ὐδὲ τόσον πυκ' ἄεισεν ἐνὶ σκοπέλοισιν ἀηδὼν,
ὐδὲ τόσον θρήνησεν ἀν' ὤρεα μακρὰ χελιδὼν,
ἀλκυόνεσς δ' ὐ τόσσον ἐπ' ἄλγεσιν ἴαχε κήυξ.

comparationē verò lusciniæ etiam alij vsurparunt. Homerus Odyss. τ'. relatus in Hercule Oetæo. &, Sophocles Trachiniis. & ex Latinis Virgilius;

Qualis populea mærens Philomela sub vmbra
Amissos quærit fœtus.

Euripides, in Helena, lusciniam aduocat, vt secum lugubres cantus moduletur.
671 *Garrula.* de hirundine, in quam mutata fuit ex Senecæ sententia Procne, loquitur; quæ à Virgilio 4. Georg garrula dicitur. quo loco idipsum ex Stesichoro, Simonide & Sappho Fuluius Vrsinus obseruauit, ex Smyrnæo & Oppiano Griellius.
676 *Halcyones.* cum Græcis malo scribere *Alcyones.* quomodo referunt Ciceronē poëma quoddam inscripsisse; cuius imitatione ipse quoque Gordianus Imp. poëma Alcyones composuit, teste Capitolino.
678 *Fluctu leuiter Plangente.* Lucanus;

—— & planctus illisa cautibus vnda.

Sic Attius vndas latrare & cachinnare dixit;

Ac vbi curuo litore latrans
Vnda sub vndis labunda sonit:
Simul & circum magni sonantibus
Excita saxis, sæua sonando
Crepitu clangente cachinnat.

681 *Molles.* sic Claudianus de Eutropio, cuius à puero testes fuerant exsecti;

—— mediaq; tamen mollissimus ira.

Imitata viros. Deæ magnæ Cybeles sacerdotes Galli, qui, cùm ea parte carerent qua viri sumus, & molles erant, & male audiebant, quasi muliebria paterētur, teste Apuleio de asino aureo lib. penult. & vltimo. vnde

Lacerant curæ: iuuat in medium «
Deflere suos. nec enim quamuis «
Dura virago, patiensq; mali,
Poterit tantas flere ruinas.
Non quæ verno nobile carmen
Ramo cantat querula Edonis,
Ityn in varios modulata sonos:
Non quæ tectis Bistonis ales
Residens summis impia diri
Furta mariti garrula deflet:
Lugere tuam poterit dignè
Conquesta domum, licet ipse velit
Clarus niueos inter olores,
Istrum cygnus, Tanaimq; colens,
Extrema loqui: licet Halcyones
Ceyca suum fluctu leuiter
Plangente sonent; cùm tranquillo
Malè confisæ credunt iterum
Pelago audaces, fœtusq; suos
Nido pauidæ titubante fouent.
Non si molles imitata viros
Tristis laceret brachia tecum,
Quæ turritæ turba parenti
Pectore rauco concita, buxum
Ferit, vt Phrygium lugeat Atym.
Non est lachrymis Cassandra modus,
Quia quæ patimur, vicere modum. «
Sed cur sacratas diripis capiti infulas?
Miseris colendos maximè superos reor. «
CAS. *Vicere nostra iam metus omnes mala.*
Equidem nec vllâ cælites placo prece:
Nec, si velint sæuire, quo noceant, habent.
Fortuna vires ipsa consumsit suas.
Quæ patria restat? quis pater? quæ iam soror?
Bibêre tumuli sanguinem, atque aræ, meum.
Quid illa felix turba fraterni gregis?
Exhausta nempe: regiam miseri senis
Vacuam relicti, totq; per thalamos vident,
Præter Lacænam, cæteras viduas nurus.
Tot illa regum mater, & regimen Phrygum
Fœcunda in ignes Hecuba, fatorum nouas
Experta leges, induit vultus feros:
Circa ruinas rabida latrauit suas,
Troiæ superstes, Hectori, Priamo, sibi.

CHO.

CHO. *Silet repentè Phœbas, & pallor genas,*
Creberq; totum poßidet corpus tremor.
Stetere vittæ, mollis horrescit coma,
Anhela corda murmure incluso fremunt:
Incerta nutant lumina, & versi retrò
Torquentur oculi; rursus immites rigent.
Nunc leuat in auras altior solito caput,
Graditurq; celsa: nunc reluctantes parat
Reserare fauces: verba nunc cluso malè
Custodit ore, Mænas impatiens dei.
CAS. *Quid me furoris incitam stimulis noui,*
Quid mentis inopem sacra Parnaßi iuga
Rapitis? recede Phœbe. iam non sum tua.
Exstingue flammas pectori infixas meo.
Cui nunc vagor væsana? cui bacchor furens?
Iam Troia cecidit: falsa quid vates ago?
Vbi sum? fugit lux alma, & obscurat genas
Nox atra, & æther abditus tenebris latet.
Sed ecce gemino sole præfulget dies,
Geminumq; duplices Argos attollit domos:
Idæa cerno nemora. fatalis sedet
Inter potentes arbiter pastor deas.
Timete reges, moneo, furtiuum genus.

Agrestis

à Catullo in Galliambo *Gallæ* vocantur, & *Attis*, quod ipse sibi pondera acuto silice deuoluerat, dicitur *noua mulier* Gallos idē Catullus semiuiros vocat, vt & Terentius Varro;

Tibi tympana haud inani sonitu, dea, tonimus,
Sonitū æris intonamus tibi nos semiuiri,
Teretem comam volantem Galli tibi iacimus.

684 *Turrita.* Cybelæ. de qua C. Cilnius Mæcenas;

Ades huc, ades Cybele, dea, montigena dea,
Age tympano sonanti quate flexibile caput,
Latus horreat flagello, comitum chorus vlulet.

686 *Atym.* de Atti ab Arnobio, Eusebio & Fulgentio, post Epicharmum, Sosidem Atticum, aliosq; multa digna lectione & cognitu iucunda referuntur.

699 *Totq; per thalamos.* quinquaginta. Virg. Aeneid. 2.

Quinquaginta illi thalami spes tanta nepotum.

703 *Induit vultus feros.* mutata fuit Hecuba in canem, iuxta Euripidem, Lycophronem, & Asclepiadem. alij, quia, vt fures canis latratu, Græcos Hecuba maledictis & conuitiis sit insecuta, fabulam confictam volūt, in Menæchm. Plautus, & Cicero 3. Tusc.

705 *Sibi.* humana forma deperdita, & Hecuba homine quasi mortua. Sic, Hercule Oetęo, inquit;

—— sibi Tantalis est facta superstes.

706 *Silet repentè Phœbas.* ex sequentibus nonnulla ad Virgilij Aeneid. 6. nonnulla ad Lucani lib. 5. imitationem dixit.

Pallor. Lucanus;

—— nec qui solet esse timenti
Terribilis sed pallor inest ——

707 *Creberq; totum.* infrà actu 4.

Cur ista vates corpus effusa ac tremens
Dubia labat ceruice?

Lucanus;

—— nec fessa quiescunt
Corda: sed, vt tumidus boreæ post flamina, pontus
Rauca gemit; sic multa leuant suspiria vatem.

Idem;

—— rupta trementi
Verba sono ——

708 *Stetère vittæ.* Virgilius:

—— subitò non vultus, non color vnus,
Non comtæ mansère comæ: sed pectus anhelum
Et rabie fera corda tument ——

Lucanus;

—— bacchatur demens, aliena per antrum
Colla ferens, vittasq; dei, Phœbæaq; serta
Erectis discussa comis ——

709 *Anhela corda.* Virgilius;

—— sed pectus anhelum
Et rabie fera corda tument ——

Lucanus autem;

Effluit & gemitus & anhelo clara meatu, &c.

710 *Incerta nutant lumina.* duo m. *s. micant lumina.* Lucanus;

Torquet ad hæc oculos, totoq; vagantia cælo
Lumina, nunc vultu pauido, nunc torua minaci.

712 *Altior solito* Virgilius;

—— maiorq; videri.

714 *Gemino.* rectè. quia Enthei & ebrij, quæ singula sunt, cuncta gemina vident. exempla habes apud Euripidem in Bacchis, Q. Smyrnæum lib. 12. & Nonnum in Dionysiacis in princ. lib. ιϛ. & κε'. septima à fine libri pagina. Virgilius hoc non ignorauit, scripsit. n. Aen 4.

Eumenidum demens veluti videt agmina Pentheus,
Et solem geminum, & duplices se ostendere Thebas.

728 *Timete reges moneo.* quædam membranæ continent *timere.*

Furtiuum genus. Furtiua Venere editū, Aegysthum. monet Cassandra cauendum esse à natis ex furtiuo coitu. quare? an quia, vt dixit alibi, nullum nefas per nefas nati putant? quam rationem reddidit auctor libelli Gallici, *de la police Christienne*, vbi docet cur huiusmodi liberi, vt plurimum, ceteris salaciores sunt & ne-

quiores, adde & prauiores: quare fortassis Veneti, homines prudentissimi & maximè cordati, illegitimos, quamuis natalibus fuerint restituti, in consilium non admittunt, teste Fulgos. consil. 62. Incip. Stante statuto. Nescio tamen, quàm rectè. nam

— πολλάκις δέ τοι
ξηρὰ βαθεῖαν γλῶ ἐνίκησε σπορᾷ,
νόθοι τε πολλοὶ γνησίων ἀμείνονες.

inquit Euripides, in Andromache, indicans sæpe spurios legitimis esse meliores. quoniã, vt idem alibi scripsit, nomen dispar, natura æqualis est;

ὀνόματι μεμπτὸν τὸ νόθον, ἡ φύσις δ' ἴση.

quod verò in eandem sententiam scripsit Euripides;

ἐγὼ γὰρ παῖδας οὐκ ἐῶ νόθους λαβεῖν.
τῶν γνησίων γὰρ οὐδὲν ὄντες ἐνδεεῖς
νομῷ νοσοῦσιν.

iuri nostro conuenit, quo tam male audiunt spurij, vt infames & vilis conditionis esse censeantur, vt docet Andr. Tiraquellus De nobilitate c. 15. nu. 14. cum aliquot sequẽtibus. post quẽ pro spuriorũ vituperatione & defensione multa cõgessit Palæottus in lib. De spuriis & nothis filiis à cap. 55. vsque ad lib. finẽ.

732 *Lacana ferrum cultu Amazonio gerens.* more Amazonum securim gestans. in o. v. l. valdè constanter legitur; *Lacana ferrum, cultum Amazonium gerens.* quid si *cultrum*? vt cultrum Amazonium vocet securim, qua Clytæmnestra Agamemnonem occidit. sed nihil muto. nam vet. lib. eandem sententiam admittit; & versus repugnat m. s. lectioni.

733 *Alta.* v. l. *alia.* idque recipi debet.

739 *Troia sepulta.* lege *sepultæ.*

Frater. Hector. loquitur iuxta communem sententiã. nam Porphyrius testimoniis Ibyci & aliorum probat Hectorẽ non Priami, sed Apollinis filium fuisse. vide Scholiastem Homeri Iliad. γ'.

742 *Saucios vinclo graui.* respicit ad illud Virgilij 2. Aeneid.

—— *perq́; pedes traiectus lora tumentes.*

743 *Nimium citò congresse Achilli Troile.* non dubito quin Virgilij 1. Aeneid. versum voluerit exprimere,

Parte alia fugiens amißis Troilus armis
Infelix puer & impar congressus Achilli.

de Troilo quædam notauit amicus meus, homo egregiè doctus, Guilhelmus Canterus lib. 2. nouarum lectionum: quę tamen quàm parum conueniant Virgilio, olim Seb. Corradus, & postea Guellius docuerunt. minus Senecæ quadrant. quis enim credat sororem fratri tale flagitium affingere? Troili mors vnũ ex fatis Troiæ fuit. Plautus, Baccidibus;

Agrestis ille alumnus euertet domum.
Quid ista vecors tela femineâ manu
Districta præfert? quem petit dextrâ virum
Lacæna cultu ferrum Amazonio gerens?
Quæ versat oculos alia nunc facies meos?
Victor ferarum colla vexatus iacet,
Ignobili sub dente Marmaricus leo,
Morsus cruentos passus audacis leæ.
Quid me vocatis sospitem solam è meis,
Vmbræ meorum? te sequor tota pater
Troia sepultæ. frater auxilium Phrygum,
Terrorq́; Danaûm: non ego antiquum decus
Video, aut calentes ratibus exustis manus;
Sed lacera membra, & saucios vinclo graui
Fortes lacertos. te sequor nimium citò
Congresse Achilli Troile. incertos geris
Deiphobe vultus, coniugis munus nouæ.
Iuuat per ipsos ingredi Stygios lacus:
Iuuat videre Tartari sæuum canem,
Auidiq́; regna Ditis. hæc hodie ratis
Phlegethontis atri regias animas vehet,
Victamq́;, victricemq́;: vos vmbræ precor,
Iurata superis vnda te pariter precor,
Reserate paulum terga nigrantis poli,
Leuis vt Mycenas turba prospiciat Phrygum.
Spectate miseri: fata se voluunt retro.
Instant sorores squallidæ,
Sanguinea iactant verbera,
Fert læua semustas faces,
Ardentq́; pallentes genæ,
Et vestis atri funeris
Exesa cingit ilia,
Strepuntq́; nocturni metus,
Et ossa vasti corporis
Corrupta longinquo situ
Palude limosâ iacent.
Et ecce defessus senex,
Ad ora ludentes aquas
Non captat, oblitus sitis,
Mæstus futuro funere.
Exsultat, & ponit gradus
Pater decoros Dardanus.
CH. *Iam peruagatus ipse se fregit furor,*
Caditq́;, flexo qualis ante aras gradu

Cer-

Ceruice taurus vulnus incisâ gerens.
Releuemus artus entheos. Tandem suos
Victrice lauro cinctus Agamemnon adit,
Coniuxq́; pariter obuios illi tulit
Gressus, reditq́; iuncta concordi gradu.

ACTVS QVARTVS.

AGAMEMNON. CASSANDRA.

AG. *Tandem reuertor sospes ad patrios lares.*
O cara salue terra: tibi tot barbaræ
Dedêre gentes spolia: tibi felix diu
Potentis Asiæ Troia summisit manus.
Cur ista vates corpus effusa, ac tremens
Dubiâ labat ceruice? famuli attollite,
Refouete gelido latice. iam recipit diem
Marcente visu: suscita sensus tuos.
Optatus ille portus ærumnis adest.
Festus dies est. CAS. *festus & Troiæ fuit.*
AG. *Veneremur aras.* CAS. *cecidit ante aras pater.*
A. *Iouem precemur pariter.* C. *Herceum Iouem?*
A. *Credis videre te Ilium?* C. *& Priamum simul.*
A. *Hic Troia non est.* C. *vbi Helena est, Troiā puto.*
AG. *Ne metue dominam famula.* C. *libertas adest.*
A. *Secura viue.* C. *mors mihi est securitas.*
A. *Nullum est periclū tibimet.* C. *at magnū tibi est.*
A. *Victor timere quid potest?* C. *quod non timet.*
A. *Hanc fida famuli turba, dum excutiat deum,*
Retinete, nequid impotens peccet furor.
At te pater, qui sæua torques fulmina,
Pellisq́; nubes, sidera & terras regis,
Ad quem triumphi spolia victores ferunt;
Et te sororem cuncta pollentis viri
Argolica Iuno; pecore votiuo libens
Arabumq́; donis, supplice & fibrâ colam.

CHO-

Ilio tria audiui fuisse fata, quæ illi exitio forent,
Signum ex arce si perisset, alterum est etiam Troili mors,
Tertium cùm porta Scæa limen superum scinderetur.

744 *Incertos.* tales, vt quis dubitare queat tuáne sit facies an alterius; quod etiam Virgilius innuit lib. 6.

Atq; hic Priamidem laniatum corpore toto
Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora,
Ora, manusq́; ambas, populataq́; tempora raptis
Auribus, & truncas inhonesto vulnere nares:
Vix adeò agnouit pauitantem ——

772 *Caditq́;.* Lucanus, de Phœbade, lib. 5.
—— *Vixq́; refecta cadit* ——

784 *Refouete gelido latice.* frigida eis qui deliquium animi patiuntur prodest, auctore Hippocrate in Aphorismis, & Aristotele in Problematibus: quia frigus spiritus cogit, & impedit ne dissoluantur; qui spiritus plurimi ad faciem venire solent. itaque aqua frigida in faciem diffusa illos congregat, quibus congregatis, sensibus functiones suæ redduntur, sicque euanescit λειποψυχία. Calida autem aqua illis prodest qui timuerunt vel laborarunt vehementius. De gelida aqua habes exempla hic, & apud Homerum Iliad. ι. & ξ. ait etiam Ouidius, in epist. Laodamiæ;

Lux quoque tecum abiit, tenebris exsanguis obortis,
Succiduo dicor procubuisse genu.
Vix socer Iphiclus, vix me grandæuus Acastus,
Vix mater gelida mæsta refecit aqua.

Posterioris, scilicet de calida, exempla suppeditat Homerus Odyss. ι. & Odyss. ι. & Plautus in Bacchidibus, inquiens;

BA. *dabitur opera. aqua calet. eamus intro, vt laues.*
Nam, vt in naui vecta es, credo timida es.
B. *aliquantum soror.*
Simul hic nescio quid turba est ——

788 *Cecidit ante aras pater.* autographa habent; *concidit ante aras pater.*

791 *Vbi Helena est, Troiam puto.* Helena hic est in Græcia. ideo videor mihi adhuc in Troia agere. 792 *Ne metue dominam famula.* existimabat Agamemnon Cassandram nondum furere desiisse, ideo superiore versu cùm Helenam dixerat, Clytæmnestram dicere voluisse. iccirco subiungit, ne metue dominam Clytæmnestram. ego enim, qui te maritali affectu diligo, prospiciam ne illa tibi sit iniuria, vel te manumittam. atque ita mihi non quasi famulæ, sed dominæ & reginæ futura es loco. Tale illud Propertij lib. 4. *Sic hospes, pariámne tuâ regina sub aulâ;* *Dos tibi non humilis prodita Roma venit.* Vel sanè, Cassandræ mentem non satis assecutus ait, Helenam non futurā ipsius dominam.

Libertas adest. ego, inquit, non timeo me illius famulam futuram, quia confestim moriar: mors autem, quæ est vltima rerum linea, me manumittet. 794 *Tibimet.* vox; *met*, superflua est, & solum pro tibicine ad fulciendum versum est addita: nec possis dicere ἔμφασιν aut παραδιαγράφησιν esse.

807 *Imparem æquaſti.* in huius verſus expoſitione mera inſomnia ab omnibus adferuntur. Videtur Seneca non ad duodecim Deos magnos reſpexiſſe, inter quos Hercules non eſt, & ſine quo eorum numerus eſt par, ſunt enim quos ita refert Ennius;

Iuno, Veſta, Ceres, Daiana, Minerua, Venus, Mars,
Mercurius, Ioui', Neptunus, Volcanus, Apollo.

neque ad alios *Selectos*, qui ſine Hercule octo erant, Ianus, Saturnus, Genius, Pluto, Bacchus, Sol, Luna, Tellus, vide Aurelium lib. 1. de cognomin. Deor. cap. 2. Sed Seneca reſpexiſſe videtur eo, quod Hercules Heben duxit vxorem, & ſic imparem numerum Deorum æquauit, Hercules; quod poeta tribuit Argis, quoniam ex ea originem Hercules ducebat, ibique fuerat educatus; hâc interpretationem memini Lipſio meo placere. Vel ſanè intellexit Seneca, de communibus Diis; qui ante Herculem tantum tres erant, Mars, Bellona, Victoria; additusque iis Hercules, quaternarium numerum compleuit, ſicque imparem numerum æquauit. quia autem de communibus Diis multa non ſatis nota ſunt omnibus, cenſeo legendos Seruium, Sabinum, & Hartungum ad illud Virg. lib. 12. Aeneid.

—— *& diis communibus aras.*

Lilium Giraldum, de hiſtoria Deorum Syntagmat. 1. & Antonium Roſcium memorabilium lib. 2.

811 *Geminauit.* Seneca hic & in Hercule OEtæo, docet Herculem duabus noctibus fuiſſe genitum, vt Propertius libro 2.

Iuppiter Alcmenæ geminas requieuerat Arctos,
Et cælum noctu bis ſine rege fuit.

Lycophron adiicit vnam noctem; Clemens Alexandrinus liberalior in προτρεπτ. inquiens; ὁ Ζεὺς ἐκεῖνος, ὁ μετ' Ἀλκμήνης πανυχίζων ἡδυπαθήσας νύκτας. οὐδὲ γὰρ αἱ νύκτες αἱ ἐννέα τῷ ἀκολάστῳ μακραὶ &c. & Arnobius, hoc imitatus, lib. 4. contra gentes, ait; Hercules natus eſt, qui in rebus huiuſmodi patris ſui tranſiret exſuperaretq; virtutes. ille noctibus vix nouem, vnam potuit prolem extundere, concinnare, compingere: at Hercules, Sanctus deus, natas de Theſtio quinquaginta nocte vna perdocuit & nomen virginitatis ponere, & genitricũ pondera ſuſtinere.

825 *Nemeæus.* qui, vt alibi dictum eſt, ex orbe Lunari deciderat. Epimenides;

καὶ γὰρ ἐγὼ γένος εἰμὶ Σελήνης ἠϋκόμοιο,
ἃ δεινὸν φρίξασ' ἀπεσείσατο θῆρα λέοντα,
ἐς Νεμέαν ἄγουσ' αὐτὸν διὰ πότνιαν
Ἥραν.

826 *Fulmineus leo.* hoc eſt, rapidus, impo-

CHORVS GRÆCORVM.

Verſus choriambici, iambici, ſapphici, trochaici, dactylici, valde confuſi.

Argos nobilibus nobile ciuibus,
Argos iratæ carum nouercæ,
Semper ingentes educas alumnos,
Imparem æquaſti numerum deorum.
Tuus ille biſſeno meruit labore
Allegi cælo magnus Alcides:
Cui lege mundi Iuppiter ruptâ,
Roſcidæ noctis geminauit horas,
Iuſſitq; Phœbum tardius celeres
Agitare currus, & tuas lentè
Remeare bigas, candida Phœbe;
Retulitq; pedem, alternis nomen
Stella quæ mutat, ſeq; mirata eſt
Heſperum dici. Aurora mouit
Ad ſolitas vices caput, & relabens
Impoſuit ſenis humero mariti.
Senſit ortus, ſenſit occaſus,
Herculem naſci: violentus ille
Nocte non vnâ poterat creari.
Tibi concitatus ſubſtitit mundus,
O puer magnum ſubiture cælum.
Te ſenſit Nemeæus arcto
Preſſus lacerto fulmineus leo,
Ceruaq; Parrhaſis:
Senſit Arcadiỹ populator agri,
Gemuitq; taurus Dictæa linquens
Horridus arua.
Morte fœcundum domuit draconem,
Vetuitq; collo pereunte naſci:
Geminoſq; fratres pectore ab vno
Tria monſtra natos, ſtipite incuſſo
Fregit inſultans: duxit ad ortus
Heſperium pecus
Geryonis ſpolium triformis.
Egit Thrëicium gregem;
Quem non Strymoniỹ gramine fluminis,
Hebríve ripis pauit tyrannus
Hoſpitum dirus, ſtabulis cruorem
Præbuit ſæuis, tinxitq; crudos
Vltimus rictus ſanguis aurigæ.

Vidit

Vidit Hippolyte ferox,
Pectore è medio rapi spolium, & sagittas.
Nube percussâ Stymphalis alto
Decidit cælo.
Arborq́, pomis fertilis aureis
Extimuit manus insueta carpi,
Fugitq́, in auras leuiore ramo.
Audiuit sonitum crepitante lamnâ
Frigidus custos nescius somni;
Linqueret cùm iam nemus omne fuluo
Plenus Alcides vacuum metallo.
Tractus ad cælum canis inferorum
Triplici catenâ, tacuit, nec vllo
Latrauit ore, lucis ignotæ
Metuens colorem. te duce succidit
Mendax Dardaniæ domus,
Et sensit arcus iterum timendos:
Te duce concidit totidem diebus
Troia quotannis.

ACTVS QVINTVS.

CASSANDRA.

Res agitur intus magna, par annis decem.
Eheu quid hoc est? anime consurge, & cape
Precium furoris: vicimus victi Phryges.
Bene est, resurgis Troia, traxisti iacens
Pares Mycenas: terga dat victor tuus.
Tam clara nunquam prouidæ mentis furor
Ostendit oculis: video, & intersum, & fruor,
Imago visus dubia non fallit meos.
Spectamus: epulæ regia instructæ domo,
Quales fuerunt vltimæ Phrygibus dapes,
Celebrantur: ostro lectus Iliaco nitet;
Merumq́, in auro veteris Assarici trahunt,
Et ipse pictâ veste sublimis iacet,
Priami superbas corpore exuuias gerens.
Detrahere cultus vxor hostiles iubet,
Induere potiùs coniugis fidæ manu
Textos amictus. horreo, atque animo tremo.
Regémne perimet exsul, & adulter virum?
Venêre fata, sanguinem extremæ dapes
Domini videbunt, & cruor Baccho incidet,
Mortifera vinctum perfidæ tradet neci.
Induta vestis exitum manibus negat,

tens, præceps, pernix, &c. sic Claudianus;

Obuia fulminei properēt ad vulnera pardi,

Aliam rationem habet illud Martialis;

Fulmineo spumantis apri sum dente petita.

nam iccirco hoc dictum est, quia, vt Xenophon & Pollux testantur, ille in Cynegetico, hic lib. 5. Onomast. cap. 12. apri cùm irascuntur, dentibus vrunt, vt videatur iis nescio quid igneum contineri: alioquin crines admoti, quod sæpe accidit, non adurerentur. ideo etiã Apuleius lib. 8. asini, dixit de apro; Impetu sæuo fremẽtis oris totus fulmineus. Ouidius;

Fulmẽ habẽt acres in aduncis dẽtibus apri.

& alibi, in apri descriptione;

—— dentes æquantur dentibus Indis,
Fulmen ab ore venit. frondésque afflatibus ardent.

Vnde apparet hoc naturæ miraculum veteribus fuisse notissimũ. ideo miror Iulium Scaligerum li. 5. de arte poët. cap. 14. existimasse, Silium & Statium latuisse. quãuis enim expressè illius non meminerint; inde tamẽ non consequitur, ignorantia, non voluntate prætermissum. quinimo ex iis ipsis Silij lib. 1. & Statij lib. 11. Thebaid. versibus, quos Scaliger adducit, arbitrer satis probabiliter cõtrarium colligi. quoniam scilicet vterque apros fulmineos appellauit. nec enim temerè tam laboriosis & doctis poëtis tam crassa ignoratio tribui debet, vt rem vulgo notã ignorasse potius quàm leuiter eam vno verbo indicare contenti fuisse videãtur. Porrò quod Ouid. dicit,

—— dentes æquantur dentibus Indis:

non solùm Elephantinorum cornuũ respectu dictum accipi potest; sed etiam Indicorum aprorum, quos Plinius lib. 8. auctor est dentium flexus cubitales habere.

827 *Ceruaq́, Parrhasis.* hoc ordine recenset labores Herculis: 1. Nemeæum leonem, 2. aëripidem ceruam. 3. aprum Arcadium. 4. Cretensem taurum. 5. hydram Lernæam. 6. Geryonem. 7. Diomedem. 8. Hippolytes Amazonis baltheum. 9. Stymphalides. 10. Hesperidum draconem. 11. Cerberum. 12. Ilij expugnationem.

851 *Lamna.* pro, lamina. Sic vocat aurea poma Hesperidum. malè vulgò legitur *flamma*. Sic in Florentinis Pandectis *lamna* scriptũ est, l. Q. Mucius. 27. §. fin. D. de aur. arg. leg. differt autem lamina à bractea, vt docet Valla; quamuis D. Hieronymus ad Fabiolum ea confuderit. Vide Catellianum Cottam, in voce *Lamina*.

860 *Totidem.* Troiam igitur Hercules decem dierum spacio expugnauit.

865 *Vicimus victi.* videtur fuisse adagium. Plautus, in Casina;

Nostro omine it dies, iam victi vicimus.

Cæsius Bassus:

Romani à Gallis deuicti sunt victores.

Ouidius 1. Fastor.

Victa tamen vinces, euersaq́; Troia resurges. alius quidam;

—— victos vincere posse putet.

Liuius li. 26. omnibus bellis victi vicerimus. nec longe recedit illud Herodoti, in Vrania: ὠδὲν νικῶντες οἱ Ἕλλωνες νικῶντο. itaque quotiescumque maiorem cladem victis victores acceperunt, dici poterit victos vicisse. vt auorum nostrorum memoria in Rauennati prælio (quod melius ceteris describūt Franciscus Guicciardinus hist. lib. 10. & Arnoldus Ferronus Gallicarum rerum lib. 4. & Gondisaluus Illescas Pontificalis Historiæ, lib. 6. cap. 23. §. 3.) accidit, singulari Hispani peditis virtute; de quo prælio dici solet; Los vençidos, vençidos: los vencedores perdidos. Flere victum, at victorē perdi ab ipsa victoria. idem licebit vsurpare, quando qui vno prœlio fusus fuit, secundo victorem profligat.

866 *Traxisti.* in vno cod. scripto legitur, *strauisti.*

880 *Perimet.* o. v. l. habent *perimat.*

888 *At ille.* sic etiam Hesiodus in Scuto, Herculem. Homerus Iliad. λ'. Vlyssem, Virgilius Aeneid. 10. Mezentium, Ouidius Fastor. 2. Fabios, Statius 2. Thebaid. & Silius libro 1. alios apris compararunt. Izaacius solus Agamemnonem irretito pisci.

897 *Habet, peractum est.* Hercule Oetæo actu 4. *Habet, peractum est. quas petis pœnas, dedit.*

900 *Exanimem petit* hoc vel timidi est, vel ira furentis, vel crudelis, hic timidi potiùs, videtur. 901 *Illa fodientem adiuuat.* sic apud Euripidem Electra Orestem adiuuat in Clytæmnestra necanda.

Ος ἐγὼ μὲν ἐπιβαλὼν φάρη κόραις ἐμαῖ
σι, φασγάνῳ κατηρξάμαν,
ματέρος ἔσω δέρας μεθείς.
ἐγὼ δ' ἐπεκέλευσά σοι
ξίφους τ' ἐφαψάμην ἅμα.

videlicet semper qua mensura mensi fuerimus, eadem Deus nobis remetitur. Audiui à viris fide dignis in Frisia non ita pridem contigisse, vt quidam, qui patri suo sæpe iniurius fuerat, adeò vt illum pugnis contundere, & crinibus raptare prostratum sustinuerit; à filio suo eodem modo per domum raptatus, cùm ad limen peruentum foret, & nefandi istius rabies etiam vlterius progressura videretur; miser iste parens, intelligens iusto Dei iudicio hæc se perpeti, exclamarit: Hactenus fili, neque enim ego parentem meum auum tuum vltra domus limen crinibus traxi. Immane me hercle, horrendumq́ue exemplum, quod si Brusonio, Sabellico, Fulgoso, & aliis exem-

Caputq́; laxi & inuij cludunt sinus.
Haurit trementi semiuir dextrâ latus,
Nec penitus adigit, vulnere in medio stupet.
At ille, vt altis hispidus siluis aper,
Cum casse vinctus, tentat egressus tamen,
Arctatq́; motu vincla, & incassum furit;
Cupit fluentes vndique & cæcos sinus
Disicere, & hostem quærit implicitus suum.
Armat bipenni Tyndaris dextram furens;
Qualisq́; ad aras colla taurorum prius
Designat oculis, antequàm ferro petat:
Sic huc & illuc impiam librat manum.
Habet, peractum est. pendet exiguâ malè
Caput amputatum parte, & hinc trunco cruor
Exundat, illinc ora cum fremitu iacent.
Nondum recedunt. ille iam exanimem petit,
Laceratq́; corpus: illa fodientem adiuuat.
Vterque tanto scelere respondet suis.
Hic est Thyestæ natus, hæc Helenæ soror.
Stat ecce Titan dubius emerito die,
Suáne currat an Thyesteâ viâ.

ELECTRA. STROPHIVS.

EL. *Fuge ô paternæ mortis auxilium vnicum,*
Fuge, scelestas hostium euita manus.
Euersa domus est funditus, regna occidunt.
Quis iste celeres concitus currus agit?
Germane vultus veste furabor tuos.
Quos anime demens refugis? externos fugis?
Domus timenda est, pone iam trepidos metus
Oresta: amici fida præsidia intuor.
ST. *Phocide relictâ Strophius, Eleâ inclytus*
Palmâ reuertor. causa veniendi fuit,
Gratari amico; cuius impulsum manu
Cecidit decenni Marte concussum Ilium.
Quænam ista lachrymis lugubrem vultum rigat?
Pauetq́; mæsta? regium agnosco genus.
Electra, luctus causa quæ læta in domo est?
EL. *Pater peremtus scelere materno iacet.*
Comes paternæ quæritur natus neci.
Ægisthus arces Venere quæsitas tenet.
ST. *O nulla longi temporis felicitas!*
EL. *Per te parentis memoriam obtestor mei,*
Per sceptra terris nota, per dubios deos;

Recipe

Recipe hunc Oresten, ac pium furtum occule.
ST. *Etsi timendum casus Agamemnon docet,*
Aggrediar, & te Oresta furabor libens.
Poscunt fidem secunda, at aduersa exigunt.
Cape hoc decôrum ludicri certaminis
Insigne frontis, leua victricem tenens
Frondem virenti protegat ramo caput:
Et ista donum palma Pisæi Iouis,
Velamen eadem præstet, atque omen tibi.
Tuq́ ô paternis assidens frenis comes,
Condisce Pylade patris exemplo fidem.
Vos, Græciâ nunc teste, veloces equi
Infida cursu fugite præcipiti loca.
EL. *Excessit, abiit, currus effreno impetu,*
Effugit aciem: tuta iam operiar meos
Hostes, & vltrò vulneri opponam caput.
Adest cruenta coniugis victrix sui,
Et signa cædis veste maculatâ gerit:
Manus recenti sanguine etiamnum madent,
Vultusq́ præ se scelera truculenti ferunt.
Concedam ad aras. Patere me vittis tuis
Cassandra iungi, paria metuentem tibi.

CLYTÆMNESTRA. ELECTRA. ÆGISTHVS. CASSANDRA.

CLY. *Hostis parentis, impium atque audax caput,*
Quo more cœtus publicos virgo petis?
EL. *Adulterorum virgo deserui domum.*
CL. *Quis esse credat virginem?* EL. *gnatam tuam.*
CLY. *Modestius cum matre.* EL. *pietatem doces.*
CLY. *Animos viriles corde tumefacto geris,*
Sed agere domita feminam disces malo.
EL. *Ni fortè fallor, feminas ferrum decet.*
CLY. *Et esse demens te parem nobis putas?*
EL. *Vobis? quis iste est alter Agamemnon tuus?*
CLY. *Indomita post hæc virginis verba impiæ*
Regina frangam. EL. *mitius interea mihi*
Tu vidua loquere: vir caret vita tuus.
CLY. *Edissere vbi sit gnatus, vbi frater tuus?*
EL. *Exiit Mycenas.* CL. *redde nunc gnatum mihi.*
EL. *Et tu parentem redde.* CL. *quo latitat loco?*
EL. *Tuto: quietus regna non metuens noua:*
Iustæ parenti satis, at iratæ parum.
C. *Morieris hodie.* EL. *dummodo hac moriar manu.*

plorum collectoribus notum fuisset, hautdubiè ab illis non foret omissum.

904 *Emerito die.* finito. ducta Metaphora à militum stipendiis.

920 *Electra* tunc temporis Laodice dicebatur, postea autem Electra vocari cœpit. Aelianus var. histor. lib. 4. Ξάνθος ὁ ποιητὴς τῶν μελῶν, ἐγένετο δὲ οὗτος πρεσβύτης Στησιχόρου τοῦ Ἱμεραίου, λέγει τὴν Ἠλέκτραν τοῦ Ἀγαμέμνονος οὐ τοῦτο ἔχειν τοὔνομα πρῶτον, ἀλλὰ Λαοδίκην· ἐπεὶ δὲ Ἀγαμέμνων ἀνῃρέθη, τὴν δὲ Κλυταιμνήστραν ὁ Αἴγισθος ἔγημε, καὶ ἐβασίλευσεν, ἄλεκτρον οὖσαν, καὶ καταγηρῶσαν παρθένον Ἀργεῖοι Ἠλέκτραν ἐκάλεσαν, διὰ τὸ ἀμοιρεῖν ἀνδρὸς καὶ μὴ πεπειρᾶσθαι λέκτρου. Porrò Orestem à Strophio educatum fuisse etiam Pyrander in Peloponnesiacis, teste Plutarcho, tradidit.

950 *Quo more cœtus publicos virgo petis.* inhonestum veteres existimarunt virginem in publico versari, nec virginem solùm, sed etiam matremfamiliæ, vt constat ex multis Euripidis locis, in Heraclidis, in Oreste, in Iphigenia Aulidensi. & alibi (vide Tiraquel. lege. 10. Connub. nu. 12. & Rhodigin. li. 10. antiq. cap. 3. & lib. 13. cap. 6.) Menander;

ἔνδον μένουσαν τὴν γυναῖκ' εἶναι χρεὼν
ἐσθλὴν, θύραζε δ' ἀξίαν τοῦ μηδενός.

quam rem copiosè & eleganter persequitur D. Gregorius Nazianzenus, in lib. De documentis virginum. hac ratione motus Constantinus Imp. l. nemo. C. de offic. diuersor. iudic. matremfamil. quę intra domum semet cõtinet, in publicum protrahi vetuit, propter sexus verecũdiam, l. 2. §. 1. C. de his qui ven. ætat. impetrar. c. 43. §. porrò si. de election. in 6. ob quam illis virorum cœtibus immisceri non conuenit, auctore Bonifacio octauo, in c. mulieres. de iudic. in 6. Sanè D. Paullo mulier οἰκουργὸς, Augusto apud Dionem οἰκουρὸς, οἰκονόμος, vocatur. ait Philo, teste Cuiacio lib. 7. obseruat. cap. 16. θηλείαις οἰκουρία καὶ ἔνδον μονὴ ἐφαρμόζουσι. notum est illud οἰκουρίας symbolum Venus testudinẽ calcans.

952 *Quis esse credat virginem?* EL. *natam tuam.* ait Electra, rectè suspicaris neminem crediturum me esse virginem, non quia cœtus publicos peto; sed quia filia tua sum. te sciunt omnes pudicitiam tuã Aegistho prostituisse: me suspicabuntur matris vestigia secutam pudori meo nõ temperasse. & meritò. sunt enim parentibus filij plerumque similes auctore Aristotele lib. 3. polit. cap. 8. & lib. 3. Rhetor. ad Theodectem, & filiæ matrũ mores imitantur, vnde Ezechielus vates; sicut « mater, ita & filia eius. D. Ambrosius autẽ li. 3. « De virginitate; Quid potuit filia de adultera « matre discere, nisi damnum pudoris? meritò «

Recedo ab aris. siue te iugulo iuuat
Mersisse ferrum, præbeo iugulum volens:
Seu more pecudum colla resecari placet;
Intenta ceruix vulnus exspectat tuum.
Scelus peractum est: cæde respersam viri,
Atque obsoletam, sanguine hoc dextram ablue.
CLY. *Consors pericli pariter, ac regni mei*
Ægisthe gaudes? gnata genitricem impiè
Probris lacessit, abditum fratrem occulit.
AEG. *Furibunda virgo vocis infandæ sonum,*
Et aure verba indigna materna opprime.
EL. *Etiam monebit sceleris infandi artifex,*
Per scelera nactus nomen ambiguum suis,
Idem sororis gnatus, & patris nepos.
CLY. *Ægisthe cessas impium ferro caput*
Demetere? fratrem reddat, aut animam statim.
Abstrusa cæco carcere, & saxo exigat
Æuum, per omnes torta pœnarum modos:
Referre, quem nunc occulit, forsan volet
Inops, egens, inclusa, pædore obsita,
Vidua ante thalamos, exul, inuisa omnibus,
Æthere negato. serò succumbet malis.
EL. *Concede mortem.* CLY. *si recusares, darem.*
Rudis est tyrannus, morte qui pœnam exigit.
EL. *Mortē aliquid vltra est?* C. *vita, si cupias mori.*
Arripite famuli monstrum, & auectam procul
Vltra Mycenas, vltimo in regni angulo
Vincite, septam nocte tenebrosi specus,
Vt inquietam virginem carcer domet.
At ista pœnas capite persoluat suo,
Captiua coniux, regij pellex tori:
Trahite, vt sequatur coniugem ereptum mihi.
CAS. *Ne trahite, vestros ipsa præcedam gradus.*
Perferre prima nuncium Phrygibus meis
Propero, repletum ratibus euersis mare,
Captas Mycenas, mille ductorem ducum,
Vt paria fata Troicis lueret malis;
Perisse dono feminæ, stupro, dolo.
Nihil moramur, rapite: quin grates ago.
Iam iam iuuat vixisse, post Troiam iuuat.
CL. *Furibunda morere.* CA. *veniet & vobis furor.*

L. ANN.

igitur Peleus apud Euripidē, in Andromache;

— ἐκφέρουσι γὰρ
μητρῷ' ὀνείδη. τοῦ δὲ καὶ σκοπεῖτέ μοι
μνηστῆρες ἐσθλῆς θυγατέρ' ἐκ μητρὸς λαβεῖν.

960 *Regina frangam.* huc spectat illud Attij in Aegistho; Neque fera hominum pectora fragescunt, donec vim persenscrint imperij. ceterùm in veteribus libris legitur ita;

Indomita posthac virginis verba impiè
Regina frangam citius. interea mihi
Edissere, vbi sit natus, vbi frater tuus.
EL. *exiit &c.*

980 *Nomen ambiguum suis.* ait per parentum scelera AEgisthum nactum esse nomen ambiguū suis. id est, quem nescirent parētes (quos suos vocat) quo nomine compellarent. Thyestes dubius filiúmne an nepotem; Pelopeia ignara filiúmne an fratrem nuncuper. 988 *Vidua ante thalamos.* locus hic confirmat Labeonis sententiam de vidua. l. malum. D. de verbor. signific.

1008 *Veniet & vobis furor.* solent eorum, qui morti vicini sunt vaticinia exitū habere. testis hoc loco Seneca. testis Homerus apud quē Iliad. χ'. Hector Achilli mortē prædicit. testis Sophocles in μαστιγοφόρῳ, vbi Aiax moriens imprecatur Agamemnoni & Vlyssi, vt à carissimis occidantur. testis Virgilius li. 10. Aeneid. vbi Orodes Mezentio vicinā mortem imminere vaticinatur. testis Ouidiana Dryas. lib. 7. Metamorph. inquiens;

Nympha sub hoc ego sum Cereri gratissima ligno;
Quæ tibi factorum pœnas instare tuorum
Vaticinor moriens, nostri solatia lethi.

testis Lucani Domitius lib. 7. his verbis;

Non te funesta scelerum mercede potitum,
Sed dubium fati, Cæsar, generoq́; minorem
Aspiciens, Stygias, Magno duce, liber ad vndas
Et securus eo te sæuo Marte subactum,
Pompeioq́; graues pœnas, nobisq́; daturum,
Cùm morier sperare licet ——

Testis Calanus Indus, qui, sciscitāti Alexandro Macedoni numquid vellet, respondit; Nihil, breui te videbo. testis postremo Socrates apud Xenophontem ἐν τῇ Σωκράτους ἀπολογ. πρὸς τοὺς δικας. nam Clytæmnestram & AEgisthum occidit Orestes, qui quia exinde furere cœpit, ait; *veniet & vobis furor.* scilicet Orestis. Agamemnon ab vxore & cognato, Vlysses à filio Telegono occisus fuit. Peliam filiæ consciderūt. Mezentius eodem libro ab Aenea interficitur. Erisichthon paullo post miserabili fame confectus interit. C. Cæsar corā Pompeij statua, plus viginti vulneribus confectus cecidit. Non multis à Calani morte diebus Alexander Babylone veneno interiit. Anyti quoque filio omnia euenerunt, quæ verissimè euentura Socrates moriens diuinarat. quæ cuncta vt ab optimis scriptoribus sunt prodita; lubuit annotare, vt appareat vnde Ethnicorum illa vetus opinio, quam initio posui, promanarit.

L. ANN. SENECÆ Octauia.

TRAGOEDIA X.

PERSONÆ.

Octauia. Nutrix. Chorus. Poppæa. Nuncius. Agrippina. Seneca. Nero. Præfectus.

ACTVS PRIMVS.

OCTAVIA.

Anapæstici.



AM vaga cælo sidera fulgens
Aurora fugat: surgit Titan
Radiante comâ, mundoq́; diem
Reddit clarum: age tot tantis
Onerata malis, repete assuetos
Iam tibi questus, atque æquoreas
Vince Halcyonas, vince & volucres
Pandionias, grauior namque his
Fortuna tua est. semper genitrix
Deflenda mihi, prima meorum
Causa malorum, tristes questus
Nate exaudi, si quis remanet
Sensus in vmbris. vtinam antè manu
Grandæua suâ, mea rupisset
Stamina Clotho; tua quàm mærens
Vulnera vidi,
Oraq́; fœdo sparsa cruore.
O lux semper funesta mihi!
Tempore ab illo lux est tenebris
Inuisa magis.
Tulimus sæuæ iussa nouercæ,
Hostilem animum, vultusq́; truces.
Illa illa meis tristis Erinnys
Thalamis Stygios prætulit ignes,
Teq́; exstinxit miserande pater:
Modò cui totus paruit orbis

ADVERSARIA IN OCTAVIAM.

OCTAVIA. Hæc tragœdia tota Latina & tota Senecæ est.

4 *Eia age tantis.* sic reposuit N. cùm antè legeretur; *age tot tantisq́;* ego in membranis inuenio; *age tot tantis.* quod placet hiatu recepto.

7 *Vince Alcyonas.* hac comparatione vtitur Euripides in Iphigenia Taurica, & Pacuuius, in Teucro, inquit;

Alcyonis ritu litus peruolgans feror.

9 *Genitrix.* Valeria Messalina; quam cum super cetera dedecora etiam Claudius C. Silio nupsisse comperisset, supplicio affecit.

21 *Nouerca.* Agrippinæ: hæc mortua Messalina, Claudio patruo suo nupsit.

Vltra Oceanum: cuiq; Britanni
Terga dedere, ducibus nostris
Antè ignoti, iurisq; sui.
Coniugis (heu me) pater insidiis
Oppresse iaces, seruitq; domus
Cum prole tuâ capta tyranno.

NVTRIX.

Fulgore primo captus, & facili bono "
Fallacis aulæ, quisquis attonitus stupet;
Subito latentis ecce fortunæ impetu "
Modò præpotentem cernat euersam domum,
Stirpemq; Claudi; cuius imperio fuit
Subiectus orbis; paruit liber diu
Oceanus, & recepit inuitus rates.
En qui Britannis primus imposuit iugo,
Ignota tantis classibus texit freta,
Interq; gentes barbaras tutus fuit,
Et sæua maria, coniugis scelere occidit;
Mox illa gnati, cuius exstinctus iacet
Frater venenis: mæret infelix soror,
Eademq; coniux, nec graues luctus valet
Irâ coacta tegere: crudelis viri
Secreta refugit semper, atque odio pari
Ardens mariti, mutuâ flagrat face.
Animum dolentis nostra solatur fides,
Pietasq; frustra: mutat immitis dolor
Consilia nostra. nec regi mentis potest
Generosus ardor, sed malis vires capit.
Heu quàm nefandum prospicit noster timor
Scelus, quod vtinam numen auertat deûm.

OCTAVIA. NVTRIX.

Anapæstici.

O mea nullis æquanda malis
Fortuna, licet repetam luctus
Electra tuos: tibi mærenti
Cæsum licuit flere parentem,
Scelus vlcisci vindice fratre,
Tua quem pietas hosti rapuit,
Texitq; fides.
Me crudeli sorte parentes
Raptos prohibet lugere timor,

Fra-

27 *Vltra Oceanum, cuique Britanni.* de
„ hac Claudij Britannica victoria, sunt hæc in-
„ certi poëtæ carmina;
„ *Ausoniis numquam tellus violata triũphis,*
Icta tuo, Cæsar, fulmine procubuit.
Oceanusq; tuas, vltra se prospicit aras,
Qui finis mundo, nunc erit imperio.
Victa prius nullo, iamiam spectata triumpho
Illibata tuos gens iacet in titulos.
Fabula visa diu, medioq; recondita ponto
Libera, victori iam modo colla dedit.
Eufrates ortus, Rhenus incluserat Arctos,
Oceanus medium venit in imperium.
Libera non hostẽ, non passa Britannia regem,
Æternum nostro qua procul orbe iacet,
Felix aduersis & sorte oppressa secunda,
Communis nobis & tibi, Cæsar, erit.
Vltima cingebat Tibris tua, Romule regna,
Hic tibi finis erat relligiose Numa;
Et tua, Diue, tuum sacrata potentia cælo
Extremum citrà constitit Oceanum:
At nunc Oceanus geminos interluit orbes,
Pars est imperij, terminus ante fuit.
Mars pater, & nostræ gentis tutela, Quirine
Et magno positus Cæsar vterque polo,
Cernitis ignotos Latia sub lege Britannos.
Sol citra nostrum flectitur imperium.
Vltima cesserũt adoperto claustra profundo,
Et iã Romano cingimur (sic lego) *Oceano.*
Opponis frustrà rapidũ Germania Rhenum,
Eufrates prodest nihil tibi, Parthe fugax;
Oceanus iam terga dedit, nec peruius vlli
Cæsarios fasces imperiumq; tulit.
Illa procul nostro semota exclusaq; cælo
Alluitur nostra victa Britannis aqua,
Semota & vasto disiuncta Britannia ponto,
Cinctaq; inaccessis horrida litoribus:
Quã pater iunctis Nereus vallauerat vndis,
Quam fallax æstu circuit Oceanus,
Brumalem sortita plagã quà frigida semper
Præfulget stellis Arctos inocciduis:
Conspectu deuicta tuo Germania Cæsar
Subdidit insueto colla premenda iugo,
Adspice confundit populos imperuia tellus.
Cõiunctũ est quod adhuc orbis & orbis erat.

In quarto à fine versu sententia postulat, vt legatur *Britannia.* nam vnicam hanc expeditionem Claudius suscepit. quare *Germania* legi non potest.

31 *Oppresse.* boleto venenato.

32 *Tyranno.* Neroni.

40 *Ora Tanais.* agit de Britannica Claudij expeditione & victoria; cuius frequens mentio apud Dionem, Zonaram, Plinium, Eutropium, Orosium & Adonem Viennensem. quare cùm à Britannia valde alienus sit Tanais, quare censui aliquãdo hoc loco legendum *Tamesis*, cuius fluminis bis apud Cæ-

Fratrisq́. necem deflere vetat;
In quo fuerat spes vna mihi,
Totq́; malorum breue solamen.
Nunc in luctus seruata meos,
Magni resto nominis vmbra.
NVT. *Vox en nostras perculit aures*
Tristis alumnæ: cessat thalamis
Inferre gradus tarda senectus.
OCT. *Excipe nostras lacbrymas nutrix,*
Testis nostri fida doloris.
NVT. *Quis te tantis soluet curis*
Miseranda dies?
OCT. *Qui me Stygias mittet ad vmbras.*
NVT. *Omina, quæso, sint ista procul.*
OCT. *Non vota meos tua nunc casus,*
Sed fata regunt.
NVT. *Dabit afflictæ meliora Deus* “
Tempora mitis: tu modò blando “
Vince obsequio placata virum.
OC. *Vincam sæuos antè leones,*
Tigresq́. truces, fera quàm sæui
Corda tyranni.
Odit genitos sanguine claro,
Spernit superbos humilesq́. simul,
Nec fortunam capit ipse suam;
Quam dedit illi, per scelus ingens,
Infanda parens: licet ingratum
Diræ pudeat munere matris,
Hoc imperium cepisse: licet
Tantum munus morte rependat:
Feret hunc titulum post fata tamen
Femina longo semper in æuo.
NV. *Animi retinè verba furentis,*
Temere emissam comprime vocem.
OCT. *Toleranda quamuis patiar: haud vnquam queant,*
Nisi morte tristi, nostra finiri mala.
Genitrice cæsâ, per scelus rapto patre,
Orbata fratre, miseriis, luctu obruta,
Mærore pressa, coniugi inuisa, ac meæ
Subiecta famulæ, luce non grata fruor:
Trepidante semper corde, non mortis metu,
Sed sceleris. absit crimen à fatis meis.
Mori iuuabit: pœna nam grauior nece est,

Videre

sarem fit mentio, & Dion lib. 60. tradidit Britannos, accepta clade à C. Sidio Geta, perculsos, seq; ad τάμισαν ποταμὸν recipientes, cùm Romani, Germanorum auxiliariorum virtute, pontem, quo fluuius stratus erat, transiuissent, cæsos fugatosque.

43 *Coniugis.* Agrippinæ.

44 *Gnati.* Neronis.

45 *Frater.* Nero Britannicum Octauiæ fratrem veneno à Locusta accepto sustulit.

49 *Mutua flagrat face.* hoc est, quantum Nero odit Octauiam, tamtum illa odit Neronem.

69 *Magni resto nominis vmbra.* ne existimes imitari illud Virgilij;

Et nunc magna mei sub terras ibit imago.
sunt enim planè diuersa.

84 *Sæuos ante leones.* Euforbus;

Insequitur leo sæuus & alma virginis astrum.

95 *Hunc titulum.* parti filio imperij. fecerat hoc prius Semiramis, sed modo honestiore.

107 *Pœna nam grauior.* in duobus m. s. *pœna nunc grauior.*

115 *Membra cùm soluit quies.* membrorum enim compages somno soluuntur, auctore Paullo Aegineta lib. 1. cap. 97. Homerus Odyss. σ'.

αὖ δὲ δ' ἀνακλινθεῖσα, λύθεν δέ οἱ ἄψεα πάντα.

quare ab eodem somnus vocatur λυσιμελὴς, quemadmodum & ab Apollonio 4. Argon. & Orpheo in hymnis.

120 *Prosequitur hostis.* m. s. habent *persequitur hostis.*

125 *Nitentem.* in vno cod. antiquo legitur *intentam.*

128 *Sauior Pelagi fretis.* quæ illi pepercerant. sic Ouidius Metamorph. 11.

—— crudelior ipso
Sit mihi mens pelago ——

132 *Iustæ maritum coniugis.* à Nerone pro præmio poscit meam necẽ, quæ iusta ipsius vxor sum. Claudius enim octauiam Neroni, quem adoptauerat, in matrimonium traditurus, ne soror fratri nuberet (nam sororem, ne adoptiuam quidem durante adoptione, ducere leges sinebant) eam prius alteri in adoptionem dedit; vt, eo modo in alienam familiam transiens, iustè Neroni nuberet. Erat ergo Octauia iusta Neronis vxor, quid verò inter iustam & iniustam vxorem intersit, docet Ræuardus lib. 4. de iuris ambiguitatibus cap. 16.

138 *Gnato suo.* Britannico.

Sanguine alieno satum. Neronem.

141 *Toris nefandis.* fratris enim vel sororis filiam vxorem ducere non licet. Suetonius Tranquillus lib. 5. Agrippinæ, inquit, Germanici fratris sui filiæ, per ius osculi & blanditiarum occasiones illectus in amorem, subornauit proximo Senatu qui cogerent se ad ducẽdam eam vxorem, quasi reip. interesset, dandamque ceteris veniam talium coniugiorum; quæ ad id tempus incesta habebantur. ac, vix vno interposito die, confecit nuptias, non repertis qui sequerentur exemplũ, excepto libertino quodam, & altero primipilari; cuius officiũ nuptiarum & ipse vna cum Agrippina celebrauit. Eadẽ à Cornelio Tacito lib. 12. commemorantur, nisi quod Tacitus vnum Taledium Seuerum equitẽ Romanum exemplum hoc secutũ fuisse refert.

Flebili iunxit face. siquidem interfectis triginta Senatoribus & innumeris equitibus Romanis nuptias celebrauit, vt tradit Seneca philosophus ἐν τῇ ἀποκολοκυνθ.

Face. Facem hanc sponsæ mater præferebat. noster inferius;

—— dira cui genitrix facem
Accendit ——

& actu 3. Agrippina dicit se Stygiam facem

Videre tumidos & truces misera mihi
Vultus tyranni, iungere atque hosti oscula,
Timere nutus; cuius obsequium meus
Haud ferre posset fata post fratris dolor,
Scelere interemti; cuius imperium tenet,
Et morte gaudet auctor infandæ necis.
Quàm sæpe tristis vmbra germani meis
Offertur oculis, membra cum soluit quies,
Et fessa fletu lumina oppressit sopor?
Modò facibus atris armat infirmas manus,
Oculosq́, & ora fratris infestus petit:
Modò trepidus idem refugit in thalamos meos.
Prosequitur hostis, atque inhærenti mihi,
Violentus ensem per latus nostrum rapit.
Tunc tremor, & ingens excutit somnos pauor,
Renouatq́ luctus & metus miseræ mihi.
Adice his superbam pellicem, nostræ domus
Spoliis nitentem; cuius in munus suam
Stygiæ parentem natus imposuit rati.
Quam dira post naufragia, superato mari,
Ferro interemit, sæuior pelagi fretis.
Quæ spes salutis post nefas tantum mihi?
Inimica, victrix, imminet thalamis meis,
Odioq́ nostri flagrat, & precium stupri
Iustæ maritum coniugis captat caput.
Emergere vndis, & fer auxilium tuæ
Gnatæ inuocanti genitor: aut Stygios sinus
Tellure ruptâ pande, quò præceps ferar.
NVT. *Frustrà parentis inuocas manes tui,*
Miseranda, frustrà: nulla cui prolis suæ
Manet inter vmbras cura: qui gnato suo
Præferre potuit sanguine alieno satum,
Genitamq́ fratris coniugem captus sibi
Toris nefandis flebili iunxit face.
Hinc orta series facinorum, cædes, doli,
Regni cupido; sanguinis diri sitis.
Mactata soceri concidit thalamis gener
Victima, tuis ne fieret hymenæis potens.
Prò facinus ingens! feminæ est munus datus
Syllanus, & cruore fœdauit suo
Patrios penates, criminis factus reus.
Intrauit hostis (hei mihi) captam domum
Dolis nouercæ. principis factus gener,
Idemq́ gnatus, iuuenis infandi ingeni,

Capaxque scelerum; dira cui genitrix facem
Accendit, & te iunxit inuitam metu.
Tantoque victrix facta successu ferox,
Ausa imminere est orbis imperio sacri.
Quis tot referre facinorum formas potest,
Et spes nefandas feminæ, & blandos dolos
Regnum petentis, per gradum scelerum omnium?
Tunc sancta pietas extulit trepidos gradus,
Vacuamque Erinnys sæua funesto pede
Intrauit aulam; polluit Stygiâ face
Sacros penates; iura naturæ furens
Fasque omne rupit: miscuit coniux viro
Venena sæua; cecidit atque eadem sui
Mox scelere gnati. tu quoque exstinctus iaces
Deflende nobis semper infelix puer,
Modò sidus orbis, columen augustæ domus
Britannice: heu me! nunc leuis tantùm cinis,
Et tristis vmbra; sæua cui lachrymas dedit
Etiam nouerca; cùm rogis artus tuos
Dedit cremandos, membraque & vultus deo
Similes volanti flamma feruens abstulit.
OCT. *Exstinguat & me, ne manu nostra cadat.*
NVT. *Natura vires non dedit tantas tibi.*
OCT. *Dolor, ira, mæror, miseriæ, luctus dabunt.*
NV. *Vince obsequendo potius immitem virum.*
OC. *Vt fratrem ademtum scelere restituat mihi?*
NV. *Incolumis vt sis ipsa, labentem vt domum*
Genitoris olim sobole restituas tua.
OC. *Exspectet aliam principis sobolem domus:*
Me dira miseri fata germani trahunt.

NVT.

Neronis & Poppeæ nuptiis præferre. licet haut sciam ex Græco hocan Romano more dicatur. Vide suprà Medeæ versu 17. Romæ enim pueri videntur facem prætulisse. In Plauti Casina Villicus Chalino armigero seruo minatur;

Primò omnium lucebis huic noua nuptæ facem. Catullus;
Tollite ô pueri facem.

apud Græcos & plerosque Barbaros hoc munus matris erat, vt ostēdit Euripides in Iphigenia Aulidensi, apud quem iubenti Agamemnoni donum rediret, dicentique curaturum se omnia, quæ ad filiæ nuptias pertinerent, respondet Clytæmnestra;

— τίς δ' ἀνασχήσει φλόγα;
Αγ. ἐγὼ παρέξω φῶς ὃ νυμφίοις πρέπει.
Κλυ. οὐχ ὁ νόμος οὗτος —

& in Phœnissis ait Iocastæ;

ἐγὼ δ' οὔτε σοὶ πυρὸς ἀνῆψα φῶς
νόμιμον ἐν γάμοις, ὡς πρέπει ματρὶ μακαρίᾳ.

in Troadibus cùm Cassandra furore percita sibi ipsi facem præferret, non aliam ob caussam dixit Hecuba:

παράδος ἐμοὶ φῶς, οὐ γὰρ ὀρθὰ πυρφορεῖς
μαινὰς θράσυσ'.

Apollonij scholiastes Argonaut. 4. τὸ παλαιὸν τὰς μητέρας τῶν γαμούντων ἐν τοῖς γάμοις δᾳδουχεῖν ἔθος ἦν.

147 *Sillanus.* tres hoc tempore Sillani fuerunt; Appius pater, & duo filij M. & L. hic de Lucio Sillano fit sermo, qui Octauiæ sponsus funesto die nuptiarum Claudij & Agrippinæ fuit interfectus: auctores Seneca, Tacitus, & Suetonius.

148 *Criminis factus reus.* Tacitus Annal. lib. 12. Igitur Vitellius, nomine Censoris seruiles fallacias tegens, ingruentiumque dominationum prouisor, quo gratiam Agrippinæ pararet, consiliis eius implicari, ferere crimina in Sillanum; cui sanè decora & procax soror Iunia Caluina, haut multum ante Vitellij nurus, fuerat: hinc initium accusationis, fratrisque non incæstum, sed incustoditum amorem ad infamiam traxit. hæc ille. Vnde apparet incæstus crimen, cuius damnatus fuit Sillanus, confictum fuisse. quare mihi non displicet constans schedarũ lectio; *criminis facti reus.* nisi potiùs quàm intelligere, malis legere; *criminis ficti reus.* 158 *Per gradum scelerum omnium.* Suauius legitur in vno codice antiquo; *per gradus scelerum omnium.* 167 *Sidus orbis.* non est absimile illud Horatij; *Quamquam sidere pulcrior Ille est* — 171 *Membraque & vultus Deo similes.* Homerus; ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διὶ τερπικεραύνῳ, Ἄρεϊ δὲ ζώνην, στέρνον δὲ Ποσειδάωνι. idem; — θεοῖς ἐναλίγκιος αὐτήν — Ruffinus in epigrammatibus; ὄμματ' ἔχεις Ἥρης, Μελίτη, τὰς χεῖρας Ἀθήνης, τοὺς μαστοὺς Παφίης, τὰ σφυρὰ τῆς Θέτιδος. Virgilius; *Os humerosque deo similis.* Q. Catulus; *Mortalis visus pulcrior esse Deo.* Calpurnius ecloga 7. — *& nisi me decepit visus, in vno Et Martis vultus & Apollinis esse putaui.* Inter antiquæ vrbis inscriptiones à Iacobo Mazochio collectas vna est perantiqua, in qua habetur, FONDI HVIVS DOMINOS INFANS HIC IACET SIMILIS DEO &c. præterea ex AEschyli Persis tria exempla possem adducere: sed hæc sufficiunt, vt sciamus veteres formosa quæque Diis suis comparasse. qui autem virtute præstabant, eos Lacedæmonij Diuos vocabant, auctore Aristotele & ibi Aspasio, lib. 7. Ethicorum ad Nicom. cap. 1. Hodie etiamnum Belgæ, qui Germanico idiomate vtimur, cùm volumus infantulum aliquem innuere esse formosulum & pulchellum, dicimus: **een kint gelijck een Jesusken.**

182 *Fauor.* amici mei, docti homines, qui *fauor*, negant in hac significatione satis castum aut Latinum esse, cum isthac sua superstitiosa religione, putidiusculi sunt. nam Lucretius, Liuius, Tacitus, Plinius, Seneca, Cornelius Seuerus, Silius Italicus, & alij innumeri scriptores, sic vtuntur. Nec Quinctiliano asserenti Ciceronem non fuisse vsum, est credendum. exstat enim illa etiam hodie in oratione pro Quincto Roscio. & ille Quinctiliani locus valdè mihi suspectus est. quia inuenio ipsum quoque Quinctilianum in Declamat. 280. scripsisse: „ timeo fauorem „ illum populi, misericordiam ciuitatis. Similis est error aliorum; qui inter vocabula Prudentij Poëtæ, quæ quàm longissimè à Latinæ linguæ puritate abesse iudicant, retulerũt, *sequestrare.* non enim *sequester* modo, *sequestratio*, & *sequestrum* Latinè ac purè dicitur, quæ Festus, Vlpianus, Paulus, Asconius, Cicero, Theodosius senior, Symmachus & apud Gellium P. Lauinius ac Modestinus vsurparunt; sed etiam, *sequestrare*, vt docent, post Brissonium, Prateius & Verrutius in lexicis iuris. quid verò sit *sequestratio*, quid *sequester*, abundè docent Budæus ad Pandectas, Alciatus & Brechæus ad leg. sequester. D. de verborum significat. Conanus lib. 7, commentar. iur. ciuilis, Corrasius li. 2. miscellan. cap. 2. & obiter Ræuardus ad leges XII. tabularum, necnon lexicographi suis locis; è quorum scriptis manifestum fit, quid sit *sequestrare*. Explodendi similiter qui, *referre gratiam*, nouam Sexti Victoris phrasim putant. obuia enim in Cicerone.

188 *Iuuenilis ardor impetu primo furit.* nam, vt ait Homerus;

ἀεὶ δ' ὁπλοτέρων ἀνδρῶν φρένες ἠερέθονται.

Theophrastus, aliàs Theophanes, lib. 2. de moribus; *χαλεπὸν καταμαθεῖν τὸ ἦθος περὶ τῶν νέων. ἀστόχαστος γὰρ ἡ ἡλικία, καὶ πολλὰς ἔχουσα μεταβολάς, ἄλλοτε ἐπ' ἄλλο φερομένη.* Plato libro 2. de legib.; *τὰ γὰρ τῶν νέων ἤθη πολλὰς μεταβολὰς ἐν τῷ βίῳ μεταβάλλειν ἑκάστοτε πέφυκε.*

190 *Amor perennis* &c. nam coniugalis amor ex virtute oritur, virtus autem est habitus, qui constans est & perpetuus: sed amor concubinæ vel pellicis, quia vt plurimum ex pulchritudine nascitur, cum ea perit; auctore Aristotele lib. 8. Ethicorũ ad Nicomachum. huc spectat illud Terentij, in Heautontim.

Quippe forma impulsi nostra nos amatores colunt;
Hæc vbi imminuta est, illi suum amorem aliò conferunt.

198 *Volucer Cupido.* Ouidianum epithetum lib. 5. Metamorph. Moschus eidyllio ά. de amore, *καὶ πτερόεις ὄρνις.*

NVT. *Confirmet animum ciuium tantus fauor.*
OCT. *Solatur iste nostra, non releuat mala.*
NVT. *Vis magna populi est.* OCT. *princeps maior tamen.*
NVT. *Respiciet ipse coniugem.* OCT. *pellex vetat.*
NVT. *Inuisa cunctis nempe.* OCT. *sed cara est viro.*
NVT. *Nondum vxor est.* OCT. *iam fiet, & genitrix simul.*
NVT. *Iuuenilis ardor impetu primo furit:* “
Languescit idem facile, nec durat diu “
In Venere turpi, ceu leuis flammæ vapor: “
Amor perennis coniugis castæ manet. “
Violare prima quæ toros ausa est tuos,
Animumque domini famula possedit diu,
Iam metuet eadem; nempe prælatam sibi,
Subiecta & humilis. atque monumenta extruit,
Quibus timorem fassa testatur suum.
Et hanc leuis fallaxque destituet deus
Volucer Cupido: sit licet formâ eminens,
Opibus superba, gaudium capiet breue.
Passa est similes ipsa dolores
Regina deûm,
Cùm se formas vertit in omnes
Dominus cæli, diuûmque pater,
Et modò pennas sumsit oloris,
Modò Sidonij cornua tauri:
Aureus idem fluxit in imbri.
Fulgent cælo sidera Ledæ,
Patrio residet Bacchus olympo.
Deus Alcides possidet Heben,
Nec Iunonis iam timet iras,
Cuius gener est, qui fuit hostis.
Vicit sapiens tamen obsequium “
Coniugis altæ, pressusque dolor. “
Sola Tonantem tenet ætherio
Secura toro maxima Iuno:
Nec mortali captus formâ
Deserit altam Iuppiter aulam.
Tu quoque terris altera Iuno,
Soror Augusti, coniuxque graues
Vince dolores.
OCT. *Iungentur antè sæua sideribus freta,*
Et ignis vndæ, Tartaro tristi polus,
Lux alma tenebris, roscida nocti dies;

Quàm

Quam cum scelesti coniugis mente impiâ
Mens nostra, semper fratris exstincti memor.
Vtinam nefandi principis dirum caput
Obruere flammis cælitum rector paret;
Qui sæpe terras fulmine infesto quatit,
Mentesq́; nostras ignibus terret sacris,
Nouisq́; monstris. vidimus cælo iubar
Ardens, cometam pandere infestam facem;
Quâ plaustra tardus noctis æterna vice
Regit Bootes, frigido arctoo rigens.
En ipse diro spiritu sæui ducis
Polluitur æther, gentibus clades nouas
Minantur astra; quas regit dux impius.
Non tam ferum Typhona neglecto Ioue
Irata tellus edidit quondam parens:
Hæc grauior illo pestis. hic hostis deûm
Hominumq́;, templis expulit superos suis,
Ciuesq́; patriâ: spiritum fratri abstulit,
Hausit cruorem matris. & lucem videt,
Fruiturq́; vitâ; noxiam atque animam trahit?
Prò summe genitor, tela cur frustra iacis
Inuicta toties temerè regali manu?
In tam nocentem dextra cur cessat tua?
Vtinam suorum facinorum pœnas luat
Nero: ipse diuo Domitio genitus patre,
Orbis tyrannus, quem premit turpi iugo,
Morumq́; vitiis nomen augustum inquinat.
NVT. *Indignus ille fateor est thalamis tuis*
Sed cede fatis, atque fortunæ tuæ,
Alumna quæso, néve violenti moue
Iram mariti: forsitan vindex deus
Existet aliquis, lætus & veniet dies.
OC. *Graui deorum nostra iampridem domus*
Vrgetur irâ; prima quam pressit Venus,
Furore miseræ dira genitricis meæ.
Quæ nupta demens nupsit incestâ face,
Oblita nostri, coniugis, legum immemor.
Illo soluta crine, succincta anguibus,
Vltrix Erinnys vênit ad Stygios toros,
Raptasq́; thalamis sanguine exstinxit faces.
Incendit irâ principis pectus truci

Proclus, in hymno Veneris;

ἀθάνατον, πτερόεντος ἀνεβλάστησεν ἔρωτα.

Orpheus, in hymnis;

κικλήσκω μέγαν, ἁγνὸν, ἐράσμιον, ἡδὺν ἔρωτα,
τοξαλκῆ, πτερόεντα, πυρίδρομον, εὔδρομον
ὁρμῇ.

qui versus si antiqui illius sunt Orphei; quem Aristoteles & Cicero negant fuisse; iam intelligitis quale sit, quod Græci quidam tradiderunt, vetustissimos poëtas Cupidini non attribuisse alas, sed hoc tantum à recentioribus fuisse proditum. Propertius lib. 2.

Idem non frustra ventosas addidit alas,
Fecit & humano corde volare deum.

quia amantium cupido sit admodum leuis & instabilis, vt Alexander Aphrodisiensis existimat, & noster poëta hoc loco videtur innuere. Heliodorus autem hist. Aethiopicæ lib. 4. vult pictores amorem alatū pinxisse, vt agilitatē amantium & pernicitatem significarent.

207 *Sidera Ledæ.* Castor & Pollux. meritò dixit *fulgent.* sunt enim lucida sidera, teste Horatio ode 5. lib. 1. qui lib. 4. ode 8. ait;

—— *clarum Tyndaridæ sidus,*

è quo versu suprà in Herc. Furente, noster;

—— clara gemini signa Tindaridæ micant.

221 *Sæua sideribus freta.* Ouidius;

Nec dederit nauti per freta sæua manum.

222 *Tartaro tristi.* Virgilius;

—— *alias sub tristia tartara mittit.*

223 *Lux alma.* nescioquis in Tetrastichis;

Concessêre Deo tenebræ, rebusq́; colores
Lux iterum cunctis reddidit alma suos.

227 *Obruere flammis.* legitur etiam in. v. l. *Obrueret flammis cælitum rector potens.*

229 *Ignibus terret sacris.* Virg. Aeneid. 4.

—— *an te genitor cùm fulmina torques*
Nequicquam horremus, cæciq́; in nubibus ignes
Terrificant animos; & inania murmura miscent?

230 *Nouisq́; monstris.* maximam humanis mentibus cælestium rerum ignaris religionem, metusque grauissimos nouę in cælo facies, lunæ solisque defectiones, crinitæ stellę, & hoc genus alia incutiunt, vt notauit Matthæus Fortunatus in præfatione annotationum suarum, in naturales quæstiones Senecæ: illa hoc loco vocat, noua monstra.

238 *Irata tellus.* Hesiodus in Theogonia;

αὐτὰρ ἐπεὶ Τιτῆνας ἀπ' οὐρανοῦ ἐξέλασε Ζεὺς,
ὁπλότατον τέκε παῖδα Τυφωέα Γαῖα πελώρη,
Ταρτάρου ἐν φιλότητι διὰ χρυσῆν Ἀφροδίτην.

alij Iunonis filium esse contendunt.

239 *Hostis Deûm.* Euripides; μῖσος θεοῖς τε, παντί τ' ἀνθρώπων γένει.
243 *Fruiturq́; vita.* Sallustius; Quoniam vita ipsa, qua fruimur, breuis est.
259 *Nupta.* Claudio. NVPSIT. C. Silio.

Cædem in nefandam: cecidit infelix parens
(Heu) nostra ferro, meq́; perpetuo obruit
Exstincta luctu, coniugem traxit suum,
Natumq́; ad vmbras: perdidit lapsam domum.
NVT. *Renouare luctus parce cum fletu pios,*
Manes parentis néve sollicita tuæ;
Graues furoris quæ sui pœnas dedit.

CHORVS ROMANORVM.

Anapæstici.

Quæ fama modò vênit ad aures,
Vtinam falsò credita, perdat,
Frustra toties iactata, fidem:
Nec noua nostri coniux thalamos
Principis intret, teneatq́; suos
Nupta penates Claudia proles,
Edat partu pignora pacis,
Qua tranquillus gaudeat orbis,
Seruetq́; decus Roma æternum.
Fratris thalamos sortita tenet
Maxima Iuno: soror Augusti
Sociata toris, cur à patriâ
Pellitur aulâ? sancta quid illi
Prodest pietas, diuusq́; pater?
Quid virginitas, castusq́; pudor?
Nos quoq; nostri sumus immemores
Post fata ducis; cuius stirpem
Prodimus sæuo suadente metu.
Vera priorum virtus quondam
Romana fuit, verumq́; genus
Martis in illis, sanguisq́; viris.
Illi reges hac expulerant
Vrbe superbos, vltiq́; tuos
Sunt benè manes virgo, dextrâ
Cæsa parentis, ne seruitium
Paterere graue, aut improba ferret
Præmia victrix dira libido.
Te quoq; bellum triste secutum est,
Mactata tuâ miseranda manu
Nata Lucreti, stuprum sæui
Passa tyranni: dedit infandi
Sceleris pœnas cum Tarquinio
Tullia coniux; quæ per cæsi

267 *Trusit.* m.s. *traxit.*

280 *Roma.* quo tempore vrbs, & à quo condita, & vocata fuerit, tam variè traditur, vt tutius existimem post alios locos tantum scriptorum apponere, & digitum, vt fertur, ad fontem intendere. vide auctorem de viris illustrib. cap. 1. Messallam Coruinū in libello ad Cæsarem A. si modo eius liber est, Lactantium lib. 2. cap. 7. AElianum lib. 7. var. histor. Dionysium Halicarnass. lib. 1. & 2. Plutarchū in Romulo, Diodorum lib. 5. Strabonē lib. 5. Eustatium Iliad. ώ. Sallustium de bello Catilinario, Liuium lib. 1. Velleium volumine 1. Iustinum lib. 43. Florum lib. 1. cap. 1. Eutropium lib. 1. Orosium lib. 1. cap. 18. lib. 2. c. 4. Varronem de ling. Latina lib. 4. Ciceronem lib. 2. de diuinatione, Sex. Pompeium in voce Roma, Plinium lib. 15. cap. 15. Solinum cap. 1. & 2. demum illos Annij scriptores, vt credo, commentitios, Berosum lib. 5. Manethonem in supputationibus, Catonē in Originib. Fabium Pictorem de aureo sæculo, & Sempronium, de diuisione Italiæ.

295 *Virgo.* L. Virginius filiam suam, ne Appij Xviri libidini subiaceret, cultro è laniena rapto transfixit.

Membra parentis sæuos egit
Impia currus, laceroq́; seni
Violenta rogos nata negauit.
Hoc quoque nostra videre nefas
Sæcula magnum; cùm Tyrrhenum
Rate ferali princeps captam
Fraude parentem misit in æquor.
Properant placidos linquere portus
Iussi nautæ, resonant remis
Pulsata freta, fertur in altum
Prouecta ratis; quæ resoluto
Robore labens pressa dehiscit,
Sorbetq́; mare. tollitur ingens
Clamor ad astra cum femineo
Mistus planctu: mors ante oculos
Dira vagatur. quærit lethi
Sibi quisque fugam: alij laceræ
Puppis tabulis hærent nudi,
Fluctusq́; secant: repetunt alij
Litora nantes: multos mergunt
Fata profundo: scindit vestes
Augusta suas, laceratq́; comas,
Rigat & mœstis fletibus ora.
Postquam spes est nulla salutis,
Ardens irâ, iam victa malis;
Hæc, exclamat, mihi pro tanto
Munere reddis præmia gnate?
Hac sum, fateor, digna carinâ,
Quæ te genui, quæ tibi lucem
Atque imperium, nomenq́; dedi
Cæsaris amens. exsere vultus
Acheronte tuos, pœnisq́; meis
Pascere coniux. ego causa tuæ
Miserande necis, gnatoq́; tuo
Funeris auctor: en, vt merui,
Ferar ad manes inhumata tuos,
Obruta sæuis æquoris vndis.
Feriunt fluctus ora loquentis,
Ruit in pelagus, rursumq́; salo
Pressa resurgit: pellit palmis
Cogente metu fata, & cedit
Fessa labori. mansit tacitis
In pectoribus spretâ tristi
Iam morte fides: multi dominæ

Ferre auxilium pelago fractis
Viribus audent, brachia quamuis
Lenta trahentem, voce hortantur,
Manibusq; leuant. quid tibi sæui
Fugisse maris profuit vndas?
Ferro es gnati moritura tui;
Cuius facinus vix posteritas,
Tardè semper credula, credet.
Furit, ereptam pelagoq; dolet
Viuere matrem impius: ingens
Geminatq; nefas: ruit in miseræ
Fata parentis, patiturq; moram
Sceleris nullam. missus peragit
Iussa satelles, reserat dominæ
Pectora ferro: cædis moriens
Illa ministrum rogat infelix;
Vtero dirum condat vt ensem.
Hic est, hic est fodiendus, ait,
Ferro; monstrum qui tale tulit.
Post hanc vocem cum supremo
Mistam gemitu animam tandem
Per fera tristem vulnera reddit.

365 *Pectora ferro*. hic, & sex versus sequentes apud Tacitum paucis verbis mutatis, pro Taciti verbis leguntur, hoc modo; exclamauit, rogans ministrum, vt vtero dirum ensem conderet, adiiciens, hic est hic est fodiendus ferro, monstrum qui tale tulit. post hanc vocem cum supremo mixtam gemitu animam tandem per fera tristẽ vulnera reddidit. Quæ verba, quamuis in omnibus vulgatis Taciti codicibus contineantur, semper tamen mihi spuria, & à quopiam librario, lacunæ complendæ causâ inserta, visa sunt: de quo dubitare desij postquam Lipsius mihi affirmauit, in Taciti Vaticanis autographis ea omnia desiderari.

ACTVS SECVNDVS.

SENECA.

Quid me potens Fortuna, fallaci mihi,
Blandita vultu, sorte contentum mea
Altè extulisti? grauius vt ruerem editâ
Receptus arce, totq; prospicerem metus.
Melius latebam procul ab inuidiæ malis
Remotus, inter Corsici rupes maris:
Vbi liber animus, & sui iuris, mihi
Semper vacabat studia recolenti mea.
O quàm iuuabat (quo nihil maius parens
Natura genuit, operis immensi artifex)
Cælum intueri, solis & cursus sacros,
Mundiq; motus, solis alternas vices,
Orbemq; Phœbes, astra quem cingunt vaga,
Lateq; fulgens ætheris magni decus;
Qui sese nescit tantus in cæcum chaos
Casurus iterum. nunc adest mundo dies
Supremus ille, qui premat genus impium
Cæli ruinâ, rursus vt stirpem nouam

376 *Inter Corsici rupes maris*. Claudius Senecam in Corsicam relegarat; sed postmodum, Agrippina faciente, illum reuocauit, & Neroni præfecit, auctore Xichone Polentino, in vita Senecæ.

381 *Currus*. malo cum membranis, *cursus*.

386 *Nunc adest*. integrior est v.l. lectio *nũc assit*. quia noluit dicere diem illum adesse, sed vt assit optas.

Gene-

Generet, renascens melior: vt quondam tulit
Iuuenis tenente regna Saturno poli.
Tunc illa virgo, numinis magni dea,
Iustitia cælo missa cum sanctâ Fide,
Terras regebat mitis. humanum genus
Non bella norat, non tubæ fremitus truces,
Non arma gentes, cingere assuerant suas
Muris nec vrbes: peruium cunctis iter,
Communis vsus omnium rerum fuit:
Et ipsa tellus læta fæcundos sinus
Pandebat vltro, tam piis felix parens,
Et tuta alumnis. alia sed soboles minus
Conspecta mitis. tertium solers genus,
Nouas ad artes exstitit: sanctum tamen,
Mox inquietum; quod sequi cursu feras
Auderet acres, fluctibus tectos graues
Extrahere pisces rete, vel calamo leui:
Decipere volucres crate: ceruos aut leues
Tenere laqueo: premere subiectos iugo
Tauros feroces: vulnere immunem prius
Sulcare terram; læsa quæ fruges suas
Interiùs altè condidit sacro sinu.
Sed in parentis viscera intrauit suæ

Dete-

392 *Sancta fide.* Iustitiæ fidem coniungit. quia iustitiæ fundamētum est Fides, teste Cicerone in officiis. ideo ait Horatius;

—— cui Iustitiæ soror
Incorrupta fides ——

394 *Non bella norat.* respexit fortassis ad illa Ouidij lib. 1. Metamorph.

Nondum præcipites cingebant opida fossæ,
Non tuba directi, non æris cornua flexi,
Non galeæ, non ensis erat: sine militis vsu
Mollia securæ peragebant ocia gentes.

Tibullus lib. 1.

Non acies, non ira fuit; non bella, nec ensem
Immiti sæuus duxerat arte faber.

397 *Communis vsus.* ait aurea ætate res omnes fuisse communes. quod sanè primario illo naturali iure obtinuit, sed mutatum fuit à iure gentium; quo iure dominia rerum fuerunt distincta. l. 5. D. de iust. & iure. idq; planè necessarium fuit, vt ciuilis hominum societas tranquillè foueretur, sine litibus, quas parere solet communio. l. cùm pater. §. dulcissimis. D. de legat. 2. Præterea, ne agricultura intermitteretur, fuit hoc præsens remedium. nam quæ communiter possidentur, plerūque solent negligi, l. 2. C. quando & quibus quar. lib. 10. Sic quoque factum est, vt omnia hominum negocia, distributis hoc modo rebus, certo ordine tractari cœperint. c. cùm singul. de præbend. in 6. c. 1. 89. distinct. Facessat igitur Lycurgi & Platonis imaginaria communio; quæ & Aristoteli & Ciceroni meritò displicuit, & contra quam multa eleganter Lactantius lib. 3. institution. Christian. 398 *Et ipsa tellus.* Hesiodus; καρπὸν δ' ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα αὐτομάτη, πολλόν τε καὶ ἄφθονον. Virgilius; *—— ipsaq; tellus Omnia liberius nullo poscente ferebat.* Ouidius; *Ipsa quoque immunis, rastroq; intacta, nec vllis Saucia vulneribus per se dabat omnia tellus.* 405 *Rete.* non sum nescius, rete & plagas sæpe confundi: sed puto proprie rete esse, quo pisces; plagas, quibus feras capimus. Vlpianus in l. ex emto. 11. §. qui autē, sub finem D. de act. emt. veluti, inquit, cùm futurum iactum retis à piscatore emimus, aut indaginem plagis positis à venatore, vel pantheram ab aucupe. quæ vltima verba nec Budæus, nec Alciatus intellexerunt, non animaduertentes locum esse mendosum, & reponendum; *vel pantherem ab aucupe.* Nam teste Varrone in libris de lingua Latina, " panther est rete aucupis. quod ante Pardulfum Prateium, in lexico iuris, iampridem plurimæ lectionis vir Ioan- " nes Brodæus, in Annotationibus in Oppianum, obseruauerat. " 406 *Crate.* de hoc venationis genere idem Brodæus libro 1. miscellaneorum egit, adductis his Plauti verbis; *Hoc vno excepto quod non crate, sed retibus hæ aues capiuntur.* Fit ista venatio hoc modo. cùm humus niue contecta est, venator, niue ablata, areolas quasdam concinnat: in his superiecta crate, ordeum effundit, variaque semina ad inescandas aues spargit. eæ verò sub hac desuper incumbente pascentes, fune, qui cratem suspendit, clam laxato, omnes facilè opprimuntur. hæc Brodæus. Alio quoque modo æquè expedito aues crate capere possumus, vt tantum terræ egeratur quantum opus sit fossæ faciendæ; super quam craticula leuis, palo vel bacillo traiecta suspenditur, eo vtrimque in terram immisso, tum semina ad inescandas alites super craticulam sparguntur; in quam illæ deuolantes, craticulæ vnum latus pondere suo deprimunt, eoque cedente incidunt in foueā; ipsa verò craticula rursus assurgit, sic vt euolare nequeant. ab hoc aucupij genere non multum distat illa ratio lupos capiendi, quam tradidit Ioannes de Clamorgan in libro De luporum venatione cap. 21. seu finali. porrò alias quasdam aucupiorum species valde expeditas & certas refert Garcias Lassus poeta Hispanus, in ecloga 2. Sed hæc omnia pueris & rusticis notissima, satius fortè fuerat prętereire; illud prætereundum non est, hoc loco maximè grassatā fuisse cuiusdam eruditi viri audaciam; qui cùm rectissimè in o. v. l. legeretur; *—— fluctibus tectos graues Extrahere pisces rete, vel calamo leui: Decipere volucres crate: ceruos aut leues Tenere laqueo: premere subiectos iugo &c.* flagitiosè reposuit, & excudi mandauit; *—— fluctibus tectos graues Extrahere pisces rete, vel calamo leui Decipere volucres, premere subiectos iugo.* ô immanem licentiam! ô temeritatem non ferendam! si quis βιβλιοστολῶν hoc attentasset, facilè hoc contemnerem: sed magnæ doctrinæ & nominis clari virum, tam temerè tot verba reiicere, non possum vtique tacitus ferre.

vsus ille fuisset saltem ea modestia, vt in annotationibus solummodo sententiam suam & causam posuisset, non verò ex ipso poëtæ contextu sex vocabula sustulisset.

411 *Eruit ferrum graue*. hæc, quemadmodum pene tota ista ætatum descriptio ex Ouidio 1. Metamorph. vel Arato aut Hesiodo sumta sunt.

413 *Regna constituit*. regna propriè dicuntur regiones illæ simul iunctæ, quæ, ab vno principe supremum imperium habente, possidentur; qui à regendo rex vocatur. Sic Seneca hic, sic regni nomen accepit Hermogenianus l. 5. D. de iust. & iure. discretæ gentes, regna condita, dominia distincta, &c.

418 *Astræa virgo*. eadem tradunt Aratus ἐν τοῖς φαινομ. Virgilius 2. Georg. Ouidius 1. Metamorph. Iuuenalis Satyr. 10. & Plato in Gorgia. Nigidius grammaticus, virginem inquit, Iustitiam dici, siue æquitatem; quæ ab hominibus recesserit, & ad immortales meritò transierit.

419 *Auri fames*. Virgilius;

—— quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames? ——

427 *Luxuria victrix*. sic legendum, non *vltrix*, vt somniat Badius. nam videri vult luxuriam vicisse mundum, ideo victricē vocat, quomodo legitur in o. v. l. nec repugnat Iuuenalis;

—— sæuior armis
Luxuria incubuit, victumq́; vlciscitur orbem.

431 *Plauti mihi Syllæq́;*. de his consule Tacitum & Suetonium.

441 *Regenda magis*, &c. idipsum disertè Plutarchus tradit in libro De liberis educandis, eiusque rationem reddit. ipsum videte. nam mihi nunc aliò properanti verba non vacat asscribere.

446 *Crede obsequenti parcius, leuis est dea*. de fortuna loquitur, sicut Alexis;

Κἂν δυστυχῇ τις, ὡς ἴσασι προσδοκᾶν
ἀεί τι δεῖ, καὶ μὴ πιστεύειν τύχῃ.

448 *Id facere laus est quod decet, non quod licet*. Cicero, pro Rabirio; hic iam iudices vestri consilij res est, vestræ sapientiæ, quid deceat vos, non quantum liceat spectare debetis. & copiosius in Oratione pro Cornelio Balbo: Quid ait accusator fecisse Pōpeium, quod ei facere non licuerit; quod grauius est quàm si diceret hoc ab eo factum quod non oportuisset. est enim aliquid quod non oporteat, etiamsi licet: quicquid verò non licet, certè non oportet: quicquid enim non licet, honestum non est, ideoq́; non oportet. at non quicquid licet, hoc etiam honestum est, imò verò plerumque non oportet. Claudianus in Panegyr. de 4. consulat. Honorij A.

Deterior ætas, eruit ferrum graue,
Aurumq́;, sæuas mox & armauit manus:
Partita fines regna constituit, nouas
Exstruxit vrbes: tecta defendit suis
Aliena telis, aut petit, præda imminens.
Neglecta terras fugit, & mores feros,
Hominum cruentâ cæde pollutas manus
Astræa virgo, siderum magnum decus.
Cupido belli creuit, atque auri fames.
Totum per orbem maximum exortum est malum,
Luxuria, pestis blanda; cui vires dedit,
Roburq́; longum tempus, atque error grauis.
Collecta vitia per tot ætates diu
In nos redundant, sæculo premimur graui;
Quo scelera regnant, sæuit impietas furens,
Turpi libido Venere dominatur potens:
Luxuria victrix orbis immensas opes
Iampridem auaris manibus, vt perdat, rapit.
Sed ecce gressu fertur attonito Nero,
Trucíq́; vultu. quid ferat, mente horreo.

NERO. PRAEFECTVS.
SENECA.

NE. *Perage imperata, mitte: qui Plauti mihi,*
Syllæq́; cæsi referat abscissum caput.
PR. *Iussa haud morabor, castra confestim petam.*
SE. *Nihil in propinquos temerè constitui decet.*
NE. *Iustum esse facile est, cui vacat pectus metu.*
SE. *Magnum timoris remedium clementia est.*
NE. *Exstinguere hostem, maxima est virtus ducis.*
SE. *Seruare ciues maior est patriæ patri.*
NE. *Præcipere mitem conuenit pueris senem.*
SE. *Regenda magis est feruida adolescentia.*
NE. *Ætate in hac satis esse consilij reor.*
SE. *Vt facta superi comprobent semper tua.*
NE. *Stultè verebor; esse cùm faciam deos.*
SE. *Hoc plus verere, quòd licet tantum tibi.*
NE. *Fortuna nostra cuncta permittit mihi.*
SE. *Crede obsequenti parcius, leuis est dea.*
NE. *Inertis est, nescire quid liceat sibi.*
SE. *Id facere laus est, quod decet, nō quod licet.*
NE. *Calcat iacentem vulgus.* SEN. *inuisum opprimet.*

NE. Fer-

NE. *Ferrum tuetur principem.* SE. *melius fides.* “
NE. *Decet timeri Cæsarem.* SE. *at plus diligi.* “
NE. *Metuant necesse est.* SE. *quicquid exprimitur, graue est.*
NE. *Iußisq; nostris pareant.* SE. *iusta impera.*
NE. *Statuam ipse.* SE. *quæ consensus efficiat rata.*
NE. *Despectus ensis faciet.* SE. *hoc absit nefas.*
NE. *An patiar, vltrò sanguinem nostrum peti,*
Inuisus, & contemtus: vt subitò opprimar?
Exsilia non fregere summotos procul
Plautum atque Syllam, pertinax quorum furor
Armat ministros sceleris in cædem meam.
Absentium cùm maneat etiam ingens fauor
In vrbe nostrâ, qui fouet spes exsulum:
Tollantur hostes ense suspecti mihi.
Inuisa coniux pereat, vt carum sibi
Fratrem sequatur. quicquid excelsum est, cadat. “
SE. *Pulchrum eminere est inter illustres viros:* “
Consulere patriæ, parcere afflictis, ferâ “
Cæde abstinere, tempus atque iræ dare, “
Orbi quietem, seculo pacem suo. “
Hæc summa virtus: petitur hac cælum via. “
Sic ille patriæ primus Augustus parens,
Complexus astra est, colitur & templis deus.
Illum tamen fortuna iactauit diu
Terrâ mariq;, per graues belli vices
Hostes parentis donec oppreßit sui.
Tibi numen incruenta summisit suum,
Et dedit habenas imperi facili manu.
Nutuiq; terras, maria subiecit tuo.

Inui-

“ *Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit*
“ *Occurrat, mentemq; domet respectus honesti.*

plura de hac re collegit Pet. Faber ad l. non omne 144. D. de diuers. reg. iur. antiq.

450 *Ferrum tuetur principem.* SE. *melius fides.* ait quidam;

Non sic excubiæ, non circumstantia pila
Vt tutatur amor ——

Cyrus apud Xenophontem; Οἶσθα μὲν οὖν καὶ σύ, ὦ Καμβύση, ὅτι οὐ τόδε τὸ χρυσοῦν σκῆπτρον τὸ τὴν βασιλείαν διασῷζόν ἐστιν, ἀλλ' οἱ φίλοι πιστοὶ σκῆπτρον βασιλεῦσιν ἀληθέστατον καὶ ἀσφαλέστατον. πιστοὺς δὲ μὴ νόμιζε φύσει φύεσθαι ἀνθρώπους (πᾶσι γὰρ ἂν οἱ αὐτοὶ πιστοὶ φαίνοιντο, ὥσπερ καὶ τἆλλα τὰ πεφυκότα πᾶσι τὰ αὐτὰ φαίνεται) ἀλλὰ τοὺς πιστοὺς τίθεσθαι δεῖ ἕκαστον ἑαυτῷ. ἡ δὲ κτῆσις αὐτῶν ἐστιν οὐδαμῶς σὺν τῇ βίᾳ, ἀλλὰ μᾶλλον σὺν τῇ εὐεργεσίᾳ. apud Herodianum quoque moriens Marcus, inquit; οὔτε γὰρ χρημάτων πλῆθος οὐδὲν “ αὔταρκες πρὸς τυραννίδος ἀκρασίαν, οὔτε δο- “ ρυφόρων φρουρὰ ἱκανὴ ῥύεσθαι τὸν ἄρχοντα, εἰ μὴ προϋπάρχοι ἡ τῶν ὑπηκόων εὔνοια. μά- “ λιστα δὲ ἐκεῖνοι εἰς ἀρχῆς μῆκος ἀκινδύνως ἤ- “ λασαν, ὅσοι μὴ φόβον ἐξ ὠμότητος, πόθον δὲ τῆς “ αὐτῶν χρηστότητος ταῖς τῶν ἀρχομένων ψυχαῖς ἐνέσταξαν. οὐ γὰρ οἱ ἐξ ἀνάγκης δουλεύον- “ τες, ἀλλ' οἱ μετὰ πειθοῦς ὑπακούοντες, ἀνύποπτοι, καὶ ἔξω κολακείας προσποιήτου δρῶντές τι καὶ πάσχοντες διατελοῦσιν, οὐδέποτε ἀφηνιάζουσιν, ἢν μὴ βίᾳ καὶ ὕβρει ἐπὶ τοῦτο ἀχθῶσι. χαλεπὸν δὲ μετρῆσαί τι καὶ ὅρον ἐπιθεῖναι ἐπιθυμίαις, ὑπηρετούσης ἐξουσίας. Q. Curtius ait; “ Non est diuturna possessio, in quam gladio “ inducimur. Beneficiorum gratia sempiterna “ est. nam vt scribit in vita Agricolæ Cornelius “ Tacitus fidelissimus & prudentissimus historicus: plerosque dominationi alienæ sanguinem accommodantes, diutius tamen hostes “ quàm seruos, fide & affectu teneri putatis? “ metus & terror est, infirma vincula caritatis; “ quæ vbi remoueris, qui timere desierint, odisse incipient. Ideo T. Liuius lib. 8. tradidit id firmissimum longè “ imperium esse, quo obedientes gaudent. hæc grauissimorum auctorum testimonia addi possunt iis, quæ Pet. Vellejus Gueuara scripsit ad l. 19. D. de Offic. Præsidis, & collectis à Simanca lib. 3. de repub. cap. 12.

464 *Vt carum sibi.* v. l. habent; *& carum sibi.*

465 *Quicquid excelsum est cadat.* meminerat Nero hac arte Sex. Tarquinium Gabios in potestatem suam redegisse; quam historiam sic describit Liuius lib. 1. vt facilè mihi persuadeam verũ tradidisse Dionysium Halicarnass. lib. 4 cùm scribit Tarquinium imitatum fuisse Cypseli Corinthij & Thrasybuli Milesij stratagema; quod à quo Thrasybulus acceperit, docet Aristoteles lib. 3. Politicorum his verbis; ὅθεν καὶ τὸ Περιάνδρου πρὸς Θρασύβουλον συμβούλευμά ἐστιν, ἡ τῶν ὑπερεχόντων σταχύων κόλουσις, ὡς δέον ἀεὶ τοὺς ὑπερέχοντας τῶν πολιτῶν ἀναιρεῖν. cuius consilij etiam Herodotus in Terpsichore meminit, sed à Thrasybulo scribit Periandro datum fuisse, contrà scilicet quàm refert Aristoteles, vt obseruauit Genesius Sepulueda in commentariis ad dictum locum Aristotelis, scilicet lib. 3. cap. 9. Fuit igitur hæc Periandri seu Thrasybuli, deinde Cypseli, postea Tarquinij, demum Neronis de stabilienda tyrannide opinio, improba illa quidem, iniusta & tyrannica: sed quæ, quod eorum cogitationibus conueniebat optimè, astuta & callida dicatur. vtilis enim erat, sed non honesta; quæ duo in omni consilio capiendo, vel coniuncta simul, vel separatim per se singula considerantur. 470 *Petitur hac cælum via.* egregiis enim factis, vt gradibus, in cælum ascenditur, non inertia, aut ignauia, non crudelitate aut sceleribus. virtutes colendæ, vitia fugienda, labores ferendi sunt. rectè Alexander Magnus, apud Arrianum ni fallor; ἀλλὰ πονουμένοισι ἄνδρες

Μακεδόνες καὶ ξύμμαχοι. τοσούτων τοι καὶ κινδυνευόντων τὰ καλὰ ἔργα καὶ ζῆν τε ξὺν ἀρετῇ ἡδὺ, καὶ ἀποθνήσκειν κλέος ἀθάνατον ὑπολειπομένους. ἢ οὐκ ἴστε ὅτι ὁ πρόγονος ὁ ἡμέτερος οὐκ ἐν Τίρυνθι, οὐδὲ ἐν Ἄργει, ἀλλ' οὐδὲ ἐν Πελοποννήσῳ ἢ Θήβαις μένων, ἐς τοσόνδε κλέος ἦλθεν, ὡς θεὸς ἐξ ἀνθρώπου γενέσθαι, ἢ δοκεῖν οὐ μὲν δὴ οὐδὲ Διονύσου, ἁβροτέρου τούτου θεοῦ ἢ καθ' Ἡρακλέα, ὀλίγοι πόνοι. Callisthenes apud Q. Curtium lib. 8. „Interuallo „opus est, vt credatur deus: semperq; hanc gra„tiam magnis viris posteri reddũt. Ego autem „seram immortalitatẽ precor regi, vt vita diu„turna sit & æterna maiestas. Hominem con„sequitur aliquando, numquam comitatur di„uinitas. Herculem modò & patrem Liberum „consecutæ immortalitatis exempla referebas. „credísne illos vnius conuiuij decreto deos fa„ctos? prius ab oculis mortalium natura amolita est; quàm in cælum fama perueheret. Horatius lib. 2. epistolarum:

Romulus & Liber pater & cum Castore Pollux
Post ingentia facta Deorũ in tẽpla recepti,
Dum terras hominúmque colunt genus, aspera bello
Componunt, agros assignãt, opida condunt.

ad quem Horatij locum alia testimonia congessit Lambinus.

489 *Seruare ciues.* pro *ciues*, in m. s. legitur; *viros.*

492 *In cædem ducis.* C. Iulij Cæsaris.

500 *Quot interemit.* Octauius enim, qui, initio collegis ne qua fieret proscriptio aliquandiu restiterat, incœptam crudelius vtroque exercuit. illi sæpe non nullis mortem remisisse: hic ne cui parceretur magnopere fertur contẽdisse. Iunius Saturninus auctor est, cùm peracta proscriptione Lepidus in Senatu excusasset præterita, & spem clementiæ in posterum fecisset; Octauium è contra professum, ita modum se proscribendi statuisse, vt omnia sibi libera relicta meminerit. hæc ex Suetonio.

502 *Trium.* Lepidi, Antonij & Octauij III. virorum.

510 *Tristes Philippi.* Siculum bellum cum Philippensi prœlio semper coniungunt poëtæ. Propertius lib. 2.

——quotiens Mutinam aut ciuilia busta Philippos,
Aut canerem Sicula classica bella fuga.

Ouidius vltimo Metamorph.

Illius auspiciis obsessa mœnia pacem
Victa petet Mutina, Pharsalia sentiet illũ,
Æmathiiq; iterũ madefient cæde Philippi,
Et magnũ Siculis nomẽ superabitur vndis.

513 *Superatus.* M. Antonius, vel Põpeius.

Inuidia tristis victa. consensu pio
Cessit Senatus. Equitis accensus fauor,
Plebisq; votum est, atque iudicium patrum.
Tu pacis auctor, generis humani arbiter
Electus, orbem tu sacrâ specie regis,
Patriæ parens: quod nomen, vt serues, petit,
Suosq; ciues Roma commendat tibi.
NE. *Munus deorum est, ipsa quod seruit mihi*
Roma, & Senatus; quodq; ab inuitis preces,
Humilesq; voces exprimit nostri metus.
Seruare ciues principi & patriæ graues,
Claro tumentes genere, quæ dementia est?
Cùm liceat vnâ voce suspectos sibi
Mori iubere? Brutus in cædem ducis,
A quo salutem tulerat, armauit manus.
Inuictus acie, gentium domitor, Ioui
AEquatus, altos sæpe per honorum gradus,
Cæsar, nefando ciuium scelere occidit.
Quantum cruoris Roma tunc vidit sui,
Lacerata toties? ille qui meruit piâ
Virtute cælum, diuus Augustus; viros
Quot interemit nobiles, iuuenes, senes,
Sparsos per orbem? cùm suos mortis metu
Fugerent penates, & trium ferrum ducum
Tabulâ notante deditos tristi neci?
Exposita rostris capita cæsorum patres
Videre mæsti, flere nec licuit suos,
Non gemere, dirâ tabe polluto foro.
Stillante sanie per putres vultus graui.
Nec finis hic cruoris aut cædis stetit:
Pauere volucres, & feras sæuas diu
Tristes Philippi: hausit & Siculum mare
Classes, virosq; sæpe cædentes suos.
Concussus orbis viribus magnis ducum.
Superatus acie, puppibus Nilum petit
Fugæ paratis, ipse periturus breui.
Hausit cruorem incesta Romani ducis
AEgyptus iterum, nunc leues vmbras tegit.
Illic sepultum est impiè gestum diu
Ciuile bellum. condidit tandem suos
Iam fessus enses victor, hebetatos feris
Vulneribus, & continuit imperium metu.
Armis, fideq; militis tutus fuit,
Pietate gnati factus eximia deus,

Post

Post fata consecratus, & templis datus.
Nos quoque manebunt astra: si sæuo prior
Ense occuparo, quicquid infestum est mihi,
Dignaq́; nostram sobole fundaro domum.
SE. *Implebit aulam stirpe cælesti tuam*
Generata Diuo, Claudiæ gentis decus,
Sortita fratris more Iunonis toros.
NE. *Incesta genitrix detrahit generi fidem,*
Animusq́; nunquam coniugis iunctus mihi.
SE. *Teneris in annis haud satis clara est fides,*
Pudore victus cùm tegit flammas amor.
NE. *Hoc equidem & ipse credidi frustrà diu,*
Manifesta quamuis pectore insociabili,
Vultuq́; signa proderent odium mei.
Tandem quod ardens statuit vlcisci dolor,
Dignamq́; thalamis coniugem inueni meis;
Genere atque formâ, victa cui cedat Venus,
Iouisq́; coniux, & ferox armis dea.
SE. *Probitas, fidesq́; coniugis, mores, pudor,*
Placeant marito: sola perpetuò manent
Subiecta nulli, mentis atque animi bona:
Florem decôris singuli carpunt dies.
NE. *Omnes in vnam contulit laudes deus,*
Talemq́; nasci fata voluerunt mihi.
SE. *Recedat à te, temerè ne credas, amor.*
NE. *Quem submouere fulminis Dominus nequit,*
Cæli tyrannum; sæua qui penetrat freta,
Ditisq́; regna, detrahit superos polo.
SE. *Volucrem esse Amorem fingit, immitẽ deum,*
Mortalis error, armat & telis manus,
Arcusq́; sacros instruit sæua face:
Genitumq́; credit Venere, Vulcano satum.
Vis magna mentis, blandus atque animi calor,
Amor est; iuuentâ gignitur; luxu, otio
Nutritur, inter læta fortunæ bona:
Quem si fouere atque alere desistas, cadit,
Breuiq́; vires perdit exstinctus suas.
NE. *Hanc esse vitæ maximam causam reor,*
Per quam voluptas oritur; interitu caret,
Cùm procreetur semper, humanum genus
Amore grato; qui truces mulcet feras.
Hic mihi iugales præferat tedas deus,
Iungatq́; nostris igne Poppæam toris.
SE. *Vix sustinere posset hos thalamos dolor*

516 *Iterum.* semel Cn. Pompeij Magni. iterum M. Antonij, IIIviri.

525 *Ense occuparo.* malè in membranis *occupato.*

539 *Cui cedat Venus.* Ouidianum hoc est.

540 *Ferox armis Dea.* Minerua.

549 *Cæli tyrannũ.* de amore ait Anacreon.
ὁ δὲ καὶ θεῶν δυνάστης.
" Menander;
" ἔρως δὲ τῶν θεῶν ἰσχὺν ἔχων πλείστην.
" Sophocles de eodem;
οὗτος γὰρ ἄρχει καὶ θεῶν ὅπως θέλει.
" Eodem nomine Plato & Euripides vocant.
Sæua qui penetrat freta. cuidam Cupidinis statuæ olim subscriptum legebatur;
Sol calet igne meo, flagrat Neptunus in vndis,
Pensa dedi Alcidæ, Bacchum seruire coegi.

556 *Otio.* otio amorem nutriri docet Ouidius lib. 1. de remed.
Fac monitis fugias otia prima meis:
Hæc vt ames faciunt; hæc vt fecêre tuentur,
Hæc sunt iucundi causa cibusq́; mali.
Otia si tollas, periere Cupidinis arcus,
Contemtaq́; iacent & sine luce faces.
adde quæ scribunt Antonius Guibertus Polyhistoris cap. 8. pag. 28. & hunc locum nominatim laudans Pius II. lib. 1. epist. 106.

560 *Hanc esse.* hæc Neroni, non Senecæ tribuenda sunt.

563 *Qui truces mulcet feras.* Argentarius;
αὐγάζω τὸν ἄφυκτον ἐπὶ σφραγῖδος ἔρωτα
χειρὶ λεοντείων ἡνιοχεῦντα βίην.
ὃς τῇ μὲν, μάστιγα κατ' αὐχένος. ᾗ δὲ χαλινούς
εὐθύνει. πολλὴ δ' ἀμφιτέθηλε χάρις.
φρίσσω τὸν βροτολοιγόν. ὁ γὰρ καὶ θῆρα δαμάζων
ἄγριον, οὐδ' ὀλίγον φείσεται ἀμερίων.

566 *Vix sustinere posset hos thalamos dolor videre populi: sancta nec pietas sinat.* hæc est o. v. l. lectio probatissima.

Videre populi, sancta nec pietas sinat.
NE. *Prohibebor vnus facere, quod cunctis licet?*
SE. *Maiora populus semper à summo exigit.*
NE. *Libet experiri, viribus fractus meis*
An cedat animus, temerè conceptus furor.
SE. *Obsequere potiùs ciuibus placidus tuis.*
NE. *Malè imperatur, cùm regit vulgus duces.*
SE. *Nihil impetrare cùm valet, iustè dolet.*
NE. *Exprimere ius est ferro, quod nequeunt preces.*
SE. *Negare durum est.* NE. *principem cogi nefas.*
SE. *Remittat ipse.* NE. *fama sed victum feret.*
SE. *Leuis atque vana.* NE. *sit licet, multos notat.*
SE. *Excelsa metuit.* NE. *non minus carpit tamen.*
SE. *Facile opprimetur: merita te Diui patris,*
Ætasq; frangant, coniugis probitas, pudor.
NE. *Desiste tandem, iam grauis nimium mihi,*
Instare: liceat facere quod Seneca improbat.
Et ipse populi vota iampridem moror,
Cùm portet vtero pignus, & partem mei,
Quin destinamus proximam thalamis diem?

571 *Furor.* v. l. *fauor.*

585 *Partem mei.* Ouidius;
Parsq; tui latitat corpore clausa meo.

ACTVS TERTIVS.

AGRIPPINA.

Tellure ruptâ Tartaro gressum extuli,
Stygiam cruentâ praferens dextrâ facem
Thalamis scelestis: nubat his flammis meo
Poppea gnato iuncta; quas vindex manus,
Dolorq; matris vertet ad tristes rogos.
Manet inter vmbras impiæ cædis mihi
Semper memoria, manibus nostris grauis
Adhuc inultis, reddita & meritis meis
Funesta merces puppis, & precium imperi,
Nox illa; qua naufragia defleui mea.
Comitum necem, natiq; crudelis nefas
Deflere votum fuerat: haud tempus datum est
Lachrymis, sed ingens scelere geminauit nefas.
Peremta ferro, fœda vulneribus, sacros
Intra penates spiritum effudi grauem,
Erepta pelago. sanguine exstinxi meo
Nec odia gnati. sæuit in nomen ferus
Matris tyrannus, obrui meritum cupit,
Simulachra, titulos destruit, mortis metu,
Totum per orbem, quem dedit pœnam in meam,

588 *Præferens.* in scriptis libris legitur, *deferens.*

603 *Sæuit in nomen.* impetrauerat enim Nero à Senatu, vt natalis Agrippinæ inter nefastos dies haberetur: eradere etiam nomen & titulos conabatur, & delere memoriam.

Puero

Puero regendum noster infelix Amor.
Exstinctus vmbras agitat infestus meas,
Flammisq́; vultus noxios coniux petit,
Instat, minatur, imputat fatum mihi,
Tumulumq́; gnati poscit auctorem necis.
Iam, parce, dabitur. tempus haud longum peto.
Vltrix Erinnys impio dignum parat
Lethum tyranno; verbera, & turpem fugam,
Pœnasq́; quis & Tantali vincat sitim,
Dirum laborem Sisyphi, Tityi alitem,
Ixionisq́; membra rapientem rotam.
Licet exstruat marmoribus, atque auro tegat
Superbus aulam, limen armatæ ducis
Seruent cohortes, mittat immensas opes
Exhaustus orbis, supplices dextram petant
Parthi cruentam, regna diuitias ferant:
Veniet dies tempusq́;, quo reddat suis
Animam nocentem sceleribus, iugulum hostibus,
Desertus, & destructus, & cunctis egens.
Heu quò labor, quò vota ceciderunt mea!
Quò te furor prouexit attonitum tuus,
Et fata gnate: cedat vt tantis malis
Genitricis ira, quæ tuo scelere occidit!
Vtinam antequam te paruulum in lucem dedi
Aluiq́; sæuæ nostra lacerassent feræ
Viscera: sine vllo scelere, sine sensu innocens
Meus occidisses, iunctus atque hærens mihi,
Semper quietam cerneres sedem inferûm,
Proauos, patremq́;, nominis magni viros;
Quos nunc pudor, luctusq́; perpetuus manet
Ex te, nefande, meq́; quæ talem tuli.
Quid tegere cesso Tartaro vultus meos,
Nouerca, coniux, mater infelix meis?

OCTAVIA. CHORVS.

Anapæstici.

Parcite lachrymis vrbis festo
Lætoq́; die: ne tantus amor,
Nostriq́; fauor, principis acres
Suscitet iras, vobisq́; ego sim
Causa malorum. non hoc primum
Pectora vulnus mea senserunt,
Grauiora tuli, dabit hic nostris
Finem curis, vel morte, dies.

611 *Tumulumq́; gnati.* Britannici. *Auctorem.* Neronem.

638 *Quid tegere cesso.* in schedis quibusdam habetur; *non tegere.*

639 *Nouerca.* Britannici. *Coniux.* Claudij. *Mater.* Neronis.

646 *Grauiora tuli.* consuetudine mala fiũt leuiora, vt docet Ouidius libro 2. de arte amandi, lib. 3. & 5. Tristium, & 3. de Ponto; quo loco quod ait:

Ductus ab armento taurus detrectat aratrum,
Subtrahit & duro colla nouella iugo.

est ex illis Propertij, lib. 2.

Ac veluti primò taurus detrectat aratra,
Post venit assuetus mollis ad arma iugo.

Dabit. sic Virgilius; Aeneid. 1.

O socij neque enim ignari sumus ante malorum,
O passi grauiora; dabit deus his quoque finem.

huc noster respexit.

647 *Vel morte.* omnino, inquit, hodie his malis liberabor: vt enim aliter hoc mihi contingere nequeat, at certè moriar. mors autem " vltima linea rerum est.

Famula. Poppeæ: cuius nomen mendosè " excusum est apud Iosephum lib. 20. antiquit. " Iudaic. vbi reponas; *δι᾽ ἣν φιλὼν οὔσης Ποππηίας τῆς Νέρωνος γυναικός.*

Non ego sæui cernere cogar
Coniugis ora, non inuisos
Intrare mihi thalamos famulæ:
Soror Augusti, non vxor, ero.
Absint tantum tristes pœnæ,
Lethiq; metus.

654 *Socerûm*. Claudij patris mei, & Poppeæ patris viri quæstorij, quem Iacobus de Strada in Epit. Thesauri antiquitatum pag. 36. vocat Titum Ollium; quod Taciti auctoritate lib. 14. Annal. confirmatur.

Socerûm diri miseranda viri
Potes hæc demens sperare memor?
Hos ad thalamos seruata diu,
Victima tandem funesta cades.
Sed quid patrios sæpe penates
Respicis vdis confusa genis?
Propera tectis efferre gradus,
Linque cruentam principis aulam.
CH. *En illuxit, suspecta diu,*
Famâ toties iactatâ, dies.
Cessit thalamis Claudia diri
Pulsa Neronis, quos iam victrix
Poppea tenet: cessat pietas
Dum nostra graui compressa metu,
Segnisq; dolor. vbi Romani
Vis est populi? fregit claros
Quæ sæpe duces; dedit inuicta
Leges patriæ, fasces dignis
Ciuibus olim; iussit bellum,
Pacemq;, feras gentes domuit,

674 *Reges*. Syphacem, Persen, Iugurtham, Herodem.

Captos reges carcere clusit.
Grauis en oculis vndique nostris
Iam Poppeæ fulget imago
Iuncta Neroni.
Affligat humo violenta manus
Similes nimium vultus dominæ,
Ipsamq; toris detrahat altis:
Petat infelix mox & flammis

681 *Feris*. scio in o. vulgat. libris sic haberi; malo tamen ex membranis legere; *telisque feri principis*, vt Nero ferus vocetur.

Telisq; feri principis aulam.

ACTVS QVARTVS.

NVTRIX. POPPEA.

NV. *Quò trepida gressum coniugis thalamis tui*
Effers alumna? quódve secretum petis

685 *Fletu madent*. o. v. l. *fletu manant*.

Turbata vultu? cur genæ fletu madent?
Certè petitus precibus & votis dies
Nostris refulsit: Cæsari iuncta es tuo

Tadæ

Tæda iugali; quem tuus cepit decor,
Et culpa Senecæ; tradidit vinctum tibi
Genitrix amoris, maximum numen Venus.
O qualis, altos quanta pressisti toros
Residens in aulâ! vidit attonitus tuam
Formam Senatus, thura cùm superis dares,
Sacrasq; grato spargeres aras mero,
Velata summum flammeo tenui caput:
Et ipse lateri iunctus atque hærens tuo
Sublimis inter ciuium læta omina
Incessit, habitu atque ore lætitiam gerens
Princeps superbo: talis emersam freto
Spumante Peleus coniugem accepit Thetin;
Quorum toros celebrasse cælestes ferunt,
Pelagiq; numen omne consensu pari.
Quæ subita vultus causa mutauit tuos?
Quid pallor iste, quid ferant lachrymæ, doce.
POP. *Confusa tristi proxima noctis metu,*
Visuq; nutrix mente turbatâ feror,
Defecta sensu. læta nam postquam dies
Sideribus atris cessit, & nocti polus;
Inter Neronis iuncta complexus mei
Somno resoluor, nec diu placidâ frui
Quiete licuit. visa nam thalamos meos
Celebrare turba est mæsta, resolutis comis
Matres Latinæ flebiles planctus dabant;
Inter tubarum sæpe terribilem sonum
Sparsa cruore coniugis genitrix mei
Vultu minaci sæua quatiebat facem:
Quam dum sequor coacta præsenti metu,
Diducta subitò patuit ingenti mihi
Tellus hiatu: lata. quo præceps toros
Cerno iugales pariter, & miror meos
In quîs resedi fessa. venientem intuor
Comitante turbâ coniugem quondam meum,
Gnatumq;: properat petere complexus meos
Crispinus, & intermissa libare oscula.
Irrupit intra tecta tum trepidus mea,
Ensemq; iugulo condidit sæuum Nero.
Tandem quietem magnus excussit timor,
Quatit ora, & artus horridus nostros tremor,
Pulsatq; pectus: continet vocem timor,
Quam nunc fides pietasq; produxit tua.
Heu quid minantur inferûm manes mihi,

689 *Culpa Senecæ.* quæ culpa? an quia is dissuadendo vehementius Neronem impulit?

Nitimur, enim, in vetitum semper, cupimusq; negata:
Sic interdictis imminet æger aquis.

690 *Maximum numen Venus* Bion: ἁ μεγάλα μοι Κύπρις. Theocritus; Κύπρος ἐκ μεγάλας, &c. Sophocles: μέγα τι σθένος ἁ Κύπρις, ἐκφέρεται νίκας ἀεί.

693 *Tura cùm superis.* Seruius tradit vxorem olim, non nisi peractis sacrificiis domum duci consueuisse. quo spectat etiam illud Valerij Balbi:

Inde vbi sacrificas cum coniuge venit ad aras
Æsonides, vnaq; adeunt, vnaq; precari
Incipiunt. ignem Pollux, vndamq; iugalem, &c.

697 *Omina.* vnus cod. antiq. *agmina.*

699 *Talis emersam freto spumante.* Catul.

Quæ simul ac rostro ventosum proscidit æquor,
Tortaq; remigio spumis incanuit vnda;
Emersere feri canenti è gurgite vultus
Æquoreæ monstrũ Nereides admirantes.
Illaq; atque alia viderunt luce marinas
Mortales oculi, nudato corpore, Nymphas
Nutricum tenus exstantes è gurgite cano.
Tũ Thetidis Peleus incẽsus fertur amore,
Tum Thetis humanos non despexit Hymenæos,
Tum Thetidi pater ipse iugandum Pelea sensit.

710 *Placida.* Virgilius;

—— placidam per membra quietem
Irrigat ——

715 *Sparsa cruore.* malo ex v. l. *sparsam,* legere. quia ferè semper inferis sanguineæ videlicet cruentæ faces attribuuntur, vt alibi docui.

722 *Coniugem.* equitem Romanum, teste Suetonio, Tacito, Plutarcho.

723 *Gnatumq;.* Rufrium Crispinum; quẽ adhuc impuberem, quia ferebatur imperia & ducatus ludere, mergendũ mari, dum piscaretur, seruis suis Nero mãdarat. auctor Sueton.

729 *Continet vocem.* Virgilius Aeneid. 3.

Obstupui, steteruntq; comæ, vox faucibus hæsit.

734 *Quæcunque mentis.* similes Attij Lucretij & Claudiani locos memini obseruare me in Notis ad Claudianum pag. 65. nunc addam alios. Nonnus Dionysiac. μβ'.

—— ἀντίτυπον γὰρ
ἔργον, ὅπερ τελέθει τις ἐν ἤματι, νυκτὶ δοκεύει·
βουκόλος ὑπνώων κεραοὺς βόας εἰς νομὸν ἕλκει,

δίκτυα θηρευτῆρος φαίνεται ὄψις ὀνείρου. γλωσσόεις δ' ἄδοντες ἀργυρεάδουσιν ἀργύρεας, &c.

Petronius Arbiter;

Somnia, quæ mentes ludunt volitantibus umbris,
Non delubra deûm, nec ab æthere numina mittunt;
Sed sibi quisque facit. nam cùm prostrata sopore
Languent membra, quies & mens sine pondere ludit.
Quicquid luce fugit, tenebris agit. oppida bello
Qui quatit & flammis miserandas sæuit in vrbes;
Tela videt, versasq́ acies & funera regũ,
Atq; exundantes profuso sanguine cāpos.
Qui causas orare solent; regesq́ forumq́
Et pauido cernunt inclusum corde tribunal.
Condit auarus opes, defossumq; inuenit aurum,
Venator saltus canibus quatit: eripit vndis,
Aut premit euersam periturus nauita puppim.
Scribit amatori meretrix. dat adultera munus.
Et canis in somnis leporis vestigia latrat.
In noctis spacio miserorũ vulnera durant.

Herodotus, in Polymnia: πεπλανῆσθαι αὗται μάλιστα ἰώθασι αἱ ὄψιες τῶν ὀνειράτων τά τις ἡμέρης φροντίζει. Sed & Tertullianus ni fallor in eo opere, quo de insomniis agitur, simile quid prodidit. suntque hæc Galeno, Aristoteli, & Hippocrati consentanea; quorum vltimus in lib. de insomniis scribit, idipsum animum fortem valetudinemq; constantem significare.

750 *Numen deûm.* at quorum deûm? num *Telluris & Heroum*? sic opinor. quia Hippocrates, de insomniis, auctor est, secundis in rebus Iouem cælestem, Iouem opulentum, Solem, Mineruam, Iunonem, Mercurium, & Apollinem supplicationibus adiri solere: in aduersis verò, pro malis auerruncādis, placari consueuisse Tellurem & Heroës malorum auerrūcatores, quos noctu multum pollere probat Athenæus lib. 11. Quibus addes me auctore *Iouem prodigialem*, de quo Plautus in Amphitryone;

Rectè dicis, vt commeminit, somnium narrat tibi.
Sed mulier, postquam experrecta es, prodigiali Ioui
Aut mola salsa hodie aut ture comprecatam oportuit.

Aut quem cruorem coniugis vidi mei?
NVT. *Quacunq; mentis agitat infestus vigor,*
Ea per quietem sacer & arcanus refert,
Veloxq́ sensus. coniugem, thalamos, rogos,
Vidisse te miraris, amplexu noui
Hærens mariti? sed mouent læto die
Pulsata palmis pectora, & fusa comæ.
Octauiæ dissidia planxerunt sacros
Intra penates fratris, & patrium larem.
Fax illa, quam secuta es Augustæ manu
Prælata; clarum nomen inuidiâ tibi
Partum ominatur. inferûm sedes; toros
Stabiles futuros spondet æternæ domus.
Iugulo quòd ensem condidit princeps tuo;
Bella haud mouebit, pace sed ferrum teget.
Recollige animum, recipe lætitiam, precor:
Timore pulso, redde te thalamis tuis.
POP. *Delubra & aras petere constitui sacras,*
Cæsis litare victimis numen Deûm:
Vt expientur noctis & somni minæ,
Terrorq́ in hostes redeat attonitus meos.
Et vota pro me suscipe, & precibus piis
Superos adora, mânet vt præsens metus.

CHORVS.
Anapæstici.

Si vera loquax fama Tonantis
Furta & gratos narrat amores;
Quem modò Ledæ pressisse sinum
Tectum plumis pinnisq; ferunt;
Modò per fluctus raptam Europen
Taurum tergo portasse trucem:
Quæ regit, & nunc deseret astra,
Petet amplexus Poppea tuos;
Quos & Ledæ præferre potest,
Et tibi quondam; cui miranti
Fuluo Danaë fluxit in auro.
Formam Sparte iactet alumnæ
Licet, & Phrygius præmia pastor;
Vincet vultus hæc Tyndaridos,
Qui mouerunt horrida bella,
Phrygiaq́ solo regna dedêre.
Sed quis gressu ruit attonito?
Aut quid pectore portat anhelo?

NVNCIVS. CHORVS.

NVN. *Quicunque tectis miles exsultat ducis,*
Defendat aulam; cui furor populi imminet.
Trepidi cohortes ecce præfecti trahunt
Præsidia ad vrbis victa, nec cadit metu
Concepta rabies temerè, sed vires capit.
CHO. *Quis iste mentes agitat attonitus furor?*
NVN. *Octauiæ furore perculsa agmina,*
Et efferata per nefas ingens ruunt.
CHO. *Quid ausa facere, quóve consilio, doce.*
NVN. *Reddere penates Claudiæ Diui parant,*
Torosq́; fratris, debitam partem imperi.
CHO. *Quos iam tenet Poppea concordi fide?*
NVN. *Hic vrit animos pertinax nimium furor,*
Et in furorem temerè præcipites agit.
Quæcunque claro marmore effigies stetit,
Aut ara fulgens, ora Poppeæ gerens,
Afflicta vulgi manibus, & sæuo iacet
Euersa ferro, membra per partes trahunt
Diducta laqueis, obruunt turpi diu
Calcata cœno. verba conueniunt feris
Immista factis. quæ timor recipit meus.
Sepire flammis principis sedem parant,
Populi nisi iræ coniugem reddat nouam,
Reddat penates Claudiæ victus suos.
Vt noscat ipse ciuium motus meâ
Voce, haud morabor iussa præfecti exequi.
CHO. *Quid fera frustra bella mouetis?*
Inuicta gerit tela Cupido,
Flammis vestros obruet ignes:
Quis exstinxit fulmina sæpe,
Captumq́; Iouem cælo traxit.
Læsi tristes dabitis pœnas
Sanguine vestro. non est patiens
Feruidus iræ facilisq́; regi.
Ille ferocem iussit Achillem
Pulsare lyram: fregit Danaos,
Fregit Atridem, regna euertit
Priami, claras diruit vrbes.
Et nunc animus quid ferat horret,
Vis immitis violenta dei.

ACTVS

754 *Vt expientur noctis & somni mina.* antiqui mane mala somnia expiabant. apud Apollonium Circe;

—— ἔνθα καὶ Κίρκην
εὗρον ἁλὸς νοτίδεσσι κάρη ἐπὶ φαιδρύνουσαν,
τοῖον γὰρ νυχίοισιν ὀνείρασιν ἐπτοίητο.

idem ex Sophocle, Aeschylo & Persio annotauit Cælius Rhodiginus lib. 27. antiq. lect. cap. 17.

765 *Danaë fluxit in auro.* Cornelius Seuerus, in AEtna;

Taurus in Europen, in Ledam candidus Olor,
Iuppiter in Danaën pretiosus fluxerit imber.

de Danaë Horatius inquit;

Inclusam Danaën turris ahenea,
Robustæq́; fores & vigilum canum
Tristes excubiæ munierant satis
Nocturnis ab adulteris:
Si non Acrisium virginis abditæ
Custodem pauidum Iuppiter & Venus
Risissent. fore enim tutum iter & patens
Conuerso in pretium deo.
Aurum per medios ire satellites
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo, &c.

quibus versibus innuitur, per hanc fabulam docere poëtas, auro quiduis impetrari, & auro largitionibusque omnia esse peruia; quæ mythologia Natali Comiti placet, nec mihi displicet: excogitaui tamen & aliam, quæ, vt mihi quidem videtur, nec ipsa malè cōuenit. nempe Actisium hominem esse magnæ eruditionis; quæ eruditio (hæc est Danaë filia eius) animo & mente abdita latet, & quia mentis sedes caput est, in turri ahenea conclusa dicitur. corporis enim arx seu turris est caput. hæc eruditio latet abdita & quasi mācipata carceri, estque sterilis & infœcunda, donec aureo imbre irrigetur, hoc est, donec potentis alicuius munificentia foueatur & excitetur: quod cùm euenit, confestim hæc Danaë Perseum parit, qui saxificam Medusam interficit. Enimuero tunc eruditio ista præmiis excitata, discussa tenuis fortunæ caligine, & effractis paupertatis compedibus, pariet liberos præstātissimos, videlicet libros, æterna scientiæ monumenta; à quibus ignorantia & inscitia debellabuntur. ignorantia, inquā, quæ stupidos, hebetes, & planè saxeos homines reddebat. hi libri quia per ora virum volitant: ideo alata talaria Perseo tribuuntur. Idem Andromedam Ceto eripuisse fingitur: quia his monumentis salutaria vitæ hominum præcepta ab antiquis composita, ab interitu vindicantur. Andromeda namque ἀνδρὶ

τοῦ ἀνδρὸς ἐ μίδω formatur, & virum curans significat. Demum poëtæ fabulantur Perseum vna cum Andromeda in cælum fuisse translatum: propterea quod huiusmodi scripta, cum antiquorum illis placitis à se sanatis & conseruatis, perpetuo viuunt, & quodammodo immortalitatem consequuntur. Docemur itaque per hanc fabulã sine emolumenti & præmiorum ope, quantumuis clara ingenia iacere ac delitescere. inquit ille;

Haut facilè emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

& alius;

Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones.

Nec frustra Musas Andronicus Diuæ Monetæ filias vocauit, vt & Higynus; & quæ Græcis μνημοσύνη, Latinis Moneta dicta. qui plura volet, legat elegantissimum Lucani Panegyricum ad Calpurnium Pisonem, circa finem.

Fluxit. quidam manusc. *fulsit.* sed nihil muto.

778 *Quis iste mentes agitat attonitus furor.* membranæ continent:

Quid i.m.a.attonitus furor. Sed malè.

817 *Funerea.* tres libri scripti; *funesta.*

826 *Turpis egestas.* Virgilius;

—— malesuada fames & turpis egestas.

Sæua, cum luctu, fames. Lucanus;

Sed patitur sæuam, veluti circumdatus arta
Obsidione, famem ——

„ 832 *Malus domanda.* T. Liuius lib. 2. Pa-
„ lamque ferrent malo domandam Tribuni-
„ ciam potestatem.

ACTVS QVINTVS.

NERO.

O lenta nimium militis nostri manus,
Et ira patiens post nefas tantum mea.
Quod non cruor ciuilis accensas faces
Exstinguit in nos, cæde nec populi madet
Funerea Roma; quæ viros tales tulit.
Admissa sed iam morte puniri parum est,
Grauiora meruit impium plebis scelus:
Et illa, cui me ciuium subiecit furor,
Suspecta coniux & soror semper mihi.
Tandem dolori spiritum reddat meo,
Iramq; nostram sanguine exstinguat suo:
Mox tecta flammis concidant vrbis meis,
Ignes, ruinæ, noxium populum premant,
Turpisq; egestas, sæua cum luctu fames.
Exsultat ingens seculi nostri bonis
Corrupta turba, nec capit clementiam
Ingrata nostram, ferre nec pacem potest;
Sed inquieta rapitur; hinc audaciâ,
Hinc temeritate fertur in præceps suâ.
Malis domanda est, & graui semper iugo
Premenda: ne quid simile tentare audeat,
Contraq; sanctos coniugis vultus meæ
Attollere oculos. fracta per pœnas metu
Parêre discet Principis nutu sui.
Sed adesse cerno, rara quem pietas virum
Fidesq; castris nota præposuit meis.

PRAEFECTVS. NERO.

PRÆF. *Populi furorem, cæde paucorum, diu*
Qui restiterunt temerè, compressum affero.
NE. *Et hoc sat est? sic miles audisti ducem?*
Compescis? hæc vindicta debetur mihi?
PR. *Cecidere motus impij ferro duces.*
NE. *Quid illa turba, petere quæ flammis meos*
Ausa est penates, Principi legem dare,
Abstrahere nostris coniugem caram toris:
Violare quantum licuit, incestâ manu
Et voce dirâ, debitâ pœna vacat?
PR. *Pœnam dolor constituet in ciues tuos.*
NE. *Constituet, ætas nulla quam famæ eximat.*
PR. *Quam temperet non ira, non noster timor?*

NE. *Iram*

NE. *Iram expiabit, prima quæ meruit meam.*
PR. *Quam poscat ede, nostra ne parcat manus.*
NE. *Cædem sororis poscit, & dirum caput.*
PR. *Horrore victum trepidus astrinxit rigor.*
N. *Parère dubitas?* PR. *cur meam damnas fidem?*
N. *Quod parcis hosti.* PR. *femina hoc nomen capit?*
N. *Si scelera cepit?* PR. *éstne qui sontem arguat?*
N. *Populi furor.* PR. *quis regere dementes valet?*
N. *Qui concitare potuit.* PR. *haud quẽquam reor.*
N. *Mulier, dedit natura cui pronum malo*
Animum, ad nocendum pectus instruxit dolis.
Sed vim negauit, vt ne inexpugnabilis
Esset, sed ægras frangeret vires timor,
Vel pœna: quæ tam sera damnatam premit,
Diu nocentem. tolle consilium, ac preces,
Et imperata perage: deuectam rate
Procul in remotum litus interimi iube,
Tandem vt residat pectoris nostri tumor.

CHORVS. OCTAVIA.

Anapæstici.

O funestus multis populi
Dirusq; fauor; qui cùm flatu
Vela secundo ratis impleuit,
Vexitq; procul; languidus idem
Deserit alto sæuoq; mari.
Fleuit gnatos miseranda parens,
Perdidit ingens quos plebis amor,
Nimiusq; fauor, genere illustres,
Pietate, fide, linguâ claros,
Pectore fortes, legibus acres.
Te quoque lenis simili letho
Fortuna dedit; quem neque fasces
Texere sui, nec tecta domus.
Plura referre prohibet præsens
Exempla dolor. modò cui patriam
Reddere ciues aulam, & fratris
Voluere toros; nunc ad pœnam
Lethumq; trahi, flentem, miseram
Cernere possunt. benè paupertas
Humili tecto contenta latet.
Quatiunt altas sæpe procellæ,
Aut euertit fortuna domos.

855 *Astringit.* sic pro *astrinxit*, in membranis legitur.

861 *Mulier dedit natura cui pronum malo animum.* de muliere ait Simonides Amorgynus:

οὐδ' ἄν τιν' εὖ ἔρξειεν· ἀλλὰ τοῦθ' ὁρᾷ,
καὶ τοῦτο πᾶσαν ἡμέρην βουλεύεται,
ὅκως τι χ' ὡς μέγιστον ἔρξειεν κακόν.

863 *Sed vim negauit.* Anacreon mulieribus à natura non prudentiam, non robur, neque fortitudinem, sed horum loco datã pulchritudinem asserit, his versibus (si modò ipsius sunt, quod Fran. Robortellius negauit)

γυναιξὶν οὐκ ἔτ' εἶχεν
τί οὖν δίδωσι; κάλλος,
ἀντ' ἀσπίδων ἁπασῶν
ἀντ' ἐγχέων ἁπάντων.

870 *O funestus multis populi dirusq; fauor.* Pausanias, in Atticis, asserit nemini vnquam qui se effusè ad rempub. gerendã contulerit, seseq; auræ populari crediderit, optabilem vitæ exitum contigisse: εὖ δέ μοι λελέχθαι δοκεῖ, ἄνδρας ἀφειδῶς ἐσπεσόντας ἐς πολιτείαν, καὶ πιστὰ ἡγησάμενοι τὰ τοῦ δήμου, μήπω καλῶς τελευτῆσαι. & sanè hoc tam verum est, quàm quod verissimum. & facilè esset non modò ex superiori memoria multis hoc exemplis confirmare; sed iis etiam quæ ipsi in hac tam non multorum annorum ætate vidimus: verùm nolo nondum planè obductas cicatrices retegere.

875 *Fleuit.* Ti. & C. Gracchos homines mirè populares, Agrariarum legum auctores acerrimos, Cornelia mater luxit.

880 *Te quoque leuis.* omissis aliorum nugis intellige de M. Liuio Druso tribuno pl. quem cùm potissima Pop. Romani pars maximo fauore complecteretur, incertum, a quo domi suæ fuit interfectus. hunc Brusonius libro 7. c. 16. mendosè, Iulium Drusum vocat.

Lenis. legendum, non cum Badio *leuis*; nec cum N, *lenis*. sed cum v. libris *leuis*. fortuna enim quid leuius? quid inconstantius? quid volubilius? in illo Varronis fragmento, quod iam semel posuimus, forte commodius
" legetur;
" *Nemini fortuna currum à carcere vltimi leuis*
" *Missum, inoffensum per æquor, candidum*
" *ad calcem subit.*

OC. *Quò me trahitis? quòdve tyrannus*
Aut exilium regina iubet?
Si mihi vitam fracta remittit
Tot iam nostris euicta malis;
Si cæde meâ cumulare parat
Luctus nostros: inuidet etiam
Cur in patriâ mihi sæua mori?
Sed iam spes est nulla salutis.
Fratris cerno miseranda ratem:
Hæc est; cuius vecta carinâ
Quondam genitrix, nunc & thalamis
Expulsa soror miseranda vehar.
Nullum pietas nunc numen habet,
Nec sunt superi: regnat mundo
Tristis Erinnys.
Quis mea dignè deflere potest
Mala? quæ lachrymis nostris questus
Reddet Aëdon? cuius pinnas
Vtinam miseræ mihi fata darent:
Fugerem luctus ablata meos
Pennâ volucri, procul & cœtus
Hominum tristes, cædemq; feram:
Sola in vacuo nemore, & tenui
Ramo pendens, querulo possem
Gutture mæstum fundere murmur.
CH. *Regitur fatis mortale genus,*
Nec sibi quicquam spondere potest
Firmum & stabile: perquàm casus
Voluit varios semper nobis
Metuenda dies. animum firment
Exempla tuum iam multa, domus
Quæ vestra tulit. quid sæuior est
Fortuna tibi? tu mihi primùm
Tot natorum memoranda parens
Nata Agrippæ, nurus Augusti,
Cæsaris vxor; cuius nomen
Clarum toto fulsit in orbe,
Vtero toties enixa graui
Pignora pacis; mox exsilium,
Verbera, sæuas passa catenas,
Funera, luctus, tandem lethum
Cruciata diu. felix thalamis
Liuia Drusi, natisq; ferum
Ruit in facinus, pœnamq; suam.

Regina. cùm in o. v.l. & antiquis editionibus ita legatur, cur non eam lectionem retineamus? etenim *fortuna*, quod M. intrusit, ex glossa interlineari in cōtextum irrepsit. *Regina*, hoc est, vel Poppea, vel potius fortuna; quam Ennius quoque simpliciter heram vocauit:

Vósne velit, an me regnare hera, quidve ferat fors,
Virtute experiamur ——

900 *Fratris.* ἐμφατικῶς. sic supra Thyest.
Agnosco fratrem. sustines tantum scelus, &c.

906 *Tristis Erinnys.* sic Maro;
—— *quo tristis Erinnys*
Quo fremitus vocat.

913 *Cædemq; feram.* Ouidius;
Plena feræ cædis, plena cruoris erant.

918 *Nec sibi quicquam spondere potest.* Euripides in Ione;
ἠλιοςόμεθ' ἐκεῖθεν
ἐνθάδε δυςυχίαισιν,
εὐτυχίαις τε πάλιν
μεθίςαται δὲ πνεύματα.
ideo Bathon, in AEtolo, inquit:
ἄνθρωπος ὢν ἔκπεικας ἐν δὲ τοῦ βίου
τέρας ἐςὶν, εἴτις εὐτύχηκε διὰ βίου.

929 *Toties.* nouies peperit enim hæc Agrippina (quæ M. Agrippæ & Iuliæ filia, Germanici vxor, Tiberij nurus fuit) nouem liberos, quorum duo infantes, vnus puerascens mortuus est; ceteri, Agrippina, Drusilla, Liuilla, Nero, Drusus, & C. Cæsar diutius vixerunt. hanc Agrippinam Tiberius, primo quidem dedignatus alloqui, vocari desiit; mox in Pandatariam relegauit, conuiciantique per centurionem oculum excussit; rursus ei, per vim ore diducto, cibum insulciri iussit: postremò voluntaria inedia absumtam, criminosissimé fuit insectatus, diem quoque natalem illius nefastum esse, cadauer verò in Gemonias proiici voluit.

934 *Ferum.* Liuia Drusi vxor, quia maritum Drusum interfici curarat, Tiberij, cuius nurus erat, iussu fuit infecta.

Iulia

Iulia matris fata secuta est:
Post longa tamen tempora ferro
Cæsa est, quamuis crimine nullo.
Quid non potuit quondam genitrix
Tua, quæ rexit Principis aulam,
Cara marito, partuq́; potens?
Eadem famulo subiecta suo,
Cecidit diri militis ense.
Quid, cui licuit regnum in cælum
Sperare, parens tanta Neronis:
Num funestâ violata manu
Remigis antè, mox & ferro
Lacerata diu, sæui iacuit
Victima nati?
OC. *Me quoque tristes mittet ad vmbras*
Ferus, & manes, ecce tyrannus.
Quid iam frustrà miseranda moror?
Rapite ad lethum; quîs ius in nos
Fortuna dedit. testor superos.
Quid agis demens? parce precari,
Quîs inuisa es, numina diuûm.
Tartara testor, Erebiq́; deas
Scelerum vltrices, & te genitor
Dignum tali morte, & pœna:
Non inuisa est mors ista mihi.
Armate ratem, date vela fretis,
Ventisq́; petat puppis rector
Tandem Phariæ litora terræ.
CH. *Lenes auræ, Zephyriq́; leues;*
Tectam quondam nube ætheriâ
Qui vexistis raptam sæuæ
Virginis aris Iphigeniam:
Hanc quoque tristi procul à pœnâ
Portate precor templa ad Triuiæ.
Vrbe est nostrâ mitior Aulis,
Et Maurorum barbara tellus.
Hospitis illîc cæde litatur
Numen superûm: ciuis gaudet
Roma cruore.

FINIS.

Regina. cùm in o. v.l. & antiquis editionibus ita legatur, cur non eam lectionem retineamus? etenim *fortuna*, quod M. intrusit, ex glossa interlineari in cõtextum irrepsit. *Regina*, hoc est, vel Poppea, vel potius fortuna; quam Ennius quoque simpliciter heram vocauit:

Vósne velit, an me regnare hera, quidve ferat fors,
Virtute experiamur ——

900 *Fratris.* ἐμφατικῶς. sic supra Thyest.
Agnosco fratrem. sustines tantum scelus, &c.

906 *Tristis Erinnys.* sic Maro;
—— *quo tristis Erinnys*
Quo fremitus vocat.

913 *Cædemq́; feram.* Ouidius;
Plena feræ cædis, plena cruoris erant.

918 *Nec sibi quicquam spondere potest.* Euripides in Ione;
ἑλισσόμεσθ' ἐκεῖθεν
ἐνθάδε δυστυχίαισιν,
εὐτυχίαις τε πάλιν
μεθίσταται δὲ πνεύματα.
ideo Bathon, in AEtolo, inquit:
ἄνθρωπος ὢν ἐκπέπεικας ἐν δὲ τοῦ βίου
τέρας ἐστὶν, εἴ τις εὐτυχεῖ διὰ βίου.

929 *Toties.* nouies peperit enim hæc Agrippina (quæ M. Agrippæ & Iuliæ filia, Germanici vxor, Tiberij nurus fuit) nouem liberos, quorum duo infantes, vnus puerascens mortuus est; ceteri, Agrippina, Drusilla, Liuilla, Nero, Drusus, & C. Cæsar diutius vixerunt. hanc Agrippinam Tiberius, primo quidem dedignatus alloqui, vocari desiit; mox in Pandatariam relegauit, conuiciantique per centurionem oculum excussit; rursus ei, per vim ore diducto, cibum infulciri iussit: postremò voluntaria inedia absumtam, criminosissimè fuit insectatus, diem quoque natalem illius nefastum esse, cadauer verò in Gemonias proiici voluit.

934 *Ferum.* Liuia Drusi vxor, quia maritum Drusum interfici curarat, Tiberij, cuius nurus erat, iussu fuit infecta.

OC. *Quò me trahitis? quòdve tyrannus*
Aut exilium regina iubet?
Si mihi vitam fracta remittit
Tot iam nostris euicta malis;
Si cæde meâ cumulare parat
Luctus nostros: inuidet etiam
Cur in patriâ mihi sæua mori?
Sed iam spes est nulla salutis.
Fratris cerno miseranda ratem:
Hæc est, cuius vecta carinâ
Quondam genitrix, nunc & thalamis
Expulsa soror miseranda vehar.
Nullum pietas nunc numen habet,
Nec sunt superi: regnat mundo
Tristis Erinnys.
Quis mea dignè deflere potest
Mala? quæ lachrymis nostris questus
Reddet Aëdon? cuius pinnas
Vtinam miseræ mihi fata darent:
Fugerem luctus ablata meos
Pennâ volucri, procul & cœtus
Hominum tristes, cædemq́; feram:
Sola in vacuo nemore, & tenui
Ramo pendens, querulo possem
Gutture mæstum fundere murmur.
CH. *Regitur fatis mortale genus,*
Nec sibi quicquam spondere potest
Firmum & stabile: perquàm casus
Voluit varios semper nobis
Metuenda dies. animum firment
Exempla tuum iam multa, domus
Quæ vestra tulit. quid sæuior est
Fortuna tibi? tu mihi primùm
Tot natorum memoranda parens
Nata Agrippæ, nurus Augusti,
Cæsaris vxor, cuius nomen
Clarum toto fulsit in orbe,
Vtero toties enixa graui
Pignora pacis, mox exsilium,
Verbera, sæuas passa catenas,
Funera, luctus, tandem lethum
Cruciata diu. felix thalamis
Liuia Drusi, natisq́; ferum
Ruit in facinus, pœnamq́; suam.

Iulia

Iulia matris fata secuta est:
Post longa tamen tempora ferro
Cæsa est, quamuis crimine nullo.
Quid non potuit quondam genitrix
Tua, quæ rexit Principis aulam,
Cara marito, partuq; potens?
Eadem famulo subiecta suo,
Cecidit diri militis ense.
Quid, cui licuit regnum in cælum
Sperare, parens tanta Neronis:
Num funestâ violata manu
Remigis antè, mox & ferro
Lacerata diu, sæui iacuit
Victima nati?
OC. *Me quoque tristes mittet ad vmbras*
Ferus, & manes, ecce tyrannus.
Quid iam frustrà miseranda moror?
Rapite ad lethum; quîs ius in nos
Fortuna dedit. testor superos.
Quid agis demens? parce precari,
Quîs inuisa es, numina diuûm.
Tartara testor, Erebiq; deas
Scelerum vltrices, & te genitor
Dignum tali morte, & pœna:
Non inuisa est mors ista mihi.
Armate ratem, date vela fretis,
Ventisq;, petat puppis rector
Tandem Phariæ litora terræ.
CH. *Lenes auræ, Zephyriq; leues;*
Tectam quondam nube ætheriâ
Qui vexistis raptam sæuæ
Virginis aris Iphigeniam:
Hanc quoque tristi procul à pœnâ
Portate precor templa ad Triuiæ.
Vrbe est nostrâ mitior Aulis,
Et Maurorum barbara tellus.
Hospitis illic cæde litatur
Numen superûm: ciuis gaudet
Roma cruore.

FINIS.

MARTINI ANTONII DELRII EX SOCIETATE IESV SYNTAGMATIS TRAGICI

Pars vltima,

SEV

Nouus Commentarius in decem Tragœdias, quæ vulgò SENECÆ *aſcribuntur.*

Cum Indicibus.



ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA,

Apud Viduam, & Ioannem Moretum.

M. D. XCIIII.

Cum gratia & priuilegio.

IVSTO LIPSIO V. C.
MART. ANT. DELRIO S.



EC duos mundus ſoles, nec rubeculas duas ſaltus capit: *nec regna ſocium ferre, nec tedæ ſciunt*. malo id exemplo multi ſcriptores imitantur, CRITICI præcipuè, qui, ſi eandem quis cum illis ſpartam nitatur ornare, mox calamis ſæuiunt, & ſepiæ atque loliginis ſuco cruentum bellum gerunt, & Archilochi melos mutuum occinunt. quot eorum amicitias riualitas reſoluit? ſed illæ nec probè colligatæ, nec veræ amicitiæ fuerunt; quæ tales, æmulationem ignorant, obtrectationem auerſantur. veræ non erant; quas vel ambitio, vel cupiditas, vel ſimulatio coniunxerat. veras, non niſi probitas & virtus & fides conciliant, connectunt, & conſeruant. Audeo dicere talem noſtram, IVSTE LIPSI; quam, nec tot annorum, tot locorum interualla, nec partium aduerſariarum (quæ te vel inuitum, vel, inopinantem, & improuidum abſtraxerant) factiones, nec aliæ quæ aliis graues cauſſæ viderentur, reſcindere potuerunt. Nec mirum. nam quod aliud illi principium, quam animorum quædam ſimilitudo, & ad humanitatem atque honeſtatem conſpiratio? quis finis, niſi fructus tam ingenuæ voluntatis, artium bonarũ ac ſtudiorum liberalium incrementum? ita dum idem volumus, idem admiramur, & conamur, vnus ambos *Annæus* pari voluntate, ſucceſſu non pari, nos cœpit. Prior ego lucis perpaullulum dedi pene puer, planè tiro. Mox tu, Sol litteratorum, Princeps veræ Criticæ huius æui, radiatum ingenij & iudicij lumen intuliſti; &, quę haut ſcio an quis alius arroſis ad Ariſtophanis & Cleanthis lucernam vnguibus tandem peperiſſet; ea tu, quaſi ludens, effudiſti. Quod ſi vt næuos tantum tollere, ſic animus tibi fuiſſet commentariis præterea illuſtrare; cum ramento &

puluiſculo cuncta enerriſſes; mihi quercus alia fuiſſet excutienda. Nunc quod præſtare voluiſti, præclarè tu quidem, vt ſoles, & feliciter: ſed quod à te neglectum, id vt poſterioribus curis præſtarem, inuaſi. Prodeunt nunc qualiacúque, hac ſpe & mente vt tuis apponantur; vt componantur, non magis, quàm vt rauca picarum garrulitas, luſciniarum canori ſuauiſſimo, vel noctuæ cæcutientia, perſpicacitati aquilæ comparetur. Adderem illa mihi diſplicere, ſi poſſent, quæ tibi placuere. Tuum mihi iudicium multorum inſtar millium. legiſti, recenſuiſti, probaſti. cur lucem paueant? tu obſtetricatus manu, auctor & impulſor typographo edendi; tibi debebunt, quam adſpicient lucem. Accipies igitur, in duas tragœdiarum Senecæ optimas Comment. MEDEAM & THEBAIDA, & quia patrem infauſtum non vult Antigone deſerere, ſimul in OEDIPVM: vt litterario tuo theſauro hanc opellam, Crœſi opibus teruncium adiungas; quodque debes amicitiæ & iudicio tuo, vt contra Zoilorum Claudiana tonitrua defenſionem ſuſcipias. Faxit DEVS OPT. MAX. qui te tot periculis falſorum fratrum, & ex Orci faucibus ereptum, patriæ, & veris amicis reddidit; vt quam animo religionis puritatem tuebaris, eam nunc tibi palam profitenti, & in matris Eccleſiæ Catholicæ gremio conquieſcenti; hoc amicitię & pietatis in te meæ teſtimonium ſit ſempiternum. Leodici, CIↃ. IↃ. XCII. menſe Iunio.

COMMENTARIVS IN MEDEAM.

Lectori S.



VAE *in Aduersariis olim, hic non repetam: eò tibi recurrendum: Duntaxat Græcorum testimoniorum Latinam nunc interpretationem accipies; quia plerique illam postularunt. Vtar autem eorum qui extant interpretum versionibus; si non exstet vlla, sententiam meis verbis exprimam, hactenus vt intelligatur. Quorum Græca exemplaria non erunt ad manum; ignosce si mentem, non ipsa verba exhibebo. Vale.*

ARGVMENTVM.



EPVDIATA Medeâ Iason, Creusam Creontis, Corinthiorum Regis, filiam ducit: iussa in exilium proficisci Colchis, vnius diei inducias impetrat. interea dona diris venenis illita, per filios ad Creusam mittit. exornat se iis misella noua nupta, & repentè flammis erumpentibus, vnâ cum patre, qui accurrerat, filiamque complexus eripere conabatur, cumque ipsâ regiâ, incendio absumitur. Medea secum asportatis in domus fastigium filiis, in Iasonis conspectu, crudeliter eos trucidat: & à draconibus mox per aërem Athenas deuehitur.

MEDEA] *quidam etiam Melanthius Græcè*, Medeam *tragœdiam edidit. Pacuuij fabulam, non* Medeam, *sed* Medum *inscriptam censet Manutius comment. in lib. 7. epist. Ciceron. ad familiar. epist. 6. sed verius*, Medum *&* Medeam *ab illo editas: Vide fragmenta quæ nos parte primâ ex vtraque. Tertullianus in lib. de præscript. aduers. hæretic. fortè ad sententiam magis, quàm ad verba respexit, dum Ouidij* Medeam, *ex Virgilio centonem nuncupat: quanquam illud, quod Seneca lib. 1. Suasoriar. ex eadem laudat;*

Feror huc illuc, vt plena Deo.

 Sanè

Sanè Virgilianum fermè. sed fortè rectius quidam Cod. Tertulliani tum scriptorem vocant Oßidium Getam; quod placuit Domino Lindano in Panopliâ. Arbitror Medeæ nefariam crudelitatem à Sophocle celebratam duabus fabulis, quarum vni titulus; Colchides, *alteri;* Scythæ. *huius nostræ tragœdiæ materiam narrant Diodorus Siculus lib. 5. & Apollodorus lib. 1. bibliothec. Ouidius in Metamorph. & epist. Heroid. & Iustinus lib. 42.*

IN ACTV I.

Hoc Actu iras nutrit Medea, & superos inferosq́ ad vltionem vocat.

Coniugales Deos Græci ἀρχηγέτας: Phocenses solas Deas geniales, γενναΐδας nominarunt. *Pausan. in Atticis.*

Versu 1. Dij coniugales] *agendum de his nunc paullo fusius.* Coniugales *dicti, teste D. Augustino lib. 3. de ciuit. Dei, quia nubentes eis commendabantur, vt bene coniugarentur. iugum enim matrimonio iungendis imponebatur, ad significandum concordiam futuram & separationis difficultatem, vt tradit D. Isidorus. lib. 9. Origin. seu Etimolog. c. de coniugiis. solitæ horum deorum effigies in geniale cubiculum inferri, erantq́ numero penè infiniti, vt idem Augustinus docuit lib. 6. de ciuit. Dei cap. 9. præcipui, & quasi antesignani, qui hic nominantur, &* Iupiter γαμήλιος, *de quo D Hieron. in Iouinian. Pausanias, Diodorus & alij;* Iuno γαμήλια; Venus, *variis ob id nominibus appellata;* Hymenæus, *de quo postea;* Πειθὼ, *de qua Coluthus,*

καὶ στέφος ἀσκήσασα γαμήλιον ἤλυθε Πειθὼ

Et coronam nectens nuptialem venit Pytho:

& Diana, *quam Locri & Bœotij* Eucliam *vocarunt, eiq́ in foro statuam & aram dedicarunt, & sponsum sponsamq́ antè nuptias ei sacrificare iusserunt. auctor Plutarchus in Aristide. His addendus* Genius; *qui A. Furio dicitur,* Deorum filius, hominumque parens, *sic dictus quasi suus quemq́ genius genuerit. vnde Laberius in Imagine;*

Plaut. in Menæchm. Horat. lib. 2. epist. 2.

Genius generis nostri parens.

ideo à Tibullo dicitur, deus Natalis; *à Plauto & Horatio,* naturæ Deus humanæ. *quia (vt ait Festus, eiusq́ transcribẽs verba D. Isidorus)* Genium vocabant, Deum rerum omnium genendarum. *Coniugalis ergo Deus. nam & in coniugatorum tantum ædibus, teste Censorino, duo Genij colebantur, quo sensu* torus genialis, & epulæ geniales *dicuntur, pro nuptialibus, vt hic & apud Ciceronem pro Cluentio & alios. Martianus Capella tradit* Genium *dici Deum, qui, quo primum momento homo gignitur, illi associatur. Ammianus Marcellinus ex Gentilium doctrinâ lib. 21. Histor. scribit Constantio Imp.* Genium salutis tutelæ (*sic loquitur*) appositum, *paullo ante mortem eum deseruisse:* & cunctis in lucem editis hominibus, saluâ firmitate fatali, huiusmodi velut actus rectura sociari: *à paucis visa, vt à Pythagorâ, Socrate, Numâ, Scipione maiore, Mario, Octauiano Aug. Trismegisto, Apollonio, & Plotino; qui etiam scripserit,* quibus primordiis hi Genij animis connexi mortalium, *& quomodo animas* tanquam gremiis suis susceptas tueantur, &, quoad licitum est, doceant maiora, si senserint puras, & à colluuione peccandi immaculatâ corporis societate discretas. *Menandri senarios duos addit; quibus docet cunctis nascentibus datum dæmonem custodem & rectorem vitæ;*

Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ τῷ γεννωμένῳ
Ἅπαντος ἐςὶ μυςαγωγὸς τοῦ βίου.

Sic nimirum cacodæmon veritatem fidei, de bonorum Angelorum singulis hominibus tutelâ additâ, conatus iam tum his de Genijs commentis infirmare; vt & nunc per emissarios suos; qui negant suum cuique associatum Angelum custodem; de quo theologi consulendi: nos, quid Ethnici de suis genijs, prosequamur. Censorinus ergo in hæc verba; Genium esse Deum, cuius in tutelâ vt quisq; natus est, viuit: siue quòd vt generemur curat; siue etiam, quòd nos genitos suscipiat ac tueatur; certè à gignendo Genius appellatur. Euclides Socraticus duplicem dicit nobis omnibus genium appositum; quod & Lucillius lib. *y.* Satyrarum confirmarat. Et licet alij sint Dij complures homini vitam pro suâ quisque portione adminiculantes, quos libri indigitamentorum enumerant: ij tamen semel in vnoquoque hominum numinum suorum affectum repræsentant. ideo illis non quotannis sacrificabatur. Genio autem; quia ita nobis est obseruator assiduus appositus, vt ne puncto quidem temporis longius abscedat; sed ab vtero matris exceptos, ad extremum vitæ diem comitetur: ideo illi potissimum, per omnem ætatem quotidie sacrificabant; non quidem factâ hostiâ, sed mero fuso. quia iuxta Varronem, in lib. *Articulus seu de numeris*, in Genij festo, qui erat natali die, manum à cæde & sanguine abstinebant: ne die, quâ ipsi lucem accepissent, alijs demerent. *Quæ cum Varronis sententia fuerit Romanorum doctissimi, eumq; Censorinus sequatur; quærendũ sedulò, cur homo eruditus ex illo Horatij;* ——cras Genium mero

Curabis, & porco bimestri,
Cum famulis operum solutis;

censuerit Genio, vt & Lari, porcum immolari consueuisse; maximè cùm & Acron ea verba manifestè ad sacrificium referat. An quod Natali die floribus & vino tantum, ceteris per annum etiam porco, fiebat? sed Varronis ratio semper locum obtinet. quare omnino censeo viuas sensilesq; hostias ob omni sacrificio genij alienas; illiq; cædem omnem creditam displicere. Horat. lib. 2. epist. 1. —— Siluanum lacte piabant,

Floribus & vino Genium memorem breuis æui.

Memorem scilicet, quia vitæ breuis homines admonet. Persius Sat. 2.

Funde merum Genio ——

Thura quoque adolebant. Tibullus, de Natali Cherinthi;

Magne Geni, cape thura libens.

Sed Horatius, porci bimestris meminit. Verùm aliud facere Geniò, *seu* placare Genium; *aliud*, curare Genium. *illud ad sacrificia & diuinæ rei curationem perspicuè pertinet: hoc ad lætitiam, hilaritatemq; animi, corporis inuitationem, & largioris mensæ apparatum, vnde dicti* homines Geniales, *&* Genio indulgere, *cui* Genium defrudare *opponitur. Genium namque voluptatis quoque Deum putabant. Fauet huic Horatiani loci explicationi Porphyrion interpres, & alij. Sed & pro fortunâ, Genius. glossar.* Genius τύχη

Vide D. Hieron. in cap. 18 Matthei. D. Chrysost. hom. 60. in Matth. & D. Thom. 1. par. q. 113.

Tertullianus apo. cap. 32.

Nescitu Genios dæmones dici, & inde diminutiua vero dæmonia.

τύχη ἑκάστου ἀνθρώπου. *&* Genium τύχη. Genium *viri colebant*, Iunonem natalem *feminæ; per Genium viri, per Iunonem feminæ iurabant. An quia negabant feminis esse Genium, vel viris Iunonem propitiam? non crediderim. altius quid suberat. fortè quia gignendi actum solis viris, cum Aristotele in libris de Generat. animal.; feminis solam perpeßionem & pariendi laborem, cui præerat Iuno, tribuebant. Certè nimis apertè veteres scripsêre, vt queant illorum verba aliò detorqueri, ad feminas excludendas. Censorinus, vnumquemque vt natus est, dixit in Genij tutelâ viuere. Seneca de antiquis Romanis epist. III.* Singulis & Genium & Iunonem dederunt. *Plinius lib. 1. nat. histor.* Cùm singulos ex semetipsis Deos faciant, Genios Iunonesque adoptant sibi. *Ammianus etiam, Plautus, Horatius, Laberius generatim loquuntur. Viris ergo non Genij modò, sed & Iunones, Natales dij, mulieribus iidem. iuuat etiam Tibullus, qui lib. 4. de Cherinthi pueri natali agens, primò quidem Genium precatur, mox Sulpitiæ, quæ adolescentem amabat perditè, votum in eodem Natali Cherinthi subdit;* Natalis Iuno sanctos cape thuris aceruos. *decuit enim mulierem natalis potius Deæ, quàm Dei, tamen adolescentis gratiâ, meminisse. Hæc de Genio, vtinam non sine genio. multa Lilius Syntagm. 15. sed non satis à Lare distinguit. Iulian. Aurelian. lib. 1. de cognominib. Deorum cap. vlt. refert etiam* Neptunum Genethlium, *vt cui liberorum quærendorum cura nonnulla. Romanis præterea coniugales Dij peculiares,* Picumnus & Pilumnus. *docet Nonius;* Pilumnus (*inquit*) & Picumnus dij præsides auspiciis coniugalibus deputátur. *Varro, de vita pop. Rom. li. 2.* Natus si erat vitalis, & sublatus ab obstetrice statuebatur in terrâ, aut aspicaretur (*lego*, vt auspicaretur, *hoc est, auspicato inciperet*) rectus esse. Diis coniugalibus, Pilumno & Picumno, in ædibus lectus sternebatur. *Fuit & huius generis* Dea Virginensis, *de qua S. Augustinus lib. 6. de ciuit. Dei, cap. 9. & lib. 4. c. 11. vbi etiam* Domiduci, Iugatini, Subigi, Priapi, Manturnæ, Premæ, Partundæ, *meminit; quos omnes ego* Genitalium Deorum *in numerũ retulerim; veteres enim, quos æternos rerum omnium parentes & auctores putabant, sic nominarunt, teste Cicerone 3. de Orat. Ennius apud Seruium in 6. Æneid.*

Romulus in cælo cum Diis Genitalibus æuum
Degit —— *ex quo versu viderentur hi Romanorum proprij, nisi*

Ausonius Iliad. perioch. 4. scripsisset;

Iupiter interea, cum Dis Genitalibus vnà,
Concilium cogit superûm de rebus Achiuis.

Claudiano quoque Nox *Dea huiusmodi lib. 2. de rap. Proserp.*

Ducitur in talamum virgo. stat Pronuba iuxta
Stellantes Nox picta sinus, tangensque cubile
Omina perpetuo genitalia fœdere sanxit.

Accedant & Nixij Dij; *quo nomine scribit Festus appellari tria signa, in Capitolio ante cellam Mineruæ, genibus nixa, velut præsidentes parientium nixibus: de quibus Turnebus lib 7. aduersar. cap. 8. Ceterum* Leuana, Cunina, Rumina, Edusa, Potina, Vagitanus, *& similia portenta; quæ ad infantes iam*

*Vide Turnebũ lib. 16 aduers. c. 19.

Scio hæc non conuincere. sed quid in mendacio & errore certi?

iam natos potius ſpectabant, & non coniugalia, nec genitalia, ſed educatoria, numina; huc non pertinent. conſule ſi vis Lilium Syntagm. 1.

Genialis tori] *thalami nuptialis. Feſtus*; Genialis lectus, qui nuptiis ſternitur in honorem Genij, vnde & appellatur. *quæ D. Iſidorus, ad verbum lib. 8. Orig. cap. vl.* Genium dicunt quod quaſi vim habeat omnium rerum gignendarum, ſeu à gignendis liberis. vnde & geniales lecti dicebantur à gentibus, (*fortaſſis reponendum ex Feſto, à geniis*) qui nouo marito ſternebantur. *horum lectorum meminere Virgilius 6. Æneidos, & Claudianus lib. de raptu Proſerp. 2.*

2. Lucina.] *Iuno. Ouidius*;

Iunonemque thoris quæ præſidet alma maritis.

& in epiſt. Medeæ

Conſcia ſit Iuno ſacris præfecta maritis. *Virgilius*;

——cui (*Iunoni*) vincla iugalia curæ. *Vnde in veteri marmore*; IVNONI IVGALI: *quod eius auſpiciis coniugia inirentur: à quo munere, varia nomina fuit ſortita. dicta* Opigina, *quòd parturientibus opem ferret, auctor Feſtus*: Vnxia, *quòd ſponſa mariti domũ ingreſſura prius poſtes oleo, axungiâ, vel adipe lupino inungeret, vnde vxores quaſi vnxiores dictæ B. Iſidoro lib. 9. cap. vlt. Orig.* Cinxia, λυσιζώνη, *quòd cinguli ſolutionem fortunaret*: Iuga, *quod nuptias iungeret.* Socigena, *quòd nubentes ſociaret*: Interduca, Domiduca, *& ſimilia, de quibus Martianus Capella, his verbis*; Iuno pulchra, licet aliud nomen tibi conſortium cæleſte tribuerit, & nos à iuuando *Iunonem*, vnde & Iouem dicimus, nominemus: ſiue te *Lucinam*, quòd lucem naſcentibus tribuas, ac *Luceiam* conuenit nũcupari. Nam *Fluuoniam, Februalemq́;* ac *Februam*, mihi poſcere nõ neceſſe eſt, cùm nihil contagionis corporeæ ſexu intemerata pertulerim. *Interducam* & *Domiducam, Vnxiam, Cinctiam*, mortales puellæ debẽt in nuptias conuocare, vt earum & itinera protegas, & in optatas domos inducas, & cùm poſtes vngent fauſtum omen affigas, & cingulum ponentes, in thalamis non relinquas. **Sotigenam te* quas vel in partus diſcrimine, vel in bello protexeris, precabuntur. *Populonam* plebes, *Curitim* debent memorare bellantes. *hæc ille lib. 2. de Nuptiis Philologiæ. Idem quod de Iunone, de Dianâ dicendum. Vnde in inſcription. antiqu. vtraque dicitur* LVCINA, *& in nummis Iuliæ Piæ*, LVNA LVCIFERA, *&* TEMPLVM DIANÆ LVCIFERÆ. *eadem enim Iuno & Diana creditur, teſte Cicerone lib. 2. de nat. Deor.* Luna (*inquit*) à lucendo nominata. ea eſt enim Lucina. itaque vt apud Græcos Dianam, eamque Luciferam; ſic, apud noſtros, Iunonem Lucinam in pariendo inuocant: quæ eadem Diana omniuaga dicitur, non à venando, ſed quod in ſeptem nominatur tanquam vagantibus. Diana dicta, quia noctem quaſi diem efficeret. Adhibetur autem ad partus, quòd hi matureſcunt, aut ſeptem nonnunquam, aut plerumque nouem Lunæ curſibus; qui quia menſa ſpacia conficiunt, menſes nominantur. concinneque, vt multa, Timæus; qui cùm in Hiſtoriâ dixiſſet, qua nocte natus Alexander eſſet, eadem Dianæ Epheſię tem-

** Ex Feſto legerim; Opigenã.*

In Goltzij theſauro.

templum deflagrasse; adiungit minimè id esse mirandum, quòd Diana cùm in partu Olympiadis adesse voluisset, abfuisset domo. *Plato in Theaeteto scribit Dianam, cùm sterilis sit, partuum tutelam suscepisse, quia sit eadem cum Lunâ, quæ ad pariendum multum confert.* Lucinam, *alij dictam volunt, vel à luco vbi eius ædes condita, vt Plinius lib. 10. cap. vlt.; vel à luce, quod in lucem recens natos educat. Ouid. 2. Fastorum,*

——— dedit hæc tibi nomina lucus:
Vel quia principium tu Dea lucis habes.

aliam causam physicam petere potestis à Plinio lib. 2. cap. 101. L. Piso lib 1. Annal. auctor est, Ilythiæ pro nascentibus, Veneri Libitinæ (quam alij Proserpinam putant) pro mortuis nummum pendi solitum. vide Plutarch. in Numâ, & Dionys. Halycarnass. lib. 4. antiq.

Domitorem freti] *vide inf. versu 318.*

Ausus Tiphys pandere vasto
Carbasa ponto, legesque nouas
Scribere ventis, *&c.*

& versu 617. Tiphys inprimis domitor profundi.

3. Nouam.] *Argo primam nauem.*

Frenare docuisti ratem] *haud aliter etiam Plautus;*

Nempe equo ligneo cæruleas per vndas vectæ estis.

& Varro, Marcipore; Quam nautici equisones per viam conducerent loro: *sic m. s. apud Nonium in* equiso: *vulgati,* quà ducerent loco. *Metaphoræ ratio in eo posita, quòd, vt ait Homerus, Odyss. δ'. celeres in mari naues equorum loco sunt,* ——— *αἵθ' ἁλὸς ἵπποι*

Ἄνδρασι γίγνονται ——— *contra Martianus solis equos remigium nominat lib. 2.* An Leucothea succenderet facem, lumenq; purpureum, & an solis remigia vigilarent, sonipesque Phosphori comeretur. *nisi malis de naui solis & septem eius remigibus id accipere: de qua nos alibi.*

5. Diuidens orbi diem] *alternis vtrumque hemisphærium illuminans.*

6. Tacitisque] *quia secretò nocte silente fiunt.*

7. Hecate triformis] *sic Luna vocata, aut quia centum victimis placanda; aut quod centum annos errare cogeret insepultos; aut propter plurimas eius virtutes. consule Celium lib. 20. antiq. lect. cap. 6. Natal. Comitem lib. 3. Mytholog. cap. 15. Lilium Syntagm. 12. quoad Orthographiam, quædam inscriptiones peruetustæ* ÆCATE, *quædam* HECATE. Triformis *etiam dicitur Horatio. citat Athenæus hæc Chariclidæ in cathena;* δέσποιν' Ἑκάτη, τριοδῖτι, τρίμορφε, τριπρόσωπε, τρίγλαις κελευμένη: Domina Hecate, Triuia, triformis, trifacies, triglis allecta. *& ista Apollodori ἐν τοῖς περὶ θεῶν;* τῇ Ἑκάτῃ θύεσθαι τρίγλην διὰ τὴν ὀνόματος οἰκειότητα, τρίμορφος γὰρ ἡ θεός, *in lib. de Dijs;* triglam Hecate sacrificari, ob nominis proprietatem, est enim Dea triformis: *scilicet propter triplex nomen Dianæ, Lunæ, Proserpinæ; vel quia triceps pingebatur, medio capite hominis, dextro equi, sinistro canis. Phurnutus causam reddit Lunæ formam triplicem, quę explicat Cælius d. c. 6. vide Parrhas. in lib. 1. Claud. de rap. Proser. & quæ dicemus ad vers. 788.*

Quos-

Quosque iurauit mihi Deos Iason] *Sidera nocturna, & Horas. Valerius Flaccus lib. 7. introducit Iasonem sic Medeæ iurantem:*

Per te, quæ Superis, Diuisque potentior imis;
Pérque hæc ergo tuo redeuntia sidera nutu;
Atque per has nostri iuro discriminis horas:
Vnquam ego si, &c. *Apollodorus quoque lib. 1. Biblioth. disertè testatur, Medeam obtestatam Deos, quos sibi Iason iurasset. Sanè in nuptiis contrahendis Deorum testimonium iureiurando adhiberi solitum, Lucanus significat, neq. id à Catone & Marcia, vt reliqua solēnia, prætermissum, lib. 2.*

Fœdera sola tamen, vanáque carentia pompâ
Iura placent, sacrísque Deos admittere testes.

ad hunc morem Valerij & Senecæ ista pertinent.

9. Chaos] *hîc sumitur pro loco, quem habitant inferi, quem vocant Orcum. sic etiam* Thyeste *versu 1007.*

Ad chaos inane regna cum rege abripis.

Aristophanes in Nubib. χάος posuit pro aëre. propriè sumtum describitur à Platone in Timæo, Virgilio Eclo. 6. Ouidio 1. Met. & Lucano lib. 1. Pharsal.

10. Aduersa.] *opposita. illa bona, hæc mala: illa suprema, hæc ima: illa vitæ, hæc mortis: illa læta, hæc tristis: illa lucida, hæc obscura & caliginosa.*

Manésque] *de Manibus Lilius Syntag. 6. & nos multa in Oed. v. 559.*

11. Dominúmque] *inferorum regem Plutonem.* Tristis] *alibi;* Aspectus pateat tristibus inferis. *Inuocat noster Plutonem, Proserpinam, Hecatem, (nam hîc videtur distinguere Hecatem à Corâ) Eumenides, ceteros inferos Deos; quia hi, Magica numina. Vnde Tibulli illud;*

Concidit ad magicos hostia pulla focos;

de aris inferorum Deorum Turneb. accedit lib. 16. aduersar. cap. 4. Dianam certè magicas artes exercuisse Tatianus lib. contra Græcos est auctor: hæc est, quam noster hîc, Dominam, *more Græco, qui δέσποιναν Proserpinam nominabant, teste Lilio d. Syntagmat. 6. nos paullo antè Charclidæ testimonium dedimus.*

12. Raptam] *Historiam raptus Proserpinæ tribus lib. Claudianus, breuius Ouidius lib. 5. Metamorph. id cur confictum, ex Firmico didici lib. de mysteriis & errorib. prophanarum religion. cap. 7. plures procos habuisse Proserpinam, & inter eos diuitem quendam rusticum, nomine Plutonem; qui cùm amoris impatiens moram non ferret, inuentam vesperi, in Ennæ finibus prope Percum lacum amœnissimum, vehiculo superimpositam auexit. raptorem cum armatorum turmis Ceres persequitur; qui vitæ suæ timens, & prædæ retinendæ spem abiiciens, equos per medium lacum impulit; cuius profundis voraginibus vterque demersus interiit. Postea solatio matris, Ennenses ab inferorum Deo Plutone raptam finxerunt. Quæsiuit interea toto ferè terrarum orbe filiam Ceres, & Atticis frumentum secum è Siciliâ delatum diuisit, iaciendi seminis & frugis colligendæ disciplinam tradidit: eo deuincti beneficio, Cereri natæq. illius diuinos honores decreuerunt. quæ cuncta amplè Firmicus, scriptor Christianus, alius ab astrologo nugacissimo, qui rarus in* (Alij scriptores vocant, Pergum: melius opinor.)

meis libris; quare Christianum in hoc commentario semper ἁπλῶς Firmicum nuncupabo.

13. Adeste] *fauete. de quo alibi.*

Vltrices Deæ] *Eumenides, ideo dictæ* Pœnæ. *Statius lib. 8. Thebaid.*

Sæuáque multisonas exercet Pœna cathenas. *distinxit tamen Lucianus ab Eumenidibus Pœnas, in Necyomant.* δαίμονας τε ὁμοῦ πάντας ἐπεβοᾶτο, καὶ Ποινὰς, καὶ Ἐρινύας, καὶ νύχιαν Ἑκάτην. Dæmones simul omnes conuocat, Pœnas, & Erinnies, & Hecaten nocturnam. *& postea;* παρεστήκεισαν δὲ αὐτῷ Ποιναὶ, καὶ ἀλάστορες, καὶ Ἐρινύες. astabant autem illi Pœnæ, mali Genij, & Furiæ. *quas, cum Æschyne in Timarch. & Cicerone in Pisonem, ad conscientiæ terrorem, & interna illa supplicia refero. lege Victorium lib. 17. var. lect. cap. 21. & Lilium Syntagm. 6.*

14. Crinem solutis squallidæ serp. *&c.*] *en habitum, quo Furiæ depingebantur: Vetulæ, caput anguibus pro capillitio cinctæ, sanguineam manu facem gestantes & flagellum. primus illis Æschylus angues attribuit, mox ceteri. Catullus;*

Eumenides; quibus, anguineo redimita capillo,
Frons exspirantis præportat pectoris ignes.

Horatius: —— intorti capillis
Eumenidum recreantur angues.

Seneca, Herc. Fur. versu 102.

Incipite famulæ Ditis, ardentem incitæ
Concutite pinum, & agmen horrendum anguibus
Megæra ducat, atque luctifica manu
Vastam rogo flagranti corripiat trabem.

hos angues fingebantur in homines iacere, Thyest. vers. 96.

Quid ora terres verbere, & tortos ferox
Minaris angues? *quo loco inuenies plura in Aduersariis. & in hac tragœdia inferius ver. 957.*

Quónam ista tendit turba Furiarum impotens?
Quem quærit? aut quò flammeos ictus parat?
Aut cui cruentas agmen infernum faces
Intentat? ingens anguis excusso sonat
Tortus flagello. quem trabe infestâ petit
Megæra? ——

Hercule Oetæo ver. 1000. —— dexteræ parcant tuæ
Eumenides ipsæ. verberum crepuit sonus.
Quænam ista, torquens angue vipereo comam,
Tuménsque tacita sequitur, & quassans caput,
Temporibus atras squallidis pinnas quatit?
Quid me flagrante dira persequeris face
Megæra? —— *Ouidius lib. 4. Metamorph.*
Nec mora, Tisiphone madefactam sanguine sumit
Importuna facem ——

Petronius Arbiter, obſcœnus alioquin & paganus; quem nollem D. Antoninus in Summ. Hiſtor. & alij quidam cum S. Petronio Epiſcopo confudiſſent: nam refellit Satyra Arbitri, Sambuci & Pithoei ſtudio edita, in quâ verſus illi, quos homini huic beato adſcribunt, errore graui. Arbiter inquam:

Sanguineam tremulâ quatiebat lampada dextrâ. *Furiis Sicyonij hoc ritu faciebant. ſtato die prægnantes oues mactabant, & mulſo pro libaminibus, floribus pro coronis vtebantur; quo ferè & ritu Parcis, Pauſania auctore in Corinth. ſeu lib. 2. Notum tres eſſe, vel ex Varrone in* Eumenidib. *apud Nonium duobus locis diſcerptis & mendoſis reliquiis, quæ nos reſtituere conabamur hoc pacto;*

Sed ſimul atque in ſummam ſpeculam peruenimus;
Videmus populum, Furiis inſtinctum tribus,
Diuerſum ferri, exterritum formidine.

17. Quales ſtetiſtis] *ideo dicit, quia nuptiis, quarum infauſtus exitus, auſpicandis, adfuiſſe Furias Pronubas putabant. infrà Octau. principio:*

Illa, illa meis triſtis Erynnis
Thalamis ſtygios prætulit ignes. *& verſ. 160.*
Vacuámque Erinnys ſæua funeſto pede
Intrauit aulam; polluit ſtygia face
Sacros penates ——

& act. 3. ait Agrippina;

Tellure ruptâ, Tartaro greſſum extuli,
Stygiam cruentâ præferens dextrâ facem
Thalamis ſceleſtis. nubat his flammis meo
Poppæa gnato iunctà; quas vindex manus
Dolórque matris vertet in triſtes rogos.

Ouidius in epiſt. Phyllidis;

Pronuba Tiſiphone thalamis vlulauit in illis,
Et cecinit mæſtum deuia carmen auis.
Adfuit Alecto, breuibus torquata colubris,
Súntque ſepulchrali lumina mota face.

epiſt. Hypſipiles:

At mihi nec Iuno, nec Hymen, ſed triſtis Erinnys
Prætulit infauſtas ſanguinolenta faces.

Simile quid in epiſt. Canaces inuenitur. apud Papinium lib. 11. *Thebaid. ſic ait Tiſiphone;* —— dum lampade noſtrâ
In thalamos, quæ caſta, venit ——

Propertius lib. 4. eleg. 3.

Quæ mihi deductæ fax omen prætulit, illa
Traxit ab euerſo lumina nigra rogo;
Et ſtygio ſum ſparſa lacu, nec recta capillis
Vitta data eſt, nupſi non comitante Deo.

quibus verbis quatuor aduerſa nubentium omina comprehendit. de vltimo nunc agimus. negat comitatũ pompam nuptialem Deum, nempe Hymenæum; qui

Ominoſum ſi fax nuptialis vel ex rogo ſumta, vel è rogo accẽſa; ſi obſcura flãma emicaret; ſi non purâ aquâ noua nupta aſpergeretur; ſi non recta vitta capiti imponeretur; ſi Hymenæus abeſſet.

qui si præsens erat, nuptias fortunatas fore existimabant; quemadmodum quando Parcæ aderant, & albo vel aurato vellere notabāt. Statius l. 1. Siluar.

Ergo dies aderat Parcarum conditus albo
Vellere; quo Stellæ Violantillæque professus
Clamaretur Hymen ——

Sidonius, in epithalamio Polemij & Araneolæ:

Prosper connubio dies coruscat:
Quem Clotho niueis benigna pensis;
Albus quem picei lapillus Indi;
Quem, Pacis simul arbor & Iuuentæ
Æternúmque virens, oliua signet.

& postea: —— probat Atropos omen.
Fuluáque (*hoc est aurea*) concordes sanxerunt fila sorores.

Hæc proculdubio causa, cur Catullus, in nuptiis Pelei & Thetidis, Parcas albam lanam pollice deducentes ita descripserit, vt cùm legis, netrices ipsas videre tibi videaris:

Quum interea, infirmo quatientes corpora motu,
Veridicos Parcæ cœperunt edere cantus.
His corpus tremulum complectens vndique vestis
Candida, purpureâ Tyrios excinxerat orâ,
Et roseo niueæ residebant vertice vittæ,
Æternúmque manus carpebant ritè laborem.
Læua colum molli lanâ retinebat amictum:
Dextera tum leuiter deducens fila supinis
Formabat digitis, tum prono in pollice torquens
Libratum tereti versabat pollice fusum.
Atque ita decerpens æquabat semper opus dens,
Laneáque aridulis hærebant morsa libellis;
Quæ prius in leni fuerant exstantia filo.
Ante pedes autem candentis mollia lanæ
Vellera virgati custodibant calathisci. *&c.*

19. Peius aliquod.] *concedite & date mihi malum letho deterius quod imprecer perfido Iasoni. & mox, quasi hoc repererit, subdit;* viuat, *&c.*

20. Per vrbes erret.] *exsilium cum egestate coniunctum malū pessimum arbitrabantur, si diuagatio per incertas sedes accederet. Ouidius in Ibin;*

Exsul, inops erres, alienáque limina lustres.

Iustinus lib. 14. Has vobis diras, atque inferias dico, vt inopes extorresque omne æuum in hoc castrensi exsilio agatis.

26. Peperi] *pessimos liberos patrissaturos.*

27. Excutiam faces] *faces excutiam ex manibus, illas Creusæ nuptiis præferentium. apud Romanos solebant δαδουχεῖν, hoc est, faces præferebant pueri patrimi matrimiq́., easq́. numero quinque, vt testatur Plutarch. in Problem. 5. Romanor. quæstion. Festus;* Facem (*inquit*) in nuptiis in honorem Cereris præferebāt, aquáque spargebatur noua nupta; siue vt casta pu-

Alexander lib. 2. Gen. Dier. cap. 5.

ráque

ráque ad virum veniret, siue vt ignem atq. aquam cum viro communicaret. *Idem*; rapi solet fax, quâ prælucente noua nupta deducta est, ab vtrisque amicis: ne aut vxor eam sub lecto viri eâ nocte ponat, aut vir in sepulchro eam comburendam curet: quo vtroque mors propinqua alterius vtrius captari putatur. *in liberorum nuptiis Daduchus iste puer ingenuus, in seruorum verò seruus erat, vt scribit Varro lib. 2. de vita pop. Rom. ideo Plautus in Casinâ, nihil extrà morem Romanorum, cùm villicus Chalino seruo minatur hoc munus. Apud Græcos deducebatur quidem sponsa à puero ἀμφιταλεῖ, sed matris erat facem prælucere. ideo Agamemnoni volenti curare filiæ nuptias, obijcit vxor; apud Eurip. in Iphig. Aulid.* Vide hæc supra in Octau. vers. 141.

——— quis verò sustollet facem?

AGAM. Ego præbebo facem quam præbere sponsis conuenit.

CLYT. Haud moris est hoc ———

& in Phœniss. Iocasta; Ego neque igneas accendi faces
In nuptiis sollemnes, vt beatam matrem decet.

& in Troad., Cassandræ, sibi ipsi facem præferenti, Hecuba;
Trade mihi lumen, non enim ritè præfers facem
Furore percita Mænas ——— *Iuno apud Apollonium lib. 4. Argonaut. dicit se matris officio functam Thetidi præluxisse; quo loco Scholiastes scribit; "Antiquitus moris fuit in nuptiis faces à nubentium matribus præferri. Apud Nonnum Agaue queritur, quod filij nuptiis ignem nuptialem non prætulerit, lib. 46.*

οὔπω τοῖς θαλάμοισιν ἐκούφισα νυμφοκόμον πῦρ.
Neque nuptiis pronubum ignem prætulit.

quod de face accipio. nam alius ille ignis nuptialis, de quo suo loco, non à matre, sed fratre, vel quopiam alio affine gerebatur. Apud Claudianum Ceres lib. 3. de raptu;

Non tales gestare tibi Proserpina thedas
Sperabam; sed vota mihi communia matrum,
Et thalami, festæque faces ———

Sperarat nuptiales, funereas lucebat. de vtroq. Ouidius in epist. ad Acontiũ;
Et face pro thalami fax mihi mortis adest. *pro pineâ cipariſſina. Hesiodi æuo verisimile etiam ancillarum hoc munus fuisse, ait enim in Herculis scuto, longè resplenduisse lumen duarum thedarum, in nuptiis, quas duæ ancillæ præferebant. Inuenio & Vulcanum prætulisse. Euripid. in Troadib.* Ἥφαιστε δᾳδουχεῖς μὲν ἐν γάμοις βροτῶν. In nuptiis mortalium Vulcane fers facẽ: *Nisi hoc potius aliò sensu, quia nimirum ignis largitor. Deniq. felicibus nuptiis etiã Hymenæũ faces quatere creditum. Seneca illum alloquẽs*;
Excute sollemnem digitis marcentibus ignem.

(vbi de hoc plura) & in alterius morte coniugis faces exstingui ab eodẽ. Bion in Epitaphio Adonidis; ἔσβεσε λαμπάδα πᾶσαν ἐπὶ φλιαῖς Ὑμέναιος
καὶ στέφος ἐξεπέτασσε γαμήλιον ———
Exstinxit totam facem in limine Hymenæus,
Et coronam nuptialem expandit.

In

In nuptiis quæ ægrè & difficulter perficiebantur, ægrè quoque & difficulter faces accendi finxit Ouidius in epist. Cydippes (sic enim accipio)

Ter mihi iam veniens positas Hymenæus ad aures
 Fugit, & è thalami limine terga dedit.
Vixque manu pigrâ toties infusa resurgunt
 Lumina, vix moto corripit igne faces.

Apud Barbaros Mæothidis accolas absentibus parentibus, fratris id officium fuisse, ex Valerij Flacci lib. 8. conijcio; apud quem ait Absyrtus Medeæ;

Nec tibi digna (soror) desum ad connubia frater,
Primus & ecce fero, quatióque hanc lampada vestro
Coniugio, primus celebro dotalia sacra,
Qui potui. patriæ veniam da quæso senectæ.

Vnde etiam illud, apud Barbaros id patri licuisse, quamuis non apud Græcos. Romani has faces incendebant in foco domus sponsæ, nisi me Varronis verba fallunt, planè deposita vt nunc apud Nonium in fax; *sed aliquis sensus si ita reponamus*: Varro de vita pop. Rom. lib. 2. cùm à nouâ nuptâ ignis in face afferretur, foco eius sumtus; si fax ex spinu alba esset, eam puer ingenuus præferret.

Inepte etiam libri excusi; *Fax pro fax.* nisi addas, nuptiali.

28. Cælóque lucem] *tenebras inducam.*

Spectat.] *non tantùm videt obiter, sed lentè considerat, & quasi spectator in theatro, sic ille ociosus sedēs in curru, fruitur tanti inspectione flagitij. Hoc autem dicit, quia, teste Homero, sol cuncta videt & audit: ideo ab Hesiodo Iouis oculus vocatur. Pisidas*: τὸ κοινὸν ὄμμα, τὴν πανοπτρίαν κόρην. Commune lumen, peruidentem omnia oculum. *Philostratus refert Gymnosophistas Solem, pro summo Deo coluisse. Mercurius, Pimandri cap. 5. Cicero in somn. Scipionis, & Plinius lib. 2. nat. hist. c. 6. magnifica Solis Encomia proferunt. Senecæ verborum ordo est, & Sol spectator hoc spectat, & curru insidens, &c. Cur ergo mutant? ludit enim in voce*, spectator spectat; *nec superflua altera coniunctio, sed apta exaggerationi.*

Insidens] *m. s. Moguntinus*; residens. *sed ceteri.* insidens.

30 Puri poli] *nulla nube maculati, nitentisq; cæli: non malè amici lib.* curui. *hoc est, conuexi.*

31. Num redit] *m. s. & veteres excusi Herbipoli & Venetiis*; Non redit. *alludit ad Atrei & Thyestę fabulam. vide Thyestem actu 4. & 5.*

32 Da, da] *Solis currum postulat, vt Corinthum exurat, quemadmodum eodem curru orbem Phäëton.*

32 Patriis] *hoc est, auitus. neptis enim, non filia solis Medea. vulgò*; patris. *nato errore ex antiquâ scribendi ratione*; patrIs.

33 Flagrantibus ignifera] *succincta descriptio curruum Solis: quam splendidius Naso lib. 2. Metamorph.*

35 Gemino Corinthus] *Corinthus in Isthmo Peloponnesi sita, Ægæum mare ab Ionio diuidit, & interpositurâ suâ impedit ne inuicem commisceantur. Ouidius in Epist. Medeæ;*

Quique maris gemini distinet Isthmos aquas.

Luca-

Lucanus lib. 1. Pharsal. ——— qualiter vndas
Qui secat, & geminum gracilis mare separat Isthmos,
Nec patitur conferre fretum; si terra recedat,
Ionium Ægæo franget mare ———

Corinthi & Isthmi descriptionem habes elegantem apud Aristidem tom. 1. in Orat. Isthmicâ, quo loco Corinthū à Corintho Iouis F. nominatā significat.

Cremata] *exusta Corinthus desinat impedire vtrumque mare quo alluitur, quo minùs in inuicem ferantur, & mutuo collidantur.*

Committat] *componat, veluti par gladiatorum. nam ex Arenâ sumtum verbum.*

37 Pronubam pinum] *infrà.*
Multifidam iam tempus erat succendere pinum.

Idem quod Brissonius (de quo vide aduersar. nostra) Turnebus voluit lib. 21. aduersar. cap. vlt. In spinâ tamen irrito labore thedam quæras; quæ pini & resiniferarum arborum propria. Sed hastæ spineæ fortaßis resinam inducebant, vt nos nunc nostris facibus ceram. Superstitionem veterum ex his facibus ominandi lege apud Pierium Valerianum lib. 46. Hieroglyphicor.

38 Pôstque sacrificas preces] *solemnia sacrificia & preces in nuptiis adhibebantur. docent Dionysius Halycarnass. in περὶ τῶν γαμηλίων, & Plato libro 5. de legibus. & noster versu 300.*
——— Sacra me thalami vocant.
Vocat precari festus Hymenæo dies.

40 Viscera] *liberorū meorū. quos, victimas dicatas & deuotas, cædam.*

42 Pelle] *omnem ex animo timorem fuga, qui muliebri natura & ingenio additus.*

43 Inhospitalem caucasum] *ab Horatio sumsit. de Caucaso aliàs.*

44 Phasis] *Lycus, Araxes, Phasis maximi fluuij, Colchorum regionem perfluunt. Phasis, apud quem Medea lacerauit Absyrtum fratrem suum, teste Ptolomæo, ex montibus Caucasiis; teste Strabone, ex Armenia; teste Plinio, ex Moschis nascens, Hippum, Glaucum, Cyaneum, & alios amnes recipit, & antequam propè Phasim vrbem mari illabatur, centum & viginti pontibus iungitur. Hecatæus Milesius putauit influere in Oceanum, sed errorem confutauit Artemidorus Ephesius, & Eratosthenes lib. 3. Geograph. verè enim illabitur in Euxinum pontum, vt Apollonij Scholiastes tradidit. Prius* Arcturus *vocabatur, mutati nominis causam, sed fabulosam, narrat Plutarchus ἐν τῷ περὶ ποταμῶν. Procopius lib. 2. de bello Persico indicat, circa fontem vocari*, Boas. *Lucanus*:
Colchorum qui rura secat ditissima Phasis.

Valerius Flaccus;
Magnus vbi aduersum spumanti Phasis in æquor
Ore ruit ———

Pontus] *Euxinus, per ἀντίφρασιν; cùm prius ob incolarum immanem crudelitatem ἄξενος diceretur. vide Ammianum Marcellinum lib. 22.*

50 Post partus] *respicit ad illud Ouidij in epist. Medeæ, vbi ait:*

Nec tamen extimui (quid enim post illa timerem?)
Credere me pelago femina, iamque nocens.

54 Paria] *aequè crudelia & scelesta. nuptias fraterna cæde, & fugâ contaminasti: repudium, ornent fuga & parricidium, secuta es virum, occiso fratre; linque maritum, necatis liberis. quam familiam Iasonis ingredi meruisti tam nefariis sceleribus; eamdem desere & amitte nouis, non minoribus contaminata.*

COMMENT. IN CHOR.

Mulieres Corinthiæ nuptiis Iasonis & Creusæ Epithalamium præcinunt, nuptialibus iocis mixtum.

58 Ritè fauentibus] *hoc est quod Attius vult; vt* omnes ominibus faustis adhibeant fauentiam augustam, & ore obscæna dicta segregent. *opinor sicuti in inaugurationibus, ita in nuptiis Principum, faustis vocibus populum acclamare solitū: his locis & aliis vestigia moris inuenio. Iuu. Sat. 2.*

—— signatæ tabulæ: dictum, *feliciter*, ingens
Cæna sedet —— *noster Octauiæ vers. 697*
—— sublimis inter ciuium læta omina.

Item in Antonij & Octauiæ nuptiis apud Appianum lib. 5. de bello ciuili. vide Brissonium lib. 8. Formular.

59 Sceptriferis tonantibus] *Ioui & ceteris Diis, quorum in potestate manubiarum iactus, de quibus in Agamemn. Vide de tauri sacrificio Herc. Fur. vers. 299.*

60 Lucinā] *Iunonē, cui vacca candida mactabatur, docet id Virg. 4. Aen.*
Intentata iugo] *nondum passa iugum, iniugis. sic enim has hostias Latini, quas Græci ἀζύγους & ἀκμῆτρίστους, Macrob. lib. 3. Saturn. c. 5. Virgilius* —— intactâ ceruice iuuencas; *Horatius*, Nondum expertas iugum; *Ouidius*, rudes operum.

63 Martis sangu. quæ cohibes manus] *vel Venus, cui etiam Papinius Thebaid. 3. Martem sic loquentem inducit;*

O mihi bellorum requies, & * sacra voluptas.
Vnáque pax animo; soli cui tanta potestas
Diuúmque hominúmque, meis occurrere telis
Impunè, &, mediâ quamuis in cæde, furentes
Hos assistere equos, hunc ensem auellere dextrâ.

Fortè leg. sera, vel sacra.

vel potiùs, suadente versu sequente, Pax aut Concordia. nam Cornucopiæ, *pacis & concordiæ proprium est; de quibus Horatius lib. 1. od. 17.*

—— hinc tibi copia
Manabit ad plenum benigna, *&c.*

& in carmine seculari, cùm dixisset, Iam fides & pax, *&c. subiungit:*

—— apparétque beata pleno
Copia cornu.

confirmat idem Aristides in Orat. pro concordia. & propter hanc rerum omnium affluentiam, quæ pacem consequitur; Pax ab Atheniensibus dicebatur Plutonis seu Pluti nutrix, & vlnis eum gerens effingebatur, teste Pausaniâ in

in Attic. & in Boeotic. Pluto enim diuitiarum & opulentiæ Deus, Straboni lib.3. vnde & nomen sortitũ Plato in Cratylo censet. Paci primum Athenis ara statuta publicè, post Cimonis victoriã ad Eurymedontẽ, si Plutarcho credimus in Cimone; sin Aimilio Probo, post Timothei victoriam de Lacedæmoniis. Martis] *quem alij Thracem, alij Spartanũ, alij Arcadem faciunt. homo fuit sæuus, iracundus, homicida, adulter, vulneratus à Diomede & Hercule, vinctus ab Aloidis. Homerus hominum perniciem vocat. bellum numen.*

66 Tenera.] *Ioue. nam hæc Pacis hostia, quæ illi cædebatur seorsum extra conspectũ Deæ, cuius nec aram sanguine licebat aspergere, quia neces & sanguinis effusiones Paci aduersantur, docent Aristophanes, eiúsque Scholiast. in comœd.* Pax.

Hostia.] *Ouidius:* Hostibus à domitis hostia nomen habet. *propriè ergo* hostia, *quæ deuictis hostibus mactatur. Verùm Sex. Pompeius, hoc nomen omni victimæ quæ feritur cõmune docet. quia ferire, veteres* hostire *dixerunt, & ab hostiendo* hostia. *Seruio auctore,* Hostiæ *dicuntur sacrificia eorum, qui in hostem pergunt;* victimæ, *sacrificia quæ post victoriam fiunt. sed hæc (ait) licenter confundit auctoritas. Seruio assentit D. Isidorus lib.6. Orig. cap. de offic. & addit:* alij victimam dictam putauerunt, quia ictu percussa cadebat, vel quia vincta ad aras ducebatur.

67 Qui facibus leg.] *Hymenæus, quem noster Bacchi Filium, Asclepiades Apollinis, alij Magnetis volunt; Deus nuptialis, pingebatur iuuenis marcidus, voluptate dissolutus, temulentus, coronatus rosis, vt noster innuit, vel amaraco, vt Catullus, dextrâ faces, sinistrâ flammeum ostentans, in pedibus soccos luteos gerens. Catullus in Epithalamio Iuliæ & Mallij:*

Collis ô Heliconij
Cultor, Vraniæ genus;
Qui rapis teneram ad virum
Virginem, ô Hymenæe Hymen,
Cinge tempora floribus
Suaue olentis amaraci:
Flammeum cape lætus: huc,
Huc veni, niueo gerens
Luteum pede soccum;
Excitúsque hilari die
Nuptialia concinens
Voce carmina tinnulâ,
Pelle humum pedibus
Pineam quate thedam.

In nuptiis Palladij & Celerinæ, vt existimo, neptis Celerini illius, de quo diuus Hieronymus tom.1. epist. ad Gerontiam de Monogamia, ait Hymenæus:

——— marcentes cupio vibrare coronas,
Et quassare faces, & noctem ducere ludo:
Hæc quoque non vilem mihi fistula commodat vsum
Responsura choris ——— *ita enim Claudianus; cuius (vt hoc*

dicam obiter) locus de Celerino notandus ad D. Hieronymi lucem; purgandus etiam fœdo mendo. nam pro, Reſpuit inceſtum, quod vi, quod poſcere ferro, Poſthabitâ pietate ſolent —— *caſtigandum:* Reſpuit hic ſceptrum, quod *&c. plura de Hymenaeo Lilius Syntagm. 3. de Deor. hiſtor. & lib. 2. de poët. hiſtor.*

68 Noctē diſcutiens] *face quam præfers nocturnas tenebras diſpellens.*

Auſpice dextera] *quâ auſpiciū præbes nuptiis, & facis vt auſpicatò contrahantur. auſpicia enim attendi in nuptiis monuit Turneb. lib. 3. aduerſar. cap. 14. Seneca;* Per ego auſpicatos regij thalami thoros.

69 Huc incede gradu marcidus ebrio] *temulentum fingebant. an quia ſine Cerere & Baccho friget Venus?* Marcidus, *hoc eſt eneruatus & fractis viribus, languens ac titubans præ vinolentiâ. hunc gradum & marcorem in ſomnolentis cernimus, ſomno nondum plenè diſcuſſo. hinc Plinius Cæcilius* ſomnomarcidos *dixit.* 76 Cecropias] *Atticas.*

77 Taygeti] *Taygetus Laconiæ mons, tam altus, vt Lynceum ex eius cacumine totam Pelopis inſulam conſpicere potuiſſe cecinerint poëtæ, Staſinus & alij. vide Izacium in Lycophron. & Strabon. lib. 7.*

78 Exercet] *non otioſas, ſed virilibus deditas ſtudiis & exercitiis adoleſcentum. Lacedæmoniarum virginum formam antiquum illud commendat:*

ἵπποι θεσσαλικαὶ, Λακεδαιμόνιαι τε γυναῖκες.

Equæ Theſſalæ, feminæ Lacedæmoniæ.

De exercitiis & palæſtrâ earum vide Aduerſar. vbi quæ ex Plutarcho attuli, hanc ſententiam habent; Illa igitur virginum ſpectacula, nudationes, certaminaq́; in iuuenum conſpectu edita, eos ad matrimonia adigebant, ſtimulabántque, vt ait Plato, non Geometricâ, ſed amatoriâ neceſſitate. Quare ſapienter Euripidis Andromacha:

—— neque, ſi quæ cupiat,
Spartiadum puellarum caſta eſſe queat:
Quæ cum iuuenibus, deſerentes domos,
Nudis cruribus, & laxis peplis,
Curſus & palæſtras, non tolerabiles mihi,
Communes exercent —— *malè N. primus repoſuit;* quæ Taygeti iugis exercent, *&c. pro eo quòd m. ſ.* quas T. i. exercet.

79 Muris quod caret opidum] *Sparte. poſtea tamen muris cingi cœpit. Iuſtin. lib. 14.*

80 Aonius latex] *Dirce fons Boeotiæ prope Thebas, Muſis ſacer. nā Boeotia prius Aönia dicta, Agell. li. 14. noct. Attic. cap. 6. & Stephano, in* Ἀονίς. *Callimachum & Dionyſium* Ἀόνιον *pro Thebano poſuiſſe ſcribit Euſtathius. Dicti etiam Boeotij, Ectines à Lycophrone: Tembyces & Hyantes, à Strabone lib. 7. Videtur autem Seneca hoc verſu Creuſam Muſis velle comparare, & ſequenti Nymphis, quibus Alphæus gratiſſimus creditus. quem ſacrum nuncupat propter cauſam illam generalem: quia fluuij, vt ait ille, Deorū filij, & quia fluuij & fontes ſacri, vel Ouid. teſte in 2. Metamorph. & in 8. imò & paludes & ſtagna. Seneca epiſt. 41.* Magnorum fluminum capita venera-

neramur. ſubita ex abdito vaſti amnis eruptio aras habet. coluntur aquarum calentium fontes,& ſtagna quædã,vel opacitas,vel immenſa altitudo ſacrauit. *Ob peculiarem Alphei quoque cultum,de quo vide hic Aduerſar. Moſchus ait; Alphæum poſt Piſam,vbi mare ingreſſus eſt, procedere in Arethuſam aquâ oleaſtros vegetante, & dona ferre frondes pulcras & ſacrum puluerum ſeu potiùs cinerem. Nam Pauſan. teſtatur; ſtato die quotannis XIX. Februar. aruſpices cinerem ex Prytanæo deportare; eoq; aquâ Alphæi diluto aram Iouis oblinere. & religione ſancitum hunc cinerem ſolâ Alphæi aquâ dilui,& eo tantum luto aræ tectorium ſuperinduci. eam ob rem Alpheum omnium fluuiorum Ioui amiciſſimum credi. Idem de Alphæi itinere ſubterraneo, quod Moſchus, referunt oraculum citatum à Pauſan. lib. 1. Philoſtratus lib. 2. in imag. Arrichionis, Lucianus in Dialog. Marinis, Virgilius Æneid. 3. Statius lib. 1. Silu. & Ammianus Marcell. lib. 15. ſed refellit Schalig. in exerc. contra Cardan.*

82 Æſonio] *malè Lugdunenſ.* Auſonio. *Æſonium vocat Iaſonem, quia Æſonis filius, Aeſon Cretæi, Cretæus Aeoli. de matre non conſtat. Andron, Theogniten; Herodorus, Polyphemen; Steſichorus, Eteoclymenem; Pherecydes, Alcymedem Philaci filiam; Apollonius, Alcymeden, ſed Clymenes filiam, autumat. Iaſon* παρὰ τὴν ἴασιν, *quòd medicinam à Chirone didicerit, vocatus. hæc Apollonij & Pindari Scholiographi. Mallem hunc verſum ſequenti poſtponi, hoc pacto:* Si formâ velit aſpici;
Cedent Æſonio duci
Proles fulminis improbi, *&c.*
Si formæ & pulchritudinis certamen Iaſon ſubire velit, cedent illi formoſiſſimi quiq; Deorum. Ad formam Iaſonis indicandam facit illud Atratini Cælium vocantis Iaſonem pulcellum apud Fortunatianũ lib. 2. Rhetor. Scholicæ.

Proles] *Bacchus à Ioue fulminante & flammis Semelem comburente genitus: nota res. Sic Colutus Paridis formam Bacchi formoſitati præponit.*

85 Tripodas mouet] *Phœbus; qui reſponſa reddebat per vatem ſtantem ſuper tripode: hoc eſt, menſâ tribus fultâ pedibus. ideo ait mouere tripodas.*

86 Virginis aſperæ] *Dianæ feras aſſiduo venatu fatigantis, & hominum commercium fugientis.*

89 Pollux] *Homerus vocat* Caſtorem equorum domitorem, *Pollucem* bonum pugillatorem: *Theocritus;* cùm manus loris bubulis cinxerat, terribilem in pugilum certamine *canit; ideo ab Homero Pollux* inculpatus, *ab Apollonio* fortis, *à Theocrito* certaminum victor, *dicitur.*

Cæſtibus] *de cæſtuum certamine conſule Virgilium lib. 4. Aeneid.*

91 Coniuges] *Deorum. nam humanas formas iam vincere, dicent paullo poſt; & à Iaſone non homines modò, ſed & Deos ſuperari cecinerunt.*

96 Pleiadum.] *Synecdoche, pro omnibus ſideribus. Pleiades etiam Pleiones dictæ. de his multa Schol. in Apollonij lib. 3. verſ. 225. & nos alibi in Herc. Fur.* Denſi greges] *ad etymon alludit, de quo ſic D. Gregorius in Iob lib. 29. cap. 27.* Pleiades ſtellæ ἀπὸ τοῦ πλείστου, id eſt, à pluralitate vocatæ ſunt, ita vicinæ ſibi & diuiſæ ſunt conditæ, vt & ſimul ſint, & ta-

men coniungi nequaquam possint. *Ex quibus verbis mendam vnam sustuli. nam legebatur:* ita vt vicinæ sibi. *Quia stipatæ, & quasi conglomeratæ, ideo Manilius vocat* sidus glomerabile. *Latinus Callimachus*; Pleïadum spisso cur coit igne chorus. *ideo noster*; denso.

98 Orbem] *hoc est, cùm luna plena est; cùm orbem suum implet, & cornua in vnum coierunt.*

99 Ostro sic.] *vtitur his similitudinibus Ouidius:*

Quale coloratum Tithoni coniuge cælum
Subrubet, aut sponso visa puella nouo:
Quale rosæ fulgent inter sua lilia mistæ:
Aut vbi cantatis Luna laborat equis;
Aut quod, ne longis flauescere possit ab annis,
Mæonis assiduum femina tinxit ebur.
Hic erat aut aliquis color ille simillimus horum.

aliis suauissimis Tibullus lib. 3. eleg. 4.

Candor erat, qualem præfert Latonia Luna,
Et color in niueo corpore purpureus:
Vt iuueni primùm virgo deducta marito
Inficitur teneras ore rubente genas:
Vt cùm contexunt amaranthis alba puellæ
Lilia, & auctumno candida mala rubent.

Propertius lib. 2. eleg. 3.

Lilia non dominâ sint magis alba meâ.
Vt Mæothica nix minio si certet Hibero,
Vtque rosæ puro lacte natant folia.

Phœniceo] *de ostro & purpura lubet hic nonnulla. Purpuræ vsus antiquissimus, vt patet ex Plinio lib. 9. nat. hist. ca. 39. & Plutarcho in vita Alex. suggerebat exiguus sanguis minuti conchilij, cui nomen Purpura: vnde* ostrū, *quasi* ὄστρακον. *colligitur etiam ex buccino seu murice: nam murex generale nomen est, buccinum & purpuram continens, propriè tamen solum buccinum significat, vt docet Edoardus Wottonius lib. 10. de different. animal. cap. 137. Tertulliano cap. 2. de pallio,* buccinæ *vocantur in purali, timeo ne mendosè. nam Plinio & aliis,* buccinum *&* buccina. *Optatus Milenitanus* piscem *vocat, li. 5. contra Parmenian.* Non (*inquit*) admixto sanguine piscis purpuram solo contactu conficiat. *paullo priùs dixerat*; dum conuectione vellus candidum purpurascit: *sed lego:* confectione. *Eum sanguinem viuo animalculo educere oportebat, ne color elanguesceret, vel sucus deperiret. Plinius lib. 9. cap. 36.* Purpuræ florem illum, tingendis expetitum vestibus, in mediis habent faucibus: liquoris hîc est minimi candida vena, vnde pretiosus ille bibitur sucus, nigrantis colore rosæ sublucens. reliquum corpus sterile. viuas illas capere contendunt, quia cum vitâ suâ sucum illum euomunt. *Ideo, Æliano teste, vnico à purpurariis ictu contundebantur: pretium par penè margaritis, & Tyriæ dybaphæ vnam libram vix centum aureis nostris emi potuisse, Plinius lib. 9. c. 35. & 39. serici verò pur-*

purpurei libram auri librâ pensari solitam, Vopiscus in Aureliano, produnt. Sarrana pretiosissima, vt etiam Strabo testatur, Sarrana dicebatur, Tyria. quia Tyros insula, Sarra seu Sar dicta, vnde Ennius Poenos Sarrâ oriundos scripsit, auctoribus Probo & Festo. inuentio cani Herculis debetur, si Polluci in Onomast. & Nonno credimus lib. 40. quod breuiter astruit Cassiodorus 2. Varior. epist. 2. Cùm fame canis auida, in Tyrio litore proiecta conchylia impressis mandibulis contudisset; illa naturaliter humorem sanguineum defluentia ora eius mirabili colore tinxerunt: &, vt est mos hominibus, occasiones repentinas ad artes ducere; talia exempla meditantes, fecêre Principibus nobile decus dare. *Ex Ciceronis Hortensio (apud Non. in* imbuere) *didici eos qui combibi purpuram volunt, prius lanam medicamentis quibusdam sufficere; & ex Isidoro lib. 19. Origin. cap. 28. omnem purpuram primâ tincturâ ferruginei coloris exsistere (quod verum vt sit vereor): reliqua ad confectionem pertinentia, petenda ex Plinio d. lib. 9. c. 36. Vitruuio lib. 7. Architect. & Cassiodoro d. loco, vbi illud notatu inprimis dignum, eum qui sericum purpura intingeret, purissimam habere debuisse corporis castitatem.* quia (*inquit*) talium rerum secreta refugere dicuntur immunda. *Inficiebantur purpurâ initio sola lanæ: nam omnia tunc vestimenta erant lanea. ideo noster in Herc. Oetæo:* Vide Politian. c. 12. Miscell.

Nec Sidonio mollis aheno
Repetita bibit lana rubores.

& Virgilius: Ipse sed in pratis aries iam suaue rubenti
Murice ——

Horatius: Muricibus Tyriis iteratæ vellera lanæ.
Tibullus: Nec quæ de Tyrio murice lana rubet.
Ouidius: Phocaico bibulas tingebat murice lanas.

Vitruuius auctor est, purpuras colore distingui: Septentrionales, nigriusculas esse & subobscuras; Orientales & Occidentales, liuidas; Meridionales, rubras & genuinas. Isidorus autem etiã Occidenti tribuit subnigras, dum scribit ferruginem *esse colorem purpuræ subnigræ, quæ fit in Hispania, iuxta illud:* Ferrugine clarus Iberâ. *Omne* Ostrum *purpura est, sed non omnis purpura ostrum. quia ostrum (vt Gellius tradidit lib. 2. Noct. Attic. cap. 26.) exuberantiam, splendoremq́ue ruboris habet, hoc est, illustratur splendore, quo reliqua purpura caret. Hunc splendorem coccô incendi tradunt. κόκκον (ait D. Isidorus)* Gręcè, nos rubrum seu vermiculum dicimus. est enim vermiculus ex siluestribus frondibus, *qui vocatur secundùm quosdam Arabicè,* Chermes, *vel vt alij* Carmen, *seu vt ex Laonico Chalcondylã colligo, * χρήμιζον; qui Laonicus eos vermiculos in Assyriæ vrbe Samachtâ nasci prodit lib. 3. histor. Turcicæ. D. Hieronymus etiam vermiculum interpretatur 1. Isa. cap. quod ad solum coccum σκωλήκιον referendum. nam alioqui κόκκος frutex est notissimus Dioscoridi, & Plinio, & aliis: cuius granum acuit purpuræ colorem: ipsum etiam, sine purpurâ seu murice, tincturæ rubræ idoneum: ex huius fruticis grano nascitur* תולע *vermiculus quidam pisi aut lentis figurâ: multus in Narbonensi Galliâ hodie & in Lusitaniâ prope Setubalam.* Quidam libri χρήμιζον. mendosè.

Glos-

Glossariis, Grana κόκκοι. Granitum κοκκώτον. Granarium ὀσπριόθηκη, *vt corrigendum. Inter coccum itaque & purpuram propriè dictam hoc interesse volunt, quod ille ex surculoso frutice, hæc ex pisciculo seu conchyli; quæ in sententia Brodæus est lib.1.miscel.cap. 8. & verè: licet plerumque discrimen hoc à scriptoribus contemnatur. coccum Hispani,* Granam *à grano fruticis, & à Granâ Granatam vrbem propter cocci copiam. Olim arbitror serica ferè semper cocco tingi solita: hodie coccina serica Hispani & Galli* Charmesina, *ab Arabica voce; lanea Galli,* Escarlatte; *Hispani,* Grana *vocant. Commentar. Iuuenal. Quod Græci* coccum, *Latini* byrrum *vocarunt. (Emendo,* κόκκον *&* pyrrum.) *Idem testatur, inter coccum & muricem, medium esse colorem ampelinum seu xerampelinum. Coccina rubri tantùm, hoc est sanguinei; purpurea, varij coloris. nam purpura quædam rubra, quæ ostrum dicitur si splendescat; ab hac sanguis vocatur purpureus; quæ quo obscurior & nigricantior, eò carior: fuit fortè huiusmodi quam in Britannia nasci laudatissimam Beda memorat initiò Eccles. hist. gent. Anglor. aliud genus est rubræ purpuræ, sine luce & splendore, deterius, quale Tarentinum. aliud amethystinum, quod ianthinum seu violaceum appellant, quod quo clarius & splendidius, eò melius, quo obscurius eò vilius. aliud cæruleum, vilissimum, quod prope Succubin Africæ vrbem colligebatur: à quo mare purpureum nominatur. Meminit etiam Lazius purpuræ pictæ & similium mixtarum. Denique de causis diuersi coloris in purpuris idem dicendum, quod de aliorum colorum causis; de quibus Plato in Timæo, & Aristot. lib. de coloribus, lib. de sensu, cap. 3. & libro 3. Meteor. cap. 4. ex recentioribus, Simon Portius lib. de coloribus oculorum, Pernumia in libb. de Naturali philosoph. & Fran. Vallesius lib. 1. Controuers. cap. 21. & lib. 3. c. 19. Illud penè omissum: à scriptoribus minus antiquis, Vopisco, Caßiodoro, Sidonio, Gregorio Turon. purpuram, vocari* blattam. *Glossarium,* Blattia θρόμβος αἵματος. Idem Battatum coccinum. *Suspicabar legendum,* blattatum. *nam subditur,* Blattela θρόμβος αἵματος τῶν κογχυλίων. *ex quo vltimo loco prior ille supplendus.*

Vide Plinium lib. 9. c. 41.

Lazius lib. 8. comment. reip. Rom. c 8. Vide Calium lib 8. antiq. lect. cap. 11.

100 Nitidum iubar] *nascentem Solem, vel Auroram matutinam.*

101 Roscidus] *rore nocturno madens.*

102 Phasidos] *Medeæ coniugio liberatus.*

103 Effrenæ] *cuius amores & iræ nullis frenis, cuius crudelitas & audacia nullis repagulis coërceri vnquam potuerunt. mulieris efferæ, ferocis, terribilis, verè Barbaræ, ad Phasim natæ.*

104 Prendere] *aptè vtitur. nam ita contractum, nuptum verbum esse patet ex Catullo & aliis.* Inuita trepidus] *dixit imitatione Ouidij, apud quem Hypsipile id miratur,*

Hanc potes amplecti? thalamóque relictus in vno
Impauidus somno nocte silente frui.

105 Aoniam] *trade te alacrem melioribus nuptiis. fruere Græcâ virgine, liberaliter institutâ, nec à Musis aut Gratiis alienâ. nam & paullo antè Musis eam comparauit.* Aoniam *ergo pro Græcâ sumit & opponit Barbaræ: fortè etiam ad Musarum fontem Pirenen, qui fuit Corinthi, alludit. mirum*

quam

quàm hic mendosi quidam libri scripti, nam membranæ, quas ab Eliâ Vineto, homine de litteris bene merito, accepi; Ausoniam : *codex Moguntinus;* armam. *quæ quid sibi velint, nondum video.*

106 Nunc primum] *nam in priores Iasonis & Medeæ, nec Aeson, nec Aeethes consenserant.* 107 Carmina] *alternate versus nuptiales. habemus exemplum virginum & adolescentum Catullianorum.*

109 Rara est in dom. iusta lic.] *nam nuptiarum dumtaxat, & paucis aliis diebus id licuit, quibus scilicet mos Dominos seruire, vt Mercurialibus apud Cretenses, Geræstionis quodam die apud Trezœnios, Saceæ festo quinque diebus apud Babylonios, Peloriis apud Thessalos, auctore Athenæo lib.* 14. *Conuiu. Sophist. cap.* 17. *fortè & Cronius apud Athenienses, de quibus ex Attij Annalibus Macrobius lib.* 1. *Saturnal. cap.* 7. *quæ Romani Saturnalibus imitabantur, vt docent idem Athenæus eodem loco, & Macrob. lib.* 1. *Saturn. c.* 10. *de quo festo intelligo Senecæ ista epist.* 47. Instituerunt diem festum, non quo solum cum seruis domini vescerentur; sed quo vtique honores illis in domo gerere, & ius dicere permiserunt.

110 Lyæi proles] *Hymenæum Bacchi & Vraniæ filium etiam Catullus & Claudianus asserunt; & Martianus Capella his versibus:*

Tu, quem psallentem thalamis, quem matre Camœna
 Progenitum perhibent; copula sacra Deûm:
Semina qui arcanis stringens pugnantia vinclis,
 Complexúque sacro dissona nexa foues.
Namq. elementa ligas vicibus, mundúmq. maritas,
 Atque auram mentis corporibus socias.
Fœdere complacito sub quo natura iugatur,
 Sexus concilias & sub amore fidem:
O Hymenæe decens, Cypridis tu maxima cura.
 Hinc tibi nam flagrans ore cupido micat.
Seu tibi, quod Bacchus pater est, placuisse choreas,
 Cantare ad thalamos seu genitricis habes;
Comere verniferis florentia limina sertis
 Seu consanguineo Gratia trina dedit.

quot hic officia Hymenæi, totidem causæ, cur chorus illũ inuocet, vt adsit nubentibus: quæ non facilè sic breuiter enumerata inuenias alibi.

111 Multifidam] *spicatam, ad spici & aristarum similitudinem incisam. Papinius 3. Theb.* Multifida attollens antiquâ lumina cedro.
veteres inspicare *dicebant. Virgilius:* ——— ferróque faces inspicat acuto.

Pinum] *cur,* spinum, *Critici substituttis? expers illa resinæ, & thedis inidonea. æque molesti Grammatici (vt hoc obiter) qui* resinæ *mediam producere non sinunt. reprehendant illi Plautum, Martialem, & Serenum, qui sic vsi: communem censeo.*

112 Excute] *iacta facibus accensis flammas, à silice sumta tralatio, è cuius propriè venis ignis excutitur.*

113 Fescenninus] *Fescenninos cantaturi pueri prætextam ponebant, ne*

pudorem & ius eius violarent. notat Pierius lib.40. Hieroglyph. Fescennini exemplum aliud sufficit Capella Mineus lib.vlt. Ausonius epist. ad Paullum, laudat quendam Annianum Fescenninorum scriptorem. dicti à Fescennio vetusto Hetruriæ opido: de quo Annius Viterb. lib.17. antiqu. q.37.

Conuicia] *Eguianus liber*; sollennia. *non omnino malè. sic Horatius:*

Insanire putas sollennia me, neque rides.

suspicor iocos istos peculiari nomine, sollennia *vocatos.*

114 Tacitis eat illa tenebris] *moriatur ingloria & illaudata: obliuione nomen eius deleatur, sic ad inferorum tacitas sedes migret; vt apud superos etiam memoria damnetur & penitus intereat. mira sanè locutio. Simplicius & apertius Lipsius; sine facibus illa eat.*

115 Peregrino marito] *auget odium. nam cum peregrinis nuptiæ improbabantur, de quo in Thebaidem. & peregrinæ vsqueadeo malè audiebant, vt pro scortis earum nomen acciperetur, quod fuit à Donato obseruatum in Terent. Andriâ, Eunucho, & Phormione: quotquot etiam à patriâ procul degebant, vix improbitatis aut ignominiæ notâ se eximere poterant, vt indicat Ennius apud Ciceronem lib.7. epist. ad Trebatium.*

Vide Landin. in Hor. lib.3. od.3

116 Fugitiua] *sic vocat Medeam, quia domo patris profuga raptorem secutâ; atque ita fugitiua Iasoni peregrino nupsit. sed vbi nupsit? Timæus, Apollonius, & Orpheus in Corcyrâ insulâ tradunt; Dionysius Milesius libro 2. Argonaut. Byzantij; Antimachus in Lyde, prope fluuium nescio quem; Philetas, Telepho, in domo Alcynoi; Timonax lib.1. histor. Scythicæ, in ipsâ Colchide Aëëthâ sciente; Valerius Flaccus canit in Peuce insulâ cœptas nuptias, aduentu Absyrti impeditas, ne perficerentur. Quidam manusc.* fugitura, *pro*; fugitiua.

Vide Lucill. Tharræi Schol. in Apollonium.

In Actv II.

Alit iras Medea, & accenditur in furorem audito Hymenæo: conatur eam ad sanam mentem nutrix reuocare; sed incassum. vt enim si flammis oleum injicias, sic huius augescit furor. Superuenit Creon, & in exsilium iubet abire: verũ fallacibus precibus emollitus, dieculæ inducias parãdô discessu largitur.

116 Hymenæus] *docet Musæus etiam parentem vtrumque solitum concinere carmen nuptiale; dum id prætermissum malo omine testatur,*

οὐχ ὑμέναιον ἄεισε πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ.

Non cecinit pater aut mater veneranda hymenæum.

quod nomen cur inditũ carmini, ex Donato in Terent. Seruio in Virgilium, & Luctatio in Statium didici. Athenis iuuenem fuisse formosissimum, Hymenæum; qui puerili facie virum tegens, & feminam simulans, Eleusinia cum mulieribus sacra celebrarit; & à piratis cum iisdem simul raptus fuerit; qui cùm eum id quod habitu mentiebatur crederent, virginem illi, quam amabat, crediderunt: mox piratæ somno depressi, ab ipso, an ab insequentibus, iugulantur. Festinat deinde Athenas Hymenæus, & nuntium primus parentibus perferens, si natas eis reddidisset, amasiæ suæ nuptias sibi paciscitur. Fuit hoc coniugium felix & sine querella. inde obtinuit vt deinceps Athenienses boni ominis causâ Hymenæi nomen in nuptiis iterarent. imitati id

In Adelph. in 1. Æneid in 4. Thebaid.

Coryn-

Corynthij (teste Senecâ) & ceteri Graci ac Romani, vt Terentij, Virgilij, Catulli, Claudiani, & aliorum conuincit auctoritas. inde sic dictum carmen nuptiale, vel etiam vt Claudianus & Alcymus Auitus vocant, Hymen; *Turpilius*, Pedio; *inquit*: Age tu Hymenæum increpa. *hoc est, teste Nonio, ingemina. canebatur enim per choros alternatim. Pacuuius, Dulorefte*: Hymenæum fremunt æquales, aula resonit crepitu musico. *chororum ratio & modus ex Catulli Epithalamio petenda: mentionem etiam inuenio apud Claudianum, de nuptiis Palladij & Celerinæ. Ticidæ Hymenæum laudat Priscianus; insignis exstat Martiani Capellæ lib. vlt. de nuptiis Philologiæ. Apud Græcos Epithalamia scripserunt Hesiodus, Sthesichorus, Theocritus & Agamestor; apud Latinos Catullus, Claudianus, Papinius, & Capella. Vide Izaac. in Lycophr.*

121 Flammas] *Taurorum, Valer. Flac. lib. 7. & 8. Argon. Ouid. 7. Met.*

Mare] *quod fugiens artibus suis tranquillarat.*

122 Nefas] *vim herbarum & artium malarum ad scelera patranda.*

126 Exigatur] *Equian. lib.* agitetur. *improbo.*

Hæc meis satis est malis] *fulcierus sententiam, si rescribas*: Hæc meis satis est malis? *quasi neget, sufficere vnam Creusam exigendæ vltioni. aliàs languet sine interrogationis notâ.*

127 Barbaræ] *Græcorum morem sequitur; qui mundum in duas partes diuidebant, in Græcos seu Pelasgos, & Barbaros: quod Platoni, in* Ciuili, *meritò displicuit; vt & Eratostheni, qui malebat homines in bonos & malos diuidi. tales enim tum ex Græcis, tum ex aliis omnes. auctor Strabo lib. 1. Cassiodorus (risum contine)* Barbaros *dictos vult, à barba & rure, quod hispidi sint pagani, & nunquam in vrbibus vixerint. sed certum est, Græcum nomen esse, de cuius origine disserit Strabo lib. 14. & censet eos initiò* Barbaros *vocatos, qui difficulter, asperè, crassè, & duriter loquerentur: huiusmodi Græcis visas nationes reliquas, & barbaros nominari cœptas, tum quòd vernaculus illarum sermo inconcinnus erat; tum quòd Græcum idioma minus expeditè pronunciarent. Stephanus etiam;* βάρβαρος οὐκ ἐπὶ ἔθνους, ἀλλ' ἐπὶ φωνῆς ἐλαμβάνετο. *Non desunt hodie, qui Græcorum iactantiam imitantur, sex ipsi & reliquiæ Aquilonarium. nec mirũ, cum Getis Naso barbarus; ait enim*:

Barbarus hîc ego sum, quia non intelligor vlli.

Strictè ac propriè; barbari, *vocabulum, de Phrygibus accipiebatur. Horatius*:

Græcia Barbariæ lento collisa duello.

Vnde Sophocles in Aiace, βάρβαρον φρύγα. *plura Turneb. li. 9. Aduers. c. 18. Cui addiderim, Arabiæ quandam regionem dici Barbariam, & inde denominari* Barbaricum pelagus. *auctor Stephanus. Sanè hodie Hispani Africam, a. in e, mutato nomine*; Barueria, *vocant: & Itali equos Africanos seu Arabicos,* Barbarescos.

130 Regni decus] *Vellus aureum.*

132 Virginis paruus comes] *frater Absyrtus.*

133 Incertum] *in recent. impressis*; incestum. *malè. orta deprauatio ab antiquis impressis, Venet. & Herbipol. qui;* infestum. *quanto rectius, concinnius*

cinnius quidam v.l. incertum. *hoc est, ita laniatum, ac prorsus deformatum, vt nec cuius cadaueris frusta, nec quo quaq; loco partes reponendæ, satis parēti liqueret. placuit hoc aliis; sed plusquam decennium antè in aduersariis mihi traditum. nec vno tantùm id loco, accidit pluribus; quæ non enumerabo. nec amicis, vt coniuge raptâ Atridæ, bellum indicam. gaudeo potiùs qua mihi visa, probari naris emunctæ criticis: quàm, vel præoccupata, ab aliis inuadi indigner, ridiculum prorsus tam acriter, quis prior, quis posterior; id quod feliciter coniectando cecidit. an non vnus largitor omnis boni; à quo omnia, supremus ille, parens cunctorum Deus? aut aliquid fortè, quod nō acceperimus? cur ergo gloriemur? Pulchrè Fabius*, Omnis sui vitiosa iactatio, quæ adfert audientibus non fastidium modò, sed plerunque etiam odium. *Fuit hoc semel dicendum. non addam amplius.*

134 Decocta aheno membra] *non meâ, sed Iasonis vlciscendi gratiâ.*

136 Sæuit] *mimimesis, pro; sauiit, vt aliàs sæpe.*

141 Viuat tamen] *manifesta imitatio huius Ouidiani:*

——— viuat, an illa
Occidat, in DIs est. viuat tamen ———

142 Muneri parcat meo] *si fieri queat, & viuum; & maritum, & sui amantem, optat viuere; si nequeat, viuere tamen sui non immemorem, & vitam, quam ipsa quasi dederit, retinere. sed quomodo,* parcat? *salutis suæ tuendæ si curam gerat. mallem tamen;* parcas *scilicet ira, furor, dolor. ne opta (inquit) illi mortem, cui vitam dedi; parce meo muneri, sine saluum meum beneficium. De hoc affectu liberalitatis egregiè noster lib. 4. de benefic.* Non mentiar (*ait*) si dixero, neminem non amare beneficia sua: neminē ita composito animo, vt non libentiùs eum videat, in quem multa congessit: cui non causa sit, iterum dandi beneficij, semel dedisse. quod non accideret, nisi ipsa nos delectarent beneficia. quam sæpè dicentem audias: Non sustineo illum deserere cui dedi vitam, quem à periculo eripui. rogat me, vt causam suam contra gratiosos homines agam, nolo: sed quid faciam? iam illi semel, iterúmque adfui. Non vides inesse isti rei *propriam quandam vim; quæ nos beneficia dare cogit, primùm, quia oportet; deinde quia dedimus? cui initiò non fuisset ratio præstandi, aliquid ei præstamus, quia præstitimus. adeóque nos ad beneficia nō impellit vtilitas: vt & inutilia tueri ac fouere perseueremus, solâ beneficij caritate; cui, etiam infeliciter dato, indulgere, tam naturale est, quàm liberis paruis. *Vides cur Medea viuere velit ingratum Iasonem? in eandem sententiam nonnulla Aristoteles lib. 9. Ethic. Nicomach.*

*Membranæ Burdegalens. proximam.

143 Creontis] *Corinthi Regis, Sisyphi F.*

147 Cumulabo] *m.s. Moguntin.* tumulabo. *suâ & rectâ sententiâ.*

148 Atrum verticem] *densum nigrúmque fumum sinuoso flexu per aërem subeuntem ferri ad cælum.*

152 Æquo motus] *imò;* immotus, *vt probè Lipsius. nam si moueatur ab animi æquabilitate, & irâ vincatur; quomodo perferet animô patiente? an vt leuiter tantùm concutiatur, stet tamen, & de gradu non deturbetur? manet*

net enim sæpè, concussa fortuna, & vincit seipsam colligens. Nec infeliciter, qui, mutus, *castigauit. h. premens silentio, & vltionem lingua proditrice non perdens. N. in suspicion. libb.*

154 Perdunt] *nullum vidi manusc. in quo non legeretur;* produnt. *Alb. tamen Eyb. in suis membranis videtur olim inuenisse*, perdunt. *sic enim citat. eadem est sententia. sic de equo moriente in Oedip. dicitur.*

——dominúmque prono
Prodidit aruo —— *Cornel. Tacitus libro 4. Annal.*

aperta, *scribit*, odia, armáque palam depelli, fraudem & dolum obscura, cóque ineuitabilia. *& Sallustius monet Cæsarem, haut difficile esse homini strennuo hostem aduersum opprimere: occulta pericula, neque facere, neque vitare bonis in promptu esse. Noster ab Euripide accepit, apud quem Creon Medeæ ferme eadem dicit; inquiens, quo se illa pacatiorem simulet, eò sibi amplius cauendam. Seneca pater, initio Declamationum:* Magis nocent insidiæ, quæ latent. *Insidiabantur Iacobo Esau, Dauidi Saul; sed quia palam, frustrà. effugit vterque. Ioabum nec Abner, nec Amasa effugere potuit, quia dolosè iram tegebat Ioab, nec illi prius hostilem animum, quàm latus fodi sibi, senserunt.*

155 Leuis est dolor] *nam grauis ira nec consilium, nec rationem admittit. sumtum ex Eurip. act. 4. sub fin. vbi Medea:* θυμὸς δὲ κρείσσων, *&c.*

156 Clepere sese] *subtrahere, subducere, ac furari. à* κλέπτειν. *vtitur Cicero 3. de legib. & 4. de repub.*

159 Fortuna fortes metuit] *sic o. v. l. & excusi, quos vidi: sunt tamen, qui in marg. notant etiam legi;* f. f. iuuat. *Tacitus libro 4. dixit*, Fortes à Diis iuuari.

160 Tunc est] *in aduersarius sententiam explicui. in limine offendunt, qui mutant;* nunc. *non quia codices nonnullos sequuntur, quàm quòd eam adiungunt interpretationem; cui Medeæ responsio non conuenit.*

163 Desperet nihil] *ludit in vocis similitudine. sensus: ei cui cuncta sunt aduersa, in omnem euentum intrepidè tentanda omnia. quid enim metuat in extremâ fortunâ? quid malis eius adijci queat? lucrari potest, perdere non potest, qui nihil possidet. ex desperatione nata non rarò victoria. Vegetius li. 3. de re militari cap. 21.* ex desperatione crescit audacia: &, cùm spei nihil sit, sumit arma formido. *quò refert illud Virgilij:*

Vna salus victis nullam sperare salutem.

Seneca potiùs respexit ad dictum Hecatonis:

Desines timere, si sperare desieris.

quod explicat epist. 5. ad Lucill. quomodo ista tam diuersa pariter sunt? ita est (mi Lucilli) cùm videantur dissidere, coniuncta sunt. quemadmodum eadem cathena, & custodem & militem copulat: sic ista, quæ tam dissimilia sunt, pariter incedunt. spem metus sequitur. nec miror ista sic ire. vtrumque pendentis animi est, vtrumque futuri exspectatione solliciti. *Igitur si, qui sperat, sollicitus est & pendet animo futuri exspectatione, & propterea timet; qui, spem omnem abiecit, nulla futuri sollici-*

tudine torquebitur, & proinde timore omni vacabit. sed qui timere nequit, quid ille vereatur attentare vel aggredi? quid se confecturum desperet?

166 Medea superest] *cui cum nocendi peritiâ, potentiaq́, voluntas suppetit: quæ quantum nocere potest, tantum nocere desiderat.*

169 Sint licet terra edita] *Moguntin.cod.* terris. *vt vitetur hiatus. nullum vidi codicem, in quo,* scilicet, *quod conatur N. inuehere ex suspicione: nec necesse.* 171 Medea fugiam] *commutatis interlocutorum personis, turbelam sustuli, secutus membranas meas; in quibus cunctis illa verba repperi, quæ Lipsius suo cod. deesse fatetur.*

172 At vlciscar] *omnes vett. impressi,* & vlciscar: *membranæ,* at.

175 Non animum potest] *Seneca de prouidentia extrem.* Contemne fortunam. nullum illi telum, quo feriret animum dedi. *Vide Ciceron. 4. paradox.* Animum, *pro potestate, viribus, & habitibus posuit, hoc est, pro fortitudine, constantia, virtute animi. Sic apud Nonium, in Neoptolemo Attius*: Viri ferociam, animum, atrocitatem, iram, acrimoniam. *sic legi potest, vel;* iræ acrimoniam. *Cicero Philipp. 4.* omnia alia falsa, incerta sunt, caduca, mobilia: virtus est vna altissimis defixa radicibus, quæ nunquam vllâ vi labefactari potest, nunquam dimoueri loco. *Ideo virtutem nobis propriam & sempiternam esse censuerunt. Varro, Caprino prælio*; Virtutem propriam mortalibus fecit: cetera promiscuè voluit communia haberi. *rectè. nam quod proprium, suum cuique; & quod suum, extra fortunæ ius: sin ab ea dari tolliq́ consueuit, proprium nobis dici non meretur. Viderunt id antiqui poetæ. Attius, Armorum iudicio*: Fors dominatur, neque vita vlli propria in vitâ est. *vbi vitam vocat ipsum vitæ fructum & caducorum bonorum fruitionem. Lucilius Satyr. lib. 17.*

Cetera contemnit, & in vsurâ omnia ponit
Non magnâ: proprium verò nil neminem habere.

idem lib. 27. Cùm sciam nil in vitâ proprium mortali datum esse. *sic ex Nonij stercore veræ sapientiæ lubens aurum colligo; & iuuenibus, vt in poëtarum & grammaticorum libris idem sedulò faciant, vehementer suadeo. Seneca (vt ad rem redeam)* animum, *pro fortitudine posuit, quàm Attius* ἁπλῶς *virtutem; quod tritum veteribus, quia virtus à viro dicta, & viris fortitudo propria, testibus Plutarcho in vita Coriolani, & Cicerone li. 2. Tusculan. Vide Pet. Fabrum li. 1. Semestri. cap. 19.*

179 Æethæ genus] *Medeæ pater Aeëthas, vt scripserunt Herodorus, Dionysius Milesius & ceteri, Solis filius: varias vxores duxit, ideo nescitur quæ Medeæ mater, plerique credunt Idyiam (vt alias docui), Epimenides Ephyren, Dionysius Milesius 1. Argonaut. Hecaten: auctor Naupacticorum Euryliten: Sophocles, Neæram: Apollonius, Asterodiam: Eumelus & Diophanes, Antiopen. Vide Scholiast. Apollonij li. 3. & Diodorum Siculum li. 4. Biblioth. Ceterum hæc scena cũ actu 11. Euripidis conferenda, vnde desumta.*

194 Si regnas] *Si quod vis, iubes. si tibi voluntas, pro ratione. si ex libidine, non iure, imperas.*

195 Æquum atque] *qui se Regiæ committit potestati, omnem amittit potesta-*

potestatem necessariò Regi, cui se subiecit, obediendum. etsi enim liber eò venerit, sui iam iuris esse desiit: vt docuit Sophocles iis versib. quos in AEgyptum confugiens Pompeius pronunciauit, & refert Plutarch. in vitâ Pompeij, & in lib. de vtilitate ex poëtis capiendâ. Plautinum illud consonat; Indigna, digna habēda sunt Rex quæ facit. *Historicorum nescio an non sapientissimus Tacitus: Quomodo sterilitatem, aut nimios imbres, & cetera naturæ mala; sic nos improbitatem dominantium iubet tolerare. Hist. 4. Et hoc Spiritus sancti tuba; etiam discolis principibus obediendum.*

197 I, quære Colchos] *hoc N. reposuit malo exemplo, cùm rectè legeretur;* I, querere Colchis. *idem pro,* auexit, *rescripsit;* aduexit, *in eodem carmine. Qui (ait) me abduxit, reducat. cur illum retines, me fugas?*

198 Vox constituto] *serò quereris latâ sententiâ: prius oportuit. sed editio Herbipolens. & Veneta Pintiani;* Nox. *debebat ante noctem abire. adest (inquit) nox. quid moras fando nectis?* 201 Pelia] *vocandi casus, pro nominandi, more Græco. sic apud Homer. Iliad. ε'. εὐρύοπα Ζεύς. latè sonans Iuppiter. & similia Iliad. α'. ver. 75. & Odyss. vlt. ver. 10.*

204 Quamque regale hoc putet] *non amoueo hanc lectionem claram, & facilem, & plurimarum membranar. sed quid sibi volunt antiquiores impressi Herbipolens. & tres Veneti;* quámque regale hoc caput. *quod etiam retinet m. s. Moguntin.? Euripides ait tyrannos iras, leuiculis de caussis conceptas, pertinaciter fouere, nec facilè deponere:*

ὀλίγ᾽ ἀρχόμενοι, πολλὰ κρατοῦντες,
χαλεπῶς ὀργὰς μεταβάλλουσι.

nolunt in melius mutare sententiam. quia regium id putant (vide pulchra exempla apud Senecam lib. 3. de ira cap. 16. cum seqq.) Commune omnium fermè, sed Regum quasi peculiare vitium. Seneca d. lib. 3. cap. 29. Nunc autem primùm, impetum sequimur. deinde, quamuis vana nos concitauerint, perseueramus: ne videamur cæpisse sine causâ: &, quod iniquissimum est, pertinaciores nos facit iniquitas iræ. retinemus enim illam, & augemus: quasi argumentū sit iustè irascēdi, grauiter irasci. Quanto melius est, initia ipsa perspicere, quàm leuia sint, quàm innoxia?

210 Auoque sole] *Euripid. ait Medea; solem patris mei patrem.*

211 Pontúsque Scythicus] *Euxinum mare. sic Lucanus.*

Idem per Scythici profugum diuortia Ponti.

212 Palustribus] *quia tot fluminum affluxu Pontus limo impletur & aggere: adeò vt Strabonis æuo, sinistra iam Ponti pars, inde in paludem fuerit conuersa. Videndi Strabo lib. 1. & Polybius lib. 4. Neoterici tamen oculati testes id verum esse negant: sed Seneca sui aui scriptores secutus fuit.*

Dulcescunt] *ingressu tot fluuiorum, quot affluunt, vincitur sal, ait Plinius: idem in libris de Ponto testatur Ouid. De Ionio mari quid simile, ad Acherontis fluuij ostium, prodit Strabo lib. 7.*

213 Exterret] *Moguntin. cod.* exercet. *vtrumuis, probum.*

215 Thermodontiis] *agit de Amazonib. de quibus nos postea. θερμώδων fluuius ad quem habitant, de quo Apoll. l. 2. ad quem Schol. v. 370. & seq. consulendus.*

Vidua] *de vocis significatione plura alibi. nunc addo tantum; quod Nonius scribit, biuiras omnes, viduas vocatas; de iis, quarum secundus maritus viuebat, verùm non videri, neq. id adstruit Varro, quem adducit. de illis quarum maritus obierat, verum; sed etiamsi vni viro dumtaxat nupsissent.*

218 Petebant] *procos Medeæ ex Apollonio & Valerio Flacco petas. fuêre non multi, nec quot Penelopes; de qua illud Liuij Andronici accipio, apud Festum, in* Procitum, *vbi Telemachus;* Matrem procitum plurimi venerût.

223 Nulla quod rapiat] *quidam manusc.* Quod nulla abstulerit. *mira varietas: sed ex glossâ.*

226 Græciæ florem] *sic plerique, sed recentiores excusi, & quidam manusc. nam alij, & veteres impressi,* gloriæ florem. *Tyrtæus:*

ὄφρ' ἄρα τῆς ἥβης ἀγλαὸν ἄνθος ἔχῃ.

Vt pulcrum pubertatis florem habeat.

Caßiodor. in varior. libb. florem generis humani.

227 Prolem Deum] *Theocritus in Gemin.* θεῶν φίλα τέκνα, dilectæ Deorum proles. *Mira porrò varietas est apud Græcos, de Argonautarum reditu in patriam. Timagetus* ἐν τῷ α περὶ λιμένων, *scribit Istrum ex Germaniæ montibus ortum, in Germanicam paludem magnam defluere: mox in duo scindi brachia, & vnum in Germanicum mare, & alterum in Euxinũ porrigere, & per prius illud nauigasse Argonautas, & in Hetruriam peruenisse. idem Apollonius refert. Herodorus Ephesius, quâ venerant viâ rediisse. Hecatæus Milesius, ex Phasi in Oceanũ, ex Oceano in Nilum, ex Nilo in nostrum mare: quod Artemidorus Ephesius, vt & Eratosthenes refellit li. 3. Geograph. quia Phasys Oceano se non infundit. Scymnis auctor est, in magnum mare per Tanaim nauigasse, inde in Hellespontum. Hesiodus, & Pindarus in Pythionicis, & Antimachus in Lyde, per Oceanum in Libyam appulsos nauim humeris portantes, ad Mediterraneum peruenisse, canunt. Callimachus denique & Sophocles Herodoro assentiuntur. Vide Scholiast. Apollonij libro 4. versu 259. & 284. scilicet certi aliquid in prophanis narrationibus; vel vtilis opera, si quis se in hisce nugis excarnificet.*

229 Qui saxa cantu mulcet & siluas trahit] *Ouidius:*

Cùm traheret siluas Orpheus ———

Apollon. Hunc referunt duros lapides & flumina cantu
Detinuisse, suæ captos dulcedine vocis:
Siluestres fagos intra confinia terræ
Threiciæ, quæ nunc frondent, vestigia cantus
Illius esse ferunt ——— *quas nempe attraxerat.*

230 Satíque Borea] *Apollonius:*

Zetes & Calais Boreæ de semine nati
Rursus, Erechtei peperit quos Orithija.

de his ad nauseam vsq. sententias varias Schol. Apollonij, in lib. 1. à ver. 211.

231 Lynceus] *Lynceum Tzetzes mortalium omnium visu acutißimum certißimumq. vocauit, & ex Stasino in Heroum gestis, refert ex Taygeti cacumine totam Peloponnesum oculis lustrare potuisse, & vidisse Tindaridas* Gemi-

Geminos in cauâ quercu latitantes. vnde & Pindarus apud Pausan. in Messeniac. seu lib. 4. ait in quercetis medios arborum truncos visu penetrasse; & Apollonius, quæ sub terra erãt vidisse, Argonaut. l. 1. Valerius quoq; Flaccus:

——— possit qui rumpere terras
Et Styga transmisso tacitam deprendere visu;
Fluctibus è mediis terras dabit ille magistro,
Et dabit astra rati: cúmque æthera Iuppiter vmbrâ
Perdiderit, solus transibit nubila Lynceus.

Plinius li. 2. Nat. hist. c. 7. orbem lunæ visu transmisisse: Plutarchus li. de percipiendâ ex hostib. vtilitate, & in lib. contra Stoicos, per arbores & saxa, longißimè dißitis portubus soluentes naues cernere solitum. Sunt qui in Hispaniâ, fortaßis & alibi, genus hominum oculatißimorum esse perhibent, quod Lynceos, *vel* Zahuris *vocant, eâ visus perspicaciâ, vt quo loco sub tellure fontes aquarum, & si quid aliud sub eâ, vel sub sarcophagis lateat, clarè perspiciant, imò & viscera & penita quæq; humano in corpore. credit hæc vulgus. nec vulgus tantùm, sed ex doctis etiam nonnulli, vt Cælius lib. 16. antiq. lect. cap. 2. Quasi verò terra vel lapides, opacitate & densitate suâ, idoneum sint medium, quod visiuas species recipiat, cùm illuminationis expertia sint, (auctore Aristotele lib. 2. de anima cap. 6.) vel, si qua eis diaphaneitas, vt illi contendunt, satis illa magna esse queat. quare mihi huiusmodi, naturæ vim superare videntur, & si fiant, malis artibus fieri, quæ Alfonsi Veracruzij sententia est, in lib. 2. de animâ, Speculat. 2. idq; confirmatur non leui indicio, quia vim huiusmodi ad certos dies restringunt, feriam scilicet tertiam & sextam: quod vix potest superstitionis vitio aut suspicione carere. Fontes quidem reor, & metalla, ex herbis quibusdam iis in locis nasci solitis, cognosci, ac aliis indiciis, quæ congeßit magnus Caßiodorus li. 3. varior. epist. vlt.*

Immisso] *radiis emißis ab oculo in ipsum obiectum. Stoici enim visionem fieri emißione radiorum credebant, non per speciei introsumptionem beneficio externi luminis, vt Aristoteles: cum Stoicis sentiunt Platonici, & Pythagoræi, Euclides, Plutarchus, Galenus, Priscianus, Lydus, D. Gregor. Nyssenus, Nemesius, & alij plerique antiquorum; nec desunt Neoterici pereruditi philosophi, vt Bessarion Card. Græcus, Cardanus, & Christophor. Marcellus Itali; Sebast. Foxius, & Francis. Valles. Hispani. sed conciliare discidium nituntur Gabr. Buratellus lib. 5. conciliat. maximè fol. 157. & Carpentarius Digress. 7. in Alcinoum. Ait etiam Seneca:* Lumine immisso. *hoc est, interno illo splendore, quem iidem Stoici, & reliqui illi in oculis ponebant, de quo Galenus lib. 7. de placit. & Thomas Garbus summ. med. lib. 1. tract. 4. Scio plerosque Peripateticos cùm Auerroë id reijcere; sed non ego nunc vtra opinio verior sit, sed quæ scriptoris nostri fuerit, inuestigo.*

233 Minyæ] *Apollonius vult sic dictos Argonautas: quòd eorum præstantißimi* Minyæ *erant; hoc est, Thessali. nam* Minyæ, *postea generali nomine Thessali nuncupati, ab Orchomeno Thessaliæ fluuio, qui prius Minyeus vocatus fuerat, teste Plinio: propriè verò, vt auctor est Demetrius Scepsius, sic dicti, qui Iolchum incolebant. vide Scholiast. Apollon. in lib. 1. versu 230. de*

 his

his ergo Minyis Seneca. Alij fuère incolæ Orchomeni oppidi Boeotiæ, à Rege Minyâ dicti Minyæ, vt tradunt Pausan. in Boeotic. & Homeri Schol.

236 Flagitia ingere] *sic plerique libri scripti & editi ad vnum omnes. Moguntin. verò;* Flammis ingere. *sed nō muto. ait; obijce quæcūque crimina voles.*

240 Pelasga tellus.] *tota Græcia. potißimùm tamen Thessalia. propriè enim Pelasgi, sunt Thessali & Argiui. Sophocles in Inacho, Argiuos vocat Pelasgos. Staphylus Naucratites tradidit Pelasgum Argiuum in Thessaliam venisse, eamque ab illo dictam Pelasgiam. sed & Tyrrheni, Pelasgi vocati. Argiui verò sic dicti, vel à Pelasgo Neptuni aut Inachi filio, vel à Pelasgis quibusdam Barbaris, qui Argos & Thessaliam occuparunt.*

Schol. Apollonij in lib. 1.

242 Quæ volet] *aliàs legitur;* quâ volet. *quod placet. premat fortuna vt volet, nostram causam: iniqua sit, quomodo libet.*

243 Regum decus] *Herbipolens.* duces, *pro* decus.

247 Genua attigi] *Medea apud Euripidem:*

At oro te per hanc ego cæsariem,
Et per tua genua supplex fio tibi.

moris rationem Physicam reddit D. Isidorus Orig. lib. 11. cap. 1. Genua (*inquit*) sunt commissiones femorum & crurum, & dicta genua, eo quòd in vtero sint genis opposita. cohærent enim sibi, & cognata sunt oculis lacrimarum indicibus, & misericordiæ. nam à genis genua dicuntur: denique complicatum gigni, formarique hominē dicunt: ita vt genua sursum sint, quibus oculi formantur, vt caui & reconditi fiant. *Ennius:*

Atque genua comprimit arta gena.

Mendosus locus Ennij fortè, Atque genui c. artá genui. vel; à genua c. artâ genuâ. quod potiùs. nam genua pro genis, insolens.

Inde est quod homines, dum ad genua se prosternunt, statim lacrimantur: cogit enim eos natura vterum maternum rememorari; vbi quasi in tenebris consedebant, antequam ad lucem peruenirent. *Nonnulla in hanc rem Seruius in 3. & 10. Æneid. sed plura Eustathius in Iliad. ά. & Pierius lib. 35. Hieroglyph. Vestigia prisci moris amplectendi genua, apud Homerum Iliad. ά. & ώ. Odyss. δ'. & ν'. Euripid. in Hecubâ, Virgil. 3. & 10. Æneid. Ouidium 9. & 13. Metam. Plautum in Rudente, Liuium li. 45. & paßim Sueton. Tacitum, Apuleium. Salutantes etiam, non supplices tantùm, genua tangere solitos, Sueton. in Tiberio & alibi docet.*

248 Petiique supplex Præsidis dextræ fidem] *in Mogunt. & aliis scriptis. item in veteribus excusis omnibus;* fidémque supplex præs. dex. petij: *quod ni fallor primi Basileens. immutarunt, eos Lugdunens. & Lipsienses secuti. cur? nescio. nihil sanè necesse. illud constat; dextras olim firmandæ promißioni solitas iungi. Ouidius 6. Metamorph.*

Vt pignus fidei dextras vtrimque poposcit.

noster Thyest. vers. 763. ait: datas fidei manus. *Romani quando inuicē post ciuilis belli discidia reconciliabantur, mutuò dextras aureas argenteásve mittebant, vt ex Tacito constat. D. Isidorus vbi suprà:* Dextra vocatur à dando, ipsa enim pignus pacis datur, ipsa fidei testis atq. salutis adhibetur. *Vnde apud Tullium:* fidem publicam iussu senatus dedi, *exponunt nonnulli, dextram dedi. Vnde & Apostolus ait Iacobū & Ioannem dextras sibi dedisse.*

dedisse. Porrigebant olim hospites hospitibus, & hospes hospitis dexteram apprehendebat, vt apud Homerum Nestoris filij, & Telemachus in Odyss. Cicero, pro Deiotaro: Per dexteram te istam oro, quam Regi Deiotaro hospes hospiti porrexisti. *Supplices dexteram postulabant, & apprehendebant eius, cuius se fidei credebant: hic dexterâ porrectâ se in fidem illos suscipere, & securitatem promittere significabat: auctor Eustath. Odyss. α. sic Iliad. ω. Priamo dextram dat Achilles, vt hoc pignore confirmet trepidantem. Ammianus lib. 21. histor. de Nebridio:* Supplicémque iacentem orare, vt leuandi causâ timoris, ei porrigeret dextram. Et quid, ait, præcipuum seruabitur amicis, si tu manum tetigeris meam? *(ex eodem paullo pòst colligo Imperatores Romanos captiuis, vt pauere desinerent, adorandam purpuram porrigere solitos; sicuti Reges Assyriorum virgam seu sceptrum, in libro Esther) Probus in Themistocle:* Rex eum datâ dexterâ in fidem reciperet. *Xenophon, de Instit. Cyri.* ε καὶ Ὑρκανίους οἷς τοὺς ὅρκους καὶ τὰς δεξιὰς δέδωκα, ἐμπεδώσω. Hyrcanios dextris datis iusiurandum confirmare. *Scholiastes Aristophanis:* ἔθος δ' ἐπὶ πίστει καὶ συνθήκαις βεβαίαις τὰς δεξιὰς διδόναι ἀλλήλοις. mos fuit in fide & fœderibus ineundis dextras inuicem dare. *In salutationibus idem factitatum innuit Varro relatus à Cælio lib. 4. antiq. lect. cap. 3. vide Lilium Hist. Deorum Syntagm. 1.*

252 Non esse me] *ex Euripide:* ἥκιστα τοὐμὸν λῆμ' ἔφυ τυραννικόν. minimè mihi animus est tyrannicus.

253 Miserias calcem.] *sic Moguntin. & alij m. s. sic etiam Lugdun. & Basil. probè. nam quod antiqui impressi Herbipol. & tres Veneti;* miseros calcem, *versum mutilat. in quibusdam:* miseros conculcem. *Graue autem crimen miserorum oppressio. Plato in Minoë monet, ne quis calamitosos & pauperes despiciat, eo quòd Deum solum adiutorem habent: nec vllum tam seuerè inimicum vlcisci, ac Deus solitus sit miserorum oppressores.*

258 Acastus] *Peliæ filius Rex Thessaliæ, nisi Medea sibi in vltionem paternæ necis dederetur, bellum Corinthiis indixerat.*

Thessalica] *Nota Græciæ portio Thessalia, cuius primus Rex Deucalion Promethei F. Iapeti N. iuxta Apollonium 3. Argonaut. & Hellanicum Histor. Deucalioneæ lib. 1. ab huius vxore Pyrrhâ vocata etiam* Pyrrhodia, *vel iuxta Rhianum,* Pyrrha; *ab Hæmone Pelasgi F.* Hæmonia; *à Thessalo Hæmonis F.* Thessalia. *Rhiani versus suppeditat Scholiast. in lib. 3. Apollonij:*

Πύῤῥαν δή ποτε τήνγε παλαιότεροι καλέεσκον,
Πύῤῥης Δευκαλίωνος ἀπ' ἀρχαίης ἀλόχοιο.
Αἱμονίην δ' ἐξαῦτις, ἀφ' Αἵμονος, ὅν ῥα Πελασγὸς
Γείνατο, φέρτατον υἱόν. ὁ δ' αὖ τέκε Θεσσαλὸν Αἵμων.
Τοῦ δ' ἄπο Θεσσαλίην λαοὶ μετεφημίξαντο.

Alij à Thessalo Phidippi dictam volunt. diuiditur in Πελασγιῶτιν, Θεσσαλιῶτιν, Ἰωλκῖτιν, Φθιῶτιν, *teste Apollodoro in Catalogo. Acastus secundæ portioni iure imperabat; Iasoni iure tertia debebatur, sed Pelias illam quoque vsurparat. ideo dicitur filius eius* regna Thessalica obtinens.

261 Piæ sorores impium aud. nefas] *quatuor filiæ Peliæ, Alcestis, Amphi-*

phinome, Euadne, Pelopia sorores Acasti, vel iuxta Apollodorum, Pisidice, Pelopæa, Hippote & Alcestis: vide Diodor. lib. 5. Biblioth. & Apollonium lib. 1. Argonaut. est autem hoc loco perelegans ἀνταναάκλασις, *seu (vt Latini vocant)* contrariæ significationis figura, *de qua Fabius lib. 9. Instit. cap. 3. Imitatur hoc loco noster Ouidium, qui 7. Metam. de hac ipsa re:*

His, vt quæque pia est, hortatibus impia prima est,
Et ne sit scelerata facit scelus ——

& lib. 8. Impietate pia est ——

Frequens Seneca in his coniugatis connectendis. Herc. Fur.

Et mortis dominus pertimuit mori

Medea: Pars sanitatis velle sanari fuit.

Hippolyto: —— scelere velandum est scelus.

Item: Mori volenti deesse nunquam mors potest.

Oedipo: Timet timentes, metus in auctorem redit.

Vide Pimpontium in Aeneid. *Sic Æschylus,* ἄδωρα δῶρα; *Euripides,* νύμφην ἄνυμφον; παρθένον ἀπάρθενον; *aly,* ταφὴν ἄταφον; *Optatus lib. 3. insepultam sepulturam; Cicero, innuptas nuptias; Catullus, funera non funera.*

270 Herbas] *quibus ad veneficia vteris. à Medea nomen accepit herba illud genus Ephemerum, adeo deleterium & lethale, vt eodem die enecet, vnde dictam vult Theophrastus; est hellebori folio, radice rotundâ, Latinis dicitur* bulbus agrestis: *diuersum ab alio Ephemero, cui oblonga radix, caulis lilio similis,* Iris agrestis *dictum. Nicander in Alexipharm.* Vide Gorrhæũ in Nicandrum.

ἢ δ' ἐτὸ Μηδείης Κολχηίδος ἐχθόμενον πῦρ
κεῖνο ποτὸν δέξηται ἐφήμερον οὗ παρὰ χεῖλη
δευομένου δυσάλυκτος ἰάπτεται ἔνδοθι κνηθμός, &c.

Si quisquam, infestos Medeæ Colchidos ignes,
Incautus gustarit Ephemeron, ille repentè
Vritur internis sæuâ prurigine labris.

hanc ergo præcipuè iubetur herbam secũ asportare. cùm enim plurima nascatur in Colchide & prope Tanaim, teste Græco Nicandri scholiaste (qui perperã cũ naphtâ confundit) verisimile est hanc quoque secum attulisse & asseruasse Medeam, vt colligitur ex ver. inf. 677. de eadem herba Tibull. intelligo lib. 1.

Sola tenere malas Medeæ dicitur herbas.

præteritũ hoc vel non animaduersum à doctis hominibus, qui Tibullũ eiusq; contubernales duos, penè intermortuos, in dias luminis auras *reuocarunt.*

271 Sollicita] *malis carminibus & sceleribus Deis esto molesta. hac propria verbi significatio. Tibullus:*

Et teneram ferro sollicitauit humum.

Ouidius: Et magnum bello sollicitare Iouem.

Idem: Ausus es, ante oculos, adductâ pellice, nostros,
Iam bene compositum sollicitare torum.

Claudianus: Et rudibus remis sollicitauit aquas.

276 Illi Pelia.] *sic Gorgias in defensione Palamedis, asserit neminẽ gratis fœdum facinus committere, aut magno se obijcere discrimini: cuncta cunctos*

ctes facere, vel vt lucrum faciant, vel vt iacturã ne faciant. Saluianus Massiliens. lib. ad Ecclesiam: Numquid est vllus hominũ, qui non omnia quę fecit, vel salutis suæ, vel certè vtilitatis gratiâ faciat? nemo opinor. omnes enim ad affectum atque appetitũ vtilitatis suæ, naturæ ipsius magisterio atque impulsione ducuntur. Ideóque & qui militant, *&c. eleganter deinde id exemplis confirmat Apuleius Apolog. 1.* Scires omnium factorum rationes diligentius examinandas, ac sæpius causas quæri, facta concedi. eóque etiam patronos litigatorum CAVSIDICOS nominari, quod cur quæque facta sint, expediant. Ceterùm negare factũ facilis res est, & nullo patrono indiget: rectè factum vel perperã docere, id verò multò arduum & difficile est. frustrà igitur an factum sit quæritur, quod nullam malã causam habuit, vt fieret. Ita facti reus apud bonũ iudicẽ scrupulo quæstionis liberatur, si nulla fuit ei ratio peccandi.

278 Etiamnum nouam docet maritus coniugem] *quibus nunc Creusam, me olim, malis præceptis imbuit. sic autem in plerisq; libris. Moguntin.* etiam nunc nouas docet mar. coniuges. *veteres impressi Herbip. & Ven.* quicquid etiã nouas d. m. coniuges. *placet præ ceteris lectio scripti Mogũt.*

293 Parúmne temporis miseris] *sic quidam, melius alij*; Parúmne miseræ temporis. *adeóne durus es, vt miserrimæ muliercula exiguam fundendis lachrimis morulam deneges?* 298 Clarus] *Euripides*:

Si te aspiciet posterum Dei iubar
Ac filios tuos, intra huius terræ limites,
Moriere —— *Apud Attium Medea de his induciis ait*:
Ille trauersâ mente mihi hodie tradidit repagula,
Quibus ego iram omnem recludam, atque illi perniciem dabo,
Mihi mœrores, illi luctum; exitium illi, exsulium mihi.

300 Vocat precari] *admonet & vellit aurem, vt abeam ad Hymenæo preces offerendas, carmen etiam nuptiale concinendum.*

IN CHOR. II.

301 Audax] *de audaciâ primorũ nautarũ multa Oppian. Halieuticῶn α'. & Propert. lib. 3. eleg. in obitu Pæti. Sophocles etiam in Antiq. actu 2.*

πολλὰ τὰ δεινὰ, κοὐδὲν ἀν-
θρώπου δεινότερον πέλει.
τοῦτο καὶ πολιοῦ πέραν
πόντου χειμερίῳ νότῳ
χωρεῖ περιβρυχίοισι
περῶν ὑπ᾽ οἴδμασι. *&c.*

Plurima vbique stupenda videmus,
Sed nihil æquè stupendum atque hominem
Natura parens protulit vnquam.
Ille canas æquoris vndas,
Obruentibus ratem
Fluctibus, transire aquas, dum
Sæuit notis hyems proteruis.

 304 Cre-

304 Credidit] *Tibullus*: Prima ratem ventis credere docta Tyros.

308 Nimium gracili.] *Anacharsis cùm audiuisset nauis crassitudinem esse quattuor digitos*; tantùm, *inquit*, à morte absunt, qui nauigant.

302 Primus] *censent poëtæ primum Iasonem cum Argonautis nauigasse. Manilius lib.*1. ——— tum nobilis Argo

In cælum subducta, mari quòd prima cucurrit,

Seruando Dea facta Deos ——— *Ouidius*:

Per mare non notum primâ petiere carinâ.

& inde mutuatus noster infrà, versu 363.

Merces primâ digna carinâ.

idem Sallustius tradit apud Priscian. libro 6. idem quotquot Argonautica scripserunt, Græci quidem Orpheus Crotoniata, Epimenides, Cleon, Herodorus, Apollonius, Dionysius Milesius; Latini, Catullus, Varro Attacinus, & Valerius Flaccus. Quod tamen, si de naui longâ; verum non esse tradit Diodorus lib. 5. prius illam Danaus ex Ægypto adduxerat. sed & ratibus anteà nauigabatur. alia ergo alij. quidam primùm nauigasse Erythram, quidã Mysos, Dionysius Afer Ægyptios, Tibullus & Mela Phœnyces, Diodorus Cretenses. Seneca lib. de breuit. vitæ cap. 13. Romanis (*ait*) primus persuasit nauim conscendere Claudius, Caudex, ob hoc ipsum appellatus, quia plurium tabularum contextus, *caudex* apud antiquos vocabatur. vnde publicæ tabulæ *codices* dicuntur, & naues nunc quoque, quæ ex antiquâ consuetudine per Tiberim commeatus subuehunt, *caudicaria* vocantur. *Ceterum hunc integrum versum Diomedes libro 3. tribuit Horatio lapsu memoriæ.*

Vide Plinium lib. 7. nat. hist. cap. 56.

309 Nondum quisquam sidera norat] *nemo siderum leges & naturam exactè cognitam & perspectam habebat; quibus secunda, quibus aduersa nauigatio. & propterea subdit, nullum tunc stellarum, quibus cælum distinguitur & ornatur, vsum fuisse. erant sidera vtcunque nota, sed peritia astronomiæ necessaria nauigationi nondum aderat. Fauet huic expositioni Valerius Flaccus lib. 1.* Peruigil Arcadiô Typhis pendebat ab astrô

Agniades: felix, stellis qui segnibus vsus,

Et dedit æquoreos, cælo duce, tendere cursus.

vsus ergo ita primus stellis Typhis.

312 Pleiadas, Hyadas] *rarum in fine anapæstici poni dactylum, nisi hic dactylicus vers. potiùs. sic sanè legitur in libris omnibus: atq. ita Virgilius:*

Pleïades, Hyades, clarámque Lycaonis Arcton.

Pleiades, *iuxta Probum, Athlantis & Pleiones filiæ in cælum translatæ: etiam à veteribus* Pleïones, Peliæ, *&* Peliades *dictæ, ab Apollonio, Simonide, Pindaro & alijs: & quia πέλεια quoque columbam significat, factum vt propter significationis similitudinem Homerus, in descriptione Scyphi Nestorei, columbas pro Pleiadibus posuerit, cùm cecinit columbas Ioui ambrosiam pocillari; quod de his puellis accipiendum; vt & quæ similia prodiderunt Crates & Moero poëtria, docet Athenæus lib. 11. Conuiuij cap. 13. septem stellæ sunt caudæ Tauri inhærentes, vt scribit Plinius libro 2. nat. histor. cap. 41.*

Roma-

Romani Virgilias *nominant*, *auctore A. Gellio lib.* 13. *Noct. Attic. cap.* 9. *Proclus, sex tantùm esse contendit: earum nomina suggerent Aratus & Germanicus, apud quem mendosè legitur*, Mero, *pro*; Merope. *pluuiam prænunciant. Hilarius (vt puto alius ab illo magno Antistite Pictauorum) in Genesi:*

Anguis agit sudum: ast important Pleiades imbres.

an ergo hic rescribemus ——— pluuias Hyadas? *nihil affirmo.* Hyades *fuere aliæ septem Athlantis filiæ; quæ fratrem Hyam à leæna laniatum, sic defleuerunt, vt & nomen ab eo sortitæ, & astris illatæ, septem in tauri capite stellæ putarentur, Latinis* suculæ, *seu* hœdi *nuncupatæ. Septenarium tuetur numerum Aratus cum suis interpretibus: sex esse voluit Proclus, quinque tantùm Musæus & Hesiodus. Videndi de vtrisque Bassus Scholiastes Germanici, Apollonij Scholiast. in lib. 3. Apollodorus lib. 3. Biblioth. Higynus libro 2. astronom. Eustathius in Iliad.* ζ. *Probus in* 1. *Georg. & D. Isidorus lib. 3. Orig. cap. de stellis.*

313 Oleniæ sidera capræ.] *Amalthea; quæ Olenia ab oppido Oleno. quidam Iouis nutricem fuisse volunt. alij alia fabulantur. consule Higynum l.* 2. *Astronom. cap. de Heniocho. de hac Aratus ait:* Capram Oleniam quam fama est Ioui mammam præbuisse.

314 Flectitque senex] *cod. Moguntin.* deflétque senex *non malè. deflet vel crimen suum, vel filiæ luctum. sed non muto vulgatam, quæ perspicua & clara. Aratus:*

At post Helicen circumfertur auriganti similis
Arctophylax; quem quidem homines cognominant Bootem,
Quia plaustrum contrectare videtur vrsæ:

315 Tardus] *sic Bootem vocat Ouid.* 2. *Metamorph. at Iuuenalis & Claudianus, pigrum: Propertius, segnem. dicitur* Bootes, *quia more bubulci plaustrum subsequitur*; Arctophilax, *quod vrsæ custos videatur. fusissimè, quæ ad illum, Higynus libro* 2. *Astronom.*

321 Prolato pede] *Lugdunens.* prælato, *sed non placet. Plinius*: simul prolatis pedibus. *proferre pedem, est longius producere & laxare imam veli partem, non æqualiter, sed ita vt veli pars obliquetur. Cæcilius:*

Venerio cursu veni prolato pede vsque ad Saphonem. *Adeundus Turnebus lib.* 20. *aduersar. cap.* 4.

Pede] *Seneca lib.* 2. *de beneficiis:* Ingens copia est rerum sine nomine; quas non propriis appellationibus notamus, sed * aliunde commodatis. quia *pedem*, & nostrum dicimus, & lecti, & veli, & carminis. *De veli pede Lucianus*, ἢ ἐνδοῦναι ὀλίγον τοῦ πόδος. pedem paulisper accommodare. *Funis quo pes ligatur*, propes *dicitur, teste D. Isidoro lib.* 19. *Orig. c.* 4. *vbi adducit ista Turpilij:* Quasi cùm ventus fert nauim in mare secundus, si quis propedem misit, si veli sinistrum.

Membranæ melius; alienis commodatisq.

Tranuersos.] *non secundos planè nec à puppi, sed quasi ad latus flantes, ne flabri vehementia nauem subuertat.*

322 Medio tutas ponere malo] *hoc faciunt nautæ, quando vel non satis vehemens ventus, vel totum excipere nolunt: attollunt autem antennas*

cùm plenis velis auram volunt infundi, vt mox ait. Auidus *verò, hoc est, cupidus nimis corradendæ pecuniæ. fere namq. omnibus hæc per maria Neptuni commeandi caussa. Vnde Furius poëmatis apud Au. Gellium lib. 8. Noct. Attic. c.*11. Sicut fulica leuis volat super æquora classis

Spiritus Eurorum virides dum purpurat vndas:

Quo magis in patriis possint opulescere campis.

pro, patriis, *Nonius citat;* comptis, *puto mendosè.*

Timidè moneo apud Isidor. pro *siparo* scribẽdum *supparum*, vel *sipparum*.

328 Suppara] *D. Isidorus lib.19. Origin. cap.3.* Siparum, ait, genus veli vnum pedem habens, quo iuuari solent nauigia in nauigatione, quoties vis venti languescit. de quo Lucanus:

—— summáque tendens

Leg. *suppara.*

Sypara velorum perituras colligit auras.

quod ex separatione existimant nominatum. *est ergo linteum, quod malo annexum super vela antennamq. expanditur. Papinius Statius Siluar. lib.3.*

—— summis annectite suppara velis.

Locus Senecæ, qui citatur à Turnebo li.21. c.4. habetur epist.78. sed & supparũ, *muliebre ornamentũ inuenias apud Sidon. in Paneg. Anthemij v.326.*

Perque humeros teretes, rutilantésque lacertos

Pendula gemmiferæ mordebant suppara bullæ: *est & sianæ quoque, de quo lib. de Tragœdiâ actum: est & labari, reliquorumq. vexillorum apud Tertullianum.*

Velo] *noua & elegans velorum descriptio apud Cassiodorũ lib.5. varior.* Vela alas nauium facientia, linũ volatile, quidam spiritus currentium carinarum, prænuntia mercium, auxilia quieta nautarum; quorũ beneficio conficiunt ociosi, quod à celerrimis auibus vix probatur impleri. Hoc Isis rati prima suspendit, cùm per maria* Apochran filium suum, audaci femina pietate, perquireret. *Sed Plinius vela inuenisse Icarum scribit.*

*rescribe, [illegible].

332 Patrióque senex] *his omnino contraria & de nauigationis fructu eiusq. laudibus veriora Aristides in oratione Isthmicâ. In nostri tamen sententiam Schol. antiq. in Iuuenal. Sat.*14. Apollinis oraculo declaratus est felicissimus Aglas Areas; qui nunquam patrium agellũ excesserat; cùm à Deo quæreretur quis fidem veræ felicitatis implesset.

336 Traxit in vnum] *confudit, mare terra commiscuit, & quasi copulauit matrimonio, institutâ nauigatione. Manilius lib. 5. de natis sub sidere Argûs:* His ducibus cæco ducentur in æquore classes,

Et coit ipsa sibi tellus ——

336 Dissepti] *perperam hoc mutatum in Lipsicâ editione. Papinius* 10. *Thebaid.* —— disseptóque aggere. *dissepio idem quod septa disicio & diuido. Vnde Festo* dissepimentum διάφραγμα. dissepti *ergo, diuisi, distincti, in quo sua cuique rei loca & officia designata.*

338 Partémque metus] *Propertius de Pæti naufragio:*

Ite rates curuæ, & lethi texite causam.

Ista per humanas mors venit acta manus.

Terra

Terra parum fuerat fatis: adiecimus vndas.

Fortunæ miseras auximus arte vias. *addidit ergo genus humanum reliquis timoris sui caussis, naufragia & submersiones.* 341 Cùm duo montes] *Cyaneæ,* scopuli, *vt ait infrà,* vagantes, *seu, vt Claudianus vocat,* coëuntes; *inuicem enim crediti collidi, vnde dicti* Syndromides & Symplegades: *eos transmisêre Argonautæ, non sine periculo, colũbæ ducatu, iuxta Asclepiadem. Arrianus;* αὗται δὲ αἱ κυάνεαι εἰσὶν, ἃς λέγουσιν οἱ ποιηταὶ πλαγκτὰς πάλαι εἶναι, καὶ διὰ τούτων πρώτην ναῦν πέρασαι τὴν Ἀργὼ, ἥτις ἐς Κόλχους Ἰάσων ἤγαγεν. Sunt & ipsæ Cyaneæ, quas aiunt poëtæ erraticas olim fuisse, & primam omnium nauẽ per eas transiuisse Argo, quę in Colchos Iasonẽ vexit. *Pompon. Mela lib. 2. cap. 7.* contra Thracium Bosphorũ duæ paruæ sunt, paruóque distantes spació, & aliquando creditæ dictæque concurrere, & Cyaneę vocantur & Symplegades. *rectè,* creditæ. *non enim se res ita habuit; sed, quia ex aduerso spectantibus geminæ apparebant, si quis propè aberat; longius verò recedenti, & ad latus alterum deflectenti, vna videbatur; poëtæ ista confinxere.* Cyaneæ *à colore fusco;* Symplegades ἀπὸ τοῦ συμπλήττεσθαι, *à collisione: ab errore verò etiam* Planetæ *dictæ Timæo, & Pisistrato Liparensi, & Apollonio lib. 4. Erraticas creditas multi referunt: sed an erraticæ seu* Planetæ *dictæ, non constat. censet Hermolaus Barbarus, negat Pintianus ad d. cap. 7. Pompon. Vide de his Herodotum in Melpom. Strabonem lib. 1. & 3. Plinium lib. 4. cap. 13. & li. 6. cap. 12. Fabula, quam noster attingit, describitur copiosè ab aliis, Homero Odyss. μ'. Pindaro Pyth. od. 4. Apollonio lib. 2. Argonaut. Apollodoro libro 1. Biblioth. Ouidio lib. 15. Metamorph. Valerio Flacco lib. 4. & Ammiano Marcell. lib. 22. Noster,* claustra profundi, *vocat; quia maris Pontici aditum claudere videntur.*

348 Spargeret astra nubésque ipsas mare depressum] *olim rectè legebatur,* deprensum. *nam sic legit Bernardin. Gellius: sed quia mendosè cod. exhibebant,* deprehensum, *quod exstat in pleris m. s. & Venetis antiquis excusis, ideo Basileens. vt puto primi, posuerunt;* depressum. *incommodè. ait, quando hi scopuli collidebantur, in medio deprehensum & compressum mare sic exprimebant, vt eius guttæ in cælum ipsum exsilirent. Pro,* spargeret, *quod in reliquis est; solus Moguntin.* spergeret. *inde alij;* pergeret: *in quibus s, abesse puto vitio transcriptorum. simillima enim illa Herc. Fur. actu 5.*

——cúmque reuocatâ vice
In se coibunt, saxáque in cælum expriment,
Actis vtrimque rupibus, medium mare.

nec est quod aliam nobis imaginem quæramus sententiæ Senecæ. proba hæc, vera, germana. si quid mutandum; legerim, aspergeret.

347 Habenas] *metaphoricè pro clauo. Virgilius:*

——classique immisit habenas.

sic Varro, habenas animæ, *apud Nonium, vt dispungo;*

Detis habenas animæ leni;
Dum ventus vos, flamine sudo,

Suauem in patriam perducat.

349 Vocem perdidit Argo] *Diodorus lib. 4. Biblioth. à velocitate dictam vult, quasi ἀργὸν; Cicero Tuscul. 1. quòd Argiuos vexerit delectos viros; Apollonius lib. 1. & plerique ab Argo fabricatore. In cælum translatam, ponè canis caudam locant, Aratus & Cicero in Phænom. Carina eius vocalis; si credimus Sophocli in Trachin. Apollonio li. 1. 2. 4. Phylostrato in imagin. Lycophroni in Cassand. Æschylo, Luciano, Valerio, Claudiano; ex quercu Dodonæâ: de qua Ouidius libro 13. Metamorph.*

Vocalémque suâ terram Dodonida quercu.

Nam in eâ quercu duæ columbæ, aureæ siue atræ, vel quod verius, duæ mulieres; columbæ vocatæ, quia peregrè aduenerant, responsa reddebant. auctores Homer. Odyss. 14. & 19. & Æschylus in Prometh. vincto. vide Didymum in 14. Odyss. Pausaniam in Achaic. Herodotum in Euterp. Strabon. lib. 9. & Suidam. Sed Hesiodus garrulam istam carinam ex tiliâ confectam cecinit: Lucianus vult, in dialog. Amorum, ex fago, vt & Sophocles in Trachin. licet, in extremo fabulæ eiusdem, quercum nominet. nec tamen sibi repugnat. nam quercus quinque species sunt; quas ex Idæorum traditione Theophrastus his nominibus nuncupari scribit, ἡμερὶς, αἰγίλωψ, πλατόφυλλος, ἁλίφλοιος, seu, εὐτύφλοιος, & φηγὸς: de quibus Plinius lib. 16. Nat. hist. cap. 6. & 7. qui præterea Argo, ex arbore eone confectam scribit, similem robori viscum ferente, quæ nec aquâ nec igne corrumpatur, & auctorem laudat Alexandrum Cornelium, lib. 13. Nat. hist. cap. 22.

350 Siculi virgo Pelori] *degebat enim Scylla Phorci F. iuxta Siciliæ Pelorum promontorium. de qua verius ceteris, Apollonij Scholiastes in lib. 1. ista tradidit. in mari eminens esse promontorium, muliebrem formam vtcunque præferens: infra promontorium plurima saxa maxima concauitatibus & speluncis plena, quas marinæ incolũt belluæ. Et naues quidem, quæ conantur has petras effugere, à fluctibus in Charybdim impulsas, actutum cum mari ab eâ absorberi; quæ verò vitatâ Charybdi, impetu fluctuum in Scyllam compelluntur, ilicò à saxis confringi & cõminui. mox canes & alias feras spelæis egredi, ac miseros nautas deuorare. quia verò hæ belluæ ex imis cauitatibus saxorum emergentes sursum nituntur, qu[illegible] commissæ lateribus Scyllæ videntur. hinc natam & fabulam, & fabulosam Scyllæ formam: quam nos in Hercule Fur. meretricibus accommodauimus. nam & Anaxilas, facetus Comicus;* in Iuuencâ, *pulchrè Nanno, scortillum improbum, dicit Scyllam videri; quòd cùm duos iam amicos suffocarit, tertium venetur capere; Phrynen verò aliam Charybdim facit, quòd nauicularium cum ipsâ naui deglutierit. sic & Horatius, de quadam prostitutâ:*

O quantâ laboras in Charybdi

Digne puer meliore flammâ. *de his plura Schol. Apollonij ad vers. 825. & nos infer. in Thyest. ver. 580. in aduersar. Strabo libro 1. vult natam fabulam, eo quòd illa loca pyratis infesta sint: hoc enim Græca verba sonant; etsi non Latini interpretis.*

354 Toties vno latrante malo] *malè, Lugdun. & plerique;* tot, *pro,* toties.

toties. *malè Herbipolens.* immo. *ex quo errore Veneti, & eos secuti ceteri;* imo. *cùm sincerè in Eguiano, & Moguntin. manus. contineatur*, vno. *hoc est, vno monstro tot simul latratus edente, quot canibus Scylla succingebatur. Simile mendum repperi in illo, siue Damasi, siue Claudiani (non quidem Alexandrini, cui à nobis aliqua aliquando lux, & quem D. Augustinus & Orosius pertinacissimum paganum vocant; sed alterius Viennensis, cui* Mamercus *cognomen. Claudiano sanè tribuunt quædam collegij nostri Burdegalens. membranæ) de Christo epigrammate:*

—— latuitque sub imo
Pectore, qui totum latè complectitur orbem.

sic edidit Pulmannus. sed illæ membranæ; sub vno. *syncerè, eiusdem tertius à fine versus in excusis malè intelligi potest: at clarissimus in m.s.*

Purgatâ repetens lætum tellure parentem.

procliuè ex; tellure, *in;* te luce, *decidere.*

355 Diræ pestes] *Sirenes. de quibus nonnulla Lilius Syntagm.5. Affirmant esse in Indiâ Sirenes aues, quæ cantu homines demulcent & sopiunt, deinde lacerãt vnguibus. vide Edoard. Wottonũ li.7. de differ. animal. c.152. Izacius:* magis allegoricè, Sirenes sunt voluptates.

357 Cum pieria] *hac de re Apollonius in hanc sententiam:*

—— est insula protinus illis
Fertilis aspectu & florens. coluere canoræ
Sirenes illam, proles Acheloia; quarum
Dira lues cantus mortalibus exstitit ollis,
Qui mare sulcantes iecere ad litora funes.
Olim Terpsichore has Acheloo in luminis auras
Edidit: illa vna est Musarum. tum quoque natam
Cantabant Cereris formosam. tum quoque earum
Altera pars virgo fuit, altera rursus & ales.
E specula semper spectabant aduenientes.
In patriam reditu multi caruere per illas.
Fundere & his dulcem vocem cœpere. rudentes
E puppi fuerant iacturi ad litora; clarus
Filius Oeagri nisi mox, & Thracius Orpheus
Bistoniam manibus cytharam sumsisset, & aures
Sublimi cantu, cantu reuocasset ab illo,
Virgineámque chelym voce exsuperasset acutâ.

365 Aurea pellis.] *Phryxi arietem aureo insignem vellere ex Mercurij contactu Apollonius, Orpheus, Catullus, & plerique scribunt; Simonides aliquando candidum, aliquando purpureum vocat,* πορφυροῦν; *sed opinor more Græco, quibus albus color quandoque dicitur purpureus. Acusilaus maris contactu hunc purpureum colorem credit accepisse. Mythologiam tradit Dionysius Mytilenæus: Crion (sic vocant illi arietem) Phryxi pædagogum fuisse, & cum eo in Colchos nauigasse. addunt alij nauigij in prorâ pictam fuisse arietis effigiem, fortè auratam. plura Higynus in Fabulis cap. 188. &*

Lucillius Tharraus in Apollon. libro primo, versu 256.

362 Maiúsq; mari malũ] *Græcorum adagio,* Ignis, & mare, & mulier tria mala. *peior Medea. vnde Simocatus,* Sicut formidabiliora Medea & Phædra. 369 Terminus omnis motus] *perperam Saxonica editio;* notus. *ceteræ;* motus. *omnes inquit terminos maris ac terræ prima nauis transtulit.* 370 Nouos] *incognitis in terris nouæ vrbes ædificari cœptæ. quare vel hypallage, vel rescribendum;* Muros terrâ posuere nouâ.

373 Araxem] *Armeniæ fluuium, de quo Mela lib. 3. c. 5. poëtæ, Scythiæ faciunt: Metrodorus lib. de Tigrane. 1. credidit eũdem cũ Thermodonte. falsò. Rhenus & Albis noti amnes Germaniæ. vide Irenicum lib. 8. exeges. cap. 38.*

374 Venient annis secula seris] *post multa secula. Loquitur (vt puto) non de annis vertentibus, quales nostri, sed de magnis: quos alij vertentibus duobus autumant constare, alij quatuor, Chaldæi* XII, *Meton* XIX, *Philolaus* LIX, *Callippus* LXXVI, *Democritus* LXXXII, *Hipparchus* XXXIV. *Non tamen loquitur de anno maximo Platonis & Aristotelis, quem faciunt ex Hipparchi sententia* MM. CCCC. LXXXIV, *ex Arethæ, quinque millium quingentorum quinquaginta duorum; ex Lini, decem millium octingentorum; iuxta Dionem, tredecim millium noningentorum octoginta quattuor; iuxta Orpheum centum millium & viginti; ex Cassandri supputatione tricies sexies centum millium; ex aliorum denique infinitum. auctor Censorinus. Annus dictus D. Isidoro lib. 5. Orig. quia mensibus in se recurrentibus voluitur; vel ἀπὸ τοῦ ἀνανεοῦσθαι. ab innouatione. continuò quippe renouatur. Paullo pòst D. Isidorus annum diuidit in lunarem; qui triginta diebus constat, & solstitialem; qui continet duodecim menses, & magnum; qui omnibus planetis in eundem locum recurrentibus, perficitur. sed apertè magnum vocat, quem Censorinus maximum; solstitialem, quem alij vertentem. de his consule Lalamantium in libello de tempore & eius partibus.*

376 Vincula rerum] *similiter in consolat. ad Marciam cap.* 18. & vinculum terrarum Oceanus continuationem gentium triplici sinu scindens. *vinculum vocat, quia terras vt fascia videtur cingere.*

377 Pateat] *nunc incognita, & quasi latens.*

378 Nec sit terris vltima Thule] *De Thule, multa Fr. Petrarcha lib. 3. epist.* 1. *nota cunctis. Sed vnde hæc Seneca? an enthusiasmô poëticô? an potius quia legerat, quæ de incognito orbe Plato in Phædone tradidit, & quæ Silenũ Midæ narrasse, postea retulit Ælianus in variâ historiâ. Sanè non vana, si de Hispanis Hispanus. docent id America, Iaponia, & reliquæ insulæ; in quas arma miles victricia, nostri homines fidei lucem intulerunt. Peruram Bened. Arias, non futilibus argumentis notam Salomoni, regionem scilicet auri purissimi feracem Ophir* אופר *(quam Iosephus auream terram nominari scribit) probat, in præfatione suæ Geographiæ. Vide de hoc Senecæ fortuito vaticinio, ciuem meum, insignem Geographum, Abrahamum Ortelium in tab. Ind. Occidental.*

IN ACT. III.

380 Pedem] *quidam lib.* gradum.

381 Iras] *o.v.l.* iram. *excusi*; iras.

382 Entheos cursus] *furiosos, fanaticos.* ἔνθεος; *quasi* ἐντὸς θεὸν ἔχειν; *Deo afflatus & agitatus. sic Ouid. in tragœd. de hac eadem Medeâ, ni fallor:* Deum intra se habens.

Feror huc illuc, vt plena Deo.

apud Senecam patrem lib. 1. Suasoriar. noster aptè vsurpat Græcam vocem, vt & Statius, poëta Neapolitanus, non vt collegij Societatis Confluentini codex manusc. habet Tolosani, lib 1. Siluarum.

Hic thyrsos, hic plectra ferit, hic enthea lauro
Limina —— *Martialis vatum plectra vocat* entheata.

384 Pindi] *Thessaliæ montis, in quo solitæ bacchari Mænades. Lucan. li.* 1.

—— nam qualis vertice Pindi
Edonis Ogygio decurrit plena Lyæo. *&c.*

Nescio quid Lugd. & Basil. mouerit, vt excuderẽt, Pindi iugalis, *pro* niualis.

Nysæ] *Græci quidã* νύσαν, *alij* νίσσαν, *alij* νύσσαν *scribunt. Nyssæ porrò tam vrbes, quàm montes nominantur à Stephano & reliquis Geographis decẽ. hic agitur, vel de altero Parnassi vertice, vel de vrbe Indicâ, ad radices mõtis Meri; in cuius antro Dithyro Bacchus fuit educatus. Q. Curtius Ruffus (sic eum vocat Alb. Eybius in Margaritâ Poët.) lib. 8. de rebus gest. Alex.* Sita est (*Indiæ vrbs Nissa*) sub radicibus montis, quem Meron incolæ appellant. Inde Græci mentiendi traxêre licentiam, Iouis femine Liberum patrem esse celatum. *quod ab Arriano.*

386 Furoris ore signa Lymph. gerens] *iram vocat furorem. nam* ira furor breuis est, *vel Horatio teste. at quæ signa? luculentis ea verbis Seneca, lib. 1. de ira cap. 1.* Quidam itaque è sapientibus viris iram dixere breuem insaniam. æquè enim impotens sui est, decoris oblita, necessitudinum immemor, in quod cœpit pertinax & intenta, rationi consiliisque præclusa, vanis agitata causis, ad conspectum æqui veríque inhabilis, ruinis simillima; quæ super id quod oppressêre franguntur. Vt autem scias insanos esse, quos ira possedit; ipsum eorũ habitum intuere. nam vt furentium certa indicia sunt; audax & minax vultus, tristis frons, torua facies, citatus gradus, inquietæ manus, color versus, crebra & vehementius acta suspiria: ita irascentium eadem signa sunt. Flagrant & micant oculi, multus toto ore rubor, exæstuante ab imis præcordiis sanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subrigũtur capilli, spiritus coactus ac stridens, articulorum seipsos torquentium sonus, gemitus, mugitúsque, & parum explanatis vocibus sermo præruptus, & complosæ sæpius manus, & pulsata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnásque iræ minas agens, fœda visu & horrenda facies deprauantium se atque intumescentium. *similia habet lib. 2. de ira cap. 35. & lib. 3. cap. 3. & 4. hæc furoris ergo signa hoc loco inferius* veteris iræ notæ *dicuntur. sequentibus autem versibus irati habitus non ineleganter exprimitur.*

Lym-

Lymphati] *m.ſ. Moguntin. & excuſi Herbipolen. & tres Venet.* Lymphatici. 387 Citat] *melius fortaſſis;* Ciet.

388 Proclamat, ô Superi! oculos fletu rigat.] *interrumpere fletu ſermonem vix inchoatum oſtendit. vehemens hæc nota. non tamen improbo aliam illam quorumdam manuſc. lectionem:* Proclamat. oculos vberi fletu rigat. *ſed prior vehementior.*

389 Renidet] *ridet, gaudet, Lætatur. Horatius lib. 3. od. 6.*

——— & adiecisse prædam
Torquibus exiguis renidet.

Vide eo loci quæ Dion. Lambinus, & docebit originem Metaphoræ.

393 Non facile ſecum] *ſcelus meditatur grauiſſimum, & quod difficile cogitatu etiam atque aſſenſu ſiet. eſt autem iſta omnium excuſorum, plurimarum quoque membranarum lectio. quam cur mutes? nam qui recedunt m. ſ. ſiue illi;* ferū, *ſiue,* induit, *pro; ſecum, apertè vitioſi. non erit vllus modus non limes coniecturis; ſi ex deprauationibus ſchedarū omniū, ariolari pergamus.*

398 Imitare amorem] *cur amor modum non admittat, petenda ab Ariſtotele ratio libro 2. Ethic. Nicom. cap. 6. videlicet id inde prouenire; quia carnalis amor ex iis affectionibus eſt, quarum virtus regula eſſe non poteſt; mediocritas autem & modus affectionum à virtute dependet. ſunt enim affectiones & actiones multæ adeò flagitioſæ, vt nullo velo cohoneſtari queant: ſunt aliæ ſic reipsâ deteſtabiles, vt medium nullū admittāt; quia in extremo poſitæ. vitiis enim extremis adhiberi mediocritas non poteſt. non magis in extremitatibus medium, quàm in mediocritate exceſſum vel defectum inuenias: aliàs ei quod caret modo modus ineſſet, & exſuperationis foret exſuperatio. dicta hæc ad explicationem Terentij, Horatij, Propertij, quorū hîc dicta in aduerſ.*

401 Dum terra] *in perpetuum. iræ namq. ſuæ perpetuitatem neceſſariorum multorum accumulatione ſignificat. ſic in Oedipo:*

Lucida dum current annoſi ſidera mundi.
Oceanus clauſum dum fluctibus ambiet orbem.
Lunáque, *&c.*

actu 3. chor. ſic Lucanus libro 1.

——— dum terra fretum, terrámque leuabit
Aër, & longi voluent Titana labores,
Nóxque diem cælo totidem per ſigna ſequetur.

403 Numerúſque arenis deerit.] *quoad arenæ multitudo erit infinita: non re ipsâ, ſed noſtrâ ignoratione, qui numerare neſcimus, in ſe finitam & numero circumſcriptam, vt verè Archimedes in Pſammit. Quamuis enim Seleucus Erythræus & Heraclides Ponticus mundum, Diogenes & Meliſſus vniuerſum, infinitum actu eſſe dixerint, teſte Stobæo. eclog. Phyſ. 1. c. 25. alij etiam arenæ maris numerum, quos Archimedes refellit; reliqui tamen philoſophi, vt Ocellus, Timæus, Plato, Ariſtoteles id meritò improbarunt. Theologi quoque ſaniùs philoſophantes ne abſolutâ quidem Dei potentiâ infinitam quantitatem, ſiue continuam, ſiue diſcretam, dari poſſe cenſent; paucis reclamantibus. ſed hoc huius non eſt loci.*

405 Sic-

405 Siccas] *inoccidua enim nobis vrsæ: de quo alibi.*

409 Ionium] *dictum, teste Theopompo, ab Ionio Illyrio, vel iuxta alios, ab Ionis errroribus.*

412 Pontúsque] *Euxinus: in quo Corus seu Argestes flans ab occasu solstitij æstiui procellas & tempestates excitare solitus.*

427 Mecum ruina, &c.] *rectè ergo alibi noster; iratos ruinis simillimos, quæ super id quod oppreßère franguntur. tale illud apud Dionem:* Me moriente terra misceatur incendio.

428 Trahere cùm pereas] *indicabo varietatem lectionis. sic ceteri, præter Moguntin. qui,* nubere, *pro* trahere; *& duos Venetos, qui;* agere. *minus vtrique rectè.*

430 Nemo potentes] *quia, vt Homerus censet, semper plus potest Rex, quando viro inferiori irascitur.*

439 Sancta] *Astræa in cælum recepta, pro Deâ colebatur. ideo sanctam vocat. proprium enim hoc Deorum epithetum. vide Brisson. lib. 1. de Formulis pag. 49. consistit in duobus potißimùm sanctitas, munditiâ & firmitate: (vide D. Thom. 2. 2. q. 81. a. 8.) quid autem Deo purius, quid firmius? ipsa ille munditia, ipsa firmitas, ipsum robur: sed hæc in Deo, non nisi Deus.*

446 Totus in vultu est dolor] *vultus dolorem integrum, quantus quantus est, exprimit. nihil illa necesse est iram profiteatur, ex vultu manifestè deprehendas. Dolorem pro irâ etiam Herc. Oet. actu 2. & Agamemn. actu 2. posuit. Quàm verò certa ex toto corpore, vultu maximè, animi affectionum indicia colligantur, cumulatè docuit Bened. Arias Montanus lib. cui titulum indidit Ieremiam, seu de actione.*

452 Patriúmque regnum] *Euripidis locus similis, hic:*

Quo nunc me vertam? num ad patris domum,
Quam tibi cum patriâ prodens huc appulsa sum?
Num ad miseras Peliadas? me sanè egregiè
Tectis accipient; quarum mactaui patrem.

Quæque paternus cruor] *Douza Iunior castigauit;* quæne fraternus cruor *&c. ad ista Catulli:*

An patris auxilium sperem? quémne ipsa reliqui
Respersum iuuenem fraternâ cæde sequuta?

453 Quas peti terras iubes] *citantur hæc verba à Fabio libro 9. Instit. Orat. cap. 2. Senecæ nomine, ἁπλῶς. quod de alio quàm philosopho minimè accipiendum. est autem hæc interrogatio apta concitandæ inuidiæ, ex iis, quæ responsione carent. multiplex enim interrogatio. nam vel instamus eâ; vel commiserationem aut inuidiam mouemus; vel ridemus; vel scire aliquid cupimus, quod nescimus.*

457 Iolchon] *sic Græci, non* Hiolchon, *vel* Hiolcon.

Thessala tempe] *Tempe dicta, quæuis situ amæna loca; quædam Boeotiæ, quæ Teumeßia; quædam Siciliæ, quæ Eloria; quædam Thessaliæ, quæ simpliciter Tempe vocari consueuère à scriptoribus: describuntur ab Æliano lib. 3. var. hist. in princ. & Ouidio lib. 1. Metamorph.*

465 In-

465 Ingratum caput] *quidam lib.* ô ingratum caput.

467 Reuoluat animus] *petit ab Iasone vt accepta beneficia in memoriam reuocet; quasi ab oblito: quæ summa ingratitudo. Seneca li.3 de benefic.* Ingratus est, qui beneficiũ accepisse se negat quod accepit: ingratus, qui non reddit: ingratissimus omniũ qui oblitus est. *quod deinde pergit probatum.*

466 Igneos tauri halitus] *de quibus Euripides:*

Seruaui te; quod sciunt omnes Græcorum Principes,
Quicumque tecum conscenderunt Argoam ratem;
Cùm missus esses vt tauros igniuomos
Iugis domares ferreis, & aruum sereres lethiferum;
Dracon*é*mque, qui obseruans vellus aureum
Custodiebat, flexuosis formidandus orbibus
Peruigil, occîdi: quò vita esses incolumi.

470 Terrigena miles] *Obseruaui Iasonem seminasse dentes draconis, non illius Colchici, sed eius quem Cadmus prius in Boeotia occiderat. Nam Apollonius in 3. & Pherecydes in 7. scribunt, Boeotij illius dentes æquis partibus à Mineruâ diuisos Cadmo & Aeethæ: hos Aeethas Iasoni seminandos dedit. Hunc draconem Pherecydes & Herodorus autumant occisum ab Iasone; Antimachus verò, Apollonius & Valerius dumtaxat veneficiis Medeæ consopitum memorant. Lysimachus in Thebaicis, & Hellanicus in li.1. Phoronid. scribit Cadmum volente Marte dentes seminasse, & enatos quinque viros arma quatientes, Vdæum, Chronium, Pelorum, Hyperionem, & Echionem. Pherecydes lib.5. & Apollonius lib.2. plures censent fuisse, sed hos tantùm quinque superfuisse; cùm reliqui iacto à Cadmo lapide rati vnusquisque id ab alio factum, mutuis vulneribus concidissent. Sidonius etiam in carmine ad Felicem superiora omnia Medeæ in Iasonem beneficia refert:*

Formâ percita cùm ducis Pelasgi
Molliret rapidos virago tauros,
Nec tum territa; cùm suus colonus,
Post anguis domiti satos molares,
Armatas tremebundus inter herbas
Florere in segetem stuperet hostem,
Et pugnantibus hinc & inde aristis
Supra belliferas madêre glebas
Culmosos viridi cruore fratres.

Hi fratres etiam Spartiatæ *olim vocati. Lactant. lib.3. cap.4.* pereunt igitur vniuersi hoc modo, & tanquam Spartiatæ illi poëtarum, sic inuicẽ iugulant, vt nemo ex omnibus restet. *iidem Græcis σπαρτοὶ, & Euripides in Phœnyss. & Æschylo in Sept. ad Theb. & ex Hippy Delio & Atrometo Scholiastes Apollonij in lib.3. versu 1184. Sed & Latinis,* Sparti. *Ammian. li.19.* Quo exemplo terrigenas illos, non finibus terræ emersos, sed exhuberanti pernicitate credimus natos; qui quoniam inopini per varia cernebantur, *Sparti* vocitati, humo exsiluisse, vetustate vt cetera fabulosius extollente, sunt æstimati. *Lactantius vocat* præseminatos *libro 6. Instit.*

Instit.cap.10. ab his sparta origo, iuxta Stephanum, & ab his oriundi Spartiatæ Lacones, iuxta Timagoram, licet alij à Sparto Phoronei filio denominēt.

471 Adiice] *lege* adice, *more Manilij, Martialis, aliorum, primâ correptâ. Vide Lud. Carrionem comment. in lect. antiq. cuiusmodi multa noster exempla paßim suggerit.*

472 Somnóque iuſ.lum.ignoto] *Ouidius hac ipsâ de re lib.7. Metam.*

——— ſomnus in ignotos oculos venit ———

473 Inſomne monſtrum] *Ouidius in epist. Medeæ:*

Lumina cuſtodis ſuccumbere neſcia ſomno
Vltimus eſt aliquâ decipere arte labor.

idem tradit Apollon. libro 2. Noster Dracones semper insomnes, vel vigiles, vel quid tale significantibus nominibus vocat. meritò. nam ab acutißimo visu, παρὰ τὸ δέρκεσθαι δράκων. ideo Phidias Palladis statuæ draconem apposuit, poëtæ hortis Hesperidum, & aureo Aëthæ pecori.

477 Alienáque] *Herbipol. & Venetus Pinciani, & alius Capcasæ, cui Daniel Caietanus præfuit emendando;* Aliena ſequens. *non melius. Critici inquiunt, Fortius multo scripturos & interrogando prolaturos;*

Aliena ſequeris regna? deſerui mea.

idq́; probè probum putant. fateor, sententiâ non incommodâ. sed an non, alias Lyncei, aduertitis ἀταξίαν? quouis modo legas; fidenter dico, non suo loco posita. Credidi iampridē hunc versum statuendū infrà post 486. hoc modo;

Niſi fratris artus. hos quoque impendi tibi.
Aliena ſequens regna, deſerui mea.
Tibi patria ceſſit, *&c.*

Sed repugnat lex carminis: quia secunda syllaba pyrrhichium reijcit, vel Senecæ saltem id inconsuetum. crediderim ergo Senecam; Aliena ſectans, *scripsisse; post ex glossemate irrepsisse;* ſequens. *denique recentiores, tibicinem addidisse stabiliendo carmini;* Alienáque ſequens.

481 Per cælum & vndas] *sequitur eos, qui in mari demum celebratas Iasonis & Medeæ nuptias volunt: de quo alibi. perperam Lugdunens.* per cælum, per vndas.

484 Indiæ] *de Indoscythis agit, quos Gedrosiæ & Arachosiæ Ptolomæus opponit.* 486 Ornamus auro nemora] *propter vellus aureum. Alioquin Plinius de Soanis gente Colchica scribit, eorū regi fuisse aureas cameras, trabes, columnas, & parastatas argenteas. Turditanis Strabo præsepia argentea tribuit.* 490 Perimere] *idem Creo dixit sup. ver. 186. estq́; ex Euripide desumtum.* 494 Grauis ira regum eſt] *Pindarus:*

——— ira
Non innoxia
Exiſtit filiorum Iouis. *hoc est Regum.*

495 Præſtas Creuſæ] *benè illi consulis pellicem me remouendo, ne noceam nouæ nuptæ. hoc* præſtare, *&* præſtationes *in libris iuris. Porrò quam, vt noster, Propertius & Ouidius, Creusam; Euripides, Apollodorus, Athenæus, Libanius, Glaucam vocant.*

502 Solus tuere] *apud Ouidium ait:*

Vt culpent alij, tibi me laudare necesse est;
Pro quo sum toties esse coacta nocens.

505 Retinenda non est] *Seneca lib. 2. de benefic.* Quod pudet debere, ne acceperis. *hoc malo occurrere est: hic; postquam acceperis, quid tum faciendum, præscribit.*

509 Regina] *actum agunt, qui hîc monent, hunc versum Iasoni, sequentem Medeæ tribuendum. viderat hoc olim Oblanca. atque ita veteres impreßi omnes, ipsi etiam Lugdun. error in Lipsiens. primùm editionem irrepsit.*

512 Phœbi nepotes] *hoc est, posteros. nam erant Aeëthæ nepotes, & Creontis nepotibus miscendi. Creon autem Sisyphi, Aeëthes solis filius.*

517 Nos confligere, certemus, sine] *sic o. l. quos vidi manusc. sic omnes excusi præter Basileens. in quo;* nos conflige certemus sine, *& in margine;* confugere. *mendosè. illa altera etiam videtur reijcienda. Non propter sententiam, vel phrasim. proba enim. sine (ait) nos confligere, certemus hinc ego, inde Acastus cum Creonte. cedat Iason victori. Nullum in phrasi vitium;* sine confligere, certemus. *foret, si legeretur sine dispunctione,* certemus confligere. *sed quis ita censet? vitiũ in versu. nam quartâ in sede anapæstus, contra legem metricam. quare vnius litterulæ mutatione, fulcio:*

Medea. Non conflige. certemus sine.

tu sede spectator pugnæ futurus. ego cum hostibus sola congrediar. mihi bella posco: tibi spectaculum præbebo.

538 Si quid ex soceri domo] *ex Euripide, apud quem huiusmodi:*

Tu si quid velis liberis aut fugæ tuæ
De meis facultatibus subsidij accipere,
Dic. id enim benignâ promtus dabo manu.

554 Ne si qua] *Medea apud Euripidem:*

——— peto, vt si quid te dictis offenderim
Ignoscas ———

553 Gratum est] *frigidum sanè. sed personarum interiectione subueniebam.* IAS. Gratum est. MED. & illud, *&c.*

559 Miserias lenit quies] *leniores videntur miseriæ si leuiter illas ferat, nec querendo exasperet: augescunt iracundiâ & impatientiâ. Horatius:*

leuius fit patientiâ
Quicquid corrigere est nefas.

idem de senectæ incommodis censuit Anaxandrides his verbis:

οὔτοι τὸ γῆρας ἐστιν (ὡς οἴει πάτερ)
τῶν φορτίων μέγιστον, ἀλλ' ὃς ἂν φέρῃ
ἀγνωμόνως αὔτ' οὗτός ἐστιν αἴτιος.
ὁ δ' εὐκόλως, ἐνίοτε κοιμίζειν ποιεῖ,
μεταλαμβάνων ἐπιδέξι' αὐτοῦ τὸν τρόπον,
λύπην ἀφαιρῶν, ἡδονήν τε προστιθείς.

Non est senectus (vt tu opinaris pater)
Onus grauissimum, sed impatientius

Qui

Qui fert, sibi ipse est auctor mali:
Patienter atqui, sibi quietem comparat,
Dum dextrè eius moribus se accommodat:
Nec ille solum detrahit molestiam,
Accersit aliquam sed voluptatem sibi.

Ouidius eleg. 1. *lib.* 2.

——— leue fit quod benè fertur onus.
Vidi ego iactatas motâ face crescere flammas,
Et vidi nullo concutiente mori.
Verbera plura ferunt, quàm quos iuuat vsus aratri;
Detrectant pressi dum iuga prima boues.
Asper equus duris contunditur ora lupatis;
Frena minus sentit, quisquis ad arma facit.

Seneca libro 3. *de Ira, cap.* 16. Omnis indignatio in tormentum suum proficit, & imperia grauiora sentit, quò cõtumacius patitur. sic laqueos fera dum iactat, astringit: sic aues viscum dum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illinunt. Nulli tam artum est iugum, quod non minus lædat ducentem, quàm repugnantem. Vnum est remedium malorum ingentiũ, pati & necessitatibus suis obsequi. *In eandem sententiam quadam epist.* 108. *at exempla plurimorum, qui mala placidè ferendo edulcarunt, refert idem lib. de consolat. ad Marciam, à cap.* 12. *vsque ad cap.* 17. *Et Hegesippi illud dignum memoriâ:* Nihil tam exasperat feruoré vulneris, quàm ferendi impatientia. *libro* 2. *de Excid. Hieros. cap.* 9. *& addit similitudinem quam paulo antè ex nostro:* In agrestibus feris artissima vincla si se excitent, imprimuntur; si quiescant, relaxantur.

Lenit] *quidam, sex excusi*; leuat.

562 Hoc age] *loquelare verbum: quo sacrificantes & sacrificio adstantes monebantur, vt, curis aliis exclusis, huic vni rei animo attenderent. formulæ mentio fit apud Senecam lib.* 1. *de clementia; vsum & significationem Plutarchus tradidit in Numâ, & in Coriolano. videndus adagio,* hoc age, *& Brisson. libro* 1. *de formul. noster actu* 5.

——— hoc age & faxo sciant. *Item:*
Nunc hoc age anime. non in occulto, *&c.*

566 Quicquam] *nonnulli*; Fraudem.

567 Quicquid potes med. q. n. potes] *pro*, potes, *m. s. Moguntin. Herbipolensis excusus & tres vet. Veneti*; potest.

570 Palla] *De hac Euripides:*

——— quam olim Sol
Pater patris dat suis nepotibus.

commemorantur autem hic tria dona, palla, monile, & aurum crinale.

IN CHORVM.

580 Teli torti] *Fulminis. Narrat Chorus quantus dolor sit vxoribus, virorũ adulterium: Quas etiam pœnas violati maris primi nautæ dederint.*

581 Quanta cum coniux] *Euripides:*

Mulier alioquin formidolosa & timida
Inutilisque ad pugnam vix intueri ferrum sustinens;
Si læsa thori fide violatâ furit:
Non est alia mens magis sanguinaria & crudelior.

585 Iunctos vetat esse pontes] *rumpit impetu fibulas, pilas, & compages pontium. Non displicet mihi scriptura Moguntini cod.* Vinctos v.e.p.

587 Rhodanus] *notus amnis Lugdunensis Galliæ, quem accuratissimè describit Ammianus Marcellinus libro 15. vbi Ararim*; Sauconnam *dicit vocari, melius fortassis legeretur*; Saonnam. *De ostiis eius non consentiunt, Polybius & Ptolomæus, duo faciunt; Artemidorus & Plinius, tria; Diodorus & Timæus, quinque; prudenter Liuius scribit pluribus in mare ostiis diuisum incurrere. Vide Strabonem libro 4.*

Impellit profundum] *quia* rapido concitus (*ait D. Isidorus lib. 13. Origin. cap. 21.*) cursu Tyrrheni æquoris freta scindens, non modicum sæpe nauigantium facit periculum, dum inter se maris fluxus & amnis fluenta decertant.

Superū vetat mediam regionē, alias falsa.

588 Niuibus solutis] *Agricola libro 1. de ortu & caus. subterraneor.* Halitu (*inquit*) in aëre supero refrigerato, triplex ille humidi fœtus exsistit. nam si mediocriter frigescit, gignitur aqua; sin valde, nix; sin in diuersis locis diuerso modo, hoc est, in superiori mediocriter, in inferiori vehementius, grando. *Sed hoc minus accuratè. potiùs differunt, quia ex vapore frigido & humido, seu nube in mediâ regione aëris densatâ, immediatè fit pluuia, quando nubes congelationem non patitur; si congeletur eadem aqua, ex eâ grando gignitur; at si vapor constringatur frigore priusquam in aquam conuertatur, nascitur nix. alij aliter: ego hæc veriora puto. Vide Aristotelem libro 1. Meteor. cap. 9. & 10. Senecam lib. 4. nat. quæst. à cap. 3. Plinium libro 2. nat. quæst. cap. 38. & 42.*

591 Ignis] *Amor.*

599 Agitare] *quid. manusc.* rogitare.

600 Iuuenis] *Phaëton. fabulam Lucianus libro de astrolog. ad mathematicas causas; Lucretius verò libro 5. ad naturales conatur reducere. Ille scribit Phaëtontē Solis cursum deprehendisse, non perfectè; sed imperfectam artem, quia morte immaturâ præuentus, reliquisse. Lucretius, vt diluuium, sic & ecpyrosim quandam regnante Phaëtonte comminiscitur libro 5.*

Cùm semel in terrâ fuerit superantior ignis,
Et semel (vt fama'st) humor regnarit in aruis.
Ignis enim superauit, & ambens multa perussit;
Auia cùm Phaëtonta rapax vis solis equorum
Æthere raptauit toto terrásque per omnes.
At pater omnipotens, ira tum percitus acri,
Magnanimum Phaëtonta repenti fulminis ictu
Deturbauit equis in terram: Sólque cadenti
Obuius, æternam suscepit lampada mundi,

Dis-

Disiectósque redegit equos, iunxítque trementes,
Inde suum per iter recreauit cuncta gubernans:
Scilicet vt veteres Graiûm cecinere poëtæ.
Quod procul à verâ 'st animi regione repulsum.
Ignis enim superare potest vbi materiaj
Ex infinito sunt corpora plura coorta:
Inde cadunt, vires aliquâ ratione reuictæ,
Aut pereúnt res exustæ torrentibus auris.

Diuus Cyprianus, vel, vt rectius alij, Tertullianus, ab historiâ natum commentum voluit, scilicet à Pentapoleos incendio: postquam enim, in Sodomâ, *flammas illas vindices nefandæ fœditatis descripserat, addit:*

Hinc habet in falso de vero fabula famam,
Solis progeniem currus optasse paternos:
Nec valuisse leuem puerum frenare superbos
Ignis equos: arsisse orbem: tunc fulmine raptum
Aurigam, illicitum planctum mutasse sorores, *&c.*

605 Violenta] *sic perperam Lugdun. ceteri rectè;* violente.

609 Pelion] *ex Pelio Thessaliæ monte excisa materia ad Argo exstruendam; Ennius:* Vtinam ne in nemore Pelio securibus
Cæsæ cecidissent abiegnæ in terram trabes.
idem docet Euripid. Medeæ initio.

612 Religauit] *rediturum dixit non* ligasse, *sed* religasse *funem: hoc est, soluisse nauim. ligare autem funem, est anchoram iacere, seu, vt ille loquitur, anchoris nauim fundare.*

617 Tiphys] *subitò, clauum manu tenens, mortuus, teste Valerio Flacco lib. 3. sed incertum an id antequam Colchos peruenirent Argonautæ, an in reditu. quia Nymphis & Herodorus dissentiunt, vt refert Schol. Apoll. in l. 2.*

618 Indocto] *Secundùm Simonidem, Apollodorum, Athenæum, Higynum cap. 14. Ancæo: iuxta Theotimum & Pindarum, Euphemo: iuxta Herodorum, Apollonium, Valerium, Ergyno Neptuni filio. quod mihi amplius placet. hunc Ergynum postea interemit Hercules, teste Apollodoro lib. 2. Caue cum Argynno confundas Agamemnonis, de quo Propertius:*

Sunt Agamemnonias testantia litora curas,
Quæ notat Argynni pœna natantis aquæ.
Hoc iuuene amisso classem non soluit Atrides.

cuius historiam narrat Athenæus libro 13. fallitur luculenter N. qui Senecam à Propertio, & Propertium à Senecâ mutuam lucem iubet accipere. nam à nostro non Argyni, sed Tiphys mors describitur. diuersi etiam Ergynus, & Argynus. Agamemnonius ille iuuenis vnus Argonautarum fuisse nō potest, nec alter Argonauta ab Atridâ amari. vix natus Agamemnon, quando hic in Tiphys locum suffectus. bellum sanè pupulum fuisse oporteret, sed iis similem qui de ponte deturbabantur: imo tam non hominem, sed cadauer. prius enim ab Hercule interemptus, quam Helena rapta, lento Græciam barbariæ duello collisit. Ceterùm pro; externo. *Moguntin.* extremo.

622 Aulis] *Euboeæ portus, periculosa nauium statio, teste Strabone lib. 9. dictus ab Aulide Euonymi F. Cephißi N. vel quòd in eo cunctati Græci ἀπὸ τοῦ αὐτόθι αὐλισθῆναι καὶ κεῖναι Ἕλληνας, auctore Eustathio. noster ad hanc Etymologiam, vel causam potius allusit inquiens,* portubus lentis retinet. *ideo etiam Lucanus lib. 1. Aulida vocat iniquam claßibus.*

625 Ille vocali] *Orpheum volunt omnes Phœbi filium: in his Charis, his versibus:* Pieres acerbam vindicarunt iniuriam,
Orpheum occidentes Apollinis carum filium.

631 Ad caput tractus fluuialis Hebri] *solœcum inuexere typographi Saxonici, dum excuderunt:* At caput tractu' fluuialis. *quis enim credat vllum Criticum sic reposuisse, pro eo quod omnes libri continent:* Ad caput tractus. *vult Orpheum à Traciis mulieribus occisum (quas Pieres vocauit Charis) & caput absciſſum in Hebrum proiectum. Phanocles apud Stobæum sermone 62. sic narrat:*

τὸν μὲν Βιστονίδες κακομήχανοι ἀμφιχυθῆσαι
ἔκτανον, εὐμήκη φάσγανα θηξάμεναι.
τοῦ δ' ἀπὸ μὲν κεφαλὴν χαλκῷ τάμον, αὐτίκα δ' ὑπὴν
εἰς ἅλα Θρηϊκίην ῥίψαν ὁμοῦ χέλυϊ:
ἥλῳ καρτύνασαι, ἵν' ἐμφορέοιντο θαλάσσῃ
ἄμφω ἅμα, γλαυκοῖς τεγγόμεναι ῥοθίοις.
τὰς δ' ἱερῇ Λέσβῳ πολιὴ ἐπέκελσε θάλασσα.
ἠχὴ δ' ὡς λιγυρῆς πόντον ἐπέσχε λύρης,
νήσους τ' αἰγιαλοὺς θ' ἁλιμυρέας, ἔνθα λίγειαν
ἀνέρες Ὀρφείην ἐκτέρισαν κεφαλήν.
ἐν δὲ χέλυν τύμβῳ λιγυρὴν θέσαν ——
Eum Bistonides mala molientes ei, circumfusæ
Occiderunt, enses longos acuentes:
Amputarunt igitur eius ære caput, & statim vnà cum
Testudine in mare Threicium abiecerunt
Clauo affigentes: vt per mare veherentur
Ambo simul, glaucis madida vndis:
At verò ad sacram Lesbum admouit canum mare.
Edebatur autem per mare sonitus velut argutæ lyræ,
Pérque insulas, & litora salsa. ibi vocale
Viri Orphei sepelierunt caput,
Testudinem autem in tumulo posuerunt argutam.

Virgilius 4. Georg.
Tum quoque marmoreâ caput à ceruice reuulsum
Gurgite cùm medio portans Oeagrius Hebrus
Volueret; Eurydicen vox ipsa & frigida lingua,
Ah miseram Eurydicen, animâ fugiente vocabat:
Eurydicen toto referebant flumine ripæ.

Ouidius: ——caput Hebre lyramque
Excipis, & (mirum) medio dum labitur amne;

Fle-

Flebile nescio quid queritur lyra, flebile lingua
Murmurat exanimis ——

Silius libro 11. belli Punici:

O diræ Ciconûm matres Geticique furores,
Et damnata Deis Rhodope. tulit ora reuulsa
In pontum ripis vtrimque sequentibus Hebrus.
Tunc quoque cùm ripis caput à ceruice recisum
Portarent fluctus, subitò emicuere per vndas
Ad murmur cetæ toto exsultantia ponto.

Statius lib. 2. Siluarum:

Sic ripis ego murmurantis Hebri
Non mutum caput Orpheos sequebar.

Idem eleganter prosequitur veteribus poëtis par Hieronymus Amaltheus in Od. ad Maximilianum Imp. quæ exstat libro 1. carm. illust. Poëtar. Italorum. Vide plura inf. Thyest. 728.

632 Notam] *quam prius adierat repetendæ vxoris gratiâ.*

633 Aquilone natos] *Boreæ filios Zethem ac Calaim. Proper. li. 1. El. 20.*

Hunc duo sectari fratres, Aquilonia proles,
Hunc super & Zethes, hunc super & Calais.

Occidit eos Hercules in Teno insulâ, & ad rei memoriam sepulcro duas columnas imposuit, quarum alteram ferunt flante Boreâ solitam moueri. caussam necis prodit Apollonius, quod Argo nauem in Mysiam, Herculis recipiendi causâ, redire prohibuissent: Nicander, quod pater illorum Boreas Herculem in Co insulâ tempestate afflixisset: Stesimbrotus, quia cum Hercule de datis ab Iasone muneribus contendissent: Ænesydemus, quòd exceptum hospitio Herculem conati fuissent occidere. Vide Scholiast. Apollonij in lib. 1. à versu 211. & versu 1300.

635 Patre Neptuno] *de Periclymeno multa ex Asclepiade, Euphorione, Hesiodo & aliis, Apollonij Scholiast. in libro 1. versu 156. Hesiodi versuum sensus hic est:*

—— Periclymenumque superbum,
Felicem, cui dona dedit præstantia quondam
Neptunus. volucres inter fit namque volucris,
Tum fit rursus apis, rursus (mirabile visu)
Formica apparet, rursus fit frigida serpens.
Munera multa habuit, quæ singula dicere non est.
Denique principium cædis, caussæque fuerunt,
Pallas vti monuit ——

643 Ancæum] *sic semper vocat Apollonius, cuius Scholiastes in libro 1. ver. 188. multa de hac cum apro funestâ pugnâ. vbi etiam docet ab eo natum Prouerbium. Multa incidere inter calicem & labra summa; Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος, καὶ χείλεος ἄκρου. de eodem Ancæo agit initiò lib. 2. Porro nostri carmen imitatur Boëtius; multa quoque alia ex hoc choro mutuatus:*

Strauit Ancæum (*sic lego*) Libycis arenis.

648 Puer]

648 Puer] *Hylas. Apollonius & Valerius tradunt Argonautas, dum Hercules moram trahit in quærendo Hylâ, præ tædio exspectationis, illum in Mysiâ deseruisse; Hesiodus, in Magnesiâ. Aliam quoque alij causam relicti Herculis tradunt. Posidippus, Pherecydes, Antimachus, veritos ne mole Herculis nauis tandem deprimeretur: Ephorus suâ sponte apud Omphalem Lydiæ reginam mansisse. Omnia hæc refellunt Demaratus, Diodorus, & Dionysius Mitylenæus. nam censent eum ad Colchos vsque cum Argonautis nauigasse. De raptu Hylæ, deq; parente par incertitudo. Apollonius & Valerius ab vnâ nymphâ raptum; Theocritus à tribus; Nicander & Orpheus à pluribus. ceteri veriùs, cùm aquam hauriret incidisse in fontem, eoq; non comparente factum locum fabulis; in his Onazius lib. 1. Amazonicor. Strabo lib. 12. & Solinus in Polyhist. Hylam Apollonius & Mnaseas faciunt Theodamantis filium, Euphorion Euphemi, Hellanicus Theomenetis, Socrates in lib. ad Idotheum ipsius Herculis. qua fretus auctoritate Balbus Liliensis Annotatione 20. in Valer. Flaccum, illud è lib. 4.*

Socrates iste, vt puto, Socrates iunior est, de quo Aristoteles & Alex. Aphrodisæus lib. 6. Metaphys. cap. 11. si modo ipse commentariorum auctor, & non Alexander Ægaeus.

——— natique pios miseratus amores,

ad paternum Herculis erga Hylam affectum refert. Velim verè, & turpem hanc notam à forti Heroë amoliri possemus. sed ipse Valerius eos amores, vt minimè paternos describit: & mihi persuadeo, illum quisquis est, Socratem, Hyllum Herculis & Deianyræ filiū (de quo in Herc. Oetæo) cum Hylâ Herculis armigerulo confudisse. pios *ergo posuit, pro gratis & erga benè meritum officiosis. sæpe enim Latinis pietas gratitudinem quamcunque significat. Vide Paul. Manutium in Cicer. ad Famil. lib. 1. epist. 1. & 9. & lib. 2. epist. 6. De Hylâ, quæ diximus & alia, Scholiast. Apollonij in vers. 1207. 1237. & 1290.* Irrepertus] *Moguntin. Herbipolens. & tres Veneti*; interemptus.

650 Perarate] *Moguntin.* peragrate.

652 Idmonem] *Apud Apollonium suam mortem prædicit:*

At mihi emori odiosi dæmonis fato
Procul sancitum est in Asidis continente.

Mortuus enim apud Mariandynos. Vide Scholiast. Apollonij in lib. 1. versu 139. & 475.

654 Verax] *Vates enim certissimus & conijciendi optimus, vt probat Strabo lib. 9. Geogr. & lib. 14. Apollon. lib. 4.*

Ibi & Ampycidem die illâ Mopsum
Crudelis mors abstulit. amarum verò non vitauit fatum
Vaticiniis. non enim aliqua est euasio mortis.

657 Qui verè] *Moguntin. Herbipolens. & antiquissimus Venetus Marmitæ*; si verè.

658 Igne fallaci] *Nauplium Palamedis patrem, quod Andocydes, in Orat. Vlyssis, pauperculum piscatorem & portitorem facit, oratoriè potiùs quàm verè dictum. fuit namque rex Euboeæ, Neptuni & Amymones F., qui volens vlcisci indignam filij necem; quem Græci ad Troiam, Diomedis & Vlyssis dolo malo circumuenti, lapidibus obruerant; plurimorum ex Argiuorum Principibus vxores, in adulterium illexit, vt Agamemnonis Clytemnæstram,*

næstram, Ægyaleam Diomedis, Medam Idomenei, vt docet Leonicus libro 3. var. hist. cap. 66. Nec eo contentus, redeunte à Troiâ victrice classe, sæuâ iactatos tempestate, vt in cæcos scopulos & prærupt as rupes pertraheret, in Caphareo promontorio, & Opheltis rupibus ignes accendit. eò naufragi cursum dirigentes, portum rati, quod supererat nauium confregerunt. describitur hoc naufragium à Basso in Antholog. epigr. Græcor. & Smyrnæo derelictorum ab Homero lib. ξ'. & Senecâ in Agamemn. actu 2. vbi nos nonnulla ver. 556. Ceterùm cùm Nauplius Vlyssem & Diomedem, quos vt præ ceteris oderat, potissimùm perire expetebat, incolumes euasisse intellexit; impotens animi, in mare se præcipitem dedit. consule si videtur Boccatiũ li. 10. geneal. Deor. c. 59.

663 Vxor] *Claudianus Alcestim ab Hercule vi liberatam indicat:*

Creditur Herculeis lucem renouasse lacertis
Femina, dilecti fatis impensa mariti.

alij volunt sponte redditam: sunt qui scribant obuiam ab Hercule mortem adamantinis cathenis colligatã, Alcestim vitæ reddere coactam. ceteri mendacij hos arguunt; tantum enim ab Acasto ereptam, ab Hercule marito redditam.

668 Angustas inter vndas] *in angusti cacabi bulliente latice.*

Vagus] *in frusta discerptus.*

669 Parcite iusso] *Non muto sententiam pristinam, nec quicquam dubito veram hanc lectionem, atque sententiam. ingeniosa illa κολακία, & acuta, fateor. sed an quia acuta, iccirco Senecæ in mentem venit? at liber vnus continet*, viuo. *esto. sed quinque manusc. quibus vsus, vnanimiter sine liturâ*, iusso. *nec aliter in hunc vsque diem excusi omnes. nec incommoda sententia. deniq; iussum à Peliâ Iasonem omnes fatentur, Apollonius, Ouidius, Valerius, ceteri. solius Mimnermi verba sufficiant in re notissima: præbet Strabo lib. I.*

οὐδ' ὁκόταν μετὰ κῶας ἀνήγαγεν αὐτὸς Ἰήσων
ἐξ Αἴης τελέσας αλγινόεσσαν ὁδὸν,
ὑβριστῇ Πελίῃ τελέων χαλεπῆρες ἄεθλον, &c.
Nec rutilum ex Aeâ portans satus Æsone vellus
Difficile vndosum per mare mensus iter
Iniusti iussu Peliæ certamen obiuit, &c.

In Act. IIII.

Crescit ira Medeæ magis magisq;, & parat veneficia, inuocat Hecaten, & illita dona malis artibus atque carminibus, dat liberis Creusæ offerenda.

673 Aggressam Deos] *incantationibus suis eos subigens, & compellens parere.* 674 Cælum] *astra tam erratica, quam fixa. pars pro toto, si cælum eiusdem speciei cum astris, & astra cæli pars, vt quidam volunt; vel continens pro contento, si astra specie à cælo discrepant, eiq; dumtaxat infixa sunt, vt plerique malunt. Astra antiqui Deos esse putabant, & à maleficis cælo deduci, Plutarch. in lib. de oraculor. defectu, & Schol. Apollonij in li. 3. Argon.*

678 Triste leua complicans fac. manu] *infaustis enim & tristibus rebus læuam manum adhibebant: tristia quoque & aduersa à Diis læuâ manu dari credebant.*

681 Quaſcumque] *peritè ſerpentes & venena ex iis locis aduocat, quæ vel frigore rigent, vel æſtu torrentur. in his enim herbas lethales, & venenata naſci animantia cuncti geographi teſtantur.*

682 Feruentis creat arena Libyæ] *Libya Africæ regio Ægypto ab occaſu contermina tota arenis, æſtu, ſiccitate ſqualet. Lucanus æſtiferam vocat & ſitientem; Claudianus, peruſtam, & nimio calore munitam, ſqualentem, anhelantem, ſemper ſolibus torridam, lib. 2. in Ruſin. & libro de bello Gildon. Sunt qui nomen deducant ἀπὸ τοῦ λείπεσθαι τὸν ὕειν, quod ſit pluuiæ indiga; licet alij malint à Libyâ Epaphi filiâ, vel quòd inde Libs ventus ſpiret. Serpentes in Libyâ naſci ſolitas deſcribit, Nicandrum imitatus, Lucanus lib. 9. ſcilicet aſpides, dipſades, hæmorrhoim, cherſydrum, chelydrũ, cenchrim, hammoditem, ceraſtem, ſcytalen, amphisbænam, natricẽ, parcam, iaculum, preſterem, ſepa, baſiliſcum, ſolpugam, ſcorpium, draconem, & alias; quarum formam & ingenium docet Nicander in Theriac. & Wottonus lib. 6. de different. animal. multis capitibus. quarumdam meminerunt etiam ſacri poëtæ, viperæ & aſpidis, Prudentius lib. 1. contr. Symmach. & in Hamartigen. ſcorpij & ceraſtarum, Dracontius in Hexamero; ſepis, Tertullian. multorum, Fortunatianus hoc diſtycho, de partu virginis agens:*

Regulus atque aſpis; cedunt quîs cuncta venena,
Vipera, cherſydros, ſeps, draco, cenchrys, hydris.

Vnde autem in Libyâ tam fertilis malorum ſeges anguium, non ſatis definitum. Lucanus cauſam in Meduſæ fabulam, & ſtillantes illic cruoris Gorgonei guttas refert, cui Silius lib. 3. adſentit, & prior prodiderat Apollonius ἐν τῇ τῆς Ἀλεξανδρείας κτίσει. *Acuſilaus mauult ea ex Typhonis nata ſanguine. Nicander, producens auctorem Heſiodum, ex Titanum cruore:*

ἀλλ' ἤτοι κακοεργὰ φαλάγγια, σὺν καὶ ἀνιγροὺς
ἑρπηστὰς, ἔχιάς τε καὶ ἄχθεα μύρια γαίης
Τιτήνων ἐνέπουσιν ἀφ' αἵματος, εἰ ἐτεόν περ
Ἀσκραῖος μυχάτοιο μελισσήεντος ἐν ὄχθαις
Ἡσίοδος κατέλεξε παρ' ὕδασι Περμησσοῖο.

Gorreus: Serpentes ſæuos, tetráque phalangia morſu,
Vipereumq́ue genus, terræq́ue incommoda mille,
Titanum fama eſt fuſo exſiluiſſe cruore:
Vera Meliſſæo ſi quondam Aſcræus in antro
Heſiodus cecinit Permeſſi ad fluminis vndas.

Zenodotus Theophelos hiſtoriam arceſſit; in Atticâ pueros fuiſſe duos, Mari nomen Phalangius, ſorori Arachne; & ſingulos inſolenter arte, quam profitebantur, cum Pallade contendiſſe: at victos à Deâ, in ſerpentes commutatos: ab his deinde noxium genus pullulaſſe. auctor Nicandri Scholiaſtes.

Feruenti] *pertinax in cunctis excuſis vitium. legendum proculdubiò* Feruentis. *ad ſenſum, & ad verſum. nam ſi;* feruenti. *ſequens verſus labat: nam;* arenâ *auferendi caſu, intruderet in ſecundam ſedem dactylum. ſi retineas;* arena, *rectò caſu, ſolœcum tuearis oportebit.*

683 Taurus] *Ptolomæus libro 5. & 6. Geograph. & Mela libro 1. cap. 15 mon-*

montem Asiæ tradunt, orbis maximum, si Eustathio fides à magnitudine nomen sortitus (nam à veteribus omnia quæ robore, aut mole corporis præstant, ταῦροι dicuntur) vniuersam Asiā discriminat. In Lycia Taurus vocatur, deinde Hæmodes, mox supra Iberiā in Bactris Caucasus, tū Paropamisus, inde Caspiæ pilæ, mox Niphates, tum Armeniæ pilæ, & vbi iam nostra maria attingit, iterum Taurus, vt scribit Pomponius: numerosis & nouis nominibus quacunque incedit insignem dicit Plinius: plurima namque præter dicta, alia quoque nomina habet, vt Imaus, Cragus, Circius, Pariedrus, &c. de quibus Ptolomæus dictis locis, Strabo lib. 2. & 11. Plinius lib. 5. cap. 27. Solinus Polyhist. cap. 41. Orosius lib. 1. Hormistæ cap. 2. Ammian. Marcellin. lib. 23. & D. Isidorus lib. 14. Orig. cap. 8. Dionysius Periegetes à forma, quòd tauriformis sit, vocatū scribit. Propriè Taurus *dicitur, quâ Pamphiliam & Ciliciam ab Armeniâ minore & Cappadociâ distinguit, quæ causa Tibullo scribendi lib. 1.*

Quantus & ætherio contingens vertice nubes
Frigidus intonsos Taurus arat Cilices.

& Ouidius Metamorph. 2.

Ardet Athos, Taurúsque Cilix ——

Seneca non tam de Tauro propriè dicto, quàm de Boreali eius parte agit; quæ Caucasus dicebatur, perpetuis niuibus obsessa, vnde & teste D. Isidoro d. cap. 8. nomen nacta. quæ pars tum frigidissima, tum venenorum feracissima. Valer. lib. 5. Argonaut.

Vltimus inde sinus sæuúmque cubile Promethei
Cernitur in geminas consurgens Caucasus Arctos.

Claudianus lib. 1. in Ruffin.

—— quicquid lethali germine pollens
Caucasus, aut Scythicæ vernant in gramine rupes.

684 Et omne monstrum tractat Magicis cantibus. Squamea latebris &] *sic Lugdunens. sic excusi omnes ante Lipsiensem editionem. hautdubiè mendosè, & contra numerorum legem. Lipsiens. edidere;* tracta *probè, si iuues aptâ dispunctione,* & omne monstrū. tracta mag. cantibus squamea, *&c. vocat omne monstrum, vocatum trahit & cogit adesse cantibus. nam Magi cantu serpentes attrahebant, vt hic, vt infrà versu 704.*

Postquam euocauit omne serpentum genus.

Sed & cantu rumpebant, Virgilius:

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

huc pertinet illud Pomponij in Pictoribus: Mirum est nî hæc Marsa est, in colubros callet canticulam. *meminit etiam serpentum incantationis Aristoteles in lib. de admirand. audition. meminere Plinius & alij de Marsis agentes. meminere D. Basilius, & D. Ambrosius in Hexam. D. Augustinus & Euthym. in Psalm. D. Chrysostom. serm. 2. de fato. & ipse Rex ac Propheta Deo plenus Dauid. Psal. 57.* Furor illis secundùm similitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas. Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter. *& significat Ieremias cap. 8.* Ecce ego mittam serpentes regulos, quibus non est incan-

tatio. *Negari ergo non debet id fieri, vt videtur negare Francisc. Vallesius de sacra philosophia cap. 3. sed negari debet, virtute verborum id contingere; quibus nimiam vim ascripsêre olim Zoroaster, Platonici, Magi & Cabbalistæ. non enim hoc Magus incantator verbis suis efficit; sed ex pactô dæmon ipse: vt docet Bern. Basinus, de artib. Magic. propos. 5.*

Cantibus] *hoc malo, quàm*; artibus.

686 Sera serpens] *sic lib. scripti, sic legit Bernardinus. post quem Veneti excudere*; fera, *suspicor iubente Dan. Caietano. mox alij, vt metro consulerent*; sæua.

687 Exertat] *hoc Germanum est. Moguntin. Herbipolens. & duo Veneti*; exerit. *sed liber Venet. cui præfuit Bernardin.* exscreat. *sunt etiam qui pro*; & quærens, *habent*; *inquirens*.

691 Ima] *Moguntin.* vna quod. *procliui errore.*

692 Venena.] *intellige, mala. nam Iurisconsulti tradunt venena quædam esse bona; sed vsus obtinuit pro malo tantùm accipi. hinc lucem adfero illis Senecæ lib. 2. de benefic. cap. 18.* Venenum aliquando pro remedio fuit: non ideo numeratur inter salubria *quod de bono nequit accipi. & lib. 5. vt tanto rectiùs in membranis Burdegal. legitur*; Ita & qui veri beneficij speciem fefellit, tam ingratus est, quàm veneficus; qui soporem, cùm venenum crederet, miscuit. *vulgati*; saporem. *pessimè.* sopor *dicitur medicamentum soporiferum. Probus in Dione*; patri soporem medicos dare coëgit: hoc æger sumpto, somno sopitus, diem obiit extremum. *vt venenum quandoque in bonam. sic medicamentum nonnunquam in malam partem sumi docet Non. Marcellus. Herbas venenatas ab initio mundi creatas non fuisse, sed post primum peccatum hominis natas, censent Iunilius & Beda in 1. cap. Genes. Potiùs crediderim naturalia venena, helleborum, cicutam, similia initio mundi à Deo creata, cum D. Basilio in Hexam. sed artificialia diuersis postea temporibus hominum peruersitatem excogitasse, de quibus multa Mathiolus in libro 6. Dioscorid. Vide Hieron. Vielmium lect. 16. & 29. in 1. cap. Genes.*

694 Huc ille] *Aratus*:

Has verò per ambas qualis fluuij decursus
Volutatur (horrendum!) ingens draco circumcircà distractus,
Immensus: verum ei ex vtraque parte spiræ hærent
Vrsæ ——— *Higynus lib. 2. cap. 3. docet quomodo hic anguis ambas vrsas amplectatur, minorem collo & capite, maiorem caudâ. Firmicus lib. 8. Astron. cap. 17.* Anguis (*ait*) extremus est qui inter duas Arctos positus est, in modum fluminis quod sinuosis flexibus labitur. *Idem ex Hesiodo confirmat Theon in Aratum, & præterea scribit, secundùm quosdam, hunc esse serpentẽ à Cadmo occisum, custodem horti Hesperidum iuxta alios; iuxta plerosque Pythonem, quem Apollo iaculis confixit.*

697 Maior] *Arati. hoc sonant*;

Qui hanc quidem Cynosuram cognomine dicunt,
Alteram verò Helicen. Helicen quidem viri Achiui

In mari ſignant, quô oporteat naues dirigere:
Alterâ verò Phœnices fiſi perſulcant mare.

idem tradunt Ouidius lib. 3. Faſtor. & 4. Triſtium eleg. 3. Valerius Flaccus lib. 1. & Higynus lib. 2. Aſtronom.

Sidoniis minor.] *idem Aratus:*

Minori enim tota circumuerſatur orbe;
Hac quoque Sidonij rectiſſimè nauigant.

698 Preſſáſque tandem] *Aratæorum carminum; quibus Senecæ locus conlucatur; ſenſus hic,*

Obſerua iuxta caput Serpentarij. ex illo namque
Ipſum deprehendes licet ſplendidum ſerpentarium,
Quales ſibi capiti ſubiacentes clari humeri
Apparent. ij quidem etiam plenâ lunâ
Conſpicui eſſent: ſed manus non admodum æquales.
Tenuis namque hinc inde exit ſplendor:
Attamen etiam illæ contemplabiles. non enim modicæ ſunt:
Ambæ autem ſerpente fatigantur; qui quidem medium
Inuoluit ſerpentarium. hic verò conſtanter aptéque innixus,
Pedibus conterit magnam feram ambobus
Scorpium, oculóſque & in pectore calcans
Rectus: ſed ei ſerpens ambas voluitur per manus,
Dextram modicus, ſiniſtram verò ſupernè multus.

704 Sopite] *Pherecydes occiſum vult, ſed Antimachus & Apollonius ſopitum dumtaxat.*

706 Frugis infauſtæ] *cuiuſmodi ſunt ſelectæ deliriis illarum herbæ, coriaceſia, calicia, apraxis, aglaophotis, achemænidon, & ſimiles, quas ſparſim Plinius & Apuleius recenſent.*

707 Eryx] *nobilis mons Siciliæ, dictus ab Eryce, quem Hercules cæſtubus ſuperauit; mari imminet ad Italiæ proſpectum, & inter Drepanum & Panormum altè eminet, præruptis vndique rupibus circinatus: in ſummo planicies iacet duodecim millium paſſuum peruia & culturæ aptiſſima. maritimis auris præclarè expoſitus eſt, & mortiferarum ferarum omnino expers. à mari & Mediterraneâ regione rupes habet inacceſſas. hæc Polybius. vnde intelligitur cur ab Italico dicatur lib. 14.* Nec non altus Eryx —— *nam (teſte Pompon.) poſt Ætnam eſt Siciliæ montium altiſſimus. item cur ab Ouid. lib. 4. Faſtor. dictum:* —— Zephyro ſemper apertus Eryx. *cur denique noſter inuium ſaxis vocarit. Herbas noxias & veneficiis aptas gignere, nuſquam legi, niſi hoc loco.*

709 Promethei] *hæc herba à Prometheo vocata, quod ex eius cruore nata. nam vt ait Attius:*

Ex eo liquatæ ſolis ardore excidunt
Guttæ, quæ ſaxa aſſiduè inſtillant Caucaſi.

ideo dicitur Caucaſus ſparſus ſanguine Promethei. Fugauit hanc auem, ſiue illa vultur, ſiue aquila, Hercules, & Iapeti F. liberauit, vt poëtæ canunt, He-

siodus Apollonius, Horatius, ceteri. sed alia partim historica, partim mythologica, ex Duri, Pherecyde, Herodore, Agroetâ & Theophrasto, adfert Apollonij Scholiast. lib. 2. versu 1251. multa etiam ex illo, etsi non nominent, Cælius lib. 7. cap. 19. & 20. Natalis lib. 4. Mythol. cap. 6. & Pierius Hieroglyph. lib. 18. & 19. Alludit ad hanc Promethei pœnam, non Lucilius lib. 19. (vt mendosè legitur in Nonij codicibus) sed Ennius, vt colligitur ex Cicerone 1. Tusculan. & Orat. in Pisonem:

Tu naufragio expulsus vspiam saxis fixus asperis,
Euisceratus, latere penderes, saxa spargens tabo,
Sanie, sanguine atro ——

710 Pharetráque pugnax Medus] *Dionysius Periegetes*; τοξοφόρων Μήδων. *idem Mediam à Medeâ, eò se ex Atticâ recipientem vocatam, & inde venenis affluere cecinit. De nomine censet Strabo in li. 11.; à Medo Medeæ filio, cui ceteri Geographi assentiuntur.* ἀναχρονισμὸς *ergo nostri foret, si Mediæ nutrix Medeæ meminit, nondum nato Medo, nec in Atticam profectâ Medeâ. sed falluntur Græci, vt solent in nominum rationibus reddendis. Origo enim Hebræa. nam sic nominata prouincia, à Madai Iapheti filio, iuxta*
מָדַי *Iosephum lib. 1. Iudaicarum antiquit. cap. 14. consulendi de illâ Plinius lib. 6. Ptolomæus lib. 6. & D. Hieron. in Ieremiam.*

Parthus leuis] *veloces enim Parthi equites. vtebantur veneno patrio, quod Scythicum nominatum, teste Aristotele lib. de admirand. audition. dicti Parthi, quia sic Scythæ fugaces & exules vocant, vt suo loco docebimus ex Iustino, qui consulendus lib. 41. & Strabo lib. 15. & Ptolomæus lib. 6. Teste Plinio lib. 6. cap. 25. Parthia Asiæ maioris regio est circa Persas, inter flumen Indum & Arios ab Oriente, Tigrim & Mediam ab occasu, desertum Carmaniæ à meridie, & Hircaniam à septentrione, sita. Caue confundas* Persiam *cum* Parthiâ. *illa antiquior, & Persiæ partem occupauere Parthi. Persia siue Persis* פָּרַס *Pharas Hebræis (vt ab equitatu fortè, dicta, vel quia illic equites optimi. nam* Pharas *Hebræis eques, vnde parasanga spacium triginta stadiorum, quod etiam* Parsam *dixêre.) ab oriente Iudæam, à septemtrione Mediam, ab occasu Susianam, ab oriente duas Carmanias, ab austro sinum Persicũ habet, vt docet Volaterranus Geograph. lib. 12. Dionysius quoque Periegetes clarissimè Persas à Parthis distinguit, etsi vicinos ponat: & à iaculandi peritiâ commendat Parthos, à versu 1040. vsque ad 1052. Dices: confusi postmodum populi. scio. Sed cur apud Claudianum,* Persica, *quàm;* Parthica, *maluerim; causæ. quòd cùm Eunuchismum inuenêre, nondum* Parthi *dicti, sed adhuc* Persæ: *quòd disertè Stephanus; cuius ego locum prior laudaui; de Persis id, non de Parthis: quod eodem modo Sidonius, plerumq. ex professo palam Claudiani imitator. nec tamen alteram illam reieci, sed quid probabilius indicaui.*

711 Queis] *Moguntin. & cuncti vett. impressi;* Qui.

Arabes] *Gemino pp. semper Dionysius, sed solus. ceteri* ἀραβίαν *vnico* ρ. *sicut Latini: & ab Hesiodo primam syllabam correptam testatur Eustathius. Felicem Arabiam describit eleganter Dionys. à versu 926. de eadem Pomponius*

ponius lib.3.peninsulæ formâ inter sinus, Arabicum & Persicum; tenditur, à septentrione attingit Arabiam desertam. notum enim, triplicem esse Arabiam Felicem, Petream, (quam etiam Nabathæam vocari docet Strabo;) & Desertam, quæ Scenites dicitur. Vide Plinium lib.5. & 6. Strabonem li.16. Ptolomeum lib. 5. Genericum ergo nomen Arabia, vt & Hebræis עֲרָב; *sed specifica vt vocant seu partialia Petrea, Deserta, Felix. & sola Petrea, Nabathæa; sola Deserta, Scenitis; sola Felix, Sabæa, Saba, vel Seba* שְׁבָא. *Hæc ego propter vulgum, qui temerè miscet omnia & confundit. Adeo autem Arabes latrociniis infames, vt Hebræis;* Arabs, *latronem denotet, sicut Cananæus mercatorem, Chaldæus Mathematicum; teste D. Hieronymo in cap.3. Ierem.*

713 Sueui - Hercyniis] *recens Batauiæ descriptor minus accuratè Suenos à Saxonibus distinxit. Hercyniæ siluæ etiam meminit Apollonius libro 4. vbi Schol.* Ἑρκύνιον ὄρος Κελτῶν ἢ δρυμός. *meminit etiam Periegetes Dionys. & addit Priscianus:*

——— pascere volucres fulgentibus alis;
Quîs ducibus noctu cernuntur flexa viarum.

Vide Solin. cap.22. in prin.

714 Vere nidifico] *Ver potissimùm nominat, quòd eò anni tempore, herbæ vt plurimum excrescunt, earúmque succus efficacior. Vnde de Vere pulchrè & verè vetus poëta:*

Cælum nitescere, arbores frondescere,
Vites lætificæ pampinis pubescere,
Rami baccarum vbertate incuruescere,
Segetes largiri fruges, florere omnia,
Fontes scatere, prata herbis conuestirier.

Nidifico. *nam verno tempore nidificant aues. Annum, Horo teste, prisci Ægyptij in tria tantùm tempora diuidebant, ver, æstatem, autumnum: alij quartum addunt, hiemem. eaq; singula eleganter depingunt Nonnus in Dionysiac. Philostratus in imaginib. Georg. Pisides lib. de mundi opificio à versu 266. vsque 317. Virgilius in Catalectis, Ouidius lib.2. Metamorph. & noster Hippol.963. His anni partibus, iuxta Hesiodum in Theogon. & Orpheum in Hymn. Horæ præsidebant: vnde verò dictæ, & quomodo computandæ discere potestis ab Hippocrate lib.3. de diætâ, Aëtio lib.3. Tetrab.1. cap.164. & Paulo Æginetâ libro 1. cap. 100. & (qui ex illis) Ioanne Lalamantio in lib. de temp. & eius partibus.*

717 Gramen] *pro quauis herbâ hoc loco, vt & apud Maronem.*

Qualis vbi in lucem coluber mala gramina pastus.

Vide Victorium li.6. var. lect. cap.16. De gramine propriè dicto, (quod Marti sacrum fuisse refert Ouidius lib.5. Fast. & ego suspicor illud solùm initiò victos victoribus porrexisse, vnde prouerb. Herbam porrigere; ἄγρωστιν *nuncupant) consule D. Hier. in Oseæ c. 10. ab hoc dicta corona graminea militaris, de quâ Plin. li.22. nat. hist. & Lazius lib.9. Commentar. reip. Rom. cap.8.*

720 Æmonius] *Thessalus, qui cum adspirationis notâ malunt, Apollonio, Stephano, ceteris Græcis refragantur.*

Athos]

Athos] *mons editißimus, adeò vt vmbram in Lesbum vsque iaciat: (vide Schol. Apollonij in lib. 1. vers. 601. & Steph. περὶ πολέων.) falluntur tamen qui putant eum mediam aëris regionem superare, vt & Teneram in Fortunatis insulis. nullus enim mons medium aërem excedit, vt docent veriùs Hieron. Vielmius Episc. Argolicensis in Hexameri lect. 15. & Hier. Cardanus in lib. de Varietate cap. 4.*

721 Pindus] *de hoc alibi isto opere, de Pangæo diximus Not. in Claudian.*

722 Falce] *æreâ. Magicis enim æs potiùs adhibebatur, quàm aliud metallum, quod et vim quandam medicatam inesse opinabantur, teste Turnebo in aduersar.*

723 Tigris] *de hoc fluuio suo loco. ortus in Armeniâ maiore, Mesopotamiam amplectitur. Hebræis Hidækel.* חִדֶּקֶל *acumen velocitatis significat, vel singularem velocitatem.*

724 Danubius] *Stephanus scribit Istrum aliquando Matoam vocatum: sed cùm Scythæ eum prædas acturi traiecissent, & magnam cladem accepissent, à damno hoc, cuius ille auctor videbatur, δανούσιον dictum, & postea δανούβιον idem memorat Eustathius. Plinius censet à capite ad Illyricum vsque vocari Danubium; inde Istrum dici incipere, & ex auriferis fluminibus censeri. De ortu & cursu non satis exactè veteres, qui ex Hyperboreis oriri putarunt (vt Æschylus & Apollonius) & vnum cornu eius in Euxinum, alterum in Tyrrhenum (vt Polemon vult in Italicis) vel iuxta nonnullos in Hadriam, aut in Acheloum amnem. vide Scholiast. Apollonij in lib. 4. & Diodorum lib. 4. qui hæc Apollonij & Timageti commenta refellit.*

725 Hydaspes] *alibi diuitem vocat, vt nos suo loco.*

726 Bæthys] *Græci omnes βαῖτις. Latini variè scribunt: ideo Græcos sequor. Isidoro lib. 13. Orig. Baitis quasi βαθὺ, quod humili solo decurrat, ab eo dici Bæticam prouinciam. olim vocatus* Certis, *teste Liuio lib. 28. vel* Percis *auctore Stephano. item* Tartessus *teste Strabone, Pausania, Aristotele. Nobilis Bætis oliuetis, nobilis auro. de oliuitate, Silius libro 3.*

Alterum nomen mendosum, vt puto Stephani.

—— genuit quos vbere ripâ
Palladio Bætis velatus cornua ramo.

& Papinius Siluar. lib. 2.

Vnctis Bætica prouocas trapetis.
Lucanum potes imputare terris. *& mox:*
Attollat refluos in astra fontes
Graio nobilior Melete Bætis.
Bætim Mantua prouocare noli.

Martialis:

Bætis oliuiferâ crinem redimite coronâ,
Aurea qui nitidis vellera tingis aquis.

De auro Aristoteles in Admirand. audition. sed & Stephanus, cùm de Γεύλλα agit, quam ego Hispalim opinor, & ait παρ' οἷς μέταλλα χρυσοῦ καὶ ἀργύρου. Ex quo restituo dignitatem antiquitatis nominis quo hodie nuncupatur vrbs illa nobilis, ampla, diues, & quæ ex orbis oculis. Non mireris additam

postea

postea litteram sibilantem. nam fuit illa veterum consuetudo, vt multa nomina modò sibilarent, modò sine sibilo efferrent. sic nostra Salmantica (cui tantum debeo) Polybio ἀλμάντικα, Stephano ἐλμαντίκη; sic Ἄρδιαῖοι & Σαρδιαῖοι; Astura Plinio, Stora Straboni; sic Selli, & Helli; Andracoptos, & Sandracoptos; Hexitania & Sexitania; Suessones, Ptolomeo Vessones; Straboni Samnitæ, Dionysio Amnitæ. Sic ergo Ἴβυλλα eadem & Σίβυλλα. quæ tamen priùs Hispalis Poßidonio, & Straboni, & Plinio, qui cognominatam scribit Romulensem; quia scilicet vt primò Phænycum, postea Romanorum colonia. dicebatur & Hispal. Silius Italicus:

Et celebre Oceano atque alternis æstibus Hispal.

Alter Hispaniæ oculus Lusitana Olysippo, aurifero nobilis Tago; quam ego nihil dubito eam esse, quæ Stephano & Straboni lib. 3. Ὀδυσσεὶς πόλις.

726 Languenti] *propter ampla spacia terrarum quæ tunc occupat lacui fermè similior. Bætis hodie* Guadalquiuir, *Arabicè, Latini Magnum amnem dicerent.*

728 Hæc passa ferrum] *qui non nisi æs ad hæc recipiunt, æs fortaßis pro ferro sumunt poëticè, quod Turnebo visum li. 6. aduer. c. 10. ego non arbitror.*

Dum parat Phœbus diem] *Ante ortum solis, lucente lunâ. nam (vt idem Turneb.) lectas ad lunam herbas efficacitatis plus obtinere credebant, quia luna præses veneficiorum herbas quadam suâ saliuâ seu spumâ aspergeret. Lucanus de lunâ:* Donec suppositas propior despumet in herbas. *Valerius Flaccus:* Quamuis Athraciô lunam spumare veneno Sciret —— *Quamobrem censebant lunæ plenæ maiorem esse vim. iccirco Ouidius:*

—— postquam plenissima fulsit
Et solidâ terras spectauit imagine luna.

vide Turneb. d. cap. 10. & lib. 9. cap. 26. hinc intelligas quare subiungit Seneca: Illius altâ nocte succisus frutex. *quo videlicet tempore luna, medio itinere confecto, totam nostro se infert hæmisperio.*

732 Obscœnas aues] *ferales, inauspicatas. Maro:*

—— ne me terrete timentem
Obscœnæ volucres ——

quæ sint, declarat versu sequenti:

Mæstique cor bubonis & raucæ strigis.] *quæ duæ mali ominis & diri euentus aues plerumque coniungi solent. Papin. libro 3. Thebaid.*

Monstra volant, diræ strident in nube volucres,
Nocturnæque gemunt striges, & feralia bubo
Damna canens ——

est in hoc numero Incendiaria auis seu Spinturnix, de qua Plinius lib. 10. Nat. hist. cap. 13. Bubo quidem solivaga est auis & nocturna, gemens verius quàm cantans. ideo mæstum vocat. de quo multa Crinitus lib. 21. de honest. discipl. cap. 21. Alexander ab Alex. li. 5. Genial. dier. cap. 13. Pierius lib. 20. Hieroglyph. Edoard. Wotton. de different. animal. cap. 136. P. Ouidius de Ascalapho. 5. Metamorph.

Fœdaque fit volucris, venturi nuncia luctus,
Ignauus bubo, dirum mortalibus omen.

Strix, *ſeu* ſtridula, *& ipſa volucris funeſta, quæ ſit, & qualis, non ſatis notum, vt fatetur Wottonus d. operis lib. 7. cap. 152. poſt Plinium lib. 11. cap. 39. neque planè explicat Feſtus in voce,* Strix, *inſuper mendoſus teſte Turnebo; lib. 14. aduerſ. cap. 1. Neque Hermolaus in voce* ſtriâ, *poſt Plinianas annotat. N. in ſupplemento linguæ Latinæ eandem putat cum Caprimulgo; qui αἰγοθήλας Ariſtoteli & Æliano, Gallis* effrayé; *colore & magnitudine haut abſimilem cuculo, reſupinam, pedibusq́; conuerſis in altum volare. Græcis* στρίγξ, *& κέρχνη, vel κερχνηΐς. ſic deſcribitur ab Ouidio 6. Faſtor.*

Grande caput, ſtantes oculi, roſtra apta rapinis,
  Canicies pennis, vnguibus hamus ineſt.
Nocte volant, puerósq. petunt nutricis egentes,
  Et vitiant cunis corpora rapta ſuis.
Carpere dicuntur lactentia viſcera roſtris,
  Et plenum poto ſanguine guttur habent.
Eſt illis ſtrigibus nomen; ſed nominis huius
  Cauſa, quòd horrendâ ſtridere nocte ſolent.

Alij venenata ſua vbera infantibus præbere exiſtimant, atque ita perimere ſpecie pietatis. Serenus:

Præterea ſi fortè premit ſtrix atra puellos,
  Viroſa immulgens exſertis vbera labris.

Quod Plinius fabuloſum aſſerit, non negans eſſe in maledictis iam ſtrigem. Credunt nonnulli in has aues ſe vertere quodam vnguine ſagas, qua de re conſulendi Sprenger in Malleo par. 2. & Alb. de Spina in quæſt. de Strigibus, & in Apolog. de Lamiis contra Ponſinibium; quod inde pendet, an dæmones queant vnam creaturam in alterius ſpeciem commutare, qua de re nonnulla nos alibi. Sanè quod Strigæ, *ſiue vt Salicæ leges habent* Strix, *vocētur huiuſmodi mulierculæ, ex hac opinione natum, & quia infantulis exitium moliuntur ſiue exſugendo illorum ſanguinem, vt vulgus credit, ſiue venenatum quid puerulorum labellis ingerendo, vt ex plurimarū Iudiciali confeſſione à Quæſitoribus Pompeiopoli anno 1583. exceptâ conſtat. Alia auis eſt* Sorix *vel* Saurix, *de qua Victorin. lib. 1. Grammat. c. de orthograph.*

Solent vulgò Lamias & Striges pro iiſdem ſæpiùs accipere. Sed ego loquor de verâ horum vocabulorum ſignificatione: non de abuſiuâ licentiâ.

Vehementer falli arbitror, qui Lamias cum Strigibus confundunt: ídque patet ex iis quæ modò de Strigibus, & olim Louanij de Lamiis in Quodlibeticâ diximus: quam orationem, quia in hanc editionem inſerere non fuit viſum, dicam nunc breuiter hoc loco, quæ fuſiùs illic. Lamiæ, vt rectè Strabo, & Lucilius apud Lactantium, inania ſunt terriculamenta. idq́; vel inde poteſt colligi, quòd certi nihil de illis traditur. quidam Dæmones quoſdam, vel ſpectra tantùm eſſe cenſent, quæ Empuſæ *dicuntur, ita Philoſtratus in vitâ Apollonij Tyanæi, Saxo Grammaticus in hiſt. Danicâ, & Olaus in deſcriptione Septentrional. regionum; quarum forma penitus fabuloſa, ab Ariſtophane, Plutarcho & Euſtathio eſt petenda. Alij Lamiam fuiſſe mulierem Ponticam quæ grauidarum feminarum aluos cædebat. & extractos inde pueros deuorabat, ita Ariſtoteles in Ethicis Nicomach. Clemens Alexand. in Protrept. Horatius epiſt. ad Piſon. Diodorus autem, Phauorinus, & Suidas*

in

in Asia apud Automolas montem esse in quo habitarit Lamia regina, eximiæ pulchritudinis mulier à Ioue adamata; quæ cùm filium amisisset, & orbitatem non ferret, præ zelotypiâ omnes ex matrum gremio rapi pueros & occidi iussit: ingurgitare etiam se vino solitam, & domi manere, nec negotia regni curare, ideo creditam domi cæcam esse: tandem ob morum feritatem in feram commutatam. Eadem fere prodidit Græcus scriptor Antoninus Liberalis in Metamorph. Sed Dion in Libycâ historiâ, feras esse hoc nomine scribit vmbilico tenus femineâ formâ præstātissimâ, reliquum corporis squammis confertis & impenetrabilibus contegi, & imum in serpentem horribilem desinere; cuius extremum sit caput: brachia squammis similibus vestita, manus aquilino more vncungues esse. has abscondere, & sororiantibus mammis homines sibilo quodam sono (hæc illarum vox) allicere: tum propè accedentes vnguibus arripere, & serpente circumuolutos necare, & cadaueribus vesci. Glossa interlinearis & Lyran. monstra volunt esse femineâ formâ, sed equinis pedibus. Lamiæ quoque sacri vates Isaias & Ieremias meminerunt; hic etiam mammam nudasse testatur. Sed adumbratè loquuntur, & huiusmodi monstra nominant, non quod vlla vnquam fuerint; sed cum vulgo loquentes hisce confictis nominibus vel ipsos dæmones monstrosorum criminum suggestores, vel eorumdem patratores impios homines significabant, vt ex sanctis Basilio, Athanasio, Theodoreto, Ambrosio, & Gregorio docet Leo Castrus ad Esaiæ cap. 34. Sanè D. Hieronym. eo loco satis apertè significat Lamias, Pilosos, & Onocentauros poëtarum figmenta & gentilium esse deliria. Vide de Lamiis, Adag. Lamiæ turres, Brassicanum in Politiani Lamiam, & Chartarium lib. de Deorum imaginibus.

739 Exsecta viuæ viscera] *solemne in Magicis. Propert. lib. 3. in re simili:*

Illum turgentis ranæ portenta rubetæ,
  Et lecta exsectis anguibus ossa trahunt;
  Et Strigis inuentæ per busta iacentia plumæ. *&c.*

740 Pigri frigoris] *Moguntin.* nigri frigoris. *non muto. nam reddit frigus torpentes, quia vt dicit Xenophon* abigit & deducit ingenitum calorem ad penitas corporis partes. *Et frigus (vt inquit Contarenus lib. 3. de element.) congregat tam homogenea, quàm heterogenea, constipatq. omnia, & vnumquodq. reddit suâ naturâ immobile, ac veluti mortuum. Etenim sicut motus indicium est vitæ, ita immobilitas mortis & interitus. Ideo calor collatus frigori, rationem habet naturæ & vitæ; frigus verò, interitus. Sunt alia præterea multa frigoris incommoda, quæ refert Cornel. Celsus lib. 1. Medicinæ ca. 2. Vnde fit, vt frigidus pro noxio ponatur, vt accipit Seruius illud Virgilij:*

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

& ego illud in Cyri:

Inde Ioui geminat magno frigidula sacra.

amatoribus enim ipsis magica sacra nocent, vt alibi docui Herc. Oetæo 452. & Troad. 486. Comment. Antiq. in Iuuenal. Sat. 7. Gelidum (*ait*) pro mortifero, quia mors frigida est.

737 Verba non istis] *Moguntin.* illis, *pro;* istis. *non magni refert. Maior*

error nostri, qui verbis incantatoriis vllam vim inesse putat: vt & Pici in lib. de Positionibus & aliorum, qui scripsêre verbis Barbaris & nihil significantibus plus energiæ contineri, quam Latinis, Græcis, vel aliquid significantibus. cur si vis verbis inest, non idem illa à quocunque pronunciata operātur? cur solum sequitur effectus quando proferuntur ab iis, qui dæmoni tacito vel expresso pacto se addixerunt? vel addicentibus consentiunt, vel quo alio modo dæmoni fidem habent? Nugantur ergo, qui hæc persuadere volunt, & meritò ridentur ab Ethnicis, Plinio lib. 28. cap. 2. Galeno lib. de pharmacis. 6. Theophrasto lib. 9. de hist. plantar. Plutarcho in vitâ Periclis, & aliis; damnantur à Christianis D. Chrysost. in Matth. D. Thomâ. 2. 2. q. 96. ar. 4. & ceteris Theologis. ridentur à Medicis doctioribus nostri temporis Fernelio lib. 2. de abditis causis. cap. de curatione supra natur. & Vallesio lib. de sacra philosophia cap. 3. Cauendum ergo à superstitiosis Aetij li. 8. cap. 50. & Tralliani li. 9. cap. 4. traditionibus: Nec temerè admittendum quod Origen. in libris contra Celsum scripsit, aliquam vim habere in vnâ linguâ, & effectus producere nomina, quos in aliam translata, aut alio sono dicta non producerent.

740 Vos precor] *Furibunda fertur, & dithyrambico more vario carminis genere abutitur.*

742 Tartari ripis, &c.] *specus mortis circūdatos, & quodammodo inclusos ripis Tartari, hoc est infernorū fluminū. sic Virgil. de vmbris dixit 4. Georg.*

Quos circum limus niger & deformis arundo
Cocyti, tardáque palus innabilis vndâ
Alligat, & nouies Styx interfusa coërcet.

745 Pyrenidas.] *scribe*; Pirenidas. *πειρήνη fons Corinthius ad radices fluens Acrocorynthi, Strabo li 8. cuius aquas leuissimas esse scribit Athenæus li. 2. ca. 2. Vulgatum de eo fabulis, tradit Pausan. in Corinth., Pirenen Nympham propter obitum filij sui Ceuchriæ, tantam lacrymarū copiam profudisse, vt in fontem sit conuersa. Pallidam vocat Persius initiò operis de eadem. vide Plinium li. 4. nat. hist. cap. 4. Prima eius syllaba semper producitur, in eóque differt à Pyrene monte, cuius prima anceps. Mons Pyrenæus duplex; Hispaniæ notissimus; alter Tyrolensis, qui Brennerus hodie, non æquè. de quo Plinius Nepos in Panegyr.* Germaniam cùm plurimæ gentes ac propè infinita vastitas interiacentis soli, tum Pyrenæus, Alpes, immensique alij montes, nisi his comparentur, muniunt. *Planudes etiam in Epigramm. cum Alpibus coniungit. hunc Diodorus scribit Celtas à Gallis diuidere. Hic Pyrenæus fortassis Aristotelem in errorem induxit; qui lib. 1. Meteor. cap. 13. scribit versus Occidentem ex Pyrenæo monte Danubium & Tartessum fluere. quod perspicuè falsum; cùm eorum fluuiorum origines tam diuersæ, & tot locorum dissitæ interuallis; Tartessus etiam ex Tyrolensi Pyrenæo, Danubius ex Hispaniensi nullâ ratione fluere queat. Sed ad nostrum. Versus huius hæc sententia; cùm optasset Medea noxiorum Manes omnes, pœnis intermissis, ad hos thalamos conuolare, scilicet mali ominis gratiâ; ipsum quoque Tantalum desiderat Corinthum venire, vbi hæc geruntur, & ibi longam sitim limpidis aquis Pirenes securè explere.*

747 Lu-

747 Lubricus] *odio Creontis, à ceterorum numero Sisyphum excipit; cui pœnæ continuationem imprecatur, ipsi etiam Creonti grauiora. Non dubia est hæc Senecæ mens; sed obscurata & offusa duorum versuum transpositione, quos ita in ordinem redigo:*

Lubricus per saxa retrò Sisyphum voluat lapis:
Longè grauior pœna sedeat coniugis socero mei.

& posterior hic variè habetur in libris excusis; nam in Lips. legitur vt exhibui; rectè, nisi quod ex Moguntin. (in quo:

Grauior pœna cedat coniugis socero mei.)

amplector vocem; cedat. *pro eo quod ceteri;* sedeat. *quod quam Latinum, viderint alij: mihi non placet. Tres vett. Veneti:*

Grauior pœna sedeat coniug. soc. mei.

Herbipolens. Lugdunen. & plerique: Grauiórq. pœna sed. con. soc. mei. *quasi sint hi versus iambici. Non desunt, qui;* Pœna grauior sed. vsto coniug. soc. mei. *Vide quanta deprauatio in hoc scriptore, & sunt qui emendatione non multum indigere profiteantur? quorsum ergo tot in locis ex libris, ex coniecturis tam multa rescribunt? Mos iste Criticorum huius temporis: quæ alij castigãt, sana; quæ lubet ipsis cõmutare, saucia, cõcisa, deposita pronũciant.*

748 Vos quoque quas] *quibusdam placet ex quorumdam codicum fide, vt suauius:* Vósq. quas vrnis. *sed an id lex carminis patiatur, ipsi viderint.*

749 Danaides] *de his in Herc. Fur.*

752 Noctium sidus] *Moguntin.* noxium sidus. *quod hic non recipio. Nam Proserpina, quæ eadem Hecate (Apollon. lib. 3. versu 845. & 860.) & Luna Nocti perlucet, & noctium Dea dicitur. vnde & à poëtis νυχία: cuius nominis Apollonij Scholiastes rationem in d. lib. 3. reddit, quod noctu illi litabatur, vel quod in spaciis inferorum latè imperabat; quem locum veteres νύκτα vocabant. verba eius sunt:* νυχίαν δὲ εἶπεν, ἤτοι διὰ τὸ χθονίων βασιλεύειν (νύκτα γὰρ τὸν ἀφώτιστον τόπον φασίν) ἢ ἣν νυκτὸς οὔσης ἐξιλάσκονται. εὔλογον γὰρ τὴν τῶν νυχίων τόπον κρατοῦσαν, κατὰ τὴν τῆς νυκτὸς ὥραν ἱλάσκεσθαι.

754 Euocaui] *Empedocles apud Laërtium, de Magiæ vi:*

Compescésque truces ventorum ritè procellas;
Exorti insanis qui vastant flatibus agros.
Rursum si libeat mox flamina pigra ciebis:
Et mediâ educes è tempestate serenum.
Induces mediâ pluuias æstate salubres;
Et flatus siccâ, qui perflent omnia, messe.
Exstinctúmque hominem nigro reuocabis ab orco.

Noster in Hercule Oet. de eadem superstitione multa; à versu 452. & varij scriptores, quos ibi retuli, Virg. eclog. 8. & Æn. 4. Tibullus li. 1. eleg. 2. & 8. Ouidius epist. 6. Claudian. li. 1. in Rufin. Arbiter, & Lucanus: quibus addo Apuleium in Apolog. Columellam in li. de cura hortorum, Senecam nat. quæst. li. 4. Plinium li. 18. cap. 2. & li. 30. cap. 10. D. August. in li. de doct. Christiana, & lib. de nat. dæmon. apud quos miræ artis (si ars dicenda) istius effectiones. Quæ tamen an veræ an falsæ, solet quæri. Videri duntaxat veras, non

esse, placuit Platoni lib.11. de legib. Porphyrio lib. 2. de abstinent. animat. Plinio lib.12. cap.1. & D. Iustino Martyri in quæstionib. proponi solitis Christianis. Non tantum videri, sed esse multas, multò verius visum non Iamblico tantùm & aliis prophanis, sed etiam D. Augustino lib.3. de Trinitate. & lib.33. quæst.79. D. Thom. D. Bonauent. & aliis Theologis. Agimus autem (vt Seneca hic) non de Magiâ in genere; nec de Magiâ artificiali; neque de naturali; sed de illâ tantùm quæ diabolica *nuncupatur, & quam damnans agnoscit scriptura, Leuit.20. Deut.18. 1. Reg.28. Act.16. & Patres vt sanctus Augustinus. lib.21. de ciuit. cap.8. & fusè S. Thomas lib. 3. contra gent. cap.104. In qua quæ fiunt, certum est ea non à Magis, sed ab ipso dæmone fieri; quare hos omnes effectus veros esse posse, qui dæmonum potestatem & vires non excedunt. Difficillimum verò est homini scire quanta sit naturalis potestas eius, vt ait D. Augustinus lib. 3. de Trinit. cap.9. Quæcumque tamen operatur huiusmodi, ea vel per motum localem, nam maxima corpora de loco in locum & breuissimo tempore transferre potest; vel operatur actione caussarum naturalium, applicando actiua passiuis: vel denique sensibus nostris illudendo, vt indicat D. Augustinus lib. de diuinat. dæmon. cap.3. & d. libro 3. de Trinit. cap.8. His ille modis mira operatur per Magos. Aliquando enim impedit actiones rerum naturalium licet indirectè, vel impedimento contrariæ caussæ, vel impulsione aut motu nimio, vt pleraque quæ hic Seneca memorat: aliquando imprimit miras qualitates in res corporeas, licet non permanētes, idq; per naturales causas quas applicat. nocet bestiis & rebus externis, Iob 1. cap. excitat tempestates (quamuis Wierus homo impius neget. quem refellit Ps.77. & in eum D. August. vers.49.) facit ignem descendere de cælo, Iob 1. Apocal. 13. & dicitur Princeps aëris, ad Ephes.2. & .6. & confirmant l.4. & 6. C. de malefic. c. fin. in prin. 26. q. 6. Nam possunt hæc solo motu locali ab eo effici. Cursum tamen astrorum, vel orbium cælestium mutare non potest, nec Solem vel Lunam deducere, vt docet D. Aug. nec potest integrum elementum mouere loco. quia nihil potest contra ordinem vniuersi constitutum à Deo, vt dicit D. Thom. q. 16. de malo. Vnde apparet hac in re Senecæ & reliquorum Gentilium error.*

Vide. August. lib.21. de ciuit. Dei & Michael. Medin. de recta in Deum fide li.2. c.7. à fol.56.

Euocaui] *vi carminis magici elicui. hoc enim vt plurimum significat verbum euocandi; δυνάμιν, & imperium quoddam. ideo tribuitur vel Diis, Virgilius 4. Æneid.* Manes euocat orco. *vel Magis, vt hîc; vel dominis, vt frequenter in Comæd. vel magistratibus & Imperatoribus. vnde &* Euocati *milites. Vide Oedip. actu 3.*

758 Vetitum mare] *Ouid. 2. Metamorph.*

Et vetito rursum tentarunt æquore tingui.

Claudianus 2. de raptu:

—— vetito se proluit Arctos

Æquore —— *fabulam aliàs. vide Higyn. lib.2. & 3. Astron.*

763 Ister in tot ora] *quidam illi quinque. alij plura; qui plurimum, septem ostia, vt Ouid. 2. Trist. & Valerius Flaccus lib.8. Dionysius Afer verò & Claudian. de bello Gethico, quinque tantùm. vide inf. Thyest.376.*

766 Ta-

766 Tacente vento] *Non tollo: tamen aptius foret;* tumuit insan. mare iacente vento. *vel;* sonuit (*aut tonuit*) ins. m. Tacente v.

Nemoris antiqui] *scilicet lapsis frondibus, vel potiùs aliò translato nemore, & sic nudatâ domo. de Medea Ouid.*

Illa refrenat aquas, obliquáque flumina sistit,
Illa loco siluas viuáque saxa mouet. *Idem:*
——— conuulsáque robora terrâ Et siluas moueo.

771 Serta] *non amœnis floribus, sed venenatis ex herbis.*

772 Nouena] *sacer numerus iuxta Pythagoreos, cui vis, quia ex tribus ternariis* 773 Typhoeus] *numeratur inter venenata propter anguineos pedes, & ex eius sanguine quidam venenata animalia nata credunt. huius formam describunt Hesiodus in Theogon. & Apollodor. li. 1. Biblioth & eius cum Ioue conflictum & superûm trepidationem narrant, propter quam noster;* Qui regna concussit Iouis. *Typhonis in Ciliciâ cubile ostenditur: specus ingens, ore angusto, in quem demissa confestim exanimantur. Vide Melam lib. 1. cap. 13. Solinum Polyhist. cap. 47. & quæ dicemus Thyest. 808.*

Discors] *item quia, vt ait Hesiodus, de Genealog. Deorum.*

——— ἐκ δέ οἱ ὤμων
ἦν ἑκατὸν κεφαλαὶ ὄφιος, δεινοῖο δράκοντος,
γλώσσῃσι δνοφερῇσι λελειχμότες
——— ex humeris verò ei
Erant centum capita serpentis horrendi draconis
Linguis nigris lambentes ——— *quibus ille varios edebat sonos, interdum loquebatur, interdum mugiebat, aliàs rugiebat, aliquando latrabat, nonnunquam stridebat.*

774 Regna concussit Iouis] *omnes enim cælicolæ varias illius metu formas induerunt. Ouidius 5. Metamorph.*

Emissúmque imâ de sede Typhoëa terræ
Cælicolis fecisse metum, cunctósque dedisse
Terga fugæ: donec fessos Ægyptia tellus
Cœperit, & septem discretus in ostia Nilus.
Huc quoque terrigenam venisse Typhoëa narrat,
Et se mentitis superos cælasse figuris.

plura de Typhone Scholiast. Apollonij in extremum lib. 2.

776 Vectoris] *perperam Moguntin.* Victoris. *Vector ille Deianiræ, & victus ab Hercule.*

777 Quem Nessus] *quam violentus iste cruor fuerit, ostendet Octæus Hercules: item quia flumen in quod defluxit tam tetri odoris factum, vt ab eo accolæ Ozolæ dicti, testes Strabo lib. 1. & Eustath. Iliad. β´.*

780 Vltricis] *& hic quoque Moguntin. malè;* victricis.

782 Harpiia] *quæ ad Harpiias pertinent, nota, & narrantur ab Orpheo in Argon. Apollonio lib. 2. Argonaut. Hesiodo in Theogon. Apollodoro lib. 1. Biblioth. Eustathio in Odyss. μ´. & Izaacio in Lycophron.*

Zethum fugit] *expulsa è Phinei regiâ. vide Herc. Fur. 758.*

783 Sau-

783 Sauciæ] *quidam manuſ.* ſociæ? *non opinor probè.*

Stymphalidos] *ſic dictæ volucres à Stymphalo Arcadiæ lacu, prope quem nidificabant, vel à Stymphalo quodam Heroë; quibus alæ, roſtra, vngues ferrei; immanes & humanis carnibus inſaturabiles. Pauſan. in Arcad. Apollon. lib. 2. Higynus lib. Fabular. cap. 20. & 31. ſibi contrarius. vide Herc. Fur.*

785 Sonuiſtis] *latrarunt Hecates canes.*

Aræ] *confectæ ex ſanguineo ceſpite, vt ſtatim.*

Tripodas meos] *oraculum meum, certius mihi & ſacratius Delfico tripode; de quo conſule Cælium lib. 8. cap. 15.*

787 Triuiæ] *Hecates, ſeu Dianæ, ſeu Proſerpinæ; quæ triuiis præerat, & triplici facie pingebatur. Ouidius:*

Ora vides Hecates, in tres vergentia formas:
Seruet vt in ternas compita ſecta vias.

tergemina Virgilio, triformis Horatio & aliis. Latius exponit Euſebius li 3. de præparat. Euangel. cap. 3 tradens Lunam dici Hecaten, propter varias corporis eius formas, quas à diſtantia Solis ſumere videtur. Triformem quoque eius eſſe virtutem. nouiluniÿ virtutem, candidis & aureis veſtibus & ardenti face ſignificare: calathum verò, cùm iam media ſit, deſignare, quoniã creſcente lumine fruges maturat: pleniluniÿ virtutem ferrugineo colore denotare. verba ſunt; ἑκάτη δὴ ἡ σελήνη πάλιν, τῆς περὶ αὐτὴν μετασχηματίσεως καὶ κατὰ τοὺς σχηματισμοὺς δυνάμεως διὸ τρίμορφος ἡ δυνάμις, τῆς μὲν νουμηνίας φέρουσα τὴν λευχείμονα καὶ χρυσοδάνδαλον, καὶ τὰς λαμπάδας ἡμμένας. ὁ δὲ κάλαθος, ὃν ἐπὶ τοῖς μετεώροις φέρει, τῆς τῶν καρπῶν κατεργασίας, ὡς ἀναστρέφει κατὰ τὴν τοῦ φωτὸς παραύξησιν. τῆς δ᾽ αὖ πανσελήνου, ἡ χαλκοσάνδαλος σύμβολον, *&c. Apud Porphyrium ſic loquitur Luna; citante Euſebio extremo lib. 4.*

Ηδ᾽ ἐγὼ εἰμι κόρη πολυφάσματος, οὐρανόφοιτος,
Ταυρῶπις, Τρικάρηνος ἀπηνὴς, χρυσοβέλεμνους,
Φοίβη ἀπειροτεχνὴς, φαεσίμβροτος εἰλείθυια
Τρισοίχου φύσεως συνθήματα τρισσὰ φέρουσα.
Αἰθέρι μὲν, πυρόεσσιν εἰδομένη εἰδώλοις,
ἠέρα δ᾽ ἀργεννοῖσι τροχάσμασιν ἀμφικάθημαι.
Γαῖα δ᾽ ἐμῶν σκυλάκων δνοφερῶν γένος ἡνιοχεύει.

quorum compendium continet vulgata verſio non ſententiam, vt alia quoque pleraque conciſè nimis reddita, neque ex fide:

Naturæ triplicis ego ſum Lucina puella,
Taurea, itemque triceps, miſſa è cælo aurea Phœbe
Quam multæ variant formæque, trináque ſigna:
Quæ terna & ſimulacra fero, terræ, aëris, ignis.

Incertus auctor, ſed vetus:

Terret, luſtrat, agit; Proſerpina, Luna, Diana;
Ima, ſuperna, feras; ſceptro, fulgore, ſagittâ.

& Prudentius libro 1. contra Symmachum; de Proſerpina:

Et regnare ſimul cælóque, Erebóque putatur;

Nunc biiuges frenare boues, nunc sæua sororum
Agmina vipereo superis immittere flagro:
Nunc etiam volucres caprearum in terga sagittas
Spargere: térque suas eadem variare figuras.
Denique cùm Luna'st, sublustri splendet amictu:
Cùm subcincta iacit calamos, Latonia virgo'st:
Cùm subnixa sedet solio, Plutonia coniux.
Si verum quæris, Triuiæ sub nomine dæmon. *&c.*

Qui locus me admonet, ne lectorem celem, aliquando me aduertisse versum illum Prudentij: Denique cùm Luna'st. *&c.* *cum duobus sequentibus referri ab Higyno lib. 4. Astronom. c. de Lunâ, non citato auctore, si vulgatis exemplaribus, quæ sola vidi, credimus. nam ego quidem censeo nunquam illos ab Higyno positos, sed ab impudenti quopiam sciolo insertos. conferas præcedentia cum subsequentibus; facilè deprehendes eo loci minimè necessarios. Idem opinor bonorum adulterator librorum etiam lutulentas manus iniecit paullo priùs in cap. de Sole, tribus eodem modo Prudẽtij versibus intrusis. Etsi enim hunc Higynum ab antiquo illo, Augusti liberto, (dissentit Turneb. lib. 16. aduersar. cap. 1.) alium credam; non tamen tanto posteriorẽ Prudentio, vt eius versus eo nec nominato planè præter rem mutuari voluerit. Citantur etiam priores duo à Calpurnio Basso comment. in Germanici Phainom. simili similis planè flagitiô: nisi Bassus iste ignobilis quispiam & tanto recentior Prudentio; vel imponant, qui Calpurnio Basso commentarios illos inscribunt.*

792 Propiore] *præ metu artius stricto, & ad se propius adducto: vel propiore nobis, quia cælo deducitur.*

795 Dictynna] *Cretensibus quidem Dictynna dicitur Dianæ socia Britomartys, quæ, castitatis tuendæ causâ, se in mare præcipitauit (Pausan. Corinthiac. seu lib. 2.) obtinuit tamen, vt hoc nomine Diana intelligatur, cui id tribuunt Græci Latiniq́: & in Laconiâ fuit ædes Dianæ Dictynnæ, teste Pausaniâ in Lacon. seu lib. 3. quod retib. delectetur. rete enim δίκτυον.*

797 Cespite] *Apollonij versus, sic vertunt:*

Obserua, medium vt nox fecit humida cursum,
Fluminis ipse petas vndas, vbi lotus, & vnus
Cyaneâ veste indutus, fodere ipse memento
Mox foueam. iugulata tibi sit protinus agna
Femina, & ibi super foueâ pyra structa cremetur.
Atq. voces Hecaten Perseida, melláque libans
Dulcia munera apum, places hanc. sacrísque peractis
Rursus abire pyrâ moneo. conuertere nullus
Te retrò strepitúsve pedum, fremitúsve caninus
Cogat. nam sacri fiet labor irritus omnis.

confer etiam cum sacro Tyresiæ in Oedipo.

805 Ramus] *qualem somno tribuit Virgilius:*

Ecce Deus ramum Lethæo rore madentem

Viique soporatum Stygiâ —— *arbores ad Stygem nata venesiciis idonea habebantur.*

806 Sacro feriam brachia cultro] *ritus sacerdotum Baal 3. Reg. 18. item Cybelles, & Bellonæ.*

812 Quod si nim.] *inuocabant Hecaten Magæ; sed quia sciebant iracundam & terribilem & ad malum pronam, id non sine præfatione: ab iracundiâ enim Brimo dicta; & à sæuis terriculamentis, quæ in aduentu eius cernebantur, & à fremitu qui tum terribilis audiebatur. declarant enim hoc pacto hunc locum ista Scholiastæ Apollonij in lib. 3.* δοκοῦσι γὰρ αἱ φαρμακίδες τὴν Ἑκάτην ἐπάγεσθαι. Βριμὼ δὲ αὐτὴν προσηγόρευσε, διὰ τὸ φοβερὸν καὶ καταπληκτικὸν τῆς δαίμονος καὶ φάσματα ἐπιπέμπειν τὰ καλούμενα ἑκατεῖα. καὶ πολλάκις αὐτὰ μεταβάλλειν τὸ εἶδος, διὰ τὸ Ἔμπουσαν καλεῖσθαι. ἢν παρὰ τὸν βρόμον, τὸν τοῦ πυρὸς ψόφον. τόσσος γὰρ πέλεται βρόμος. ἡ γὰρ θεὸς λαμπαδοῦχος· τὸ δὲ Βρι ἐπιτάσεως ἐστὶν, ὡς τὸ-βρ-Ἰήπνος ὄβριμος Ἄρης Ἴσως οὖν Βριμὼ, ἡ μεγάλην ἔχουσα μῆνιν βριμηνίς τις οὖσα.

814 Persei] *Hecate Perses Regis filia, Solis neptis, teste Dionysio Milesio; vel Aristai iuxta Pherecydem filia, vel Iouis & Asteriæ iuxta Musæum. Bacchylides noctem illi dat matrem;* Ἑκάτα δᾳδοφόρου νυκτὸς μεγαλοκόλπου θύγατερ. *In Orphicis dicitur Cerere nata:*

καὶ τότε δὴ Ἑκάτην Δηὼ τέκεν εὐπατέρειαν.

Hanc Dionys. Milesius in Argonaut. scribit, occiso patre Perseo, Aeetha patruo nupsisse, eiq; peperisse Medeam & Circem; fuisse virilis animi mulierem, venationi & medicinæ veneficiisq; deditam. vide verba Dionysij apud Schol. Apollonij in lib. 3 ver. 200. Hesiodus & alij dissentiunt. vide aduersar.

823 Prometheus] *alludit ad vulgatam traditionem Hesiodi, Horatij & aliorum; Prometheum subduxisse furto ignem calestem, atque mortales ignis vsum docuisse. Plato, de hac re latè agens in Protagorâ inter cetera;* ἀπορίᾳ οὖν ἐχόμενος ὁ Προμηθεὺς ἥντινα σωτηρίαν τῷ ἀνθρώπῳ εὕροι, κλέπτει Ἡφαίστου καὶ Ἀθηνᾶς τὴν ἔντεχνον σοφίαν σὺν πυρί. ἀμήχανον γὰρ ἦν ἄνευ πυρὸς αὐτὴν κτητὴν τῷ ἢ χρησίμην γενέσθαι. καὶ οὕτω δὴ δωρεῖται ἀνθρώπῳ. τὴν μὲν οὖν περὶ τὸν βίον σοφίαν ἄνθρωπος ταύτῃ ἔσχε. Cúmque aliam salutis humanæ viam consultans Prometheus non inueniret, surripuit Vulcani Mineruæque artificiosam pariter cum igne sapientiam. neque enim fieri poterat, vt eam sine igne quis nancisceretur, vel etiam vteretur. Eum itaque sic hominum generi Prometheus intulit, atque ita sapientiam, quæ victum suppeditat, consecuti sumus.

826 Mulciber] *Vulcani ignes insopibiles esse putabant. ideo meminit Martianus Capella lib.* 1. Lemnius faber insopibilis illi perennitatis igniculos accendit.

828 Mediæ dona Chimæræ] *Mediæ. quia auctoribus Hesiodo & Homero, capite leo, ad caudam draco, medio corpore chimæra, horrendè efflabat vim ignis ardentis. ideo flammiuomam vocat Epinicus in Supposit. apud Athenæum lib. 11. & apud eundem lib. 13. dicitur Chimæra scortum significare; eodemq; sensu Pierius lib. 1. 10. & 14. Hieroglyph. ad lasciuiam retulit.*

quia

quia (vt tradit Fulgentius li.3. Mytholog.) lasciuia amoris inuadit saltu leonino, procacitatem deinde igneam inducit, vltimò venenum & pœnitentiam infundit. Hesiodi interp. & D. Nazianzenus orat.1. in Iulian. accommodant tribus partibus Rhetorices: per leonem denotari iudicialem, ob terrorem qui reis incutitur: per capram, demonstratiuum, quòd in eo dictio plurimum lasciuiat: per draconem, deliberatiuum propter argumentorum varietatem, longioresq. circumductus, & quasi spiras quibus opus in persuadendo. Re ipsâ fuit Chimæra mons Lyciæ igniuomus, teste Pomponio lib. 1. cap. 15. cuius aquis flammas accendi, fœno aut terrâ exstingui tradit Plinius lib.2. in eius cacumine leones, in medio capræ, in imo serpentes degebant: vnde nata fabula, de qua consule Hesiod. in Theogon. Homerum & Eustath. Iliad. ζ'. Pindarum Olymp.13. Apollodor. lib.2. Biblioth. Strabonem lib.15. Plutarch. in Parallel. Higyn. Palæphatum & Albricum.

830 Tauri] *flammiuomi, quem Hercules occidit; vel potiùs quos Iason domuit, de quibus alibi:* Flammeum Aeethæ pecus.

831 Medusæ] *Tres Gorgones Phorci filiæ, Medusa, Steno, Euryale, vnicum oculum, quo vicissim vtebantur, humeros alis, caput anguibus pro comâ ornatum, dentes instar apri quadriennis, vngues æreos habebant. Surrepto Perseus oculo, Medusæ caput amputauit; cuius è cruore statim nati Chrysaor & Pegasus, & in Africâ varium genus serpentium. quæ caput intuebantur, saxei fiebant. Hesiod. in Theog. Ouid. in Metamorph. Apollodor. lib.2. Biblioth. Higyn. in fabulis, & Bassus in Germanic. Apollonius & Scholiast. sub fin. lib.4. Mythologias suggerunt Pisidas lib. de vitæ vanitate. Izaac. in Lycophron. Fulgent. lib.1. & 3. Pierius lib.16. Hieroglyph. Ad historiam reducunt Diodorus lib.3. Athenæus lib.5. cap. vlt. Pausanias in Corinth. seu lib.2. & Albricus lib. de Imaginib. Gorgonidum insularum meminit Plinius lib.6. cap.31. Quædam Lilius Syntagm.5.*

830 Semina flamæ] *sic Lucretius lib.*1. Semina ardoris.

839 Latratus] *latrabant canes Hecatæ comites.*

Theecrit. εἰδ'. 2.

—— κύνες ἄμμιν ἀνὰ πτόλιν ὠρύονται.
ἁ θεὸς ἐν τριόδοισι.
—— canes nobis per vrbem latrant:
Dea autem adest in triuiis.

Virgilius 6. Æneid.

—— visæque canes vlulare per vrbem
Aduentante Deâ ——

Horatius libro 1. Sat. 8.

—— serpentes, atque videres
Nocturnas errare canes ——

Videndi Lilius Syntagm. 12. Turnebus lib. 13. aduersar. cap. 12. & lib. 16. cap. 4. & quæ dicemus Oedip. vers. 569.

840 Sacros edidit ignes] *nam illâ aduentante solum tremebat, & thedarum fulgur cernebatur, auctor Scholiast. Apollonij, & Turn. li.15. cap.8.*

IN CHORVM.

857 Genæ] *pro parte quâ viris primùm barba naſcitur. ita Pacuuius:*

Nunc primùm opacat flore lanugo genas. *notat Feſtus, addens etiam eas partes, quæ ſub oculis, genas dici, & ipſas quandoq́; palpebras.*

862 Tigris] *De tigridis amore in catulos & arte quâ capitur, de furore relictæ in litore, de ſpeculo quo retardatur, de ſpontaneâ morte multa, præter Claudianum Plinius lib.8.cap.10. Solin. Polyhiſt. cap.21. D. Ambroſ. libro 4. Hexamer. & Eucherius eo refert illud Iobi, iuxta Hebræorum contextum.* Tigris periit eo quod prædam non fuerit aſſecuta. *fuſiſſimè omnium Wottonus lib.5. de different. animal. cap.81.*

865 Frenare] *præcedentem verſum, ex coniectura, poſt tres qui ſequebantur, edi iuſſi. Non comparat Medeam chorus tigridi, quod iras & amores nequeat frenare; ſed quod furore cæca huc & illuc pedes ferebat, nullo in loco valens conſiſtere, quam iræ vehementiam poſtquam graphicè chorus; ſubiungit* ἐπιφωνηματικῶς, Frenare neſcit, &c. *Quod ſi vulgatum tuearis ordinem, cogêre cum vett. impreſſis,* τὸ; ſic, *omittere.*

870 Colchis] *à patriâ. ſic etiam vocat Archias lib.1. Epigramm. ſic Latini poëtæ cuncti. Corintheam tamen fuiſſe Medeam, cenſent Scholiaſt. Apollonij & Pindar. Olymp. 13. quia Corinthus paterna eius poſſeſſio. vt docet Eumelus his verſibus:*

ἀλλ' ὅτε δ' Αἰήτης καὶ Ἀλωεὺς ἐξεγένοντο,
Ἠελίου τε καὶ Ἀντιόπης, τότε ἄνδιχα χώρην
δ' ἄσατο παισὶν ἑοῖς, Ὑπερίονος ἄγλαος υἱός.
ἣν μὲν ἔχ' Ἀσωπὸς, ταυτὴν πόρε δίῳ Ἀλωεῖ.
ἣν δ' Ἐφύρην, κτέατεσσ' Αἰήτῃ δῶκεν ἅπαζαν
Αἰήτης δ' ἄρ' ἑκὼν, Βούνῳ παρέδωκε φυλάσσειν.
εἰσόκεν αὐτὸς ἵκοιτ' ἢ ἐξ αὐτοῖο τις ἄλλος
ἢ παῖς ἠδὲ υἱωνος, ὅ δ' ἵκετο κόλχιδα γαῖαν.

ait Hyperionis filium Apollinem, filiis ſuis ex Antiopâ, Aeetæ & Aloëo, hereditatem ſic diuiſiſſe; vt Aloëus vicinam Aſopo Regionem, ſed Corinthum Aeetes acciperet vniuerſam. Aeëthæ portionem ſuam diſplicuiſſe, & Buno retinendam cuſtodiendamq́; tradidiſſe; donec quis ex ipſo filius nepóſve, olim illam reddi poſtularet: atque ita Aeëtam Colchos profectum, ibi imperaſſe neglectâ Corintho. Aliam prætereà rationem reddit Pindari Scholiaſtes, ſed minus veriſimilem.

877 Dux noctis heſperugo.] *hoc loco Moguntin. manuſc. & impreſſi tres Venetiis, vnus Herbipol. & vnus Baſileæ conſtanter;* Dux noctis Heſperus. *ſic etiam iidem ſup. ver. 856.* Quis credat exulem, *non;* exulátem. *& ver. 864.* Gangeticum nemus, *abſque;* ſic. *Sed alij codices agnoſcunt,* Heſperugo, *& numeri poſtulant. Stella Veneris, de qua Plinius lib.2.cap.8. Cicero de nat. Deorum. Cleomedes libro 1. Meteor. de eadem Iob cap. 38.* Numquid producis Luciferum in tempore ſuo, & Veſperum ſuper fines terræ conſurgere facis? *paſſim poëtæ. Piſidas:*

Ἢ τίς τὸν αὐτὸν εὐσυνόπτως ἀστέρα,

Καὶ

Καὶ Φωσφόρον γνοὺς, καὶ σκοπήσας Ἕσπερον,
Οὐκ οἶδεν αὐτὸν ἐργάτην διπλοδρόμων,
Κήρυκα νυκτὸς, καὶ προφήτην ἡμέρας. *Morellius*:
Quisve vnum & idem sidus acri lumine
Modò Phosphorum, modò Vesperum, si perspicit;
Hoc nesciat binorum opificem cursuum,
Lucis prophetam, noctis esse nuncium?

Cinna in Smyrnâ:
Te matutinus flentem conspexit Eous,
Et flentem paullo vidit pòst Hesperus idem.

Manilius lib. 1.
Nec matutinis fulgeret Lucifer horis,
Hesperus immerso dederat qui lumen Olympo.

Seuerinus Boëtius:
Et qui primæ tempore noctis
Agit algentes Hesperus horas,
Solitas iterum mutat habenas
Phœbi pallens Lucifer ortu.

Martianus Capella lib. 8. de Nupt. Philolog. scribit Veneris stellam aliquando solem transcurrere, aliquando subsequi, aliquando superferri, nonnunquam subiacere: nunc facere ortum, & vocari Luciferum; nunc post occasum Solis effulgere, & vesperum vel vesperuginem nominari. Diuersis ergo, non eodem die; manè solis ortum præcedit, & vesperi subsequitur: quod etiam ex Vitruuio deprehendas. Cicero quoque in lib. de Vniuersit. testatur Luciferum cursum habere solis celeritati parem, & ita fieri vt modò vincat, modò vincatur. quando sole tardior est, tunc oritur mane ante ortum solis, eumq́; præcedit; quando celerior, tunc vesperi subsequitur occidentem. Glossar. Vesperugo ἕσπερος. *Vocatur Hesperus etiam Noctifer & Nocturnus, teste Turnebo libro 24. aduers. cap. 27. Catullus*:
Iamdudum Oetæos ostendit Noctifer ignes.

Plautus in Amphitruone:
Credo Nocturnum obdormiuisse ebrium.

Papinius: Roscida iam nouies cælo dimiserat astra
Lucifer, & totidem Lunæ præuenerat ignes
Mutato Nocturnus equo —— *qui locus potuit virum doctum admonere, cuius demortui in Plautum commentarij editi, ne Nocturnum noctis Deum exponeret. Quis enim apud poëtas noctis Deus? Noctem ipsam, Deam dici inuenio: noctis Deum, non magis quàm diei. Nisi fortè sic Martianus Nocturnum accepit lib. 1. cùm illum Consentibus, Penatibus, Laribus, & Opertaneis adnumerat. Glossar.* Noctiuago νυκτοδρόμος.

IN ACT. V.

886 Vt iussus] *sic Herbip. & Venet. Bernardini, sic Lugdunens. sic m. s. Caietan. nescio cur mutarit, in;* Et iussus. *inde N.* Emissus. *ait: sic furere flammas, quasi ex præscripto & mandato.*

890 Effer citatum.] *Euripides:*

O quæ dirum nefarie deſignaſti facinus
Medea, fuge, fuge; ſeu potes, nauigio;
Seu volucri per terram vehiculo.

Pelopeia] *Corintho. nam & Iſthmo Pelops imperauit.*

899 Iamque ſic temet] *vulgatis conſentiunt Eguian. & Mogunt. m. ſ.*

933 Non ſunt mei] *Sophiſta quidam ſic facit loquentem;* Occide Medea Iaſonis filios, hominis iniqui, improbi patris, hoſpitis mali: *apud Stobæi Neophronem ita Medea ſecum deliberat:*

Age verò. quid facies anime? conſulta benè
Priuſquam pecces, & cariſſima
Tibi reddas infenſiſſima. quo tandem exis miſer?
Reprime voluntatem & vim impiam.
Sed quid hæc lugeo: cùm animam meam
Videam deſeri atque negligi,
A quibus id minimè oportebat? molles ſcilicet
Et timidi ſunt, huiuſmodi mala qui tolerant.
Ne relinquas anime teipſum in malis.
Hei mihi! ſtat ſententia. ô pueri ex oculis
Diſcedite. iam mihi cruenta magnum
Subiit rabies animum. ô manus! ô manus!
Ad quale facinus armamur! Heu quid
Tantum infelix audebo; quæ diuturnum laborem breui
Perditura meum pergo tempore!

939 Vt ſæua.] *Ouidius in epiſt. Cydippes:*

Ipſa velut nauis iactor, quam certus in altum
 Propellit Boreas, æſtus & vnda refert.

Papinius libro 1. Thebaid.

Qualiter hinc gelidus Boreas, hinc nubifer Eurus
Vela trahunt: nutat mediæ fortuna carinæ.

eadem comparatione vtitur lib. 3.

849 Oculis pereant patris] *ſic Moguntin. Herbipol. & tres Venetæ: recentiores addiderunt;* ſed oculis per. pat. *quidam;* in oculis per. pat. *amplector vet. cod. Lipſij in quo;* gementes. oſculis pereant patris.

853 Inuiſam manum] *non malè quidam lib.* domum. *ſolitum ſuum hoſpitium, pectus meum, inuadit ira & furor.*

955 Natos] *Duos fuiſſe voluit etiam Ouidius 7. Metamorph. Apollodor. lib. 1. Biblioth. & Higynus cap. 25.*

960 Anguis] *viſis furiis & audito verberum ſono, ad inſaniam homines adigi credebant, patet hic & Herc. Fur. actu 4.*

Flammifera Erinnys verbere excuſſo ſonat, *&c.*

idem Horatius, vt intelligo, de Bellonâ ſignificauit lib. 2. Sat. 5.

——quem cœpit vitrea fama,
Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.

hic

hic inquit insanus, non attonitus tantum, censendus.

963 Frater] *Absyrtus, quem conueniunt omnes ab impiâ sorore laniatum: sed Pacuuius & Diodorus Aegyaleum vocant. plerique volunt fuisse germanum fratrem, Sophocles in Scythis vterinum tantum. Timonax* τῶν σκυθικῶν. β'. *& Apollonius lib.3. ob formæ præstantiam Phaëtontem nominarunt. Quidam Medeâ natu maiorem faciunt, quibus fauet Valerius Flaccus: Pherecydes in lib.7. à Medeâ ex cunis infantulum sublatum, & in mari postea necatum tradidit; quod tamen in patriis ædibus patratum mauult Sophocles in Colchid. sed Apollonius propè Istrum, Plinius in insulis quæ ab hoc facinore Absyrtides nuncupatæ. vide Scholiast. Apollonij in lib.4.*

976 Approba populo manum] *contra Horatij præceptum filios coram populo trucidat. quia tãtus furor, quantum superius descripsit, supremo actu, quem oportet multum assurgere, nudâ commemoratione, pro dignitate exprimi nequiuisset. spectandum facinus, non narrandum auditoribus fuit. decorum ergo seruatum. aliter Riccius conatur excusare, lib.1. de imitat. Mihi videtur melior causa, quam dixi.*

978 Auctorem] *manusc. Eguianus;* auctricem. *nouè.*

986 Dum faciunt] *dum sustinent facere.* ἐμφατικῶς.

992 Inuitam] *manusc. Moguntin. & excusi veteres omnes;* inuisam. *vno sensu: odit me voluptas & lætitia, subit tamen.*

996 Congere] *Euripides:*

IA. Me hæc funera sepelire & lugere sinas.
MED. Minimè. quando ego ipsos hac sepeliam manu,
Delatos in templum Iunonis Acreæ Deæ.

1010 Nimium est] *Moguntin.* Minimum. *rectè, si sic dispungas.*

—— vt duos perimat, tamen
Minimum est. dolori numerus angustus meo.

1014 Morámque saltem, &c. *vt excudi, legitur in o.l. impressis & m.s. Lipsius tamen censet* hæc confusa, nec sanæ mentis. Iason (inquit) cupit statim interimi liberos, non tractim mori & per singulos artus. Ea enim sentẽtia primi versus. At pugnat ecce alter, & quærit supplicij moram. Denique Medea respondet quasi ex voto, & exorata. Omnia (*addit*) contra sunt. *& suspicatur versus præposterè locatos, & digerendos sic:*

—— haud vltrà precor.
MED. Perfruere lento scelere. ne propera dolor,
Morámque saltem supplicibus dona meis.

ita enim se malle quàm, suppliciis. *Istâ mente.* Optas, inquit Medea, citò defungi hoc spectaculo? haud fiet. & cum irrisione, Ne propera mi dolor, & moram saltem indulge his qui tibi supplices. *Hæc ille. Fateor multo concinnius. si quis mauult nihil mutari, Bernardinum fortè sequatur; qui vult postulare Iasonem, vt si filium velit occidere, moram donet ad fugiendum, ne scelus tantum spectare cogatur. & Medeam respondere, id sibi gratum. nolle se festinare. restare temporis satis. sed quis frigere istud non videt? Acutius N. lib.2. suspicion. cap.* XI. *secundo versu nõ quæri supplicij moram,*

sed

" *sed festinationem. cùm enim (ait) petit donari moram suppliciis suis, nihil*
" *aliud petit, quàm vt maturentur. Ratio hæc est, si moram donauerit Medea,*
" *non iam ampliùs erit in eius manu. acumen est scholasticum. Quod ego quidem non capio. mõstri simile, moram qui petit, festinationem petere; qui petit differri supplicium, petere vt maturius sumatur. quasi dicas, qui ait, negare; qui abnuit, annuere. Ausi hæc alij, audendum & nobis nonnihil. versiculum* 1017. *puto non sua in sede nunc inueniri; reduxerim ad* 1006. *hoc modo:*

Me dede neci, noxium macta caput,
Infesta memet perime. MED. misereri iubes.
Hac qua recusas, &c.

& postea:

Meus dies est, tempore accepto vtimur.
Benè est, peractum est, &c.

Ipse occidi malebat Iason, quàm filios se coram. At Medea, Velles (ait) mori. remedium & portum malis quæris. ast mihi certum te nece filiorum in oculos ingestâ, quod summè malum metuis, excruciare. & simul cum minis vno infantulorum iugulato, alterius quoque cædem parat. vt hunc eripiat; vnum dicit Iason pœnæ sufficere. Nec duos iram & tumorem animi sui explere subinfert illa posse. & occiso reliquo; scrutaturam se gladio numquid Iasonium adhùc in visceribus lateat. Refert Ias. non ingratum id sibi spectaculum fore, nec supplicem se illi vltrà: mortuis liberis, peragat cœpta; se quoque ipsam interficiat. hoc spectaculum sibi remissionem quandam & moram doloris fore (morámque saltem) *Quibus verbis efferatur aspis illa, & abiectâ sua necis mentione, pergit insultare afflicto. Ego verò largiar tibi moram lugendis, lauandis, sepeliendis liberis: adspectum quoque vindicis tuæ. quæ duo Iasoni acerbissima, viperam illam videre sanguine liberorum madentem, audire insultantem, & vlcisci nequire.*

1017 Misereri iubes] *vide Herc. Fur. versu* 512.

1022 Gemini serpentes] *Ouidius:*

Nunc ego Medeæ vellem frenare dracones.

1024 Aliti curru] *de quo Terentius, Varro, Marcipore:* Dixit Aeetæ Regi Medeam aduectam per aëra in rheda anguibus. *sic rescribo apud Nonium in* rheda, *vbi legebatur:* Varro Marcipore dixit, dixi regi Medeam, *&c. & Nonius monet ibi rhedam pro curru poni: propriè tamen Gallica vox est, & duarum rotarum vehiculi genus. An ab anguibus Medea vocatur* Anguicia? *nam glos.* Μηδεία, anguicia. *nempe ab anguibus carmine ciendis. Quare apud Horatium lib.* 1. *Odar.* Te nemus Anguiciæ, *& apud Silium lib.* 8. Anguiciam *non* Anguitiam *legendum, idq; de Medea ipsâ, non eius sorore, vt volunt, capiendum. Porrò non temere hoc de curru alite confictum. dæmones enim, etsi naturâ suâ corpus graue huc illuc ferri per aërem nequeat, præstare id possunt; quod non de assumptis modò corporibus; quod communiter theologi concedunt; (D. Thom. in 2. d. 8. a. 3. D. Bonauent. ibid. q. 8. Scotus q. 1. Durand. q. 2. & ceteri) sed de non assumtis etiam quantumuis magna sint, dummodo per id vniuersi ordo à Deo præstitutus non immute-*

Pab... lib. 1. Lect. cap 5.

mutetur, omnino certum existimo. Transferre ergo potest homines de loco in locum, etiam valde distantem, idq́; fecit interdum. nam duo millia porcorum præcipitarunt mali angeli in mare, Marci 5. & Satanas transtulit Christum Dominum à deserto in Hierusalem, & ab Hierosolymis in montem excelsum, Matth. 4. vt SS. Chrysost. Augustinus, Ambros. Gregorius, & cæteri Patres omnes obseruant: imò & D. Eusebius Emissenus à malo spiritu in desertum ductum significat, sed hoc à D. Chrysost. Euthym. Gregorio, & reliquis non recipitur. Boni angeli Philippum Diaconum, & Abacuck asportarunt, in Act. cap. 8. Daniel. vlt. Simon Magus à multis inspectantibus visus est in cælum eleuari, vt referunt D. Clemens Rom. lib. 6. constit. Apostolicar. Hegesippus lib. 3. D. Cyrillus Hierosol. Catech. Mystagog. 6. D. Epiphanius, Theodoretus, & alij. Confirmatur idem, quia multi reuerti sunt in locis distantissimis eò à Diabolo translati, vt testantur Alphonsus Castro libro 1. de hæret. punit. cap. 16. & Siluest. libro 2. de Strigib. de Pythagorâ Laërtius, de Apollonio id testatur Philostratus, de aliis Pompon. Mela lib. 3. cap. de Atlante monte, Plinius li. 1. cap. 5. Solinus in Polyhist. Olaus Magnus lib. 3. Region. Aquilonar. cap. 11. Spranger in Malleo malefic. & Spina q. de Strigib. cap. 5. & 12. & contra Ponzinibium Apolog. 1. cap. 4. Grillandus lib. de Sortileg. Nec audio plerosque iuris Canonici interp. qui vehementer ab hac sententiâ abhorrent, auctoritate c. Episcopi. 26. q. 1. vbi id ludificationi sensuum adscribitur. Vellem attenderent verba canonis; quæ satis innuunt, ibi non tradi hoc nunquam fieri, vt verè loco moueantur; sed dumtaxat, non semper id fieri, verùm sępenumero decipi maleficos. Voluit enim Conc. Ancyranum, non vim eam dæmoni adimere, sed maleficarum opinionem conuellere, quæ nunquam se falli, sed semper id verè euenire credebant. Nam, vt plurimum, mente dumtaxat abalienantur, quod etiam Olaus ipse vidisse se testatur. De huiusmodi exstasi, quam agnouit Plato, non malè accipias illud Virgilij 4. Æneid. alio quoque sensu intelligendum:

Sic explicant Castro vbi sup. & Bernard. Basin. de artib. Magicis propos. 9.

Hæc se carminibus promittit soluere mentes
Quas volet ———

Vehar] *euasit ergo, vt & postea manus Thesei: post obitum credita Medea nupsisse Achilli, auctores Ibycus, Simonides, & Apollonius, & in Ambrâ Politianus.*

1025 Sublimi ætheris] *sic manuscripti ferè omnes. sic veteres impressi quattuor. sic Lugdunens. sic Basileens. malè ergo N.;* æthere. *& manusc. Moguntin.* sublimis ætheris. *porrò* sublimus, *notum Prisciano & Nonio, sicut* sterilus, hilarus, *&c. Sallustius libro 3. histor.* sublima nebula cælum obscurabat. *Lucretius lib. 1.*

At nunc per maria ac terras sublimáque cæli

1026 Testare nullos.] *nam si qui forent, tantum scelus viuere non paterentur. Ethnicorum more: quibus supplicia malorum, Deos esse; impunitas, non esse persuadebat. apud Euripidem in Bacchis Cadmus:*

εἰ δ' ἐστὶν ὅστις δαιμόνων ὑπερφρονεῖ,
εἰς τοῦδ' ἀθρήσας θάνατον ἡγείσθω θεούς.

Quod ſi ſit vllus qui Deos contemſerit;
Huiuſce visâ morte iam credat Deos.

Electra apud Sophoclem:


ὁι δὲ μὴ πάλιν
δώσωσ' ἀντιφώνους δίκας,
ἔῤῥοιτ' ἂν αἰδὼς, ἁπάντων
τ' εὐσέβεια θνητῶν.

Neque rurſum illi
Iuſtas ſoluant pœnas:
Effluet omnis pudor, & pietas
Homines inter nulla futura eſt.

Huc pertinent illa Virgilij 1. Æneid.

Et quiſquam numen Iunonis adoret
Præterea, aut ſupplex aris imponat honorem.

Athenagoras in legatione ſcribit ab Alcmane & Heſiodo Medeæ diuinos honores tributos.



COM.

COMMENT. IN OEDIPVM.

ARGVMENTVM.

OEdipus Laij & Iocastæ filius, huius etiam maritus, illius occisor, Thebis regnabat, quando dira pestilitas ciuitatem inuasit. consultus Apollo; Laij necem, interfectoris exilio expiandam, & luis finem fore, respondit. Ignorabatur nomen interfectoris. Creon itaque vnà cum Tiresiâ vate mittitur vmbras per Necromantiam euocaturus; vt ab illis, quod extispicio & capnomantiâ nequiuerant, resciscant: quis reus ille, quem Phœbus innuebat. Respondet Laij vmbra, ipsum esse regem Oedipum. Negat ille: sed tandem nimiâ curiositate, mala sua sibi & aliis patefacit. Denique ingenti in se ipsum irâ percitus, sibi oculos effodit, in pœnam criminum quæ ignarus & imprudens consciuerat. Iocasta quoque se gladio confodit. Fugit orbus oculis in exilium.

In act. I.

1 DVBIVS] *quia obscurus, nubilus, & quid medium inter lumen & tenebras.*

3 Luctifera] *sic plerique N.* luctifica.

4 Iam cernet] *Burdigal.* perspiciet. *rectè Moguntin.* prospiciet.

Solatas] *viduatas, desertas hominibus.*

11 Obiacent] *minus rectè Moguntin.* adiacent.

12 Parentis] *putatiui. nam Polybus Corinthi Rex, OEdipum, regis Laij patris iussu expositum feris, pro suo aluerat.*

13 Vagans] *Moguntin.* vagus.

16 Delphicæ Laurus] *duo fuere oracula Delphica, sine quibus hæc fabula nequit intelligi. prius Laio de liberis sciscitanti, redditum in hanc sententiam;* Poscere Laium liberos eique filium nasciturum, à quo ipsum necari fata sanxissent. Id enim illi Pelopem imprecatum, ob occisum à Laio filium. *posterius accepit OEdipus; huiusmodi:* Procul à templo Diis inuisa proles abscede; qui necati à te patris thalamum conscendes, & tibi ex matre fratres procreabis. *priore territus Laius natum OEdipum, pedibus ferro ignito foratis, feris obijci mandauit: posterioris metu OEdipus Corintho in exsilium profugit, & nolens oraculo fidem fecit.*

23 Non ego penates] *sic omnes præter N. Non inquit à quoquam iussus,*

ſus, vel ſupplicium meritus, diſceßi Corintho: ſed metuens, ne ſcelera de me prædicta committerem, naturæ iuri conſului. vitaui parricidium, & inceſtum cum matre.

29 Cadmeæ lues] *Thebanæ, à quo etiam tota Bæotia olim vocata Cadmea, teſte Thucydide lib.* 1. *inde Propertius:*

Cùm tibi Cadmeæ dicentur Pontice Thebæ.

32 Semper nouis] *non ornatus causâ additum,* ſemper, *ſed vt funerum quandam continuationem ſignificet. Liuius lib.* 5. Nec vllum erat tempus, quod à nouæ ſemper cladis aliquo ſpectaculo ceſſaret. *ſic frequenter ſumunt ἀεὶ & inſerunt.*

34 Incolumis ergo, ſcilicet Phœbi reus] *ſic omnes codices, præter Mogunt. qui;* incolumis ego, tu ſcilicet. *quid ſi* Incolumis ergo tu, licet Ph. r. *Tu, inquit, quem. Apollo parricidam & inceſtum iudicauit, audebiſne ſperare Diis inuitis, & quaſi premium facinorum, ſalubre regnum? ſed nihil muto.*

36 Fecimus cælum nocens] *ſequitur elegans peſtis deſcriptio, valdè elaborata, & plena imitationis. nam videntur præcipui poëtæ, in hanc quaſi communem artis oſtendendæ campum excurriſſe. longum foret ſi ſingula hic in commentariis referrem: melius duxi & vtilius, vt vno curſu iuuenes imitationis cupidi queant percurrere, quæ olim collegeram, in finem libri reijcere.*

38 Leues] *quidam;* lenes.

39 Æſtiferi] *Moguntin.* æſtigeri.

Canis] *orto ergo Cane ſeu Sirio hæc peſtis viguit. nam ait, ſolem tunc in leonem primùm ingreſſum. Plinius:* Ardentiſſimo æſtatis tempore exoritur Caniculæ ſidus, ſole primam partem Leonis ingrediente. *li.* 2. *c.* 47. *mens ergo noſtri; Sol vectus Leone, auget æſtum & calorem canis, flammâ ſuâ nos adurentis. verum id eſt. nam Calpurnius Baſſus tradit, cùm Sol ad Sirium acceſſerit, Sirij calorem duplicari, & languore affici corpora.* Sirium *Græcè propter flammæ candorem;* caniculam *Latinè vocari. inde dies caniculares dici. Germanicus, de caniculâ:*

Cùm radios Solis tetigit, accenditur æſtu.

Plinius effectus miros huius ſideris recenſet libro 2. *cap.* 40. *& lib.* 9. *cap.* 16. *multa etiam ex Timoſthene & aliis, Scholiaſtes Apollonij in lib.* 2. *ver.* 518. *De nomine non conuenit, nam ſæpe* canis *cum* caniculâ *confunditur. cùm verè differant. nam duo ſidera canum. Vnum canis maior: alterum canis minor.* Minor, *vocatur Græco nomine* Procyon *à Manilio lib.* 5. *Firmico li.* 8. *cap.* 9 *Plinio lib.* 18. *cap.* 28. *& Auieno in Arati verſione, à Cicerone Latinè* Anticanis, *prior enim oritur & maiorem præuenit; hic propriè dicitur* Canicula. Maior, *propriè loquendo appellatur ἁπλῶς* Canis, *idem eſt Sirius, de quo noſter; etſi fortaßis vtrumque ſidus vno nomine complexus ſit. Calpurnius Baſſus apertè Maiorem vocauit Caniculam, his verbis: Sirium* autem ſtellam vocatam putant, propter flammę candorem, Latini autē ipſam *Caniculam* vocant. vnde & dies *Caniculares* dicuntur: *quia quandiu Sol in ipsâ eſt,* peſtifera eſt: ſed pro qualitate, *&c. Plinius etiam turbat. nam maiorem, vocat Caniculam d. lib.* 2. *cap.* 40. *&* 47. *& lib.* 9. *cap.* 16. *minorem*

verò li. 18. cap. 28. vt omnino ex precedẽtibus & ſubſequentibus verbis oporteat conijcere, de vtrâ loquantur ſcriptores, quando Caniculam *memorant. Ambigua etiam eſt vox,* Canis, *de ipſo ſidere Maioris toto, & de ſtella vnicâ, eius in linguâ; quæ fulgentiſſima lucidiſſimaq́ eſt, & propriè* Sirius *nuncupatur, teste Ptolomæo. Etſi Higynus lib. 2.* Sirium *aliam eſſe ſtellam velit, quæ ſit non in linguâ, ſed in capite Canis maioris: verùm aſtrologi Ptolomæũ ſequuntur. Quod tamẽ Higynus ſcribit, eam eſſe ſtellam Iſidis, hoc Ægyptiorum traditione aſtruitur; qui Iſidem in calũ tranſlatam à ſe* Sothim, *à Græcis* canem *vocari cenſent. & eſſe Sirium Iſidis ſignum. quia Iſis fertilitatis dea putetur, &* Sothim *ipſis fœturam ſignificet, quæ Græcis κύησις. ita factum vt ab his illa ſtella κύων, à Romanis canis dicatur. quæ prolixius Mercurius Ægyptius, & ex eo Plutarchus lib. de Iſide & Oſiride.*

41 Deſeruit amnes humor] *Aratus tradit Sirium vehementer exſiccare: & plerique volunt dictum à σειριάω, quia tunc fontes & flumina maximè areſiunt, & terra ſiccitate ſquallescit.* αὐαίνω. ἀποξηραίνω.

44 Obſcura cælo] *Sophocles:*

Vtinam igniferas excitet
Lampades Artemis;
Lyciorum quibus errat per
Culmina montium.

hoc eſt, vtinam ſerenos fundat radios, & clarâ luce micet.

45 Nouo] *inſolita ferrugine, & tenebris obnubilatur. Mogunt.* vano. *vanè.* 49 Denegat fructum Ceres] *Sophocles; —— οὔτε γαὶ*
ἔκγονα, κλυτᾶς χθονὸς
αὔξεται. *Item:*
φθίνουσα μὲν κάλυξιν ἐγκάρποις χθονός.
Nil tellus producit, fertilis olim. *Item:*
Corrupta fertilis periit ſeges. *ad ſenſum, non ad verbum.*

Opinabantur etiam Ethnici Deum infenſum ſceleribus, non ſinere (vt loquitur Pacuuius) grandiri frugum fœtum, nec miteſcere. *vide Victorium libro 15. variar. cap. 20.*

Ceres] *Segetes ipſæ. Attici (teſtatur Clemens Alexand. in Protrept.) frumentum vocabant, Cererem; Thebani vitem, Bacchum. obſeruo idẽ apud Romanos. hoc enim ſenſu Næuius:* Cocus edit Neptunum, Venerem, Cererem. *quo loco* Veneri *mallem* Liberum, *vel* Palladem *ſubſtituere. vt cocum ſignificet abligurriſſe, piſces, panem & oleum, vel vinum. nam, vt Venus pro oleribus; exemplum requiro. certè nõ pro lactucis, aut betâ. Et etiam alias ſcio apud Nonium Veneris nomen pro Bacchi nomine ſuppoſitum. Vide inf. ad ver. 488. De hoc loquendi modo Plutarch. in lib. de Iſide; ὥσπερ οἱ Διόνυσον τὸν οἶνον, Ἥφαιστον δὲ φλόγα, Περσεφόνην δὲ φησίπου Κλεάνθης τὸ διὰ τῶν καρπῶν φερόμενον πνεῦμα ποιητὴς δὲ τῆς ἐπὶ τῶν θεριζόντων,*

τῆμος ὅτ' αἰζηοὶ Δημήτερα κωλοτομεῦσιν.

vt hi qui Bacchum pro vino, Vulcanum pro flammâ accipiunt. ſic & Cleanthes alicubi Perſephonem ait eſſe ſpiritum, qui per fruges fertur.

& quidam poëta de messoribus dixit: Cùm lecti iuuenes Cereris iam membra secarent. *mox eum morem reprehendit, vt non satis pietati consentaneum. Crassus verò apud Ciceronem 3. de Orat. quando proprium verbum proprio commutatur, grauem esse in oratione modum & sæpè sumēdum censet*: ex quo genere (*inquit*) hæc sunt: Martem belli esse communem, Cererem pro frugibus, Liberum appellare pro vino, Neptunum pro mari. *&c. erat illi fortaßis ante oculos locus ille Næuij.*

Ceres adulta] *crescit quidem culmus & spicum, sed ardore exarescit. fatebor tamen, mallem dispunctione aliâ, & mente: videlicet,*

—— denegat fructum Ceres,
Adulta, & altis flaua cum spicis cremat, *&c.*

Fallit agricolarum spem Ceres frugum Dea. sinit quidem adolescere & grandiri fruges; sed priusquam maturescant, præuenit messorum falcem. ipsa iam adultum, & altum, & flauum culmum, cum ipsis spicis succendit & adurit: atq; ita exarescente culmo, sterilis fit meßis, nec vlli rei, non seges, sed palea.

53 Sed omnis] *Basileens.* & omnis. 55 Thalamos] *virum & vxorem.* 56 Quæstu carent] *Sophocles*:

Ast innumera ex vrbe,
Quæ cadit indefleta per agros,
Passim turba iacet —— *idem etiam Liuius lib. 25.* Postremò ita assuetudine mali efferauerant animos, vt non modò lacrymis, iustóq. cōploratu non prosequerentur mortuos; sed ne efferrent quidē.

60 Properátque] *ipsâ numerorum celeritate properationem indicat.*

63 Suæque] *illi ipsi qui funus curabant, funus efferuntur; & illis exequiis, quibus alios honorabant, ipsi tumulantur. Nec malè;* Duæque. *geminæ vnius funeris exequiæ; cui ducebatur, & qui ducebat.*

64 Tum] *præterea, quinetiam.*

Corpora alienis] *Thucydides*: nam alij occupatis, quas alieni extruxerant, pyris, mortuum suum imponebant, ignémque subiiciebant: alij cùm alter arderet, superiecto, quem ferebant, abibant.

67 Pars quota] *significat non cinefacta, sed vstulata tantùm cadauera.*

70 Cadunt medentes] *Thucydides*: Ipsâ curatione alij ab aliis luem accipiebant. 71 Affusus] aduolutus.

85 Hoc stare certo] *tralatione à militibus sumtâ, quibus de gradu deijci turpißimum.* Gradum, *Liuius, Tacitus, ceteri, vocant locum quem in acie miles occupauit. Neque id* Regium *tantùm, sed virorum omnium officium. Nam; vt Cornelius ait decus illud Historiæ; & prudentiæ ciuilis doctor optimus; fortes & strennuos oportet contra fortunam spes insistere: timidi & ignaui solent ad desperationem formidine properare.*

91 Gigantes] *Gigantum vox sumitur sæpe pro quibusuis hominibus, feris, robustis, audacibus, superbis, impiis, confidentibus in vi brachij sui. sic sumi docent Gennadius in Genesim, & Theodoretus; item D. Damascenus, & D. Chrysostomus: cuius hæc sunt*: γίγαντας, οὐ ξένην πλάσιν, οὐ δὲ ξένην μορφὴν, ἀλλὰ τοὺς ἥρωας, τοὺς πολεμικοὺς, τοὺς ἰσχυροὺς, Gigantes, non insita-

usitatum hominum genus aut peregrinum, non insolitam formam, sed Heröas & viros bellatores & fortes: *maximè tamen si vastâ ac procerâ mole corporis forent, quos Theodoretus vocat παμμεγέτεις ἀνθρώπους. Diuus Augustinus in Psal. 32. & 87. docet sumi pro superbis & fortissimis. Diuus Hieronymus pro inexpugnabilibus. & D. Hieronymi discipulus Philippus Presbyter lib. in Iob 2. cap. 26.* Gigantes appellat scriptura diuina, homines superbos, rebelles, & contumaces, vt fuit ille Nemroth Gigas venator contra Dominum. Diabolus quoque & sui, translato nomine Gigantes, propter superbiam nuncupantur. *Si tamen liber ille non potiùs Bedæ est. à Chaldæis dicuntur Gibbarin, à robore, Prouerb. 2. ver. 18. Dicti terrigenæ, quasi terrâ geniti. quod Græcum γίγας satis ostendit quasi γηγενής. genitus tellure. filios terræ vocat Paraphrast. Chaldæus Prouerb. 21. sic suprà in Hercule OEtæo, bis Hercules vocatur Gigas. Pressiùs tamen loquens Seneca, & ceteri etiam poëtæ, solis Titanibus nomen Gigantum tribuunt.*

92 Modis] *Moguntin.* nodis, *sed in marg.* modis.

95 Superba] *rectè Mogunt. Herbipol. & primus Venetus*; supernâ.

97 Conciperet] *non muto, etsi alij, vt Veneti, & Herbip.* concuteret. *notũ vel ex Alciati Emblem. Leones seipsos caudâ flagellare, vt irã stimulent.*

101 Fortis] *Moguntin.* sortis. *hoc est, ænigmatis, à cuius solutione, vel mea, vel feræ mors penderet. mea, si nequirem; illius, si soluerem.*

102 Triste carmen] *scilicet*:

Est bipes, est quadrupes in terris (soláque vox huic)
Atque tripes: mutat vocem solum, omnia campis
Inter quæ serpunt, quæ cælo & fluctibus errant.
Ast vbi contendit pedibus iam pluribus; illi
Deficiunt vires, & lentis robora neruis.

Alitis] *Sphingem Echidnæ & Typhonis filiam fabulantur, corpus canis, vultum puellæ, vocem humanam, alas auium, pedes leoninos habuisse; &, obsesso monte Sphincio, Thebanis ænigmata proposuisse, quæ qui explicare non poterant, occidere solitam. cùm verò suum soluisset OEdipus; adeo ægrè id monstrum tulisse, vt se de saxo præceps iecerit. copiosè ista narrant Apollodorus lib. 3. Biblioth. Higynus in Fab. cap. 151. & Palephatus, qui docet ex historiâ natam fabulam, vt & Strabo lib. 9. Sphingem facetè Anaxilas, in Iuuencâ, apud Athenæum, lenæ typum esse contendit, alludens ad ænigma paullo ante ascriptum.* Solui] *docui de homine intelligendum, qui* infans, *quadrupes*; vir, *bipes*; decrepitus, *assumto scipione tripes.*

104 Licuit perire] *amisisti occasionem fortiter occumbendi, cùm ænigma Sphingæum soluisti. nunc incassum optas mortem. capillatâ fronte, occasio: præterire siuisti, occipitium caluum non potes prehendere.*

105 Hæc] *se ostẽdit. nam Iocasta, & cum illâ regnũ, merces interẽtæ feræ.*

109 Phœbus] *Apollinem poëtæ semper cum Phœbo confundunt, cùm tamen vel sex iuxta Clementem in Protrept. vel quinque iuxta Arnobium lib. 5. fuerint Apollines; & solus Iouis F. Phœbus sit vocatus. huic ceterorum res gestas adscribunt; de hoc, quæ poëtæ canunt, intelligenda omnia.*

Si quam] *si fortè aliquam salutis rationem & pestis sedandæ modum Delphicum oraculum nos doceat: quo Creontem misi. & ad Apollinem potiùs, quàm quemuis alium Deum; tum quia hunc veridicum putabant: tum quia Soli pestilitatis ortum & cessationem ascribebant. vnde non Marti modò ante prælium, sed & Apollini* Pæan cōcinebatur, ὅτι παύει τὸν λοιμὸν, *quòd pestem sedet. testimonium dicit Homerus Iliad. ά. quo loco de* Pæane, *seu* Pæeane, *seu* Pæone *interpretes videndi, necnon Suidas. Hæc carmina, quæ in pestilentiæ remissione canebantur, etiam* ἐπιλοίμια *dicta, & ipse Apollo* λοίμιος, & ἴηιος, & ἀκέσιος, & ἀλεξίκακος. *Vide Lilium Syntagm. 7.*

IN CHORVM.

Pergit luis magnitudinem celebrare.

110 Cadmi proles] *Thebani. Sophocles:*

O stirps noua veteris alumna Cadmi.

111 Vrbe cum tota] *Ouidius lib. 2. Metamorph.*

Cúmque suis totas populis incendia gentes.

eadem phrasi vtitur Diodorus Siculus lib. 19. Biblioth. cùm dicit vrbes cum suis incolis omnino euanuisse; ὥστε δὲ τὰς πόλεις καὶ ἐνικοῦντας ἅπαντας ἀφανισθῆναι. *pulcrè Manilius de morbi huius rapacitate:*

Extulit antiquas per funera pacis Athenas.

item: Ac tanto quondam populo vix contigit heres.

rectè noster; occidis, *quia vt hominum, sic vrbium naturales quidam interitus ac mortes, Stoicis. Vide Pet. Fabrum lib. 1. Semestrium cap. 9.*

115 Mundo-primo] *Orienti.*

117 Cinnamis] *Solinus:* Cinnamolgus perinde Arabiæ auis, in* excelsissimis lucis texit nidos è fruticibus cinnamorũ; ad quos quoniam non est peruenire, propter ramorum altitudinem & fragilitatem: accolæ illas congeries plumbatis petunt iaculis, deiectásque preciis vendunt amplioribus: quod hoc cinnamum, magis quàm aliud mercatores probent. *de cinnamomo vide Isidorum lib. 17. Orig. cap. 8. Aegynetam li. de simplicib. medic. & Cadamustum in nauigationib. Indicis. Sequentes duos versiculos, vt expeditior sententia fiat, duxi transponendos. in quibus, quidam lib.* conuersi Parthi; *alij, & in his manus.* fallacis. *eadem mente.*

* Hoc malo; quàm excelsissimis.

123 Inficit Indos] *Moguntin. addit;* igne vicino. *sed Veneti;* Sole vicino. *vtrumque ab adtextu.*

130 Septem] *quarum apud Pausaniam in Boeot. hæc nomina, Electrides, Froetides, Neides, Creneæ, Ogygiæ, Homoloides.*

131 Stat grauis] *plena est & perfecta, nihil illi vt grauis dicatur deest. sic illud Virg. lib.* 12. cælum stare puluere; *exponit Maurus, plenum esse. & Porphyrion illud Horatij:* Vides vt altâ stet niue candidum Soracte, *hoc est, plenum sit niue. Nonius etiam inter ceteras standi significationes hanc agnoscit.* Plenam stragem *vocat figuratè, locum ipsum cadaueribus stratis oppletum.* 132 Funere funus] *Sophocles:*

Haud aliter quàm præpete pennâ
Liquidas scindunt auras auium densata agmina:

Sic

Sic alium aſpicias ſuper alium
Rapidóque ociùs igne
Triſtia ferri ad litora Ditis.

Manilius: Alter in alterius labens cùm fata ruebant.

133 Prima vis tardas] *Homerus Iliad. ά. primò correpta veterinaria iumenta, & veloces canes ſcribit. Silius Italicus*:

Vim primi ſenſêre canes: mox nubibus atris
Fluxit deficiens, pennâ labente volucris:
Inde feræ ſiluis ſterni: mox ſerpere labes
Tartarea, atque hauſtis populari caſtra maniplis.

137 Aureo cornu] *Valerius Flaccus lib.* 1.

——— dabit auratis & cornibus igni
Colla pater ——— *& lib.* 3.
Ibat agens lectas auratâ fronte iuuencas.

Sed, ſi Plinio credimus, cùm de minoribus hoſtiis, & inferorum ſacris agat Valerius, poëticè, non verò ritè locutus videtur. Plato in Alcibiade prodidit, exceptis Lacedæmoniis, Græcos omnes boues cornibus auratis ſacrificaſſe. Homerus Odyſſ. γ'. ——— βοῦν ἦνιν εὐρυμέτωπον,

ἀδμήτην, ἣν οὔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ,
τήν τοι ἐγὼ ῥέξω, χρυσὸν κέρασιν περιχεύας.
——— bouem iniugem, patalem,
Indomitam, quam nullus ſub iugum duxit vir,
Hanc ego tibi ſacrificabo, aurum cornibus circumfundens.

Cicero 2. *de diuinat.*

Nos circum latices gelidos, fumantibus aris,
Aurigeris Diuum placantes numina tauris.

boum epithetum à Tullio additum, ſolito in poëtarum carminibus vertendis multum ſibi permittere. apud Homerum Iliad. Ɛ., vnde tranſtulit, nihil inuenies quod illi reſpondeat. Aurigeros, *interpretor indutos aurum cornibus. Seneca lib.* 1. *de benefic.* Nec in victimis quidem, licet opimæ ſint; auróq; præfulgeant. *Trebellius Pollio, in vita Galienorum*; Proceſſerunt etiam altrinſecus centeni albi boues, cornibus auro iugatis, & dorſualibus ſericis diſcoloribus præfulgentes. *ergo etiam iungebantur, & quaſi iugo ſeu paxillo aureo impoſito cornua vinciebãtur. In antiquo lapide Romæ inſculptũ*:

* Vota Fauentinus bis deni ſuſcipit orbis,
Vt mactet repetens auratâ fronte bicornes.

* Hoc eſt, ſuſcipit votum vicennale.

Sed etiam coronabantur victimæ, vt docent Plin. lib. 16. *cap.* 4. *& Lucianus Dial. de ſacrificiis. Vtrumq; morem confirmat Prudent. de Romano Martyre*:

Huc taurus ingens fronte toruâ & hiſpidâ
Sertis reuinctus, aut per armos, floreis,
Aut impeditus cornibus deducitur:
Necnon & auro frons coruſcat hoſtiæ
Setáſque fulgor bractealis inficit.
Hic vt ſtatuta eſt immolanda bellua. *&c.*

& prior Plutarchus Paulli Æmilij triumphum describens: μετὰ δὲ τούτους ἤγοντο χρυσόκερω τροφίαι βοῦς ἑκατὸν εἴκοσι μίτραις ἠσκημένοι καὶ στέμμασιν. post eos ducebantur auratis cornibus boues centum viginti, vittis ornati & sertis. *videor obseruare, non tantùm quando immolandi; sed etiam quibus diebus agricolæ Cereri operabantur, boues aratores in ipsis stabulis solere coronari. Tibullus indicat lib.2.*

Luce sacrâ requiescat humus, requiescat arator,
Et graue, suspenso vomere, cesset opus.
Soluite vincla iugis. nunc ad præsepia debent
Plena coronato stare boues capite.

142 Segnior cursu sonipes in ipso] *Lucanus*:

Belliger assumtis sonipes defessus in aruis
Aduectos cùm plena ferant præsepia culmos,
Ore nouas pascens moribundus labitur herbas,
Et tremulo medios abrumpit poplite gyros.

143 Armo] *concidens in latus. non probo Eguiani scripturam*; aruo.

145 Pecudes] *de pecudibus consule Wottonum lib. 5. de different. animal. cap. 93. de diuersis boum generibus eundem cap. 92.*

149 Lupi ceruos-leonis-vrsis] *de lupis Wotton. lib. 5. cap. 78. de ceruis cap. 95. de leonibus cap. 81. de vrsis, cap. 83.* Cerui] *Ouidianum versum citans Seneca philosophus legit*; non fidere, *pro*, nec fidere.

150 Irati] *efferati, incitati. sic exponit ipsemet lib. 1. de ira cap. 3.* Dicendum feras irâ carere, & omnia præter hominem. nam cùm sit inimica rationi, nusquam tamen nascitur, nisi vbi rationi locus est. Impetus habent feræ, rabiem, feritatem, incursum: iram quidem, non magis quàm luxuriam. Non est quod credas illi, qui dicit,

Non aper irasci meminit, non fidere cursu
Cerua, nec armentis incurrere fortibus vrsi. Irasci dicit, incitari, impingi. Irasci quidem non magis sciunt, quàm ignoscere, *&c.*

151 Nulla villosis] *vrsis densitatem cutis & tergoris, vt propriam tribuit, lib. 2. de benefic.* Queruntur quod non magnitudine corporis æquamus elephantos, velocitate ceruos, leuitate aues, impetu tauros: quòd solidior sit cutis belluis,* densior vrsis, mollior fibris: quòd sagacitate narium nos canes vincant; quod acie luminum aquilæ, spacio ætatis corui, multa animalia nandi felicitate.

Sic in f. Burdegal.

155 Non silua sua] *sic legendum suadent numeri*

162 Phlegethon] *Deus fluuij genius: & quia amnis ille igneus; propter pestilitatis ardorem, huius meminit.*

163 Miscuit vndis-Sidoniis] *aquis Thebanis. nam Cadmus Sidonius fuit, qui Thebas condidit.*

Styga] *venenatis aquis Stygiæ paludis, amnes, fontes, puteos infecit. sic alij poëtæ: Claudianus in Rufin. lib. 1.*

Ac velut infecto morbus crudescere cælo
Incipiens, primò pecudum depascitur artus,

Mox

Mox populos, vrbésque rapit; ventísque perustis,
Corruptos Stygiam pestem diffundit in amnes.

Silius: Et patulam Cyanem, latéque palustribus vndis
Stagnantem Stygio Cocyti impleuit odore.

Lucanus, paullo aliter: ——— tali spiramine Nessus
Emittit Stygium nebulosis aëra saxis,
Antráque letiferi rabiem Typhonis anhelant.

Styx, fons Arcadiæ ponè Nonacrim, aquam habet, nimio frigore, letalem, adeò corrosiuam, vt omne metalli genus perfringat, soláque muli vel asini vngulâ queat contineri. test. lib. Plutarcho in Alexandro, Arriano lib. 7. de gest. Alex. Plinio libro 30. cap. 16. & Iustino libro 12. Stygiam ergo aquam pro ipsâ morte videtur, vel quouis deleterio sumere: & fingit factam huiusmodi commixtionem; quia docet experientia, aquarum corruptione pestilentiæ vim latißimè proserpere. 167 Nauita crudus] *sic Virgilius de eodem*:

Cruda Deo viridisque senectus. *& Tacitus in vita Agricolæ*: quibus cruda ac viridis senectus, clari bello, *&c. alludens ad Virgilianum illud. multi codices habent*; Nauita Charon. *quod retinui, quia sic m. s. & veteres impreßi omnes, etiam Lugdun. vt nesciam vnde N. illud*, crudus.

170 Vectare] *Schida Burdigal.* portare. *& præcedenti carmine Eguian.* laxata, *pro*; lassata.

172 Errasse locis] *hoc tempore pestis, multi credebant contingere, & in Loimographiâ dabimus exempla ex Procopio, Cedreno, Sigisberto.*

174 Simulacra virum] *vel quòd ita se res habeat, vel quod in cladibus publicis metus ipse faciat huiusmodi apparere. Dion, in Tito, auctor est, exundante incendia Vesuuio, homines giganteæ magnitudinis interdiu, noctúque per vrbes oberrasse. idem confirmat in Traiano. Pro prodigio hoc habuerunt etiam alij. Petronius Arbiter*:

Ecce, inter tumulos atque ossa arentia bustis,
Vmbrarum facies diro stridore minantur.

Lucanus, lib. 1. ——— venientes cominus vmbras.

Item: Tollentémque caput gelidas Anienis ad vndas,
Agricolæ fracto Marium videre sepulcro.

Ciceronis Vrania in 2. Consulatu:

Aut cùm se grauido tremefecit corpore tellus:
Iam verò variæ nocturno tempore visæ
Terribiles formæ, bellum motúsque mouebant.

Dionys. Halycarnaß. lib. 8. sub finem, scribit, Romæ obseruata multa prodigia, Deorum iram nunciantia; exauditas ominosas voces incerto auctore, obseruatas oculis nouas spectrorum facies, & hæc oculis atq; auribus hominum sæpè oblata. & lib. 10. cælum arsisse, terram cum mugitu tremuisse, varias spectrorum facies horrendasq; voces auribus atque oculis hominum frequenter exceptas. Ouidius 2. Fastorum:

Vix equidem credo. bustis exisse feruntur,
Et tacitæ quæsti tempore noctis aui,

Pérque vias vrbis, latósque vlulasse per agros
Deformes animas, vulgus inane, ferunt.

Maiora viris] *cur Critici mutatis? non aduertitis* Maiora veris, bis Cadmeum; *legi carminis aduersari? quin & Lepidius illud:* Simulacra virum Maiora viris. *Scitis quàm lubenter Seneca sic ludat. sententia denique eadem futura; & hoc omnes ad vnum codices astruunt. quæ ad explicationem, dicentur Troad. versu 179. ad illud:*

Emicuit ingens vmbra Thess. ducis.

181 Mugisse solum] *sic Thyeste:*

——— imo mugit è fundo solum.

Virg. 6. Æneid. Sub pedibus mugire solum, & iuga cœpta moueri
Siluarum ——— *quem locum videtur hic noster imitatus, nam vtrumque ponit, addens,* bis Cadmeum tremuisse nemus. *De Mugitus terræ omine, testis etiam Dion, in Tito, in Traiano, & in Seuero. & Salisberiensis li. 1. Polycratici in fine. Sanè vt plurimum luem hanc terræmotus præcedit, vt docebo in Loimographiâ. Effici autem sub terrâ sonitus, qui mugitus imitantur, quod pro portento quidam arripiunt, id naturale esse, & ab inclusis exhalationibus, percussis vel percutientibus, prouenire docet Aristoteles lib. 2. Meteor. cap. 8.*

175 Amphionios vlul. canes] *Thebanos canes. idem portentum habes Thyest. actu 4.*

180 Piger ignauos] *nunc sequitur notarum morbi descriptio: quas similes præter Lucretium, Thucydidem, Virgilium, quos antea retuli in Aduersar. etiam alij descripserunt. Ouidius:*

Viscera torrentur primò, flammæque latentis
Indicium rubor est, & ductus anhelitus igni.
Aspera lingua tumet, tepidísque arentia ventis
Ora patent, auræque graues captantur hiatu.
Non stratum, non vlla pati velamina possunt. *&c.*

Silius Italicus:

Arebat lingua, & gelidus per viscera sudor
Corpore manabat tremulo, descendere fauces
Abnuerant siccæ iussorum alimenta ciborum:
Aspera pulmonem tussis quatit, & per anhela
Igneus efflatur sitientum spiritus ora.
Lumina ferre grauem vix sufficientia lucem
Vncâ nare iacent, saniésque immista cruore
Expuitur, membrísque cutis tegit ossa peresis.

Lucanus autem:

Iam riget atra cutis, distentáque lumina rumpit,
Igneáque in vultus & sacro feruida morbo,
Pestis abit, fessúmque caput se ferre recusat.

186 Tingit] *suffundit. sic om. mei cod. tolerari tamen posse;* tendit, *docet Lucan. qui,* distentáq; lumina. *sed satis hanc notã noster cùm addit;* oculiq; rigent.

187 Sacer ignis] *Gloss. vet.* ἐρυσίπελας. *Lucanus vocat* sacrum morbum; *sed non intelligendus de morbo qui propriè sacer vocatur, sic enim* ἔρπης (*de quo Seneca, & quem ponit, post Lucretium, comitem istius luis*) *alius, quàm* ἱερὰ νόσος: *verum sacrum morbum appellat, dirum & abominabilem, eamq́; significationem confirmat etymologia tradita ab Alexandro Tralliano libro 1. cap. 14. & Arethæo li. 4. de diutur. affectionibus. Sacer morbus* (*vt docui*) *propriè epilepsia, caducus seu comitialis morbus, qui vnde nomē acceperit, disputat Mizaldus Centur. 4. Memorabil. aphor. 2. Sacer ignis in hominibus Zoster vel Zona; in gregibus, vocatur pusula, teste Columellâ lib. 7. de re rust. cap. 1.*

188 Pascitur] *exest. Silius hoc expressit, dicens peresa membra & cutem solis ossis tegimen. sic Virgilius,* Miseros depascitur artus. *probat hanc Metaphoram Aristoteles de poët. Et eâ vsos Euripidem & Æschylum eodem in versu ostendit: sed ita vt quod propter minus accommodatum vocabulum in isto abiectum visum, in illo eius verbi mutatione splendidum & illustre apparuerit. vterque in Philoctete ostendens quomodo hulcera pedis carnem exederent, sic dixit. Æschylus:* φαγέδαινα ἥ μου σάρκας ἐσθίει ποδός, Phagedæna mihi carnes vorat pedis. *at Euripides epulari dixit,* φαγέδαινα ἥ μου σάρκας θοινᾶται ποδός. *eodem sensu Virgil. carpendi verbo vsus:*

——— cæco carpitur igni.

192 Iámque] *toties amplexantur, vt ipsa saxa tot amplexibus iam fatigentur.* 195 Elato custode] *Defuncto eo ipso, qui ægrorum curam gerebat.*

198 Solum hoc] *mori.*

199 Delubra] *maximè Apollinis. causam dixi.*

201 Iuuat ipsos satiare Deos] *iuuat crudelitatem Deorum explere, & ipsis quasi exprobrare, in eorum conspectu emoriendo. sic Ouidius:*

Ante sacros vidi proiecta cadauera postes,
Ante ipsas; quo mors foret inuidiosior; aras.

Attius: Nunc pergamus, vt suppliciis cælitum aras expleam.

IN ACT. II.

Refert Delphicum responsum Creo: quo, quia auctor luis, non nominabatur, accersitus Tiresias conatur extispicio verum nomen eruere. Sed incassum omnia molitur. est autē hic actus plenus recondita haruspicinæ & superstitionū.

214 Nexa] *Moguntin. & plerique libri scripti;* flexâ. *rectè. flexiloqua vocauit Cicero. nam li. 2. de Diuinat. postquā dixerat:* sed iam ad te venio,

O sancte Apollo, qui vmbilicum terrarum obsides,
Vnde superstitiosa primum euasit vox fera:

Subiungit: Tuis enim oraculis Chrysippus totum volumen impleuit, partim falsis, partim casu veris, vt fit in omni oratione sępissimè, partim flexiloquis & obscuris. *vaticinantibus omnibus, præcipuè Apollini, hanc in fando* ἀμφιβολογίαν *perfamiliarem testatur Aristoteles lib. 3. Rhetor. ideo Tacitus li. 2. scribit:* Ferebatur Germanico per ambages, vt mos est oraculis, maturum exitium cecinisse. *ideo tradunt Synesius in lib. de somniis, Scholiastæ Pindari, & Sophoclis, & Seruius in 6. Æneid. Apollinem vocari* λοξίαν *ab Euripide, Æschylo & Pindaro, addo & D. Hieronymum: et si*

alias causas physiologiæ accommodas comminiscantur alij vt Phurnutus, Aenopides & Cleanthes apud Macrob.li.1.Sat.cap.17.& Izacius in Lycophr. quæ ad hunc locum nihil faciunt. Delphos orbis vmbilicum, statuunt etiam Pindar.Pyth.δ'.Sophocles in OEdipo tyr.Euripides in Oreste,Plutarchus in lib. de cessat. oracul. Ouidius lib. 10.Metam. & Claudianus & alij; quibus Cosmographiæ ratio repugnat: ibi in profundo adytus angusti specu oracula fundebantur,hoc modo.ponebatur tripes sacer in adyto,eum conscendebat Pythia, & insistens tripodi vaticinabatur, agitante dæmone.ita Strabo libro 6. Verius, amentem, vel temulentam saltem, malâ specus exhalatione fieri consueuisse, vt placuit Plutar. d.opere,& Plinio lib.2.cap.95. Diodorus autem lib.16.Biblioth. narrat,quomodo oraculũ innotuerit. scilicet pascentibus haut longè à specu capris, propius vnam accessisse, & confestim ecce tibi illam saltitare quasi lymphatam,discurrere, rotari,cernuari, & motus adeò incompositos edere, vt pastor (Plutarchus eum nominat Coretam) stupefactus rei nouitate,ipsemet specus illius periculum fecerit;& ingressus,ebrio similis,mente turbata, oracula fundens egressus sit. idipsum pluribus aliis accidisse, longóque tempore accolas, ita mutuo sibi futura solitos prædicere. Verùm postquam per insaniam non pauci se in specum præcipites iecerunt; placuit vnicam virginem deligi, quæ tripode conscenso consulentibus satisfaceret. Hæc Diodorus, & Trogus apud Iustin. lib. 24.

Ambage] *eodem casu Prudentius:*

Instigat bacchantis anus ambage Sibyllæ.

216 Ambigua soli nocere Oedippo datur] *sic quidam m.s. Moguntin.* Oedipe. *legendum;* Oedipodæ. *sic enim meliores quique codices, & Probus agnoscit Oedipodis & Oedipoda, & ait sic vti Senecam, cùm dicit:* Oedipodæ domus. *vbi si legeretur;* datur.*haut dubiè de hoc loco: & sic etiã, Probo teste, hæc fabula Senecæ. Potest etiam Græco accentu;* Oedipo, *mediâ productâ legi,vt nonnulli volunt.*

217 Sedem] *sic Lugdun.Basileens.Lipsiens.sed melius Herbipol. & Veneti,cum m.s. Burdegal. & Moguntin.* Cædem. *scilicet Laij; quem interfectum volunt propter diras,quas illi Pelops,cuius filium Chrysippum rapuerat, imprecatus. auctor Aristophanes Grammat.in Euripid. Dositheus tamen scribit Laio Pelopem ignouisse. Sophocles:*

Dilucido explicuit Apollo oraculo;
Piaculum hoc, quòd terra nutriuit diu
Procul vltimas abigendum oras protinus.

223 Horridum] *alij lib.*horrida.*Veneti,*horrido *num legendũ;*horreo.

227 Parnassi] *Parnassus mons Phocidis dictus à Parnesso Heroe, teste Hellanico; vel, secundùm alios à Neptuni filio Parnasso. prius Larnassus, à Larnace filio Deucalionis,vt scribit Andron.alij malunt ipsam arcam Deucalionis,quæ in eo quieuit, Larnacen vocatam, vide Schol. Apollonij & Stephanum. Herodotus duos eius esse vertices scribit,quorum vnus* Tithoreus, *alter* Hyampeus *vocetur: ceteri* Cyrrham *&* Nyssan *appellant.*

229 Castalij] *fontis ad ima Parnaßi, Virgilius & alij sapè meminere.*

Sacer

Sacer Musis, quæ illum accolunt. apud D. Augustinum libro 3. de Musica sunt hi versus, quos suspicor esse Pomponij Secundi, nam & eodem opere alios eius adducit, eo non nominato:

*Cunctæ igitur Camœnæ
Fonticolæ puellæ;
Quæ canitis sub antris
Mellifluos sonores,
Quæ lauitis capillum
Purpureum Hippocrene
Fonte; vbi fusus olim
Spumea lauit almus
Ora iubis aquosis
Pegasus, in nitentem
Peruolaturus æthram.

*For. cultæ, vel, inclitæ

230 Lethea] *dira, vel sui & decoris oblita.*

Commota] *Oecumenius in cap. 16. Act.* Pythia dicitur mulier quæpiam quæ insidere solet tripodi Apollinis diuaricatis cruribus; deinde hoc modo spiritus prauus infernè ascendens, & per loca mulieris transiens, eam insaniâ replebat; & hanc solutis crinibus sub hæc bacchari, spumámque ore cogebat emittere, & ita in debacchatione constitutam, insaniæ verba proferre. *En tibi oraculi Delphici ritum apertum: & horum, & similium apud poëtas, explicationem; quomodo Pythia intelligenda insedisse vel institisse tripodi: quomodo illo* ψευδοθείῳ *plena: quomodo commota à Phœbo. Nil fingo, en Græca verba:* λέγεται ἡ Πυθία αὕτη γυνή τις οὖσα ἐπικαθῆσθαι τῷ τρίποδι τοῦ Ἀπόλλωνος, διαιροῦσα τὰ σκέλη, εἶθ᾽ οὕτως πνεῦμα πονηρὸν κάτωθεν ἀναδιδόμενον, καὶ διὰ τῶν γεννητικῶν αὐτῆς διαδυόμενον μορίων πληροῦν τὴν γυναῖκα τῆς μανίας, καὶ ταύτην τὰς τρίχας λύουσαν λοιπὸν βακχεύεσθαί τε καὶ ἀφρὸν τοῦ στόματος ἀφιέναι, καὶ οὕτως ἐν παροινίᾳ γενομένην τὰ τῆς μανίας φθέγγεσθαι ῥήματα.

232 Maior humano] *sic Plutarchus, in Camillo;* φωνῆς δὲ μείζονος ἢ κατ᾽ ἀνθρωπίνην ἀκοῦσαι: vocem verò humanâ maiorem audiuisse. *Liuius appellat vocem* humanâ clariorem. *Porrò sequens oraculum paullo aliter refert Sophocles in Oedipo tyranno.*

235 Phœbo iam notus] *propter redditum oraculum Laio, quod explicui suprà ver. 16. & cuius mentio apud Proclum in lib. de animâ. Alcinoũ cap. 19. & Eusebium lib. 6. præparat. cap. 6. Euripidis Scholiastes refert fuisse tale:*

Λάϊε Λαβδακίδη, παίδων γένος ὄλβιον αἰτῆς;
Δώσω τοὶ φίλον υἱόν· ἀτὰρ πεπρωμένον ἐστὶ
Σοῦ παιδὸς χείρεσσι λιπεῖν φάος.
Laïe Labdacide sobolis felix genus optas?
Ecce, dabo carum natum: sors at feret olim
Illius vt pereas manibus, & lumen amittas.

242 Regi tuenda] *teste Sophocle*:

Quæ enim peremit in illum, eadem in me quoque

Irruere

Irruere posset dextera. itaque statuo me
Mihi ferre opem, dum ei opitulor. *Darius moriens inter cetera hæc Alexandro dici iubet:* Quod ad vltionem pertineat, iam non suam, sed exempli, communémque omnium regú esse causam; quam negligere illi & indecorum esse, & periculosum. quippe cùm in altero iustitiæ, in altero etiam vtilitatis causa versetur. *ita Iustin. Norunt hoc reges. nam (scribit Tacitus) Regicidij vltorem esse, quisquis successit: & hanc vltionem illis ad præsens munimentum.*

243 Queritur] *nemo enim subditorum vlcisci solet necem Regis quem timuerunt. non lugent, nec dolent: lætantur potiùs, & gaudent se iugo liberatos. hoc amplius regni successoribus satagendum, ne inulta regicidia. Quid in hac mente vitij? nec in sequentib. Nam aptè respondet Creo. Non ea (quam putas) causa omissæ vltionis, & officij: sed quod maior metus imminens, excußit illam sollicitudinem. Maior hic metus: Sphinx Thebas obsidens, & diras illas sortes ciuibus proponens, quas mox vocat, nefandi carminis tristes minas.* 255 Curtus] *Moguntin.* tauros.

265 Penetrales Deos] *Penates, de quibus postea.*

266 Pater Neptune] *quidam in Cyri:*

Ipse pater nudam sæuâ Neptunus arenâ.

quòd ex aquâ genita cuncta multi crediderint. Quare Martianus Capella, multiplicis sed absconditæ doctrinæ scriptor, Neptuni Genium, omnium rerum genitorem Larem esse significat, his verbis: Iunonis Hospitæ Genius accitus ex nonâ, Neptuni autem Lar omnium cunctalis. *Plura de primis rerum omnium principiis, Sidonius in epithal. Araneolæ & Aristoteles 1. physs. & 1. Metaphys. & ibi Fonseca cap. 7. q. 2. & Pererius lib. 4. Physic.*

*Vulgò malè; Neptune. mallé etiam Sospita.

269 Cirrheæ] *Phocidis oppidum, vbi Apollinis oraculum, Plinio diuersum à Crissâ, Homero & Pausaniæ idem. Lucanus lib. 1.*

——— secreta velim Cirrhea mouentem
Sollicitare Deum.

270 Degat] *non modò in longum extendat tempus vitam; sed, & diu viuens, securus in solio degat, sine periculo regnet.* Degat, *habent Basileens. Lugdun. Lipsiens. & multi m. s. sed tres Veneti & Herbipolensis;* regat, *quod ex;* degat, *potiùs deprauatum videtur; quàm ex,* reddat.

278 Trigemina] *hoc triuium ducebat, Thebas, Corinthum, in Atticam, & dicebatur* Schiste. *ita Pausan. in Phocaic.*

280 Ima] *Moguntin.* arua. *planiciem.*

285 Amnis Elei] *Alphei, κατ' ἀντονομασίαν. Herbipolens. & Veneti;* amnis Elidis. *sic Statius lib. 1. Siluar.*

An solum Ioniis sub fluctibus Elidis amnem
Dulcis ad Ætnæos deducat semita portus.

286 Prædonum] *Sophocles:*

——— à latronum copiis
Facto impetu oppressum refert, non vnius
Dextrâ necatum ———

288 Sorte] *monitus & iussus oraculo Phœbi.*

In tempore ipso] *valde opportunè.*

289 Tiresia] *Quia cæcus iste vates, ideo de quouis cæco nomen eius vsurpatum. Iuuenalis Sat.* XIII. ——— fatebere lætus

Nec surdum, nec Tiresiam quenquam esse Deorum.

vbi antiqua côment. Dicturus es & visipotêtes & exaudibiles esse Deos. *sic corrigo, mutila namq. editio;* potêtes. *sed opponit cæco, non cuiuis infirmo.*

290 Manto] *Filia Tiresiæ, à cuius lacrymis denominatam* Claron, *sacram Apollini, ex scriptore Thebaidis refert Scholiast. Apollonij in lib. 1. ver. 308. etsi Nearchus & Theopompus aliter, vt refert idem Schol. rara quædam adferens. vide etiam Pausan. in Achaic. qui prodit: cùm Thebas Therander Polynicis filius & Argiui cæpissent; inter captiuos Delphos abductam Manto, cùm eius pater Tiresias ad Haliartum in viâ fato fuisset functus. Iussi ab oraculo captiui in Asiam Coloniam ducere, eò transmisère; ad Claron inde positis castris, Cretenses cũ exercitu occurrère, eosq. ad Rhacium deduxère; qui Manto sibi in coniugem accepit, & ex eâ Mopsum genuit.*

292 Petant] *membranæ Burdegalens.* exigant.

299 Candidum tergo bouem] *album. talis hostia superorum.*

300 Curuóque] *iniugem. & hoc sollemne.*

303 Opima victima] *vide Herc. Fur.* 921.

Stetit] *admota aris hostia, interim dum vota concipiebantur, eiq. vinum & mola inspargebatur; si modò tunc non abnueret, neque reluctaretur,* stare *dicebatur. Ouidius 1. Fastorum.*

Rode caper vitem: tamen hinc, cùm stabis ad aram,
In tua quod spargi cornua possit erit.

Seneca Herc. Oetæo : Vt stetit ad aras omne votiuum pecus. & stantes hostiæ, *solæ idoneæ. talem se Amphitryo profitetur Herc. Fur.*

Stat ecce ad aras hostia, exspectat manum
Ceruice pronâ. præbeo, occurro, insequor.

vide Brisson. libro 1. *Formul. pag.* 19.

305 Dono] *propriè quæ Diis propitiandis aris inferebantur,* dona, *auctore Nonio. Cicero* : impiis vetuit, ne Deos donis ausint placare; *Ouid.*

Placatur donis Iuppiter ipse datis. *sæpe tamen hæc;* munera, *vocantur, contra Donat. & Frontonem. vide Brisson. pag.* 34.

306 Ingessi] *dedi, vt loquitur Herc. Fur.* 917. *Plinius libro* 12. *cap.* 14. ingerere thura aris dixit. vtrumque sollemne vocabulum.

309 Vtrúmne clarus ignis] *Habes in iis quæ sequuntur Pyromantiæ, Capnomantiæ, & Hieroscopiæ accuratissimam descriptionem, cui similem apud alios scriptores non inuenio.* Pyromantia *diuinationis genus, quod à flammâ capiebatur:* Capnomantia *aliud, quod à fumo:* Hieroscopia, *extispicium est. de quibus vanissimis superstitionibus, quid sentiendum, & quam exsecrabiles sint, docere te poterunt D. Isidorus lib.* 8. *Origin. cap. de Magis, Rhabanus lib. de præstigiis Magorum, D. Thomas* 2:2. *q.* 95. *Ius canonicum c. illud. c. qui sine* 26. *q.* 2. *c. igitur q.* 4. *& c. nec mirum q.* 5. *& qui species haud*

 magi-

magicarum delusionum accuratè recensent, Ioan. Salisberiensis lib. 1. Polycratici cap. 12. & lib. 2. à cap. 17. Gaudentius Merula in Memorabilium libris, & fusissimè Michael Medina lib. 2. de verâ fide cap. 2.

Et nitidus] *tres manusc.* & viridis.

312 Circa serpit] *in plerisque manusc.* circumserpit.

316 Iris colores] *De Iridis nomine & etymo consulendus Plato in Cratylo, & in Theæteto. colores tres habet certos, cæruleum seu vinosum, ostrinum seu purpureum, prasynum seu viridem: à quibus alij multi, sed incerti nascuntur, auctore Aristotele lib. 3. Meteor. c. 3. & 4. & lib. 1. de cælo cap. 1. Sunt tamen, qui duos tantùm colores admittunt, cæruleum & igneum. de causis illius, multa Seneca lib. 1: Nat. quæstion. cap. 3. vt typographi distinxerunt, nam in m. s. desunt capita. Multa Ammianus de Iride lib. 20. quæ commodius petas ex ipso, vnde ille, fonte, Aristotele, præter id quod tandem addit:* indicium est permutationis auræ, à sudo aëre nubium cōcitans globos; aut contra ex concreto, immutans in serenam lætitiam cęlū. ideo apud poëtas legimus sæpe, Irim de cælo mitti, cùm pręsentium rerū fit status mutatio. *Alia quæ ad poësim pertinent, de Iride, Lilius Syntagm, 9.*

320 In tenebras] *fit niger & obscurus. Statius lib. 5. Thebaid.*

——— niger omnibus aris
Ignis ——— *quod sollemne obseruari in capnomantiâ, quam ibi etiam Statius describit. Vide Crinitum lib. 23. de honesta disciplina. cap. 23. Prædicitur autem cæcitas Oedipi.*

321 In partes duas] *loquitur de discidio à flammâ rogi Etheoclis facto, cùm in eum Polynicis cadauer fuisset iniectum. & acutè fingit hoc accidisse in isto sacro pyromantico, quod postea reipsâ contigit, secundùm Æschylum in sept. ad Theb. Sophoclem Oedipo Colon. Euripidem Phœnyss. Apollodorum lib. 3. Biblioth. Ouidium lib. 5. Trist. eleg. 6. Papinium lib. 12. Thebaid. Higynum cap. 68. & Ausonium epigramm. 136.*

328 Fari] *suprà versu 92.*

Responsa solue, fare quem pœnæ petant.
Attius, aut quis alius:

Neque me Apollo fatis fandis dementem inuitam ciet.
Vlpianus l. 1. de ædili edicto; si seruus inter fanaticos non semper caput iactaret, & aliquid profatus esset. Fatidicos, *nos prophetas dicimus voce Latinâ quidem ex Græco, sed aliter acceptâ, quàm veteres vtebantur pagani. Festus,* Prophetas Iulius in Adrasto nominat antistites fanorum, oraculorúmque antistites. *Iulij versus sic emendat N.*

Cùm capita viridi lauro velare imperant
Prophetæ, sancta castè qui purant loca.

Multa ex lib. Brisson. lib. 1. Formular.

331 Solet ira] *iram Deorum per exta, eorumq́ indicia denotari existimabant. Statius 4 Thebaid.* ——— aut verum spirantibus extis. *Tibullus li. 1. eleg. 9.* fibram *vocat* Deorum consciam, *& eleg.* 11. Deorum nunciam. *Ouid. 5. Metamorph.*

Fibra quoque ægra, notas veri monitúsque Deorum
Perdiderat ———

ha

hæ notæ dicebantur Notæ, triſtes *aut* minaces. *Virgilius* 1. *Georg.*

Triſtibus aut extis fibræ apparuêre minaces.

non bona autem exta, triſtia, irata, &, vt loquitur Ammianus, ominoſa; quando pallida, liuida, tabida, marcida, vitioſa, aut (vt ait Briſſon.) quæ omnibus ſuis partibus non conſtabant; quibus aliquid deerat; quæ aliquâ labe & teiris notis aſperſa; quæ loco mota, & naturali ſitu minimè poſita: at quæ ſplendida, benè colorata, integra, plena, ſolida, abſque vlla denique maculâ & vitio; hæc bona, læta, felicia dicebantur. Vide Briſſon. pag. 25. & 26.

Ira certis] *ſic Plutarch. in Camillo*; οἵτε μάντεις ἤγγελον ἐπὶ τοῖς ἱερείοις προφαινεσθαι θεῶν μῆνιν. à vatibus nunciabatur iram Deorum ſacrificiis præſignificari. *Exta certum quid indicantia, vocabant* Adiutoria: *ex quibus verò nihil poterat coniici,* Muta, *teſte Feſto. hic ergo exta Muta deſcribi, apertum ex iis, quæ ſubdit:*

Nec viuis fibra rapta pectoribus poteſt
Ciere nomen: alia tentanda eſt via.

334 Properè admoue] *Ritum ſacrificandi ſic accuratè Dionyſ. Halycarnaſſ. lib. 7.* ἐβουθύτουν εὐθὺς οἵτε ὕπατοι, καὶ τῶν ἱερέων οἷς ὅσιον, καὶ τῶν θυηπόλων τρόπος ὁ αὐτὸς ἦν τῷ παρ' ἡμῖν. χερνιψάμενοίτε γὰρ αὐτοὶ, καὶ τὰ ἱερὰ καθαρῷ περιαγνίσαντες ὕδατι, καὶ δήμητρος καρποὺς ἐπιῤῥάναντες αὐτῶν ταῖς κεφαλαῖς ἔπειτα κατευξάμενοι, θύειν τότε τοῖς ὑπηρέταις αὐτὰ ἐκέλευον. τῶν δὲ οἱ μὲν, ἑςῶτος ἔτι τοῦ θύματος, σκυτάλῃ τοὺς κροτάφους ἔπαιον. οἱ δὲ πίπτοντος ὑπετίθεσαν τὰς σφαγίδας, καὶ μετὰ τοῦτο δείραντές τε καὶ μελίσαντες, ἀπαρχὰς ἐλάμβανον ἐξ ἑκάςου σπλάγχνου καὶ παντὸς ἄλλου μέλους, ἃς ἀλφίτοις ζείας ἀναδεύσαντες, προσέφερον τοῖς θύουσιν ἐπὶ κανῶν. οἱ δὲ ἐπὶ τοὺς βωμοὺς ἐπιτιθέντες, ὕφηπτον, καὶ προσέσπενδον οἶνον κατὰ τῶν ἁγιαζομένων. ἕκαςον δ' ὅτι κατὰ νόμους ἐγίνετο τοὺς ἀμφὶ θυσίαν, ὑφ' Ἑλλήνων καταςαθέντας, ἐκ τῆς Ὁμήρου ποιήσεως γνῶναι ῥᾴδιον. *& poſt verſus Homericos*: ταῦτα δὲ ῥωμαίους ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ πράττοντας ἐπὶ ταῖς θυσίαις ἰδὼν ἐπίςαμαι. Conſules ſacerdoteſque quibus fas erat, lotis manibus, & luſtratis aquâ purâ victimis, moláque conſperſis earum capitibus, votíſque nuncupatis, miniſtros eas mactare iubebant: quorum alij ſtantem tum etiá hoſtiam vecte feriebant in tempora, alij cadenté cultris excipiebant; mox directo tergore, cõcidebant mébratim, delibatáſque ex ſingulis extis, aliiſq. membris primitias, farre obuolutas, in caniſtris offerebant ſacrificantibus; qui aris impoſitas ſuccendebant, & vinum inſuper adfundebant: quæ ſingula in ſacrificiis Græcorum factitari ſolita apud Homerum licet videre. *(mox ſubiungit Homeri loca)* cáque etiam ætate meâ Romanos in ſacris obſeruare comperi. *Hæc ille.*

Admoue] *ante aram ſtatue. rituale vocabulum, vt docet Briſſonius, & alij. Piaculare ſacrum cenſebatur, quando aut hoſtia ab ara profugerat, aut icta mugitum dederat, aut in aliam partem corporis, quàm oportebat, ceciderat. auctor Feſtus.*

335 Sparge ſalſa mola] *quando victimis ſalſa mola inſpargebatur, tunc demum dicebantur* immolari, *auctore Seruio in* 4. *& in* 10. *Æneid. Gloſſar.*

Græco-latin. molacio, ἄλεσμα molator ἀλεστής. *nam fortè rectiùs legamus,* ἄλισμα *&* ἀλιστής: *nam* ἅλς *salsugo &* mola *in sacrificiis salsa. nam quid* mola *sit, docet Festus, his verbis:* Immolare, est molâ, id est, farre molito & sale, hostiam perspersam sacrare. *qui locus interpres huius versus Senecæ, quem vult Brisson. molam vocare far molitum & salitum; addere potuit & tostum, hoc est, ador seu adus ex eodem Festo & Ausonio. Verùm quia hic non Romanum, sed Græcanicum sacrificium describitur, opinor Senecæ molam accipiendã de farre non freso, sed integris frugibus. Scribit enim Turnebus lib. 7. aduersar. cap. 13. Græcis in more positum fuisse, hostiis fruges integras, non tritas nec molitas inspargere: & argumento esse, quod eorum molæ vocentur* οὖλαι *seu* οὐλοχύται, *quæ erant hordei integri, & frugum cũ sale admixto: vsos autem Græcos, vt Theophrastus prodidit, in sacris hordeo non molito, in priscæ vitæ memoriam, quando homines solidis, non contusis, aut fractis, frugibus vescebantur. Hanc ego causam censeo, cur Dionysius Halycarnass. dixerit victimæ capitibus inspergi* Δημητρὸς καρποὺς, fructus Cereris. *& Ouid. lib. 15. Metamorph.*

Imponique suæ videt inter cornua fronti
Quas coluit fruges —— *loquitur enim Samius Pythagoras. & huius consuetudinis Græcanicæ etiam, sine Turnebo, me memorem reddidit Suidas:* Οὐλοθυτεῖν, κριθὰς ἐπιχέειν τοῖς θύμασιν. οὐλὰς γὰρ ἔλεγον τὰς κριθὰς, κατὰ ἀντίθεσιν τῶν φαιστῶν. ἅπερ ἦν ἄλφιτα ὑπὸ τῆς μύλης κατεψηνισμένα. τὰς γὰρ οὐλὰς, πρόσθεν ἔκοπτον ἐσθίοντες, οὐδέπω τῆς κατεργασίας αὐτῶν εὑρημένης. καὶ τὰς μὲν κριτὰς, μέχρι νῦν ὅλας χέουσιν οἱ ἐπιθύοντες ταῖς σπονδαῖς ἐπὶ σύμβολον τῆς παλαίας τροφῆς. τὰ δὲ πόπανα, τῆς ἄρτι ὥρας. τουτέστι, τῆς αὖθις. hordeum effundere in sacrificiis. οὐλὰς enim vocabant hordeum oppositione placentarum, quę farina molâ comminuta erat. οὐλὰς enim esuri concidebant, eorum confectione nondum inuentâ. ac hordeum quidem etiam hodie integrum affundunt libationibus sacrificantes, argumẽtum veteris victus: placentas autem rotundas addunt, ad significandam huius tẽporis elegantiam. *idem memorat Eustathius in Homerum. Frons ergo victimæ à Græcis solido farre perspergebatur: postquam tamen mactata & in partes erat diuisa, singulæ partes adolendæ, polline, quemadmodum apud Romanos, conspergebantur, vt ex Homero Dionys. lib. 7. affirmauit. Homerus Odyss. ξ'.*

καὶ τὰ μὲν ἐν πυρὶ βάλλε, παλύνας ἀλφίτου ἀκτῆ.

Et partem quidem in ignem iecit, miscens farinæ flori.

336 Placidóne vultu] *hoc necesse, ne sacra sint piacularia, vt modò dixi. Myrtilus, in Lesbicis;* Nam sanè sacerdotes aquam in aurem victimę infundere consueuerunt, vt illa his sacris annuat. *vide Macrob. lib. 3. Saturnal. cap. 5.*

340 Vnóne] *obseruabant ergo quoto vectis aut mallei ictu caderent. clarus hic locus.*

341 Opposito] *Ferrum, vel cultrum, vel securim accipe. quidam Venet. sed trium vltimus;* supposito. *credo ex Virgilij illo 3. Georg.*

Sup-

Suppositi tinguntur sanguine cultri. *& lib. 6. Æneid.*
Supponunt alij cultros. *de quibus locis Virgilianis multa Turnebus lib. 15. aduers. cap. 12. sed aliquod debuisset inter victimas discrimen statuere. Nimis enim clarè Myrtilus;* Solent (*inquit*) sacerdotes, victimis quæ mactantur inferis, humi capita incidere: sic enim subterraneis sacrificant. at cælestibus immolantes, colla sursum conuertentes, iugulant. *Quod verò alij eum morem nituntur probare his Ouidij ex 7. Metam.*

Tum superinuergens liquidi carchesia vini:
Alteráque inuergens tepidi carchesia lactis.

mihi non satis probant. potius enim inuergens *&* superinuergens *tantùm posuit pro infundens & superinfundens, & si qua alia diuersitas, potiùs illa ex manus positurâ, quam ex hostiæ modo, Nasoni. Seruius enim in 4. Aeneid. testis in Superorum sacris solitos fundere vinum, hoc est, supinâ manu libare: in Inferorum verò sacris, non nisi paterâ conuersâ, quod* inuergere *dicebãt. an ergo* superinuergere, *idem quod infundere? amplio.*

350 Per ora multus sanguis] *Moguntin. Veneti, & Herbipol.* per ora, vultus sanguis atque oc. r.

352 Sed ede] *Aruspices exta inspicientes, & ex eorum notis voluntatem Deorum explorantes,* consulere *dicebantur. cæcus Tiresias consulturus, operâ & oculis gnatæ suæ vtitur: & dum singula quærit, nihil omisit, nihil præteriit Seneca.*

353 Leui motu, vt solent] *hanc inspectionem ritè fieri putabant, si, adhuc viuæ pecudis vtero erepta exta, palpitarent, trepidarentq́, vt patet ex Arnobio lib. 7. aduers. gent. hic dicit;* non leui motu, *quia ingentes tumultus instabant.* Vt solent] *quando læta nunciant.*

Exta] *ex visceribus, propriè cor, iecur, & pulmo vocantur exta; quia hæc maximè exstantia Diis prosecabantur. sæpe hæc vocula corrupta apud scriptores. occurrit nunc Senecæ, in cuius li. 2. nat. quæst. cap. 32. & 34. in Lugdunensi Griphiano, quo vtor; bis,* extra, *pro,* exta *legitur.*

356 Cor marcet ægrum] *iam enim Haruspices Græci cor inspiciebant; quod Romani, demum post Pyrrhi ex Italiâ discessum, facere cœperunt. Plinius lib.* 11. *cap. 37.*

357 Liuéntque venæ] *plena est hæc Senecæ ominosorum extorum descriptio; cum qua videtur certare voluisse Lucanus lib. 1. quem fuerit non inutile cum eâ conferre.*

Terruit ipse color vatem, nam pallida tetris
Viscera tincta notis, gelidóque infecta cruore
Plurimus asperso variabat sanguine liuor.
Cernit tabe iecur madidum, venásque minaces
Hostili de parte videt. pulmonis anheli
Fibra latet, paruúsque secat vitalia limes.
Cor iacet, & saniem per hiantes viscera rimas
Emittunt, prodúntque suas omenta latebras:
Quódque nefas nullis impunè apparuit extis;

 Ecce

Ecce videt capiti fibrarum increſcere molem:
Alterius capitis pars ægra & marcida pendet,
Pars micat, & venas celeri mouet improba pulſu.
His vbi concepit magnorum fata malorum. *&c.*

Felle nigro] *probatur hoc verſiculo in pectoribus etiam atræ bilis folliculum curæ fuiſſe: quem ſuo hic loco, nempe in iecore, cui adhæret, poſuit.*

359 Semper omen vnico imp.] *duos enim Principes, & de Principatu contentionem minatur.* Vnico] *huic maximè, omni tamen imperio minax. quare huiuſmodi exta Liuius lib.27. & Valerius lib.1.cap.6.* nimis læta, *vocant. M. Marcello Coſ. duo iecinoris capita viſa, eo qui necem præceſſit die, affirmant, Liuius, Valerius, Plinius, & Plutarchus.*

360 En capita bina] *de duplici hoc capite egere viri doctiſſimi Cælius, Turnebus, Briſſonius; ſed non ſatis clarè in re non clarâ. dicam apertius.* Caput *dicebatur initium vel ſummitas ipſarum fibrarum: hoc illi in omnibus extis obſeruabant, potiſſimum in iecore. ideo quando ἁπλῶς* caput *dicebant, hoc κατ' ἐξοχὴν de capite iecoris intelligendum Plinius auctor eſt lib.11. cap.37. Capita vero duplicia, vera & imaginaria. verum caput, reipsâ ſemper vnum, niſi quid præter naturæ conſuetudinem in animali: vna namque ſummitas iſta fibrarum. ſi duo vera capita, vt præter naturam, ſic etiam ominoſum putabant, & huiuſmodi exta non bona, ſed triſtia. de veris his capitibus locuti hoc loco noſter Liuius lib.27. Valerius lib.1. cap.6. & Plinius li.11. cap.37. & cap.1. lib.28. vbi ſcribit iecinoris caput aliquando geminum inueniri: opinor tum, quando tam pingue & auctum illud vnicum caput, vt geminum videatur. ſuadet Lucanus cùm ait:*

Cælius lib.4. antiq. c.17. Turneb. li.11. aduerſ. ca.27. & 28. & lib. 15 cap 18. & 19. B. Briſſon. pag. 25. de Form.

Ecce videt capiti fibrarum increſcere molem. *&c.*

Alia erant commentitia capita & imaginaria, quæ cunctis ſemper extis inſſe aruſpices fingebant. Mente namque & cogitatione exta diuidebant in duas partes; vnam, Hoſtilem, *inimicis, alteram,* Familiarem, *amicis ſeu ſacrificium offerentibus tribuebant: atque ex vtriuſque partis colore, tabe, habitu, plenitudine, deminutione; quid aduerſariis, quid ipſis euenturum ariolabantur, vt docet Cicero lib.2. de Diuinat. ſingulas has partes ſuum habere caput fingebant. Vnde iam manifeſtum cur Liuius lib.8. tradiderit;* caput iecinoris, à familiari parte cæſum haruſpex dicitur oſtendiſſe; *& Lucanus* hoſtilem partem, *noſter* hoſtile latus *nominarint. Ad duplex iſtud latus, partem, ſeu caput, videbatur conſequi etiam duplex* fiſſum, *vnum hoſtile & noxium, alterum propitium & amicum.* Fiſſum, *puto vocaſſe, lineam ſeu tramitem quendam imaginarium, exta & fibras bipartito diuidentem & interſecantem; quem fruſtrà quæras in corporis verâ diſſectione. meminit Cicero in lib. de Diuinat. & de Nat. Deorum. Fiſſum hoc diuidebant etiam in* familiare *&* vitale, *vt notat Turnebus lib.4. cap.18. &* vitale *dictum putat ceterorum extorum;* familiare, *tantum iecoris: & nititur auctoritate Lucani; cuius, vt vides, verba citata ſuperius nihil pro illo; & Ciceronis, qui inquit:* Fiſſum familiare & vitale tractant. *quæ verba non video cur me à ſententiâ mea dimoueant, ne putem Romanis idem fuiſſe fiſſum familiare,*

pro-

proprium, & vitale; idque hostili & inimico, & alieno oppositum; nec aliud nomen fuisse fisso iecinoris, aliud extorum ceterorum. Iudicent Critici; mihi quidem sine vllo dispendio hæc nugacia deliria stultæ gentilitatis nesciri posse videantur.

360 Vtrumque cæsum] *quando vel cor in extis, vel in iecinore caput non inueniebatur, exta illa vocabantur* pestifera. *docent Cicero 1. de Diuinat. & ex Festo Paul. Diaconus.*

Cæsum] *Ouid. 15. Metamorph.*

——— magnósque instare tumultus
Fibra monet, cæsúmque caput reperitur in extis.

*similem Liuij locum paullo antè exhibui. Triste hoc ostentum nisi in graui sollicitudine & metu, si Plinio fides lib.*11.*cap.*37.

Abscondit] *non cæsum modò caput erat, sed etiam in membranæ cuiusdam inuolucris delitescens, vt vix potuerit magnâ curâ & diligenti inuestigatione inueniri. exempla producit Barnabas pag. 26. & 27. ego etiam nonnulla prior in aduersar.*

363 Hostile] *alienum, inimicum.*

Septémque venas] *prætendit venas salientes & celeri (vt ait Lucanus) pulsu motas; quod hostilium prœliorum signũ vetusto Scholiasti Lucani apud Brissonium.*

365 Limes] *fissum.*

366 Mutatus ordo] *lege Vesalium, & alios Anatomicos, & videbis adcurationem nostri etiam in istis.*

367 Animæ] *respirationis & aëris vitalis.*

370 Omenta] *sic fatiscunt, vt quæ debebant obnubere viscera, rimis suis illa potiùs prodant. sic Lucanus interpretatur. addit,* non molli ambitu, *solent esse tactu mollia, vt pinguia: sed nunc sunt rigida & aspera. Aliena ab hoc loco, quæ de carnibus immolatitiis omento tegendis referuntur à Turnebo lib.*7.*aduers. cap. 13.*

373 Innuptæ bouis] *suprà vocauit vers.*341. iuuencam, *quæ nondum pepererat: sed forda tamen erat.*

378 Tentántque] *fingit victimam seminecem surgere, & conari effugere, quod admodum dirum. Vide Brisson. fol.*17. *&* 18.

379 Inane] *iam extractis extis.*

382 Fugiunt] *etiam Eguian. & Mogunt. vt ceteri mei m. s.* resonant.

384 Aris ignis] *nil mutandum, etsi lib. valde varij. sic plerīq. sed Mogunt.* are segnis. *Herbip. & Veneti;* ore segnis. *quidam in marg.* aræ sanguis. *quid dirius, quàm si ipse ignis mugiat foco tremente? omnẽ mugitum dirũ constat.*

386 Suprema facere securos mala] *vltima grauissimaq. mala metum tollunt. simile illud Hippol.* Fortem facit vicina libertas senem. *Tacitus Annal.*13. præter ferociam animi extremâ senectâ liber. *Papinius:*

Vnde ea libertas? iuxta illi finis & ætas,
Tota retrò, seræque velit decus addere morti.

audax ergo & securus Oedipus; quia miser, quia senex.

387 Inui-

387 Inuidebis] *tam grauia instant mala, vt hæc, quæ dicis suprema, præ illis bona & lucra censeri debeant: vt hoc tibi tempus aureum & felix adeò videatur, vt etiam inuidentiâ dignum; tibi ipsi, vt tunc inuideas, quam nunc sortem abominaris.*

388 Scire cælicolæ] *sciunt ipsi, sed quod nos vnum scire volunt, cetera nescire.* 390 Nec-penna-nec fibra] *solent ista duo poëtæ coniungere, augurium nempe cum aruspicinâ: primus Euripides dixit, obscura & quæ non liquent, ea nos flammæ inspectione cognoscere, & vates illa per extispicinam & auguria coniicere; sic enim in supplicibus:*

ἃδ' ἐς' ἄσημα, κοὐ σαφῆ, γινώσκομεν
εἰς πῦρ βλέποντες, καὶ κατὰ σπλάγχνων πτύχας
μάντεις προσημαίνουσιν, οἰωνῶν τ' ἄπο.

Ouidius lib. 1. Tristium eleg. 8.

Hæc mihi non ouium fibræ, tonitrúsve sinistri,
Linguáque seruatæ, pennáve dixit auis. *Manilius lib. 4.*
Hinc in tanta fidem petimus, quàm sæpe volucres
Accipiunt, trepidæque suo sub pectore fibræ.

Lucanus autem: —— quis noscere fibrâ
Facta queat? quis prodat auis? quis fulgura cæli
Seruet? & Assyriâ scrutetur sidera curâ?

Penna] *augurium. de quo doctè Michaël Medina li. 2. de vera fide cap. 1. fol. 27.* Fibra] *extispicium: de quo idem Medina fol. 29. Porrò pulmonis duas esse, iecoris quatuor fibras docet Cornel. Celsus lib. 4. cap. 1. Fibras verò dici extremitates iecoris, docent Seruius, & D. Isidorus lib. 11. Origin. cap. 1.*

Viuis rapta pectoribus] *sic Thyest. cap. 4.*

Erepta viuis exta pectoribus tremunt.

Rapi illa consueuisse, vt spirantia & palpitantia consulerentur, Arnobij, Virgilij & aliorum testimoniis probat Barnabas pag. 23.

393 Ipse euocandus] *confugit ad Necromantiam, siue Sciomantiam, de quâ postmodum.*

398 Nam te] *Nota, regibus non licuisse interesse sacris inferorum; quibus manes inuocabantur. Nam inferos adiere (secundùm poëtas) Aenæas, & Vlysses. Fortaßis tectum quid & ingeniosum hic latet, & in adulationem Principis; quē negat fas adire inferos. Mos enim inualuerat, mortuos Impp. numero Deorum ascribere. An etiam respexit ad Dialis flaminis conditionē? cui certè non licuit locum in quo bustum erat, vnquam ingredi; neque mortuum attingere, vt ex Aulo Gellio refert Dominicus Floccus in lib. de Magistratibus; quem (mirâ inscitiâ dicam an pertinaciâ?) pergunt Fenestellam vocare. cùm ex Fenestellâ multa ipse Gellius; ex Gellio multa nominatim Floccus. Sed prius illud amplius placet.*

402 Populare carmen] *hymnus Thebanis peculiaris, & solitus. Festus:* Popularia sacra sunt (vt ait Labeo) quæ omnes ciues faciunt, nec certis familiis attributa sunt. *populare ergo quod totius populi. Ennius Annal. 2.* Quam de tuas omnes legiones ac populares.

IN CHORVM.

Dithyrambus est in Bacchi laudem, eius gesta continens.

403 Redimite] *Bacchi legem iussisse, vt comites eius nigræ hederæ foliis & corymbis coronarentur, docet Dionys. Afer, & Bacchum comatum pingi constat.* Corymbo] *Calpurnius*:

——Bacchæis Musa corymbis
Munerat——

plerasq; laudes Bacchi hîc decantatas breuiter recensuit Propertius lib. 3. eleg. 16.

Dicam ego maternos Æthæo fulmine partus,
Indica Nyssæis arma fugata choris,
Væsanúmque nouâ nequicquam in vite Lycurgum,
Pentheos in triplices funera grata greges,
Curuáque Tyrrhenos Delphinum corpora nautas
In vada pampineâ desiluisse rate:
Et tibi per mediam benè olentia flumina Naxon;
Vnde tuum potant Naxia turba merum;
Candida laxatis onerato colla corymbis,
Cinget Bassaricas Lydia mitra comas:
Leuis odorato ceruix manabit oliuo,
Et feries nudos veste fluente pedes.
Mollia Dirceæ pulsabunt tympana Thebæ:
Capripedes calamo Panes hiante canent.

harum rerum mythologiam, omnium ferè, suggerit Aristides Orat. in Bacchum. de festis, cognominibus, ceremoniis, ministris, & aliis, quæ commentarij loco sint huic choro, plurima Strabo lib. 10. & Lilius Syntagm. 8. vestitum & habitum similem ei, quem noster, tradit Tibullus lib. 1.

Sed varij flores, & frons redimita corymbis,
Fusa sed ad teneros lutea palla pedes:
Et Tyriæ vestes, & dulcis tibia cantu,
Et leuis occultis conscia cista sacris.

404 Nyssæis] *Nysas vel Nyssas inuenio decem, apud Stephanum, omnes Baccho sacras vrbes, 1. in Helicone, 2. in Thraciâ, 3. in Cariâ, 4. in Arabiâ, 5. in Ægypto, 6. in Naxo, 7. in Indiâ, 8. ad Caucasum, 9. in Lybiâ, 10. in Euboeâ. Indica Nysa intelligenda, quando sine addito dicitur. iuxta hanc fuit mons Mero, ex sententiâ Arriani, Philostrati, Curtij, Melæ, Plinij; in cuius antro Bacchus nutritus à Nymphis, vt etiam Lucianus scribit in dialog. Iouis & Iunonis, & dial. Neptuni & Mercurij. Idem tradit Homerus in Bacchi hymno, addens eo loco primùm à puero bacchari cum nutricibus eius cœptum: vt verisimile sit ibi quoque thyrsorum vsum inuentum: quare rectè* Nyssæi *vocantur. Longè tamen ab his discrepant, quæ, ex Brasiensium traditione, de Bacchi ortu scribit Pausanias in Laconic. multa etiam non triuialia Diodorus lib. 3. Biblioth. cui montem Mero Arabiæ tribuenti, non assentior. Nec etiam Apollonij Scholiasti in lib. 2. scribenti Nysam esse montem Indiæ, & in ea nasci plantam similem hederæ, quæ Scindapsos vocetur. ait:* Νύσα

ὄρος ἐςὶν ἐν Ινδικῇ. καὶ κιοσῷ προσόμοιον φυτὸν φυτεύεται, ἐκεῖ ὃ προσαγορεύεται σκινδαψός. *Videtur enim Nysam cum Mero confundere.*

Thyrsis] *Euripidicus Bacchus:*

Thyrsóque dato in manu, lambente hederâ.

Homerus: κισσοκόμην Διόνυσον ἐρίβρομον ἄρχομ' ἀείδειν.

Hedera coronatum Bacchum, altisonum incipio canere.

Latinus poëta: Sutilibus Liber committit prœlia thyrsis.

Thyrsus erat lancea hederæ frondibus occultata, vt hedera amicis metum tolleret; hostibus, dolosa cuspis lanceæ vulnus infligeret. ab hoc thyrso Bacchus thyrsiger, Bacchæ thyrsigeræ Latinis; Næuius Lycurgo:

Pergite thyrsigeræ Bacchæ, Bacchico cum schema. *Græcis* θυρσόλογχοι, *quæ vox dolosam illam cuspidem indicat. Athenæus auream thyrsolanceam in manu habuisse docet Liberum, cùm de illo inquit;* εἶχεν ἐν ταῖς χερσὶ χρυσοῦν θυρσόλογχον. *Tribuitur illi thyrsus, quia luctator dolosus est, amænâ vini specie decipiens, pedésque vinciens, & caput, nisi vinculis sobrietatis & temperantiæ diligenter ipse prius constringatur. ita Macrobius & Thurnutus.*

Armati] *sic Mogant. Herbip. & Veneti, & Lipsiens. at Lugdun.* armate.

410 Erebi minas] *enumeratas ver. 160. & ver. 170. cũ seq. sup. chor. 1.*

411 Vernis comam cingi floribus] *alludit ad epithetum Bacchi* ἄνθιος, *quo cognomine cultus Athenis & Pataris, teste Pausaniâ in Achaic. vnde Catullus:* At parte ex aliâ florens volitabat Iacchus.

Tibullus lib. 1. eleg. 6. de Osyri, qui idem Bacchus;

Te varij flores, & frons redimita corymbis.

413 Tyria-mitra.] *Propertius Lydiam tribuit. Tyriam accipio pro quauis Asiaticâ mitrâ. nam Tyriis nullæ peculiares mitræ: nisi velis intelligi de mitrâ purpureâ, quod suspicor. Eusebius lib. 2. Præparat. Euang. cap. 2. scribit mitram tribui Baccho, ad cohibendos vapores vini, caput petentes. Statius lib. 1. siluarum in epithal. Stellæ:*

——— eat enthea vitris

Atque hederis redimita cohors.

vbi repono; eat enthea mitris. מיתרא Mitra *autem vox Syriaca tam matrum quàm virginum ornamentum quo caput vinciebant, significans; Latinè,* vitta. *Propertius:* Cinxit & acceptas altera vitta comas.

Fuit hæc Barbaris etiam virorum; Europeis tantùm feminarum, vna mulierum, alia virginum, vt patet ex Propertio. Et virginum non modò profana ethnicarum, sed & sacra Christianarum; quas hodie vocamus Nonnas, *D. Hieronymo & Arnobio notâ voce. de huiusmodi mitrâ, Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Donatist.* compressam (*ait*) ab eo puellam; cui mitram ipse imposuerat; à qua paullo antè pater vocabatur; nefariè incestare minimè dubitauit. *scilicet Felix Donatistarum partis Episcopus. & lib. 6. eam vocat* mitrellam, *& spiritale genus nubendi esse dicit, alludens ad flammeam nuptiale. nam D. Hieronymus hanc mitrellam, passim in epist.* flammeum *appellauit.*

Hoc notant nonnulli: tamen didici *Mithri*, siue illud Hebręũ siue Chaldæum, siue Syrũ, dominium significare, vnde & Mithridath nomen proprium legis dominum denotans מִתְרִידַת

414 Ede-

414 Ederáve] *coronabatur Bacchus ederâ, testibus Homero in hymn. Demarcho lib. 9. Dionysiac. & Nonno in Dionys. non quauis tamen, sed nigrâ dumtaxat, quæ propterea dicta Dionysias & Nyssæa. quod docet Dionysius cùm scribit Bacchas sollemnia sacra peragere, frontem redimitas nigris hederæ corymbis:* —— κατὰ νόμον ἱερὰ βάκχῳ·

στεψάμεναι κισσοῖο μελαφύλλοιο κορύμβοις.

plures enim species hederæ. vna hedera celsa, quæ vel per se stans arborescit, hæc dendrocissos vocatur, vel iuxta Columellam orthocissos: vel per se non arborescit, sed indiget adminiculo, ideo suis cyrris & clauiculis parietes conscendit, vel arbores amplectitur, & hæc vel est alba quæ Plinij femina, de qua Virgilius: Candidior cycnis, hedera formosior albâ, *candida non ligno tantùm, vt putat Seruius (cui fortè Hebenus, nigrâ hedera) sed fructu & folio, aut semine & folio: vel est nigra, quæ corymbos furuos habet, & à Plinio mas vocatur, qua in Dionysiis coronabantur, de qua Virgilius:*

—— atque hederæ pandunt vestigia nigræ ——

vel est omni carens fructu, teste Theophrasto, multo minoribus quã cetera foliis, plures habens inuolutiones, magisq́; cyrrhata, quare helix nominatur. Alia hedera terrestris & humilis, humi serpens minutis & raris foliis, chamæcissos, iuxta plerosque. quod de nigrâ dixi, confirmat Dioscorides li. 2. c. 2. κισσὸς πολλὰς ἔχει διαφορὰς τὰς κατ᾽ εἶδος, τὰς δὲ γενικωτάτας τρεῖς. λέγεται γὰρ ὁ μέν τις λευκὸς, ὁ δὲ μέλας, ὁ δὲ ἕλιξ. ὁ μὲν οὖν λευκὸς, φέρει τὸν καρπὸν λευκὸν, ὁ δὲ μέλας, μέλανα καὶ κροκίζοντα, ὃν δὴ καὶ ἰδιῶται Διόνυσον καλοῦσιν. ὁ δὲ καὶ ἕλιξ ἄκαρπός τε καὶ λευκὰ ἔχει τὰ κλήματα, καὶ τὰ φύλλα λεπτὰ, καὶ γωνιώδη καὶ ἐρυθρά. *Quæ ferè fideliter nos paullo antè, licet fusiùs; magna etiam ex parte Plinius reddidit scribens li. 16. ca. 34. triplicẽ esse ederam, candidam, nigrã, & helicen. has etiã in plures species diuidi. aliã tantùm fructu candidã, aliã & folio. fructũ candidũ ferentium, aliis densum acinũ & grandiorẽ, racemis in orbem circũactis, qui vocãtur* corymbi: *aliis minorẽ acinũ, sparsioremq́; racemum, has* selenitias *dici. simili modo in nigrâ, alicui semen nigrum, aliis crocatum; cuius coronis poëtæ vtantur minus nigris; quam quidam Dionysiacam vel Bacchicam vocent, maximis inter nigras corymbis. Helicen quoq́; plures habere differentias. Nigræ ergo species illa quæ fructum habet* κροκίζοντα, *Baccho sacra. & ab hac vocatus fuit* hedereus Deus, *teste Pausaniâ: quia scilicet, vt Plinius auctor est eodem lib. 4. primus se nigræ hederæ foliis coronauit: & quia, vt canit Ouidius 3. Fastorum,*

Nyssiades Nymphæ, puerum quærente nouercâ,
Hanc frondem cunis circumposuisse feruntur.

& in memoriam Cissi comitis quem in hederam mortuum mutauit, vt censet auctor Geoponicorum; & propter similitudinem quam cum fructu & foliis vitis ipsa hedera habet, quod Plutarcho videtur lib. 3. quæst. 2. Sympos. deniq́; quia frondes hederæ, frigiditate summâ, vini fumis resistunt, auctore eodem Plutarcho d. lib. 3. q. 5. Vide Sancium Brocens. in Alciat. Emblem. 204. Pierium lib. 51. Hieroglyph. & Misaldum cent. 1. Memorabil. aphorismo. 99. Ad scripturam quod attinet, si ab edendo dicta, ederam; *si ab herendo,* hederam

deram *scribere oporteret; nunc quia id incertum, vtrouis modo licet.*

Bacchifera] *quæ fertur à Baccho & Bacchis. non displicet etiam quod quidam m. s.* Baccifera. *hoc est, corymbifera.*

419 Falsos artus] *simulans te nympharum vnam tenellulam & mollicellam. vnde etiam propria hæc Bacchi forma cuidam veteri poëtæ:*

Notas habemus quisque corporis formas.
Phœbus comosus, Hercules lacertosus,
Trahitque Bacchus virginis tener formam.
Minerua flauo lumine est, Venus pæto.
At fronte crinitâ Arcades vides Faunos.
Habet decentes nuncius deûm plantas.
Tutela Lemni dispares mouet gressus.
Intonsa semper Æsculapio barba est.
Nemo est feroci pectorosior Marte.

Virgo] *imò etiam sub hædi specie delituit iuxta Apollodorum lib.3. Bibl.*

421 Luteam] *rectè non zonam voluit luteam dicere, sed ipsam vestē, sicut & Tibullus:* Effusa ad teneros lutea palla pedes.

Vestem] *pallam, teste Tibullo.*

422 Vnde] *Moguntin.* Inde. *muliebrem habitum Bacchi etiam Celso obiicit Origines lib.3. eúmque vocat Mænalam.*

425 Regeres] *virgâ potius & lupatis, quam pallâ tam molli. quare rectè v.l.* tegeres. *Herbipol. & Veneti continent;* premeres.

426 Eoæ] *totus Oriens, maximè Scythia & India. Bacchi bellum cum Indis descripsêre olim, teste Apollonij Scholiast. Chamæleon lib.5. Iliad. Aristodemus lib.1. Thebanor. epigramm. & Cletarchus in historiâ Alexandri Magni; item teste Stephano Dionysius in Bassaricis. solus hodie superest Nonnus Panopolitanus, cuius fructu ex lectione carent plerique quòd Latio nondum sit donatus.*

429 Senior Silenus] *Salisberiensis, nescio quo auctore Chironem dat Baccho præceptorem, lib.1. de nugis curialium cap.4. ceteri omnes Silenum, vt Eusebius lib.2. Præpar. Euangel. cap.2. inde Horatius:*

——famulúsque Dei Silenus alumni.

Nemesianus de Sileno sic ex Virgilio:

Tum primus roseo Silenus cymbia musto
Plena senex auidè non æquis viribus hausit:
Ex illo venas inflatus nectare dulci,
Hesternóque grauis semper ridetur Iaccho.

Sileni filij iuxta Eurip. in Cyclope sunt Satyri, etiam ab eo dicti Sileni. Nicander in Alexopharm.

ὡς δ᾽ ὁπότ᾽ ἀγριόεσσαν ὑποθλίψαντες ὀπώρην
Σιληνοὶ κεραοῖο Διωνύσοιο τιθηνοὶ,
πρῶτον ἐπ᾽ ἀφρίζοντι ποτῷ φρένα θωρηχθέντες,
ὄμμασι δινήθησαν, ἐπὶ σφαλεροῖσι δὲ κώλοις
Νυσαίην ἀνὰ κλιτὺν ὑπέδραμον ἀφραίνοντες.

ὡς

ὡς ὅιγε σκοτόωσι κακῇ βεβαρηκότες ἄτῃ.

Gorrheus:

Aut veluti expreſſis Sileni agreſtibus vuis;
Cornibus inſignem qui nutriuere Lyæum;
Poſtquam tentarunt ſpumantia pocula mentem,
Primùm oculis variant, titubantes inde per imas
Incedunt Nyſſæ malefidis paſſibus oras.
Talis eos premit epoto vertigo veneno.

quo loco Scholiaſtes tradit dictos à verbo σιλλαίνειν, quod ſignificat conuiciari, & eoſdem eſſe Satyros. Nonnus tamen videtur diſtinguere hoc verſu:

Et ſcetoſorum ſatyrorum aculeati ſanguis generis,
Silenorúmque phalangem. *huiuſmodi monſtra multi negant fuiſſe: ſed docent contrariū D. Hieronymus & S. Athanaſius in vita S. Antonij, Plinius lib. 6. ſub fin. lib. 7. cap. 2. & li. 9. cap. 54. Pauſanias in Elyacis & Ptolomæus lib. 7. Geograph. Sunt & Bacchi comites quidam, quos Ælianus & alij vocant* Tytiros, *quos plerique eoſdem cum Satyris arbitrantur. Vide Scalig. lib. 1. art. poët. cap. 12. & Natalem Comitem lib. 5. Mytholog. cap. 8. Poſt hunc verſum in Eguiano m. ſ. deſunt omnia, vſque ad verſ. 472.* Senſere terræ. *&c.*

431 Condita] *occulta, ſecreta. Tibullus*:

Et leuis occultis conſcia ciſta ſacris.

Orgia] *myſteria Bacchi, ſic dicta ab irâ Cereris illuſæ in Iouem,* ἀπὸ τῆς ὀργῆς: *& quia in Dionyſi generatione & nece multum abominationis & execrationis fuit, dicta* μυστήρια, ἀπὸ τοῦ μυσέος. *ita Clemens Alexandr. in Protrept. Alij quia fabellæ, volunt dicta quaſi* μυθάρια, *vt Euſebius lib. 2. de præparat. Euang. cap. 5. alij à quodam venatore nuncupata, inter quos Apollodorus in Biblioth.* Myſtæ] *initiati orgiis.*

432 Baſſaridum] *ſic vocatæ Mænalæ, à baſſarâ indumenti genere apud Pollucem & Heſychium. Gloſſæ veteres in Perſium; docent dictas quòd vulpinis veſtibus cingerentur. quia Thracibus vulpes dicuntur Baſſares*: (inde German. Voſſen) *vel à veſte demiſſâ ad talos qua Bacchus vtebatur, quia iidem Thraces talem veſtem vocent Baſſarim. hæc ille. an fortè hinc Hiſpan.* Baſquiña?

437 Ogygio] *Thebano. nam Thebæ dictæ Ogygiæ ab Ogyge rege, quem Corinna nominauit Bæoti filium, teſte Schol. Apollonij in lib. 3.*

438 Nebride ſacra] *Nebris dicata Baccho: nam ille hinnulorum pellibus veſtiebatur. vnde in Epigramm.* νεβρώδης *&* νεβριδόπεπλος *dicitur. gemma etiam his pellibus colore ſimilis,* Nebrotes *vocata, Libero ſacra. ipſæ quoque Baſſarides nebridibus amiciebantur. ſic enim intelligo illud Attij in Bacchis*:

Tunc ſilueſtres exuuias ſæuo pictas lateri accommodant.

Nebriſſa Hiſpaniæ ciuitas (Ælio Antonio Grammatico celebris) à nebride nomen accepit, eo quòd illic olim Bacchica orgia frequentia, & Bacchæ veſtitæ nebridibus. docet Silius Italicus:

Nebriſſa Dionyſæis conſcia ſacris,

Quam Satyri coluere leues, redimitáque sacrâ
Nebride &c. *Ita præcinctæ saltitabant & tripudiabant, vt paullo antè dixit:* ——— pede pulsauit sola ——— *quod de peculiari Bacchica saltatione accipiendum; quam σικιννίδα nuncupant, de qua Euripides in Cyclope, Lucianus περὶ ὀρχήσεως, & Athenæus lib.14.cap.12. & Ennius:* Bacchico insultans modo. *Vergilius etiam Æneid.* 11.

Aut vbi curua choros indixit tibia Bacchi.

à Sicinnide, Bacchi comites dicuntur Sicinnistæ, Athenæo. Dionysiacarum saltationum tria scio genera commemorari, singula à Bacchi sociis inuecta & nominata, κόρδακα, σικίννιδα, ἐμμέλειαν: Peculiariter tamen Senecam sensisse putauerim de Sicinnide, quia hæc vt magis incondita, ita & lepidior, & concitatior (nam Dionys. Halicar. testatur lib.7. ludicris & ridiculis gesticulationibus Pyrrhicæ gestum ac motus imitatam) & Thyrsigeris Bacchis, Satyrisq́ accommodatior. quare Pollux lib.4. Onom. cap.14. scripsit Cordacem propriam comicis, emmeliam tragicis, sicinnidem Satyris peculiarem. Sanè apud Euripidem Satyri sicinnidem saltant, apud Terentium verò non ambigo quin Demea de cordace senserit:

Tu inter illos restim ductans saltabis.

Cordacem à sicinnide, præter Pollucem, etiam Athenæus & Lucianus distinxerunt. ideo perperam Tusanus confundit.

Pede pulsauit] *terram pede pepulit. Lucretius:*

——— terram pede pellere matrem.

Ennius, pulsare dixit:

Musæ quæ pedibus magnum pulsatis Olympum.

442 Thyades] *Bacchæ Thebanæ.* Thyades (*ait Pausan. in Phoc.*) sunt Atticæ feminæ, quæ in Parnassum quotidie venientes, cum Delphicis mulieribus arcana Libero patri sacra peragunt. *sed poëtæ latius sumere consueuerunt.*

Oestro] *Latinè* asilus, *Græcè* οἶστρος. *Virgilius* 3. *Georg.*

Est lucos Silari circa, ilicibúsque virentem
Plurimus Alburnum volitans; cui nomen asilo
Romanum est, oestrum Graij vertêre vocantes,
Asper, acerba sonans, quo tota exterrita siluis
Diffugiunt armenta: ——— *Romanum nomen suo iam tempore periisse, & Græcum tantùm in vsu fuisse scribit Senecà epist.59. Oestrum quidam cum tauano confundunt, quem Græci μύωπα vocant, in quibus Plinius lib.11. cap.28. & Apollonius lib.1. vbi cùm de oestro ageret, dicit:* ὅντε μύωπα βοῶν κλείουσι νομῆες. quem tauanum vocant bubulci. *& glossarium Latino-Græcum;* Aquilio κέντρον βόων καὶ σκορπίων. *Emendandum ex Græco-Latino, vbi;* οἶστρος ὁ μύωψ Tabanus, asilio. *Quod verò prius illud etiam exhibet;* Aquilio βοῤῥᾶς, *puto apertè prauum, pro;* Aquilo. *Sed, ad rem, Sostratus lib. 4. de animalib. vt & Aristot. in animal. histor. docent οἶστρον circa fluuios, μύωπα in siluis nasci. vide Scholiast. Apollon. in lib.1. vers.205. & Wottonum lib.9. de differ. animal. cap.213. obtinuit, vt μετα-*

φορι-

φορικῶς *furiosi dicantur Oestro perciti ab Euripide apud Galenum lib. 3. de Hippocrat. & Plat. dogmat. cap. 4. & Latinis paßim. Philostratus in Imag. Penthei pingit* τὸν δὲ οἶστρον προσβακχεύσας ταῖς γυναιξίν. oestrum pungentem & furiantem mulieres, *vt hic noster. Aelianus quoque lib. 3. var. histor. refert Lacænas, Sicyonias, & Thebaides olim hoc Bacchi oestro infestatas; tresq. Minyades, Leucippen, Alcippen & Alcithoën eodem asilo stimulatas, infantulum Leucippes, quem hinnuleum putabant, discerpsisse. Addit Seneca, eodem percitas Agauen matrem, Autonoen & Ino materteras, Pentheum suâ manu interemisse. sed non est aperta mens verborum Senecæ; cùm addit;* —— oestro membra remissæ, velut ignotum videre nefas. *Puto, voluit potentiam Bacchi significare. neque videbatur satis efficax probatio, si diceret Thyades beneficio affectas, vel saltem non læsas à Baccho, orgia frequentasse. cognatæ illius, ista quidem, & affines, in quas honoris multum redundabat. addit ergo etiam tunc bacchatum ab illis, fusam comam, thyrsum iactatum, cursitatum, & quæ solebant alia; quando iam ad sanam mentem redierant, & parricidij sui turpitudinem, eiusq. Euhium auctorem cognoscebant. plus illas videlicet honori numinis, quàm naturæ neceßitudini tribuisse. plus Bacchi stimulos iam remissos, quàm acerbißimi doloris præsentem memoriam valuisse. Magnifica hæc & dithyrambica. sed quàm flebiliter Pentheum Agaue mater luxerit, ita describit Nonnus lib. 46. Dionys. vt vix queat mæstius & lacrymabilius.*

446 Ino] *Ino Athamanti Melicertam peperit, cum quo mariti furorem fugiens, in mari submersa; credita marinorũ Deorum numero addita. Græci Leucothean, Latini Matutam, filium, illi Palæmonem, hi Portunum nuncupant. latè hæc Nonnus lib. θ'. & ι'. Pausan. in Attic. & Messeniac. Plutarchus in Camillo, Apollodor. lib. 3. Biblioth. Ouid. lib. 1. & 4. Metam. & 6. Fast. sed alia longè narrat Aristides in Isthmicâ to. 1. quem legat, qui multa de Leucotheâ & Palæmone volet. vide etiam vers. 22. Thebaid.*

449 Tyrrhena] *de Tyrrhenorum nomine & origine multus est Dionysius Halycarnas. lib. 1. vbi quæ ex Myrsilo Lesbio adducuntur, validißimè confirmant Annianum Myrsilum veri Myrsili quandam esse laruam. Tyrrheni olim infames pyraticæ studio, vt docet Cicero in Hortensio. Vide etiam Strabon. lib. 5. Postea Thuscos dictos censet Seruius* ἀπὸ τοῦ θύειν.

449 Rapuit] *cùm Bacchus ab Icariâ in Naxum vellet transuehi, prædatoriam Tyrrhenorum triremẽ mercede conduxit; qui, Deo in nauem recepto, Naxum prætervecti, in Asiâ Bacchum vendituri vlterius tendere. sed Bacchus malum & remos in serpentes vertit, triremim hederæ ramis implicat, & omnia sonitu tibiarum replet, pyratas in furorẽ agit, illi in mare se eijciũt, & Delphines fiunt. ita Apollod. li. 3. Biblioth. & Ouid. li. 3. Metam. Higynus autem cap. 134. tradit remos in thyrsos, vela in pampinos, rudẽtes in hederam abiisse: deinde tygres, pantheras & leones in pyratas inuasisse. similia Lucian. in Bacchis, Philostrat. in Imaginib. & Homerus in Hymnis, in eo cuius initium;* ἀμφὶ Διώνυσον, *&c. quem, & Ouidij locum cum isto Seneca, qui contulerit; loci huius habiturus est perelegantem commentarium.*

Cærula

Cærula] *æquor in pratum viride transit plenum frondibus, floribus, fructibus. malè Pintiani lib.* Cærulea cum patris *pro*, mutat; *Mogunt.* imitat. *mallem*; mutas. *nam Nereus mare pacauit, mutante Baccho cærula in prata.*

456 Ramus] *acutè Raphelen.* remus. *vult hederas serpsisse per remos: & hypallage fuerit, pro hederæ tenent atque impediunt remos.*

456 Carchesia] *Cinnæ versus ex Smyrnâ, coniunxi in aduersar. nec muto factum. nam non sinit D. Isidorus vt* anguinam *legam, & ancoram interpreter. nam lib. 19. Orig. scribit* Anquina, qua ad malum antemna constringitur. *& Cinna deinde versum subiungit pro exemplo*: anguinam *illam non nouit. Nonium, qui posteriorẽ versum Catullo tribuit, non moror; solet aliàs quoque memoriâ labi. sed de carchesiis agendum. Lucanus lib. 5.*

Hic vtinam curuet summi carchesia mali.

Lucilius: Tertius hic mali superat carchesia summa.

Macrobius lib. 5. cap. 21. Saturn. Asclepiades vir inter Græcos apprimè doctus & diligens, carchesia à nauali re existimat dicta. ait enim naualis veli partem inferiorem pternam, at circa mediam fermè partem trachelon dici, summam verò partem carchesium nominari, & inde diffundi in vtrumque veli latus, eaque cornua vocantur *quid ais Macrobi? veli pars carchesium, pterna, trachelos? non tu quidem hoc dicas: sed scioli: & operæ nobis, non tu imposuisti. credo à te scriptum*; naualis mali partem. *quod præter D. Isidorum lib. 19. & Vitruuium lib. 10. & Apollonij Scholiast. in li. 1. ver. 563. etiam Lucianus, Hesych. & Pollux confirmãt. in fine etiam concinnius legeretur*; & inde diffundi velum in vtrumq. antennæ latus.

Depravant Griph. & a'ij. qui; *pateram.*

460 Noua facies] *pro humanâ, piscina. quisquis ille est qui exstat Myrsilus Lesbius de Origine Italiæ, scribit*; Tyrrhenos ob pyraticam & potentiam quam in mari obtinebant, & quia multas in omnes terrarum regiones colonias deducebãt, Delphines fuisse nominatos: idcirco Græcos fabulosam hanc Metamorphosim finxisse.

Te sequitur] *mallem*; & sequitur. *nam pendet à superioribus.*

467 Diuite] *Totum Orientem aiunt à Baccho deuictum. Ouid. lib. 4.*

Oriens tibi victus, adusque
Decolor extremo quâ cingitur India Gange.

hic enumerantur Lydi, Getæ, Massagetæ, Thraces, Scythæ, Mæotis accolæ, & omnes Aquilonares, Geloni etiam & Amazones.

470 Massagetes] *Dionys. Afer:*

Hos verò retrò Orientem versus trans resonantem Araxem
Massagetæ degunt, velocium emissores sagittarum;
Viri, quibus nec egomet, nec quisquis est sodalis,
Appropinquet. multo namque inhospitaliores sunt aliis.
Neque enim ipsis suauis frumenti est cibus,
Neque sanè vinum indigenum; sed, equorum
Sanguini miscentes candidum lac, epulas apponunt.

471 Securigeri-Lycurgi] *Lycurgus, Dryantis F. rex Thraciæ, Bacchum omni, qua potuit iniuriâ affecit, bello superauit, egit in exsilium, interfecit, vt*

scribit Iul. Firmicus lib. de mysteriis & errorib. prophan. religion. cap. 6. Verum ethnici finxerunt contraria, victum Bacchi artibus Lycurgum contemtæ religionis grauissimas pœnas dependisse. Plutarchus in lib. de poët. legend. scribit eum, cùm vites omnes è Thraciâ conaretur exscindere, sibi crura securi incidisse; huc noster respicit. Higyn. cap. 132. tradit furore correptum, vxorem & liberos trucidasse, & à Pantheris, quas Dionysius immiserat, in Rhodope laceratum; Apollodorus lib. 3. Biblioth. putat ab equis in Pangæo discerptum; Homerus vult excæcatum dumtaxat; alij sibi manus intulisse. multa Eustathius ad 6. Iliad.

472 Zedacum] *Moguntin.* terrę Bacchum ferocem. *vt repetatur vox quæ in præcedenti; quod si quis amplectatur, multis se molestiis liberarit. Verùm hoc inter lineas: nam in contextu erat;* Zedacum. *quasi sit cognomen Bacchi. sed nullus mihi* Zedacus Bacchus *notus. Zabasum seu Zabasium non ignoro. an hoc substituas? sed puto potiùs gentis alicuius nomen positum. libri omnes;* Zedacûm, *præter vnum m. s. qui;* Zadacum. *credidi aliquando legendum;* Zacarum. *quia non dubitabam de Scythiæ populis aliquibus loqui, tum ex sequentibus;* Et quos vicinus Boreas ferit Arua mutantes. *tũ quia de Scythis & Indis triumphasse, testatur Ouidius lib. 3. Fastor.*

Bistonas, & Scythicos longum est narrare triumphos,
Et domitas gentes thurifer Inde tuas.

& communi nomine Persæ, Scythas omnes Sacas vocarunt, testante Herodoto & Plinio. & Sacas esse Nomadas, Scythicam gentem docuit Chærylus, apud Strabonem:

μηλονόμοί τε Σάκαι, γενεᾶ Σκύθαι. αὐτὰρ ἔναιον
Ἀσίδα πυροφόρον. Νομάδων γε μὲν ἦσαν ἄποικοι
ἀνθρώπων νομίμων —— Opiliones Sacæ, origine Scythæ tum incolebant Asiam tritici feracem, à iustâ hominum Nomadum gente in coloniam missi. *Sed syllabæ moduli hoc non videntur admittere. Ad alia igitur coniectanea, &, si vis, mera mapalia deferor. sumat quisque quod placebit; &, si nihil, ipse meliora apponat. quid si?* Sagarum. *vicini hi Scythis Melæ lib. 3. cap. 6. quid si?* Sedochum, *vt sint illi quos Tacitus vocat lib. 3. histor.* Sedochezos. *quid si?* Siracum. *qui ad Caucasum Straboni li.* 11. *vel,* Sydrachûm; *quos Alexander debellauit, apud Iustinum & alios. quid si?* Zabiûm, *vel;* Gaziûm. *nam hi populi Indiæ cũ Debrice contra Bacchum pugnarunt, testibus Dionysio. 3. Bassaricor. & Stephano. num legendum?* Saciûm. *nam Stephano,* Sacis *incola vrbis Scythicæ Sacæ. num vero?* Sidacum: *nam* Sidace *Stephano vrbs Lydiæ, & Lydi etiam à Baccho domiti. Num verò legendum, minima mutatione?* te Dacûm. *hoc est, Dacorum: quorum primam Seneca corripere solet, vt ostendam Thyest. ver. 602. & Dithyrambo proprium tam desultoriè, modò res Bacchi gestas narrare, modò ipsum Bacchum alloqui: denique Geticos arcus paullo antè memorauit, quibus proximi Daci; mox Scythas addit, quibus Daci coniungi solent, etiam ab Horatio:* Postea inueni etiam Raphelengio hoc visum.

Te Dacus asper, te profugus Scythes.

Hæc diuinatio mihi potior aliis omnibus; illâ quoque quæ quodam die placuit;

P terræ

terræ Issidûm feroces, *admisso hiatu. vt de Essedonibus agat; qui Stephano* Ἰσσηδοὶ τρισυλλάβως: *quorum ferocia & crudelitas inter omnes Scythas decantatissima. parentum cadauera deuorabant, & craniis in pocula vtebantur, vt Solinus testatur. & prior Mela lib. 2. etsi ex solo Herodoto Pintianus Melæ contextum mutet, & homo sobrius temulentæ genti poculis ademtis iconculas obtrudat. bellas iconculas, quas præfiscini ad collū gestent. Poculorum huiusmodi vsum omnes* omnino codices Melæ confirmant; vt & mos aliarū gentium apud alios. Liuius lib. 33. auctor est, Boios Postumi ducis sui caput templo intulisse; eoq́; purgato caluam auro inclusisse, vt sacrum vas esset, quo solemnibus libarent: & hoc poculo sacerdotes, templiq́; antistites vti consueuisse: & Boiis hanc consuetudinem ex humani capitis ossibus bibendi ad suam vsq; ætatem perdurasse scribit N. lib. 1. Annal. Boior. de Celtis Silius lib. 13.*

* *Confirmant Hermolaus, Oliuarius, Vinetus, & noster Sextius.*

At Celtæ vacui capitis circumdare gaudent
Ossa (nefas) auro, & mensis ea pocula seruant.

quod de Germanis, scilicet Boiis, intelligendum. Alboinus Longobardorum rex, abscissum caput Chunimundi regis soceri sui, in scyphum efformauit, & Rosimundæ vxori, Chunimundi filiæ, propinauit hauriendum; quæ ipsi necis causa: scribit poculi inspector Luitprandus lib. 2. Hist. Longobard. cap. 14. Denique de Cure, Principe Pieczenigorum, idem narrat Sigismundus Baro in commentar. rerum Moscouitarum. Hæc ego, de Zedacis. *velim alios meliora, & lubens accinam:*

μάντις δ' ἄριστος, ὅστις εἰκάζει καλῶς.
Vates ille optimus, qui benè coniicit.

478 Gelonos] γελωνὸν *vrbs Sarmatiæ Stephano, condita à Gelono Herculis filio. incolæ Geloni: apud hos nascitur Tarandus, villosum animal bouis magnitudine, de quo eadem quæ de Chamæleonte & Polypo, quoad coloris mutationem prodita ab Aristotele in lib. de admir. audition. Aristoteli enim hunc librum asscribit etiam Stephanus in* Γελωνὸν, *quod propter Criticos quosdam temerarios monuerim.*

481 Thermodontiache] *Moguntin.* Thermoduntiadæ.

485 Ophioniáque] *Thebanâ, maximè Penthei.*

486 Prœtides] *sic scribendum, non* Prætides. *Prœti filiæ Bacchum colere recusabant, teste Apollodoro lib. 2. Biblioth. & Iunonis formæ suam præponebant. vltio mox subsecuta. nam in eum mentis errorem inciderunt, vt sibiipsis vaccæ visæ, humanum consortium fugerent. sed tandem Æsculapius, vel (vt alij) Melampus, siue vates siue pastor, purgauit, & purgamina in Clytorium fontem abiecit. Testatur epigramma apud Vitruuium:*

Fuge meum fontem, in quo Melampus
Abluit furores Prœtidum duros.

Eudoxus in descriptione terræ apud Stephanum: Est fons in Azaniâ, qui gustantes aquam eius facit nec odorem vini tolerare: in quem aiunt Melampodem, quando Prœtidas expiauit, purgamēta iniecisse. *Plura Callimachus, in hymn. Dianæ. Sex. Empyr. lib. 4. Pyrrhon. hypotyp. & Ouid. vlt. Metam. Seruium & Probum in 6. eclog. Virgilij, consulere potes.*

Et agros] *Virgilius*: Proetides implerunt falsis mugitibus agros.

470 Præsidem] *plerique excusi*; Præsentem. *& sic m.s. Eguiaus & Moguntin. sed versus non patitur. Lipsiens.* Præsidem. *quando aut quomodo Bacchum Iuno coluit præsentem, vel præsidem? fuit illa Vulcano Bacchi operâ reconciliata, quod narrat Aristides. sed quid hoc, ad rem, de qua nunc sermo? sedet animo: Iunoni spretæ à Prœtidibus formæ contumeliam fuisse acerbißimam, ita vt vindictam solam animo volueret. læsere interea misellæ virginis etiam Liberi numen: qui confestim pœnas exegit, immisso quem modò dicebam, errore. Tam grata iratæ Iunoni hæc vltio, vt priuignum quem prius oderat, deinceps amare & colere cœperit. cogita igitur num rectius scriberetur*: Vindicem B. c. n. *vel si retines* Præsidem. *intellige Bacchum Naxi Deum tutelarem.*

488 Naxos] *Cyclades insulæ in Ægæo sunt, Andros, Myconos, Tenedos, Naxos, Delos, Seryphus, Gyaros, Rhenia. omnium altißima Naxos, quæ etiam Dia, teste Callimacho, & Strongyle & Dionysias vocata, teste Plinio lib. 4. cap. 12. à vinearum fertilitate, quare à Papinio in Achilleid.* Bacchica *dicitur, vt Baccho sacra. Scaturibat in ea fons vini, & in Bacchi honorē Naxius feminis Iuno tribuit, vt octauo solæ mense parerent, quo mense natus Bacchus, vt refert Stephanus ex Asclepiade. Sidonius de Burgo*:

——Nyssa vale Bromio, Phœbo Parnasse biuertex:
Non illum Naxos, non istum Cyrrha requirat.

Lactantius lib. 1. cap. 15. enumerans quos Deos quæq; ciuitas priuatim summâ veneratione coluerit; vt Ægyptij Isidem, Mauri Iubam, Macedones Cabyrum, Pœni Vranum, Latini Faunum, Sabini Sancum, Romani Quirinum. Eodem vtique modo Athenæ Mineruam, Samos Iunonem, Paphos Venerem, Lemnos Vulcanum, Naxos Liberum, Apollinem Delphi. *quæ ferè ad verbum omnia mutuatur D. Isidorus lib. 8. Origin. cap. de Diis gentium; apud quem tamen recti casus*; Lemnos, Paphos, Naxos, Delos; *pro accusatiuo positi, vel ἀρχαικῶς datâ operâ, vel operarum culpâ. Apud Nonium, in* Gerræ, *rescribo*; & sunt gerræ fascini, qui sic in Naxo insulâ Liberi ab incolis appellantur. *vulgo legitur*; insulâ Veneris.

Ægeo] *mare Ægeum ab insulâ; quam Ægas vocat Homerus, sacram Neptuno, spectris infestam; teste Nicocrate: vel à Neptuno, qui Ægeus quoque dicitur, auctore Pherecyde; vel à formâ promontoriorum in mare excurrentiū cornutæ capræ specie. Vide Schol. Apoll. in li. 1. ver. 1165.* 489 Tradit] *sic soli Lipsiens. ceteri omnes*; tradidit. Virginem relictā] *Ariadnen Minois filiā. ex hoc loco patet abductā. Ariadnen à Theseo in illā Diā, quæ & Naxos; non in aliam Cretæ vicinā, quod mirum homini docto excidisse, contra ipsum Ouidium, quem exponebat, & alios omnes. Vnde Columella Ariadneæ coronæ sidus, vocat* Naxium ardorem. *Tertullianus etiā meminerat, sed operarum errore deprauatus. lib. de coronâ milit. cap. 7. excusi habent*; Dat & Ariadnæ sertum ex auro & Indicis gemmis Vulcani opus, Liberi munus, post & sidus. *Non damnem, nisi damnarent m. s. qui continent*; Thesidus, *pro*; post & sidus. *censeo scriptum fuisse, vel*; Thesei sidus. *vel*; Diæ sidus. *vel*; Liberi

 mu-

munus, & ſidus; *vel denique*; Theſei munus, Liberi ſidus. *nam Hyginus ſcribit, quoſdam tradere, hoc aureo ſerto à Vulcano accepto, Theſeum Ariadnam ſibi conciliaſſe. De Theſio flore, quædam Athenæus, ſed ad hunc locum non pertinent. Ex his coniecturis, prior quæque melior.*

490 Meliore marito] *Ouidius:*

Illa, nec inuideo, fruitur meliore marito.

491 Pumice ſicco] *Euripides:*

Tum vna correpto thyrſo verberat petram,
Vnde rorulentus aquæ proſiliebat humor.
Alia autem ferulam demiſit in terræ ſolum,
Et iſthic mox fontem vini emiſit Deus.

492 Nyctileus] *quorundã Bacchi cognominum rationem reddidit quidã:*

A ſtrepitu Bromius; quòd vociferetur, Iacchus:
Quod curis ſoluat corda, Lyæus erit.

Liber, *ſeu* ἐλευθέριος, *vel quia apud vrbem Bœotiæ Eleutheras colebatur; vel quia libertatem quandam bibentibus ingeneret, dictus, auctore Plutarcho in Quæstion. Roman. ineptum quid Blondus attulit aliud, li. 1. Romæ triumphant. Vocatus etiam* Mænoles, *quòd totus inſaniat, Euſebio lib. 2. præpar. Euang. c. 5.* Bryſæus, *ab vuis exprimẽdis, Perſio Sat. 1.* Byrſæus, *à byrsâ pelle qua in prælijs vtebatur, Diodoro li. 5.* Maſaris, *à Masâ nutrice, Leonico li. 1. var. hiſt. cap. 98.* Oſyris, Phanoces, Adoneus, Pantheus, Bicornis, *Auſonio epigr. 30. Æliano quoque lib. 3. var. hiſt. dicitur;* Phleonas, Protyges, Omphacites, *&c. eum adi, qui vnà cum Nonno in Dionyſiac. & Florilegio Græcorum epigramm. plura cognomina Bacchi ſuppeditant. vide Iulianum Aurel. lib. 3. de cognomin. Deor. cap. 5. & Lilium d. Syntagm. 8.*

493 Garruli gramen] *Euripides:*

Quibus denique niuei lactis erat deſiderium,
Summis digitis ſcindentes ſolum,
Ilico lactis flumina habebant: porrò ex ederaceis
Thyrſis, guttis flaua ſtillabant mella dulcibus.

Item: ῥεῖ δὲ γάλακτι πέδον,
ῥεῖ δ' οἴνῳ, ῥεῖ δὲ μελισσᾶν
νέκταρι ——
Fluit & lacte campus,
Fluit vino, fluit & apum
Nectare. *Catullus:*
Quæ vbicunque tu puellus loca dexter adieras,
Vbicunque ſeſſitaras; noua germine tenero
Feriebat arbor auras redimita pampinis;
Vbicunque ſeſſitaras, noua flumina temeti
Placido viam ſecabant fluitantia ſonitu.

quæ ex Homero, in hymno Bacchi tranſtulit, ex carminibus quorum initium, οἶνος μὲν πρώτιστα *&c. In Naxo Bacchi operâ ſtato quotannis die mero manaſſe tradit Leonicus d. lib. 1. cap. 99. de quo intelligendum illud Propertij;*

Et

Et tibi per mediam benè olentia flumina Naxon;
Vnde tuum potat Naxia turba merum.

idem Andri, in Bacchi æde, singulis annis vel bienniis contingere scribũt Plinius li. 2. cap. 6. Pausan. in Eliac. & Philost. in Imagin. Non vini tantum, sed & cereuisiæ inuentorẽ Bacchũ, colligunt ex Eusebio li. 2. de prep. Euang. c. 2.

Lesbia] *vina Lesbi laudant Horatius & Athenæus.* Niueiq. lactis] *Mogunt. Herbip. & Ven.* lacus. Candida] *sic Lipsiens. ceteri;* candidos.

502 Fulmen] *cuius memoria Baccho, ob matrem peremptam, funesta.*

504 Oceanus] *terram insulæ modo comprehendi ab Oceano, & cingi omnem significat. sic Dionysius Afer:* οὕτοις Ὠκεανὸς ὃς περιδέδραμε γαῖαν ἅπασαν. *quod, teste Strabone, primus Homerus fuit commentus, ceteri Geographi quoque postea sunt secuti: adeo vt Æthicus affirmet Senatui compertum, orbem terrarum mari, vt limbo quodam cingi. nata opinio, quòd terram per se globum efficere & rotundam putabant. Verùm nec illa perfectè sphærica est, sed fundæ instar ad Orientem se latius porrigit & expandit, vt fatetur ipse Dionysius; & nauigationibus compertum eam simul cum mari in vnum orbem conuenire, vt docent Philalteus in Aristot. de cælo, & noster Clauius in c. 1. Sphe. Sacrobusti.*

505 Lunáque] *Luna cùm plena fuit, paullatim lucem deperdit, & obscuratur, donec Nouilunium seu Neomenia sit: tum se recolligens rursus & corniculans, paullatim amissam recuperat: & primò Menocides, mox Dichotomes, deinde Amphicyrtos effecta, tandem rursus Panselenos seu plena apparet, & sic dimissos plena ignes recolligit. docet Aristoteles & Græci eius interpretes in lib. 2. de cælo cap. 11.*

Dum matutinos] *his sex versibus ait: perpetuò Bacchum venerabimur.*

IN ACT. III.

Narrat Creon Oedipo, ipsum Laij iudicio reum cædis esse; negat Oedipus, & post iurgium cum Creonte, eum in carcerem detrudi imperat.

514 Nosse] *membranæ Burdegal.* scire. *Persimile autem colloquium Tiresiæ & Creontis in Phœniss. Euripidis, vnde ista noster:*

κρ. φράσον πολίταις καὶ πόλει σωτηρίαν.
τειρ. βούλει σὺ μέν τοι, κοὐχὶ βουλήσῃ τάχα.
κρ. καὶ πῶς πατρῴαν γαῖαν οὐ σῶσαι θέλω;
CR. Vrbi salutem ciuibúsque edissere.
TIR. Nunc expetis dicta, auribus mox respues.
CR. Quid, non tuendæ flagro curis patriæ?

520 Odere Reges] *verè de tyrannis Satyricus:*
Accusator erit, qui verum dixerit.

521 Vile pro cunctis caput] *fuit hæc impij Caiphæ sententia de Christo* IESV *D. N. digna quæ puriore linguâ diceretur. Fuit etiam Syluij Othonis apud Xiphilinum:* πολὺ γὰρ που καὶ κρεῖττον καὶ δικαιότερόν ἐστιν ἕνα ὑπὲρ πάντων, ἢ πολλοὺς ὑπὲρ ἑνὸς ἀπολέσθαι. multo enim melius & iustius est, vnum pro omnibus, quàm omnes pro vno perire.

532 Cupressus] *nota arbor. vide Pierium lib. 52. Hieroglyph. Porrò hanc ipsam siluam sic describit Statius 4. Thebaid.*

Silua capax æui, validáque incurua senecta
Æternum intonsæ frondis stat peruia nullis
Solibus. haud illam brumæ minuere, notúsve
Ius habet, aut Geticâ Boreas impactus ab Vrsâ.
Subter opaca quies, vacuúsque silentia seruat
Horror, & exclusæ pallet mala lucis imago.
Nec caret vmbra Deo, nemori Latonia cultrix
Additur: hanc piceæ, cedríque & robore in omni
Effictam, sanctis occultat silua latebris.

535 Annosa] viuax. *talis enim est quercus. vnde ab eâ Festus vult dictũ robur; & solet diuturni imperij, itẽ firmitatis ac fortitudinis esse symbolum. lege Pierium lib. 51. Hiero.*

Huius abrupit latus edax vetustas] *absunt hæc omnia ab Herb. & Ven.*

539 Paphia myrtus] *Veneria. quia tam Paphos vrbs, quam myrtus Veneri sacra. Paphos quidem Aratori Act. Apostol. cap. 2.*

——— Cyprum, Salamináque linquens,
Pergit adire Paphum; quæ fertur amoribus olim
Dedita, sacrilegæ mansisse libidinis antrum,
Aligerósque vagos studio coluisse procaci.

in quibus versibus primum vocabulum fortè mendosum, nam Paphos & Salamis in ipsâ insulâ Cypro sunt. Myrtus cur Veneri dicata, causas recenset Pierius in Hieroglyph., quas vel modicè docti audiuarunt.

542 Enode] *rectum, nullis nodis, vel flexibus deformatum. Moguntin.* Enoda, *ab enodus.*

544 Vna defendit] *sic Lipsiens. hoc est sola tuetur. ceteri codices;* vmbra defendit. *vmbra simul prodest nemori, dum aëris arcet & ventorum inclementiam; & simul nocet, dum radios solis excludit.*

548 Senior] *volunt Tiresiam tres ætates vixisse.*

549 Præstitit noctem] *dicit, quia, (inquit Callixenus)* inferis quidem sub occasum solis sacrificant: cælestibus verò Diis, sub solis nascentis ortum operantur.

550 Fossa tellus] *Festo auctore, antiqui Diis superis, in altaribus; terrestribus, in terrâ; inferis, in effossâ humo sacra faciebant. vide Medea. 797.*

Rapti rogis] *& hoc ergo sollemne, vt non quouis igne in his infernalibus sacris, sed hoc tantùm quem ex rogo rapuissent. sic in Medea act. 4.*

Tibi sanguineo cespite sacrum
Solenne damus: tibi de medio
Rapta sepulcro fax nocturnos
Sustulit ignes.

Lucanus lib. 6. de Erichto:

——— funereas aris imponere flammas
Gaudet, & accenso rapuit quæ thura sepulcro.

&

& Fumantes iuuenum cineres ardentiáque ossa
E mediis rapit illa rogis, ipsámque parentes,
Quam tenuere facem ———

Statius lib. 4. de hac nostra Necyomantiâ Tiresiæ:

——— nec rapidas cunctatur frondibus atris
Subiectare faces. *mendosè. rescribendum;* raptas *nam id rituale.*

551 Funesto] *nigro, obsito, fulgurito, vel maculoso, & impuro. nam superis sacrificantes puris induebantur. puræ, quæ candidæ, non obsitæ, non fulguritæ, non maculam habentes, non funestæ. Erichto apud Lucanum induitur* vario amictu, *hoc est, vt arbitror, maculosô & sordido.*

555 Ferfundit] *quidam cod.* pertundit.

556 Nigro bidentes] *conferendus cum hoc loco Papinius 4. Thebaid.* bidentes, *bimæ oues.* Oues, *quia verres & aliæ hostiæ quæ hoc nomine veniunt, in inferorum sacris non erant idoneæ.* bimæ, *quia hac ætas apta sacrificiis, &* bidentes *non à dentium, sed annorum numero appellatæ, vt ex Nigidio & Higyno docent A. Gellius lib. 16. cap. 6. Festus, in* bidental, *& Nonius in* bidentes. *bidentes ergo hîc oues, ætatis statæ; quæ nec* agnæ *sint, nec* adasiæ. *Silius lib. 13.*

Corpora lanigerûm procumbunt lecta bidentûm.

Statius de hoc nostro sacro, ——— circúmque bidentûm
Visceribus laceris, & odori sulfuris aurâ, * *Male vulgò odoris.*
Graminibúsque nouis & longo sulfure purgat.

& postea: Velleris obscuri pecudes armentáque sisti
Atra monet. ——— *Sed quis hæc melius, quam nefariorum rituum auctor ipse cacodæmon; qui ea familiari suo Porphyrio, apostatæ & mago, istis versibus indicauit:*

Indignum, tanti hunc in Christianorū fieri scholis; vt, in eius verba, philosophiæ sacris inissentur.

ἐργάζευ φίλε τὴν δὲ θεόσδοτον ἐς τρίβον ἐλθών,
μηδ' ἐπιλήθεο τῶν μακάρων θυσίας ἐναρίζων,
πῆ μὲν ἐπιχθονίοις, πῆ δ' οὐρανίοις, ποτὲ δ' αἴθρης
αὐτοῖσιν βασιλεῦσι καὶ ἠέρος ὑγροπόροιο,
ἠδὲ θαλασσαίοις καὶ ὑποχθονίοισιν ἅπασι.
πάντα γὰρ ἐνδέχεται φύσεως μεςώμασι τῶνδε,
ζώων δ' ὡς θέμις ἐςὶ τελευτῆσαι καταγισμοὺς
ἀείσω, δέλτοις δὲ χαράσσετε χρησμὸν ἐμοῖο.
τρεῖς μὲν ἐπιχθονίοις, τρεῖς δ' οὐρανίοισι θεοῖσι.
φαιδρὰ μὲν οὐρανίοις, χθονίοις δ' ἐναλίγκια χροιῇ.
τῶν χθονίων διαίειρε τριχῇ θυσίας ἐναρίζων,
νερτερίων κατάθαπτε, καὶ εἰς βόθρον αἷμα ἴαλλε,
χεῦε μέλι νύμφαις, Διονύσοιό τῆς δῶρα
ὅσσοι δ' ἀμφὶ γαῖαν πωτώμενοι αἰὲν ἔασι,
τοῖς δὲ φόνου πλήσας πάντη πυριπληθέα βωμὸν,
ἐν πυρὶ βάλλε δέμας, θύσας ζώοιο ποτανοῦ,
καὶ μελὶ φερήσας δηΐῳ ἀλφίτῳ ἔνθεν,
ἀτμούς τε λιβάνοιο καὶ οὐλοχύτας ἐπίβαλλε

εὔτε δ' ἐπὶ ψαμάθοισιν ἴῃς γλαυκὴν ἅλα χεύας
κὰκ κεφαλῆς θυσίαζε. καὶ ἐς βαθὺ κῦμα θαλάσσης
ζῶον ὅλον προΐαλλε. τελευτήσας τὰ δὲ πάντα
ἐς πλατὴν ἠερίων χορὸν ἔρχεο οὐρανιώνων.
ἀςραίοις δ' ἤπειτα καὶ αἰθερίοις ἐπὶ πᾶσιν,
αἷμα μὲν ἐκ λαιμῶν κρουνώμασιν ἀμφὶ θυηλὰς
λιμνάζει. τὰ δὲ γυῖα θεοῖς ἐν δαιτὶ πονεῖσθαι.
ἄκρα μὲν ἡφαίςῳ δόμεναι, τὰ δὲ λοιπὰ πάσασθαι,
ἀτμοῖσιν λαροῖσιν ἐνιπλήσαντες ἅπαντα
ἠέρα ῥευςαλέον. ἐπὶ δ' εὐχὰς πέμπετε τοῖςδε.
Hæc age, qui nutu Diuorum ingressus amice es
Huius iter vitæ. mactanda est hostia cunctis
Multa Deis: seu qui terram, seu qui mare vastum,
Aëra seu qui habitant, latum seu qui æthera, seu qui
Alta colunt cæli, seu qui infima regna barathri.
Quæ quibus obseruanda modis sint singula dicam:
Tu memori conscripta animo mea dicta teneto.
Terna quidem Diuis cælestibus hostia, & ipsa
Candida mactanda est; terna & terrestribus, atque
Atra eadem. gaudent porrò & capiuntur apertis
Terrestres aris: foueas cum numina contra
Exposcant atro imbutas inferna cruore;
Nec placeat nisi quæ terræ mandatur humata
Hostia. Mel verò nymphæ atque liquentia vina
Offerri lætantur. at ignem accendier aris,
Quæ circumvolitant terras sibi numina quærunt,
Imponique atrum corpus: tum thura simulque
Iniicier salsas fruges, & dulcia liba.
Hæc facito. verùm, quibus est data cura profundi;
His ipso semper fer sacra in litore, totum
Proiicéque in fluctus animal; cælestibus autem
Extremas reddes partes, atque igne cremabis:
Quod superest propone tibi, dapibúsque reserua.
Sudet odoratis crassisque vaporibus aër.

Vnde apparet terrestribus & infernis Diis non nisi atra immolari, & nunquam volatilia: & terrestribus, supra aras; infernis, in foueis. Vide Eusebium lib. 4. præparat. Euang. cap. 4. vbi etiam numerum habes hostiarum, ternum. quem noster prætermisit, vt & ararum; non Statius, lib. 4. Thebaid.

Trunca dehinc nemora aduoluit, mæstúsque sacerdos
Tres Hecatæ, totidémque satis Acheronte nefasto
Virginibus iubet esse focos. tibi rector Auerni,
Quanquam infossus humo, superat tamen agger in auras
Pineus: hunc iuxta cumulo minor ara profundæ
Erigitur Cereri frondes atque omne cupressus
Intexit plorata latus.

558 Vi

558 Viuúmque] *Statius*:

Ter circumacta pyras sancti de more parentis
Semineces fibras, & adhuc spirantia reddit
Viscera ———

559 Manes] *quid propriè Manes, quid Heroes, &c. docet Martianus Capella his verbis*: A medietate aëris vsque in montium terræque confinia, Hemithei Heroësque versantur; qui ex eo quòd *Heram* terram veteres dixerunt, *Heroës* nuncupati. ibíque *Manes*, id est, corpori humano præsules attributi, qui parentum seminibus manauerunt. Denique hæc omnis aëris à Lunâ diffusio, sub Plutonis potestate consistit; qui etiam *Sumanus* dicitur, quasi summus Manium. Hic Luna, quæ huic aëri propior est, *Proserpina* nominatur. Verùm illi Manes, quoniã corporibus eo tempore tribuuntur, quo fit prima conceptio, etiã post vitam hisdem corporibus delectantur, atque cum his manẽtes appellantur *Lemures*. qui, si vitæ prioris adiuti fuerint honestate, in *Lares* domorum, vrbiúmque vertuntur: si autem deprauantur ex corpore, *Laruæ* perhibẽtur ac *Maniæ*. Manes igitur hic tam boni, quàm truces sunt constituti; quos ἀγαθοὺς καὶ κακοὺς δαίμονας memorat Graia discretio. In his etiam locis *Sumanes*, eorúmque præstites, *Mana* & *Manuana*: Dij etiam, quos *Aquilos* dicunt. Item *Fura*, *Furinàque* & mater *Mania*, *Intemperiaq́;* & alij triptes Deorum degunt. *hæc ille de rediculâ theologia Gentilium; quæ visum ascribere, eo quòd auctor hic non multorum in manibus, & sunt rara. Sed & Isidorus lib.* 8. Manes Deos dicunt mortuorum, quorum potestatem inter Lunam & terram asserunt, à quibus & mane dictum existimant: quos putant ab aëre, qui manus, id est rarus est, manes dictos; siue quia latè manant per auras, siue quia mites sunt in manibus (*fortè leg. quia immites sunt hominibus*) contrario nomine hoc appellantur. Apuleius namque (*sic lego*) ait eos κατ' ἀντίφρασιν dici Manes, hoc est, mites ac modestos, cùm sint terribiles & immanes. *Apud Festum Paullus idem sentit*; Manos (*sic lego*) in carminibus Saliaribus Ælius Stilo significare ait bonos. & inferi Dij manes, pro bonis dicuntur à suppliciter eos venerantibus, propter metum mortis: vt immanes quoque, pro valde nõ bonis dicuntur. *Hos malos genios pari adulatione Paracelsus & similes magi honestiore vocabulo vocant* Euestra.

Qui manes regis] *Sumane. Statius ipsum carmen recenset*:

Tartareæ sedes & formidabile regnum
Mortis inexpletæ; túque ô sæuissime fratrum,
Cui seruire dati Manes, æternàque sontum
Supplicia, atq; imi famulatur regia mundi, *&c.*

560 Obsidentem] *Charontem, vel Cerberum.*

561 Rapido] *Lugdunens. & Herbip. & Veneti*; rabido.

561 Minax] *Moguntin.* minas.

563 Aut cogit] *Statius*:

Scimus enim & quicquid dici, nosciq́. timetis: *vmbras alloquitur.*

565 Libat] *Statius*:

Principiò largos nouies tellure cauatâ
Inclinat Bacchi latices, & munera verni
Lactis, & Actæos imbres, suadúmque cruorem
Manibus aggeritur, quantum bibit arida tellus.

Eurip. Mulsum effunde, lactis & vini laticem.

566 Bacchum] *Homerus*: primùm mulso, deinde verò dulci vino, tertiò demum aquâ. *hanc aquam veteres vocarunt*, arferiam, adferiam & adferias, *vt docent Festus & glossæ veteres. Vinum autem victimæ bis superinfundebatur, primùm ad explorandum an esset idonea, vt docent Seruius in 4. Aeneid. & Plutar. lib. 1. de defect. oracul. postea verò victimæ in frusta concisæ, vt fit apud Homerum Iliad. λ'. & Odyss. μ'. & Apollon. lib. 1. Argon.*

567 Læua] *hæc manus inferis sacra putabatur. Statius*:

Læuáque conuulsæ dedimus carchesia terræ.

568 Grauiore] *nam primo carmine non aduenerant: vt nec apud Papin.*

569 Latrauit Hecates turba] *Statius*:

Huius inaspectæ luco stridere sagittæ
Nocturníque canum gemitus ——

Tum] *quidam lib.* etiam. *Moguntin.* ter.

570 Tota succusso solo] *alludit ad augurium*, soniuium, *quod terrà sponte tremente; imitatus Virgilianum illud*:

—— tremere omnia visa repente.

vide Festum, in Soniuio. *Statius*:

Exclamat. tremuere rogi, vox impulit ignem.

571 Audior] *Alludit ad preces* Auditas, *de quibus Brisson. lib.* 1.

Audior] *hoc est impetraui. Statius*:

Iam nequeo tolerare moram, cassúsne sacerdos
Audior? *& postea*:
Audiris genitor, vulgúsque exsangue propinquat.

572 Rata] *non irrita vel cassa, sed efficacia & impetratoria. Vide Brisson. lib. 1. de Form. cap.* 112.

Rumpitur cæcum chaos] *Statius*:

Panditur Elysium chaos, & telluris opertæ
Dissilit vmbra capax, siluæque & nigra patescunt
Tartara, *&c.*

575 Rimas] *egêre rimas. Ouidius*:

Fissus erat tenui rimâ quam duxerat olim.

Moguntin. ruinas.

585 Sæua prosiluit cohors] *hæc omnia quæ sequuntur, & plura etiam Statius*: Primus sanguineo submittit inertia Cadmus
Ora lacu, *&c.*

confer si placet, videbis vincere nostrum sæpius, rarò vinci.

586 Vipereum] *nec hoc omisit Papinius.*

587 Ogygij] *Thebani. mirum quid mouerit Periegeten vt de Thebis Aegyptiis*: Θήβω

Θήβην Ὠγυγίην ἑκατόμπυλον, ἔνθα γεγονὼς
Μέμνων ἀντέλλουσαν. ἑὴν ἀσπάζεται ἠῶ.

Papius:

Qui celebres centum diuersis ordine portis
Ogygias habitant Thebas; vbi mane micantem
Auroram claro Memnon clamore salutat.

quorum sententiam non videtur assecutus Priscianus, vertens:

Filius Auroræ Memnon dum regna tenebat.

pertinet enim ad statuæ Memnoniæ miraculum, de quo postea.

600 Educat frondes Eryx] educat frondes Oeta. *Veneti.* Oeta frondes educat, *ceteri. Sequitur autem Seneca illorum sententiam, qui magicis artibus Manes euocari credebant. At D. Isidor. lib. 8. ita scribit*: Necromantici sunt, quorum incantationibus videntur resuscitati mortui diuinare, & ad interrogata respondere. (νεκρὸς enim Græcè mortuus, μαντεῖα diuinatio nuncupatur.) ad quos suscitandos cadaueri sanguis adiicitur. Nam amare dæmones sanguinem dicunt. ideóq. quoties Necromantia fit; cruor aquâ miscetur, vt colore sanguinis facilius prouocentur. *Lego; aqua, vel ; cruore aqua.* *ait videri suscitatos, quia censuit esse tantum phantasiæ illusiones. Vide Herc. Oetæum ver. 460. Sunt qui inter* Necromantiam *&* Sciomantiā *distinguant. in hac nullo cadauere opus esse, sed sola vmbræ euocatione; in illâ mortui cadauer adhibendum, & sanguine aspergendum, auctor Beroald. in 1. Tusculan. Cicer. Ergo hîc apud Senecam & Statium lib. 4. Theb. Sciomantia, apud Lucanum lib. 6. vera Necyomantia describitur.*

605 Ales] *Statius lib. 5. Thebaid.*

Qualia trans Pontum Phariis defensa serenis,
Rauca Paretonio decedunt agmina Nilo;
Cùm fera ponit hyems, illæ clangore fugaci,
Vmbra fretis aruisque volant, sonat auius æther.
Iam Borean imbrésque pati, iam nare solutis
Amnibus, & niueo iuuat æstiuare sub Hæmo.

primus hac vsus comparatione Homerus Il. γ'. vbi Troianos gruibus cōparat;

τρῶες μὲν κλαγγῇ τ' ἐνοπῇ τ' ἴσαν, ὄρνιθες ὥς.
ἠΰτε περ κλαγγὴ γεράνων πέλει οὐρανόθι πρὸ,
αἵτ' ἐπεὶ οὖν χειμῶνα φύγον καὶ ἀθέσφατον ὄμβρον,
κλαγγῇ ταίγε πέτονται ἐπ' Ὠκεανοῖο ῥοάων,
ἀνδράσι πυγμαίοισι φόνον καὶ κῆρα φέρουσαι.
Troiani quidem sonitu, clangoréque ibant sicut aues,
Velútque clangor gruum est in aëre;
Quæ postquam hyemem fugerunt, & immensum imbrem
Clangore hæ volant ad Oceani fluctus
Viris Pygmæis cædem & mortem ferentes.

ab Homero procreati Pygmæi, etiam in Geographicis locum adepti. Qui esse volunt, de loco habitationis dissentiunt. Scholiastes Homeri in Ægypto penitâ ponit: Plinius lib. 7. nat. hist. cap. 2. in Thraciâ, vt etiam lib. 4. cap. 11.

Sed lib.5.cap.29.in Asiâ; lib.6.cap.30.in Aethiopiâ, lib.6.cap.19.in Indiâ. Aristoteles, Ammianus & Philostratus volunt in terra cauernis more formicarum degere. Alb. Magnus lib.1. de animal. cap.3. ait esse homines syluestres, & nonnihil humanæ naturæ, quo ad primos motus deliberatiuos, obtinere; sed cap.21.omnem illis rationis scintillam adimit. Paullus Iouius lib.de Moscouit. legatione vltrà Iapones statuit, & magis ad simias, quàm homines accedere docet. Dixi ab Homero procreatos, non quoad nomen (notum id etiam sacris litteris Ezech.27.in vulgatâ nostrâ. nam Chaldæa paraphras. Cappadoces, *& Septuaginta* Medos; *alij* custodes *Hebræum nomen interpretantur) sed quoad staturam cubitalem, &* ὀρνιθομαχίαν *illam. A quodam simiarum genere natam fabulam, vult Cardanus, quem vide lib.* 11. *de subtilit. & lib.*8. *de variet. cap.* 40.

612 Interque natos] *Statius*:

Ecce autem magnâ subit inuidiosa cateruâ
Tantalis, & tumido percenset funera luctu
Nil deiecta malis. iuuat euasisse Deorum
Numina, & insanæ iam plus permittere linguæ.

de Tantalidis Niobes liberis vide Aelianum lib.12. plerique putant ad vnum omnes necatos vnâ: sed Pausan. in Corinth. ex Telesillâ poëtriâ, refert, Amyclam & Melibœã seruatas, quia Latonam fuerant deprecatæ; & hanc viridem cutis colorem, quem ex timore contraxerat, deinceps retinuisse, indeq. Chlorin vocatam. 615 Agaue tota quam &c.] *Statius*:

Penthea iam fractis genitrix Cadmeïa thyrsis,
Iam dimissa Deo, pectúsque adoperta cruentum
Insequitur planctu, fugit ille per auia Lethes.

Peior hac] *quidam*, peior at.

620 Atque ab omni desidet] *ita & Statius non semel, lib.2.*

Pone senex trepidâ succedit Laius vmbrâ
Vulnere tardus adhuc. capulo nam largius illi
Transabiit costas cognatis ictibus ensis
Impius —— *Item:*
—— gemuit prope limina nati
Laïus, & notos cunctatur inire penates.

& lib.4. Stabat inops comitum Cocyti in litore mæsto
Laïus; immiti quem iam Deus ales Auerno
Reddiderat. dirúmque tuens obliqua nepotem
(Noscit enim vultum). non ille ad sanguinis haustum,
Cetera, seu plebes, aliúmne accedit ad imbrem,
Immortale odium spirans.

620 Efferat] *sic Basileens. & Lipsiens.* afferat, *Herbipol. & Ven.* offerat, *Moguntin.* extulit, *Lugdunens.*

624 Stetit per artus] *Moguntin.* stetitque artus. *idem*; apertos vultus. *&*; obtentus comam.

634 Præmia] *sic Moguntin. Herbipolens. & Venet.* pretia *Lugdunens. malè*

malè Basileens. & Lipsiens. prima. *Sic autem Theb. actu I. Oedipus matrem suam vocat*, precium sceleris.

638 Egit qui in ortus] *Statius:*

——— illum, illum sacris adhibete nefastis
Qui letho dedit ense patrem, qui semet in ortus
Vertit, & *indignæ regerit sua pignora matri. *nū melidss (indignum)

639 Vix mos] *sic Basileens. & Lipsiens. verè. nam quibusdam feris est mos. ceteri libri*; nec mos. *quod efficacius. De Camelorum hac in parte continentiá lege Pisidam; de Orbis opificio.*

655 Moras] *cæcitatem, laßitudinem, natam quæ mori non sinat.*

656 Reptet] *M[illegible]untin.* repetet.

661 Merope] *Peribœam vocant Apollod. lib. 3. & Hyginus in fab. c. 66.*

675 Sollicita] *sic alibi vocat*, aurum sollicitum; *Tibullus*, fores sollicitas. *Vide Hippol. 516.*

678 Deponam] *Equian.* deponam mea, *sine* τὸ

679 Suadeam hoc] *prudenter ista &* πολιτικοτατέρως. *suscipere namque tyrannidem liberum, susceptam semel retinere necessarium: nisi cum illâ vitam ponere sit paratus. docet id non vno loco crudelis ille, sed præceptis imperij tuendi plus satis instructus Phalaris; cuius nonnulla adscribam. epist. ad Epicharmum 61.* τὸ μὲν γὰρ ἄρξασθαι τυραννίδος, ὀρεγομένου. τὸ παύσασθαι δὲ, οὐκ ἔτι. δία τὸ πολλὰ μὴ δεόντως πρᾶξαι. ὥσπερ οὐδὲ τοξότῃ μεθέντι τῆς ὀϊστὸν, ἀναλαβεῖν τὸ βεβλημένον. Incipere enim tyrannidem in voluntate appetentis est: desistere autem, non iam. quia multa non rectè perpetrata. quemadmodum neque sagittarij in manu positum, recipere telum semel emissum. *Idem epist. 67. & 146. ibi legite; & quæ omnium fusissimè ad Demotelem epist. 38. vbi inter cetera, vt homini priuato vtilius tyrannidem non occupare, quàm occupare: sic tyranno non deponere, quàm deponere tyrannidis principatum. Tutum id quidem & innoxium Sullæ, & Diocletiano: sed duo isti dumtaxat: & priorem Cæsar litteras nesciuisse cauillabatur. Vt vt est, vtilius fortè retinere: sanctius & saluti animæ melius, quouis cum periculo iniustè parta dimittere. quis autem sapiens, & non impius; aliquot dierum vitam æternitati illi præponat? Quanto rectius idem ille Phalaris alibi:* τὸ μηδὲν ἁμαρτάνειν, εἰκότως ἴσως καὶ δικαίως θεοῦ νομίζεται. τὸ δ' ἁμαρτόντα, τούτῳ αὐτῷ πρὸς τὸ μέλλον σεσωφρονίσθαι, ἀνθρώπου. τὸ μέντοι μηδὲ πταίσαντα καὶ ἀτυχήσαντα πεφυλάχθαι, οὐκ οἶδα ἄλλου τινὸς ὑπολειφθῆναι δυνάμενους, ἢ κακοῦ. Nihil peccare meritò forsan ac iustè Dei esse censetur: in posterum autem corrigi eo ipso quod quis peccauit, hominis. porrò se non custodire post lapsum atque infortunium, haut scio cuius alterius possit existimari, quam mali. *Cur ergo qui, quod inuadere non licuit, inuasit; non id deponat potiùs & reddat, quàm in iniquitate perseueret?*

683 Et ocium ac somnum sequi] *quidam*; laudare ocium & somnum sequi. *omnes certè quos vidi*; sequi. *nescio cur hîc alij nolunt*; sequi, *& malunt*, loqui. *parum est regnum & alta sermone detrectare; nec illud tam facilè*

cilè re assequantur; nisi ipso vitæ instituto, & factis segnitiem simulent. hoc autem simulatorem illum segnitiæ fecisse, ex illo Historicorum prudentissimo Tacito, manifestum quis credat, otium & somnum verbis crepanti, si vita factiosus & appetens administrationis, contraria studia verbis præ se ferat? In eo quod; fidem; *malunt in sequentibus, quàm*; diem. *& ego præfero. etsi nec incommoda sententia alterius lectionis.*

685 Dies] *tam diuturni temporis spacia an non sufficiunt ad mei expurgationem? Imò verò (ait Oedipus) hæc ipsa temporis diuturnitas tibi perfidiæ exsequendæ aditum aperit. illâ fretus, latere credis. Sin*; fides, *legamus: hic erit sensus.* CRE. *tot annis explorata fidelitas, nónne euidens innocentiæ meæ testimonium?* OED. *Imò hæc ipsa fides hactenus à te simulata, vt mihi cautum monet. Perfido sæpè ad proditionem locum fecit præterita fides.*

687 Solutus] *Hystieus apud Herodotum.* Quid mihi quærens ista facerem? aut cuius rei indigens? cui omnia adsunt, quæ tibi; quem tu omnium consiliorum tuorum communione dignaris? *In eandem sententiam, quædam Scipionis apud Polybium lib.* 10. *& Ciceronis pro Ligario, ponderauit Victorius lib.* 6. *Var. lect. cap.* 4.

696 Num] *Mogunt.* non, *& etiam seq. ver. in quo solo Herb. & Ven.* non.

698 Facitis exemplũ] *improbè. nam* Demosthenes (*inquit Ammian. lib.* 30.) Græciæ decus affirmat, similitudine, aut impunitate alterius criminis, nunquam dilui id, quod, contra ac liceat, arguitur factum.

699 Dubia pro certis] *nam teste Sallust. in Iugurth. ingenia regum prona ad formidinem: & Tacito lib.* 4. *Annal. suapte naturâ sunt potentiæ anxij.*

701 Quisquis] *sensus. quisquis verè noxius, & deprehensus, falsò tamen innocentem se esse simulans, impunè tulit: nunquam verè reconciliatur ignoscenti. quia, dubius ipse vel fictus amicus cùm sit, idem sibi de alio persuadet. ita fit vt eum odio prosequatur, quem sibi dubium, non certum, amicum credit. sic putem has tenebras penetrari. Quas quod aliter Lipsius dispellit, probæ dispunctionis ope, & litterulæ vnius extritione, non improbo. legit:*
——quisquis in culpa fuit Dimissus, odit. Omne quod dubiũ, puta. *& bicipitem esse sententiam inquit. primùm dici, omnem qui accusatus & dimissus, odisse eum apud quem & ob quem in periculo. Deinde in vniuersum Regibus præcipi, vt de quo ambigunt, pro certo habeant, & dubiam culpam vt certam puniant. quo, quid tyranno accommodatius?*

703 Odia qui] *sic in Thebaid.*

Regnare non vult, esse qui inuisus timet.

Nam regna semper odiis obiecta; nec fieri videtur posse, vt qui regnant, non alicui sint odio. infra Theb. 655. Simul ista mundi conditor posuit Deus Odium atque Regnum. *Nam nullus alteri imperium sponte sua concedit, nemo volens seruit; & (vt Sallustius ait ad Cæs.) quamuis bonus atque clemens sit, qui plus potest; tamen, quia malo esse licet, formidatur. Naturâ cunctis odio, qui vel minimâ ex parte libertatem minuit; quæ iuxta bonis & malis, strennuis & ignauis optabilis est. Iccirco Princeps odia prorsus vitare non potest. quamuis (ait noster lib. de Prouid.)* id agat, vt nemo illum meritò

ritò oderit, erunt tamen ſemper qui oderint. *Sed hæc odia, quibus ipſe nullam cauſam præbuit, quæ vt minuta, ita ineuitabilia, contemnat oportet, & meminerit illud excelſi & erecti Principis*, REGIVM EST AVDIRE MALE, CVM FACIAS BENE. *Probis probari ſe gaudeat, & præ plebeiâ, poſteritatis & annalium æternam malit commendationem.*

705 Timet timentes] *Idem lib. 2. de ira cap. 11.* Quid? quod ſemper in auctores redundat timor, nec quiſquam metuitur ipſe ſecurus. Occurrat hoc ſolo tibi Laberianus ille verſus, qui medio ciuili bello in theatro dictus, totum in ſe populum, non aliter conuertit, quàm ſi miſſa eſſet vox publici affectus:

Neceſſe eſt multos timeat, quem multi timent.

Ita natura conſtituit, vt quod alieno metu magnum eſt, à ſuo non vacet. Leoni inquam pauida ſunt ad leuiſſimos ſtrepitus pectora. acerrimas feras vmbra, vox & odor inſolitus exagitat. Quicquid terret, & trepidat. *Reddit rationem Ennius*:

Quem metuunt, oderunt: quem quiſque odit, periſſe expetit.

vnde acceptum illud Ouidij:

—— quem metuit, quiſque perire cupit.

Nonnulla de hac re Franc. Petrarcha lib. 2. dialog. 83. & lib. de remed. vtriuſ. fort. 1. & lib. de repub. optimè adminiſtrandâ.

IN CHORVM.

Excuſat Oedipum chorus; & cauſam malorũ refert in occiſum à Cadmo ſerpentem Marti ſacrum: & enumerat clades quas ex illo tempore paſſæ Thebæ.

713 Sidonio] *Cadmo. Nicander, in Theriacis*:

Σιδόνοιο Κάδμοιο θεμείλιον Ἁρμονίης τε.

Harmoniæque & Sidonij fundamina Cadmi.

714 Dirce] *hunc fontem, apud quem ſerpens iſte Marti ſacer degebat, Euripid. in Phœniſſ. ſemper* Dircen, *Apollonius lib. 3. Argonaut.* Aretiadam *nominat. Dirce Pauſaniæ in Boeot. ſeu lib. 9. eſt amnis.*

715 Natus Agenoris] *multa hoc choro noſter ex Ouidio, multa etiam ex chor. Phœniſſar. Euripid. vbi hæc*:

ἔνθα φόνιος ἦν δράκων
Ἄρεος, ὠμόφρων φύλαξ
νάματ᾽ ἔνυδρα, καὶ ῥέεθρα
χλοερὰ δεργμάτων κόραισι
πολυπλάνοις ἐπισκοπῶν
ὃν ἐπὶ χέρνιβας μολὼν
Κάδμος, ὤλεσε μαρμάρῳ,
κρᾶτα φόνιον ὀλεσίθηρος
ὠλέναις δικὼν βολαῖς.
Quâ ſe draco circumtulit
Ora cruentus, Martij
Sæuus Dei cuſtos; aquæ
Fluenta qui, vireta qui

Vigi-

Vigilante protexit oculo:
Lauacra quam Cadmus prope
Marmore peremit bestiam,
Iactu lacertorum truci
Crudele perfringens caput.

Agenori plures vxores fuere, ex Agriope Nili filiâ Cadmum genuit. Pherecydes lib. 5. Αγήνωρ δὲ ὁ Ποσειδῶνος γαμεῖ Δαμνὼ τὴν Βήλου· τῶν δὲ γίνονται Φοίνιξ καὶ Ισαίη, ἣν ἴσχει Αἔγυπτος. καὶ Μελία, ἣν ἴσχει Δαναὸς. ἔπειτα ἐνίσχει Α᾽γηνώρ Α᾽γριόπην τὴν τοῦ Νείλου τοῦ ποτάμου, τοῦ δὲ γίνεται Κάδμος.

716 Furta] *raptum Europæ, quẽ pulcrè narrat Theocritus* εἰδ᾽. ιθ᾽. *seu 19.*

719 Monitúque Phœbi] *quia hoc monitu eius factum, Phœbum Papinius vocat, auctorem Thebarum.*

——gemit auctor Apollo Quas fecit ipse domos——

723 Noménque] *sequitur eos, qui Boeotiam à Cadmi boue nominant, boue inquam Cadmi duce, vt Euripides & Castor. sed Euphorion & Nicocrates dictam volunt, à Bœoto Arnes & Neptuni filio, alij à Deucalionis filio, alij aliunde. Vide Leonicum libro 1. var. histor. cap. 95. Nec vnum dumtaxat Bœotiæ nomen, dicitur Aonia, Messapia, Ogygia, Cadmeis: auctore Stephano in* βοιωτία.

731 Aut fœta tellus] *Euripides,*

δίας ἀμάτορος
Παλλάδος φραδαῖσι,
γαπετεῖς δικὼν ὀδόντας
εἰς βαθυσπόρους γύιας.
ἔνθεν ἐξανῆκε γᾶ
πάνοπλον ὄψον ὑπὲρ ἄκρων
ὅρων χθονός. σιδαρόφρων
δένιν φόνος πάλιν ξυνῆψε φίλα γᾶ
Post Palladis, nullâ satæ
Genitrice, suasu dentibus
Consceuit agros, & soli
Sulcos profundos. vbere
Gleba cohortem militum,
Profundit vnde tibia:
Quos reddidit terræ quoque
Clades amicæ ferrea.

744 Recentis] *Lugdunen. fermè soli*; ruentis. *non placet.*

749 Herculeæ] *natus quidem iam Thebis tunc Hercules, sed nondum Megaram duxerat. nam duxit post Etheoclis & Polynicis obitum.*

751 Cadmei fata nepotis] *prosequuntur fabulam Actæonis totam Ouidius 4. Metamorph. & Nonnus lib. 5. Dionys. & Callimachus in Lauacro Palladis. Anaximenes lib. 2. de picturis antiquis vult venationis studio, nimiâ canum multitudine, decoxisse Actæonem, & inde natam fabulam. quod probatur etiam Palæphato, & Higyno. Reiicit ista Pierius lib. 7. Hieroglyph.*

malens

malens cornutum fuisse Actæonem, teste Plinio, & ab hostibus immissis canibus discerptum, idq; ex Maximo Tyrio confirmat. Pausanias in Bœotr scribit Thebis viâ, quæ Megaram ducit, saxum ostendi, quod nuncupant Actæonis, quia super eo fessus venatione Actæon dormire sit solitus. Inde Dianam, in fonte proximo lauantem, aspexisse: & Stesichorum prodere, à Dianâ pelle ceruinâ circumdatum, incitatósque ab eâ in herilem necem canes, ne Actæon Semelen in vxorem duceret. Ita tamen se credere furore actos canes dominum laniasse, sicut alium quemuis fuerant oblatum interemturi. Idem censuit Iul. Scaliger Comment. in Aristot. lib. de plant. 1. addens suo tempore idipsum multis venatoribus Corsis accidisse. Fabulam Anulus ad parasitos rettulit, facetè. fortè non minùs, qui ad aleatores infortunatos, quibus canes nimis frequenter subsiliunt. Porrò ad incustoditi visus pœnam, quam luit Actæon, & Callimachi Tyresias, suspicor respexisse Propertium lib. 3 eleg. 12. dicentem aureâ illâ ætate impunè licuisse Deas videre:

Nec fuerat nudas pœna videre Deas.

763 Nimium sæui-pudoris] *Sæua Diana, propter Taurica sacra, de quibus Eurip. in Taurica Iphig. & alia Triclaria, de quibus Leonicus lib. 1. var. histor. cap. 40. Sed* nimium pudoris sæui; *propterea quòd etsi visa Deæ nuditas ex lege Saturni necessariò erat vindicanda, tamen licuit minus acerbas pœnas exigere, vel Palladis exemplo, quæ ob similem errorem, oculorum damno, idq; penè inuita multauit Tiresiam. quare meritò Minerua se asserit mitiorem Dianâ, apud Callimachum in Lauacro, vbi hæc elegantissimè narrantur. ipse quoque Actæon apud Nonnum eam ob causam Palladem vocat misericordem. Vide Politianum in Miscellan. cap. 80. vbi Nonni & Callimachi loca exhibet.*

IN ACT. IIII.

Rescíscit Oedipus miserias suas, nimiaq; curiositate in summas incidit miserias. 769 Pulsu] *primi Basileens. hoc corruperunt, rescribentes;* impulsu. *quos secuti Lugdunens. & Lipsiens. prius, vt in manusc. Moguntin. & Herbip. & Venet. continebatur;* pulsu.

770 Trifidas] *de triuio hoc tam egimus. Pausan. biuium vocat in Bœoti.* Qua] *vbi. sic sæpissimè sumunt,* qua, *Cicero, Tibullus, Propertius. vide Ciofanum in Ouidij 1. de Ponto.*

775 Inter iuuenem senemque] *hoc deprauarunt Lipsiens. primi. ceteri enim;* inter senem iuuenémque.

Propior seni] *virili ætate affectâ & desinente mediâ ætate, μεσῆλιξ: vt tres tantùm ætates cum Aristotele lib. de respiratione, agnouerit, iuuentutem, seu incrementum; senectutem, seu decrementum; & virilem ætatem, seu statum. Hominis æuum alij aliter dispertiunt: Hippocrates in septem septenarios, in quinque Varro, qui singulis, præter vltimum, annos quindecim asscribebat. Soloni quoque septenarij placuêre, vt patet ex eius elegiâ, quam refert Philo lib. 2. de mundi opific. Galenus lib. 3. aphor. Hippocr. aphor. 23. quinque partes vitæ humanæ agnoscit; pueritiam vsque ad* XIV. *annum, adolescẽtiam seu pubertatem vsque ad* XXV. *iuuentutem vsque ad* XXXV, *statum seu vi-*

rilem ætatem vſq. ad L, reliquum tempus ſenectutem. Noſter ſignificat fuiſſe ſtatâ ætate; quales Græci καθεϛηκότας vocant, nos conſiſtentes *putamus: ſed vergentem propiùs ad ſenium, quàm vigorem. Multa Cenſorin. lib. de die Natali, & quædam Crinitus lib. 5. de honeſt. diſcip. c. 9. Noſtri philoſophi ad illas Galeni, duas ætates addunt, partem pueritiæ vſque ad* VII. *annum infantiam vocantes; & eam ſenectutem quæ* LXV. *annum ſequitur, decrepitam ætatem. ita Tolet. noſter lib. 2. de generat. q. 11. Valleſius lib. 1 controuerſ. cap. 8. & Hangeſtus lib. 2. de cauſis propriet. 14.*

779 Paucos] *ſolum Polyphontem præconem, iuxta Apollod. lib. 3. Bibl.*

788 Animam ſenilem] *Varro, Tithono*; Matura anima corporeum corticem facilè relinquit. *Seneca epiſt.* 30. Non dubitare autem ſe, quin ſenilis anima in primis labris eſſet, nec magnâ vi diſtraheretur à corpore. Ignis qui valentem materiam occupauit, aquâ & interdum ruinâ exſtinguendus eſt: ille qui alimentis deficitur, ſuâ ſponte ſubsîdit. *Cauſam reddit Ariſt. lib. 1. de vitâ & morte, quia ſenes parum habent caloris. Sophoc.* Sopit ſenilia membra momentum leue. *Themiſtius*: appulſus enim videtur ſenilis mortis, at iuuenum mors eiectio & naufragium.

Exſoluit] *ſchidæ Burdegal. continent*; exciuit.

791 Puras] *quibus manus à ſordibus (illuuie, ſanguine, Venere) mundæ non erant, eos Græci Latiniq́ à ſacris arcebant. vide Briſſon. princip. Formular. & quæ Herc. Fur. act. 4. ſce. 1.*

793 Diſcutiunt] *Moguntin.* diſcutient. *idem*; Repetem. *item*; ponat mentem tremor.

800 Admonitu] *Burdegal. membranæ*; monitu.

803 Subdititij] *Moguntin. Herbipol. & Veneti*; ſubditiui.

Regnum] *ſic Mogunt. Baſil. & Lipſienſ. Melius ceteri*; Regum.

813 Tumore] *Euripides :* Paſtoribus tradidit exponendum
Ferreis talos per medium transfigens ſtimulis
Vnde ipſum Græcia appellauit Oedipum.

Ariſtophanes, in Ranis:

——— ὅτε δὴ πρῶτον μὲν αὐτὸν γενόμενον
χειμῶνος ὄντος ἐξέθεσαν ἐν ὀστράκῳ
ἵνα μὴ 'κτραφεὶς, γένοιτο τοῦ πατρὸς φονεὺς
εἶθ' ὡς Πόλυβον ἤρ ῥησεν οἰδῶν τὼ πόδε,
ἔπειτα γραῦν ἔγημεν αὐτὸς ὢν νέος,
καὶ πρόσγε τούτοις, τὴν ἑαυτοῦ μητέρα,
εἶτ' ἐξετύφλωσεν αὑτόν.

——— quando iam primum quidem ipſum natum
Hyeme exiſtente expoſuerunt in teſtâ,
Vt non enutritus fieret patris occiſor.
Poſtea ad Polybum iuit cum corruptione tumens pedes:
Poſtea vetulam vxorem duxit ipſe exiſtens iuuenis,
Et ad hæc ſui ipſius matrem,
Poſtea excæcauit ſeipſum. *Veteres autem à malis & vitiis*

corporis, animi, fortunæ, non minus quàm à bonis solitos imponere nomina, testantur Varro lib. 2. de re rust. Valer. Maximus lib. vlt. Plinius lib. 18. ca. 1. Plutarch. in Coriolano, & Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 6. quibus locis de nominum impositione accuratè differitur.

817 Prima languesc. senum memoria] *D. Hieron. epist. ad Paullum Concordiensem:* Non memoriæ tenacitatem, vt in plerisque cernimus, antiquior senecta dissoluit. *fit hoc in senibus, quia senes propter decrementum, in quodam continuo sunt defluxu, nec rerum species queunt retinere; auctore Aristotele lib. de memoria & reminisc. cap. 1. Quare quæ de Laur. Bonincontrij astrologi memoriâ prodidit Lippus Brandolinus in lib. de humanæ vitæ conditione, & ex eo Cardanus lib. 12. de subtilitate, sunt prodigiosa.*

819 Facie-ac vultu] *distinguuntur facies, & vultus. Sallust.* prorsus in facie vultúque verecundia inerat. *Vultum fingere possumus, faciem non possumus. Nonius:* Vultus est voluntas, quæ pro motu animi in facie ostenditur. Facies, ipsa oris species. *significat, vultum esse illam faciei & oris compositionē, quam pro lubito motibus animi accommodamus. Aliam differentiam Fronto tradidit, vultum hominum propriè, os omnium, faciem plurium esse. sed hoc huc non pertinet.*

822 Pecus] *quadrupedes, propriè. nam latè omnia bruta complectitur, teste Nonio. Lucretius, de piscibus:*

Squammigerûm pecudes, & læta arbusta, feræque.

832 Nil lacessas] *Mogunt. Herbip. & Veneti;* nihil arcessas.

Ipsa se fata explicant] *declarant. propriè,* explicant. *nam Stoicis, fatum est connexio & series quædam causarum, qua fit, quicquid fit, teste diuo Augustino lib. 5. de ciuit. Dei cap. 8. vbi refert hos Senecæ versus:*

Duc me pater, summique dominator poli,
Quocunque placuit, nulla parendi mora est.
Assum integer. fac nolle: comitabor gemens,
Malúsque patiar, facere quod licuit bono.
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

vidi, qui putaret esse ex Her. Fur. nostri. falsò. sunt enim ex Senecæ Cleanthe, *vt ipsemet testatur epist.* 108. *vbi in primo carmine perperam legitur;* domitor. *Quartus etiam sic scribitur:*

Malúsque patiar, quod pati licuit bono.

nescio, an melius quàm apud D. Augustinum Cleanthis Græca suggerit Epictetus in Enchirid. cap. 77.

ἄγε δή με ὦ Ζεῦ, καὶ σὺ ἡ πεπρωμένη,
ὅποι ποθ' ὑμῖν εἰμὶ διατεταγμένος,
ὡς ἕψωμαί γε ἄοκνος. ἢν δέ γε μὴ θέλω,
κακὸς γενόμενος οὐδὲν ἧττον ἕψομαι.

840 Phorbas] *Ithemalem vocat Hyginus in fab. cap. 66.*

845 Lætus Cithæron] *Ioui mons sacer in Bœotiâ, Pausan. in Bœot. seu lib. 9.* Pabulo semper nouo] *quia, vt scribit Attius;*

Sanctus Cythæron frondet viridantibus fœtis.

etymon nominis disces ex Lactantio li. 1. cap. 22. sacra Liberi patris primus Orpheus induxit in Græciam, primúsque celebrauit in monte Bœotię Thebis (vbi Liber natus est) proximo; qui cùm frequenter citharę cantu personaret, Cithæron appellatus est.

855 Procul sit omen] *felicia omina aiebant se* accipere. *vt apud Virgil. Æneas: mala auersabantur, & orabant Deos vt ea auerterent, vt in Philipp. Cicero & alij passim, vel vt in hostium capita conuerterentur.*

862 Huc aliquis] *si tertius ab hoc relinquitur Phorbanti, mallem istum sequenti postponere, sic:*

OE. Per tam cruentas vera quærenti vias,
Huc aliquis ignem. flamma iam exc. fidem.
PH. Ignosce, *&c. Sensus, hic pertinax silentium fouet, & fidem secreti prætexit: sed frustrà. mihi per cruentas vias certum extorquere veritatem. date ergo flammas. expugnabunt incendia veritatem.* PH. *ignosce silentio, ignosce si videor ferus, quòd te exposuerim; & impotens, quia tormentorum & flammæ metu, arcana fidei mei commissa prodo. si cui hæc explicatio coactior videatur, fors coniecturam meam non reijciet. Legebam:*

OE D. Huc aliquis ignem. flamma iam excutiet fidem.
Per tam cruentas vera quærenti vias,
Ignosce, quæso: si ferus videor tibi
Et impotens. PH. parata vindicta in manu est.

vt more tyrannico preces minis misceat. Phorbas respondeat, facilè se ignoscere, cùm eũ largè & cumulatè vlciscatur ipsâ natalium & incesti detectione. Parata, *repono ex Moguntino. idem pro;* ferus *habet;* serus. *inuito versu.*

871 Infandum caput] *ceteri impreßi;* infestum. *sed manusc. Tosanus;* incestum (*probè*) *quem codicem cum Lud. Carrio. I. C. & alios nonnullos cum excuso exemplari contulisset, excusum, in cuius margine lectionis varietatem annotarat, liberaliter mihi dono dedit.*

878 Iam morte dignus] *Aristophanes in Ranis:*

Μὰ τὸν δί᾽ οὐ δῆτ᾽, ἀλλὰ κακοδαίμων φύσει
ὄντινά γε πρὶν μὲν ἢ φῦναι Ἀπόλλων ἔφη,
ἀποκτενεῖν τὸν πατέρα πρὶν δὲ γεγονέναι.
Per Iouem non certè, sed infortunatus naturâ;
Quem prius quidem quam generari Apollo dixit,
Interficere patrem ante & natum esse.

Parens] Laie. 879 Aude] Tu Oedipe.

IN CHORVM.

Mediam fortunam optat & laudat, Icari exemplo.

888 Lene sed modicum] *sic Mogunt. Veneti, Herbipol. Basileens. & Lipsiens.* lenis at modicum. *Lugdun. mallem;* lenis ac modicum fluens. *vel,* lenis & modicum.

892 Vita decurrente via] *mira librorum variatio. sic Lipsiens. alij vt Eguian.* decurrere, *& sic Herbip. & Veneti. Mogunt. vt Lipsiens. sed Lugdunens.* Via ducurrens vita. *omnino legendum;* Vita decurrens viâ.

897 Pen-

897 Pennis] *non audio Herbip. & Venetos, qui*; regnis.

902 Suam] *m.s. Burdegal.* suum. *idq; magis poëticum.*

908 Excessit] *Burdegal.* excedit. *in sequentibus versibus, quot libri, tot lectiones. Lipsiens.* —— quid hoc? postis sonat Mæstus & famulus manu Regius quassat caput. *& sic multi m.s. Moguntin. verò*: —— hic postes sonant Mæstus & fam. manu Regius quas. caput. *Herbip.* quid hic postes sonat Regios quassans caput. *& sic Veneti. his deest carmen integrum. Lugdunens. & ceteri*: quid hic postes sonat Regios famulus manu, Mæstus & quassans caput. *omnium optimè. Quassare caput mæsti vel irati signum. Lucretius*:

Iamque caput quassans grandis suspirat arator.

Virgilius:

Ille caput quassans ——

IN ACT. V.

Catastrophe continens Oedipi excæcationem & exilium, & Iocastæ necem. Chorus etiam, qui in theatro remanserat, fati vim decantat.

950 Genus] *natos sibi ex matre liberos. sed mallem cum quibusdam codicib.* scelus: *nisi sequeretur; sceleris conuictum.*

926 Quid pœnas] *ipsa Oedipi verba.*

939 Male in lucem editis] *solus Pausanias, quod commemini, in Bœotic. contendit nullos Oedipum ex matre liberos genuisse.*

946 Liceat renasci] *quid si legas*: licet, ac renasci.

956 Maritales oculi] *quibus amorem hausisti. Philostratus*: ô mali thediferi Amoris, quàm pulcrum nobis primum ignem è specula ostendistis. *Euripides*:

O cupido, cupido, qui per oculos
Stillas dulce desiderium, dulcem animis
Inducens voluptatem. *Plato*: nos autem hoc ostendemus

fortè non absurdè, quod visus quidem est amoris principium: minuit verò spes affectionem, alit autem memoria, conseruat consuetudo.

Philæmon: Primùm vident omnes: deinde subit admiratio:
Deinde contemplantur; & deinde spes venit:
Ita fit ex his amor. *Lucianus*: Amor primam habet viam

oculorum. *Idem affirmat Aristot. lib. 9. ad Nicom. cap. 5.*

960 Mutus] *Eguian. Mogunt. & Bernardini*; vultus. *vnde quis suspicetur*; multus. 997 Orbes] κύκλους. *Sophocles*:

Simul confodere cœpit eius pupulas orbium.

Lactantius de opificio Dei cap. 7. primùm oculorum orbes concauis foraminibus conclusit, à quo foratu frontem nominatam Varro putauit. *Statius ipsa foramina vocat orbes lib. 1. Theb.*

Tunc vacuos orbes, crudum ac miserabile vitæ
Supplicium ostentat cælo.

rotundi sunt & orbiculares oculi, vt magnas moles queant intueri. vide Cælium lib. 16. antiq. lect. & Toledum in lib. 2. de anima q. 16.

 970 Plus-

970 Plúsque] *nam volenti se elucificare, araneæ telum vel pupulam effodere sufficiebat, neque necesse habebat totum globum euellere, vt docet Lucretius lib.3. Nam; quicquid Albertus Magnus scripserit; non opticis neruis, sed pupillæ visus inest, testibus Aristotele lib.1.de hist.animal.cap.9. & Galeno lib.8. de vsu part.cap.6.*

971 Tantum est] *Moguntin.* tantum ergo.

IN CHORVM.

980 Fatis agimur] *Stoicus iste chorus est, & Stoico Senecæ danda venia. Fatum Stoicorum & astrologorum damnant patres orthodoxi. adferre possum ex Græcis, Iustin. Martyr. in Apolog. & Orat. aduers. gent. Origenem in Genes. & Homil.in Hierem. Eusebium lib.6. Euangel. præparat. Gregorium Nicen.lib.6.philos. Epiphan in Pharis. Chrysostom. in Orat. de Prouidentiâ, Damascen. lib.2.Orthod.fid.cap.7. Ex Latinis Tertullian.lib. de fato, & in Apologet. Minutium in Octau. Hieronym. in Isa. Ambros.in Hexam. lib.9. Augustinum toto fermè lib.5. de ciuit. Dei. Prudent. lib.2. contra Symmach. Prosperum lib.1.de vocat.gent. Gregor.in Homil.de Epiphan. D.Thomas lib.de fato cap.1. disertè asserit, fatum non esse Dei voluntatem. D.Isidorus li.8. Orig.c.vlt.idem iisdē ferè verbis, quod D. Augūst.qui li.2. ad duas epist. Pelagij cap.5.* Si autem quibusdā omnipotentis Dei voluntatem placet fati nomine nuncupare: profanas quidem verborum nouitates euitamus, sed de verbis contendere non amamus. *Euitat ergo D. Augustin., non amplectitur fati nomen. Idem lib.5. de ciuit. Dei*: Si propterea quisquam res humanas fato tribuit, quod ipsam Dei voluntatem vel potestatem, fati nomine appellet; sententiā teneat, & linguam corrigat. Cur enim non hoc primùm dicit, quod postea dicturus est, cùm ab illo quispiam quæsierit; quid dixerit fatum? nam id homines quando audiunt, non intelligunt, nisi vim positionis siderum. *Ibidem cap. 9. tollit rem, tollit nomen. Rem, his verbis*: Nulla fieri fato dicimus, quoniam fati nomen vbi solet à loquentibus poni, id est, in constitutione siderum, qua quisque conceptus & natus est (quoniam res ipsa inaniter asseritur) nihil valere monstramus. *Nomen damnant sequentia*: Ordinem autem causarum vbi voluntas Dei plurimum potest, neque negamus, neque fati vocabulo nuncupamus. nisi fortè vt fatum à fando dictum intelligamus, id est, à loquendo. *& paulo pòst*: Hac itaque ratione possemus à fato fandum appellare: nisi hoc nomen iam in aliâ re soleret intelligi, quo corda hominum nolumus inclinari. *De Fato exstat longum opus Iulij Sireni, in quo multa lectu digna.*

Credite] *sic Mogunt. Eibius, Herbip. & Ven. sed reliqui;* cedite.

987 Certo tramite] *infallibili, fixo, rato. Eguian.* septo. *Herbipolens. & Veneti;* secto.

889 Non illa Deo] *Stoicis enim Iupiter subest fatis. prodigia.*

1007 Sensimve raptum traxit] *In Moguntin. videtur fuisse;* Qui simne, *quod inductum alia manu. Antiquissimus Venet.* sensūm ve. *aptissimè meo Lipsius iudicio, qui ex m. s. suo:* Sensitque raptum, dubitat. affl. *& expli-*

explicat: Qualis Agaue cum filio caput abstulit, & mox facinus sensit, attonita stetit, probaret an dãnaret facinus, sileret an loqueretur: talis hic Iocasta.

1009 Cupiunt] *desidero te alloqui, sed exhorresco.*

1010 Gnati pudet] *vet. lib. Eguianus;* Natum pudet.

1013 Mater an matris sonus] *perspicua sententia. sed tamen commodior illud;* matris en, matris sonus.

1017 Auium] *Moguntin.* alium. *ex eorum sententiâ, qui vt mundos, ita & soles plures. sed non patitur versus. in Lugdun. margine habetur;* alterum. *Negat, amplius licere simul degere aut versari. nam coniugalem vitam viuere, nec prius licuerat. soli Parthi & Persæ tales nuptias permisêre. Catullus epigramm. in Gellium, Ouidius in Metamorph. Lucanus. lib. 8. & Q. Curtius Rufus lib. 7. auctores.*

1023 Nominis fas] *Filij & matris.*

Nefas] *mariti & vxoris. hæc enim nomina, detecto nunc errore, nefanda: illa, & olim & nunc, quæ fari licet.*

1035 Coniux] *Laius cui prius nupsi. idem* socer, *quia filio eius nupsi secundis nuptiis.*

1047 Suspensa] *sic Tibullus:*

Et pedibus prætentat iter, suspensa timore
Explorat cæcas cui manus ante vias.

1057 Depositis] *desperatæ sanitatis ægris. sic exponit Seruius illud Virgilij Æneid. 12.*

Ille vt depositi proferret fata parentis.

sic Cicero: maximè ægram & depositam reipub. partem.

1058 Mortifera] *Lysimachus in hist. Thebana:* Cùm mortuus esset Oedipus, eúmque amici eius Thebis sepelire vellent, Thebani ad præteritas calamitates, quia is esset impius, id facere vetuerunt. Tunc illi in locum quendam Boëotiæ, Ceum nomine, asportantes illum sepelierunt. Cùm verò quædam calamitates regionem inuasissent; incolæ regionis eius rati sunt causam earum esse, quòd ibi sepultus esset Oedipus. quare iusserunt eius amicos ipsum efferre de regione. Illi ob ea quę contigerant ambigui quid sibi agendum esset, eum capientes, in Eteonum detulerunt; qui cùm vellent eum clam sepelire, per noctem in loco sacrato Cereri humarunt, qui locus esset ignorantes. Verùm cùm res cognita fuisset; incolæ Eteoni miserunt ad oraculum, qui percunctarentur, quid agendum esset; quibus responsum fuit, supplicem Deæ non esse remouendum. quare ibi demum sepultus est. *Sophocles in Oedip. Colon. fingit in Atticæ Colono mortuum: sed vt Thebis mortuus credatur Oedipus, suadet Homerus, Ludorum ad Oedipi tumulum fieri solitorum faciens mentionem. Et Pausanias in Atticis scribit sibi compertum, ossa eius Thebis allata, intra Areopagi septum, monumento condita.*

COM-

ARGVMENTVM.


PONTE profectus in exilium Oedipus, conatur Antigonam filiam à se amouere, vt possit sibi vi vitam euitare: contra hæc patrem ad meliora, quâ consilio, quâ precibus, traducit. Interea Etheocles & Polynices, impiâ regni libidine stimulati, in mutuam cædem feruntur. interponit se Iocasta mater, & filios nititur in gratiam reducere. negat Polynices. desunt cetera. Nolunt hanc esse Senecæ, nonnulli: cuiuscunque sit; mutila est fabula, sed elegans & proba, vt quæ maximè. Florens Senecæ philosopho tribuit, & vult geminam, Oedipo: mihi, hæc melior.

IN ACT. I.


ÆVIT *Oedipus, consolatur & frenat impetum Antigona.*

1. Cæci] *Elegans repetitio*, cæco regimen, fesso leuamen, & infaustum patrem *iubetur, vt assolet*, deserere. *impingunt in limine, quibus hæc culpata.*

2 Quam tanti est mihi genuisse vel sic: desere] *sic rectissimè olim Herbip. & duo priores Veneti. & exponit Gellius Marmita*: sum contentus genuisse te etiam de matre meâ turpiter. *primus Pintianus in suâ editione omisit comma: hoc alij postea reposuerunt, sed loco non suo. Similiter sequenti versu typographi Lipsiens. per errorem ediderunt*; In recta. *cùm edendum*; in recta *foret. neque id mendum occultum, nec huiusmodi, vt ad id odorandum sagâ nare opus. nam sic habetur in Veneto Capcasæ, & in Lugdunensibus Griphianis.*

15 Instinctas Deo] *sic legit Bernardin. vt patet ex comment. sed in eius editionis contextu, sicut in reliquis Venet. & Herbipolens. legitur*; instructas. *Moguntin.* instructa.

18 Prætulit] *notum quomodo Pentheus discerptus, ex Ouid. in Metam. Theocrito in Lenis seu Idyll. 27. Eurip. in Bacchis, & Nonno lib. 46. Dionys. ignorabat videlicet miser Pentheus, multa simul vno impetu corrigi non posse; sed si quid aliud in rebus humanis; ciuilem statum tempore egere, & consilio.* οὐδὲ ἔγνω καὶ περ ἐμπειρότατος πραγμάτων ὤν. ὅτι ἀδύνατόν ἐστιν ἀθρόα τινὰ ἀσφαλῶς ἐπανορθοῦσθαι, ἀλλ᾽ εἴπερ τ᾽ ἄλλο, καὶ πολιτικὴ κατάστασις καὶ χρόνου καὶ σοφίας χρῄζει; *vt inquit Xiphilinus Pertinacem reprehendens, quod multarum alioqui rerum peritus, dum spacio breui reip. corruptum statum conatur restituere, sibi exitium maturauit.*

20 Iuuen-

20 Iuuentus] *Hellenismus; quam loquendi rationem Græci ab Hebræis mutuati, quibus frequentissima: vt patet in sacris litteris. Posset etiam legi;* Iuuencus. *ille scilicet de quo Oedip. num.611.*

——— emergit solo
Dextrâ ferocem cornibus taurum premens
Zethus: manúque sustinet læuâ chelym,
Qui saxa dulci traxit Amphion sono.

De Zetho & Amphione, & Dirce tauro alligatâ, dictum alibi, & multa Scholiastes Apollonij in lib.4.vers.1092.

22 Immerso] *Mogun. Herbip. & Veneti;* immenso. Immerso *exponerem adeò edito, vt fluctus illum nunquam queant superare. Suspicor hunc versum erronem esse, & emansisse ex priori loco: fortè ponendus paullo antè:*

Ibo, ibo; qua prærupta prætendit iuga,
Vel quâ alta maria vertice immerso premit,
Meus Cythæron *&c.* *Sed non suffragantibus libris, non sum auctor, vt mutetur.* 27 Alius] *alij;* altus.

29 Gnatum] *Melicertam.*

31 Montem Cyt.] *qui;* mortem, *reponunt, merè nugantur. o.l.* montem, *& hoc retinendum.*

36 Iam & matris] *valdè hic turbant, qui mutant lectionem. Sensus, nūc & matrem incestu cognito necem illi, imprecari, vt olim pater.*

39 Vinctum] *quid me, noxio & iniusto amore sic tibi colligas & astringis, vt adimas omnem, inuitâ te, moriendi potestatem? quid me manibus quoque tuis, vt hederæ suis quercum brachiis solent, vincis; & prohibes manum meam, hanc animam impiam, ex latebris suis extrahere? non vult, non amari à gnatâ; sed vult non sic amari, vt amor ipsi amaram vitam producat; vt amor illum mori prohibeat, & teneat in vitâ inuitum.*

40 Sanguineū gerens] *sic N. cæteri excusi,* sanguinē genus. *sine mente.*

43 Genitorem] *meum. Laium.*

44 Ego video] *In Herbipol. & Venetis nulla personarum turbatio, nec inserta Antigona, sed continenter omnia hæc ab Oedipo dicuntur. Mendi origo à Basileensibus. velim post* exue. *punctum statui. nam mihi hæc Oedipi mens. Interrogat filiam, num videat auum Laium, cuius ipse vmbram sibi obuersari fingit, seq; illam videre. tum vmbrā alloquens, orat; tandem, vt odium ponat. mox redit ad ingenium, seq; ipsum castigat. Quid? egóne vt velim mihi parci? Deseris me anime, & pusillus fis: amittis vim pristinam. erísne dumtaxat fortis in tui partem? pauebis, ad vitæ amissionem? Quin potiùs totus eligis perire? Omitte &c. Quidam ex coniecturâ,* Video ego. *sed nihil necesse. nam proceleumaticus Senecæ non insolens. Quòd verò iidem postea pro;* prædico, *obtrudunt* perire. *reijcio, quia noster non solet tot iambos continuos.* 47 Recipe] *more gladiatorum, quibus hoc proprium.*

48 Manes manibus] *quos* Manes? *an quia vult se significare iam mortuo quàm viuo similiorem? omnes libri* manes. *timeo mutare, nec tamen satisfacit. in vultus credo potiùs illi Laius inuolet. an ergo scripserat?* & ecce

inanès manibus infestis petit foditque vultus. *inanes & cassos, euulsis oculorum orbibus.*

57 Sceptra qui] *Etheocles. Et vide sis, quid sit trihorias notas dare: adeò cæcultiunt, vt putent de Polynice istud dictum.*

58 Alter] *Polynices.*

59 Non si reuulso] *similis Philoctetæ Sophoclei peruicacia.*

Φιλ. οὐδέ ποτ', οὐδέ ποτ', ἴσθι τόδ' ἔμπεδον
οὐ εἰ πυρφόρος ἀστεροπητὰς
βρονταῖς αὐταῖς μ' εἶσι φλογίζων.
Nunquam hinc mouebo,
Ne si corusco sæuus
Me fulmine vrat Iuppiter.

60 Fulmen] *Nonio*, fulmen *telum ipsum quod iacitur:* Fulgur, *ignis qui coruscat. Vnde &* Fulgetræ. *de fulminis & tonitrus naturâ videndi Aristot. lib. 2. Meteor. cap. vlt. & lib. 3. cap. 1. Seneca lib. 1. nat. quæst. Plinius lib. 2. cap. 43. Stobæus lib. 1. ecloz. phys. cap. 29.*

62 Dirigam inuitum] *halucinatur Vindocinus Criticus reponens*; diligam, *& immeritò carpit Cordubensem. abscedere natam volebat Odipus,* dirigi *ab illâ nolebat:* diligi, *si mori sinat, non abnuebat. imò laudat, quod amet miserum patrem: sed sui sibi imperium relinqui flagitarat. Negat Antigona se commissurã, vt solus queat perire. certũ sibi simul, si periturus, perire.*

64 Quouis vtere] *vnius litterulæ additione, & interpunctorum transpositione reddo clariora:* Quouis, vtere duce me. duobus *&c. ini viam quam voles cunque, dum id me duce. elige quod vis iter, certum est adesse, & præire. Non malè, q. l.* vertere.

70 Tellus] *rectius, tellurem, dixit notandæ hiatus profunditati. nam* terra, *propriè ipsa superficies, à terendo:* tellus, *interior & penitior pars, quæ arborum radices sinu suo fouet & amplectitur, iuxta quosdam.*

72 Lapsi] *sic etiam Herbip. Veneti, & Moguntin.*

78 Pectore] *Magna & vasta pectora, fortiora vt plurimũ. ideo magnum pectus pro robusto & forti.* pectore *omnes omnino codices, & sic refert Eibius in Margaritâ. nec adeò inamœna repetitio,* pectus *&* pectore: *nec inconsueta nostro; Et hoc mauult etiam Florens Christianus.*

81 Virgo dissimilis suo? Fortuna credis? aliquis est ex me pius] *Sensum & clarum & obuium reddidi mutatis notis interpunctionum. Florens sic*; v. d. suo? fortuna (credis?) aliquis e. e. m. pius. *non malè. & mox optimè,* vnica Oedipo est salus; *more Græco productâ mediâ, vt postea ver.* 313.

95 Longásque] *sic Ouidius:*

Et nondum nati funeris auctor eris.

sic Optatus Mileuitan. viuum homicidium. *lib. 2. contra Parmenian.*

101 Nec tamen in æquo] *Seneca epist. 78. scribit*; quando dominum constat nolle viuere, tam mali exempli esse, seruos mortem impedire, quàm occidere. In æquo] *æquè peccat. Seneca consolat. ad Polyb. cap. 32.* Vtrumq. in æquo mihi eius beneficiũ erit. *tam gratum vnũ, quam alterũ.*

105 Re-

105 Regnum mei retineo] *Stoicum. nam hæc secta nihil homini proprium censebat, præter animum & voluntatem; membra, corpus, vitam aliena esse prorsus. qua de re & imperio sui, pulcherrima Epictetus apud Arrianum lib. 1. cap. 29. & cap. 12. & lib. 3. cap. vlt.*

115 Præruptum] *Basileens. & Lipsiens.* prærutum. *ceteri* præruptum, *contra modulos.*

116 Deuehat] *plerique codices cum Lugdunens.* ducat.

124 Soluat] *Moguntin.* soluet.

126 Sacra] *occulta, vel diuina. hoc fontibus Propert. lib. 1. eleg. 18. & alij tribuunt.*

129 Elim] *miror hic cum Auantio Florentem impingere. nam Aldus olim in Statiũ docuit Græcos promiscuè ἦλιδα & ἦλιν. & Eustath. Iliad. Ϛ. παρὰ τὴν ἦλιν. & ex Latinis Ouidius 2. Metam.* Elim, Messeniáque arua. *Solet præterea noster longas syllabas corripere, vt in illo, si non mendoso, Hippol. 28.* vocat hunc Philipis.

131 Committens] *Mogunt. in contex.* connectens.

134 Aui pater] *Simile est illud in marmore Italico:*

HERSILVS HIC IACEO, MECVM MARVLLA QVIESCIT,
QVÆ SOROR ET GENITRIX QVÆ MIHI SPONSA FVIT.
VERA NEGAS, FRONTEMQVE TRAHIS, ÆNYGMATA SPHYNGIS
CREDIS? SVNT PYTHIO VERA MAGIS TRIPODE.
ME PATER E NATA GENVIT, MIHI IVNGITVR ILLA.
SIC SOROR ET CONIVX, SIC FVIT ILLA PARENS.

141 Animo-animam] *preßè sumit. Attius:*

Sapimus animo, fruimur animâ, sine animo, anima est debilis.

Nonius: Animus est quo sapimus, anima qua viuimus.

153 Nemo mortem] *Seneca epist. 12.* Malum est in necessitate viuere: sed in necessitate viuere, necessitas nulla est. Quid ni nulla sit? patêt vndique ad libertatem viæ multæ, breues, faciles. Agamus Deo gratias, quòd nemo in vitâ teneri potest. *Huc spectat illud Taciti lib.* 13. Deesse nobis terra in qua viuamus, in qua moriamur non potest. *Vide Arrianum de dictis Epicteti lib. 3. cap. 26. lib. 4. c. 7. & 10.*

165 Hanc] *Basileens.* hac.

174 Cum paruo] *rectè Moguntin. & Venet. antiquior*; tum.

182 Miseranda magnanimæ] *lego*; magnanime miserandæ precor. *apage, deprauationem illam & licentiosam quartæ sedis taminationem* miserandæ magnanime. *claudicant etiam Lugdun.* magnanime miseranda.

184 Specimen] *gloriam, decus, vel potius insigne; diadema vel sceptrum. Gloss.* specimen δεῖγμα *Apul li. 4. de asin.* ad sæculi specimen gloriosum confluebant. *lib.* 7. specimen nouum. *lib.* 8. historiæ specimen. *vtitur etiam Lucret. lib. 3. & 5. & Lucilius apud Scholiasten Iuuenalis:*

Aurum atque ambitio specimen virtutis vtrique est.
Tantum habeas, tanti ipse fias, tantíque habearis.

185 Pollentem inclyti] *optimè codex Capcasæ Venetus*; pollẽtis inclyto.

Flore] *Bacides*: Amittet florem imperij tunc Sparta nitentem;
Atque omni rursus Messene habitabitur æuo.

186 Aut vt] *fortè* ast vt.

188 Et hoc decebat] *Attius Meleagro*:
Erat virile istuc, ferre aduersam fortunam facul.

190 Non est virtus] *Aristoteles*: Mori autem, fugientem paupertatem, vel amorem, non est fortitudinis, sed potiùs ignauiæ. Mollis enim animi est fugere res laboriosas, non vt honestum assequaris, sed vt malum vites. Euripides:

Consideraui tamen, licet maximis sim in malis,
Ne ignauiæ suspicionem præberem morte vltroneâ.
Quisquis enim fortunæ ictus non fortiter sustinet;
Is nec tela viri queat sustinere.
A morte ergo me continebo.

Martialis (cuius versus Salisberiensis lib. 5. nescio cui Sorano asscribit)
Rebus in aduersis facile est contemnere vitam.
Fortius ille facit, qui miser esse potest.

eosdem versus membranæ Burdegal. continent in Senecæ lib. de paupertate: mirùm, si liber ille Senecæ, vel versus isti non irrepserunt. In hanc sententiam multa Seneca epist. 24. 26. 30. & 55. Plinius Iunior li. 1. epist. Diu iam. *D. Hieron. epist. 25. & Fran. Petrarcha; lib. 2. de remed. adu. fort. Dial.* 118.

193 Qui fata proculcauit] *hic, cum quinque sequentibus versiculis, mirè vitiosus est. dicam lectionis varietatē, deinde castigabo, demum explicabo. pro;* proculcauit, *quidam lib.* procul cauit. *pro;* abscessit, *Lugdunens.* abscidit. *Moguntin.* abscindit. *pro;* nullo est opus, *quod est etiam in Moguntin. & vet. impressis; Lugdun.* nullum est opus. *pro;* cupiat, *quod omnes libri exhibent, quidam diuinant;* fugiat. *pro;* velle, contemsit, *quidam;* vitam contemsit. *pro;* Qui concupiscit, *quod in ceteris; in Burdegalen. membran. est;* Qui non cupiuit. *veteres excusi habent;* Qui non cócupiscit. *ego litterulæ v. in b. mutatione, retentâ scripturâ cod. Burdeg. totum locum sic recenseo:*

Qui fata proculcauit, ac vitæ bona
Proiecit, atque abscîdit, & casus suos
Onerauit; ipsi, ceu video, nullum est opus,
Quare ipse mortem cupiat, aut quare petat.
Vtrumque timidi est. bellè contemsit mori,
Qui non cupiuit. *&c. hoc sensu; Qui sub pedibus strauit & conculcauit legem fati sui, & externa vitæ huius bona, vt vilia & nihili abiecit; omniaq́; hæc impedimenta, & nexus istos affectuum & necessitudinum abrupit atque abscidit; & insultans aduersæ fortunæ, non modò ab illâ deprimi se passus non est, sed victæ caput victor pedibus premens eam ipse depressit & demersit: addens acerbiora iis quæ à fortunâ huic, quantum intelligo, nil opus est, cur mente optet, vel vocet verbis aut factis mortem; cur mori desideret aut conetur. Vtrumque alienum à forti viro. præclarè mortem despexit, qui mori nec desiderauit. Hoc confirmant illa nostri, ab aliis iam laudata:* Non vult mori,

mori, qui optat. *&*; Hic mortis est fructus, optare desinere. *Simile etiam Ouidianum illud:* Sed timidi est optare necẽ. *Florens, hoc loco nobis Deum ex machinâ: sed nec hoc Senecæ opus; nec ipse Senecam cepit.*

198 Cuius haud vltra] *Seneca pater lib. 4. Declamat.* Hoc tantum inter miserias solatium capio, quod miserior esse non possum. *Diphilus:*

πένητος ἀνδρὸς οὐδὲν εὐτυχέστερον,
τὴν γὰρ ἐπὶ τὸ χεῖρον μεταβολὴν οὐ προσδοκᾷ.
Haud vllus vsquam paupere est beatior,
Haud namque peior metuitur ab eo status.

Sic Oedip. sup. Tutò mouetur quicquid extremo loco est.

205 Diis quoque inuitis] *Sic Catullus:*

Et Diis inuitis desinis esse miser.

Sed hîc malè Mogunt. Herbip. & Veneti; inuisis.

218 Nocens] *dictum suprà*, innocentem esse Diis inuitis. *sed ab Antigonâ, quæ hoc patri persuadere volebat. fato, non culpâ, peccarat Oedipus. ignorans fateor, in matrem. occiderat patrem, ignarus quidem esse patrem. an ergo si à parricidio, etiam ab homicidio illum vindicas? Ipse, nec à parricidio vult excusari. reum vbique, & morte dignum se clamitat: nusquam vult innocens videri. omnino itaque loquenti Oedipo non conuenit illa coniectura*; quæ feci innocens. *rectius libri ad vnum omnes*; nocens. *& verè nocens, si non re, opinione saltem suâ.*

221 Ego Laticis] *Caue sis in metrum peccatum credas. non magis quàm in Medea:* Tibi patria cessit, tibi pater, frater, pudor. *vtrobique in prima sede proceleusmaticus. bonum ergo factum, quod manum abstinuerint. vellem & Florens; qui languidulum illud*; Aut laticis.

222 Almæ parentis] *verè alma parens. sed cur, Martianus Capella, Cererem* alumnam terrarum *vocat? an quia fruges terrâ aluntur? an quia (damno olim scripta, de vi vocis) Ceres homines alit? frequenter* alumni *vocabulum, sic sumit Martianus, sic Plinius; cùm Italiam dicit terrarũ omnium alumnam (etsi id aliter etiam sumi queat) sic auctor carminis ad Messallam:*

——— communis alumna
Omnibus iniectâ tellus tumulabit arenâ. *& D. Augustin. censet* Iouem alumnum *dictum, quòd cuncta nutriat. viderunt hoc non Parrhasius modò, harũ litterarum peritissimus, sed & I. C[ti]. quos nimis contemtim Grammatici Barbaros appellant, Accursius, Decius, Aldobrandinus, & alij. & immeritò quadam epist. ad Muretum, cum Vallâ, contendit Lambinus, eâ notione,* alumni, *vocabulum sumi non posse. Terram quidem siue Cererem vocari à Platone & aliis* Δημήτραν *scribit Theodoretus lib. 3. curat. Græc.* ὡς δὴ μητέρα καὶ τροφὸν οὖσαν τῶν ἐν αὐτῇ διαιτωμένων ἁπάντων. quasi matrem altricémque omnium quæ in eâ degunt. *Orpheus:*

Γῆ μήτερ πάντων, Δημήτερ πλουδότειρα.
Terra mater omnium, Ceres cuncta suppeditans.

Hinc factum, vt primum illam principium nonnulli putarint, & fortè Hesiodus & Pherecydes: de quo nos suprà in Oedip. factum quoque, vt illam tam

magnificè laudarit Plinius lib.2. cap 65. 227 Omne quo voces meant] *non modò, quà meant; sed etiam id quo meant; ipsum interius auditus organum, vulgo vocant sensorium auditus: siue illud est neruus cum tympano, secundùm Auicennam & Albertum; siue aliquid in myringe. secundùm Toledum; siue aër quidam auditui innatus, iuxta plerosque, Aristotelem lib. de sensu, & 2. de animâ. Galenum lib.7. de placitis, Simplic. & alios. Vide Valesium lib.2. controuers. cap.25.*

230 Criminum es] *consistet versus si vox,* es, *tollatur, vel præcedenti præponatur.* 240 Eripui] *cùm oculos effodi. frustra intrudunt;* eripuit, *inuitis libris.* 248 Nex] *Moguntin. Herbip. & Veneti,* nox *quod retinendum. ijdem mox,* præcoquis. *& Moguntin.* obstrusum.

253 Egit] *accusauit.*

254 Transtulit] transfero, *dictum quasi* transforo. *sic autem legitur in omn. quos vidi libris: præter Lugdun. qui,* transuit, *quod fortè germanum. sic Celsus lib.*7. cùm toties acus transuet. *Columella lib.6. de re rust. cap.5.* pars orbiculi eâdem subulâ transuitur.

Ferro] *candente subulâ.*

256 Auibus & auidis] *sic Basileens. & Lipsiens. sed* Auidis auibusque *Lugdunens.* Auibúsque auidis. *manusc. Moguntinens. & Herbipolens. & Veneti. corrupère ceteri, vt hiatum vitarent.*

257 Regio] *Actaonis, Penthei, meo.*

Attractas] *inuitatas & allectas.* tractas, *Veneti & Herbipol.* cinctas, *Moguntin. ceteri manusc.* tinctas, *vt monui in aduers. quod propter consensum exemplarium, non repudio. vehementius tamen illud prius.*

262 Prô loqui] *Venetus Pintiani;* proloqui.

274 Qui facere poss.] *Etheoclen & Polynicen, quorum scelus parricidij grauius meo; quia criminosus ego, sed nesciens: illi volentes scientes in mutuam cædem ruunt. an non possint in parentes?*

280 Pacti] *conuenerat inter Etheoclen & Polynicen filios Oedipi, vt vicissim annuum imperium Thebis obtinerent. natu maior Etheocles, anno peracto, negauit se sceptrum fratri traditurum. abit Polynices, & ad Adrastum confugit, ductaq́ in vxorem filiâ, bellum fratri infert.*

287 Vt esse genitos] *sic Statius lib.1. Thebaid.*

——— da Tartarei regina barathri,
Quod cupiam spectasse nefas: nec tarda sequetur
Mens iuuenum: modò digna veni, mea pignora nosces.

291 Væcordes] væcordem *Labeo dictum putat,* quasi sine corde, *hoc est, sapientiâ. Vnde Romanis catus ille,* corculum.

296 Auidis cruoris] *Epictetus in Enchir.* Hoc Etheoclen & Polynicen diffidere coëgit; quòd tyrannidem bonam putabant.

313 Oedipus] *Græca terminatione vltimam & penultimam produxit.*

Ægea] *mare Ægeum, quod hodie dicitur Archipelagus, infestum est & periculosum; tum propter scopulos valde exstantes, & vnum ex his figurâ capræ, teste Plinio lib. 4. tum quia valdè lasciuis fluctibus, caprino more, vt scribit*

scribit Izacius in Lycophron. tum quia naues solet subuertere, & in breuia vada impellere, auctore Periegete, maximè circa Cyclades, vbi potißimum naues affligit & αἰγίζει, vt ait Hesychius. vocatur etiam Ægon à Valerio Flac. *Turneb. lib. 19 aduers. c. 20*

—— quanto fremitu se sustulit Ægon.

Item: —— Nec tantas quamuis Tyrrhenus & Ægon

voluat aquas —— *& à Statio:*

—— quas spumifer assilit Ægon.

Item dicitur, Ægeon. *ab eodem Papinio 5. Thebaid.*

Diis Pelagi, ventísque & Cycladas Ægeoni

Amplexo —— *per Ægeum enim Cyclades dispersæ, Straboni, Melæ, Plinio. sed tunc Dei marini nomen accommodatur ipsi pelago, de quo Deo Ouidius lib. 2. Metamorph.*

—— balænarúmque prementem

Ægæona suis immania terga lacertis. *sicuti è contra Claudianus huic numini tribuit maris appellationem, in Paneg. de Olyb. & Probini consulatu:* ——tunc insula notos

Lambit amica pedes, ridétque Ægeus alumnis

Lenior, & blando testatur gaudia vultu.

& in Gigantomachiâ:

Horruit Ægeus, stagnantibus exsilit vndis

Longæuo cum patre Thetis.

hunc Ægeona puto peculiare esse numen maris Ægei, non Neptunum; etsi Hesychius aliter, cui in hoc assentior, ab Homero sic vocatum Briareum, addo & à Claudiano lib. 1. de raptu. Mare Ægeum integrâ oratione descripsit Aristides tom. 1. Tranabit] *Moguntin.* transibit.

318 Furto nemoris] *poma fuisse communis opinio est; & fuisse quidem ea, quæ* citria *vocamus, ex Comicis veteribus & Iubæ commentariis, docet Atheneus lib. 3. cap. 5.*

319 Regiâ stirpe edite] *vulgati codices, etiam Morellianus, hunc versiculum volunt esse clausulam superioris senarij intercisi, hoc pacto:* Iubente viuet. NVN. Regia stirpe edite. *Sed Lipsius meus ex vet. lib. illo optimo, meo iudicio, quàm optumè; in præcedenti versiculo imperfecto:* Iubente te vel viuet, *planè* ἐμφατικῶς. *in hoc verò*, Exemplum in ingens Regia stirpe edite. *displicet id illi qui tribus horis hanc tragœdiam recēsuit, impugnat argumētis totidem. primùm quia non temerè omni lectione vetustæ aut scriptæ fidendum putat; quod sanè nec Lipsio, nec cuiquam cui mens non læua, vnquam cogitatum. hoc loco cur non fidendū membranis tam fidis, docendum fuit; non cunctis simul derogandum. Itaque secundum argumentum id conatur, quia valdè sit inamœnus sonus voculæ* in *repetitæ. verùm nimis delicatis auriculis eum putem, cui hoc tam inamœnum accidat; & de hoc genere in poëtis sexcenta: quibus ego si immorer recensendis, meritò Morus audiam. Vltimo loco; etsi fatetur (inquit) ipse Oedipus appetere exempla suorum facinorum " in suis natis: non propterea id nuncius dixerit, aut cum malo omine Regem " suum salutauerit. An tu (mi homo) ista scribens mentem Nuncij te assecutum " putas?*

putas? dum nimium properas, cæcos catulos effudisti: audi quid nuncius velit. non ad scelera illa aut facinora alludit, sed ad vicissitudinis istius memoranda exemplum. quod (quæso) fortunæ vitreæ atque fallacis exemplum maius, quàm à fastigio regni, tam beati & tam diuturni, & tot liberorum præsidiis firmati, subitò in fundum hunc calamitatum ferè omnium deturbari? nónne qui Regiâ stirpe *in hanc fortunam* editus, in ingens *lubricæ sortis & humanæ inconstantiæ specimen editus? At malè ominatis verbis nuncio parcendum. non illi, qui Oedipum alloquatur; cui hæc omnia, & iis grauiora, in votis. pensiculatiùs Oedipum intuère, & loquentem attentiùs audi; in oculos & aures ista incurrent.*

319 Iubente viuet] *mutilarunt, vt cum sequenti vnum versum efficerent. nam Herbip. & Veneti habent:* Iubente te vel viuet. *Mogunt.* iubẽte vel viuet, *ex more manusc. in quibus syllabæ similes non iterantur. Primi deprauatores puto fuère Basileenses.*

In act. II.

Adest Nuncius obsecrans Oedipum vt ciuile bellum impediat. non vult Oedipus; sed abscondit se in siluis, vt inde belli rumores aucupetur, & diras filiis imprecatur.

325 Septena] *singulis portis opposita singula. id tibi ex Æschylo in Sept. ad Theb. Eurip. in Phœniss. Pausaniâ in Boeot. Apollodoro lib. 3. Biblioth. Statio in 2. & 8. Thebaid. & Leonico lib. 2. var. hist. cap. 8. qui & ducum, & portarum nomina exhibent, petendum.*

328 Scelera] *Herbip. & Venet.* bella. *& sanè sequitur;* prohibe pariter bellum & nefas. *nihil tamen muto.*

331 Facinorum exempla] *Mogunt. Herbip. & Veneti;* exempla facinorum. *sicq; legendũ. In seq. carmine, cum prius, etiam in Venet. Herbipol. & Lugdunens.* Laudo & agnosco. *Lipsiens. deprauarunt, in;* & laudo agnosco. *repugnantibus manusc.*

345 Concidat] *præter morem versus præcipitatur, iambo spondei in locum suffecto, ad notandum domus lapsum ruentis inopinum. Si non placet; repone;* consîdat. *tota simul subsidat.*

355 Frater in fratrẽ] *has diras à Sophocle accepit: quibus respondit euentus. nam cùm in fraterno duello Etheocles vulneratus corruisset, mortuũ ratus Polynices, spolia lecturus ei incubuit; ille assurgens gladio excepit & trãsfodit. sic in iacentem frater fratrem ruit. vide Satium lib.* 11. *Thebaid.*

In act. III.

Audito rumore Iocasta exsilit, & sponte suâ properat ad bellum dirimendum. superuenit Nuncius, & orat, festinet. iam, iam conflicturas acies.

363 Felix] *secutus manusc. meos, in his Moguntin. quibus hic initium actus noui: quod res ipsa postulat.*

368 Nocentes] *egregiè consulunt sententiæ, qui reponunt;* nocentem, *Oedipum, illum cubili dignando.*

Peperi] *Etheoclem & Polynicem.*

370 Vt & hoſtem] *Euripid. Phœniſſ.* φίλος μὲν ἐχθρὸς ἐγένετ' ἀλλ' ὅμως φίλος. *Tibullus:* Perfida, ſed quamuis perfida, cara tamen.

Bruma ter] *Rhianus:*

Seruarunt inter candentis deuia montis
Caſtra bis vndenas herbas, totidémque pruinas.

Ouidius: Hic tibi biſque æſtas, biſque cucurrit hiems.
Tertia meſſis erat.

384 Quo cauſſa] *quo cauſæ æquitas & iniquitas fortunæ me impellunt, vt amem hoſtem.*

390 Aquiláque] *aquilarum vſum Romani à Perſis ſumsère. de Perſis docet Xenophon Cyriped. lib. 7. & de Cyri expedit. li. 1. de Romanorum aquilis, vide Lazium lib. 7. comm. reip. Rom. cap. 6.*

391 Septena] *hi ſeptem Reges, Adraſtus (teſte Tyrtæo, linguâ mellifluâ) Amphiaraus, Parthenopæus, Tydeus, Capaneus, Hippomedon, Polynices: his Thebani totidem oppoſuère duces; qui, Creon, Etheocles, Æmon, Ipsëus, Eurymedon, Dryas, Menœceus.*

392 Animo] *Herbip. & Veneti;* Animóque pari Cadmæa proles.

393 Hinc illinc] *Moguntinenſ.* hinc ac hinc. *rectè Herbip. Veneti, & Lugdunenſ.* hinc atque hinc.

402 Mater oppoſita] *Lugdun. & alij quidã;* matris oppoſitu. *vtrumque eodem ſenſu. Dicitur,* oppoſita, *quia vtrique opponebat ſe, quæ mediam interijciebat.*

403 Perge i] *alij;* perge ô. *Ceterum qui non obſeruarunt eundem nuncium, qui Oedipum acceſſerat extra Thebas; ad Iocaſtam Thebis acceßiſſe, & Antigonam diſceßiſſe cum cæco patre, nec illum deſeruiſſe; nobis illi Antigonam hic rurſus obtrusère, pro nuncio. Non eſt veriſimile tam citò illam à patre abſceßiſſe; quæ tam fortiter ſuperius, nec fulmine quidem Iouis ſe ab illo auellendam dixerat. an muliebri leuitate mentem mutauit? non video cur eo confugias, cum piæ virginis ignominiâ. an eodem tempore & patri & matri præſens? nugæ. Thebis erat Iocaſta; in Citherone infelix Oedipodes. fidenter ergo delenda* AN. *perſona, &* NVN. *ſubſtituenda hoc actu.*

412 Fiet] *Moguntin.* fiat.

414 Signa c.m. v. ſignis] *Vegetius lib. 3. cap. 5. tria agnoſcit genera ſignorum;* muta, *vt ſunt aquilæ, dracones, vexilla, &c.* vocalia, *quæ voce humana pronunciantur ab iis, qui in exercitu ſummam habent poteſtatem,* teſſaras *vocant militares;* ſemiuocalia *quæ tubâ, buccinâ, lituo dantur. Vide Lazium d. lib. 7. à cap. 1. vocum verò huiuſmodi alluſio placuit multis poëtis.*

Homerus:

φράξαντες δόρυ δουρὶ, σάκος σάκεϊ προτελύμνῳ.
ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ.

Munientes haſtam haſtâ, ſcutum ſcuto oppoſito:
Clypeus itaque clypeum firmabat, galea galeam, virum vir.

Furius Annal. lib. 4.

Preſſatur pede pes, mucro mucrone, viro vir.

Virgilius: —— hæret pede pes, densúsque viro vir.
Lucanus lib. 1. —— obuia signis
Signa, pares aquilas, & pila minantia pilis.
Papinius, hac in re nulli inferior. lib. 8. Theb.
Iam clypeus clypeis, vmbone repellitur vmbo,
Ense minax ensis, pede pes, & cuspide cuspis.

417 Ecce ecce motos] *sic Lipsiens. & Basileens. primi; antè legebatur non modò in manusc. meis, sed etiam in Herbip. & Venet. & etiam in Lugdunens. Et ecce. puto hæc tribuenda Iocastæ. aut si vis dari nuncio, vt faciunt libri; tunc in eodem versu legendum;* credas tuis.

419 Acies] *exercitus instructus: sed & procincta classis aliquando* acies *dicitur.* 427 Furenti similis] *miram præcipitationem significat: sed aliter Statius lib. 8.* —— aniles Præcipitantem artus, & plus quàm posset euntem. Atque etiam] *Eguian. & Moguntin. scripti; Herbipolens. & Venet. excusi,* aut etiam.

431 Delapsa] *ex vulgi sententia & Epicuri loquitur, vt & alij poëtæ: Lucretius*: Non cadere in terram stellas & sidera cernis?
Ouidius, paullo cautiùs: —— de cælo lapsa sereno,
Quæ si non cecidit, potuit cecidisse videri.
Stellæ fixæ manent, nec cadunt vnquam.

432 Rumpit] *Moguntinens.* rupit.

434 Diduxit] *Moguntin. Herbipol. & Venet.* deduxit.

439 Cessatque, telum vibrat in fratrum manu] *hoc primi inuexere Basileens. & secutus N. Sensus, telum micat in manu fratrum, & quasi gestit in fratrem exire. omnium dextræ quiescunt, soli fratres tela quatiunt, & in mutuum sanguinem ruunt. infra ait:* trementem hastam & cupientem excuti. *Alij legunt,* cessatque telum vibratum in fratrum manu. *sic Mog. Herbip. & Veneti. Lugdun. autem:* vibratum fratrum manu. *quidam;* vibratum in fratrem manu, *mirè; si non foret in quartâ spondeus. telum inquit iam missum manu in fratrem, visâ matre. quæ mediam se opponit, sistit impetum suum, & quasi sustineatur, desinit progredi, pendet in ipso volatu. ferrum pietate mouetur, non mouentur gnati. Porrò telorum vibratio, vindictæ & vltionis exigendæ studium significat.*

IN ACT. IIII.

Continet preces matris, & Polynicis impium responsum.

448 Passim] sparsim *etiam Moguntin. Herbip. & Veneti.*

450 Ac dico] audito *Mogunt. Herbip. autem & Venet.* an dico.

Ex æquo mihi dextras datis] *Sic N. cùm inueniret in Basileens.* ex quo dexteras lege datis. *Moguntin. & Lugdunens.* ex æquo dextras matri datis? *sed veteres impreßi Venet. & Herbip.* ex æquo dextras matri date. *retineo N. lectionem, quia versui consona; non quia melior aliis.*

453 In vos] *Eguian.* in nos. *in totam nostram familiam.*

456 Matrem pace] matri pacem, *Moguntin.*

457 Paratum] *sic in o. l. m. s. & impreßis, cùm Basileens. reposuerunt;* per-

peractum. *quos secutus N. sed sine causâ. melius alterum. nondum enim scelus peractum, sed imminens & propinquum matre inter tela versante.*

458 Bellum] *non tantùm petit vt prælio abstineant, sed pace initâ bellum finiant. hanc prælij & belli differentiam Lucilius lib. 26. apud Nonium;* vt Pop. Rom. victus vi, & prœliis superatus multis est sæpe; bello verò nunquam, in quo sunt omnia. 469 Maternum] *Euripides:*

Amplectere vlnis pectus matris, & apprime
Genas genis cupitis ———

470 Clypeus] *dictum volunt quod celetur insculptis imaginibus ἀπὸ τῦ γλύφειν, vel quod hominem tegat & oculis furetur, à κλέπτειν. Caper negat,* clypeus, *masculino genere dici, sed eum ceteri refellunt. Labienus putat neutro genere imaginem, masculino scutum significare: sed hoc discrimen Asinius, Liuius, & Pomponius reiecerunt. Plinius lib. 2. Dubij sermonis, indistincto genere dici scribit, sed litterâ differre: nam pugnatorium per i dici* clipeum; *quod est à clepere, id est, celare: imaginem verò per* u *clupeum à cluendo. sed hoc etiam refellit Carisius Sosipater lib. 1. Seruius Honoratus inter* clypeum *&* scutum *hoc discrimē agnoscit, vt clypeus fuerit peditum, scutum verò equitum. à formâ aptius dispescas. nam scutum oblongum, clypeum rotundum fuisse, docent Crinitus lib. 16. de honest. discipl. c. 3. & Turnebus lib. 11. aduers. cap. 27. Clypeorum vsum primi inuenere Acrisius & Prœtus, teste Apollodoro lib 2. Biblioth. vide Plinium lib. 35. cap. 3.*

472 Tegménque] *cassidem.* 479 Ne matri quidem] *Eurip.*

Confido quidem matri, & non confido simul.

porrò quod Iocasta interrogauit, etiam apud Statium lib. 6.

Anne times, ne fortè doli te conscia mater
Decipiam? 482 Dum frater est armatus] *lego ex Mogunt. & Parisiensi, & Lugdunensium margine* exarmatur. *sed alij vett. impressi, quibus vsus sum,* est armatus. *vt fatear me ignorare quis primus mutarit; nam prima Veneta & aliæ duæ, item Herbip. habent;* est armatus. *Suo quoque sensu, sed minus sano.*

485 Oscula] *basia. nam de matre, vt & Propert.*

Me lædit, si multa tibi dedit oscula mater. *nam Donatus in Terent.* oscula (*inquit*) officiorū sunt, basia pudicorum affectuū, suauia libidinū & amorum. *Quare quando disputant iurisperiti, an propter osculum mulier dotem amittat, de suauio intelligendum, quod in Feudis li. 1. tit. 5. §. 11. turpis lusus nomine significatur: & Gellius lib. 10. cap. 29. scribit,* institutū apud Romanos, mulieres cognatis osculū ferre, vt odore indicium facerent, num temetū biberint. *non suauiū, nōn basium dixit, sed osculum, quia officij id genus. huius priuilegij expertes fuisse infames, nescio an primus animaduerterim, ex fragmento Ciceronis in li. 4. de repub.** Atque etiam si qua erat famosa, ei cognatio osculum non ferebat. *huius instituti vestigia exstant apud Propertium lib. 2.*

* Sic repono apud Noniū in Fama.

Quin etiam falsos fingis tibi sæpe propinquos:
Oscula nec desunt qui tibi iure ferant.

Sed illa Donati differentia etiam ab ipso Cicerone confunditur. nam in Bruto, scribit; Brutus qui de matre suauianda ex oraculo Apollinis tam acutè coniecit. *& in epist. ad Attic.* Atticam nostrā cupio suauiari. *Rectius igitur Varro in libris de vita pop. Rom.* ideóque hoc ab ore dicitur osculum, non à suauitate; vnde & suauium, quod simile sit suauitati.

498 An vt viderem] *Mogunt. Herbip. & vnus Venet.* Non vt viderem, *sine nota interrogationis.*

499 Incubant] *non arma, sed ipse armis solo infixis incubabat. poëticè dictum* 505 Non te] *moris fuit vt mater sponsos in thalamum primâ nocte duceret: eo cùm ventum, pronuba sponsam in lecto collocabat. vide Turnebum lib. 3. aduersar. cap. 13.*

506 Festas manu ornauit ædes] *domus ergo ornabatur, maximè postes ianuarum. testis Iuuenalis Sat. 6 Claudian. de nupt. Hon. & Mariæ:*

Hi nostrâ nitidos postes obducere myrto
Contendant: pars nectareis aspergere tecta
Fontibus, & flammâ lucos adolere Sabæos.

ijdem oleo inungebantur, & laneâ vitta circumdabantur apud Romanos, teste D. Isidoro li. 9. Orig. cap. vlt. alij non oleum, sed adipem lupinum vel suillum memorant, vt Alexander lib. 2. Genial. cap. 5.

507 Faces vittâ reuinxit] *maternum officium, sponsæ facem prælucere, supra docuimus. noster indicat, his facibus matres solitas vittas suas circumuoluere. nam nupturis virginales vittas adimebant, & maritis seu matronalibus vittis redimibant. Valerius Flaccus de Medea:*

Vltima virgineis tum flens dedit oscula vittis.

Propertius lib. 4.

Mox vbi iam facibus cessit prætexta maritis:
Vinxit & acceptas altera vitta comas.

vitta ergo alia virginum & alia matronarum, sicut de mitrâ diximus.

535 Per decem mensum] *Sap. 7.* In ventre matris figuratus sum, decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis, & delectamento somni conueniente. *Huc refero salsum illud salitum Pomponij, apud Nonium in verminari, ex, Hirnea Pappi:*

Decimus mensis est cùm factum est. ita fit, ita semper solet.
Decumo mense demum turgens verminatur, parturit.

Rarius solent octauo. Ideo Venerabilis Beda in Martyrolog. 7. die Martij, inquit: Dum adhuc seruarentur in carcere, & Felicitas parturiret, omnium sanctorum commilitonum precibus impetratum est, vt octauo mense pareret. *Turnebus lib. 4. aduers. cap. 15. putat, veteres hac in re decimum ideo mensem posuisse, quia breuiores erant veterum menses, quàm nostri, cùm ad Lunæ cursum eos metirentur, non Solis, idq; ex Hippocratis lib. de fœtu se colligere, & sic poëtarum de decimo mense testimonia intelligēda. Ego id confirmo auctoritate illâ Ouidij in ep. Canaces, vbi hos menses Luna ortu & occasu metitur: idem quod lib. 1. Fastor. cecinerat:*

Quod satis est, vtero matris dum prodeat infans:

Hoc

Hoc anno statuit temporis esse satis.

disertè hoc lib.3. Fastor. Lunaribus circulis accommodat:

Annus erat decimum cùm Luna receperat orbem:
Hic numerus magno tunc in honore fuit.
Seu quia tot digiti, per quos numerare solemus:
Seu quia bis quino femina mense parit.

Neque huic sententiæ refragatur D. Augustini interpretatio, qui lib. Euangel. quæst. 1. cap. 5. Quod dicuntur decem menses (*ait*) prægnantis, nouem sunt pleni: sed initium decimi pro toto accipitur. *cur non enim hoc æquè Lunaribus, atque Solaribus mensibus aptetur? vt & illud Tertulliani:* Legittima natiuitas fermè decimi mensis ingressus est. *qui allusit, ad formulam Galli Aquilij, L. Gallus D. de lib. & postu. hæc adde aduersariis: simul enim collata vberiorem fructum suppeditabunt.*

561 Adustas sternis] *hoc est, aduris, & sternis. sic Virgilius;* submersas obrue puppes.

566 Has Amphionis] *Euripides:*

Harmoniæ verò ad nuptias
Venerunt cælites, citharæque cantu
Et ab Amphioniâ lyrâ
Mœnia & arx Thebana surrexit.

Amphion cum fratre muros Thebanos ædificauit cantu, vt canunt poëtæ: reuera (auctor Palephatus) quia hac lege auditores admittebant, vt vicissim muris exstruendis operam sibi nauarent. Propertius tamen, sicut noster:

Saxa Citheronis Thebas agitata per artem,
Spontè suâ in muri membra coïsse ferunt.

pulchrè hæc describit Apollon. lib. 1. & ibi Scholiastes à versu 735. multa ex Homero, Pherecyde, Antimenidâ, & Dioscoride.

572 Vinctósque] *multi libri*; victósque.

584 Facient] *Moguntin.* faciant.

592 Regia frater mea habitet superbus] *Moguntin. Herbip. Veneti;* superbâ. *quare lego*: R. f. meus H. superbâ?

596 Arbitria] *Anaxandrides*:

Dotatam enim si fortè pauper duxerit,
Non iam ille coniugem, sed habet heram sibi,
Cui seruit —— *Menander*:
Cùm pauper aliquis, contrahendo nuptias,
Quas vxor adfert accipit pecunias:
Sese dat ipse potiùs, illam quàm accipit.

Cetera pete etiam ex Tiraquello lege Connubiali quinctâ.

598 In seruitutem] *Non enim (vt Xenophon testatur) bona non accipere tam graue est, quàm semel acceptis priuari. confirmat idipsum Seneca in lib. de tranquillitate vitæ, item Aristoteles apud Athenæum, & Bellisarius apud Procopium, Euripides, Cicero, & alij collecti & constipati à Tiraquello Connub. lege 15. num. 17. & 18.*

Lixa] *Nonio, qui ligna vehunt exercitui,* calones; *qui verò aquam subministrant*, lixæ: *ipsæ quoque naniculæ quæ ligna subuehunt, D. Isidoro lib. 19. orig. cap. 1.*

608 Gargara] *de Gargaro seu Gargaris (nam vtrumque dicitur) multa quoque Stephanus; qui quod etiam Italiæ adscribat, vereor ne in vitio ponendum, &, exiguo lapsu, cum Gargano confuderit.*

609 Xanthus] *Scamander.*

611 Fauces Abydi Sestos oppositæ premit] *sic Basileens. & Lipsiens.* Fauces Abydos Sestos op. p. *Moguntin. & Eguianus manusc. item Herbipolens. & Veneti typis excusi. Lugdunens.* Fauces Abydos Sestósque op. premunt. *Periegetes:*

σηςὸς ὅπη καὶ Ἄβυδος ἐναντίον ὅρμον ἔθεντο.

Papius: Sestos vbi aduerso portu prospectat Abydum.

612 Orienti dedit] *Eguian.* opulenti dedit. *ascribo nonnunquam mendas membranarum, vt qui plus ingenio possunt polléntque, eas felici coniectatione diluant & emaculent.*

626 Martis incerti] *ideo Mars à Latinis* Communis Deus, *à Græcis* κοινὸς ἄρης, *& ab Homero* ἐνυάλιος *(quasi dicas neutri parti addictum) vocatur. vide Lilium Syntagm.* 10. *Thucydid.* incerta namque bellorum.

630 Decernit] *Capcasæ lib.* decreuit.

Exæquat] *Seneca lib. 2. de tranquill. ad Serenum cap. 14. vt recenseo:* facit se aduersarium qui contendit, & vt vincat, par fit. *Hinc factum, vt pugnaturi dicantur* in æquum descendere: *sic fuerat locutus Seneca lib. 2. de benef. cap. 13. sed Griph. codex, quo vtor, mendosè:* descenditque in equum. *Papinius lib.* 11. *Theb.*

——tandem scis sæue fidem, & descendis in æquum.

ab hac dubiæ fortunæ æquatione putarim hostes *nominatos. nam priscis* hostire, *erat æquare: vnde* hostimentum *&* hostorium.

653 Ascribo] *tandem mulier es, Iocasta. cùm aliter nequis; conuiciari incipis.* Dummodo] *quamdiu, si modò. porro pro;* regna, *fortè legendum;* regnas. *hac mente; quamdiu inuisus tuis regnabis, non rex mihi, sed exsul videbere. sanè vt mater inuisum esse velit filium regem, non conuenit, nisi iratæ & conuicianti, vt dixi.*

654 Regnare] *sic Lycus Herc. Fur.*

Ars prima regni est posse te inuidiam pati.

Sic Oedipus Creonti respondet:

——odia qui nimium timet,
Regnare nescit—— *(vbi vide quæ de hoc loco dicenda) tyrannicæ sententiæ: quas plebis improbitas sæpè veras, & necessarias efficit. Sæpè etiam odij causæ ex Principum impotentiâ, licentiâ, superbiâ.*

656 Regis & magni] *Eibius:* Regis est magni, reor. *&c. non malè.*

659 Qui vult amari] *quidam lib. hunc Iocastæ versum tribuunt. mallem cum ceteris Polynici adhuc dari. nam iste censet eum qui velit omnino & pleno cum iure imperare, odiosum esse debere subditis; qui amari velit, eum non*

sua, sed subditorum arbitatu regni habenas moderari; nec huiusmodi verum regem, multo minùs magnum regem nuncupari posse. vult odia nihili fieri. Contra, Iocasta; imperia dura & quæ pro libidine, non duratura, citò corruere, citò amitti. frustra illum & imperitè præcepta regibus præscribere, qui rex nunquam fuerit: exsulibus consilia meliùs daturum, qui exsilium pertulerit. Quod vltimum mordax est, & iratâ dignum feminâ; aptum potiùs ad irritandum Polynicem, quàm ad inducias ab eo impetrandas. Posset etiam interseri Polynicis persona, vt ille matri, salubria suadenti, ferociter se subducat, & neget feminarum esse præcepta regnandi tradere. virile id & Regum, non Reginarum: quod à Græcorum moribus non alienum, quibus insolens feminarum sceptrum. Hoc irritatam dicto Iocastam, in arma sui sexus, conuitia prorumpere, & filio exsilium exprobrare. tum hic ordo verborum:

Qui vult amari, languidâ regnet manu.
IO. Inuisa nunquam imperia retinentur diu.
POL. Præcepta melius imperI reges dabunt
IO. Exsilia tu dispone. POL. Pro regno velim. *&c.*

& in discessu hæc ipse iam secum, non cum matre. atque ita re infectâ, non impetratis induciis, tubæ canunt, manus conseruntur, frater in fratrem ruit. Sed hæc interiere.

663 Imperia] *Euripidis sententiam huic affinem, mutuatur Dionysius Halycarnass. lib. 4. Orig. Roman. & impiæ Tulliæ tribuit. possis tyrannis omnibus, hominibus ferè. nam vetus ac pridem insita mortalibus imperij cupido, cunctis affectibus flagrantior, trudit & rapit; non allicit, non trahit. Ab hoc versiculo desunt cetera; vt & chori. Noli putare poëtam voluisse tragœdiam sine choris vllis edere. quare friuolum inde argumentum petitur, ad probandum, hanc fabulam Senecæ nostri non esse. Sed pergo ad alias.*



AD

AD NOB. ET CL. V. IACOBVM SVSIVM DOMINVM LARÆ. &c.



DIT *te V. C. cum* gemino Hercule Hipolytus, *vterque rediuiuus; hic à ferali voto, ille ab inferis & rogo; non tam meæ (quanquam ope etiam meâ) quàm amici nostri*, librorum *illius* Æsculapij εὐστοχίας *beneficentiâ. Deprehendes in meis multa passiua; sed tibi, tuique similibus non scripta: præterfis, & rudioribus permitte. multa occurrent perpera: vestræ (ô qui has docti litteras!) censuræ cuncta subiicio planitùs damnate, expungite, perdelete. carus mihi & obseruandus, quisquis labentem erigit, deuiantem dirigit. Morsiunculas vitilitigatorum, & sciolorum pellicationes, nec metuo; quia vanæ & inertes, nec deprecor; quia bonorum nullus hoc æuo malum necessarium euasit. mordeant, piligerent, calumnientur, vt volent: nominis tantum tui, qui genus maiorum verâ virtute nobilitasti, prætenturam mihi concede. amicitiæ & necessitudinis nostræ coniunctio id spondet; fides, humanitas, & eruditio tua confirmant. Poëtam bonũ te numerosa & prisca elegantiæ in lucem iam edita carmina loquuntur: & paraturæ istius Criticæ coryphæis,* Manilius & Germanicus *nimis à te diu pressi, gestiunt inserere; quos nisi tandem repræsentes, vt pollicitus, multum tibi periculum, ne litteratorum chorus pipulo differat, & insuper* Patrima virgo *grandem dicam impingat, nec vllam moratoriam cautionem admittat. Nunc vterque* ALCIDES *cum* VIRBIO, *te sibi* TVTANVM *optant, contra inscitiam & inuidentiam multorum: vt quantum à me vilitatis, tantum à nomine tuo splendoris accedat. sæpe cui scriptio periculo, illi præscriptio fuit tutamento. Vale.* Leodici CIↃ. IↃ. XCII.

COM-

COMMENT. IN HIPPOLYTVM.

ARGVMENTVM.

PEPERERAT Antiope Amazon Theſeo Hippolytum; qui, cùm venationi deditus, Dianam coleret, Venerem auerſaretur, cælibẽ vitam ducere decreuerat. capta illius pulchritudine Phædra nouerca, amore væſana; dum abeſt apud inferos Theſeus; iuuenis caſtitatem blanditiis & precibus expugnare conatur. impudicam à ſe feminam Hippolytus repellit. Igitur deprehenſa, mutat amorem in odium; & reuerſo Theſeo, inſimulat priuignum oblati per vim ſtupri. fugerat Hippolytus impudicam domum: ſed dum aliò properat, ecce tibi taurus marinus à Neptuno ad diras Theſei imprecationes immiſſus: qui ſe ante currum ſiſtens, quadrupedes conſternauit. hi, contemto imperio, quadrigam deturbant, cadentiſque corpus per ſaxa & vepres diſtrahunt atque dilaniant. compertâ nece, Phædra rei veritatem marito aperit, ſeque ſuper laniatos artus gladio transfigit. Theſeus plangit innoxij filij caſum, ſuamque præcipitem iram, dirumque votum deteſtatur: laniatos artus colligit, &, quo meliori modo poteſt, componit.

HIPPOLYTVS.] *Vet. lib. nonnulli hanc tragœdiam vocant*; Phædram. *atque ita citat Priſcianus lib. 6. vbi ait*: *Seneca, in Phædra*:
Hippolyte me nunc compotem voti facis.

IN ACT. I.

Parat ſe ad venationem Hippolytus; mittit in varia loca venatores, & ſua cuique officia diſtribuit, & venationis Deam inuocat.

2 Cecropij] *in Atticâ Cecrops condidit opidum* Cecropiam; *quod poſtea in arcem Athenarum mutatum fuit: inde Attica dicitur* Cecropia, *eiq; vicinus mons* Cecropius, *Plinio lib. 7. cap. 16. & Apollodoro lib. 2. Biblioth.*

4 Solo] *Deſerto. infrà*:
Quicquid ſolis paſcitur aruis.

Carpeneito] *Strabo, Ptolomæus, Plinius, Mela, Ammianus*, Carcine-

 ten

ten *seu* Carpeneitum,*agnoscunt. sed fluuium & sinum,non saltum; & Scythiæ,non Atticæ; quem Arrianus in Periplo maris Euxini vocat;* cercinetin. *erat in eo sinu Triuiæ lucus, admodum indigenis religiosus, auctore Marcellino lib.22. An ergo hîc legemus,* carcineto? *Non opinor. primò quia nulli codices huc inducunt. nam omnes vel* carpanetho *vt pleri m.s. vel* carponeto, *vt vett. excusi: vel,* carpaneto, *vel,* carpeneito. *Deinde quia degebat in Atticâ Hippolytus: & non nisi Dædali remigio in Scythiam cum suis canibus & venatoribus migrare poterat. Solus meus codex scriptus:*

Quæ saxosa loca Parnetho.

benè, sanè perbenè, si vnicam litterulam mutes; saxoso. *nam Parnes Atticæ mõs nobilis, Thucydidi, Aristophani, Luciano, Straboni, Stephano prope Hymettum: laudatus à Pausaniâ in Attic. copiosâ vrsorum & aprorum venatione: vitibus benignum vocat Statius in Thebaid.*

5 Et quæ Thryasij] *cùm legeretur,* Thriasij : *reposuêre* Thryasij. *non rectè. Thryon seu Thryoëssa, oppidum Messeniæ ad Alphæi fluminis vadum: de quo etiam Plinius lib.4. cap.5. & Homerus Iliad.β. Strabo lib.8. & Statius lib.1. Thebaid. si ab hoc oppido deducas* Thryasius. *sensus erit, & quæ loca amnis Thryasij (videlicet Alphæi) rapida vnda, in vallibus edito subiectis oppido, verberat. Sed placet vet. lectio;* Thriasij. *à Thriâ Atticâ, vico tribus Oeneidæ. Thucidid. li.1.* καὶ μετὰ τοῦτο οἱ Πελοποννήσιοι τῆς Αττικῆς ἐς Ἐλευσῖνα, καὶ Θρίωσε ἐσβαλόντες. & postea cùm Peloponnesiis in Atticæ Eleusinem & Thriasium campum descendentes. *vbi Scholiastes* Θρίωσε *explicat,* εἰς τὸ Θριάσιον πεδίον, ὡς Ἀθήναζε, in Thriasium campum apud Athenas. *idem Thucidid. sæpius lib.2. meminit Thriasij campi prope Eleusinem: item Aristides in Leuctricis, Eleusim, Thriasium, & Acharnas coniungit. videndus & Plinius lib.4. cap.7. & Strabo lib.9. Portæ Thryasiæ nihil huc pertinent, de quibus in Pericle Plutarchus. Ne quid verò dissimulem, hoc loco legendum ;* Thriasiis vallibus ; *vel dicendum nomen loci quem perfluit, ipsi fluuio tributum.*

De Thria Atticæ etiam Stephan.

Et hoc quoque comperi post Raphelégio visum.

8 Riphæa] *Riphæi montes Scythiæ à perpetuo flatu ventorum nuncupati, de quibus nonnulla dixi Notis in Claudianum. describuntur à Pomponio li.2. Plinio, Solino, Valerio Flacco, & aliis Latinis; Herodoto lib.4. & Strabone lib.7. & 11. Mirum quod Athenæus tradit lib. 6. cap. 4. eos esse Galliæ,* Obios, *& postmodum* Alpes *vocatos. mirum etiam Volaterranum libro 7. Geograph. ab Hyperboreis distinxisse. mirum quod Irenicus nullibi esse, nec vnquam fuisse arbitratur lib.7. Exeges. cap. 22.*

12 Zephyrus] *dictus quasi* ζωήφορος *salutifer: idem* Fauonius *à fouẽdo:* genitalis mundi spiritus, *Plinio. florum pater poëtis. Catullus:*

——quos propter fluminis vndas
Aura parit flores tepidi fœcunda Fauoni.

ideo noster; vernas euocat herbas. *quia primus anni conceptus, eo flante,* VI. *eid. Februar. à rusticis* catullitio *vocatur.*

13 Vbi per glacies lenis Ilissus] *Versus iste non habetur in vllo Veneto, nec in Herbipolensi, nec in Parisiensi Badiano: sed habetur in m.s. ad vnum omni-*

omnibus, habetur in recentioribus excusis cunctis, nec vlla variatio nisi, quod quidam; lenis, *alij* leuis. *quod placet. & Mogun. m. s. glossematio cõtaminatus:*

Vbi congelatus per glacies leuis Ilissus.

Stephanus nescio quam vrbem Ilisson *facit, cùm sit Atticæ amnis Dionysio Afro, Platoni, Ptolomæo, Pausaniæ, Papinio, Melæ ac Plinio. Noui alium* Helisson *Elidis, alium Sicyoniorum* Elisson, *de quibus Pausan. in Eliac. & Corinth. Ceterum displicet insigni Critico, quod hic habetur,* per glacies *eum fluere. quia ambigit an in Atticâ glacies vlla aut fluuij glaciati. ideo reponit ex coniecturâ;* per glareas, *contractâ in bisyllabam voce ob versum: vt velit poëta, Ilissum per scrupos & saxa volui, Mæandrum per æquabiles arenas. Mihi non persuadet. nam noster in Græciâ non vno loco frigora asperiora facit. hîc sanè paullo antè niues habuimus in Atticâ, mox & frigora. in Thyeste de Peloponneso:*

In aduersariis affirmaui tantùm non inueniri in antiquâ editione Parisiensi: non autẽ in meis lib. scriptis nõ inueniri: cõtinebatur enim in omnibus. quare hoc mihi falsò tribuunt nonnulli Cum his Articũ perperã cõfundunt.

Si quis Taygeti conspicuas niues;
Quas cùm Sarmaticus tempore frigido
In summis Boreas composuit iugis.

At opponitur Ilisso Mæander. sed quia piger hic, leuis ille. Non tamen negauerim illud; glacies, *mihi suspectum. sed quid substituas, in tanto consensu librorum?*

14 Mæander] *totus versus deest vni manusc. vt alij asserunt: at ego in meis omnibus tam excusis, quàm scriptis reperio, non versum modò, sed & integrum Mæandri nomen. nec scio quæ illa editio vet. in qua;* Melanes, *nisi Badiana anni* 1514. *Scio* Melanem, *in Achaiæ tractu magnum fluuium, qui Melas dicitur Straboni, Dionysio & Callimacho. Sed illi nunc hîc locus non est. Mæandrum Phrygiæ fluuium nemo nescit. nam de flexuoso illius ac sinuoso, & anguineo planè cursu pleni scriptorum libri, Lucani lib. 3. Claudiani 2. in Eutrop. Propertij lib. 2. Eleg. 34. Ouidij in Metamorph. noster in Herc. Fur. versu* 683.

—— Qualis incertâ vagus,
Mæander vndâ ludit & cedit sibi;
Instátque dubius litus an fontem petat.

Idem epist. 105. Mæander poëtarum omnium exercitatio & ludus, implicatur crebris amfractibus, & sæpe in vicinum alueo suo admotus, ante quàm sibi influat, flectitur. *hæc causa cur ἀναβαῖνον veteres prius vocarint, vt scribit Plutarchus lib. de fluminibus. Verùm vereor ne nimis laboris suorum sit auidus, & nescio an ridiculus Virbius, qui in Phrygiam ablegat venatores. sanè: si non in Atticâ Mæander aliquis. Non tamen Mæander ibi vocatur, sed Asopus. nam Mæander in mare ad Miletum delapsus subit æquor, & in Peloponneso emergens, fit Asopus; auctore Pausaniâ in Corinthiac. & Arcadic. Quoniam itaque idem Mæander & Asopus, & fortassis æquè flexuosus; vel quia, quod vno ei in loco proprium, in altero etiam tribuendum putauit, Asopum Meandri nomine significat. Et amat noster remotiora & minus nota nomina. Phrygius ille Meander, & Marsyas, pro Diis colebantur à stultâ gentilitate: & fiebat (Dæmonum proculdubiò fraude) vt quæ Mæandro erant oblatã,*

Marsiæ vndis illa misceri nequirent; quæ Marsyæ, Mæander respuere videretur, vt testatur Maximus Tyrius.

Æquales] *Moguntin.* inæquales. *mendosè.*

15 Piger] *adeò lentus, vt Marsyam, velox flumen, ei admistum retardet, & lentius cogat fluere. Claudianus:*

Icarium pelagus, Mycalæaque litora iuncti
Marsya, Mæandérque petunt. sed Marsya velox
Dum suus est, flexúque carens: iam flumine mistus
Mollitur Mæandre tuo; contraria passus,
Quàm Rhodano stimulatus Arar —— *prælucent ista Lucani:*
Quâ celer & rectis descendens Marsya ripis
Errantem Mæandron adit, mistúsque refertur.

Pigrities autem & tarditas hæc Mæandro, ab ipsâ amfractuum multiplicitate. iccirco Strabo σκολιὸν vocat. Anna verò Alex. lib. 4. omnium amnium maximè tortuosum, & se in spiras semper inflectentem.

16 Amne maligno] *nocet enim agris. nam abluuione suâ ex Phrygum & Carum agris tantum detersit, vt fretum, quod inter Prienem & Miletum olim fuerat, oblimarit, & in continentem verterit. testis Pausan. in Arcad. & Corinthiac.*

Radit] *eradit & euiscerat. Attius* Oenomao:

—— saxum id facit
Angustitatem, & sub eo saxo exuberans
Scatebra fluuia eradit rupem. *Fortaßis do modulos, fragmenti adducti à Nonio in,* angustitatem. *Faciunt idem ceteri fluuij licet latentiùs, præter Nilum; qui benignus potiùs quàm malignus. Seneca lib. 4. nat. quæst.* Mira natura fluminis, quòd cùm ceteri amnes abluant terras & euiscerent; Nilus tanto ceteris maior adeò nihil lædit, nec abradit: vt contra adiiciat vires, minimúmque in eo sit, quod solum temperet. Illato enim limo arenas saturat & inungit.

17 Marathon] *Marathon vna ex vrbibus Tetrapoleos Atticæ, Stephano; prope quam campus Marathonius, siue Fænicularius Latinis, cuius imitatione μαραθὼν Hispaniæ appell. vt significat Strabo rectè intellectus lib. 3. Atticum illum campum strage Persicâ nobilem describunt Herodotus libro 6. Pausan. in Attic. Strabo lib. 9. & Plutarch. in Parallel. hic sus Marathonia, & taurus Marathonius Thesei gloria; ad quem fortaßis respicit Hippolytus. alia quoque* Marathos *Syriæ, Dionysio:*

καὶ Τρίπολιν λιπαρὴν, Ὀρθωσίδα τε, Μαραθοῦντε.

22 Acarnan] *sic plerique libri. quidam;* Acarnas. *Moguntin.* Aramon. *Herbipol.* Arcanam. *Venetus vnus;* Arenam. *sed scribo;* Acharnan. *Acarnanes Epiri populi per κ'. Græcis scribuntur, apud Ptolomæum in vlt. Europæ tabulâ, Pausaniam in Arcad. Strabonem lib. 7. 8. & seqq. ab his adagio,* Acarnanici equi. *At noster de Atticis Acharnensibus; qui per χ'. Thucydid. li. 2.* ἐς Ἀχαρνὰς χωρίον μέγιστον τῆς Ἀττικῆς, τῶν δήμων καλουμένων. vsque ad Acharnas peruenerunt, maximū vicorum, quos Atticos vocant. *&*

Scho-

Scholiast. Ἄχαρναι δὲ δῆμος τῆς Ἀττικῆς. Acharnæ vicus Atticæ. *ab hoc Aristophanis comœdia inscribitur; ab hoc adagium,* Porcellus Acharnanicus. *Dubium, an Iulianus Imp. de his an de Epirotis agat, cùm se ab Antiochensibus missum ait,* πρίνινον, σφενδάμνινον, οὐκέτι μέν τοι καὶ Μαραθωνομάχην, ἀλλ' Ἀχαρνέα μὲν ἐξ ἡμισείας, ἀηδῆ δ' ἐς ἄνδρας παντάπασι καὶ ἀνθρώπων ἄχαριν. Ilignum, acernum, neque tamen Marathonium bellatorem, sed ex dimidio Acharnensem, ingratum omnibus & inuisum. *putem de Atticis; & hoc velle, non gloriâ & laude cumulatum, vt qui in Marathone vicêre; sed semibarbarum, rusticum & sordidum, semiporcellum. Sic fortè in illum Antiochenses ludebant. Nam, Suidâ teste, Acharnenses ridebantur tanquam agrestes & duri.*

Qua tepidis subditus austris frigora mollit] *Acharnan (ait) incola Attici soli maximè Australis, afflatu eius venti qui calidus & à Meridie flans, mollit frigora, hoc est, leniora sentit & leniùs perfert. Suspicor quod Acarnaniæ proprium est (quæ licet ad Austrum vergat, propter Aracynthum tamen, & alios propinquos montes editissimos, admodum obnoxia frigori est) id Atticis Acharnis Senecam tribuisse, easq́; locorum qualitates & conditiones, vt solet, confudisse. Sunt, qui Acharnanem montem somniant. quamuis ridiculè.*

23 Dulcis Hymetti] *Hymettus mons Atticæ mellis & marmoris iuxtà ferax. de melle, Ouid. 5. Trist. Statius li. 2. Siluar. & Valerius Flac. Argon. 1. de marmore, Horatius lib. 2. Od. 18. Plinius lib. 36. cap. 3. & Strabo lib. 9.*

24 Aphidnas] *sic plerique libri Moguntin.* Athinas; *Bernardin. legit;* Apidanas. *primus Daniel reposuit;* Aphidnas. *id ceteri secuti. rectè.* Aphidnæ *vicus Atheniensium, in tribu Antiochidâ, etiam* Titacides *dictus: nomen accepit à Thesei socio Aphidno, de quo Plutarchus in Theseo. vide Diodorum Siculum lib. 4. Pausaniam in Attic. & Strabonem libro 9. Stephanus docet Aphidnam differre ab Aphidnis.*

25 Sunion] *Atticæ promontorium, in cuius orâ insignis portus. auctores Ouid. lib. 4. Fast. Pausanias in Atticis, & Scholiastes Callimachi.*

28 Philipis] *Moguntin.* Helipis. *Herbipolens. & tres Veneti;* Philippis. *Paris. Basileens. Lugdun. Lipsiens. Complut.* Philipis. *Philippi Thesprotiæ, & Thraciæ mihi noti, ex Plinio, Strabone, Appiano, Diodoro: nec minùs cruore Romano nobiles Philippici campi. sed quid illi ad hanc Hippolyti venationem? omnino quærendus in Atticâ locus. Sed nullum hoc nomine, quod sciam, suggerunt Strabo, Pausanias, Xenophon, Stephanus, Harpocration, Hesychius, ceteri, qui Atticæ loca recensent, iuuarent fortè Atticarum rerum scriptores, quos Athenæus & alij citant, si exstarent, Amelesagoras, Philochorus, Androtion, & Hellanicus. Fuit fortassis,* Philipis, *vicus vnus ex illis centum septuaginta quatuor; quorum multa nomina periêre. nam Sigonius, collegit lib. 1. de repub. Atheniens. cap. 2. & lib. 2. cap. 27. non multa. Ego apud scriptores Græcos nonnulla reperio, non procul ab hoc nomine recedentia; quorum fortè aliquod à Senecâ hîc positum. An ergo scripsit;* Pitthis? *nam* πίττως *Suydæ, municipium Cecropiæ tribus. An;* Iäpis? *nam Stephanus ibidem*

agnoscit Ἴαπιν χαράδραν *(quæ an illa, de qua prouerb. apud Hesychium* οἰνόη τὴν χαράδραν, *cuius mentio apud Strabonem lib. 9. non difinio): sed hic de siluâ, non de stagnantibus & palustribus se locis (quæ tamen apri non auersantur) loqui significat. Possent & se ingerere coniicienti,* πήληκες, *&* σφηττὸς, *& ipsæ tribus Atticæ Stephano. Sed mihi præ omnibus placet* φλυεῖς, *Cecropiæ tribus, apud eumdem. vt legatur:*

Vocat hunc Phlyeis: vbi versatur.

ita: si quid mutandum. nam si; Philipis, *retinetur: fateamur nos locum illum ignorare.* Inter virtutes *(inquit Fabius)* Grammatici habetur, aliquid nescire. 31 Canibus] *de indole & generibus canum, maximè venaticorum, consulendi Pollux li. 5. Onomast. cap. 5. & 6.* Xenophon, *& Oppianus in Cyneget. & Wottonus lib. 5. de different. animal. cap. 77.*

32 Acres Molossos] *sic dicti à patriâ, Epiri regione.* acres *vocat, &* tenendos *dicit, quia contumaciores & magis clamosi quàm ceteri. Lucan. lib. 4.*

Venator leuis ora tenet clamosa molossi.

33 Cressæ] *manusc. quidam;* Cretes. *sic in Herc. Oeth.* geminósq. Cretas. *vulgata tamen lectio non repudianda. nam Virgilius:* Nemora inter Cressia fixit. *&:* Cressa genus Pholoë. *Propertius lib. 2.*

Sic Deus exstinctum Cressis Epidaurius herbis.

35 Spartanos] *Lacones.*

36 Nodo] *setaceo id fit hodie; olim etiam aheno vel ferreo, vt & captiuorum & fugitiuorum crura. Pacatus in Panegyr. Theodosij:* Publicè publicus spoliator exuitur, nectuntur manus rapaci, nudantur crura fugitiuo. *corrigo;* nodantur.

39 Nare sagaci] *propter odoratus acumen aptâ & idoneâ inueniendis ferarum latibulis. Plautus:*

Canem esse oportuit, sagax nasum habet.

Festus: Sagax, multi ac solertis acuminis. *Item:* Sagaces canes qui ferarum cubilia præsentiunt. *Afranius, Brundisinâ:*

Quis tam sagaci corde, atque ingenio vnico?

Cicero lib. 1. de Diuinat. Sagire, sentire acutè est; ex quo sagæ anus, quia multa scire volunt.

40 Captent auras] *Ad percipiendum odorem ferarum, qui per aërem multiplicatis speciebus (vt vocant) illis offertur. declarant hoc comti imprimis & politi versus L. Varij:*

Seu canis vmbrosam lustrans Gortynia vallem,
Si veteris potuit ceruæ comprendere lustra;
Sæuit in absentem, &, circum vestigia lustrans
Æthera per nitidum tenues sectatur odores.

tenuia odorum simulacra. 42 Dum signa pedum] *ab hoc versu in manusc. Eguiano & Moguntino, & in excusis Herbipolen. & Venet. sequentia distribuuntur in Anapæsticos trimetros:*

Dum signa pedum roscida tellus impressa tenet:
Alius raras ceruice graui portare plagas. *atque ita deinceps.*

45 Picta

45 Picta rubenti linea pennâ] Linea, *seu* Formido, *retis genus est, alterno plumarum versicolorium, maximè rubricatarum, contextu ornatum: quas interdum vstulabant, vt graui odore amplius feras terrerent: & tunc pennæ odoratæ dicebantur. comparatum id genus retis, vt feræ, maximè cerui, vel in veros casses vano terrore impellerentur, quos vicinis in locis occultabant (vt innuit Lycophron.) vel dum latratu canum attoniti, insequentem à tergo hastatum equitem fugiunt, & circum lineam vagantur, ab occultis sagittariis certo ictu sternerentur. quam venationem Seneca his verbis lib. 2. de Clementia significat:* Sic feras lineæ & pinnæ clausas continent. easdem à tergo telis eques incessat; tentabunt fugam, per ipsa quæ fugerant, proculcabúntque formidinem. *Idem lib. 2. de Ira cap. 12.* Nec est mirum, cùm maximos ferarum greges linea pennis distincta conterreat (*fortè; consternet*) & ad insidias agat ab ipso effectu dicta formido. Vanis enim vana terrori sunt. curriculi motus, rotarumque versata facies leonem redigit in caueam. elephantes porcina vox terret. Sic itaq. ira metuitur; quomodo vmbra ab infantibus, à feris rubens penna. *ad quem locum fortè hic respexit. Formidinis texturam docet Gratius in lib. de venatione; vsum, non minus iucundè quàm fusè Pierius lib. 7. Hieroglyph. cuius verba prolixitatis vitandæ gratia prætereo, possunt autem commentarij esse loco, iis quæ poëtæ de Lineâ. Nonnulla Cælius lib. 16. antiquar. lect. ca. 11. & Turneb. li. 5. aduer. cap. 5. & Christoph. Rufus Antexegematorum fol. 8.*

Vet. lib. Dominicanoré Burdegalen. *Sic feras lineæ & pinnæ clusas contineat. veniat ergo eques, telis incessit, &c.* mendosè. ego tamen hinc ita; *sic feras linea & pinna clusas contingant: at si à tergo eques, &c.*

Picta] *Oppianus vocat multicolorem* πολύχροον.

Rubenti] *rubrâ, puniceâ.*

Linea] *Nemesianus*

Linea quinetiam magnos circumdare saltus
Quæ possit, volucrésque metu concludere prædas,
Digerat innexas non vnâ ex alite pennas.

Oppianus vocat lineam formidolosam δειμαλέην μήρινθον.

46 Vano terrore] *inde dicta formido. ad eam refero Arriani locum li. 2. de vita Epicteti cap. 1. vbi malè interpres,* volucres *vertit pro, pennis. sic enim* debebat: Nunc idem quod ceruis nobis accidit; qui cùm pennas fugiunt, quo se cõuertunt? quo abeunt, vt in tuto sint? ad retia; atq. ita pereunt permutatis iis, quæ timenda & forti animo toleranda erant.

Cludat] *includat indagine. Lycophron:*

καὶ δευτέραν εἰς ἄρκυν ὀθνείων βρόχων
λῆψιν ἐμπαίσασαν ἰξευτοῦ πτερῷ.
Cassis peregrinæ in secundam indaginem
Vltrò incidentis aucupis pennæ dolo.

Lucanus:

——— dum pauidos formidine ceruos,
Claudat, odoratæ metuentes aëra pennæ.

Ausonius Burdigalens.

An cum fratre vagos dumeta per auia ceruos,
Circumdas maculis & multâ indagine pennæ?

50 Robur

50 Robur lato dir. ferro] *hastâ breuiore, qua transfodiuntur apri. nos venabulum, illi προβόλιον, vel ζιβύνην, quod quale esse oporteat, docet Xenophon in Cyneget.*

52 Subsessor] *in insidiis latens, subsidens, occasionem captans feras occidendi, vel in laqueos agendi. sic Seruius. sed & bellici insidiatores,* subsessores, *& Vegetio lib. 3. de re militari, insidiæ,* subsessæ. ἔφεδροι *&* ἐφεδρείαι. *hinc ad thalamorum corruptores traductum, quos* subsessores *vocat Valerius Maximus, vt & Iouem Arnob. lib. 5. vide Turneb. lib. 5. cap. 8. & Budæum in Comment. ling. Græc. pag. 742. Puto nostrum subsessorem à Xenophonte vocari,* ἀρκυωρὸν, *retium custodem.*

Clamore] *Quales ponit Xenophon:* ἰὼ κύνες ἰὼ κακῶς, σαφῶς γε ὦ κύνες, ἕπεσθε ὦ κύνες. Io canes, Io segnis, benè ô canes, probè ô canes. *deinde:* εὖ κύνες, εὖ ὦ κύνες. bellè canes, bellè ô canes. *tum:* εὖγε, εὖγε ὦ κύνες ἕπεσθε ὦ κύνες. Euge, euge ô canes, instate ô canes. *denique* οὐ πάλιν, οὐ πάλιν ὦ κύνες. retrò, retrò ô canes.

55 Ades en comiti Diua] *Sollemne fuit venatoribus vt auspicatò venationem instituerent, initio Dianam (nonnumquam & Apollinem) inuocare, & partem prædæ polliceri, vt docet Xenophon in Cyneg.* καὶ εὐξάμενον τῷ Ἀπόλλωνι καὶ τῇ Ἀρτέμιδι τῇ ἀγροτέρᾳ μεταδοῦναι τῆς θήρας, *&c.* inuocato Apolline & Dianâ venatrice venationis partem pollicendo. *Sed & Ioui pars cedebat. Virgil. 3. Æneidos:*

——— ipsúmque vocamus
In prædam partémque Iouem ——— *vnde* ληΐστωρ *dictus prædator.* 56 Pars secreta] *nemora & incultæ siluæ: vel potiùs Inferi. nam Diana eadem Proserpina.*

56 Petitur telis fera] *erat enim montium & venatus Dea; quare* ἀγροτέραν *etiam vocant Aristophanes in Thesmophor. Philostratus in Imagin. & Plutarch. in lib. vtra animantia prudentiora, &c. noster* Agrestem *inferiùs;* Agreste placa virginis numen Deæ. *Pausanias refert huius Dianæ fanum fuisse propè Ilissum, in loco qui* Agre *dicebatur; quoniam ibi primùm venari Diana cœperit. de quo postea. Fuisse autem iaculatricem & ferarum interfectricem, cognomina quædam illius indicant. Orpheus & Homerus vocant* ἰοχέαιραν, *quasi dicas sagittis gaudentem; alij* θηροκτόνον *fericidam; vel* ἐλαφόνον *ceruicidam, vel* θηροφόνον *belluarum interfectricem nominarunt, testibus Suida, Hesychio, & Phornuto.*

57 Gelidum Araxem] *sic vocauit etiam suprà in* Medeâ.

58 Stanti] *constricto glacie.*

59 Getulos-leones] *Stephano* γαιτοῦλοι, *Artemidoro & Athenæo* γαιτύλοι, *Pomponio in intima Africâ; Sallustio antiquißimi Africæ incolæ: equos habuere deformes optimi ipsi equites, auctore Lucano libro 4. mores eorum describit Silius Italicus libro 3. & tradit assuetos*

Indomitísque loqui, & sedare leonibus iras.

ferocißimi enim leones illarum partium. Horatius:

Nec Iubæ tellus generat leonum
Arida nutrix.

Tua

Tua dextra] *at negat Homerus eam leonum venatione delectari: ſcilicet, quia de Tayzetis & Erymantho illi ſermo, quæ loca leonibus carent. Vide Pierium libro 7. Hieroglyph.) Nam quod noſter, idem quoque Claudian. in Panegyri de conſulatu Manlij.*

62 Ceruas] *Homerus etiam ſcribit Dianam capreis & ceruis delectari: & Pauſanias teſtatur in Eliac. Elæos Dianam colere ἐλαφιαῖαν: & ſunt non infrequentes nummi Hadriani Imp. & Galieni Imp. in quibus Dianæ nomini addita cerui effigies. Cretenſium fortè meminit, quia in Cretâ ceruorum multitudo, & illa nobiles oſtenſo mortalibus vſu dictamni.*

63 Damas] *damæ, ſpecies ſilueſtrium caprearum; mediæ inter feras & manſueta animalia, etſi ſerò manſueſcant. Vide Wotton. libro 6. de differ. animal. cap. 94.*

65 Villoſi-Biſontes] *Biſontem lib. 6. Cæſar cerui figurâ eſſe ſcribit; à mediâ fronte inter aures vnum cornu exſtare valdè excelſum & rectum, & ab eius ſummo ramos, ſicut palmas, latè diffundi: collum iubis villisq; contectum, (vnde Plinio li. 8. cap. 15 iubati) tradunt Strabo lib. 4. & Solin. cap. 29. Agit de iiſdem Wotton. d. li. 5. cap. 92. vbi miror quæ ex Gillio refert incerti auctoris verba dici, cùm Iulij Cæſaris perſpicuè ſint. fortaßis quia libros de bello Gallico non eſſe Iulij Cæſaris cenſuit; nec planè ſine causâ. nam animaduerti in Iacobi magni Sophologio, lib. 3. cap. 7. lib. 4. cap. 11. lib. 5. cap. 13. lib. 6. cap. 7. & 20. multa adduci ſub nomine Iulij Celſi de bello Gallico, quæ omnia reperiuntur in vulgatis Cæſaris Cõmentariis. Imò & Albertus Eybius Germanus paullo iunior Iacobo Magno, in Margaritâ poëticâ; cuius antiquum cod. vidi Moguntiæ in Societatis Ieſu collegio; ex nouem Iulij Celſi de geſtis Cæſaris adducit loca pluſquam* XXXIIII. *quæ cuncta in illis Cæſaris Commentariis inueniuntur: & poſtea fol. 153. littera L. hæc verba addit:* Iulius Celſus hiſtoriographus ſcripſit diligenter librum de bello Cæſaris; in quo multa doctrinalia & moralia continentur: vt ſuprà in libris illius poteris comprehendere. *vt videatur non omnino de nihilo eſſe, quorũdam Criticorum ſuſpicio; cui ſtabiliendæ hæc attuli, non meæ ſententiæ præiudicio. Biſontes, Dion in hiſtor. Auguſtâ Βίσωνες vocat. non rectè. Irenicus lib. 7. Exegeſ. cap. 11. contendit;* Vizontes *dici debere. quod quâ facilitate illi ſine probatione licuit affirmare, eâdem poſſunt alij negare.* De Comment. belli Gallici.

66 Latiſque feri cornibus vri] *Vera deſcriptio. Aimoin. li. 1. hiſt. Francor. cap. 2.* Tertium eſt genus eorum, qui *vri* appellantur: ij ſunt magnitudine paullo infrà elephantos, ſpecie & colore & figurâ tauri. magna vis eſt eorum & magna velocitas: neque homini neque feræ, quam conſpexerint, parcunt. hos ſtudioſè foueis captos interficiunt. *Et paullo pòſt:* Sed manſueſcere ad homines & manſuefieri, ne paruuli quidem excepti, poſſunt. Amplitudo cornuum & figura & ſpecies, multum à noſtrorum boum cornibus differt. *quæ ſunt ad verbum Cæſaris d. loco. Eadem Strabo lib. 4. Plinius d. cap. 15. Solinus cap. 29. Seruius & alij ad 2. li. Georg. Virgil. Vide Irenicum d. li. 7. cap. 12. Wottonum vbi ſuprà. Gloſſ. Græcolatin.* βούβαλος, Vrus bos ſilueſt.

68 Garamas] *noti populi Africæ, egeni, & mapalibus, pecorúmque pastione vagâ contenti.*

69 Pyrenes] *vide suprà Medeæ vers. 745. in Comment.*

72 Vagus Sarmata] Sarmatæ *&* Sauromatæ *ijdem, Dionysio versus gratiâ dicti* Samatæ; *Eudoxo* Syrmatæ, *à fluuio eiusdem nominis, apud Stephan.* Vagos *dicit, quia Sarmatas Nomadas esse, & huc illuc incertis vagari sedibus, Pausanias testatur in Attic. Alibi Seneca vocat intonsos.*

Intonsis teritur semita Sarmatis. *vt appareat comâ aluisse, sicut Franci. sanè libertatis tuendæ quàm studiosos, innuit Pomponius lib. 3. cap. 4.*

Vacuis] *incultis, solis, sine opidis.*

72 Diana] *à die dicta: quia lux eius æmula diei, vt innuit Cicero libro 2. de nat. Deorum. eumq́ imitatus Firmicus lib. contra Gentiles cap. 19. Luna* hæc, eadem *Lucina* à nocturno lumine nomen accepit: hanc etiam quidam dici voluerunt *Dianam*, quod per noctem lucens hominibus penè alterum diem faciat.

73 Tua si gratus numina, *&c.*] *si venanti adfueris, prosperè cuncta cedunt. ades autem illis, qui beneficij tui memores meritos honores tibi exhibēt. Honores hi, opinor: initio venationis illam inuocabant, & prædæ portionem spondebant, vt dixi: finitâ verò, prædæ caput vel pedes vel exuuias alias arboribus appendebant, vt Mycon ille poëticus;* Viuacis cornua cerui, *& docet Aristophanis Scholiast. apud Brodeum comment. in li. 2. Epigram. fo. 216. In honorem Dianæ certis diebus, vt Aug. eidib. feriabantur; quod tum illam vacare credebant. Papinius:*

—— ipsa coronat
Emeritos Diana canes, & spicula tergit,
Et finit ire feras —— *Deinde A. D. eid. Sextil. spicatas faces accensas in Dianæ nemora ferebant, canes infulis exornatos coram eâ sistebant, vnà cum omni venatorio instrumento. docet Gratius:*

Turneb. lib. 7. aduers. c. 26.

Spicatásque faces sacrum ad nemorale Dianæ
Sistimus, & solito catuli velantur honore:
Ipsáque per flores medio in discrimine luci
Strauêre arma sacris —— *quæ pertinent ad sanos etiam canes, & ad omnia nemora, non Aricinum dumtaxat, aut ægros. Omnes enim canes in Dianæ tutelâ: omnia illi nemora sacra credebantur; sicut Ioui omnia montium cacumina, Iunoni omnia prata, vt scribit Scholiast. Euripid. & Seruius in Virgil. petitq́ apud Callimachum à Ioue:* —— δὸς δ' ἐμοὶ οὔρεα πάντα.

Hinc Diana Latinis Nemorensis, Græcis νεμεσία.

—— da verò mihi montes omnes. *Horatius lib. 3. Od.*

Turneb. lib. 5. aduers. cap. 4. & lib. 6. c. 2.

Montium custos nemorúmque virgo.

Catullus in sæculari carmine:

Montium Domina vt fores
Siluarúmque virentium,
Saltuúmque reconditorum,
Amniúmque sonantium.

Scio peculiaria quædam in sacris Aricinæ Dianæ adhibita; cuius sacri meminere

nere Propertius lib. 2. Ouid. in Fastis, & Papinius in Siluis, & ex iis Lilius Syntagm. 12. Verùm quod de canibus Gratius dixit, commune omnibus etiam Græcanicis putauerim. De venationis autem inuentione, generibus, laude, vituperatione, nonnulla Io. Salisberiensis lib. 1. Polycratici cap. 4.

80 Faue] *fortè scrib.* fauet. *iam adest inuocata.*

81 Arguti canes] *latratores. sic loquacem vocat Plautus;* sine virtute argutum ciuem mihi habeam pro præficâ. *& Nonio, Argutari, loquaciter proloqui.*

85 Magna vasti Creta dominatrix freti] *Thucydid.* Nam Minos eorum quos audiuimus antiquissimus, classem comparauit, maximámq. partem maris, quod Græcum nunc dicitur, tenuit; Cycladum dominus, *&c. Et Minoëm Cretæ Regem omnes vicinas insulas sibi subdidisse scribit Apollodorus lib. 3. Biblioth. multa addit continentis opida maritima, post Callimachum, Iulianus, apud D. Cyrillum Alexandri. lib. 6. contra Iulian. causam reddit Aristoteles oportunitatem insulæ Cretæ li. 2. Polytic. c. 8. Hinc incipit Phædra Nutrici amorem suum detegere.*

93 Audacis Proci] *vide Apollon. lib. 1. à ver. 100. & ibi Scholiast.*

102 Palladis] *hanc nonnulli perperam cum Bellona confundunt. nam Bellona, quæ Græcis* ἐνύω. *videtur tamen & Tertullianus lib. de testimonio animæ, cap. 2. confundere, vt (Deo dante) ostendemus nostris in Tertullian. & alios Latinos Patres Racemationibus; si tanti illæ futuræ vt lucem ferre posse videantur. Firmicus quinque Mineruas seu Pallades ponit: vnam Vulcani F. quæ Athenas condidit; aliam Ægyptiam, Nili filiam, textrinæ magistram; tertiam Saturno genitam, illam bellatricem & pugnacem viraginem; quartam Iouis Cretici F. quæ occisum patri Liberum reuelauit; quinctam Titanidæ & Pallante satam, patricidam, & paternis exuuiis ornatam, ab hac dictum Palladium, hanc coli, hanc Pontificali lege seruari. auctores Firmicus cap. 17. Clemens Alex. in Protrept. Arnobius lib. 4. contr. Gent. post Tullium lib. 3. de nat. Deor. Apuleius autem lib. de Deo Socratis tres agnouit, scribens Ægyptiam plangoribus, Græcam choreis, Barbaram strepitu cymbalistarum & choraularum gaudere.*

103 Et inter ips. pensa lab. manus] *sic Ouidius 4. Metamorph.*

Et colus, & fusus digitis cecidere remissis.

104 Non colere, *&c.*] *sæuus & impotens tyrannus Amor, seruis suis nec loquendi, nec agendi, nec cogitandi aliud momentum liberum relinquit. ideo amantes omnes alia omnia, præter sua somnia negligunt, pietatem erga Deum, vt hîc Phædra; caritatē & sollicitudinē proximorū, vt Dido Æn. 4.*

Non cœptæ assurgunt turres, non arma iuuentus
Exercet, portúsve aut propugnacula bello
Tuta parant. pendent opera interrupta —— *contemnunt rem familiarem vt Corydon, cui;* semiputata frondosâ vitis in vlmo. *nullam honoris sui curam aut boni nominis habent, vt Sybaris adolescens apud Horatium Od. 8. lib. 1. Salutis denique & reliquorum curam abyciunt, vt paullo pòst væsana ista nouerca, cui:* —— nulla iam Cereris subit cura, aut salutis ——

Meritò igitur Socrates Xenophonti dixit: ei qui se in amoris retia iniecerit, mox repulsâ libertate seruitutis pistrino se mancipare, maximos sumtus in voluptates noxias facturum; à veri & honesti & boni indagatione vacaturum; in iis verò rebus, quas nec furiosus curarit, omne studium suum collocaturum. ἆρ' οὐκ ἂν αὐτίκα μάλα δοῦλος ἀντ' ἐλευθέρου εἶνε; πολλὰ δὲ δαπανᾷν εἰς βλαβερὰ ἡδονάς; πολλὴν δὲ ἀσχολίαν ἔχειν τοῦ ἐπιμεληθῆναί τινὸς καλοῦ κἀγαθοῦ; σπουδάσειν δὲ ἀναγκασθῆναι ἐφ' οἷς οὐδ' ἂν μαινόμενος σπουδάσειεν. *Xenoph.* ἀπομνημον. ά.

Donis] *rectè. quia donum propriè quod Deo dicatur, munus & id, & quod hominibus datur. Vnde Ouidius:*

Brisson. lib. 1. Formul. fo. 34

Munera, crede mihi, placant hominésque, Deósque:
Placatur donis Iuppiter ipse datis.

sed confundunt discrimen poëtæ. nam Tibullus lib. 1. *eleg.* 5. *ait:*
——— donis vincitur omnis amans. *& Seneca in Agam. equum Durium modò donum, modò munus nuncupat. propriè Afranius*, Fratriis *apud Nonium*: Nullam profectò accessi aram, quin Deos suppliciis, sumtu, votis, donis, precibus plorans, obsecrans nequiquam defatigarem.

Malè Paris. editio vltima; vatu, pro votu.

106 Iactare tacitis conscias sacris faces] *in Herc. Fur. ait Megara:*

tibi, frugum parens,
Secreta reddam sacra. tibi multâ fide
Longas Eleusi tacita iactabo faces.

vtrobique loquitur de Eleusiniis sacris; quæ ab Atticis virginibus & matronis honestis Eleusim proficiscentibus in Cereris honorem fieri solebant, quod Thelytus Methymnæus apud Theocriti Scholiast. docet. Dicta sunt Eleusinia, quia Eumolpi operâ Athenienses ea ab Eleusiniis acceperunt: siue illa inuenerit, Eumolpus; vt vult Androtion lib. 2. de sacrificiis; siue Danai filia, vt censet Herodotus in Euterpe. dicta etiam Thesmophoria. de quibus quia carptim tantùm loquuntur alij; quæ ego collegi, in vnum hîc fascem, exhibebo. Fuêre maiora & minora. Maiora antiquiora, & in Cereris potissimùm honorem; minora in Proserpinæ, diu posterius instituta, vt illis Hercules initiaretur. nam maioribus, quod peregrinus esset, non licebat, teste Cælio Rhodigino. Quod si verum, ambo Senecæ loca de Minoribus erunt, vt & illud Ciceronis lib. 1. *de nat. Deorum:* Omitto Eleusinam sanctam illam & augustam vbi initiantur gentes orarum vltimæ. *& Aristidis in Panathenaicis, quando docet quotannis maximam multitudinem initiatorum albo ascribi consueuisse. Dixi*; potissimùm Cereri. *nam vtraque, Baccho, Cereri, & Coræ communia fuêre, vt docet vetus inscriptio apud Goltzium in Thesauro pag.* 17. *Maiora mense Augusto, seu æquinoctio auctũnali celebrabantur, quod significant Polyæn. lib.* 2. *Stratagem. & apertè Seneca Herc. Fur. ver.* 841.

Schol. D. Augustini in li. 7. de ciuit. Dei, cap. 20. Alex. ab Alex. li. 2. Genial. dier. cap. 14. Lilius Syntagm. 14. Cælius lib. 16. antiq. cap. 9. Lazius lib. 10 comm. Rom. cap. 7 Natalis lib. 1. Mythol. c. 10. & lib. 5. c. 14. & Briss. lib. 1. de Formul.

Quanta; cùm longæ redit hora noctis,
Crescere & somnos cupiens quietos
Libra, Phœbæos tenet æqua currus;
Turba secretam Cererem frequentant,
Et citi tectis properant relictis

Attici

Attici noctem celebrare mystæ.

Etsi Plutarchus Iunio mensi id adscribat, id est, Boëdromioni, vt & iuxta nonnullos Thucydides, & Aristides, in Eleusiniâ, vbi docet Boëdromione mense solitam quoque Græciam frugum primitias quotannis Athenas, tanquam ad metropolim tum suam, tum frugum, deferre. Sed si verba illorum inspicias, videbis nos non cogi, vt ita intelligamus; nec vetari, quo minùs cum Gazâ lib. de mensib. Attic. Boëdromionem, Augustum interpretemur. Boëdromionis ergo XX. *die hæc mysteria peragebantur. Fauet nobis Demosthenes Olynth.3. Fauet Plutarchus in Camillo, & in Phocione, sed clariùs in Demetrio, vbi,* τὰ μικρὰ μυστήρια τοῦ Ἀνθεστηριῶνος ἐτελοῦντο. τὰ δὲ μεγάλα τοῦ Βοηδρομιῶνος. parua mysteria Anthesterione celebrantur, magna verò Boëdromione. *Sed quis mensis Anthesterioni respondet? Bapt. Pius ca.65. Posterior. annotat. Aprilem vult; Gaza, Nouembrem; Lalamantius lib. de anni ratione, Septembr. Guarinus & alij, qui censent fuisse Atticum mensem octauum, Ianuarium. Pius Macrobium testem aduocat li. 1. Sat. cap.8. Guarinus Suidam. Non defuit; qui in Appendice annotation. ad vitas Plutarchi, ex eodem Plut. in Syllâ, & Appiano lib.2. de bello ciuili, animaduertit principium Anthesterionis Martiis Kal. respōdere. cui, nunc quidē, assentior. Nam Seneca de minoribus Thesmophoriis agens in Herc. Oetæo, his versibus:*

Nos Cadmæis Orgia ferre
Tecum solitæ condita cistis,
Cùm iam pulso sidere brumæ
Tertia Soles euocat æstas,
Et spiciferæ concessa Deæ
Attica mystas claudit Eleusis.

Fiebant ergo ista minora singulis trienniis: & fiebant æquinoctio æstiuali, hoc est, ineunte vere. sed fiebant Anthisterione. Anthisterion ergo Vernus mensis. Hoc tempus. Argumentum certius. Nam Clemens Alex. in Protrept. docet, in maioribus, Iouis concubitum cum Cerere; in minoribus eiusdem incæstum cum Proserpinâ filiâ suâ, & inde natum tauriformem filium, celebratum: omniaq́; plena ibi impudicorum signorum, quæ nihil nunc necesse narrare fuit, cùm sacri Patres illa refellebant. quare explicarunt Clemens in Protrept. D. Greg. Nazianzen. in serm. de Epiphaniâ, Tertullianus lib. contra Valentinian. Tatianus Orat. contra Græcos, Eusebius lib. 2. præparat. Euang. cap.3. Athenagoras in legatione, Theodoret. lib.7. de curand. affect. Græc. Arnobius li. 5. cont. Gent. Firmicus de Gentilium errore cap. 27. & 28. & D. Augustinus libro 7. de ciuit. Dei cap. 20. Non initiatis ea reuelari non poterant; quos profanos vocabant. ideo Seneca; Eleusim tacitam, *&* sacra tacita *dixit. & Papinius:*

Túque Actæa Ceres, cursu cui semper anhelo,
Votiuam taciti iactamus lampada mystæ.

Ouidius: Quis Cereris ritus audet vulgare profanis?

Horatius: Vetabo, qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanæ, sub iisdem
Sit trabibus ——

Brisson. latè inuio d. lib. 1.

Arcebantur ergo profani. Profanos accipio, non tantùm qui non initiati, sed etiam scelerati & crimine aliquo impurati; nam hoc clarè edici solitum, docet Lampridius in Alexandro, eaq; de causâ Neronem veritum his sacris interesse, docet Suetonius in Nerone: contra M. Antonium M. philosophum sacrarium ingressum, eo quòd continentissimus esset, prodidit Capitolinus. Celebraturæ se nouem noctibus à Venereis abstinebant, teste Ouidio lib. 10. Metamorph. & 3. Amor. eleg. 9. abstinebant etiam à vino, si Plauto credimus in Aululariâ, & Macrob. lib. 3 Saturn. c. 11. & Dionysio Halycarnass. lib. 1. Antiq. Roman. qui addit Romanos ea sacra Græco ritu celebrasse. abstinebãt præterea à malis Punicis, iuxta Clementem Alex., quod ea ex sanguineis guttis Dionysi nata putarent. Igitur ita paratæ, albis vestibus induebantur (Ouidius 10. Metam. & 4. Fastor.) tempora cinctæ viticeis coronis, vel secundùm alios quernis, cubitis folia substernebant, iuxta Plinium lib. 23. Deinde prodibant præcedentibus virginibus canæphoris, quæ calathos seu cistas in capite gestabant, vt ex Claudiano, Propertio, & aliis patet: Theocriti interpres in his Calathis sacra mysteriorum verba, & libros ea continentes inclusos tradit fuisse; alij etiam cuncta mystica symbola & secreta; quæ ab Ecclesiasticis illis scriptoribus enumerantur. Mystis omnibus rituale, lampades seu faces manu ferre in quæsitæ à Cerere Coræ memoriam, quod ex Papinio & Senecâ apparet, & ex illo Claudiani: ——— sanctásque faces attollit Eleusis. *Atque sic mediâ nocte iter ingressæ, Proserpinam magnâ voce inuocabant, seq; inuicem scommatis excipiebant, vt docet Apollodorus lib. 1. Biblioth. & Natalis vbi sup. Nocturna autem hæc sacra fuisse, liquet ex Senecâ:*

Tectis properant relictis,
Attici noctem celebrare mystæ.

neque mirum, quia Attici diei initium à Solis occasu ducebant.

Symbolica verba initiatorum, ἐνήστευσα, ἔπιον τὸν κυκεῶνα, ἔλαβον ἐκ κίστης, ἐργασάμενος ἀπεθέμην εἰς κάλαθον, καὶ ἐκ καλάθου εἰς κίστην. *hoc est, interprete Arnobio*: ieiunaui, atque ebibi cyceonem, è cistâ sumsi & in calathum misi, accepi, rursus in cistulam transtuli. *Item*, ταῦρος δράκοντος καὶ ταύρου δράκων πατήρ. taurus draconis, tauri draco pater. *Denique, quod addunt Clemens & Eusebius*, In monte occultum bubulcus stimulum. *Firmicus cap. 28.* In Proserpinæ sacris cæsa arbor in effigiem virginis, formámque componitur: &, cùm intra ciuitatem fuerit illata, quadraginta noctibus plangitur, quadragesimâ verò nocte comburitur.

Stephani editionis Græcæ f. 21.

Iuxta Athenagoram in Legatione, vera & mystica Proserpinæ figura fuit, mulier quadriocula; duos in vertice, duos sub fronte oculos habens; cornibus minax. territam itaque Cererem, auersatam filiam quam pepererat, nec illi mammam præbere voluisse: inde mysticè ἀθηλᾶν, *hoc est, ablactatam vocari. Hæc Eleusinia sacra accepta à Græcis Romani* Cerealia *vocarunt, de quibus Politianus Miscellan. cap. 85. & Commentar. in d. cap. 20. D. Augustini, vel* Ceralia. *Glossarium*, Ceralia Δημήτρια ἑορτὴ Δήμητρος. *idq; duobus locis. Celebrarunt ea, sed peculiari ritu Pheneatæ, nominaruntq;* κιδαρία, *vt docet pluribus Pausanias in Arcadic.*

Conſcias] *ſic Propertius Romam conſciam;*

Quod faciat nobis conſcia Roma moram.

quem verſum non mutari à Criticis mauelim.

108 Adiudicatam Præſidem terræ Deam] *Mineruam, quæ Neptunum iudicio vicit. vide Ariſtidem in Panathenaicâ.*

110 Geſa] *quidam lib.* geſſa. *alij;* geza. *alij;* gæſa. *Scriptores cuncti Gallorum inuentum putant: at Athenæus lib. 6. videtur Hiſpanis tribuere, & Romanos huius teli vſum ab Hiſpanis accepiſſe. hodie ſanè, quod ſciam, geſis Galli non vtuntur; vtuntur Cantabri; quorum ego gentem;* Concanos; *ſolus apud Horatium olim in poſſeßione ſeruaui ex Silio Italico: nunc eoſdem reſtitui velim, vnde deturbati iniuriâ, apud Strabonem lib. 3. vbi malè legitur: κωνίακοι. ſcribendum, κώνκανοι ex Horatio & Silio. hos enim domuit Auguſtus. Caue cum Coniis Polybij confundas, vt quidam. Concani ad Pyrenæum, Conij ad fretum Herculeum habitabant.*

114 Genitrix tui me] *Euripides:*

PHÆ. O miſera mater, qualis te rapuit amor.

NV. Quo taurum amauit, filia? aut cur hoc dicis?

Paſiphaës turpis nequitia cum tauro nota vel ex Ouidio in Metamorp. Diodoro li. 4. Bibl. Porphyrio in lib de abſtinentia à carnibus. Mythologias pete à Plutarcho in præcept. Connubial. & Luciano lib. de Aſtrologiâ.

119 Dædalus] *pro quouis ingenioſo & induſtrio artifice poni ſolet. ideo addit,* quis Dædalus; *& ſubdit;* ſi ille. *quaſi dicat, Quæris artificem qui tuo queat amori adminiculari? ne ille quidem queat, qui artificio ſuo matri tuæ copiam amoris fecit. de Dædali in ſtatuariâ & Archytectonicâ arte atque præſtantiâ pleni veterum libri, Diodor. li. 4. cap. 13. Plato in Menone, Ariſtot. 1. Polyt. vide Adag. Δαιδάλου μάχαιρα. & Δαιδάλεια ποιήματα.*

120 Mopſopiâ] *Atticâ Virgilius in Ciri:*

——— ritu

Mopſopio tereti nectebat dente cicada *ſic vocati Athenienſes, non à vate Mopſo; ſed à Mopſo Rege, vel Mopſopiâ Oceani filiâ.*

122 Promittat] *lib. Moguntin.* promittet.

124 Cathenas] *Fabula notißima ex Ouidio, cui dediſſe cauſam Veneris & Martis concurſum prodidit Lucianus lib. de Aſtrolog.*

125 Omne Pheboœum genus] *explicet Ouidius in epiſt. Phædræ:*

Forſitan hunc fato generis reddamus amorem,
  Et Venus ex totâ gente tributa petit.
Iuppiter Europam (prima eſt ea gentis origo)
  Dilexit, tauro diſſimulante Deum.
Paſiphaë mater, decepto ſubdita tauro,
  Enixa eſt vtero crimen, onúſque ſuum.
Perfidus Ægides, ducentia fila ſecutus,
  Curua meæ fugit tecta ſororis ope.
En ego nunc, ne fortè parum Minoïa credar,
  In ſocias leges vltima gentis eo.

131 In

131 In primo obstitit] *pulcrè Lucretius lib. 4.*

Nam vitare plagas in amoris ne iaciamur,
Non ita difficile est; quàm captum, retibus ipsis
Exire, & validos Veneris perrumpere nodos.

132 Repulitq.] *script. li. Burd. & excusi plerią; continent*; pepulitque.

135 Vere insolens] *Moguntin.* Veri. *& ita omnes quatuor vett. excusi: sic etiam citat Eib. in margaritâ. cur ergo mutarunt Basileens. & ceteri?*

136 Ad recta flecti] *vt enim scribit lib. 6. de Benefic. cap. 30. Reges flecti, quàm vinci, non minus turpe existimant. ideo in Octau. dicenti Seneca Principem remittere aliquid, & cedere nonnumquam debere, respondet Nero,* fama sed *victum feret. versu* 577.

137 Quemcumq. dederit] *In Mogunt. hæc adhuc tribuuntur Nutrici: longè melius. nam non conueniunt Phædræ: saltem subsequens versus:*

Fortem facit vicina libertas senem.

Ait ergo Nutrix, non ignorare se quamtum periculum capiti immineat, ab amante & iratâ reginâ: audacter tamen moniturā quæ ex alumnæ vsu. quis fortem esse iubet ætatis beneficium. mors instans. Quod deinde scribitur: Obstare primùm est, velle nec labi viâ: Pudor est secundus nosse peccandi modum. *non conuenit huic loco. aptius collocetur alibi. nec inter versus tantùm aliqua turbela; sed ipsi etiam versus non sanæ mentis. Vulgò legebatur, & ita citat Eybius:*

Obstare primum est velle; nec labi viâ:
Pudor est secundus, nosse peccandi modum.

ego tamen putem hos duos vltimos versus hinc amouendos, & inferius collocandos, hoc modo:

Quod esse temet autumas dignam nece:
Pars sanitatis, velle sanari fuit.
Obstare primum est, velle nec labi viâ:
Pudor est secundum, & nosse peccati modum.

quod si cui probabitur, vt facilè probabitur sedulò rimanti: is hoc loco legat:

Fortem facit vicina libertas senem.
Quo miserâ pergis, *&c.* *reliqua secum ipsa mussauit Nutrix; hinc Phædram alloqui & increpare incipit.*

Fortem] *Solon, apud Plutarchum, quærentibus quâ fiduciâ minitanti mortem tyranno se opponeret, & quasi securus omnem tuendæ salutis curam abiiceret, Nihil se metuere fretum senectute respondit. Quid breui moriturus metueret? quô properabat?* 142 Grauas] *Mogunt.* aggrauas.

143 Monstra fato] *Stoicorum opinio. nam Peripatetici plerią; cum Aristotele li. 2. physic. peccata naturæ esse, monstra, & à casu nasci censuerunt. vide Dom. Sot. in li. 2. Phys. q. 6. Nonnullis tamen visum, etiam quâ monstra sunt, ea naturam intendisse, vt Marsilio Germano in li. 2. Physic. Notab. 8.*

146 Teneri crede] *sic Lipsienses ediderant, aliią; nonnulli. Lugdunens.* tum tu crede. *sed prius illud confirmant Mogunt. & alij m. s. item Herb. & Bernardini editio. Recētiores Veneti;* tamen crede. *pessimè. nam id ex gloss.*

157 Inter

157 Inter videntes omnia] *Iouem ac Solem, illum paternum, hunc maternum auum. Phœbum omnia videre aiebant, quia cuncta lustrat & conlucat; Iouem, quia implet omnia. Nihil enim Deo clausum; sed quæ nos dicimus, gerimus, cuncta audit & videt. Tertullianus li. de pœnitentiâ cap. 6.* Quantascumque tenebras factis tuis superstruxeris, Deus lumen est. *Viderunt ergo nihil Deo occultum, nihil abditum, vt ex Orpheo, Diphilo, & aliis probant Iustin. Martyr lib. de Monarchiâ, & Clemens Alexandr. libro 5. Stromat. vbi addit; iccirco à Ieremiâ Deum, dici Deum appropinquantem. Dracontius in Hexam. de Deo:*

Quem non obscurant quacunque ex parte tenebræ:
Nec cælantur ei quæcumque obscura geruntur.

Quid mirum, cùm semper nobis præsens in medio pectoris nostri Deus habitet? vide Senecam epist. 25, 41, 74, & 84. Deum cuncta cernere multis probat Arrianus de dictis Epicteti li. 1. c. 14. & Lactant. li. 6. Instit. cap. 24.

161 Conscius mentis pauor] *sic m. s. ad vnum omnes. sic quatuor primæ editiones. hoc ergo retinendum, nec* nox *illa iuniorum inducenda.*

163 Nulla securum tulit] *legi velim quæ ab Aristotele in hanc sententiam scripta lib. 9. Nicomach. cap. 4. & à Plutar. in lib. de tranquillitate animi. Elegantißimè noster epist. 106.* Securitatis magna portio est, nihil iniquè facere. confusam vitam & perturbatam impotentes agunt. tantum metuunt, quantum nocent: nec vllo tempore vacant. trepidant enim, cùm fecerunt, hærent. conscientia aliud agere non patitur, ac subinde ad se respicere cogit. Dat pœnas, quisquis exspectat: quisquis autem meruit, exspectat. Tutum aliqua res in malâ conscientiâ præstat, nulla securum. Putat enim se, etiamsi non deprehenditur, posse deprehendi: & inter somnos mouetur: & quoties alicuius scelus loquitur, de suo cogitat. non satis illi oblitteratum videtur, nõ satis tectum. Nocens habuit aliquando latendi fortunam, nunquam fiduciam. *En tibi optimum Senecæ commentar. ipsum Senecam. Vis alium? Victor Cartennensis Episcopus lib. de pœnitentia cap. 5.* Conscientia apud quam non moritur omne quod gerimus, quæ nos in factis nostris accusat & iudicat; quæ cùm non habeat loquendi vsum, nescit tamen tenere silentium. Potest conscius morte subduci, potest tibi ad tempus prodesse testis conscientia. Nec rectum superest, & sine te nõ est, hæret pectori, nec vnquam te deserit, & velut quædam pedissequa, nullo abs te temporis interuallo discedit, tenet te reum, & in suâ semper ditione captiuum. *&c. Mendosè hæc legi, fateor: & quomodo castigari debeant, non videre me, fateor id quoque: aliquid deesse augurer: an sic legendũ?* Potest conscius morti subduci: potest id tibi ad tempus prodesse. Conscientia hęc semper tecum est. *&c. vult, latere posse delinquentem, quia, qui id efferat, nullus; latendi fidem nocenti non posse contingere, quia non satis illi scelus occultum videtur. Iustus Lipsius corrigit:* potest tibi ad tempus procul esse: testis conscientia hæc tecum superest. *nondum conquiescit in his animus.*

167 Nec inhospitalis] *Moguntin.* non.

173 Aula] *Cur domus Minotauri vterini tui fratris, labyrinthus videlicet Dædali, caret inhabitante monstro maiore?*

177 Cogit sequi peiora] *Euripides:*

——— honesta quidem scimus & cognoscimus,
Sed non facimus ———

178 Vadit animus] *Moguntin.lib.* vadit auius. *scilicet furor.*

185 Regnat] *Euripides:*

Quisquis Amorem non magnum iudicat Deum,
Et inter dæmones omnes supremum esse:
Vel rudis ac indoctus est, vel omnis elegantię boníq. inexpertus,
Maximum hominibus Deum ignorat.

Simmias sic introducit loquentem Amorem:

γαῖα θαλάσσας τε μυχοί οὐρανίων πᾶς τε θεός μοι εἴκοι.
τῶν δ' ἐγὼν ἐκνοσφισάμεν ὠγύγιον σκᾶπτρον, ἐκράηνα τέσφιν θέμιστας.
Tellus marísq. recessus, cælestis etiam quilibet Deus mihi cedit.
Ab his ego remoui vetus sceptrum, & constitui ipsis iura.

188 Gradiuus] *Mars. Vnde sic dictus, vide Lilium Syntagm.10. & Iulianum Aurelium lib.1. de cognomin. Deor. cap.6.*

192 Figit sagitta] *Xenophon:* hinc verò est fortassis, quod Amores sagittarij dicuntur, quoniam formosi etiam eminus vulnerant.

194 Turpiter vitio fauens] *Burdegalens. Eguianus, Moguntin. manus. & quatuor excusi tres Veneti vett. & Herbipolens.* turpi seruitio fauens. *quid ni?* 196 Addidit] *Moguntin.* addit. *& inter lineas,* dedit.

197 Scilicet terras] *Moguntin.* cælos & terras.

200 Minimus] *ait Næuius.*

Ædepol Cupido, cùm tam pusillus sis, nimis multum vales.

201 Vana ista] *Archias:*

Nullum amor offendit, prauis occasio sed fit
Mentibus ille hominum; quos mala multa iuuant.

Confer hæc cum iis quæ habentur Octauiâ, *à versu 551.*

Asciuit] *Moguntin.* acciuit.

203 Quisquis] *quidam libri* dum quis. *In sequenti versu; Moguntin.* appetit; *pro, vt alij,* appetens.

204 Hunc illa magnæ] *sic Basileens. Lugdun. & Lipsiens. at olim vett. excusi & Eib.* Tunc illa. *Moguntin.* & illum magnæ. *non malè quo ad sententiam, malè quoad numeros. Ex copiâ libidinem nasci certum. & Phocylides testatur:*

Vtiliter nulli nimia est data copia victus.
Hoc stimulo in turpes homines pelluntur amores.

208 Cur in penates] *Euripides* : In copiâ Venus, non in inopiâ. *Athenæus lib.*1. In abundantiâ enim Venus. In malè victitantibus non inest Venus mortalibus.

222 Canásque] *sic Lipsiens. malè. nec melius Mogunt.* Catúsque. *quis Cattum inferis custodem præfecit? ceteri;* Canísque. *Cerberus.*

223 In-

223 Inueniet] *soli Lipsiens.* inuenit.

226 Antiope] *Pausanias*: Athenienses verò cùm ad vrbem Amazones aduentarent, à Molpadiâ confixam sagittâ Antiopam memorant.

Manum] *Ouidius in epist. Phædræ*:

> Prima securigeras inter virtute puellas
> Te peperit, nati digna fauore parens.
> Si quæras, vbi sit: Theseus latus ense peregit,
> Nec mater tanto pignore tuta fuit.

229 Feminæ nomen] *singulares sunt Lugdunens. qui;* femineum nomen. *nosse velim vnde id acceperint; alioquin non placet.*

230 Cælibi vitæ] *hanc, vel Terentio teste in Adelph. veteres Fortunatam putabant, sed & cælo dignam. Festus*: Cælibem dictum existimant, quòd dignam cælo vitam agat. *idem Priscianus putat. alij â Græco κοίλυψς, hoc est, concubitu carens, deducunt.*

235 Resistet] *exspectabit, manebit, non fugiet. sic Herc. Fur.*

Resiste Theseu —— *Liuius lib. 1.* Restitêre Romani, vt cælesti voce iussi. *Hunc ego versum adhuc Phædræ; sine interrogationis notâ: sequentem tribui Nutrici, exiguâ mutatione, legēdo affirmatiuè, per amaram ironiam. quasi dicat. ita est. mutabitur ille tibi. castitate relictâ, impudicitiam sectabitur. odium in feminas omnes, nouercæ in gratiam, amore femineo commutabit. stolida hæc fiducia. crediderim potiùs, tuâ illum causâ femineum sexum exsecrari. Intelligit nutricis mentem Phædra, & ad alia consilia se conuertit.*

241 Patris] *iusti scelerum vindicis.*

Matris] *cuius pectus nefarij amoris capax.*

241 Genus omne] *sexum femineum.*

248 Pars sanitatis] *iam suprà monui hunc versum non rectè collocatum.*

252 Hæc sola ratio] *Crates:*

> Fames amorem sedat. hæc si non potest;
> Hoc grande saltem tempus efficit. nisi
> Præstare tempus hoc queat; reliqua salus
> Est laqueus, quem aptes tibi ——

vide Ausonium in Epigr. cuius initium: Suasisti Venus alma, *&c.*

255 Dignam ob hoc] *ego sic ex coniecturâ:*

> —— dignam ob hoc vitâ reor:
> Quòd esse temet autumas dignam nece.
> Pars sanitatis, velle sanari fuit.
> Obstare primum est velle, nec labi viâ:
> Pudor est secundum, & nosse peccati modum.
> PHÆ. Non omnis animo, *&c.*

Similia his D. Gregorius Nazianz. in Apologet. Magnum (*ait hominibus*) atque amplum esse, si minus id, quod rationis primum est seruauerint, vt nullum scilicet in errorem delabantur: at certè, quod primo proximum, corrigere velint, & in viam, ab errore, reduci se patiantur.

 Rectè.

Rectè. nam (*vt in Scholiis tradit Elias Cretensis*) hæc vel ſola iis, qui in peccatum lapſi ſunt, medicina relicta eſt.

258 Laqueóne] *Lucilius*:

Suſpendátne ſe, an in gladium incumbat, ne cælum videat.

Incumbere ferro etiam Ouidius dixit lib. 4. & 14. Metamorph. Tamen id minus Latinum eſſe voluit noſter Aluareſius, quàm incumbere in ferrum.

259 Arce] *Acropoli. de quâ Pauſan. in Att. & integro volumine. Heliod.*

260 Pro caſtitatis] *Fabric. hunc verſum malè attribuit* NVT. *ceteri omnes, Phædræ. ſunt qui emendent*; pro caſtitate, *perſpicuâ ſententiâ.*

268 Contemne] *victa alumnæ pertinaciâ anus, ſe ad Lenoniam accingit: & impellit in ruinam, quam retinere non poterat.*

IN CHORVM.

Amoris potentiam decantat, quaſi ius in ſuperos, inferosq́; in homines omnis ætatis & ſexus; in bruta, terreſtria, aëria, aquatilia obtineat. Initio autem ſuſpicio me ſubit vel lacunam aliquam, vel ἀταξίαν quampiam ſubeſſe.

273 Diua-generata ponto] *Catullus*:

Nunc ô cæruleo creata ponto

idem tradunt Heſiodus in Theogon. Pauſanias in Corinth. & Philoſtratus lib. 2. Imagin. Ex Cicerone 3. de nat. Deor. didici quattuor olim fuiſſe Veneres: vnam, Cæli & Lucis F. aliam, ſpumâ maris genitam, è quâ & Mercurio ſit natus Cupido: tertiam Iouis & Diones F. Vulcani vxorem, Anterotis matrem: quartam Syri & Syriæ F. Aſtarten vocatam, quæ Adonidi nupſit, de qua eſt Luciani liber de Syriâ Deâ, & multa Appuleius lib. 8. de Aſino. hæc Dea Sidoniorum ἀςάρτη, Hebræis Aſthoreth עַשְׁתֹּרֶת *3. Regum 11. & 4. Regum 23. Poëtæ vt plurimum de ſecundâ intelligendi. Hæc Cynara meretrix fuit, cuius digna tali numine myſteria deſcribunt Clemens Alex. in Protrept. & Arnobius libro 5. contr. Gentes.*

274 Geminus Cupido] *Orpheus, ſiue Proclus*:

Cantamus Veneríſque genus, fontémque perennem,
De quo immortales nati dicuntur amores,
Aligeri —— *Cicero 3. de natura Deorum plures ponens cupidines, duos ex Venere vult natos Erotem & Anterotem. Valer. Flaccus li. 7.*

Tum Venus aligerûm mater ſic fatur amorum.

Silius Italicus tres ponit libro 7. & 11. Papinius lib. 1. Siluar. & in Epithal. Stellæ multos Veneri filios amores tribuit; & in Tiburtino Manlij loquens de Venere: —— volucres vetuit diſcedere natos.

apud Coluthum Thebæum bis, multi Cupidines vocantur Veneris filij. idem probatur ex lib. Apuleij 10. hæc communis traditio. Nam Sappho Cupidini tribuit matrem terram, patrem cælum; Simonides, Martem & Venerem; Ibycus & Heſiodus ex Chao natum volunt: Auctor Hymni in Orpheum, Saturni F. dicit. vide Apollonij Schol. in lib. 3.

274 Impotens] *nimis potens, iuxta Donatum in Andr. act. 5. & Nonium, qui adducit locū Ciceronis Tuſcul. 5* qui nihil metuant, nihil agant, nihil concupiſcant, nullâ impotentiâ efferantur. *Nimirum ſolet*; In, *augere*

gere vim vocis cui præponitur, vt indurus, *apud Ouid. lib. 16. Metamorph.* inualidus, *apud Lucret. lib. 1. sic Martianus de Cupidine lib. 1.* nunciauit impotentiam pharetrati volitantísque superi.

275 Acre nitens] *Moguntin.* Acre renitens. *superest syllaba. hinc vett. impreßi Herbipolens. Venet. Basil. Lugdun. Lipsiens. Complut.* acre nitens. *malo tamen* & renidens, *vt manusc. plerique & in seq. versu, pro;* iaculatur, moderatur. *quod olim à me iam præmonitum.*

280 Non habet latam] *Herbipol. & quidam Veneti;* tantam, *pro;* latam. *totum verò carmen deest Moguntin.*

285 Quæque ad occasus] *iam pridem monui in scriptis codicibus alium versum contineri: post me, alij idem ex suis. rursus addo Eguian. & Mogunt. id confirmare. omnes ergo manusc. vnanimiter habent:*

Quæque ad Hesperias iacet ora metas.

pro isto: Quæque ad Occasus iacet ora seros. *Nisi quod Moguntinens. vtrumque simul habet.*

286 Maioris] *vet. lib. nonnulli;* Parrhasiæ. *quod magis mihi satisfacit.*

300 Ales] *olor, Ledæ causâ.*

304 Pérque fraternos-fluctus] *Homericus Neptunus, ait:*

Tres enim ex Saturno sumus fratres, quos peperit Rhea,
Iuppiter & ego, tertius autem Pluto inferis imperans.
Trifariã autẽ omnia diuisa sunt, quisq. verò nactus est honorẽ.
Certè ego sortitus sum canum mare habitare semper,
Motis sortibus ——

Mala regna] *sic meus m. s. sic Eguian. sic Mogunt. qui tamen inter lineas;* noua. *quod amplexi, tres Veneti, & Herbipol. Vtraque lectio potest defendi.* Noua, *quia tauro nouum mare, Ioui fluctus insolitum territorium.*

308 Arsit obscuri] *Amasium suum Endymionem in Aselenis montibus, Latmiisq. saxis, in Cariâ Luna æterno somno consopiuit, vt docent paßim poëtæ & Apollodorus lib. 1. Biblioth. venire eò interdiu Lunam, & in hoc antro cum Endymione quiescere testatur Sappho; & Nicander lib. 2. de Europâ, & lib. 2. Ætolicorum; Theopompus, Pisander, Acusilaus, Pherecydes & Hesiodus. De Endymione à Iunone etiam adamato, & Zelotypiâ Iouis, quædam ex Epimenide & Magnar. Oearum auctore refert Apollonij Scholiast. in lib. 4. versu 57. vbi etiam ex Ibyco, & aliis causas fabulæ, & Adagionis* Ἐνδυμίωνος ὕπνος *refert varias, vt & Plinius libro* 11. *Lucianus libro de astrolog. & Alexander Aphrodis. in Problemat.*

311 Nocturnas bigas] *totam curruum Solis & Lunæ fabulam paucis complectitur Fulgentius:*

Soluerat igniuomus, mundi regione peractâ
Quadrupedes, gelidúmque rotis tepefecerat orbem
Rector, & auratis colla spoliabat habenis.
Iam Phœbus disiungit equos, iam Cynthia iungit:
Quásque soror liquit frater pede temperat vndas.
Tum Nox stellato cælum circumlita peplo

Cærula rorigenis pigrescere iusserat alis:
Astrigeróque nitens diademate Luna bicornis
Bullatum biiugis conscenderat æthera tauris.

Solis equi quattuor, Ouidio, 2. Metamorph.

Interea volucres Pyroïs, Æöus, & Æthon
Solis equi, quartúsque Phlegon, hinnitibus auras
Flammiferis implent —— *Duo tantùm nominantur à Martiale*, Xanthus & Æthon. *Vt Soli quadriga, sic Lunæ biga tribuitur. Tertullianus lib. de Spectaculis, cap. 9.* De iugo verò, quadrigas Soli, bigas Lunæ sanxerunt. *Ex eo quibusdam additis multa mutuatur Isidorus lib. 18. Origin.* Quadrigas Soli, Bigas Lunæ, Trigas Inferis, Seiugas Ioui, Desultores Lucifero & Hespero sacrauerunt: *& mox singulorum causam exsequitur. de Lucifero, ex Statio & Luctatio id aliis obseruatum, solitum manè & vesperi equo vti mutato: addunt colores; matutinum album, vespertinum atrū. Dubito: num ex Isidoro? at ille Lunæ id tribuit apertè, cum causâ quòd nocte & die conspicua. Sanè Sulmonensis vates fuscum Hespero equum; sidereus verò ille Pedo ambos, quod vidêre, equos eidem fuscos adscribit. Vt planè penes me nutet illud Luctatij, sideribus singularem equum tribuentis. nam & Iouis & Martis sidus nemo nescit: illi tamen seiuga ab Isidoro; huic currus cum bigis vel quadrigis à poëtis datur. De Trigis etiam inferorum, non constat. nam Claudianus Orpheum secutus, Quadrigam Plutonis obtrudit. De Lunâ noster inferius. Herc. Oetæus.*

Cuius ad primos Hecate vapores,
Lassa nocturnæ leuat ora bigæ.

Manilius: Quadriiugis vt Phœbus equis, & Delia bigis.

Papinius: Roriferâ gelidum tenuauit aëra bigâ.

Idem docet Varro, citandus inf. versu 843. Cassiodorus autem lib. 3. Varior. ad Faustum de Circensibus: Biga quasi Lunæ, quadriga Solis imitatione reperta est. Equi desultorij, per quos Circensium ministri missos denunciant exituros, Luciferi præcursorias velocitates imitantur. *Lunam modò ab equis, modò à tauris trahi significauit Fulgentius. Equos tribuunt Homerus in Hymn. Manilius, & Ouidius; quorum vnum atrum, album alium scribit Boccatius libro 4. Genealog. Deorum: vaccas alij tribuunt. Ausonius*: Iam succedentes quatiebat Luna iuuencas. *Prudentius de eadem*: Nunc biiugas frenare boues —— *at Auienus & Claudianus* iuuencos *seu boues mares; ad sterilitatem Lunæ spectantes, vt & ij qui mulas currui eius iunxere; Qui ceruos, ad Lunæ in cursu suo perficiendo velocitatem attenderunt, vt Claudianus alibi:*

Dixit (*Luna*) & extemplò frondosâ fertur ab Alpe
Trans pelagus. cerui currum subiêre iugales.

312 Gyro] *Gyrus metæ flexus est. Ausonius ἀρχαικῶς* gœrum *vocauit.* Flecti] *malè quidam*; flectit.

315 Grauiore curru] *grauior currus, non quia alius, sed quia mutatus auriga. solebat Luna, nunc Sol.*

316 Pha-

316 Pharetras] *vna vet. editio Veneta*; sagittas.

319 Rudibus] *incomtis, & nullâ lege componi vel ornari solitis.*

325 Deiecta] *in meo manusc.* reiecta.

332 Cingitur] *Moguntin.* tingitur.

Quaque ætherio] *Sic Tibullus:*

Iam nox ætherium, nigris emensa quadrigis
Mundum —— *sic o.l.s. quos ego vidi, & Herbipol. Basil. Lugdunens. Complut. Lipsiens. & alij. Veneti mendosè*; Quáque & æthério. *Membranæ Lipsij* Quáque per ipsum candida mundum. *Siue sic, siue vt ceteri, sensus idem. & fortè non interpolatum id à quoquam: & vox*; ipsum *docet per ἀντονομασίαν potiùs, quàm ἁπλῶς hoc loco mundum pro cælo poni. alibi frequenter absolutè cælum mundus dicitur, vt olim docui.*

333 Hæc regna] *cælum, mare, terram. Pintian. li.* Hic regna. *alt. præfero.*

335 Grex Nereidum] *Nerei & Doridis filiæ, marinæ nymphæ quinquaginta, apud Orpheum in Hymn. Pindarum in Isthm. Hesiodum in Theogon. qui & nominat. eædem* Nerinæ. *Aliæ*, Oceaniæ, *seu* Oceanitides, *Oceani & Thetyos natæ, quas ter mille tradit Hesiodus, ducentas Virg. 4. Georg.*

337 Ignes sentit] *Nunc ad bruta de quibus Nemesianus eclog. 4.*

Cerua marem sequitur, Taurum formosa iuuenca,
Et Venerem sensere lupæ, sensere leenæ,
Et genus aëreum volucres, & squamea turba,
Et montes, siluæque, suos habet arbor amores.

339 Si coniugio timuere] *Cassiodorus 1. varior. epist. ad Crispinianum.* Feris insitum est copulam suam extremâ cõcertatione defendere: dum omnibus est animantibus inimicum, quod naturali lege damnatur. Videmus tauros feminas suas cornuali concertatione defendere, arietes pro suis ouibus capitaliter insæuire, equos adiunctas sibi feminas colaphis ac morsibus sibi vindicare. ita pro copulatis sibi animas ponunt, *&c.* 341 Mugitu] *non malè. nec peius alij appositiuè:*

—— & mugitus, dant concepti
Signa furoris —— *Porrò cerui non rugiunt, nisi quo tempore soboli procreandæ dant operam: tunc maximè, adeò vt tempus illud à mugitu Hispani vocent* la brama *Ceruorum*, bardire *&* rugire. *Gloss.* ἔλαφος κρώζει, bardit, rugit. *aliàs* mugire, *boum proprium. Varro Aboriginib.* Mugit bos, ouis balat, equi hinniunt, gallina pipat, grunnit lepido lacte satur molâ mactatus porcus. *Sed quid prohibet ex aliis etiam alia de bestiarũ sono addere, non vbique obuia? Ælius Spartianus, in Getæ vita*; Agni balant, porcelli grunniunt, palumbes minuriunt, vrsi sæuiunt, leones rugiunt, leopardi rictant, elephanti barriunt, ranæ coaxant, equi hinniunt. *Addo hirundines* fritinnire, *coruos* crocitare, *turtures* gemere, *lupos* vlulare, *vt & caninum genus, cui etiam tribuitur*, nictare, latrare, gannire, hirrire, ringere. *asini* rudunt, *hirci* hirquitalliunt, ganniunt *vulpes*, *cygni* drensant, *anseres* gingriunt, *cameli* blatterant, *gallinæ* glociunt *&* glocidant, *miluij* iugerunt, *grues* gruunt, *minutæ aues* minuriunt, *vt Festus docet.*

hæc certiora, quàm quæ auctor carminis de Philomela.

343 Virgatas Tigres] *Euripides Tigrim* στικτὰν καὶ βαλίαν. *variam, & maculosam. Silius:*

Caucaseam instratus virgato corpore tigrim.

India decolor] *fusca, nigra, sine colore. volunt nigredinem colorũ esse priuationem poëtæ: sed falsò. Ouidius:*

Decolor extremo quâ cingitur India Gange.

350 Lucæque boues] *Ausonius:*

Declinas, vt Lucas boues
Olim, resumto præferoces prælio,
Fugit iuuentus Romula.

de elephantis agens in Zeuxi Lucianus, valdè memoriâ labitur, nam cùm bis dixisset vndecim tantùm in prælio habuisse elephantos Antiochum contra Galatas; quodam tamen inter duos illos medio loco scribit, quattuor illum in cornibus, octo in mediâ acie statuisse, nisi fortaßis pro ὀκτὼ *reponendũ* ἑπτά. *Sed ad rem,* Luca bos, *elephas;* Lucana bos, *vacca Lucanica. Luciliusq́;* tauros Lucanicos *dixit, non de elephantis, sed veris tauris:*

Quem neque Lucanis oriundi montibus tauri
Ducere protelò validis ceruicibus possent.

Glossar. elephantus, vocluca, barrus. *rectè Lipsius legit;* Bosluca. *de elephantis copiosè Wottonus lib. 5. de differ. animal. cap. 75.*

252 Odiúmque perit] *lectu dignißimi sunt de hac re Boëtij versus lib. de consolat. philosoph. in Metro cuius initium:*

Quod mundus stabili fide, *&c.*

355 Sæuas nouercas] *Euri.* Inuidere ait nouercas liberis. *Idem Alcestid.* Hostis nouerca antè natis liberis,
Nihilóque mitior nocente viperâ.

Item: Priuignis semper nouercæ infestæ sunt.

Cura] *amor. effectus pro caußâ.*

IN ACT. II.

Aggrediuntur Hippolytum primò Nutrix, deinde Phædra, & iuuenis castißimi pudicitiam blanditiis, lenociniis, fletu lacrymis, audaciâ nituntur expugnare. superat ille omnia, & repellit impudicos conatus: Ad fraudem & mendacia tandem muliebri perfidiâ se conuertunt.

356 Altrix] *Volunt transpositum esse hunc versum, & infra inserendum in fine scenæ huius: sed nec illic aptus. Si hoc loco, cum cunctis exemplaribus, tuearis, dicendum; verba Phædræ esse, quæ moræ impatiens, confestim vt Nutricem venientem conspexit, etsi Nutrix nondum quicquam cum Hippolyto egerat; quasi iam diu abfuisset, percunctatur: quid responsi? vbi est? méne accersit, an ad me ille? At Nutrix videns tantam alumnæ vesaniam, antequam illi respondeat, ad spectatores conuersa, magnitudinẽ furoris declarat, dicens:*

Spes nulla tantum posse leniri malum, *&c.*

359 Torretur] *Virgilius:* Interea tacitum viuit sub pectore vulnus: Vritur infelix Dido.

360 Furor

360 Furor] *Furorem posuit pro amore: quod Platoni placuit li.3. de repub. & Ciceroni 4. Tusc. Eum tegi non posse etiam alij prodiderunt. Ouidius:*

Quóque magis tegitur, tanto magis æstuat ignis.

Idem: —— Quis enim bene celat amorem?
Eminet indicio prodita flamma suo.

Antiphanes: —— κρύψαι Φειδία
ἅπαντα τ' ἄλλα τις δυναίτ' ἂν, πλὴν δυοῖν,
οἶνόντε πίνων, εἰς ἔρωτ' ἐμπεζών.
ἀμφότερα μηνύει γὰρ ἀπὸ τῶν βλεμμάτων,
καὶ τῶν λόγων —— *citat Athenaeus libro 2.*

—— celare, Phidia,
Præter duo, quis reliqua possit omnia:
Amore captus si sit, aut sit ebrius.
Oculis ab ipsis etenim vtrumque proditur,
Itémque verbis ——

362 Nil idem dubiæ placet] *nulla enim animi, nulla corporis quies in hoc affectu. acutè id Hieron. Amalthaeus:*

Perspicuus vitro puluis qui diuidit horas,
Dum vagus angustum sæpe recurrit iter;
Olim erat Alcippus; qui Gallæ vt vidit ocellos
Arsit, & est subitò factus ab igne cinis.
Irrequiete cinis, miseros testabere amantes,
More tuo, nullâ posse quiete frui.

363 Dolor] *amor ergo nostro, insania, cura, furor, dolor. veriß.*

366 Nec se quieti] *Mogunt. Herbip. & tres veneti;* nunc se. *optimè.*

374 Populatur] *omnem vim ac virtutem destruit ac deprædatur. hæc vis verbi. noster alibi:*

Igne furtiuè populante venas. *& Agamemn.*
Arcadij populator agri.

quid si ita Pacuuij illud accipias in Chryse:

Atque ita vt promeruit pater, patriam mihi populauit meam.

quo tamen solo fretus testimonio Nonius, num nutans? populare *exponit, populi amorem conciliare.*

380 Perfusæ niues] *sic Papinius 2. Thebaid.*

Ibant in lacrymas: veluti cùm, vere reuerso,
Bistoniæ tepuere niues; summittitur ingens
Æmus, & angustos Rhodope descendit in amnes.

381 Patescunt regiæ fastigia] *quid sibi volunt veteres edition. in quibus* pat. reg. fast. domus? *nam quod Moguntin.* patebunt, *vitiosum.*

384 Remouete famulæ] *ad prima Nutricis verba sup. versu 357. Phædra immemor suæ interrogationis, dum Nutrix populum alloquebatur, ex illius se conspectu & publico proripuerat. nunc iterum prodit in scenam. Nisi quid simile dicas, valdè de loci sententiâ laborandum.*

Purpuram] *plerique codices* purpurâ.

 385 Tyrij]

385 Tyrij] Tyrus, metropolis Phœnices; quondam septingentis passibus à continente diuisa mari profundissimo, sed Alexandri Magni iussu, aggeribus congestis continenti iuncta. nobilis tincturâ purpuræ. Hebræis צר Zor.

386 Quæ fila] suspicor hic aliquid vel superesse, vel deesse. an fortè leg.?

——— muricis Tyrij rubor,
Et fila ramis quæ vltimi Seres legunt.

Seres] de serico multa Tiraquellus in legib. connubial. leg. 3. num. 18. de eodem & bombycino Baifius lib. de re vestiariâ, cap. 5. & 6. & Brodeus li. 2. miscellan. cap. 22. de iisdem & bisso Volaterranus lib. 28. Comment. Vrban. & Pet. Faber lib. 1. Semestr. cap. 16. Inde discant iuuenes, sericum arboribus depecti, byssum instar lini terrâ edi, bombycinum à vermiculis gigni. priora duo, volunt quidam penitus interisse. falsum id. nam sericum illud antiquorum, in Taprobanâ, Tartariâ, Chinâque, quin & Calabriâ hodie depecti arboribus, confirmat Iul. Scalig. exercit. 158. cap. 9. Quare fallitur etiam Cardanus, qui lib. 9. de subtilit. pag. 363. censet sericum antiquorum verè bombycum opus fuisse, & de arboribus confictam fabulam, vel quia hoc verisimilius videbatur, vel quia apud Seres bombyces in siluis nascerentur, vel quòd incolæ serici originem sic occultare se commodius posse crederent. Scio Pausaniæ id visum Eliac. lib. 2. vt & Pisidæ & Suidæ, & Seruio. sed his res minus perspecta. de arborum lanugine docent Plinius li. 6. cap. 17. Dion lib. μγ´. Strabo lib. ιε. Arrianus in Periplo maris rubri, Virgilius, Claudianus, & alij plurimi. Byssum Hebræorum commendat Pausanias, & in totâ Græciâ non nisi in Elide na[illegible]i Eliac. lib. 1. Hodie etiam apud Belgas existimo byssum nasci. quid enim aliud tenuissimum illud & pellucidum Cameracensium linum? nisi fallor, has D. Hieronym. lib. 2. in Iouinianum Atrebatum indumenta, propter viciniam populorum, vocauit.

387 Expeditos] breues & ad latus apertos, vt femora nuda: vel sinus vestium in pectus reductos. nam vterque habitus Dianæ, eiusq; comitum. Arnobius lib. 6. Semitectis femoribus Diana. Liuius Andronicus:

Et iam purpureo suras include cothurno,
Baltheus & reuocet volucres in pectore sinus,
Pressaquè iam grauidâ crepitent tibi terga pharetrâ.

Virgilius 1. Æneidos:

Namque humeris de more habilem suspenderat arcum
Venatrix, dederatque comas diffundere ventis,
Nuda genu, nodóque sinus collecta fluentes.

Claudianus libro 2. de raptu, sic vestit Dianam:

Brachia nuda nitent: leuibus proiecerat auris
Indociles errare comas: arcúque remisso,
Ocia nèruus agit: pendent post terga sagittæ:
Crispatur gemino vestis Gortynia cinctu,
Poplite fusa tenus ———

388 Monili] ornamenta muliebria à Prudentio enumerantur in Symmach. libro 2.

——— crina-

—— crinalis acus, redimicula, vittæ,
Fibula, flammeolum, strophium, diadema, monile.

389 Diducat aures] *Seneca lib. 2. de tranquill. vitæ cap. 14.* Quid refert, quantum habeat, quot lecticarios, quàm oneratas aures? *& Claudianus:* —— baccis oneret candentibus aures. *plura Faber lib. 1. Semestr. cap. 16.*

390 Donum maris] *nam in conchiliis marinis innascitur. norunt id Lusitani mercatores, quibus illa margariti piscatio curæ in Indico mari.*

396 Qualis] *De Amazonibus multa Apollonius & eius Scholiast. in lib. 2. quædam nos in Claudianum.*

398 Nodo comas] *sic Horatius* crinem nodo cohibere; *Ouidius*: in nodum colligere; *Curtius Ruffus*, nodo sinus vestis colligere.

401 Depone] *Moguntin. manusc. & Herbipol. Veneti & Lugdun.* Sepone. *nec multum refert, vtrum hic versiculus sequenti postponatur.*

403 Agreste numen] *sic vocat. quia Græci ἀγροτέραν Ἀρτέμιν coluerũt, teste Pausania in Attic. Artemidoro lib. 2. & Polluce lib. 5. Dianam inuocat, non amantium modo more; sed etiam peculiari de causâ, vt patrium numen; nam Creta Dianæ sacra propter copiosum venatum, vide Agamem. 341. in comment. vt etiam Hippolyti Deam, cui nihil ille negaturus.*

405 Vna solis montibus] *respicit ad Dianam ὀρειὰν, de qua Hesychius, seu ὀρεσίφοιτον vt vocat Phurnutus.*

414 Inuerte mentem] *Moguntinens. Herbipolens. & tres Veneti;* Innecte. *quod in tanto manusc. consensu, miror cur Basileens. ni fallor, primi, mutarint. vult Hippolyti animum in amoris retia pertrahi. aptum vocabulum venatrici ac venatori.*

415 Huc vires tuas] *magnæ Hecates vires. ideo illi* potentis *peculiare epithetum. Catullus*:
Tu potens Triuia. *Virgilius*:
Voce vocans Hecaten cælóque Erebóque potentem.

417 Cornibus] *taurino vultu Lunam vocat Synesius:*
Σοί δ᾽ ἁ ταυρῶπις μήνα. Tibi taurina fronte Luna.
vel quia quando alinoïdes est, apparet cornuta; vel quia bos ei apud Ægyptios sacra, teste Eusebio libro 1. præparat. Euang. cap. 6.

420 Nullúsque] *propter Endymionem dictum, de quo paullo antè.*

422 Solemne] *agresti Dianæ operantem.*

426 Haut est fac. mand. scelus audere] *Eibius, Herbip. & tres Veneti;* audire. *hoc sensu, non est facile obedire mandato sceleri, scelestis iussionibus. quidam;* adire. *hoc est, inchoare. plerique;* audere. *eodem sensu.*

434 Domúsque florens sorte] *Moguntin.* Domúsque ingens fronte. *hoc ego, vt & alia huius codicis pleraque menda adscribo, vt hominibus ingeniosis verum inueniendi via patefiat.*

438 Quem fata cogunt, hic quidem viuat miser] *sic Eybius, sic Moguntinens. & vett. excusi, & Lugdunens.*

441 Queis] *Moguntin. Eyb. Herbipol. Veneti;* Qui.

442 Motibus feſtis facem] *ſic habetur in o.v.l.quibus ego vſus:ſic etiam in omnibus excuſis. ſolus Moguntin.lib.* montibus.*deprauatum ex;* motibus. *Alij valdè approbant ſui lib. lectionem;* noctibus.*vt de nocturnis ſacris Triuiæ dicantur, de quibus Propertius:*

Cùm videt accenſis deuotam currere tædis
In nemus & Triuiæ lumina ferre Deæ.

hoc de Aricinæ Dianæ ſacris; quibus operari potuit Virbius, in Latio; adhuc Hippolytus, in Atticâ, non potuit. παράλογον ergo illud Propertij. Motibus,*hoc eſt,curſu & facis feſtiuâ iactatione.*

444 Mobili curſu fugit] *Seneca lib.de breuitate vitæ;* præſens tempus breuiſſimum eſt: adeò quidem, vt quibuſdam nullum videatur. *vnde*
Punctum temporis. *Græcorum, ςιγμὴ χρόνου. aliquod tamen eſſe præſens tempus, in fluxu & continuatione præſentis,præteriti,& futuri conſiſtens,docent Peripatetici in lib.4.phyſ. Ariſtot. Plotinus de ætern. & tempore cap.9. Ioan.Franc. Picus lib.6. de Vanit.gent.doctrinæ, Eugubin.in 1.cap.Gen.& alij.*

446 Toro viduo] *Ouidius in Epiſt.*

Nunc iacet in viduo credulus ille toro.

ſic Catullus: viduas iacere noctes.

448 Optimos vitæ dies] *iuuentam, veteres, auctore Nonio, bonam ætatem vocarunt. Cicero, in Catone:* Quod ſi ipſis voluptatibus bona ætas fruitur. *Ariſtotelis illa huc referenda; quibus teſtatur pari ratione ſe habere veſperam ad diem, qua ad vitam ſenium; ideo rectè veſperam vocari, diei ſenium γῆρας ἡμέρας, & ſenium vitæ veſperam ἑσπέραν βίου; vel vt Empedocles vocabat δυσμὰς βίου occaſum vitæ: quod mutuatus Cicero in Top.* qui adoleſcentiam, florem ætatis; ſenectutem occaſum vitæ velit definire. *Pericles apud Ariſtot. lib.3.Rhetor. cum vere confert iuuentutem. idcirco Virgilius primam diei partem, quaſi puberem ætatem, meliorem dixit 9. Æneid.*

Nunc adeo, melior quoniam pars acta diei eſt.

Senectus contra, mala ætas appellabatur, vt multis exemplis docet Nonius. reddit vtriuſque rationem Seneca epiſt.109. Meliora præteruolant, deteriora ſuccedunt. quemadmodum ex amphorâ primùm, quod eſt ſinceriſſimum, effluit; grauiſſimum quodque turbidiſſimúmque ſubſidit. id exhauriri in aliis potiùs patimur, vt nobis fecem reſeruemus. Inhæreat iſtud animo, & tanquam miſſum oraculo placeat:

Optima quæq; dies miſeris mortalibus æui
Prima fugit —— Quare optima? quia reſtat quod incertum eſt. quare optima? quia iuuenes poſſumus diſcere, poſſumus facilé animum & adhuc tractabilem ad meliora conuertere. quia hoc tempus idoneum eſt laboribus, idoneum agitandis per ſtudia ingeniis, & exercendis per opera corporibus. Quod ſupereſt, ſegnius eſt, & languidius, & propius à fine. Itaque hoc toto agamus animo, &, omiſſis ad quæ di-
Vulgò, *nec*, malè. uertimus, in rem vnam laboremus: *ne hanc temporis perniciſſimi celeritatem, quam retinere non poſſumus, relicti demum intelligamus. Primus quiſque tanquã optimus dies placeat, & redigatur in noſtrum

Quod

Quod fugit, occupandum eſt. Hoc non cogitat ille, qui grammaticis oculis carmen iſtud legit. Ideo optimum primum quemque eſſe diem, quia ſubeunt morbi, & ſenectus premit, & adhuc adoleſcentiam cogitantibus ſupra caput eſt: ſed ait, Virgilium ſemper vnà ponere morbos & ſenectutem. Non, me Hercle, immeritò. ſenectus enim inſanabilis morbus eſt.

Dies] *tempus. quid propriè dies, & quotuplex? malo te Cenſorinus doceat.* Dies, *inquit*, partim naturalis, partim ciuilis eſt. naturalis dies eſt, tempus ab exoriente ſole ad ſolis occaſum; cuius contrarium tempus eſt Nox, à ſolis occaſu vſque ad ortum. Ciuilis autẽ dies vocatur tempus, quod fit vno cæli circumitu, quo dies verus & nox continetur: vt cùm dicimus aliquem dies tantùm triginta vixiſſe, relinquitur enim etiam noctes intelligere. *& paulo pòſt, de Ciuili*: Babylonij quidem ab exortu ſolis vſque ad exortum eiuſdẽ aſtri, diem ſtatuerunt: at in Vmbriâ plerique à meridie ad meridiem: Athenienſes autem ab occaſu ſolis vſque ad occaſum: ceterum Romani à mediâ nocte vſque ad mediam noctem, diem eſſe exiſtimarũt. *hæc ille lib. de die Natali. Vide etiam Plinium lib. 2. cap. 77. & Gellium lib. 3. cap. 2.*

464 Prouidit] *hinc incipit elegans matrimonij commendatio; cui adiunge Auguſti oration. contra cælibes, apud Dionem.*

Mundi parens] *Deus. fatetur ergo cæpiſſe & creatum eſſe mundum.*

466 Sobole] *nimirum cùm noluerit efficere, vt idem numero perpetuò conſeruaretur; genus ipſum vt perpetuò continuâ reſtauratione & ſuffectione retineretur, cauit.*

467 Excedat] *quia per ipſam:*

——genus omne animantum
Concipitur, viſitque exortum lumina ſolis:

ideo alma & omnium genitrix dicitur. Vide Plinium libro 2. Nat. hiſt. Apuleium lib. 4. de aſino, Ouidium 4. Faſtor.

468 Exhauſtum] *ſic Lipſien. & nonnulli m. ſ. melius quàm ceteri* humanum. *nam non de ſolis hominibus, ſed cunctis animantibus agit.*

478 Vnius æui turba] *vnius vitæ, vnius humanæ ætatis. ſic αἰὼν Græci; æuum, Latini non rarò. Lucretius (vt aduertit Turnebus lib. 20. cap. 22.)*

Perdit enim, quod non proprium fuit huius in æuo. *&*:
Multáque præterea perdit, cùm expellitur æuo.

ait ergo Seneca: ſi à nullo liberi procreentur; iis qui nunc viuunt defunctis, genus humanum interibit. ſic æuum, ſeculum, tempus, ætas, dies, *à poëtis confundi ſolent. quid propriè ſit, Cenſorinus de die Natali, his verbis*: De æuo quod eſt tempus vnum & maximum, non multum eſt quod in præſentiâ dicamus. eſt enim immenſum ſine origine, ſine fine; quod eodem modo ſemper fuit, ſemper futurum eſt, neque ad quemquam hominum magis, quàm ad alterum pertinet. Hoc in tria diuiditur tempora, præſens, præteritum & futurum. ex quibus præteritum initio caret, exitu futurum; præſens autem, quod medium eſt, adeò exiguum & incom-

Hoc refellunt noſtri philoſophi & Theologi, qui æuum intelligentiarũ creatarũ menſurã faciunt.

incomprehensibile est, vt nullam accipiat longitudinem, neque aliud esse videatur, quàm transacti futuriq. coniunctio; adeò verò instabile, vt idem sit nunquam, & quicquid transcurrit, à futuro decerpit. *Et postea:* Quicquid enim non habet finem, collationem mensuræ non recipit. quapropter ęuum neque annorum, neque sæculorum numero, nec denique vllo finiti tēporis modulo metiri conabor. *Apparet æuum cum æternitate confundere. D. Hieronymus comment. in Ezech. ca. 26.* αἰὼν *à sæculo non distinguit, & humanæ vitæ tempus interpretatur. Cicero libro 1. de natura Deorum, de his ita:* Non enim si mundus nullus erat, sæcula non erant. sæcula nunc dico non ea, quæ dierum noctiúmque numero annuis cursibus conficiuntur. nam fateor sine mundi conuersione ea effici non potuisse. sed fuit quædam ab infinito tēpore æternitas, quam nulla temporum circumscriptio metiebatur; spatio tamen, qualis ea fuerit, intelligi non potest. quod ne in cogitationem quidem cadit, vt fuerit tempus aliquod, nullum cùm tempus esset. *Acutè docet, propriè, & pressiùs sæculum, si vim vocis attendas, pro certo annorū spacio capi: posse tamen pro æternitate: & fortè sub æternitate æuum comprehendit. nam consueuit æui nomine multum tempus significare, & diuturnum, quod certo fine careat. lib. 6. de repub.* Vbi beati æuo sempiterno fruentur. *& in Tusc. ex Ennio:* Romulus in cælo cum Dis genitalibus æuum
Degit ——

481 Non alia magis] *campestris & rusticæ vitæ laudes persequitur. de quo plura habes apud Xenophontem in Oeconom. Aristot. lib. 6. Polytic. Varronem lib. 1. de re rustica; Columellam initio rusticani operis, Virgilium lib. 1. Georg. & Horatium in Od. & alios.*

488 Imminés] *sic rectè reposuit N. cùm prius legeretur;* imminet. *emendationem illam Eguian. Mogunt. & alij manusc. confirmant.*

495 Suffigit auro] *de hoc luxu dicemus alibi.*

502 Niueo] *Moguntinens.* iuncto.

Ilisso] *sic membranæ pleræq., sic plerique excusi: nec id vt videtur, syllabâ repugnante. cur illa produci non queat, cùm naturâ. i. anceps vocalis sit? & multis in libris Græcis* εἰλισσος, *Mogunt. Herbipol. & Venet. primus;* Iliso. *tertius;* Eliso. *primus, quod sciam, N.* Ismeno. *quod Bœotiæ flumen, ab Ismeno Pelasgi F. vide Ouidium 2 Metam. & Statium lib. 9. Thebaid.*

504 Densa metitur loca] *vet. excusi in Frāconiâ & ad Hadriā;* metatur.

505 Lerna] *Fons prope Corinthum admodum gelidus, vber aquis etiam æstu torrido, teste Pausan. in Corinth. seu li. 2. ideo noster;* gelida. *dicit etiam* pura, *quia limpidus. vnde Propertius lib. 2. eleg. 25. de hoc fonte:*

—— at illi
Aurea diuinas vrna refudit aquas.

Alia palus, Lerna, *in Argiuorum regione, famosa aquarum fœditate. Papin. 1. Theb.* Lernæi stagna atra vadi ——

508 Iuuit aut amnis] *sic N. rectè. Lugdunens.* iuuat hic aut. *non malè. veteres impressi,* iuuat aut. *vitiosè.*

511 Dif-

511 Diffundit vndas] *cùm in Herbipolens. & tribus Venetis legatur;* defundit. *ídque manusc. Eguian. & alij confirment, valere iubendi Lugdunens. & Lipsiens. qui;* diffundit.

515 Solicito auro] *Propertius:*

Solicitas triuio peruigilare moras.

516 Captasse fontem] *antiquiss. aqua potus, quâ mortales, ad Noachi vsq; tempora, diutissimè vitā produxerunt. Boëtius primam illam ætatem describens:* Somnos dabat vmbra salubres,
Potum quoque lubricus amnis.

Nam maximè is salutaris, sobrius, aptus, necessarius: sitim sedat, calorem nimium temperat, elixat alimenta, ac facillimè deducit, caput non grauat, cibos melius quàm vinum digerit, visum acuit, totum corpus fouet, vt testantur Plinius lib. 34. cap. 22. Clemens Alexand. in Protrept. Athenæus lib. 2. Cælius lib. 13. antiq. lect. cap. 14. & Cardanus lib. de aquis.

Fontem] *potius quàm fluuium, quia melior fontana; quia post pluuiam leuissima, deinde amnica, post ex niue vel glacie liquata; grauior hausta ex lacu, grauissima ex palude. vide Cornelium Celsum libro 2.*

Si, celer] *Moguntin. & plurimæ membr.* certior. *Eguian.* celeres. *prauè.*

519 Versantem] *N. ita reposuit. membranæ;* versantur, *excepto Moguntin. qui;* versante.

520 Recessu] *Eguian.* sessesu. *num;* secessu?

523 Hoc equidem reor] *fusè hanc aureæ ætatis innocentiam & felicitatem describit Seneca epist. 91. post medium, adi & confer cum hoc loco.*

527 Lapis] *terminus. de termino & ritu terminorum ponendorum consulendus Brisson. de formul. li. 5. pag. 480. & Lilius Syntagm. 1. pag. 44.*

530 Vrbes, lacus] *Eguian. lib.* vrbes latus. *ait, vrbes nondum latera sua turritis mœnibus cinxerant. sic etiam continetur in Moguntino.*

532 Balista] *Balistæ, machinæ lapidum libratoriæ, descriptionem habes apud Ammian. lib. 23. qui docet quid discrepet à scorpione; & apud Vitruuium (quem m. s. & Eybius semper Victurinum, non scio an rectè) lib. vlt. cap. 15. & seqq. cuius verba recenset Turnebus lib. 2. aduers. cap. 5. de eadem Vegetius, Valturius, & lib. Notitiæ Orient. & Occident.*

534 Iuncto ferebat boue] *plerisque in regionibus bobus olim arabatur, vt & nunc; in aliis, equis. frequens etiam mulorum aratio, quam reliquis anteponit Homerus. 10. Iliade. ex professo tamen illam singulari opusculo reprehendit, & bubulam cunctis præfert, Arietha Hispanus.*

536 Silua natiuas opes] *glandes, & poma & herbæ nondum inuento frumento, esui fuêre, testibus Virgil. libro 1. Georg. Tibullo lib. 1. eleg. 3. Ouidio Fast. 4. Iuuen. Sat. 6. & Plutarcho in Coriola. Multa in hanc rem Bened. Curtius lib. 1. hortor. à cap. 4. Ceterùm videtur significare, ætatis aureæ homines carnibus abstinuisse, quod voluit Porphyr. in lib. de abstinent. animat. & Pythagoras apud Laërtium, & Ouidium lib. 15. Metamorph. Et ante diluuium id verum, contendunt ex cap. 9. Genes. post Tertullian. lib. de cibis Iudaic. & D. Hieronym. lib. 2. in Iouinian. Iunilius, D. Isidorus, Strabus & Lyran.*

in

in d.cap.9. Pet.Comestor histor.Scholast. cap.29. Augustin. Steuchus in c.1. Genes.cap. 48. & Genebrard.in Chronograph. imò non abstinuisse illos modò, sed etiam prohibitum tunc carnium vsum, insinuat Alph.Tostatus vulgò Abulensis dictus, in 1.cap.Gen. Verum hoc aliis non probatur. Nam D.Iustinus Martyr ad Orthodox. q. 119. etiam ante cataclysmum carnibus homines victitasse censuit. idq́, vt probabile admodum, receperunt aliquot ætatis nostræ eruditissimi theologi, Francisc. Victoria in relect.de homicidio. Domin. Sotus li.5.de Iustit. & iur. & Hier.Vielmius in cap.1.Genes. Thomas autem à Vio Caietanus, in cap.9.Genes. vsum carnium eo tempore voluit nec prohibitum fuisse, nec tamen vsurpatū; eo quòd à Deo nondū illis disertè cōcessus.

537 Rupere fœdus impius lucri furor] *vera bellandi causa, auaritiæ malum. Sallustius hoc vidit, cùm scripsit in eos acerrima haberi arma, quibus victis spolia maxima futura: vidit Tacitus, penes quos aurum & opes, maximum illis discrimen bellorum imminere.*

541 Venit imperij sitis Cruenta, factus prę da maiori minor] *non improbanda lectio. nescio cur Herbipol. & duo Veneti;* ven. imp. sitis, Cruentum facinus præda maiori minor. *De maiorum piscium rapacitate, quod Varro in Margopoli, idem in Apologiâ Athenagoras, idem etiam D. Basilius hom.7. in Hexam. & adijcit;* nil aliud agere homines cùm vim inferioribus inferunt, qui sua improbâ & intemperanti cupiditate in insatiabiles suæ auaritiæ sinus homines imbecilles abdunt atque ingerunt. *vultures ego saltem velim imitarentur; qui auium innocentissimi volucribus ob affinitatem mortuis etiā se abstinent, teste Plutarcho in Romulo. Æschylus omnes aues quæ auibus vescuntur, impuras & immundas censet:*

Ὄρνιθος ὄρνις πῶς ἂν ἁγνεύοι φαγών.

Sanè non lupus lupum necat: homo homini lupus.

542 Pro iure vires esse] *vnde Thucydid. lib.1. scribit veteres ex minorum, nec satis munitarum vrbium direptione sibi necessaria comparasse, neq; id dedecori, sed gloriæ sibi duxisse. solitas etiam potentiores ciuitates, infirmiores omnes sibi subijcere. Saluianus lib.3. de prouidentiâ, miratur potentissimos quosq; hanc viam in acquirendis diuitiis sequi, & populorum oppressores esse: quasi ad hoc se natos putent, vt in pauperibus opprimendis suæ potentiæ ac nobilitatis specimen cunctis exhibeant.*

557 Sed dux malorū femina] *de feminis in hanc sententiā multa passim.*

Orpheus: Deterius, peiúsque aliud quàm femina nil est.
Homerus: Deterius, grauiúsque aliud quàm femina nil est.
Menander: Thesaurus malorum mulier.
Diphilus: Mulierem bonam inuenire haud facile est.
Euripides in Iphigen. Aulid.

Rarus autem captus est, vxorem talem nancisci:
Ceterùm malam habere, eò nihil vsitatius est.

Lepidè Eubulus Comicus in Chrysillâ, cùm Medeæ Penelopen & Clytemnæstræ Alcestim, bonas coniuges malis opposuisset, & tertiam adderet improbam Phædram; queritur probarum iam sibi deesse nomina, prauarum examina

mina superesse. Menander vt omnes improbas doceat: Mulier (*inquit*) à muliere haut multum discrepat. *Euripides*: Videte quàm infidum sit mulierum genus. *Attius Andromachâ*: Muliebre ingenium proluuium. *Nescio an Cicero (certè quidam illi adscribunt, alij Eumolpo cuidam, ceteri vel Petronio, vel cuidam Porphyrio poëtæ; ego puto esse Petronij, qui Eumolpum dicentem introducat)*

Crede ratem ventis, animum ne crede puellis.
Namque est femineâ tutior vnda fide.
Femina nulla bona est, vel si bona contigit vllì:
Nescio quo fato res mala facta bona est.

Sed verius, qui ab innocuo sexu, generale conuicium amouent. Hesiodus:

Neque enim muliere quicquam vir sortitur melius
Bonâ; rursus verò malâ non durius aliud.

Simonides Amorgynus:

Muliere nulla res viro præstantior
Bona euenire, nil malâ peius potest.

Theognis; Nil Cyrne bonâ suauius est muliere. *Euripides ipse*: Nec diuitiæ, nec quicquam aliud tantum voluptatis habent, quantum vir & vxor boni. *Metrodorus*: Celebras nuptias? domus optimè erit constituta. Non ducis vxorem? vitam lenius transiges. *Contra Posidonius*: Ducis vxorem? non sine curis eris. Non ducis? eo magis viues solitarius. *Ideo Susarion*:

Malum mulieres; verumtamen (ô populares)
Hoc sine malo domum inhabitare non quimus.

Philæmoni mulier: Malum necessarium.

Scelerum artifex] *Euripides, in Medea:*

Feminæ sunt quidem prorsus imbelles.
Malorum verò omnium artifices sapientissimæ.

Et in Oreste: Valent enim feminæ inuenire dolos. *Scholiastes Euripid. in Hippol.* Sicut enim Deus prudentiâ habere dedit viris, sic maliciam & dolos inuenire dedit mulieribus. *Nicostratus*: Quod ad inueniendos nectendósque dolos omnium vaferrimæ sunt. *Propertius lib. 2. eleg. 7.*

Sed vobis facilè est verba & componere fraudes.
Hoc vnum nouit femina semper opus.

si causam naturalem huius quæris, lege Mar. Anton. Zimaram problem. 24.

559 Bella tot] *notum decennale bellum, & Ilium propter Helenam euersum. Duris lib. 2. historiæ prodidit propter Thenno à quodã Phocensi raptam. decennium solidum Thebanos cum Phocensibus lento duello collisos, & tandem Phocensium vrbem excisam. Belli quod Cambyses Ægyptiis intulit, Nicetis Apriæ filia causa fuit, auctore Ctesia. Cum Cyrrhæi Megisthonem rapuissent, exarsit decennale bellum aliud Chrysæum, nec nisi euersâ Cyrrhâ finitum, vt ex Callisthene Athenæus libro 13. cap. 4. vbi plura narrat. Vide etiam Parthenij Erotica.*

560 Et versa] *sic ex manusc. solus Eguianus.*

563 Cur omnium sit culpa] *Euripides in Ione:*

Nam dura mulierum ad viros conditio:
Et bonæ computatæ cum malis
Odio habemur. vsqueadeo ſorte infelici natæ ſumus.

ſimilia habet in Menalippâ.

566 Odiſſe placuit] *apud Euripidem ait:*

Nunquam me ſaturitas capiet odij in mulieres.

575 Vnicus genitus puer] *ſolus, vel ſanè præclarus & eximius. ſic Afranius;* Ingenio vnico. *Cicero de ſenectute.* elogium vnicum. *Plautus:* poëtam vnicum. *Turpilius*: homo eſt vnicâ naturâ & ſingulariâ.

578 Vt dura cautes] *Euripides in Medea:*

——— ſed vt petra vel æquoreus Fluctus, audit ———

Sed hæc & ſimiles poëtarum comparationes hyperbolicæ iuxta regulam à Senecâ traditam ſunt intelligendæ. ait lib. vlt. de Beneficiis: Quoties parum fiduciæ eſt, in his quibus imperas; amplius eſt exigendum, quàm ſatis eſt, vt præſtetur quantum ſatis eſt. In hoc omnis hyperbole excedit, vt ad verum mendacium veniat. Itaque ille qui dixit:

Qui candore niues anteirent, curſibus auras:

quod non poterat fieri dixit, vt crederetur quantum plurimum poſſet. & qui dixit: *His immobilior ſcopulis, violentior amne*: *hoc quidem ſe perſuaſurum putauit, aliquem tam immobilem eſſe, quàm ſcopulum. nunquam tantum ſperat Hyperbole, quantum audet: ſed incredibilia affirmat, vt ad credibilia veniat.

* Scribo, ne hoc quidē.

585 Dimoue vocis moras] *linguam illi præpeditam ſignificat: quod vehementiſſimi amoris ſignū. Theocritus in Pharm. hoc, & quod præceſſit, poſuit:*

πᾶσα μὲν ἐψύχθην χιόνος πλέον, ἐκ δὲ μετώπω
ἱδρώς μευ κοχύεσκεν ἶσον νοτίαισιν ἐέρσαις.
οὐδ' ἔτι φωνᾶσαι δυνάμαν, οὐδ' ὅσσον ἐν ὕπνῳ
κνυζῶνται φωνεῦντα φίλαν ποτὶ ματέρα τέκνα.
Tota quidem obrigui plus niue: ex fronte verò
Meâ, ſudor abundè defluebat, ſimilis auſtralibus pruinis:
Neque quicquam eloqui poteram, ne tantum quidem quantum in ſomnis
Murmurant clamantes caram ad matrem pueri.

exprimens nimirum hanc quaſi exanimationem & pallorem amantium. At Alcæus apud Ariſtotelem libro 1. *Rhet.*

θέλω τί τ' εἰπεῖν, ἀλλά με κωλύει αἰδώς.
Velim tibi aliquid dicere, ſed me prohibet pudor.

Sappho, apud Dionyſium Longinum in lib. de ſubtili genere dicendi:

Ὡς ἴδον σε, βρόγχον. ἐμοὶ γὰρ αὐδᾶς
οὐδὲν ἔθ' ἥκει.
ἀλλὰ καμμὲν γλῶσσ' ἔαγ'.

Item: ——— χλωροτέρη δὲ ποίας
Ἔμμι. τεθνάναι δ' ὀλίγου δέοισα,
φαίνομαι ἄπνους.

qua

quæ ſic vertit Catullus: ——— nam ſimul te
Cypria adſpexi, nihil eſt ſuper mî
Quod loquar amens.
Item: ——— velut herba, pallent
Ora: ſpirandi neque compos, orco
Proxima credor,

586 Tuus] *tibi dilectus. Ouidius in epiſt. Hipſypil.*
Æſonides dixi, quid agit meus? *Propertius lib.1. eleg.9.*
Et nihil iratæ poſſe negare tuæ.
& lib.4. Hæc Arethuſa ſuo mittit mandata Lycotæ
Cùm toties abſis, ſi potes eſſe meus.
Catullus: Quem nunc amabis? cuius eſſe dicêris?

590 Aude anime] *mihi neceſſe non videtur inuitis libris omnibus hoc loco perſonas variari. ſeipſam, animumq́; ſuum alloquitur.*

Perage] *ſoli Lipſienſ.* perge.

601 At maior tenet] *iubet amor loqui, vetat pudor. Ouidius:*
Ter tecum conata loqui; ter inutilis hæſit
Lingua: ter in primo deſtitit ore ſonus.

602 Hoc quod volo] *In Moguntin. additur;* Me nolle. *& hoc retinuerunt Herbipol & tres Veneti; Baſileenſ. Lugdunenſ. & Lipſienſes reiecerunt. Ego exhibui, ductus auctoritate vet. librorum magis, quàm quod ſenſus exigat. potuit enim ſubaudiri. ſi recipis; erit initium verſus inchoati. nec dedecet Phædræ perturbationem hæc interruptio.*

604 Ingentes ſtupent] *hominem ita ſtupêre faciunt, vt nec verbis nec lacrymis exitus vllus pateat. exemplum illuſtre Pſammenithus rex apud Herodotum in Thaliâ.*

608 Sororem] *ſic Tibullus:*
Non ſoror Aſſyrios cineri quæ dedat odóres.
D. Hieron. epiſt. ad Euſtoch. virginem, cùm illam germanam *vocaſſet; ſubiungit hoc caritatis eſſe nomen. & ita ſanè etiam diuinæ litteræ vſurpant. Nam in Canticis ſponſus ſponſam* ſororem, *& illum hæc viciſſim* fratrem *nominat: & pro eo quod Septuaginta ἀδελφίδος, D. Hieron. vertit, dilectus. Dod* דוד *enim dilectum, vel amorem, vel dilectionem, vel amicum, aliquando & patruum ſignificat. In libro Eſther, Aſſuerus Rex cap.15.* Quid habes Eſther? ego ſum frater tuus: noli metuere. *hoc eſt, amicus, vt eo lóco Ioſeph Bengerion.*

616 Regna tut. patris] *confirmatur etiam aliorum, vt video librorum fide mei cod. Lectio;* vrbium. *Si quis malit;* patris. *intellige, tui, Theſei.*

620 Miſerere viduæ] *viduam veteres omnem quæ viro caret dixere. Afranius:* O dignum facinus adoleſcentis, optimas benè conuenientes, concordes eum vires, repentè viduas faciat ſpurcitia patris? *Ego hæc ſic caſtigem:* O indignum facinus! adoleſcentes optumas, bene con. conc. cum viris, rep. *&c. citat Nonius in* Spurcum. *Abſente itaque marito, Latinè Phædra ſe viduam dicit. ſic Clytemnæſtra in Agamemn.*

Decem per annos vidua respiciam virum?

sic Amazones nunquam nuptæ in Herc. Fur. viduæ:

Regina gentis vidua Thermodontiæ.

& sup. Medeæ vers. 25 ——cohors

Inclusa ripis vidua Thermodontiis.

Vide quæ ibi scripsimus, & quæ Troad. versu 13. Mirare mecum Hieronym. Fracastorium, poëtam nunquam satis laudatum; à quo Putipharis viui & præsentis vxor, non semel virgo *nominatur. an quod ille εὐνοῦχος? at nomen illud non vitij, sed officij & ministerij est; quo sensu Daniel & socij, Danielis cap. 1., eunuchi vocari videntur nonnullis, etsi Hebræi (teste D. Hieron.) verè eunuchos fuisse censeant. Ait autem* Miserere viduæ, *vt augeat commiserationem. Sanè Tertullianus libro* 1. *ad vxorem scribit pupilli & viduæ nomina in scripturâ sæpè repeti, vt significetur, quo magis despecta sunt hominibus, eò magis curæ esse Deo.*

621 Auertat] *Ominosum erat vocabulum viduæ: quia significare videbatur Theseum deuixisse. ideo deprecatur. variæ autem deprecationis huiusmodi olim formulæ. Octau. act. 1.*

——quod vtinam numen auertat Deûm.

Oedipo: Procul sit omen. *adi Brisson. li. 1. de formulis pag. 103.*

631 Spes amantum credula] *Ouidius in epist.*

Credula res amor est—— *P. Syrus:*

Amans, quod suspicatur, vigilans somniat.

639 Per venas meat] *meat per venas, & salire nititur, atque erumpere, sed nullum luctando pultandoq; exitum reperit. venarum meminit, quia venis ad cor amorem transfundi putabant. vnde Virgilius:*

Vulnus alit venis & cæco carpitur igne.

641 Vt agilis altas] *Tibullus:*

Vritur, vt celeres vrunt altaria flammæ.

645 Cùm prima puras barba sig. genas] *Attius:*

Genas lanugo flora nunc primùm irrigat.

hoc veteres vno verbo; inbarbescere. *pulcrè hoc describit Nemesianus; seu Calpurnius potius, eleg. 2.*

——quoties mollissima tango
Ora manu, primíque sequor vestigia floris
Nescius, & gracili digitos lanugine fallo.

Et paullo pòst:

——etenim sic flore iuuentæ
Induimus vultus; vt in arbore sæpe notaui
Cærula sub tenui lucere Cydonia lana.

649 Pingebat pudor] *hæc manusc. librorum lectio; vulgatorum;* tingebat rubor. *non mala hæc, sed illa melior.*

655 Genitor in te toruus] *sic Moguntinens. & hoc amplexus Caietanus, Basileens. & Lipsiens. sed;* totus, *Herbipolens. Lugdunens. Bernardin. & pleriq; m. s. sic lego. toti enim mox aliqua pars opponitur. totus quidem*

virilis

virilis es vt pater, formæ tamen & pulcritudinis materna nō prorsus expers.

657 In ore Graio] *sic Propertius:*

Turpis Romano Belgicus ore color.

662 Corripuit duas] *Ouidiana Phædra in epist.*

Hoc quoque fatale est. placuit domus vna duabus.
Me tua forma capit: capta parente soror.
Thesides, Theseúsque duas rapuêre sorores:
Ponite de nostrâ bina trophæa domo.

Deperiit Ariadna Theseum, soror Phædra Hippolytum.

666 Mittor] *Moguntin. etiam*; mutor. *hactenus omnibus intacta & innocens, tibi soli ac primo nocens & impudica fio.*

676 Lucem merge] *hoc ait. quia Solis obscuratio & obtenebratio Dei iram, futurasq; miserias prætendere credebatur: ídque confirmatur exemplo mensæ Thyesteæ, infra Thyeste; & pluribus, quæ congessit Arias Montanus lib. Ieremiæ cap. 24. idonea hæc caussa. sed ad mentē Hippolyti vicinior; quia nefas stirpis suæ videre Phæbum & intueri turpe. decebat potiùs præ pudore faciem obuelare, & oculos auertere à tantâ fœditate atque dedecore. Mogunt.* luge, merge, & tenebras fuge. *& paulo pòst*; tu me tona, tu me fige.

681 Dignus an stupris ego] *dignus qui fiam impudicus, qui sim impudicatus? Aureis litteris scribenda verba, & cuiusuis adolescentis Christiani ac ingenui cordi insculpenda.*

691 O térque quatérque] *Homerus in Odyss.*

Ter beati Danai & quater.

Oraculum Clarium apud Pausan.

Ter felices & quater illi viri exsistunt.

714 Non ipse toto] *Scienter Seneca non nisi naturalis & iugè fluentis aquæ meminit; quæ* viua *dicebatur. sola hæc ad expiandum idonea. Maximè maris fit mentio, quia, iuxta Euripidem & Tullium pro Roscio Amerino, omnia nostra mare mala abluit, cunctas maculas deterget: item quia nihil in se sordidum patitur, sed confestim eiicit atque expuit, quicquid immunditiæ, vel casus, vel flumina, vel homines in illud deuoluerint. Ideo censet Euthymius à Mychæâ Propheta mare baptismi nomine decorari. Purgaturi se, sæpius caput aquæ viuæ immergebant. Persius Sat. 2.*

Vide Turneb. lib. 17. cap. 13 & Brisson. de lib. 1. a pag. 7.

Vide Pierium lib. 31. Hieroglyph.

——Tiberino in gurgite mergis
Mane caput, bis, térque, & noctem flumine purgas.

aliquando bis tantùm. Ouidius 4. Fastor.

Bis caput intonsum fontanâ spargitur vndâ.

sæpius ter. Idem 3. Fastorum.

Térque senem flammâ, ter aquâ, ter sulphure lustrat.

& Fastorum 4.

Et manibus puram fluminis hausit aquam.
Ter caput irrorat —— *Iuuenalis Sat. 6.*
Ter matutino Tiberi mergetur, & ipsis
Vorticibus timidum caput abluet ——

Virgil.6.Æneid. ——— ter socios purâ circumtulit vndâ,

Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ.

quandoque septies. Apuleius lib. 11. méque protinus, purificandi studio, marino lauacro trado, septies submerso capite fluctibus. *Hoc faciebant Superis facturi, idq́; dicebant* abluere, *vt docet Macrobius lib. 3. Sat. cap.1. Virgilius:* ——— donec me flumine viuo

Abluero ——— *abluebant autem manus, pedes, caput, totumq́; corpus. de manibus, Aurel. Victor lib. de viris Illustribus.* Prius illum viuo flumine manus abluere debere. *idem testatur Scholiastes Sophoclis in Aiace Lorario, à Brissonio relatus. de pedibus vetus Horatij interpres ad Satyr.3.lib.2.his verbis;* solebant Deos precaturi manus & pedes abluere. *probatur adagione,* illotis pedibus, *& altero,* illotis manibus. *de toto corpore accipio, quando quis dicitur ἁπλῶς lautus, vel purus. Arnobius li.7.* quorum templa cùm adire disponitis, ab omni vos labe puros, lautos, castissimósque præstatis. *idq́; etiam Seruius in 4. Æneid. notauit. Interdum se tantum adspergebant, scilicet Diis inferis operaturi, testibus Macrobio & Seruio, seu purâ aquâ circumferebant, vt Maro loquitur, vtentes aspergillo ex oleæ vel lauri ramusculo. Iuuenalis:*

——— cuperent lustrari, si qua darentur

Sulphura cum tedis, etsi foret humida laurus.

Ridiculi homines. tanquam (*ait Lactantius li.5.cap.20.*) libidines intra pectus inclusas, vlli amnes abluant, aut vlla maria purificent. *quod prius Cicero 2.de legibus dixerat. quin & Ouidius lib.4. Fastorum.*

Ah nimium faciles, qui tristia crimina cædis,

Fluminea tolli posse putatis aquâ.

Flumineam à perenni videtur distinguere Columella li.12. de re rust.cap.4. de promicondi officio scribens, vbi postquam à Venereis abstinentissimũ esse debere dixisset; quibus (*inquit*) si fuerit operatus vel vir vel femina, debere eos flumine aut perenni aquâ, priusquam penora contingant, ablui. *nisi reponas*, aut perenni aliâ, *& subaudias aquâ. Sed & reliqua elementa, siue simplicia corpora, ex quibus reliqua composita, ipsa verò nullis, iuxta Aristotelem lib.2.de ortu, lib.3.de cælo, & lib.5. Metaphys.; expiationi deputata inuenias, ignem, aërem, terrã. probabo paucis. Seruius in 6. Aeneid. illud summi poëtæ:*

Explicat hoc ex mente Platonicor fusissimè Leonicus Thomeus in Alucreto, siue de tribus animæ vehiculis.

——— aliæ panduntur inanes

Suspensæ ad ventos: aliis sub gurgite vasto

Infectum eluitur scelus, aut exuritur igne;

ad tria sollemnia expiationum genera retulit. nam aut thedâ, quem purgari, hoc est, igne & sulphure; aut aquâ ablui; aut aëre ventilari, vt fiebat in sacris Liberi. Virgilius 2. Georg.

Aliter deoscillis Iac. Pamelius in Annot. ad Tertullian. lib de Pallio, cap.1.nu.18.

Et te Bacche vocant, per carmina læta, tibíque

Oscilla ex altâ suspendunt mollia quercu.

vbi oscilla interpretor simulacra quædam noxiarum animarum, quæ à vento seu aëre impulso cillabantur. Fauet Martianus Capella, si rectè intelligatur, lib.

lib. 2. de Nupt. Philolog. apud quem Philologia Athanasiæ gratias agit, quod eam compendiariâ viâ in cælum perduxerit: quod nec Vedium cum vxore conſpexerit, ſicut ſuadebat Etruria; nec Eumenidas ac Chaldæa miracula formidarit; nec igne vſſerit, nec lymphâ ſubluerit, nec animæ ſimulacrum, Syri cuiuſdam dogmate, verberarit. *&c. innuens ex Pherecydæ Syri diſciplinâ hoc manaſſe, & Virgilianum illum locum ex Aeneid. 6. ſimul reſpiciens & explicans. Terentius Varro docet oſcilla mortuorum ſimulacra fuiſſe, in fragmento, his verbis*: Suſpendioſis, quibus iuſta fieri nō ſit; oſcillis, veluti per imitationem mortis, parentandum eſt. *Gloſſarium*, oſcillum *προσωπεῖον. aliud etiam oſcilla ſignificant ſcio, ex Iſidoro lib. vlt. Orig. cap.* 14. Furcillæ dictæ, quod iis frumenta cilluntur. vnde & oſcilla dicta ab eo, quod cilleantur, hoc eſt, moueantur ora. *ſed ego ad Virgil. redeo, quem explicat D. Auguſtinus lib. 21. de ciuit. Dei cap. 13. & aſcriptis, quæ retuli verbis, ſubiungit*: Qui hoc opinantur, nullas pœnas niſi purgatorias volunt eſſe poſt mortem, vt quoniam terris ſuperiora ſunt elementa aër, aqua, ignis; ex aliquo iſtorum mūdetur per expiatorias pœnas, quod terrenâ contagione contractum eſt. aër quippe accipitur in eo quod ait, *ſuſpenſæ ad ventos*: aqua in eo quod ait, *ſub gurgite vaſto*: ignis autem ſuo nomine expreſſus eſt, cùm dixit; *aut exuritur igni. Verùm, cur terram addidimus? non vt materiam ex quâ, ſed vt circa quā. Nam Cicero in Somn. Scipion. eorum animos qui ſe corporeis voluptatibus manciparunt, corporibus elapſos circum terram volutari ſcripſit; & Plato in Phædone.* περὶ μνήματά τε καὶ τοὺς τάφους καλινδεῖσθαι. circum monumenta & ſepulcra volutari. *Quamquam & materiam ex quâ luſtrationes, terram dicere fortè quis queat: tum quia ex meliori philoſophiâ, nec aqua, nec aër nobis pura ſunt, ſed terreæ ſubſtantiæ nonnihil permixtum habent, iuxta Platonem in Tymæo, Ariſtotelem 2. Meteor. Galenum lib. 1. de ſimplicib. medicam. cap. 5. tum etiam, quia ad has expiationes multa compoſita adhibebantur, vt ſal & lens, teſte Clemente Alexandr. lib. 7. Strom. canis cadauer, vnde σκυλάκισμος, teſte Plutarcho in Romulo; oua, caſeus, placentæ, caricæ. vide Lilium Syntagm. 17.*

Vulgò legitur, ad Chald. mir. formidauit, ego emēdaui.

731 Mens impudicam facere, non caſus ſolet] *impudicitia enim, niſi conſentias, nullâ violentiâ cuiquam adfertur. Non polluit libido, ſi aliena: ſi polluit, aliena non eſt. alienum verò cui noſtra voluntas non adſentitur. Vide D. Auguſtinum lib. 1. de ciuitate Dei cap. 18. & 19. Cogitandum id Origeni fuerat. non tam grauiter ruiſſet.*

IN CHORVM.

Laudat chorus pudicitiam & pulcritudinem Hippolyti: deteſtatur viperarum iſtarum perfidiam. Theſei reditum deſcribit.

736 Stella cum longos] *ex phyſicâ diſciplinâ dictum, vt docet Ariſtoteles lib. 1. Meteor. cap. 4. & 5. has traiectiones, Plinius lib. 2. cap. 36. vocat ſtellarum diſcurſus: quid portendant, petendum ex Ptolomæo in Centiloquio. Virgil. 2. Geor. ex Arato*:

Sæpe etiam ſtellas, vento impendente, videbis

Præcipites cælo labi, noctísque per vmbram
Flammarum longos à tergo albescere tractus.

741 Clarior quanto] *hac apud Græcos comparatione vsi sunt Sappho, & Q. Smyrnæus, vt alij notarunt. apud Latinos, præter Horat. Ouid. in epist. Leandri*: Quantum cùm radiis fulges argentea puris,
Concedunt flammis sidera cuncta tuis:
Tantum formosis formosior omnibus illa est.

Statius lib. 2. Siluar. ——— illius vnus
Ante decor, quantum præcedit clara minores
Luna faces: quantúmque alios premit Hesperus ignes.

742 Suos ignes] *De Luna Parmenides*: Nocte vagantem circa terram lucem alienam. *Parmenidis sententiam etiam refert Eusebius lib. 3. de præparat. Euang. cap. 3. idem voluit Orpheus, idem Stoici & Pythagorai apud Laërtium lib. 7. & 8. idem Pisidas in κοσμουργ. à versu 228. hæc causa cur quam ceteri sororem, Æschylus & Euripides filiam Solis Lunam vocarunt. Sed noster Chaldæos sequitur. Tartari, teste Vincentio Belluacens. & D. Antonino, idem quod Æschylus & Euripides asserunt.*

Coeunte cornu] *quando plenū orbem conficit. phrasis à Virg. & Propert.*

745 Nec tenent stellæ faciem min.] *omnis, pleno lumine fulgente lunâ, stellarum nitor, omne decus euanescit. imitatur, vt sæpe Boëtius*:
Vt nunc pleno lucida cornu,
Totis fratris & obuia flammis
Condat stellas luna minores.

lautè hanc similitudinem Claudianus accepit:
Haud secus ac, tacitam Lunâ regnante per Arcton,
Sidereæ cedunt facies; cùm fratre retuso
Æmulus aduersis flagrauerit ignibus orbis.
Tunc iubar Arcturi languet, tunc fulua leonis
Ira perit; plaustro iam rara intermicat arctos
Indignata tegi; iam caligantibus armis
Debilis Orion dextram miratur inermem; *hoc est, obtenebratas & quasi pereuntes, amissâ luce, quatuor stellas, quæ gladium & clauam illius efficiunt, Vide Higyn. 3. Astron.*

746 Qualis] *Papinius 6. Thebaid.*
Sic vbi tranquillo pellucent sidera ponto,
Vibratúrque fretis cæli stellantis imago,
Omnia clara nitent; sed clarior omnia supra
Hesperus exercet radios, quantúsque per altum
Æthera, cæruleis tantus monstratur in vndis.

Tiberianus, apud Placiadem (vt emendo)
Aureus subducit ignes
Sudus ora Lucifer.

Seneca in ludo de morte Claudij; qui locus huic similis:
Qualis discutiens fugientia *Lucifer* astra,

Aut

Aut qualis surgit redeuntibus *Hesperus* astris.

747 Modo lotus vndis] *plerique veterum crediderunt stellas & sidera humecto quodam alimento nutriri, eoq; splendorē & pulcritudinē illis augeri. sic Empedocles, Plato, Stoici, Plinius li. 2. Homerus Iliad. χ'. & nostri poëtæ:*

Flumina suppeditant, vnde æther sidera pascit.

Virgil: Conuexa polus dum sidera pascet. *quo loco Brodæus reponit,* Conuexa palus. *addubito. Lucanus:*

Nec non Oceano pasci Phæbúmque polúmque.

sic explico Claudianum, qui cùm lib. 2. de raptu dixisset Solem & Lunam filios esse Tethyos, subdit de Lunâ:

Læuâ parte soror vitrei libamina potat
Vberis —— *Ideo Seneca dicit:* modo lotus vndis. *quasi restauratus, & sumto alimento plenior formosiórque. Sed contra hanc opinionem disputat Aristoteles libro 2. Meteor. & disertè errorem vocat Marius Victor Commentar. in Genesim.*

750 Liber] *Seneca lib. de Tranquillit. vitæ ad Serenum cap. vlt. docet; inuentorem vini Bacchum, dictum esse* Liberum, non ob licentiam linguæ, sed quia liberat seruitio curarum animum & asserit, vegetiorémque & audaciorem in omnes conatus facit. *Numeratur inter Deos formosos, etiam ab illo vetere poëtâ:*

Formâ Mercurius potest placere.
Formâ conspiciendus est Apollo.
Formosus quoque pingitur Lyæus.
Formosissimus omnium est Cupido.

India] *De Indiâ multi veteres scripsêre, fabulosi omnes. mentiendi laudem Strabo primam Daimacho, secundam Megasteni tribuit: nec multum illis cedere Onesicritum & Nearchum. Bella & Victorias Bacchi de Indis, describit Nonnus in Dionysiac.*

753 Cornigerum caput] *Bacchum Euripides vocat* Deum tauricornem: *Sophocles*, bouis cornua habentem. *alij*, bicornem. *Bacchi cornuum varia ratio redditur. Festus abit ad ebriorum truculentiam; Plinius, ad eorum furorem lib. 23. cap. 1. Phurnutus & Porphyrion Horatian. ad eorumdem audaciā, quæ cornibus significetur. Plato li. 2. de legib. Xenophon ἀναβαζ. lib. 7. Athenæus δειπνοσοφ. lib. 2. & Nicandri Scholiast. in Alexipharm. causam volunt, quòd antiquis cornua in vsum poculorum. Plutarch. in Quæstionib. Græcanic. siue (vt vocat Arnobius) in Causalibus, q. 37. & in lib. de Osiri, & Diodor. lib. 5. Biblioth. quia primus Bacchus (qui & Osiris) boues iugo iunxit; vel, vt idem Diodorus Siculus lib. 4., Bacchus Iouis Ammonis, qui arietino capite fingebatur, filius. vide Eustath. in Iliad. θ'. sed fortè hoc finxere, quia de Mose scriptum legerant, faciem eius* cornutam *Iudæis visam* (Exod. 34.) *hoc est, splendentem adeo vt radios quosdam videatur emittere; quæ vis verbi Hebræi ibi positi; & id confirmat D. Paulus 2. Cor. 3.*

755 Nec vultus] *melius alij*, Ne vultus.

756 Omnes per populos fabula distulit] *Spurium (vt cum D. Hiero-*

nymo & Optato Mileuitano loquar) vitulamen, quod nimis altas video in libris omnibus radices egisse. sed spurium: non quia non Seneca, sed quòd non suo plantatum loco. sic repono:

Ne vultus nimium suspicias tuos,
Non vinces rigidas Hippolyti comas,
Phædræ quem Bromio prætulerit soror.

& postea versu 774.

Quid deserta petis? tutior auiis
Non est forma locis. te nemore abditum
Omnes per populos fabula distulit.

Tertul. apol. c.7. vt diu nihil lateat, etiã quod fama nõ distulit.

Cùm Titan, *&c. clarâ sententiâ.* Differre *pro diuulgare, dispargere, disseminare, non semel Tacitus & Tertullianus. sed & Propertius:*

Et te circum omnes alias irata puellas
Differet ——— *Ait ergo: quantumuis te cælare & in penitissima nemora abdere coneris; lux tuæ pulchritudinis te prodidit, & fama iam traduxit per omnium ora.*

758 Anceps forma bonum] *Theocritus*:

Et rosa pulcra est, & tempus eam contabefacit.
Et viola pulcra est in vere, & statim senescit.
Candidum est lilium, tabescit verò cùm decidit.
Et nix candida est, & liquitur cùm concreuerit.

765 Folio vt lilia pallido] *Ex fide manuscr. vnius, sic legunt Critici: quibus lubens adsentio.*

769 Formosi] *antiquus grammaticus Papirianus putat* ἀπὸ τοῦ formum, *hoc est, calidum deduci* formosus. *hæreo. mallem à* formâ.

772 Tempus sed tacitum] *sic impressi: at scripti,* te tacitũ. *Eib.* si tacitũ.

776 Constituit] *non malè Moguntin.* constituet. *sole meridiante: quando cuncti æstum fugitantes sub arboribus vmbrosis meridiant. Hispani id tempus, à sistendo,* la siesta *nominant.*

777 Naiades] Naiades, Naides, Napeæ *fontium præsides nymphæ, de quibus Porphyrius, in antrum Homeri:* Potamides, *quæ fluuios incolunt, Lutatio in 3. Thebaid. Statij:* Limnades. *quæ lacus & stagna, Phauorino & Apollonij Scholiastæ. vide Lilium Syntagm. 5.*

780 Lasciuæ nemorum multiuagæ Deæ.

Panes quas Driadas montiuagi petunt] *hîc hulcus aliquod. docet varietas lectionis. sic, vt posui, Lipsiens. sed cod. Eguianus, manusc. & vett. excusi Herbipolens. & tres Veneti:*

Lasciuæ nemorum Deæ
Montiuagiue Panes.

& reliqua illis desunt omnia. Moguntin.

Lasciuæ nemorum multiuagæ Deæ
Panósque Driades montiuagos petunt.

Lugdun. Lasciuæ nemorum & montiuagæ Deæ,
Panes, *&c. vt Lipsiens. Flos æui nostri Criticorum, decus antiquario-*

quariorum, princeps eloquentiæ Iustus Lipsius ex suo m.s. in quo; Panásque Driades montiuagos pet. *emendat*; Panas quæ Dryades montiuagos petunt. *hac mente & ordine verborum*; *Te Hippolyte lasciuæ Deæ petent ob tuam hanc formam*; *illæ ipsæ Dryades, quæ Panas & Satyros solitæ furtim petere. confirmatum Moguntin. scriptura. Ego id sequor. nec displicet tamen Equiani lectio. nam illud*; multiuagæ, *in nullo libro inueni nisi in Saxonicâ illa editione. imò puto puram putam illam, quam Herbipol. & antiquæ editiones retinuerunt, & cetera ab adtextu. significat ergo, nec à Dryadibus lasciuis nemorum incolis, nec à salacibus Faunis securum futurum. Suspicatus sum aliquando ex coniecturâ*:

Lasciuæ nemorum Deæ,
Montiuagique Panes,
Panes qui Driadas montiuagas petunt.

sed nihil affirmo.

783 Sidus post veteres Arcades editum] *Luna. Lycophroni Arcades,* Antelunares. *Apollonius,* Arcades illi qui ante Lunam exstiterunt. *Nonnus*; Arcades Antelunares qui pullularũt soli Antiquiores Sole, & priores ortu Lunæ. *Eudoxus*; Arcades creduntur ante Lunam geniti. *Iccirco Strabo scribit Græcanicarum vrbium antiquissimas videri Arcadicas. Primus hoc de Luna traditur à Stephano confinxisse Hippys Rheginus. causam fabulæ tradit Lucianus in Astrolog. propter primò deprehensum in Arcadiâ Lunæ cursum*; *scilicet ab Arcade Endymione, vt & interpres Apollonij in li. 4. ad ver. 264. vbi & alia multa ex Aristone Chio, Dionysio Chalcidense, Duri, Mnaseâ, Theodoro, & Aristotele*; *quæ non vacat ascribere. hoc tantum, Arcades dictos ab Arcade Orchomeni F. & licet magna illorum antiquitas, non tamen conferendam cum AEgyptiorum vel Phrygum vetustate*; *quos Gentiles vetustissimos putarunt. AEgyptios quidem Cosmes lib. 1. AEgyptiacor. Cnossus lib. 1. description. Asiæ, Archemachus in Metonymiis, Apollonius 4. Argonaut. Xenagoras lib. de temporibus, Nicanor, Hippys & alij. Phrygios, Herodotus & Claudianus, etiam AEgyptiorum confessione. vide Scholiast. Apollonij in lib. 4. versu 262. sed sacræ litteræ docent hos omnes à Chaldæis defluxisse.*

785 Nuper rubuit] *existimabant Lunam mago carmine sollicitatam rubore suffundi, vel ob magarum impudentiam & scelera*; *vel laborantem, vi carminis. Horatius*: ——— Lunámque rubentem

Ne foret his testis post magna latere sepulcra.

In defectu, idem illi à veneficis euenire putabant. qua in re tam superstitiosi Athenienses, vt eos qui veram Eclipsis causam adferebant, tanquam impios, viuos exusserint, teste Plutarcho in Pericle, vbi hac de re fusè disserit. Romanos in Macedoniâ belligerantes tinnitum dedisse, tuendæ Lunæ gratiâ, refert idem in AEmilio. Comment. Iuuenalis; *Sat. 6.* Sonitus fieri assolet, quando Luna deficit. *Alicubi legi Indos hoc Lunæ vitium copiosò fletu prosequi solitos, quod arbitrarentur eam à Sole ad sanguinis vsque effusionem flagellatam. Ouidius*:

Quale rosæ fulgent inter sua lilia mistæ,
Aut vbi cantatis Luna laborat equis.

Papinius: —— qualis per nubila Phœbes,
Athraciâ rubet arte color.

788 Thessalicis] *Sosiphanes etiam in Meleagro, testatur olim creditum Thessalicarum mulierum cantibus Lunam ab æthere descendere :*

μάγοις ἐπῳδαῖς πᾶσα Θεσσαλὶς κόρη,
ψευδὴς σελήνης αἰθέρος κατεβάτις.

789 Tinnitus] *peluium tinnitu & tubarum strepitu deficienti Lunæ auxiliabantur. Tibullus:*

Cantus & è curru Lunam deducere tentat:
Et faceret, si non æra repulsa sonent.

nimirum, si non exaudiret, minus illi verba molesta, vt ex Manilij, Ouidij, & aliorum testimoniis Turnebus lib. 22. aduers. cap. 23.

795 Pario marmore] *quicquid dicat Cardanus in lib. de subtilit. candidum marmor Parium; candidum, fuit. Vnde Sidonius in Burgi descriptione,* Paron candentem *vocauit versu 140. & lib. 2. ep. 2.* Si marmora inquiras; non illic quidem Paros, Carystos, Proconnyssus, Phryges, Numidæ, Spartiatæ rupium variatarum posuere crustas : neque per scopulos Æthiopicos, & abrupta purpurea genuino fucata conchylio sparsum inibi saxa furfurem mentiuntur. *& in epithal. Ruricij:*

Hic lapis est de quinque locis, dans quinque colores,
Æthiopus, Phrygius, Parius, Pœnus, Lacedæmon,
Purpureus, viridis, maculosus, eburnus, & albus.

Prudentius etiam docet Laconicũ marmor, viride; synnadicum, maculosum fuisse: Quæ viridis Lacedæmon habet, maculosaque Synna
Natiuum nemo scopuli mihi dedicet aurum.

maculas verò Synnadici sanguineas docet Papinius in balneo Etrusci, & Numidicum lapidem aurei coloris fuisse. de Pario Plinius lib. 36. cap. 5. Candido marmore vsi sunt è Paro insulâ; quem lapidem cœpere lychnitim appellare, quoniã ad lucernas in cuniculis cæderetur. auctor est Varro.

795 Torua viriliter] *cultu fingitur à quo sordes & immunditiæ absint, nec tamen superfluo ornatu comtus; quam mediocritatem & verè virilem habitum laudat Epictetus apud Arrianum lib. 4. cap. 11.*

798 Nescia colligi] *sic crines in nodum colligi ab Ouidio, in sinum vestes â Marone dicuntur.*

802 Licet-arceas] *possis arcere, si velis. sed nihil dubito in his tribus versibus aliquid vitij latentis esse : ad quod me deprehendendum non iuuant exemplaria.* 804 Iam iuuenis] *Moguntin.* Nam iuuenis.

813 At si] *Moguntin. & quatuor veteres edit.* aut si. *melius.*

821 Quid sinat inausum] *Valerius epist. ad Rufinum* : Insani capitis & præcipitis est femina, indeliberatâ semper voluntate: præcipuum arbitratur quod vult, & quod non expedit. *habetur inter epist. D. Hieronymi. Feminæ etsi (vt aiunt Plato lib. 7. de legibus, & Xenophon in Oecon.) in*

ceteris rebus sint timidiores; in iis tamen quæ libidinosè appetunt, excellunt audaciâ, maximè si se deprehensas intelligant, vt hoc loco Phædra. Iuuenalis Sat. 6. ——— nihil est audacius illis

Deprensis. iram atque animos à crimine sumunt.

Plautus, in Milite glorioso,

Neq. eques, neq. pedes præfectus quisquam tantâ audaciâ est:
Qui æquè faciat confidenter, quàm mulieres faciunt.

plurima in hanc sententiam accumulat Tiraquellus leg. 9. connub. à nu. 158.

823 Et sceleri] sic Moguntin. sic ceteri mei m.s. quibus sum vsus. nec video cur non hoc germanum. sensus: & conatur fidem facere scelesto suo mendacio, comâ vulsâ & scissâ, partim ab Hippolyto (qui superius impudicum crine cõtorto caput lęuâ reflexit) partim ab ipsamet, ad fraudẽ cõfirmandã.

828 Paria Pirithoo] Herbip. & Veneti omnes, Pirithoi. sæpè multumq. suspicatus fui legendum, Hippolyto, admisso hiatu. nec despero olim aliquem id m.s. confirmaturum. sanè sensus postulat. Ait enim ex Orco pallidum venisse Theseum, & in hoc Pirithoo dissimilem. atqui id vtrique commune, si Pirithous remeasset nunc nec remeauit. occisum enim à Cerbero tradũt omnes, solumq. AEgæi filium ab Alcide reductum. Vide Apollonij Scholiast. in lib. 1. versu 100. & descripserat obitum illius Euripides in Pirithoo, ex quo nonnulla idem Scholiast. in 4. Argonaut. Et cur, quæso, Pirithoo similem Theseum dicat? cur Pirithoum æqualem Thesei, eius comparatione iuuenem appellet? omnia Hippolyto conueniunt. simillimus ille Theseo, Phædra iudice. sed pallidior nunc Theseus, quia ab inferis reuersus iuuenis Hippolytus, pater Theseus.

IN ACT. III.

Redit ab inferis Theseus: decipitur à Nutrice & Phædrâ. occasio relictus à fugiente Hippolyto gladius. iratus pater exitium filio imprecatur.

832 Vt vix cupitum] Eguian. Et vix cupitum sine notâ interrogationis.

833 Quarta eleusis] ex hoc loco colligere nequeas Eleusinia sacra singulis annis fieri solita. sensus enim; Eleusis Attica vrbs iam quartò messem collegit. Natus ibi Triptolemus. ideo subdit, dona Triptolemi, hoc est, frumentum. Triptolemum, Celei Regis Eleusinij filium, Ceres agriculturam docuit, & seminandi artem, per orbem suo curru vectum, hominibus tradere iussit. Triptolemum tragœd composuit Sophocles, cuius meminere Dionys. Halycarnass. lib. 1. & Strabo lib. 15. vide Virgil. 1. Georg. & ibi Seruium, & Ouidium 5. Metamorph. sed quia de donis istis Triptolemi, eorumq. generibus, valdè controuersatur inter scriptores, etiam Theologos; ad constituendam definiendamq. certam Sacramenti Eucharistiæ materiam; non ingratum studiosis futurum credo, si quid apud veteres scriptores hac de re obseruauerim, hoc loco proponam. cui displicent huiusmodi emansiones, transiliat aliquot paginas. Inprimis didici fruges diuidi in frumenta & legumina. de leguminibus, nunc nihil. hæc enim non computantur inter Triptolemi dona: sed frumẽtum dumtaxat propriè acceptum. Nam frumenti vox aliquando latissimè sumitur, pro omni fruge, & tunc diuiditur in frumenta hyberna & æstiua pro ratione

De frugum generibus, diligens disceptatio.

De Frumento.

tione sationis, & tunc etiam quædam legumina continentur. sic sumsit Plinius li. 18. cap. 7. quando hyberna frumẽta vocat triticum, far, hordeum; æstiua, milium, sisama, & panicũ, quæ tria propriè esse legumina docet Columella lib. 2. cap. 7. licet ipse postea cap. 9. inter frumenta (*inquit*) etiam panicum & milium ponenda sunt, quamuis iam leguminibus ea contribuerim. *vtens scilicet hoc cap. 9. latissimâ frumenti acceptione: cap. autem 7. strictiore. eâdem latitudine Plinius lib.* 18. *cap.* 10. æstiua frumenta diximus, sisamam, milium, panicum. *Minus latè autem sumitur frumentum, vt opponitur leguminibus, quemadmodum à Plinio d. cap. 7. quando dicit, prima frugum genera esse frumenta & legumina: & à Varrone li. 1. de re rust. cap. 48. quando frumentum dicit esse id, cuius culmus spicam effert. & tunc, hordeum eâ voce continetur. sic sumunt, qui hordeum frumentis annumerant, vt Plinius d. cap. 7. cùm ait*: primùm ex frumentis seritur hordeum. *& postea*: hordeum ex omni frumento minimè calamitosum. *sic etiam sumitur frumentum à Palladio initio mensis Nouembr. & initio Decembr. Videtur etiam inter frumenta poni à Columellâ cùm ait: li. 2. cap. 9.* proximus est his frumentis vsus hordei. *& Isidoro li. 17. Origin. cap. 3. Sanè Columellam d. cap. 7. cùm hordeũ ponit inter legumina, vel hallucinatũ, vel mendosum puto. Tertiò frumentum accipitur maximè presè & strictè, vt opponatur etiam hordeo, & comprehendat solum triticum & far. sic Plinius d. cap. 7. cùm ait*: Frumentum verò & hordeum. *item*: frumentum verò & hordeum, vitiáque. *& postea*: calamus frumento altior quàm hordeo. arista mordacior hordeo. *& sæpius eodem cap. Item cap.* 8. Frumenti genera non eadem vbique, neque vbi eadem sunt, iisdem nominibus. vulgatissima far, quod adoreum veteres vocauere, siligo & triticũ hæc pluribus terris communia. *deinde quarundam terrarum frumenta enumerat*, Arincam, Zeam, Olyram, Tiphen, *scilicet minus notas frumenti species. ita sumitur strictissimè Ezech.* 4. Sume tibi frumentum & hordeum. *& à Columella li. 2. cap. 6. cùm diuidit frumentum in triticum & semen adoreum. & sic videtur accipere Palladius lib. 6. cap. 1. & lib. 10. cap. 2. & 4. & lib. 11. cap. 1. & forte Nonius cùm dicit, ador esse frumenti genus.* Triticum *quoque eodem modo varias habet significationes. prima latissima; pro subalternâ specie frumenti, vt omnia illa contineat, quæ* frumentum *strictè sumtum, nempe adoreum, & omne quod triticum dicitur, vt adoreo opponitur. sic videtur accepisse Varro lib. 1. cap. 45. & 48. cùm hordeũ soli tritico opponit, non factâ mentione farris: & D. Isidorus d. cap. 3. vbi expressè adoreum vocat tritici genus. item, cùm*: Siligo (*inquit*) est genus tritici. *& Plinius d. cap. 7.* Et in tritici genere, pars aliqua pabuli est quadrupedum causâ sati, vt farrago. *vbi farraginem ponit inter species tritici; sed farrago dicitur, quæ ex recrementis farris gignitur in vsum pecorum admixto hordeo vel vitiâ, iuxta Plinium d. lib. cap. 16. Secunda tritici acceptio strictior est, lata tamen; pro subalternâ specie tritici, vt comprehendat plures infimas tritici species. sic sumitur in sacris litteris Exodi 9. circa finem, vbi apertè separantur far, triticum, hordeum. sic Varro lib. 1. cap. 44. quando distinguit triticum, far, & hordeum. sic Plinius*

De tritico. Sitos.

nius d.cap.7. quando dicit, genicula tritico quaterna, farri sena. *sic qui dispescunt frumentum in triticum & semen adoreum, vt Columella vbi sup. Plinius cap.24. & Palladius lib.10. cap.2. Columella namque scribit tritici genera esse complura: præcipua, tria. primum quod vocatur robus, pondere & nitore præstans: alterum quod dicitur siligo, quod pondere deficitur, (Plinius cap. 8. candore præstare, sed sine pondere, sine virtute esse) quare* tritici vitium *vocat: tertium, trimestre, quod ipsum quoque siliginis sit genus. quo tamen nomine Plinius cap.7. Columellam carpit, censens non siliginis, sed propriam, tertiamq́ tritici speciem esse trimestre, & à Græcis τριμήνον vocari.* trimense *appellat Isidorus. Plinius etiam quartam addit speciem, tritici bimestris.* Reliquæ tritici species *(inquit Columella)* nisi si quos multiplex varietas frugum, & inanis delectat gloria, superuacuæ sunt. *Inter has à Columella omissas reposuerim, Arincam, Olyram, Tiphen: licet non desint, qui olyram eandem cum arincâ, & vtramque cum siligine idem putent. vide Plinium cap.7, 8, & 10. sic etiam accepit D.Isidorus d. c.3. cùm ait:* siligo genus tritici à selecto dictum. nam in pane species eius præcipua est. *Et Plinius d.cap.8.* siliginem dixerim propriè tritici delicias. *quia, vt inquit cap.9.* è siligine laudatissimus panis, pistrinarúmque opera laudatissima: *quem panem commendat Seneca in epist. non vno loco. Hispani, robum vocant* trigo ruuion; *Belgæ, Zeelandicum triticum. Siliginem Hispani,* trigo candial; *Belgæ, Hyemale triticum.* Trimestre *Hispani,* trigo tremesino; *Belgæ, æstiuum triticum. vnde apparet hodie his gentibus tritici species esse, siliginem, robum, & trimense. Vltima & maximè propria strictissimaq́ tritici acceptio est, pro specie vt vocant infimâ seu specialissimâ tritici, vt opinor pro solo robo; quod per excellentiam tritici nomen sibi vendicat. sic sumo illa Plinij cap.8. vulgatissima frumenti genera esse adoreum, siliginem, & triticum. vbi vides eum (non satis aptè) vnã speciem subalternam, scilicet adoreum, coniungere duabus infimis, tritico, & siligini: vt & cap.7. cùm diuidit in far, siligenem, & hordeum, & passim eodem & sequentibus capitibus. & cap.8. cùm dicit siliginem in quibusdam regionibus biennio in triticum transire. quibus locis apertè tritico opponit siliginem, quam tamen alibi tritici speciem esse fatetur. Fortassis denique triticum aliquando sumitur pro robo & trimestri; vt cùm Columella d.cap.9. scribit omne triticum in solo vliginoso post tertiam sationem conuerti in siliginẽ. cur enim addit* (omne) *si de solo robo id accipiendum? Nunc de Farre.* Far *antiquis omne adoreum, teste Plinio. aliis tamen farris species videtur adoreum, vt Seruio, Festo, Varroni; qui iccirco far adoreum, cum addito nominant. Aliis omne far, dicitur ador vel edor, & pro eodem sumuntur far, ador, semen, & quod vulgus nominat bladum, ita censet Ruellius li.2.cap.17. Columella quattuor farris species recenset. far Clusinum, candidius & nitidius: far vemmiculum, rutilum; & far vemmiculum candidum, vtrumque ponderosius Clusino: quartum trimestre semen (trimense Isidoro) pondere & bonitate præcipuum, cui nomen Alicastrum, quia Alicæ simile sit. sic enim Columella, ex quo emendandus Isidorus, cuius ca.3. verba perturbatè leguntur. Clusinum fortè idem cum* zeâ, *siue vt vulgò dicitur* speltâ. *Profectò D.Hieronymus* zeam *significat*

De Farre. Gloss. Far & ador.

ficat populariter speltam vocari, & videtur cum farre confundere, in cap. 4. Ezech. & in cap.28. Isaiæ. putantur etiam Herodotus, Galenus, & Dion. Halycarnass. velle zeam & far idem esse. sed Plinius à farre zeam (quam propriè semen *vocari scribit) distinguit. dicit enim cap.*8.qui zeâ vtuntur, non habent far. *& cap. 24.* Serere in iugero temperati soli iustum est tritici aut siliginis modios quinque, farris, aut seminis (quod frumenti genus ita appellamus) decem, hordei sex. *&c. Gorrhaus etiam scribit, zeam, frumenti esse genus tritici simillimum. Sed Plinius fortassis ibi, far sumsit, pro peculiari aliquâ farris specie, vtputa Venniculo, vel potiùs Alica-*

Gloss. *Alica* χόνδρος Spelta ὄλυρα.

stro; vt hoc per excellentiam fardicatur. Alica enim, cui simile Alicastrum, frumenti genus, nempe adorei siue farris, ex Plinio patet, & ex Palladio in Iunio cap.12. & alicæ vitium zea, hoc est, quæ iusti ponderis alica non est, zea nuncupatur. sic enim Plinius cap. 11. Ex zeâ pulcrius quàm ex tritico fit granum, quamuis id alicæ vitium sit. *quod sanè speltæ nostra quadrat. Meo ergo iudicio spelta seu zea farri annumerāda: fortassis &* Olyra, Arinca & Typhe. *quamquam de his ambigo. illud mihi scire videor,* Typhan

Sot. in 4. sent.

apud Plinium pro blattâ, *seu vulgari siligine, quod Sotus obtrudit non inueniri: & imperitè, à quibusdam Lexicis Zeam hordeo annumerari. Apud Plinium etiam inuenias cap.7. in Galliis nasci speciem farris;* quæ (*ait*) dicitur illic brance (*fortè legendum* blanche *vt habet Ruellius, & hoc hodie nomen retinet*) *& Latinis* sandalam *dici ac esse nitidissimi grani. fortè est* scindila *D. Isidori. His addo vulgum malè accipere vocem* siliginis, *pro eo quod Galli* segle; *Germani* roggenkoren *vocant. nam hoc Latinis dicitur vel* secale, *vel* centenum, *vel vtroque nomine, quod arbitror. Centenum dici testatur D. Isidorus, quod centum grana ferat culmus, & nomen adhuc in Hispania seruat,* centeno. secalen *Ruellius scribit frugis esse genus, quod Galli* seclam *vocant. de quo ita Plinius li.*18.*cap.*16. Secale Taurini sub Alpibus Asiam vocant deterrimum, & tantum ad arcendam famem vtile: fecundâ, sed gracili stipulâ; nigritiâ triste, sed pondere præcipuum. admiscetur huic far, vt mitiget amaritudinem eius, & tamen sic quoque ingratissimum est ventri. nascitur qualicumque solo cum centesimo grano. *fortassis à D. Hieron. in cap.4. Ezech. nominatur,* sigala. *Plinius à farre discriminat. frumentum esse nemo ambigit. ad quod tamen, farrisne, an tritici genus reduci debeat, ignoro. mallem ad farra.* Panicum *&* fagopyrum *ad legumina perspicuè pertinent.*

De Hordeo. Glossar. Hordeum κριθή.

Apud nullum scriptorem memini me legere tritici appellatione hordeum comprehendi, nec potest nisi prorsus impropriè & nouè triticum pro quouis frumento velis accipere. est enim hordeum frumentum quidem, sed si frumentum non strictissimè, sed latè sumas, vt opponitur leguminibus, vti diximus.

De Pane.

Ex frumento panis *fit, de quo vnum verbum adijciam. Aliquando* panis *sumitur latissimè pro quacunque farinaceâ massâ decoctâ, ex quacunque illa sit materiâ, siue ex herbis, vt lotometrâ (de qua Plinius 22.cap.21.) vel asphodelo (d.lib.22.cap.22.) siue ex fructibus, vt caricis, castaneis; siue leguminibus, vt fabis; siue frumento, & hordeo, &c. idq. siue ad vsum hominum, siue pecorum. Secundò accipitur non ita fusè, pro massâ deco-*

decoctâ solùm ex frumento. Et huiusmodi panis, vsibus hominum deseruit, siue id semper & vt plurimum, vt farreus & triticeus; siue apud quosdã dumtaxat penuriâ melioris, vel tempore necessitatis apud quoslibet, vt indigentiam subleuet: & talis est hordeaceus panis, hodie saltem. Nam licet Iudæis & aliis gentibus olim in vsu, non tamen nisi exigente necessitate, vel paupertate. quod ad Iudæos, patet id, tempore sterilitatis & famis. 4. Reg. 4. & in deserto ac solo loco, Ioan. cap. 6. vel mysterij significandi causâ Num. 5. Indis olim panis præcipuus ex hordeo satiuo & siluestri, teste Plinio cap. 7. vbi etiam legas, antiquissimum in cibis hordeum, sicut Atheniensium ritu, Menandro auctore, apparet, & gladiatorum cognomine, qui hordearij *vocabantur. & cap.* 10. Æthiopes non aliam frugem, quàm milij hordeíque nouere. Sed (*vt idem scribit cap. 7.*) panem ex hordeo antiquis vsitatum vita damnauit, quadrupedúmque tradidit defectibus. *Vnde apparet iam Plinij tempore eius vsum desiisse, vt aduertit Volaterran. Philolog. ca. 26. & propterea ignominiæ causâ solitos Romanos militibus hordeaceos panes dare. Eodem sensu Columella lib. 2. cap. 9. panibus ex milio & panico nonnunquam pro cibariis colonos vti solitos testatur. & cap. eodem hordei duo genera ponit, vnum quod vocant* hexastychum *siue* cantherinum, *quo iumenta melius quàm bono tritico pascuntur, homines verò salubrius quàm malo tritico: alterum* Distychum *siue* Galathicum, *ponderis & candoris eximij, adeo vt tritico mistum egregia familiæ cibaria præstet. Isidorus tertium genus addit* trimense, *quod dũ cogit necessitas, verno seminatur, & celeriter metitur. Tertiò panis potest accipi, pro eo solùm pane, quem cunctæ nationes, & in communi hominũ vsu, panem solent appellare, vt est triticeus & adoreus. Quartò sumitur pro aliquo singulari pane, qui non nisi secundùm quid panis (de cuiusmodi pistoriis videndus Plinius d. cap. 11. & lib. 22. cap. 25. li. 19. cap. 4. & lib. 20. cap. 15. &* 17.) *vt sunt qui anyso, cumino, & similibus miscentur; quod si fiat modicè, non propterea veri panes esse desinent, dummodo communis panis essentia non corrumpatur. Græcis panis, ἄρτος à verbo ἀείρω (hoc est tollo) & dicitur quasi εἰς ἀέρα αἴρω, teste Eustathio: sed Thomas Magister putat dici, quòd naturam seu corpora nostra eleuet. Et verisimilius est ab ἀείρω formatum ἄρω per contractionem, quod ipse Eustathius alibi non diffitetur; quam è contra. Vnde apparet non repugnare Etymologiam, quominus azymum panem, verum esse panem dicamus. Hæc de donis Triptolemi, Theologis nostris futura non inutilia. Queritur Theseus, se quòd reuersum domum tamdiu morer in limine. illum audite.*

849 Et limine in ipso mæsta] *sic omnes mei m. s. sic tres Veneti, & Herbip. sed N.* Et limine in ipso vasta. *Lugdun.* Liminéque in ipso vasta. *Basil.* & limine ipso vasta. *nonnulli*; in limine ipso mæsta.

860 Postis lares] *Moguntin.* postes laris.

873 Primus sile] *sic manusc. plerique & Eib. rectè. Moguntin.* primũm *Herbipol. & Veneti*; prius.

878 Dum lachrymant sui] *sic etiam plerique m. s. & ita N. sed Mogunt. & Lugdun.* lachrymandum suis. *Veneti*; lachrymantibus suis.

896 Atthææ] *alij;* Actææ. *parum refert. significat auream cicadam ensis capulo insculptam vel infixam. hæc enim Atheniensium regum nota. Quisquis ille est, in Cyri, de Niso Pandionis Atheniensium Regis filio:*

Ergo omnis caro residebat cura capillo.
Aurea sollemni comtum quoque fibula, ritu
Mopsopio, tereti nectebat dente cicadæ.

Idem testantur, Nonnus Dionys. ιγ'. Aristophan. Thucydid. Ælian. Philostratus, D. Greg. Nazianzenus, & Clemens Alexandrinus, & alij. solius Tertulliani verba adscribã è lib. de velandis virginibus: Debebunt etiam (*inquit*) & aliqua insignia sibi defendere, aut pennas Garamantum, aut crobylos barbarorum, aut cicadas Atheniensium, aut cirrhos Germanorum, aut stigmata Britonum. *Nisi valdè fallor, D. Isidorus lib. 19. Origin. ca. 30. scripserat:* Athenienses enim cicadas aureas gerebant, partim in vertice, nonnulli in fronte. *pro eo quod perperam postea editum;* Athenienses enim cyclades aureas. *nimio profectò luxu, & miseras feminas, si aureas in capite cyclades gestabant, quas vix humeris baiulare quiuissent. nimis æstate graues, nimis hieme algidas. meritò illis laneas Dionysius suffecisset. nec dicendum,* cycladem *pro coronâ positam. nouum id, & falsum.*

910 Nulláque victum] *sic m. s. & N. sed Lugdunens.* Non vlla. *malè Veneti;* non nulla.

Lege melioris soli] *Metaphora à plantis sumta, quæ in melius solum translatæ feritatem amittunt & mitescunt. de Attici, de quo agit, soli vbertate ac præstantiâ legendus Aristides in Panathenaicâ.*

916 Turpibus] *sic manuscr. hinc vet. impress. per errorem;* turbidus. *vnde Lugdunens.* turbidis. *fædos (ait) animos tegi pulcrâ facie: plumbeum gladium, inauratâ vaginâ.*

914 Triste] *seuerum ac graue. sic sumi docet Nonius ex Afranio, Terentio, Cicerone. sic Seneca epist. 36.* Ariston aiebat malle se adolescentem tristem, quàm hilarem & amabilem turbæ. vinum enim fieri bonum, quod recens durum & asperum visum est: non pati ætatem, quod in dolio placuit. Sine eũ tristẽ appellent, & inimicũ processibus suis; bene se dabit in vetustate ipsa tristitia. perseueret modò colere virtutẽ, *&c.*

921 Ordiri virum] *virilitatem primam experiri. Attius, Amphitryone:* Non paruam rem ordibor. *Afranius, suspectâ:* Tamen animo me ordiri oportet paulla paullulum. *Claudianus:*

Ordirique virum non luxuriante iuuentâ.

924 Antiope] *sic omnes lib. ad normam tamen Carisij lib. 1. dicendum foret;* Antiopa. *sic autem vocat etiam Philochorus; sed Trogus & Clydimus Hippolyten.*

929 Orbémque nostris pedibus obuersum] *admisisse videtur Antipodes, vt & ferè omnes antiqui, Strabo lib. 1. Cleomedes lib. 1. Meteor. Manilius lib. 1. Mela lib. 1. Plinius lib. 2. cap. 67. & lib. 6. cap. 66. Solinus, Capella, Macrobius, alij. Negasse quidem videntur D. Augustinus lib. 16. de ciuit. Dei cap. 9. & Lactantius lib. 5. cap. 14. & Lucretius lib. 1. & ex Neo-*

tericis

tericis Galeottus Marcius lib. de vulgò incognitis. Sed eorum opinionem refutant Albertus Magnus lib. de Natur. locorum d. 1. cap. 12. Franc. Iunctinus in Sphæram Sacrobusti, Lucillius Philaltæus in libros Aristot. de cælo, & Stofflerinus in spheram Procli à fol. 49. Nec hodie fermè quisquam qui Aduersipedes non admittat.

936 Abstrusa] *Moguntinens. & Burdegalens. manusc.* obstrusa. *idem in Claudiani memb. obseruaui, in Prudētij alij. cur ergo de hac voce dubitemus?*

940 Trina] *Moguntin.* terna.

942] Regnator freti] *Arnobius lib. 3.* Stygij frater Iouis, Olympiiq. germanus, tridenti armatus ferro, pistricum dominus atq. menarum, rex salsorum gurgitum, & tremebundi motator sali.

938 Vota mittam] *putabant diris & votis quem interfici posse. Oedipus Sophoclis; votis suis, alteri mortem properatam suspicatur. & apud Petronium alius,* votis absentem interficit hostem.

955 Ab ipso tumidos] *sic Veneti tres, & N. sed tunc in quartâ sede pes non legitimus. m. s. & Lugdun. & Herbipolens.* tumidos ipso ab.

IN CHORVM.

Queritur, cùm cetera rectè regantur à Deo, res humanas negligi. bonis non benè, malis benè cuncta cedere. vetus, sed iniqua querela, de qua nos alibi. Hunc chorum ferme totum imitatur Boëtius, de Consolat. philos. Metro. 1. cuius initium: O stelliferi conditor poli.

960 Polos] *censuit ergo polos esse mobiles. & verè cum vniuerso mouentur, tantumq́; Mathematicâ abstractione finguntur immoti. Vide Philalteum in libris de Cælo, & Carpentarium 2. Physicor. cap. 3.*

663 Vt nunc canæ] *Annum in quatuor diuidit partes, etsi latenter. ver describit, dicens:* Nunc arbustis redeunt vmbræ: *Auctumnum verò:* Viresque suas temperat annus, *addens. Anni enim fretus, & medius inter æstus summos, summumq́; frigus, æstatem & hyemem, quas significat, his versibus:* vt nunc canæ frigora Brumæ nudent siluas. *&:* Nunc æstiui colla leonis Cererem magno feruore coquant. *Elegantissimè has anni vices, Catullus depinxit:*

Mihi corolla picta vere ponitur,
Mihi rubens arista sole feruido,
Mihi virente dulcis vua pampino,
Mihique glauca duro oliua frigore.
Meis capella delicata pascuis
In vrbem adulta lacte portat vbera.
Meisque pinguis agnus ab ouilibus
Grauem domum remittit ære dexteram:
Tenerque matre mugiente vaccula
Deum profundit ante templa sanguinem.

quid tenerius, delicatius, purius? Vide sup. Med. versu 714.

969 Vasti pondera mundi] *adeo vasti, vt infinitum censuerint Seleucus Erythræus, & Heraclides Ponticus, propter difficilem partium eius enu-*

merationem commensurationemq́ʒ: Verè tamen in se finitus est. iuxta Ocellum Lucanum, Platonem in Tymæo, Ciceron. & Apuleium in lib. de Vniuersitate. Stobæum lib. 1. eclog. physic. cap. 25.

972] Hominum nimium securus ades] *cùm sis præsens & adsis, tamen negligis humana. plus est negligere præsentia, quàm absentia. sed sunt qui ex coniectura audent;* audis. *vt inquiat;* Cur tu ô magne Deus, cùm cetera mundi cures & dirigas, culparis tamen & audis securus hominum? *hi parum aduertunt (monendi, non mordendi, dictum gratiâ. stringũt amicitiæ iura, monita: soluunt cauillationes) id fieri contra versus legem, si retinent distributionem versuum, quam post N. ponunt, & quæ m. s. est;*

—— hominum nimium
Securus, ades, non sollicitus. *tunc enim;* Securus audis non sollicitus. *nequit inter anapæsticos consistere. Nequibit etiam quamuis sequamur Lugdunens. & alios, qui cùm superius diuiserint versum illum:*
Nudent siluas, nunc arbustis: *consequenter hoc loco habent:*
Hominum nimium securus, ades,
Non solicitus, *&c. nã tũc superesset syllaba;* hom. nim. sec. audis. *porrò hæc, ex Epicuri scholâ; quæ Deos curare mortalia negabat. Virgiliana Dido:* Scilicet is superis labor est, ea cura quietos
Sollicitat —— *Imò verò idipsum Chrysippus & Stoici, & ex eorum sententiâ noster. Theophilus li. 2. ad Autolic. testis,* ἔνιοι μὲν τῆς στοᾶς, ἀργοῦνται καὶ τὸ ἐξ ὅλου θεὸν εἶναι: ἢ εἰ καὶ ἔστι, μηδενός φασι φροντίζειν τὸν θεὸν, πλὴν ἑαυτοῦ: καὶ ταῦτα μὲν Ἐπικούρου καὶ Χρυσίππου ἡ ἄνοια ἀπεφήνατο. *Stoicos quidem in vniuersum Deos tollere; vel si quos esse fateantur, eos nullius cẽsere quàm sui curã gerere. Et hæc Epicuri ac Chrysippi esse deliramẽta.*

973 Non sollicitus] *vetus querela. cui similẽ queritur Philoct. Sophoclis:*

ἀλλ' εὖ περιστέλλουσίν αὐτὰ δαίμονες.
καί πως τὰ μὲν πανοῦργα καὶ παλιντρίβη,
χαίρουσ' ἀναστρέφοντες ἐξ ἅδου. τὰ δὲ
δίκαια, καὶ τὰ χρήστ', ἀποστέλλουσ' αἰεί.
ποῦ χρὴ τίθεσθαι ταῦτα· ποῦ δ' αἰνεῖν, ὅταν
τὰ θεῖ' ἐπαινῶν τοὺς θεοὺς εὕρω κακούς.

Rataller.

Curæ id Diis videtur esse atque studio,
Vt sceleribus contaminatos turpibus,
Vt fraude qui fas atque commiscent nefas,
Illos specus subire Tartareos vetent.
Quîs fas & animo iustitia sedet, statim
Mergant acerbo funere. at quid de his, cedo,
Esse statuendum existimas? quonam Deûm
Laudemus ore facta? multa perperam
Si statuere, malos si esse deprehendimus.

tales tui, Philocteta: quia non Dÿ. solus Deus, & vnus, bonus. solus, nihil perperam. Deus (*inquit doctiss. ille Panus lib. de Pœnitent. cap. 3.*) in omnia

sufficit.

sufficit. nihil à conspectu eius remotum, vnde omnino delinquitur. Quia non ignorat, nec omittit, quominus in iudicium decernat. Dissimulator & præuaricator perspicaciæ suæ non est. *cur ergo malus benè esse sinit? D. Gregor. in 3. par. Pastoralis*: Hostes Dei, etsi in sinistrâ eius proficiunt, in dextrâ franguntur. quia plerumque vita præsens prauos eleuat, sed aduentus æternæ beatitudinis damnat. *Alias causas tradunt D. Hieron. epist. ad Paullam de morte Blesillæ, & eloquentissimus Saluianus Massiliens. lib. 1. de prouidentiâ Dei.*

975 Fortuna] *Chæremon res hominum regi ait fortunâ non consilio*; τυχὴ τὰ θνητῶν πράγματ' οὐκ εὐβουλία.

976 Peiora fouens] *vide Stobæum Moral. serm.* 104. *vbi multa.*

877 Vincit sanctos dira libido] *libidinosi opprimunt castos. perperam hoc Daniel exposuit.*

981 Virtus] *virtutis studiosi præmij loco supplicia perpetiuntur, iniquam rectitudinis mercedem. hac de re Stobæus Moral. Serm.* 105.

987 Restátque mœstus lugubrem vultum gerens] *tres m. s. & in his Moguntin. cum hoc versu etiam alium habent, quem huic præponunt*: Rigátque mœstis lugubrem vultum genis. *Eguianus m. s. hunc solum exhibet, vulgari illo relicto. quod mihi probatur. nam si* citato gradu *accurrebat, quomodo nunc restasse dicit? nisi si quantum restantem, dolor citare gradum iubebat; tantundem, ire conantem, idem dolor prohibebat betere.*

IN ACT. IIII.

Fugerat impudicos amplexus Hippolytus, & in fugâ perierat. obitus historiam patri nunc Nuncius narrat. describitur etiam Thesei, eo audito, sensus medius inter patrem & iram. sumptus hic Actus ex Euripide in Hippolyto Coronato, cum quo vtile sit conferre, & cum Philostrato lib. 2. de imagine Hippolyti.

988 Nefandos] *non malè Eguian.* nefandi nuncium casus.

990 Non imparatum] *vt perturbatione vacemus, nullum efficacius remedium, quàm si crebro frustrationes & infortunia quæ euenire possunt, præmeditemur, vt præsentia (docet Epictet. in Enchir. cap. 7. & ibi in commentar. Simplicius) &, vt ait Horat. lib. 2. Od.* 10.

Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem, benè præparatum
Pectus. *porrò vt Theseus, sic Eurydice Sophoclea casum sibi lugubrem narrari postulat, & ait se non inexpertam malorum: In* Antigone extrema. ἀλλ' ὅστις ἦν ὁ μῦθος αὖθις εἴπατε.
κακῶν γὰρ οὐκ ἄπειρος οὖσ' ἀκούσομαι.

Gero] *Moguntin.* fero. *Porrò vt hic Theseus, ita Maronianus Æneas iactat, omnia se animo mala præcepisse, & secum ante peregisse. videlicet quia (vt ait Seneca epist.* 108.) nemo non fortius ad id, cui se diu composuerat, accessit, & duris quoque, si præmeditata erant, obstitit: at contra imparatus, etiam leuissima expauit. Id agendum, ne quid nobis inopinatum sit: &, quia omnia nouitate grauiora sunt; hæc cogitatio assidua

præstabit, vt nulli sis malo tyro. *Idem de tranquill. vitæ cap.* 11. quicquid enim fieri potest, quasi futurum prospiciendo, malorum omnium impetus molliet; qui ad præparatos exspectantésque nihil adferunt noui: „ securis & beata tantum spectantibus, graues eueniunt. *Cuiuis potest* „ *accidere, quod cuiquam potest.* hoc si quis in medullas demiserit, & omnia aliena mala, quorum ingens quotidie copia est, si adspexerit, tanquam illis liberum & ad se iter sit: multo antè se armabit, quàm petatur. Serò animus ad periculorum patientiam post periculum instruitur. *&* *Consolatione ad Marciam*: Necesse est itaque magis corruamus, quòd quasi ex inopinato ferimur. Quæ multo antè præuisa sunt, languidiùs incurrunt.

990 Luctifica] *luctu plena. sic alibi*; castificâ mente. *item* terrificum. *quæ sunt ἀρχαικὰ. ita Catullus*, mentem iustificam, *&* voces clarificas, *pro claris & iustâ. poßis tamen ea accipere, quasi effectum suum significantia vocabula.* 994 Hippolytus] *sic Euripides*:

Non est amplius Hippolytus. vt rem verbo eloquar.

Letho occubat] *Mogunt.* voto occubuit. *lego cũ aliis*; voto occubat.

1001 Multa secum effatus] *apud Euripidem quidem ista*:

O Iupiter, disperеam si fallam, & sons sim sceleris.
Pater, quàm nos indignè tractet, sentiat
Aliquando, seu mortui simus, seu luce fruamur superâ.

1004 Tum subitò] *sic Lugdun. melius ceteri*; cùm.

Tumuit] *Moguntinens. vt ceteri manusc.* tonuit.

1010 Saxa cum fluctu] *imitari fortaßis voluit pulcherrimum illud fragmentum Attij in Argonaut. conseruatum à Cicerone 2. de Nat. Deorum; quod exhibui, in fragmentis Attij.* 1013 Terram] *Moguntinens.* terras.

1017 Quæ nouum tellus caput ostendit astris] *emendaui*; —— quæ nouum tellus caput Ostendet astris? cyclas exoritur noua? *&c. admirantium verba sunt, & quærentium, quid vndæ illæ præ se voluent? quam mare molem ex profundo euomet?*

1019 Latuere nube] *Ego nil video mutandum, consentientibus quibus vsus sum m. s. & vulgatis omnibus. ait*: Nube *illâ* latuêre numẽ Epidauri Dei; *hoc est, templum Æsculapij*; & petræ Scironides scelere nobiles. *Nec necesse est Senecam rupis meminisse, quia meminit Euripides, cùm ipse petræ Scironiæ meminerit, Euripides litoris tantum. Verba Euripidis iam olim exhibui in aduers. quorum hic sensus*: —— vt meis oculis

Adimeretur prospectus litoris Scironij,
Operuit autem Isthmum, petrámque Æsculapij.

Epidaurus *vero opidum celebre, in mari Saronico supra Corinthum (de quo Plinius li. 4. c. 5.) sacrum Æsculapio; quod ibi editus fuisset à Coronide Phlegyæ filia, ex Apolline grauidâ, & morbis omnibus illic mederi cœpisset: ab Epidauriis, ad ceteras nationes cultus manauit. Pausan. lib. 2. seu in Corinthiac.*

1020 Scironides] *de Scirone latrone, & petris scironis nota res, ex Plutarchi Theseo, Pomponio Mela, & Notis in Claudian. Papinius* 1. *Thebaid.*

Infa-

Infames Scirone petras —— *de orthographiâ incertum. nam Græci modò per υ, modò per ει, modò per ι, ſcribunt.*

1021 Terra] *Iſthmus Corinthius.*

1025 Spumat] *nonne melius ſitum verſiculorum ſic immutes leni traiectione?* Qualis per alta vehitur Oceani freta,
Spumat vomitque vicibus alternis aquas,
Fluctus refundens, ore Phyſeter capax.

Phyſeter] *bellua marina prægrandis, ex balænarum genere, ore maximo, dentibus ſerratis, columnæ modo ſe attollens, & ex alto velis nauiū diluuiem quandam infundens, earumq; alueos quandoque deprimens. eructat, non ore, ſed fiſtulis quibuſdam in vertice prope oculos poſitis. quare verſus Senecæ ſic interpungi debet;* Fluctus refundens, ore Phyſ. cap. *Nec enim credendum, erraſſe Senecam hominem Turdetanum, cùm in eo mari frequens ſit piſcis, teſte Strabone lib. 3. vbi eum deſcribit, & à flando vult denominatum. quia cùm fluctus efflat, ſpeciem quandam nubis in columnæ formam effigiatæ ſpectantibus præbet. Ab Orcâ diſtinguitur, quia longior Phyſeter, & dorſuali ſpinâ caret. Oppianus lib. 1. Halieut.* φύσαλον *nuncupat. vide Arrianum lib. rerum Indicarum, qui de Phyſetere eſt intelligendus cùm ſcribit:* ὅτι κήτεα ταῦτα φερόμενα κατὰ τὸν πόντον ἀναφυσᾶ ἐς τὸ ἄνω τὸ ὕδωρ. cete eſſe quæ in mari volutantia aquam ſurſum efflent. *Ælianum lib. 9. de hiſtor. Animal. Plinium lib. 9. cap. 4. Solinum in Polyh. Wottonum lib. 8. de Differ. animal. & Rondeletium lib. 16. de Piſcibus.*

1028 Inuexit] *ergo venilia monſtrum in litus eiecit, non autem ſalaciâ recedente deſtitutum aquis, neque vi ſuâ fluctus ſcidit.*

1030 In terras] *Moguntin.* in terrâ.

1036 Et quem feri] *mixtus illi color terreſtris tauri, & vituli marini.*

1042 Succo] *ſic Moguntin. Herbipol. Veneti, Baſilienſ. Lipſienſ. Sed credo Lugdunenſ. qui;* fuco. *fuit enim ſic initio ſcriptum, inde vitioſè quidam;* fucco. *mox alij;* ſucco.

1043 Vltima in monſtrum coit facies] *totius corporis forma in monſtrum deſinit. Notum ex Nonio, faciē totius corporis formam deſignare. Pacuuius Nyptr.* facie procerâ virum. *apud Plautum Pœnulo, quidam interrogatus, Nutrix quâ facie foret, reſpondet:* ſtaturâ non magnâ, corpore aquilo. *& Salluſt. hiſtor. lib. 2.* Sardiniam dixit eſſe facie veſtigij humani. *hoc eſt, formâ. Porrò cod. Eguian. continet;* vltima in tergū coit facies.

1046 Priſtis] *ingens in Indico mari bellua, piloſa, parit animal. Plinius lib. 9. cap. 4. & 13. Secundùm quoſdam etiam* ſerra *Latinè, vulgò* Niuella, *vel* Caldero, *vel* Malthe: *quod vltimum nomen Suidas nouit:* πρήστις εἶδος κήτους θαλασσίου. ἡ λεγουμένη μάλθη. ὃ καὶ δυσανταγώνιστόν ἐστι. Priſten genus eſſe ceti marini, inexpugnabile, quod Malthe dicitur. *Queri ſolet, quomodo ſcribendum. Nam in Sidonij libris modò;* priſtis, *modò* piſtrix. *de Tritone:* —— iamque ſuam parcenti piſtre flagellat.
at alibi: Priſtigeno quæ concha vehit Tritone Cytheron. *In Virgilij codicibus vtrumque inuenias, vt & hoc loco apud Senecam, vbi quinque m. ſ. habent*

habent; pistrix,*vt & veteres excusi: recentiores* pristis. *Pedo Albinouanus,* pistres *vocat, nisi legendum* pristes. *Dan. Caiet. hic censet, pro ferâ* pistrix, *pro naui*; pistris *scribendum. Ego hoc discrimen non admitto. Seruius libro* 5. *Æneid. scribit* pristem *à sectione dictum. sanè Græcis* πρίειν *secare,* πρίσις *sectio,* πρίστις *sector. Et hoc animal constanter in Græcorum libris, Athenai, Polycharmi, Epicharmi, Aristotelis, Polybij, Æliani, Oppiani, Eustathij, Suidæ,* πρίστης, *&* πρήστις: *quod Quadrigarij apud Nonium, Valerij Flacci, & Plinij codicibus confirmatur. Quare existimo Latinè huic feræ non nisi* pristis *vel* pistricis *nomen conuenire. sanè, vt dixi, hoc loco, quinque scripti libri continent,* pistrix, *& Festi, Ciceronis, Ausonij, Arnobij, Annæi Flori, & Ausonij codicibus astruitur. & Gloss. Græcolat.* κητὶς Pistrix de belua. *habet. Latino-Græcum verò*; Pistrix κῆτος, καὶ ἀρτοποιός. *cur ergo apud Festum non posit legi*; pistricem,*cunctis libris suffragantibus? vide de hoc pisce Wottonum d. cap.* 195. *& Rondeletium lib.* 16. *de piscibus. De poculo verò eiusdem nominis Athenæum lib.*11. *cap.*11. *& cap.*15.

Aut reddit] *sincerum, ne dubita. sed Moguntin.* frangit.

1050 Discessit] *in nonnullis antiq. libris* diffugit.

1051 Solus immunis] *illustrantur hæc omnia Ouidiano loco, vnde sumta.* 15. *Metamorph. vbi Hippolytus ipse sic narrat:*

Cùm mare surrexit, cumulúsque immanis aquarum
In montis speciem curuari, & crescere visus,
Et dare mugitus súmmóque cacumine findi:
Corniger hinc taurus ruptis expellitur vndis,
Pectoribúsque tenus molles erectus in auras,
Naribus & patulo partem maris euomit ore.
Corda pauent comitum: mihi mens interrita mansit,
Exiliis contenta suis. tum colla feroces
Ad freta conuertunt, erectísque auribus horrent
Quadrupedes, monstríque metu turbantur, & altis
Præcipitant currum scopulis. ego ducere vanâ
Frena manu, spumis albentibus oblita, luctor,
Et retrò lentas tendo resupinus habenas.
Nec vires tamen has rabies superasset equorum,
Ni rota, perpetuum quæ circumuertitur axem,
Stipitis occursu fracta ac disiecta fuisset.
Excutior curru; lorísque tenentibus artus,
Viscera viua trahi, neruos in stirpe teneri,
Membra rapi partim, partim*reprensa teneri,
Ossa grauem dare fracta sonum, fessamque videres
Exhalare animam; nullásque in corpore partes
Noscere quas posses. vnúmque erat omnia vulnus.

*Forte; deprensa.

1057 Seque] *Pintianus lib.* sese. *at Moguntin.* Seque præcipitans satis Prolusit iræ. *Nec minus placet, quàm*; prælusit.

1060 Toruúsque currus] *sic legebatur olim in omnibus excusis. sed quia* moles,

moles, *præceßit, videns ego Solœcum monui in aduersar. legendum vel ex membran.* & torua, *vel ex coniecturâ*; taurúsque. *Mogunt. m.s. quemadmodũ & alij quattuor*; & torua. *quod cur non placeat? cur nos ad coniecturas?*

1070 At ille qualis] *Euripides in Hippolyto:*

Et dominus, vt qui iam multo tractandi equos
Vsu tritus erat; habenas corripit
Retentátque; ratem seu vir nauticus
Loris; corpora enitens retrò.

de aurigandi arte elegantes sunt Homerici versus Iliad. Ψ'. *commmendati Platoni in Ione.*

1073 Torto] *quidam libri*; certo. *non placet.*

1071 Currus] *Euripides quadrigam fuisse tradit. quomodo ergo Philostrato credemus? qui, in Amphiarai imagine, negat Heroum tempore quadrigam in vsu fuisse, præterquam soli Hectori. quomodo Dionysio? qui li.7. scribit Heroibus semper bigam vel trigam placuisse. Scio Homerum Achilli tres equos tribuere Iliad.* XVI. *sed alium poëtam quattuor; qui vidit*; Hectorem curru quadriiugo raptarier.

1082 In lora] *Ouid.* ——lorísque tenentibus artus. *Impreßi variant. Lugdunens. & plerique vett.* Præceps in ora gnatus. *alij*; In lora præceps fusus. *Moguntin. script.* In lora fusus implic. cadens. *hanc Hippolyti necẽ, ex nostro tempori vicinis poëtis suauiter Baltassar Castilio eleg. 2.*

1088 Indignans] *m.s. meus in contextu*; agnoscẽs. *sed in marg.* indignãs.

1095 Ambusta.] *Moguntinens.* adusta. *malè.*

1096 Eiecto] *sic rectè manusc. & excusi ferè omnes. hoc est, exstante, prominente extra solum.*

1099 Dominúmque rumpunt] *premi, non opprimi virtus potest; ad tempus, non semper innocentia vexari. hic ipsè tam miserè discerptus Hippolytus, post obitum diuinos honores consecutus. scribit Pausan. in Corinthiac. primum huic heroi Diomedem rem diuinam fecisse, lucumq́ ei cum delubro, & prisci operis simulacro dicasse: apud Træzenios solitum eidem sacerdotem anniuersaria sacra facere, & virgines absciſſum ante nuptias capillũ offerre: nec distractum ab equis, sed in cælum translatum, aurigæ sidus esse. Sunt qui à Dianâ vel Æsculapio suscitatum, in Aricinum nemus migrasse, & Virbium dictum velint, vt Ouid. 14. Metam. & Fast. 3. Higyn. in fabulis, & Plutarch. in Parallel. Staphylus etiam in Arcadic. ab Aesculapio curatum, & propterea sanitatis auctorem à Ioue fulminatum prodidit; sed repugnant Parrhasius, Phylarchus, Telesarchus, & alij, apud Sextum Empyricum contra Mathemat. cap. 16. Glossæ vett. in Iuuenalem dicunt Virbium vocatum, quia bis in vitam reuocatus.*

1100 Acutis asperi vepres rubis] *non commutem cum Moguntino, qui*; acuti asperis vepres rubi.

1108 Formæ] εἶδος, *Cicero & alij formam, speciem, figuram: quæ non tam in cutis colore, aut solo vultu, vt quidam putant, quàm in appositâ staturâ ad dignitatem, & in aptâ atque decorâ membrorum compositione, & conformatione*

matione lineamentorum posita. Qua de re sic iudicant philosophi. pulcrum tunc dici aliquem (vtar verbis Daniel. Barbari, XI. Comment. in Porphyr.) cùm partium ordine cõgruo, & debitis earum interuallis corpus habet distinctum, quodq́; aptâ magnitudine constat, & vbique decenti colore, tractisq́; decentibus lineamentis conformatur. nam cùm membra situm obtinent naturalem, suoq́; loco sunt aures, oculi, nares, pariq́; interstitio singula collocantur, & modus accedit; qui debitâ proportione seruatâ, magnitudinem conuenienter disponat: tunc pulcritudo inest, in quo hæc omnia reperiuntur. tres nasi in longum dispositi faciei longitudinem protrahunt: vtriusque auris semicirculi coniuncti, circularem oris hiatum implent: similis est superciliorum ratio. par verò labij, nasi, aurisq́; magnitudo. gemini orbes oculorum vni sunt pares oris hiatui. octo capita totius corporis protensionem complent; latitudinemq́; parem in latus brachiorum extensio facit. His oculorum splendor, partium ordo, linearum tractus, & color aptus accedat. Hæc illa species est præstantissima corporis, quam apud Athenæum & Stobæum serm. de pulchritudine Euripides, Aristoteles, & Isocrates, &, de Saule agens, Theodorus Prodromus imperio dignam censuerunt. rectè, si animi pulchritudo coniuncta. sin: quid illa nisi putredo, vermium esca, inferni pabulum? cui ista corporis pulcritudo inest, curet animũ corpori æquare; cui deest, animi ornamẽtis studeat sese exornare. 1111 Funeri confertur] *elegans metaphora, à stipis vel tributi collatione.* 1112 Quanto] *Aeschylus:*

Potens est sanguinis coniunctio, aut familiaris congressio.

IN CHORVM.

De instabilitate fortunæ, securitate priuatorum, regum periculis disserit: breuiter Hippolytum luget, & viam struit ad Phædræ necem.

1121 Minus in paruis] *prosequitur hæc latius Agamem. Chor. I. vbi nonnulla dicam. Claudianus in Epigramm.*

In breuibus nunquam sese probat Æolus vndis:
Nec capit angustus Boreæ certamina collis:
Alpes ille quatit, Rhodopeïa culmina quassat.
Incubuit nunquam cælestis flamma salictis:
Nec parui frutices iram meruêre tonantis,
Ingentes quercus, annosas fulminat ornos.

Statius lib. 2. siluar. in Lucani Genethliaco:

O nunquam data festa longa summis!
Cur plus ardua casibus petuntur?
Cur, sæuâ vice, magna non senescũt?

Mecænas, in Prometheo:

Ipsa enim altitudo attonat
Summa. *hoc est, ipso Senecâ interprete, attonita habet summa. sic Hispani vsurpant*; atruenar.

1122 Leuiúsque ferit leuiora] *sæpenumerò apud Tacitum auctoritate & exemplis hoc inuenias comprobari.*

1124 Præ-

1124 Præbet somnos] *Herbipolens. & Veneti,* Præbetque somn. *tunc versus deberet diuidi in duos, monometros. sanè Moguntin.* præbetq. senes.

1125 Duros] *malè Eguian.* diros. *rectè Moguntinens. auctior*; Euros excipiunt, excip. Notos.

1129 Humida vallis] *solent enim valles decurrentibus in eas aquis montanis esse humidæ. Acron & Seruius,* humidum (*aiunt*) *quod extrinsecus madet, vt lapides pluuiâ conspersi*: vuidum, *quod intrinsecus humorem continet, vt vestes; quas propterea* vuidas, *Plautus & Horatius,* vuescere, *Lucretius dixit. addit Acron,* madidum *esse, quod extrinsecus vdum. ego scio vuida quoque madida vocari, & frequentius* vdum, vuidum, humidum, madidum *pro iisdem capi. nec mirum, cùm, vel Aristotele teste, humidi plura genera, & in his vuidum.* φανερὸν, ὅτι τὸ μὲν διερὸν ἔσαι τοῦ ὑγροῦ. manifestum est, hudorem humoris esse. *& postea:* ὑγρὸν μὲν γάρ ἐστι, τὸ ἔχον οἰκείαν ὑγρότητα ἐν τῷ βάθει. humor enim est qui in imâ parte propriam humiditatem rei tuetur. *ait Aristot. lib. 2. de generat. cap. 2.*

1135 Plebeia domus] *omnes m.s. auctiores hoc loco, ita:*

Humilis tecti plebeia domus.
Circa regna sonat,
Volat ambiguis mobilis alis, *&c.*

& sic plerique impressi, nisi quod, hi; tonat, *pro,* sonat, *melius. vt appareat N. hæc interpolasse, dum rescripsit*: Plebeia domus, volat ambiguis Mobilis alis hora, nec vlli, *&c.*

1137 Nec vlli] *Varronis loco, ex parte ego, ex parte alij medicinã, hoc modo:*

Fortuna nulli currum missum à carcere intimo
Labi, inoffensum per æquor, candidum ad calcem sinit.

1141 Morte] *Eguian.* nocte.

1148 Casta] *Pallas. non, vt olim scripsi inaduertenter, Diana.*

IN ACT. V.

Occidit se ipsam Phædra, & Theseo fraudem suam, filij innocentiam aperit. mœstus pater, filij artus componit, eiq. iusta rogumq. parat; impiam nouercam in terram, sine pompâ, defodi imperat.

1162 Amore] *nunc mei. malè Mogunt.* timore.

Odio] *Antiopes, olim cùm illam gladio traiecisti.*

1164 Scinis] *iungi solent, Scinis & Procrustes & Minotaurus. Ouidius in epist. Phillidis*:

Cùm fuerit lectus Sciron, toruusque Procrustes
Et Scinis, & tauri mistáque forma viri.

de his latronibus, vide Plutarch. in Theseo, & Notas in Claudianum.

Cressius] *Minotaurus.*

1165 Dædalea claustra] *Labyrinthum, opus Dædali; à quo res omnis affabre facta,* Dædala, *vel* Dædalea.

1173 Animáque memet] *Moguntin.* animáque Fedram. *lego,* Phædram, *vt amicus Lipsius, cuius coniecturam apertè, vt vides, confirmat ille codex scriptus. sed tamen, vnde illud?* memet. *puto glossulam.*

1177 Abscissam comã] *sic inf. Troad. 805. Andromache filiolo morituro.*

——— oscula & fletus puer
Lacerósque crines excipe ——— *Item:*
——— sume nunc iterum comas,
Et sume lacrymas, quicquid è misero viri
Funere relictum est ——— *& paulo antè chorus:*
——— soluimus omnes
Lacerum multo funere crinem.

Moris fuit eorum, quibus cum aliqua necessitudo, funera honorare vel abscissâ, vel euulsâ comâ. euulsæ exemplum, in Troade: hic abscissæ. In illo, apud Ciceronem Tusculan. 3.

Turneb. li. 19. aduers. c. 5.

Scindens dolore identidem intonsam comam,

agi de euulsâ, volunt ex verbis sequentibus Tullij: facetum illud Bionis, perinde stultissimum Regem in luctu sibi capillum euellere, quasi caluitio mœror leuaretur. *idem docent Eustathius ad vers. 46. Iliad. ψ'. & Q. Smyrnæus lib. 3.* Detonsæ comæ *exemplum est Thessalorum, qui cum suâ coma equorum quoque iubas totonderunt, apud Plutarchum in Pelopidâ. vt plurimum poëtæ hac in re verbis istis promiscuè vtuntur sine delectu: quod videre est apud eos qui moris meminerunt, videlicet Homerus Odyss. δ'. Euripides in Iphig. Tauricâ, Oreste, Troadibus, Alcestide (vbi etiam equorum iubæ tondentur, vt liqueat hoc Thessalis in vsu fuisse) Sophocles in Lorario Aiace, & Electrâ, Propertius lib. 1. eleg. 17. Ouidius lib. 13. Metamorph. & lib. 3. Trist. eleg. 3. denique Lucilius, cùm scripsit:*

——— mercede quæ
Conductæ flent alieno in funere præficæ,
Multo & capillos scindunt, & clamant magis.

Iste, meâ sententiâ, tonsus ille lugubris apud Attium, Amphitrume;

Sed quænam hæc est mulier, funestâ veste, tonsu lugubri.

Officium idem in puerorum funeribus, ex laudatis Andromachæ verbis colligitur, & Ouidianâ Canace; quæ de puero, quo die natus, à feris discerpto:

Non mihi te licuit lacrymis perfundere iustis,
In tua nec tonsas ferre sepulcra comas.

Ponebant vt plurimum comam pater & mater, vt 12. Thebaid. Statij Creon Menœceo filio crinem destruit; & lib. 6. cum matre Eurydice, & nutrice Hypsipile, pater Lycurgus Archemoro:

At genitor sceptríque decus, cultúsque tonantis
Iniicit ipse rogis, tergóque & pectore fusam
Cæsariem ferro minuit, sectísque iacentis
Obnubit tenuia ora comis ——— *vnde discamus præterea faciem defuncti sectâ comâ tegi consueuisse; sed & ipsum quandoque corpus operiebatur, vt apud Homerum Odyss. δ'. & Philostratum in imagine Hippolyti. sic intellige illud Ouidij 3. Metamorph.*

——— fratri imposuere capillos Sectos ———

1182 Vindicati] *Thesei, sed Egutanus, Herb. & vet. Veneti;* vindicato.

mihi

mihi neutrum placet. quomodo enim Phædra ſancta? aliquid latere video, quod quid ſit non video. niſi ſancta *per* ἀντίφρασιν.

1184 Sedamen] *ex manuſc. & vett. impreſſ. omnibus repoſui*; ſolamen. *mallem etiam ex iiſdem hunc verſ. præcedenti præponi.*

1192 Mucrone pectus impium iuſto patet] *Mogun.* imperium iuſto. *conijcio legendum*; peruium iuſto. *porrò* mucrone *pro* mucroni, *more veterum, Latinum caſum, pro dandi ponentium.*

1193 Viro] *poſt hunc verſum in meo manuſc. habetur iste*:

Nulla latus comitante quid dubitas dedit. *ſed aſcriptum in margine*: hoc carmen in originali cõmentato non inuenitur. *ex quo originali poſtea omiſſum. hulcus fortè aliquod latet incognitum mihi. nam vnde verſus ille erepſerit, neſcio, & cõſtat ſine illo ſentẽtia. ideo non duxi edendum.*

1196 Auerni] *pallidum ab effectu vocat. Nam lacus eſt Campaniæ propter tetrum odorem crediti limen inferorũ. dictum tradit Lucret. li. 6. quia ſit contrarius volucribus. quod & Izacius in Lycophron. probat. nam Græcis* ἄορνος. *præter cycnos nullæ in eo audent lauari, quòd omnes emoriantur, vel tantum ſuperuolantes. tantâ eſt grauolentiâ, auctore Ariſtotele de admirand. audition. nu. 89. Virgilio, Strabone lib. 6. & aliis. Plinius ſimilem eſſe ſcribit in Epiro: ſed noſter hic nobilior, Baiis contiguus intra Lucrinum ſinum. quondam Stygâ vocatum rectè colligitur ex Silio lib. 12.*

Ille, olim populis dictum Styga, nomine verſo,
Stagna inter celebrem nunc mitia monſtrat Auernum.

plura pete ab Euſtathio, in Odyſſ. κ'. *locum illum* ἔνθα μὲν εἰς Ἀχέροντα.

Tænarij ſpecus] *Apollonij Schol. lib. 1. ex Pherecyde* ἐν τῇ θ'. *ſcribit Elatum Icari filium duxiſſe Erimedam Damaſicli filiã, & ex eâ genuiſſe Tænarum, à quo dicatur Tænarus, vrbs, promontoriũ & palus: ſed poſtea addit* ταίναρον *promontoriũ Laconiæ à Tænaro Neptuni filio nuncupatũ. Valer. Argon. lib. 1. Tænarum vocat* ſemper patentẽ, *ſcilicet vmbris deſcendentibus. Lucanus lib. 9.* apertá Tænaron vmbris. *nam hic creditur Ditis eſſe ianua. ſitum, ceteraq́; eò ſpectantia fuſiùs reliquis deſcribit Papinius lib. 2. Thebaid.*

Eſt locus Inachiæ dixerunt Tænara gentes,
Quâ formidatum Maleæ ſpumantis in auras
It caput, & nullos admittit culmine viſus.
Stat ſublimis apex, ventóſque imbréſq. ſerenus
Deſpicit, & tantum feſſis inſiditur aſtris.

Et poſtea: Interiore ſinu frangentia litora curuat
Tænarus, expoſitos non audens ſcandere fluctus:
Illic Ægæo Neptunus gurgite feſſos
In portum deducit equos; prior haurit *habenas
Vngula. poſtremi ſoluuntur in æquora piſces.
Hoc (vt fama) loco pallentes deuius vmbras
Trames agit, nigríque Iouis vacua atria ditat
Mortibus. Arcadij perhibent ſi vera coloni;
Stridor ibi, & gemitus pœnarum, atroque tumultu

*Omnino leg. harenas.

Feruet ager. sæpe Eumenidum vocésque manúsque
In medium sonuere diem, lethique triformis
Ianitor agricolas campis auditus abegit.

describitur etiam eleganter à Senecâ in Herc. Fur. à ver. 661. *quo loco plura.*

1197 Vnda miseris grata Lethes] *Lethe fluuius inferorum, cuius potius vmbris præteritarum rerũ obliuionem inducere putabatur. ideo miseris grata. confictũ id quia mortui plurimarum rerũ obliuiscuntur, de quo nos alibi. Est & Lethes seu Lethe fluuius Hispaniæ Straboni ac aliis, à quibus etiam Limius & Limaa videtur dici: Sallustius, & Mela, & Plinius,* fluuiũ Obliuionis *vocant. Epitoma Liuij,* Obliuionem. *de eo Silius lib.* 1.

——— lucentes voluit arenas
Infernæ populis, referens obliuia Lethes.

Placet Medinæ cõiectura eum esse, qui hodie Guadallete. *Mauris enim* Guadal *flumen. vt* Guadalquiuir *flumen ingens.* Guadiana *pro* Guadalana, *flumen Anæ. propter hoc flumen Pluto apud Claudianum, inquit:*

——— sunt altera Lethes Flumina——— *nam alterũ de duobus. Hispanũ, vt Latini, sic & Græci quidã in patrio casu,* τῆς Λήθης *amnem, vt Strabo; alij vsurpant in recto,* ὁ Λήθης, *vt Appianus. ab Hispanis ante inundationem Arabicæ illuuiei,* Lethe, *dicebatur.* Torpentes lacus] *Cocytus. de quo Herc. Fur. ver.* 686. 1203 Noua nece] *nam (vt ait Petronius) natum votis interfecerat absentem; in solo, monstrum sali; aurigam, equi proprij. porrò in carmine præced. Moguntin.* accensor, *pro;* assensor.

1205 Vindex] *Moguntinens.* Iudex. *idem;* verum nefas.

1208 Ad cælũ] *placet vet. Venet. & Herb. lectio* in cælũ, *si tamen initio carminis,* ad *pro,* in. *scilicet:* Ad hoc redimus. patuit in cælum via.

1211 Vt concremarem] *iam sæpius monui, veteres cadauera vel melle condire, vel concremare consueuisse. Lucretius lib.* 3.

Ignibus, impositum calidis torrescere flammis,
Aut in melle situm suffocari ———

1213 Alcide] *dederat Herculi petenti Theseum reducendũ Pluto, vt narrat Theseus Herc. Fur. act.* 3. *de quo intelligendum quod Aristides scripsit, Orat. in Mineruam, Mineruæ auxilio quendã ab Hercule ex inferis reductũ.*

1215 Effera] *frequens nostro coaceruatio epithetorũ, in exaggerationibus. malè hîc nonnulli lib.* efferar. 1224 Et ceruicibus] *mallem, si libri astruerent,* vt ceruicibus. *sic enim artius cuncta necterentur.*

1227 Alluens] *sic o. v. l. Lugdun.* abluens. 1235 Casti] *non, vt olim, adulterij caussâ.* 1247 En patrio] *sic primi, ni fallor, Basileens. cùm prius non malè haberetur;* en patris. 1268 En hæc suprema vota] *Mogunt.* dona. *rectius.* 1274 Acquirite] *suspicor expulsum à sciolis vocabulum vetus, probum, laudatum;* anquirite: *quod significat diligenter, & omnibus excussis quærere. est quidem vt plurimum iudiciale verbum Liuio & ceteris historicis, oratoribus, legislatoribus: sed tamen ad alia etiam vtuntur Lucretius, Sallustius, Cicero. Vide Gifanij Collectanea Lucretiana.*

Istã] *Mog.* Fedrã. *corruptè puto & ex glossa. aptior indignãti vulgata lectio.*

Terra

Terra defossam premat] *iampridem multa dixeram in Aduers. de hoc more Græcorum, Romanorumq́; : edidit eadem aliaq́; , nonnullis annis postea B. Brissonius V. C. lib. 1. Formul. cùm videlicet eosdē, quos ego, scriptores legisset : ego quoq; nonnulla postmodum reperi apud varios, quæ hic exhibebo ex ipsis auctoribus accepta. nam, etsi eadē ex parte alij, cur vetemur ex communi riuo in peculiares incilius aquam deducere? non nouum id, nec vituperatione dignum, sed frequentarium & inconspretū. In agro Veronensi hæc inscriptio:*

Functa iaces hîc, sed viuis viuésque Secundo
Lella tuo. debent nec benefacta mori.
Te Tellus, sanctósque precor pro coniuge Manes,
Vos ite ô placidi, tu leuis ossa tege.

Item:

Opto, si qua fides remanet telluris amicæ,
Sit tibi perpetuo terra leuis tumulo.

Tibullus eleg. vlt. lib. 2.

Parce, per immatura tuæ precor ossa sororis.
Sic bene sub * tenerâ parua quiescat humo. ** Hoc est, leui.*

Propertius lib. 1. eleg. 17.

Illa meum extremo clamasset puluere nomen,
Vt mihi non vllo pondere terra foret

Ouidius in Epist. Didus:

Et senis Anchisæ molliter ossa cubent.

Ausonius Burdegalensis:

Vos leuis cespes tegat, & sepulcri,
Tecta defendant cineres opertos.

hæc cui benè: contra cui malè precabantur, terram grauē, pondus tumuli onerosum, vt ex Tertulliano lib. de testimonio animæ cap. 4. colligitur, ait: Terram grauem imprecaris, & cineri penes inferos tormentum, *&c. vt videlicet sic depressa anima non nisi laboriosè euolaret : vel forte ex Stoicorum delirio, quos Seneca refert credidisse animam hominis magno quopiam pondere extriti, præcluso exitu, perire & statim dispergi. quod refellit epist. 58. sub finem. hanc consuetudinem confirmat hîc Seneca. & Tibullus lib. 1.*

Iam tua qui Venerem docuisti Vendere primus,
Quisquis es, infelix vrgeat ossa lapis.

Callimachus, sibi, si quid improbum laudarit, terram non leuem imprecatur:

——— μήτε σὺ κούφη
Γῆ γυεο ——— *hâc eadem de causâ extremâ Troade cadet Polyxena, vt Achilli grauem factura terram. Meminit olim huius moris Britannicus in Iuuenal. Sat. 10. Et fortaßis propterea non lapidibus, lignis, aut cespitibus, quos repererant insepultos, contegebant; sed Græci quidem ter puluerem inijciebant, teste Eustathio; Romani verò, Varrone auctore, leuē terræ glebam. Vide Muretum lib. 10. var. lect. cap. 19. Lambinum ad Horatij lib. 1. Od. 28. Lud. Guicciardum lib. 1. & 2. de Funerib. Hæc in Hippolytum.*

COM-

COMMENT. IN HERCVLEM FVRENTEM.

ARGVMENTVM.

VERITVR Iuno multiuoli Iouis furta, & pellices enumerat, earumq; liberos, in Herculem tamen potissimùm inuehitur, auctum recenti gloriâ victis inferis; Acheronta mouet, & furorem Argos reuerso Herculi immittit. Absente Hercule Lycus exsul Thebanus, vrbe occupatâ, Creonte Rege ac filiis necatis, confugientem ad aras Megaram Herculis vxorem, ni sibi nubat, flammis cremare minatur. Superuenit Hercules, & debitâ Lycum sociosque cæde vlciscitur. deinde sacrificaturus, vertitur in insaniam; propriam vxorem, atque filios interficit. recedente denique vesaniâ, & miseriâ suâ cognitâ, vitæ manum inferre suæ statuit: sed euictus Amphitruonis precibus atque lacrymis, ignóscit sibi, & cum Theseo Athenas pergit. confer cum Philostrato in Imaginibus & Moschi Megarâ.

IN ACT. I.

VNGITVR *Iuno Prologi vicem, & seipsam incitat ad vindictam ab Hercule, de mentis statu deturbato, exigendam.*

2 Iouem] *Tres Ioues numerat Clemens Alexand. in* προτρεπτ. *vnum Arcadem, Aetheris filium; alium quoque Arcadem, tertium Cretensem, ambos Saturni filios. Hunc vltimum Arnob. lib. 4. Cæli F. facit: Eusebius lib. 2. Præparat. Euang. cap. 4: eundem tradit, quòd plurimum robore corporis & animi viribus valeret, & in alios multa iustitiæ exempla ederet, vitámque humanam in multis iuuaret, postquam exuit hominem, Iouem vocatum, & pro Deo cultum.*

3 Templa ætheris] *templum veteres, pro quouis tractu, & quauis hominum Deorúmve habitatione, posuerunt. Varro id docet initio lib. 6. de ling. Lat.* Templum dicitur tribus modis; ab naturâ, ab auspicio, ab similitudine. Naturâ in cælo, ab auspicio in terra, ab similitudine sub terrâ. In cælo templum dicitur;

O magna templa cælitum
Commixta stellis splendidis.

Item: Vnus erit quem tu tolles in cærula cæli
Templa ——

In

In terrâ, vt in Periboea:

Scrupea saxa Bacchi templa propè aggreditur.

Sub terrâ, vt in Andromachâ.

Acherusia, templa alta Orci, saluete infera.

Et subdit Varro: quaquâ intuerant oculi, à tuendo templum primò dictum: quocircâ cælum, quâ tuimur, dictum templum. *Sic Ennius.*

Contremuit templum magnum Iouis altitonantis.

Idem: Quanquam multa manus ad cæli cærula templa
Tendebam lacrymans ———

& lib. 6. Fumida iam cæli scintillare omnia templa

Septimius Hymno in Ianum:

Iane pater, Iane tuens, diue biceps, biformis,
O cate rerum sator, ô principium Deorum;
Stridula cui limina, cui cardinei tumultus,
Cui reserata mugiunt aurea templa mundi.

sic enim Victorinus citat: quamuis Terentianus legerit, aurea claustra. *Drepanius Florus Psal. 27.*

Dum templa cæli ad ardua
Elata tollo brachia.

Varro, Bimarco: Tunc repentè cælitum altum tonitribus templum tonescit. *Ennius Palatium vocauit. sic enim de Epicuro Cicero 2. de Nat. Deorum:* Qui cùm palato quid sit optimum iudicat, cæli palatium (vt ait Ennius) non suspexit.

4 Pellicibus] *rectè:* locum dedi pellicibus. *nam pellex à pellendo, quòd iustam coniugem thalamis pellat.*

5 Tenent] *idem conqueritur Iuno apud Ouid. lib. 2. Metamorph.*

Quæritis, æthereis quare regina Deorum
Sedibus, hîc adsim? pro me tenet altera cælum.

Spurios & mœchas Iouis magno numero enumerant D. Iustinus Martyr Apologia 2. S. Theophilus Antiochenus lib. 2. ad Autolycum, Arnobius lib. contra gent. 4. & 5. Eusebius lib. 2. præparat. Euang. cap. 4.

6 Arctos] *hic pro vrsæ sidere, non pro circulo Arctico, vt sumunt Homerus, Heraclitus, & alij nonnunquam. Vide Strabon. lib. 1. De Callisto seu Vrsâ multa Higyn. li. 2. astronom. vide inf. Herc. Oet. versiculo 1583.*

7 Sidus] *rectè. quia vrsa, non stella, sed plurium stellarum conglobatio est.*

8 Quâ tepente vere laxatur dies] *oritur enim Taurus cum Sole, mense Aprili, quo tempore iam dies aliquanto longiores, clariores, & tepidiores. dictus enim Aprilis ab aperiendo. Virgilius 1. Georg.*

Candidus auratis aperit cum cornibus annum
Taurus ———

Laxatur] *aperitur.* 9 Vector Europæ] *adductos à me Getulici versus. N. laudabiliter sic castigauit:*

Non illic Aries verno ferit aëra cornu,
Gnossia nec Geminos præcedunt cornua Tauri,

Sicca Lycaonius resupinat plostra Bootes. *vide Oedip. chor. 3.*

11 Atlantides] *vide sup. Medeæ ver. 312.*

12 Fera coma hinc] *quidam m. s.* Fera minax. *vnde feliciter Critici;* ferro minax. Hinc] *opponitur*, τὸ hinc; *quod versu sexto. Orion enim Austrinum signum, aduersum Vrsæ, vt volunt Aratus & Theon. iccirco Manilius:* Arctos & Orion aduersis frontibus ibant.

Exterret Orion] *etiam quia sidus terribiliter micans, & ex horridis sideribus, vt vocant. Plinius lib. 18. cap. 28.* Deos] *sidera Deos vocat, more antiquorum, de quo alibi. Exterret autem Orion sidera, non omnia, sed Pleiades; quas cùm matrem illarum insequeretur, simul in fugam compulit, vnam quoque illarum Meropen violauit. auctores Q. Smyrnæus lib. 5. Athenæus lib. 11. & Scholiastes Apollonij in lib. 3.* Orion, *Latinè* Iugula. *de Pleiadibus sic Hesiodus:*

> Quod si te nauigationis periculosæ desiderium cœperit;
> Quando vtique Pleïades, robur validum Orionis
> Fugientes, occiderint in obscurum pontum:
> Tunc certè variorum ventorum strident flamina,
> Et tunc ne amplius naues habe in nigro ponto.

13 Aureus] *pulcher. apud nescio quem:*

> Musa dic mihi opera planè aureæ Veneris.

Mimnermus: Quomodo mî quicquam iucundum sine aurea Venere? *Vtuntur eodem epitheto Hesiodus & Homerus; quem D. Iustinus Martyr in exhortat. sic Venerem vult vocasse; quod in Ægypto templum & agrum esse sciret* Aureæ Veneri *dicatum.*

14 Signa clara Tyndaridæ] *Castor & Pollux Iouis & Ledæ filij. hodie vocamus S. Hermetem. sed fulgor potius, quàm stella. Nam verum est quod prodidit olim Xenophanes apud Stobæũ in eclog. physic., Dioscoros non astra, sed nubeculas seu exhalationes quasdam esse, ex motu quodam interfulgentes. noster poëtas sequitur, inter quos Mercurius Trismegistus, in Cratere;*

> ναύσίτ' ἐν ὠκυπόροισι Διὸς κούρων ἐπιφάνεντα.

quædam Theuetus Cosmographiæ lib. 7. cap. 10. Addam quiddam non multis notum. Hispani hunc fulgorem S. Telmum *vocant. Vnde? quia S. Telmus, Dominicani ordinis lumen, miræ sanctitatis, plurimis olim nauigantibus post obitum auxilio fuisse creditur: eius vitam sat benè, Latinè & Hispanicè manuscriptam legi quondam in Legione seu Lugduno Galæctæ, in collegio Societatis* Iesv, *à fundatore eiusdem collegij, & vrbis Legionensis Episcopo, Ioanne de Sancto Æmiliano, vltimis tabulis relictam. De Tindaridis verè Homerus cecinit, vtrumque Spartæ sepultum; licet alij solum Castorem putent. consule Clementem Alex. in Protrept. Nec est quod culpetur Seneca, quoniam hoc tempore nondum Castores mortui, vt patet ex Theocrito εἰδ'. 23. Apollodoro lib. 3. Clemente Alex. lib. 1. Stromat. & Ouid. lib. 5. Fastor. Defenditur enim noster Anachronismi beneficio. sic Statius 2. Thebaid. mensæ Thyestææ, diu priùs, meminit. sic Sallustius lib. 1. montis sacri & Auentini, vt notat Diomedes lib. 2. cap. vlt. Non tantum Tindaridæ, sed & soror Helena*

lena in sidus mutata credebatur, prosperum nauigantibus; iuxta Euripid. in Oreste; infaustum & infelix, iuxta plerosque. Statius huc inclinat, libro 3. Siluar. in Propemt. Celeris:

——— antemnæ gemino consistite cornu
Oebalij fratres, vobis pontúsque polúsque
Luceat: Iliacæ longè nimbosa sororis
Astra fugate procul, totóque excludite cælo.

de his consule Lilium lib. de re nautica cap. 9. & Syntagm. 5.

15 Mobilis tellus stetit] *Delos. explicat hoc ipse Apollo apud Eusebium lib. 3. præparat. Euang. cap. 4. & Plinius lib. 4. cap. 12. Strabo lib. 10.* Fabulæ namque tradiderunt Latonam hoc in loco pariendi soluisse dolores, cùm Apollinem simul & Dianam in lucem edidit. Antea quidem, vt ait Pindarus, intoleranda erat inter vndas, variis vndique fluctibus agitata: sed cùm vicinus doloribus aduênit partus, quattuor terrestribus è truncis columnæ durâ in petrâ solido ex adamante continuerunt: vbi felicem enixa est stirpem.

16 Bacchi parens] *translatam in cælum Semelen, etiam tradiderunt Plutarch. in vita Romuli, Apollodorus lib. 2. Biblioth. & Aristides tom. 1. Orat. in Bacch. & in vet. inscriptione* LVCVM SEMELES *inuenio.*

18 Mundus] *cælum. Mundi varias significationes; ex Diodoro Siculo, obseruauit N. in Commentar. pererudito in Manilij lib. vlt.*

19 Sed vetera sero querimur: vna me dira ac fera] *sic Moguntin. & alij manusc. & excusi Herbipol. & Venet. Postea Basileens. & Lugdunens. rectè expunxerunt voculam;* sero, *hoc modo:* sed vetera querimur: vna me dira ac fera *&c. frustrà (inquit) tempus tero refricandis antiquis & obductis iam vulneribus: recens vnum me peius habet. Thebæ inflixêre, vt & alia multa. ex Alcmenâ natus Alcides. N. maluit retinere;* sero, *& reijcere* τὸ. dira ac. *cui non suffragor.* Vetera] ante mala *vocat Mara.*

18 Puellæ serta] *Propertius:*

Testis sidereæ torta corona Deæ.

vide Ouid. 3. Fastor. Higyn. 2. Astronom. & Scholiast. Germanici.

24 Ortu] *quædam membranæ;* ortus.

24 Impendit] *cuius generationi cælum vnũ diem contribuit. continuatæ enim noctes duæ nullo die intermedio. sic alibi:* vxor impendit animam marito. *eadem sententia ex manusc. in quibus;* impediit. *& sanè Moguntin. recentior aliis;* impedit: *quod exstat in Herbipolens. & Venetis tribus. Vide Agamemn. versu* 811.

26 Mersum Oceano iubar] *hoc est, iussus non lucere vnum diem. iussus feriari à diurno labore. Negat Oceanũ Herodotus lib. 2. & lib. 4. non quod nullum mare putet, sed quia tum temporis nondũ satis notum nomen, ipsi non probabatur. dictus à celeritate Solino, & aliis aliunde. interdũ pro ipso Orizonte sumitur, vt docet Strabo li. 1. Geog. interdum pro ipso maris Numine, in illo:* Super Oceani stagna alta patris
Terrarum amfracta reuisam.

denique, apud Lampridium, pro balneorum vastis lauacris, de quorum amplitudine ὑπερβολικῶς quædam Ammianus Marcellinus scribit.

27 Viuaces aget iras] *Sidonius Antipater, de Baccho & Hercule:* Iuno ambobus grauis est Dea. *lege Victorium lib. 25. var. lect. cap. 2.*

30 Horridum tellus] *vet. impreßi;* horrendum tellus. *num scripserat?* tellus horrendum. *& in eodem carmine multi libri, etiã scripti;* quid bella? *est autem acclamatio Tragica indignationis plena, quâ se vinci indignatur.*

32 Ferum] *διάλυτον.*

33 Et crescit] *putaram;* excrescit. *sed melius q.l.s.* increscit.

36 Patrem probauit] *quæso, quid sibi vult Moguntin. scriptura?*

Patrem improbauit. gloriæ feci locum
Inde quâ lucem premit aperítque Thetis,
Quâ sol reuertens, quâ ferens Titan diem, *&c.*

38 Binos] *vel, quia (si de iis, qui propriè Æthiopes) Nilo (seu Nigri) in duas diuiduntur partes; Orientales Aegyptum & Arabas, Occidentales Atlanticum spectant: vel (si de omnibus, more veterum, qui ad meridiem maritima incolunt, vt sumsêre Aeschylus, Euripides, Homerus, Ephorus) quia diuisi à se inuicẽ sinu Arabico, circulo meridiano æqualiter in fluuij morẽ secto, vide Strab. lib. 1. fusè de hac Æthiopum diuisione tractantem. Homerus:*

Æthiopes bipartiti sunt extremi hominum,
Quidam ad occasum solis, quidam ad ortum.

39 Toto Deus narratur] *teneo in furto Claudianum manifesto, cùm, in laude Herculis, sic affatur Iunonem:*

——— licet omnia mundi
Monstra voces, ipsámque armes serpentibus hydram:
Defendet natura Deum; patrémque probabit,
Quod non vis constare, Iouem ——— *Hercules dictus quasi*

Iunonis gloria, eo quòd odio & persecutione nouercæ magis inclaruit.

45 Quæ timuit] *desinite tantum Heroi huic tribuere, vt, contra Senecæ voluntatem, timorem illi adimatis. sic enim libri ad vnum omnes. sic infra Herculi amicisß. Theseus:* Et vterque timuit ——— *tam Hercules, quàm Cerberus. & si spes in Hercule, sanè & timor: ab inuicem illa nequeunt separari. spem verò, nec vos ipsi ab eo tollatis. est timor, qui cadit in fortem virum; est, qui in pusillanimes tantùm. sed hæc ab Aristotele petenda.*

46 Armatus venit] *propter hæc arma dicitur Tertulliano* Scytalosagittipelliger. *soliti autem vt Hercules, ita ceteri Heroës initio pellibus animantium vestiri, vt docet Pierius lib. 1. Hieroglyph. sed & prima huiusmodi hominum indumenta certo certius ex cap. 3. Genes.*

47 Inferni Iouis] *Homero subterraneus Iupiter, Pluto. de Ioue varia traduntur. Valerius Soranus & alij prudentiores, mundum esse putarunt. illius carmina sunt:*

Iuppiter omnipotens rerum, regúmque, Deúmque;
Progenitor, genitrixque Deûm, Deus vnus & omnis.

quæ à Varrone lib. de cultu Deorum, ita exponuntur (*ait D. Augustin. li. 7.*

de

de ciuit. Dei cap. 9. vt eum marem existimarent, qui semen emitteret, feminam quæ acciperet: Iouémque esse mundum, & omnia semina ex se emittere, & in se recipere: quâ causâ (inquit) scripsit Soranus; *Iupiter progenitor, genitrixq́.* nec minùs cum causâ, vnum & eundē omnia esse. Mundus enim vnus, & in eo vno omnia sunt. *de Iouis variis cognominibus vide eundem D. August. d. lib. cap. 11. & ibi Commentar.*

48 Opima regis] *rectè. nam opima non nisi hostium duci detrahuuntur. siue à duce, siue à gregario, teste Varrone.*

54 Erebóque] *pro inferno, pars pro toto.*

56 Sacra] *Arcana. sic Ouid.* medicamen sacrum. *hinc* sacraria, *loca quibus solis sacerdotibus aditus patet. Tacitus:* sed fœdus arcanum habetur, quasi mutuo cruore sacratum.

57 At ille] *Moguntin.* ac ille.

59 Atrum canem] *persamiliare nostro Cerberum vocare* atrum. *in Menippeâ, de Claudio;* subperturbatur, (albam canem in deliciis habere solebat) vt illum vidit canem nigrum, villosum, sanè non quem velis tibi in tenebris occurrere. *ita membranæ Burdigalens. in quibus etiam paullo antè, quod vulgò legitur de eodem Cerbero;* bellua centiceps, sese mouens, villósque horrendos excutiens: *præter τò,* bellua centiceps; *omnino deficit. cum causâ, meo iudicio.*

62 Terna] *Moguntin. Herbipol. & Venetus Bernardini,* tetra. *recentior Venet. Pintiani;* terra. *an hinc alij?* terna.

68 Expenso] *Mogunt.* extenso. *male. quidam m. s.* experto. *quod ipsum quoque recipi posset. nec desunt exempla apud Priscianum: sed haut dubiè;* expenso, *melius. hoc est, librato, & versato diligenter, quantum valeat.*

71 Immensæ] *an non immensa moles totius cæli? cur ergo minus hæc vera scriptura, quàm cod. vnius?* innisæ. *cui; dent veniam: præfero quinque scriptorum, & omnium excusorum fidem.*

77 Quid tanta mandas odia] *sensus, quid tu tam potens, Iouis & soror & coniux, Deorum regina, tam grauia, tam acerba, tam inueterata odia, aliis mandas exsequenda? cur non ipsa te vlcisceris, & manibus tuis sæuis? Odium illa satis iam aperuerat, nocuerat palàm sepius: sed manibus suis nondum, ac ne nunc quidem. Non ergo amplius;* tacita.

81 Doris] *vnde verò Achiui omnes, postea Dores dicti docet Plato Dialog. 3. de legibus.* Gigante] *Encelado.* Excusso] *Eguianus;* emisso.

82 Leuet] *post hunc vers. in Moguntino manusc. sequitur:* Mouenda iam sunt bella, iam secum gerat. Sublimis alias, *&c.*

83 Alias luna concipiat feras] *Pythagoræi censebant omnia quæ apud nos sunt, flumina, feras, montes, &c. etiam in orbe Lunæ reperiri: vt refert Achilles Statius in Aratum, simul addens hinc Nemeæum leonem decidisse, Vide Politian. Miscell. c. 17. qui primus hîc reposuit;* alias, *cùm;* altas, *haberetur in Herbip. & Venetis primis. Claudianus de Tauro ab Hercule domito:*

——— taurus medio nam sidere lunæ
Progenitus, Dictæa Iouis possederat arua. *hinc ergo Nemeaus deciderat Leo.*

86 Tartari] *eum describit lib. de iudicio Domini Tertullianus*:

Iam vaga à nullo tellus possessa colono,
Æquoris extremo pressa, & sub fine profundo;
Quâ Sol emenso radio disterminat orbem,
Et quâ transacto conduntur sidera mundo;
Æther gliscit atris obstrusa luce tenebris.

Nota & hic obstrusa.

Plutarchus in lib. de primo frigore: τάρταρος οὗτος ὑπὸ ψυχρότητος κέκληται. δηλοῖ δὲ καὶ Ἡσίοδος, εἰπὼν, τάρταρον ἠερόεντα. καὶ τὸ ῥιγοῦντα πάλλεσθαι καὶ τρέμειν ταρταρίζειν. Tartarus dicitur à frigore, quòd etiam Hesiodus docuit, tartarum appellans aërosum, & qui horrore tremunt ac quassantur, ταρταρίζειν dicuntur. *Plato in vltimo Gorgiâ, Tartarum vocat vindictæ ac iustitiæ carcerem.*

90 Mouenda iam sunt] *Bernardin. Gellius ante annos centum, monuit hunc versum & præcedentem*: I nunc superbe, *&c. videri interiectos. quòd de isto, non de præcedenti, mihi quidem penè certum. In Moguntinens. hîc deest; supra etiam alieno loco positus, ponendus infra, vt paullo pòst dicam.*

95 Quâ mugit] *credo qui hoc inuexerunt, de terræ mugitu acceperunt, de quo postea*: —— cur mugit solum? *sed malo cum m.s. Mogunt. & ceteris, item excusis Venetiis & Herbipoli*; quàm munit. *quam tegit & defendit.*

99 In se armatus furor] *rectè Prudentius in Psychomach.*

Ipsa sibi est hostis væsania, séque furendo
Interimit, moritúrque suis ira ignea telis.

101 Incipite] *Euripid. in μαινομεν. act. 3.*

ἀλλ' εἶ ἄτεγκτος συλλαβοῦσα καρδίαν, *&c.*

Sed age pectus durum immota arripe.

103 Agmen horrendum anguibus] *vide sup. Med. 14.*

107 Caminis] ora, *vocat Lucanus lib. 1. In Æthnâ plerique ponunt Vulcani ferrariam officinam, & ibi fornaces esse Vulcanios. alij malunt in duabus Æoliis, vt Agathocles* ἐν τοῖς ὑπομνήμασι. *Pytheas quoque* ἐν γῆς περιόδῳ *Liparam & Strongylem hac officinâ nobiles tradit; Metrodorus & Theophrastus scribunt eas ad multa in mare stadia ignem euomere. D. Pacianus, Orat. de pœnitentiâ*: cuius fumariola quædam maximos montes subterraneis ignibus decoquunt. æstuat indefessis flammarum globis Æthna & Lisaniculus & Vesuuius Campanus. *Sed vbi terrarum secundus ille? legendum putem*, Æthna illè Siculus & Ves. *Vide Apollon. & Scholiast. in lib. 4. vers. 760. & 834. & Plinium lib. 3. cap. 9.*

108 Animo] *Moguntinens.* animum.

111 Furit] *non peius Moguntinens.* furis?

113 Nouerca] *odio nouercali.*

114 Iam odia mutentur mea] ἰρονικῶς.

116 Quo nos] *Moguntinens.* qua nos.

119 Ioue esse genitum] *pro*; hoc prosit, *Herbipolens. & Veneti*; hic prosit. *sed quid illi prosit Ioue esse genitum? vt velit mori, & nequeat? quasi non mortui multi Ioue geniti. potius, vt omnes obuios interficiat, nec quisquam furentem valeat impedire, siue resistere.*

Stabo]

Stabo] *pertinaciter durabo, non patiar me à proposito vllâ laßitudine deduci, persistam & euincam quicquid obstiterit. ea vis vocabuli, vt inter ceteras significationes eius tradit Rabbi Moses lib. 1. ductoris dubitant. cap. 13. sic accipitur illud Habacuck*; super custodiam meam stabo, & figam gradum, *&c. Statius lib. 9. Thebaid.*

——— nec enim dat terga, nec vllis
Frangitur ille minis, venientésque obuius vndas
Intrat, & obiectâ dispellit flumina parmâ:
Stant terrâ fugiente gradus, & poplite tenso
Lubrica saxa tenet, genibusque obnixus & hærens.

quid magis ad viuum pictor vllus exprimat?

120 Manum] *assentior corrigentibus*; manu. *tela enim se libraturam, hoc est, directuram; non Herculis manum, minatur.*

122 Admittat illas genitor in cælum manus] *tam atroci impiatas parricidio. Hoc loco magno mihi vsui cod. scriptus, quem Burdigalæ Simon Millangius, amicus meus, à CL. V. Præside des Eguis (semper Eguianū nomino) commodato dedit, auctior enim, & suo loco erronem alium statuit; hoc pacto,*

Admittat illas genitor in cælum manus.
Mouenda iam sunt bella: clarescit dies,
Ortúque Titan lucidus croceo subit.

sequor te bone scriptor; cuius fidem Lipsij mei liber confirmat.

123 Clarescit dies] *noli ergo hanc oportunitatem parandæ vindictæ omittere: noli certamen diutius differre. instat aurora. dies abire iubet. Nec ociosâ hæc aure prætereunda: ex eorum sententiâ dici videntur, qui inferos, furias, & huiusmodi alia terriculamenta nocturno solum tempore inter homines vagari censebant; lucescente verò die robur omne amittere, & humanis sese conspectibus subtrahere. Vnde apud Virgilium lib. 5. Anchisæ vmbra solem oriri causatur, vt Æneam dimittat:*

Et me sæuus equis Oriens afflauit anhelis.

& sub auroram vmbra Theodosij apud Claudianum,

Dixit, & afflatus vicino sole refugit.

sic etiam audio illud Virgilij, apud quem lib. 4. Æneas:

Me patris Anchisæ quoties humentibus vmbris
Nox operit terras, quoties astra ignea surgunt
Admonet in somnis & turbida terret imago.

Et illud Tiresiæ apud Horat. lib. 2. Sat. 5. ——— sed me
Imperiosa trahit Proserpina. viue, valéque.

quæ non sinebat inferni leges, ab vmbris quibus præerat, violari; huius legis meminit etiam Propertius; quæ est vera Horatiani loci, & ceterorum istorum interpretatio. Propertius lib. 4. eleg. 7. de vmbris agens:

Nocte vagæ ferimur. nox clausas liberat vmbras,
Errat & abiectâ Cerberus ipse serâ.
Luce iubent leges Lethæa ad stagna reuerti:
Nos vehimur: vectum nauta recenset onus.

Papi-

Papinius Thebaid. 2. de vmbrâ Laij:

Dixit, & abſcedens, etenim iam pallida turbant
Sidera lucis equi —— *idem noctu lubentius ſuperos, quàm interdiu inuiſere hominum domicilia ſignificat:*

—— huc & ſub nocte ſilenti;
Cum ſuperis terrena placent; tua turba relicto
Labetur cælo —— *ideo Berenyces Boſtrychus apud Catullum:*
Sed quanquam me nocte premunt veſtigia Diuûm.

Vide Parrhaſ. in Claudian. & Turneb. lib. 14. cap. 4.

Confictum fortè, quia Deus, in mentis quiete, animo à curis vacuo, vt noctis ſilentio & ſolitudine fit, arcana ſua ſæpius hominibus communicat. vel potius quia Gentilium ſuperi, verè inferi & dæmones lucifugi. Memini proditum à quodam Marco Mago & hæretico, quem Pſellus immeritò laudat, lib. de dæmonib., ſex eſſe dæmonum genera, in his vnum Lucifugum, in tenebris habitans. quod vt non negauerim; ita nullo pacto tolerandum puto. quod Ioſephus lib. 1. antiquit. voluerit Angelum antagoniſtam Iſraëlis φάντασμα *fuiſſe; minus etiam Cabaliſtarum audaciam; qui Geneſ. 32. luctam illã Iacobi fuiſſe cenſent cum aliquo ex his malis ſpiritibus lucifugis: quia dicit:* Dimitte me, iam enim aſcendit aurora. *nam mox Iacob ſubdit, ſe Dominum facie ad faciem vidiſſe: & in Hebræo nomen Dei ponitur* Elohim אֱלֹהִים *& locus à Dei facie dictus* פְּנוּאֵל *Phenuel, iuxta D. Hieronym. in quæſtion. tradit Hebraic. vbi exſtructam ciuitatem, ipſe Strabo homo Græcus lib. 16. Geogr.* faciem Dei *appellat, ad etymum Hebræum alludens. de qua Dei in Angelo loquentis & operantis apparitione, & ſimilibus veteris Teſtamenti, vide D. Auguſtin. contra Adamant. cap. 9. & lib. 2. de Trinit. cap. 10. & li. 10. de ciuit. Dei. Angelum enim fuiſſe (quibus nomen Dei Elohim paſſim tribuitur) bonum, dubitare nos non ſinit Ozeas cap. 12. hunc locum quaſi interpretatus. Et apparuiſſe humanâ atque virili formâ colligitur inde quod Moſes virum vocauit; quâ in viſibili effigie, quia tunc conſpici nolebat, ideo inalbeſcente aurorâ dimitti poſtulabat.*

IN CHORVM.

Chorus iſte totus in omnibus excuſis habetur: ſed in manuſc. quibuſdam deeſt ex parte, & incipit inde: Turbine magno ſpes ſollicitæ. *Bernardin.* hic chorus (*inquit*) non legitur hoc loco, vnde paucis annotabimus. *Daniel teſtatur, hunc chorum in vetuſtiſſimo m.ſ. eſſe mancum, & non videri conuenire hanc primam partem ſublimitati Senecæ. In Moguntin. m.ſ. totus quidem habetur, ſed alio, & prorſus turbato ordine. incipit enim à;* Turbine magno ſpes ſollicitæ; *vſque ad;* Sordida paruæ fortunę domus, *& ibi inſerit;* iam rara micant, *&c. Siue ergo hæc prima pars Senecæ, ſiue alterius: digna certè, quæ legatur, nec cedit ſubſequentibus. Deſcribuntur vanæ diuitum & magnatum curæ. laudantur quieta & tuta plebeiorum ſtudia: illas damnat, hæc ſibi in optatis eſſe canit.*

125 Nox dicta vagos] *inſtabiles, erraticos, Lunam & ſex ſocia ſidera; quæ vocat,* Ignes] *quia ſtellæ credebantur eſſe naturæ igneæ.*

Syne-

Synesius hymn. vlt. ἁ μὲν κερόεν σέλας
πλήσασα ῥόου πυρὸς
ἀγεῖτο σελάνα.
Ipsa quidem cornutum lumen
Replens ex fluxu ignis
Præibat Luna.

126 Luce renata] *Herbipol. & Veneti*; nouata.

127 Cogit nitidum-agmen] *in ordinem redigit, compescit, claudit. μεταφορικῶς à more militari. at Synesius:* —— ἄστρων ἀγέλα νέμεται —— siderum greges pascuntur: *quia vt pastor oues, ita Deus sidera, pascit, alit, regit, conseruat. ideo ait Hymn. 6. Christum Dominum alloquens;* τὰν δ' ἄστρων ἀγέλαν ἀεὶ νομεύεις. astrorum greges semper pascis.

129 Septem stellis Arcades vrsæ] *Eguian. & Mogunt.* stellæ Archados. *sed ceteri, cum vulgatis. tunc, hoc diceret signum glaciale seu hybernum, Vrsæ Arcades, septem suis stellis vocant lucem verso temone, hoc est, curru soluto, peracto labore. sed illa alia lectio duorum m.s. hunc sensum exhibet; Septem stellæ vrsæ Arcadiæ, signum hybernum Aquilonari polo vicinum, verso temone, vt solent aurigæ via confecta, operiuntur diem, & ipsum mane vocant ac suscitant, vt veniat. eisq; succedat in laborem. iidem in seq. versu habent;* vocat, *non* vocant. *posses, me auctore, sic ista scribere & ordinare:*

Septem stellæ Arcados vrsæ,
Signum celsi glaciale poli,
Lucem, verso temone, vocat.

frequens enim hiatus in his tragædiis.

132 Titan summum prospicit Oetham] *Moguntin.* summo prospicit Oetâ. *Eguianus*; euectit Oeta. *nescio quid sibi voluerit scriptor. Oeta Thessaliæ mons, in quo mortuus Alcides. hoc autem ait; Solis nascentis radios iam iam splendorem in montium cacumina iacere. id veteres, auctore Verrio,* Manare solem: *vnde primum diei tempus,* mane: *etsi Festus aliam etymologiam proferat,* mane à mano, *hoc est, bono, vnde &* Matuta.

133 Cadmeis inclyta Baccis aspersa die dumeta rubēt] *dumeta aspersa die, hoc est, radiis solaribus nondum perfectè conlucata; sed tenui luce tantum apparentia, rubent inclyta baccis Cadmæis.* baccæ, *minutiores fructus quilibet, hîc opinor de baccis lauri siluestris; quæ, vt tradit Lucianus in Lucio, rubro colore rosas emētiuntur. Cadmæas dicit, quia natæ in Cadmi nemore. cuius mentio alibi:* —— & Cadmi nemus
Serpente notum. *Moguntin. Herb. & Veneti longè aliter:*
Cadmeis inclyta Bacchis
Aspera die dumeta rubent.

nisi; aspera, *reliqua tolerabilia. Dumeta, inquit, nobilitata Thebaidum Baccharum orgiis, die aspersa, rubent.*

136 Labor exoritur durus] *nox homini quasi manus adducto somno ligat, soluit eas, & labori reddit dies. Dauid Psal. 103.* Ortus est sol & con-

gregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur. Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperum. *Et hæc ratio, ſecundùm nõnullos, cur mane Hebræis, Bocher* בֹּקֶר *à verbo Bachar, hoc eſt, quærere & diſcernere: nox verò Hereb, à verbo Harab, quod ligare ſignificat; etſi aliter Hieron. ab Oleaſtro in 1. cap. Gen. vide ibid. Epiſcopum Argolicenſem.*

Vlelmius in 1. cap. Geneſ. בֹּקֶר עֶרֶב

137 Agitat curas] *q. v. l.* curis.

139 Dimiſſo] *Tres Veneti & Herbip.* immiſſo. *paſtoritium vocabulum immittere gregem. aptum admiſſo hiatu.*

140 Nondum ruptâ fronte] *nondum enatis corniculis.*

148 Thracia pellex] *Philomela in Luſciniam mutata. nam in arboribus luſciniæ, in domibus hirundines nidificant. vt Seneca per luſciniæ antelucanam diligentiam; ſic diei ortum, per hirundinis, in quam ſoror Procne conuerſa, ſollicitudinem, deſcripſit Iul. Montanus, apud Senecam epiſt. 123.*

Incipit ardentes Phœbus producere flammas,
Spargere ſe rubicunda dies. iam triſtis hirundo
Argutis reditura cibos immittere nidis
Incipit, & molli partitos ore miniſtrat.

ex quibus illa, ſpargere ſe rubicunda dies, *& aliud,* argutis nidis, *noſter imitatus, cum dixit:* aſperſa die dumeta, *& mox;* querulos nidos, *pro ipſis auibus.* Turbáque circum] *Mogunt.* tubáque certat. *Herbip. & Veneti omnes;* turbáque circa. *neutrum recipio.*

153 Exeſis pendens ſcopulis] *ſimilia de piſcatore Theocriti* εἰδυλ. χʹ.

——— ἐμαυτὸν
ἐν πέτρᾳ μεμαῶτα· κατεζόμενος δὲ δοκεύον
ἰχθύας, ἐκ καλάμων δὲ πλάνον κατέσειον ἐδωδάν.

——meipſum Conantem in rupe piſces capere. ſedens autem obſeruabam Piſces, ex arundine verò ſuſpenſam fallacem quatiebã eſcam.

154 Deceptos inſtruit hamos] *à piſcibus. fallax enim & doloſum genus piſcium, teſte Theocrito. vnde & Moſchus eidyl. δʹ.*

καὶ ἰχθὺς ἄπλανος ἄγρα. & piſcium doloſa venatio.

155 Preſſa] pondere appenſi piſcis depreſſâ.

157 Linea] *Setaceus funiculus, cui hamus appendet. Hîc tantum deſcribitur retrahens, ſiue hamatoria piſcatio, & de piſcatore hamotrahone agitur. ſunt & piſcationũ genera, retinacularia, tridentea ſeu fuſcinalis, percutiens & ignifera. Plato fusè de his ſpeciebus egit in ſophiſtâ ſiue de ente: inde licebit petere. retinaculariæ pulcherrimum exemplũ præbet Philoſtratus in imagine Piſcatorum. Omiſit Seneca in hac deſcriptione agricolarum matutina ſtudia, de quibus Attius,* in Oenomao:

Forte, ante auroram radiorum ardentem indicem,
Cum ſono in ſegetem agreſtis cornutos cient
Vt rorulentas ferro terras perfidas
Proſcindant, glebáſque aruo ex molli excitent.

158 Quibus eſt vitæ tranquilla quies
Et læta ſuo, paruóque domus,

Spes

Spes & in agris.
Turbine magno spes sollicitę

Vrbibus errant] *hæc multorum codicum lectio, & ita N. nec video quicquam in eâ vitij aut tenebrarum. totidem verba Herbip., Veneti, & Lugdunens. nisi quòd carmina aliter partiuntur, sed minus accuratè. Mogun. eodem modo, nisi quòd corruptè*; iam spes in agris. *pro quo fortè ponendum*; iam spes magnis, *aut vt Lipsij manusc.* spes iam magnis, *& transponendus versus vt ipse indicauit:*

Spes iam magnis
Vrbibus errant, trepidíque metus,
Turbine magno spes sollicitæ.

Læta suo paruóque] *veræ diuitiæ sorte suâ cōtentum viuere. de quo grauiter Censorinus lib. de die Natali*: Igitur quoniam quisque non quanto plura possidet, sed quanto pauciora optat, tanto est locupletior: opes tibi in animo maximæ; eæ quæ non modò bona generis humani præcedunt, sed quæ ad Deorum immortaliū æternitatem penitus accedunt. Quod enim Xenophon Socraticus dicit: NIHIL EGERE EST DEORVM; QVAM MINIMVM AVTEM, PROXIMVM A DIIS. *Rectè Epicurum Seneca, lib. de paupertate, reprehendit*: Illa verò non iam paupertas est, si est læta. *in quibus verbis addidi negationem ex membran. Burdegalen. & ex epist. 2. vbi ijsdem verbis, referens dictum Epicuri*: Honesta res est, læta paupertas, *subdit*: Illa verò non est paupertas, si læta est. cui enim cum paupertate bene conuenit, diues est. non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est. Quid enim refert, quantum illi in arcâ, quantum in horreis iaceat, quantū pascat, aut fœneret; si alienis imminet, si non acquisita sed acquirenda computat? Quis sit diuitiarum modus quæris? primus, habere quod necesse est; secundus, habere quod sat est.

161 Trepidíque] *q.v.l.* timidíque.

163 Superbos aditus regum, duràsque fores] *soliti clientes ante patronorum fores operiri, donec salutatum intromitterentur. docet Nonius*: Inuenitur etiam (*ait*) apud veteres doctos, vestibula ob hanc significantiam dicta; quòd in his locis ad salutandos dominos domorum quicumque venissent, stare soleant, dum introeundi daretur copia: atque ob hanc constitionem & quasi constabulationem, primos ingressus domorum, vestibula nominatos. *habebant autem superbi isti clientium tyranni (quos &* Reges, *&* Dominos *vocatos ex multis locis Valerij Martialis colligitur) libros, in quibus admittendorum erant conscripta nomina, distributa per classes, primam, secūdam, & deinceps: vt nimirum eo ordine salutare permitterentur. ita contingebat, vt qui summo mane venerat, partem de solidâ nonnunquam exspectando nocte demeret, antequam intromitteretur, eo quòd vltimarum classium esset. quare merito vocat*, duras fores, superbos regum aditus, *& expertem somni clientulum illas colere: consuetudinis aßiduus testis Iuuenalis, Sat. 5.* ——— sollicitus, ne

Hæc verba posui partim à me, partim à Turn. castigata.

Turba salutatrix iam tota peregerit orbem

 Side-

Sideribus dubiis, aut illo tempore, quo se
Frigida circumagunt pigri serraca Bootæ.

hoc est, nocte media. & ipsemet Seneca lib. 6. de benefic. Quid? tu libros, quos vix nomenclatorum complectitur aut memoria aut manus, tu amicorum æstimas esse? nō sunt isti amici, qui agmine magno ianuam pulsant, qui in primas & secundas admissiones digeruntur. consuetudo est ista vetus regibus, regésque simulantibus, populum amicorum describere. Est proprium superbiæ magno æstimare introitum ac tactum sui liminis: & pro honore dare, vt ostio suo propius assideas, vt gradum prior intra domum ponas: in quâ deinceps multa sunt ostia, quæ receptos quoque excludunt. Apud nos primi omnium Gracchus & deinde Liuius Drusus instituerunt segregare turbā suam, & alios in secretum recipere, alios cum pluribus, alios vniuersos. habuerunt itaque isti amicos primos, habuerunt secundos, nunquam veros. Amicum vocas cuius disponitur salutatio? aut potest huius tibi patere fides, qui per fores malignè apertas, non intrat, sed illabitur? *D. Hieron. in epist. ad Eustochium de virgin. seruan. dixit,* disponere salutationes; *meminit etiam, in epist. ad Pammachium de obitu Paullinæ. Sed & Seneca epist.* 4. Non est (*inquit*) necesse superbis assidere liminibus. *vnde elucidatur altus eius locus:*

Licet omne tuâ vulgus in aulâ
Centum pariter limina pulset:
In tot populis non vna fides.
Pauci Reges, non regna, colunt.

Sustuli ex hoc loco Columellæ tria menda.

alludit ad multas illas ianuas, quæ in domibus potentiorum: eodem Columella Moderatus lib. 1. de re rust. An honestius duxerim mercenarij salutatoris mendacissimum aucupium, circumuolitantis limina potentiorum, somnúmque Regis sui rumoribus augurantis: neque enim rogāti quid ageretur intus, respondere serui dignantur. An putem fortunatius à catenato repulsum ianitore, sæpe nocte serâ ingratis foribus adiacere, miserrimoque famulatu, per dedecus, fascium decus & imperium, profuso tandem patrimonio, mercari? *Dion Nicæus (vt docet Xiphilin. in Tiberio) scripserat, etiam ipsos Coss. primâ luce semper venisse domum Seiani; cuius salutandi causâ, solitam quoque ad eiusdem fores, tantam hominū multitudinem concurrere, vt se mutuò de loco dimouerēt & expellerent, metuentes ne, aut ab eo non conspicerentur, aut viderētur ex vltimis esse: quod ille obseruaret cuncta diligentissimè, atque inprimis verba nutusq́ primariorum hominum. Vtinam nulla hodie in aulis nostris talia vanæ adulationis mancipia: Vtinam nulli Seiani. non essent illi, si isti non forent. Qui tandem ambitioso hoc aucupio ad dominium perueniebant, in Africâ* Peruentores *nominabantur, docet D. Augustin. lib. 2. de consen. Euangel. cap. 20.* Tenuit consuetudo, vt iam etiam vulgò peruētores appellentur; qui ad potentiam quorumlibet, tanquam inaccessibiles amicos, per cōuenientium personarum interpositionem ambitionis arte pertingunt. *Eâ gratiâ seruulos pretio corrumpebant, Commentarius Iuuenalis*: Festo die suo seruis

uis donare cogimur, vt admittamur ad salutationem Dominorum. *Adscribere possem duo præterea de salutationibus hisce loca, vnum Tertulliani lib. de pœnitentia cap.* 11. *& alterum D. Cipriani ad Donatum; sed non vacat omnia describere.*

165 Hic nullo] *sic ceteri, præter Lugdunens. qui;* ac, *pro;* beatus, *Herbipolens. & Veneti duo;* beatas. *beatæ opes, quòd beare videantur.* beatus *verò nullo fine ipse auarus, quia;* quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. *quo quis pecuniosior, hoc auidior. nihil humanum appetitum, præter Deum, saturat; in nullo alio conquiescit. Censorinus, de die Natali:* Munera ex auro, vel quæ ex argento nitent, celato opere nonnunquam materiâ cariora, ceteraque hoc genus blandimenta inhiant ij, qui vulgò diuites vocantur. *vocantur & putantur, non sunt. quare? quia singuli, quod vnus eorum apud Lucilium dicunt:*

Nam si quod satis est, homini id satis esse potisset,
Hoc sat erat: nunc, cùm hoc non est; quî credimu' porrò
Diuitias vllas animum mî explere potisse?

rectè & verè Varro, Eumenidibus: ——— denique auarus,
Quis sanus? cui si stet terra & traditus orbis;
Furando tamen, ac morbo stimulatus eodem,
Ex sese ipse aliquid quærat, cogátque peculî.

S. Columbanus Abbas:

Semper auarus eget, nec habet, quod habere videtur.

Seneca lib. 2. de benefic. Nunquam enim improbæ spei, quod datur, satis est, & maiora cupimus, quo maiora venerunt, multóque cócitatior est auaritia, in maiorum opum congestu conflata: vt flammæ infinito (*sic membranæ Burdegal.*) acrior vis est, quo ex maiore incendio emicuit. *Lucilius, apud Nonium: stulti vt arbitror nomine auarum significans, ita scripsit, vt ego quidem recenseo:*

Denique vti stulto nil sit satis, omnia cùm sint. *Nonius in stultum.*

A Senecâ epist. 109. hi versus veteris poëtæ adducuntur:

Desunt inopiæ multa, auaritiæ omnia.
In nullum auarus bonus est, in se pessimus.
Is minimo eget mortalis, qui minimum cupit.
Quod vult habet, qui velle quod satis est potest.

Suspicor esse ex Mimis Laberij, vel P. Syri, vel Matij.

167 Congesto] *sic Seneca;* in maiorum opum congestu. *sic Claudianus lib. 1. de rap.* Mens congesta: *quo loco nos in Not. de hac voce.*

169 Fluctúque magis mobile vulgus] *de plebis inconstantiâ pulcrè Herodotus:* Etenim populari multitudine, nihil est neque insipientius, neque insolentius. Itaque eos, qui tyranni impotentiam fugiunt, ad intemperantis plebis recidere sæuitiam, nequaquam tolerandum est. Nam tyrannus, si quid facit, intelligens facit: at plebi suum est, nihil intelligere. Quo enim pacto sciat, qui néque edoctus est; neque honestum nouit, ne domesticum quidem; qui ad res agendas, sine consilio

præceps ruit torrenti flumini similis? *& Polybius Megalopolites*; talis est quælibet plebs & turba, vt facilè fallatur, & ad quiduis inducatur, vnde illi frequenter, id quod mari, accidit. quemadmodum enim mare naturâ suâ innoxium est rectè vtentibus & firmum; si verò violenti flatus in illud irruerint, tale redditur vtentibus, quales sunt venti, à quibus circumquaque impellitur: ita & multitudo talis redditur vtentibus, quales habet duces & consiliarios. *Statius lib. 2. siluar.*

——— non mobile vulgus. *Meritò de omni id vulgo: sed meritissimè Horatius de plebe Romanâ*, Quirites mobiles. *nam (quod interpretes non aduertêre) scribit Herodianus*, etsi vbique vulgus semper ad res nouas leuissimum, tamen Romana plebs inprimis, quæ ex magnâ variáque peregrinorum etiam multitudine constat, longè ceteris mobilior est. *& mox apud eundem Maximinus dicit notissimam esse* Romani populi leuitatem & inconstantiam. *De omni plebe sic tyrannus Agrigentinorum epist. 77.* δῆμος ἅπας ἄτακτος, ἄνους, ἄπρακτος, ἑτοιμότατος ἐφ᾽ ὅ, τι τύχοι μεταχθῆναι, ἄπιστος, ἀβέβαιος, ὀξὺς, προδοτικὸς, ἐψευσμένος, φωνὴ μόνον, ἀνωφελὴς, καὶ πρὸς ὀργὴν καὶ πρὸς ἔπαινον εὐχερής τ᾽ οὔτ᾽ ἐστὶ, τὸ μετ᾽ ἐνδόξου προπηλακισμοῦ φθείρεσθαι, τὸ δήμῳ πολιτευόμενον ζητεῖν ἀρέσκειν. Vulgus omne incompositum est, demens, inexpertum, ad quiduis mobile cum fortunâ, infidum, incõstans, acerbum, proditorium, mendax, vox inanis, inutile, ad iram & laudem procliue. Simile autem cum gloriosâ contumeliâ pessum ire; & in gerendâ repub. quærere vulgo placeas. 170 Voluit] *melius Moguntinens. & Veneti duo, & Lugdun. & Basil.* tollit, *quam reliqui*; voluit.

171 Clamosi fori iurgia vend.] *de quattuor causidicorum generibus lege Ammian. lib. 30 paullo pòst princip. & cernes aduocatos procuratorésq. improbos suis coloribus ornatos. Videtur ad hunc locum respexisse Apuleius Apolog.* 1. Mercenaria (*inquit*) loquacitate effutierunt; quæ etsi possunt ab his futiliter blatterata, ob mercedẽ & authoramenta impudentiæ, deprehensa haberi, iam concesso quodam more rabulis id genus, quo ferinæ solent linguæ suæ virus alieno dolori locare, *&c.*

Rabiosi] *à rabie, dicti forenses rabulæ, teste Nonio.*

176 Dum fata sinũt, viuite] *indulgete genio. in vetusto marmore Romæ*;

Sed quid ego hæc cerno, mea sunt hîc ossua in ollâ
Condita. viue hospes dum licet, atque vale.

Pæni fortè hoc Epitaphium. nam temporibus D. Augustini, etiam & Arnobij, in Africâ non, os, *sed* ossum; *nec* ossa, *sed* ossua *dicebant: vt testatur D. Augustin. in Psal.* 138. *significans id Grammaticorum sui temporis coniuicius excipi solitum. immeritò. nam Terentio, Gellio, Sosipatro probatur. Sed ad rem. illud poëtarum viuere, mori potius putarim. viuere erit, si vitam non ad Sardanapali notum illud, sed ad Chrysippæam quandam normam instituamus. refert Athenæus ista Chrysippi:*

εὖ εἰδὼς ὅτι θνητὸς ἔφυς, σὸν θυμὸν ἄεξε,
τερπόμενος μύθοισι φαγόντι σοι οὔτις ὄνησις.

καὶ

καὶ γὰρ ἐγὼ κακός εἰμι φαγὼν ὡς πλεῖστα καὶ ἥσθεὶς
ταῦθ' ἔχω ὅσσ' ἔμαθον καὶ ἐφρόντισα καὶ μετὰ τούτων,
ἐσθλ' ἔπαθον, τὰ δὲ λοιπὰ καὶ ἡδέα πάντα λέλειπται.

Cùm te mortalem cognoueris, excole mentem,
Lætatus ratione. cibi nil copia prodest.
Sæpius ipse malis sum læsus pluribus escis.
Sunt mihi quæ didici, sunt quæ meditabar, & vnâ
Quæ bene sum passus. sunt cetera cuncta relicta.

vide Athen. lib. 8.

179 Rota præcip. voluitur anni] *N.* vertitur. *non tamen rectiùs; sed æquè bene. nam & Papinius,*

In terga reuoluitur annus. *& Virgilius:*
Atque in se sua per vestigia voluitur annus.

vnde & dictum vult Macrobius. De humanæ vitæ periodo multa in aduers. addi possent nonnulla, ex Phlegontis lib. περὶ θαυμασίων καὶ μακροβίων, *& Censorino in lib. de die Natali, Crinito lib. 7. de honesta discipl. cap. 10. Cardano lib. 12. de subtil. & pulcherrima ex insigni nostri temporis philosopho & Medico Franc. Vallesio Hispano, sacræ philosophiæ cap. 7.*

Præcipitis] *Hippocrates*: Breuis quidem est vita.

180 Duræ peragunt pensa sorores] *Auctor lib. de mundo ad Alex.* Tres enumerantur Parcæ, pro ratione temporum partitæ. Pensi enim fusus, modò perfectus est, modò perficitur, modò versatur. dispositæ sunt per tēpora, vt præterito vna ascribatur, quæ Atropos dicitur; quoniam præterita omnia incommutabilia sunt. futuro, Lachesis: omnia enim naturaliter minantur exitu. instanti, Clotho: quippe quæ conficiat, & sua cuique neat. *quod latiùs explicat Theodoretus lib. 6. de curat. Græcan. aff. alias mythologias comminiscitur Plato in Timæo (quo loco multa effutiunt eius Scholiastæ), item Plutarchus lib. de fato, lib. de Deo Socratis. lib. de facie orbis Lunæ, & 9. Sympos. q. 14. Latina Parcarum nomina auctore Cæsellio Vindice in Antiquis lectionib., sunt* Nona, Decima, Morta. *Liuius in Odyss.* Quando dies adueniet quem præfata Morta est. *exstat de Parcis lib. Marinæi Siculi, multa Soncinus Bentius in li. de Felicitate, & Lilius Syntagm. 6.* Parcæ *etiam* Fatæ *vocatæ.*

181 Reuoluunt] *voluere, & eius composita propria Parcis vocabula & Fato, vt docet Valens Guellius in lib. 1. Æneid Virgil.*

—— sic voluere Parcas. *& in Georg.*
—— mollia pensa deuoluunt. *Tibullus ex castigatione Beroal.*
Quod nolim nostros euoluisse Deos.

Parcæ voluunt, deuoluunt, euoluunt, *fata quando illa decernunt*; reuoluunt, *si decreta sua rescindunt, & retractant.*

188 Rapidis] *Moguntin.* rabidis. *non probo.*

189 Nulli scriptum] *præstitutum, vt bene exponit Francisc. Polletus libro 1. fori Romani cap. 9. Eguianus*; scripto. *Nulli inquit semel in album moriturorum relato, permissum extendere terminum.*

190 Vrna

Sigon. lib. 2. de iudic. c. 12. & cap. 21. Polletus li. 5. fori Ro. c. 7.

190 Vrna] *Iudices sortito coniectis in vrnam tabellis legebantur, auctore Asconio. sed de hac vrnâ non loquitur noster: verùm de vrnâ quæsitoris. Quæsitor enim custodiebat vrnas, quæ in tribunali paratæ, ad sortes ducẽdas, & ad tabellas in quibus scriptæ iudicum sententiæ, immittendas. Virgilius:*

Quæsitor Minos vrnam mouet. *Statius*: Ibimus omnes,
Ibimus immensis vrnam quatit Æacus vmbris.

191 Alium multis] *simillimus locus apud Synæsium hymno* 1.

τί γὰρ ἀλκὰ, τι δὲ κάλλος,
τί δὲ χρυσὸς, τί δὲ φάμα,
βασιλήϊοί τε τιμαί,
παρὰ τὰς Θεοῦ μερίμνας;
ὁ μὲν ἵππον εὖ διώκοι,
ὁ δὲ τόξον εὖ τιταίνοι,
ὁ δὲ θημῶνα φυλάσσοι
κτεάνων, χρύσειον ὄλβον.
ἑτήρῳ δ' ἄγαλμα χαίτη
καταειμένη τενόντων·
πολυϋμνος δ' ἐκεν εἴη
παρὰ κούροις, παρὰ κούραις,
ἀμαρύγμασι προσώπων·
ἐμὲ δ' ἀψόφητον εἴη
βιοτὰν ἄσημον ἕλκειν,
τὰ μὲν ἐς ἄλλους ἄσημον,
τὰ δὲ πρὸς θεὸν εἰδότα.
Quid enim vires, quid forma,
Quid verò aurum, quid fama,
Regiique honores;
Si conferantur cum curis de Deo?
Alius equum citò agitet,
Alius arcum bene tendat,
Alius aceruos custodiat
Opum, aureas diuitias:
Alij verò [*sit*] Deus coma
Demissa ceruicibus:
Celebris admodum alius sit
Apud iuuenes, apud puellas,
Nitenti decore vultus:
At mihi tranquillam liceat,
Vitam ignotam ducere,
Deo autem notam.

hac de re, & contemnendis omnibus, quæ præclara stolidus mundus opinatur, exstat disertissima D. Gregorij Nazianzeni Od. 2. cuius initium, τί σοι θέλεις γένεσθ; *Quæ sic legi, sic intelligi velim, vt non ad ignauum ocium quenquam excitent: sed ad ambitionem & auaritiã duas aulicas pestes fugiendas;*

ad

ad publicum commodum, non suum; ad Dei gloriam, non suam laudem. Præclarè D. Chrysostomus in vita S. Babylæ, scribit, Bonum virum publicâ auctoritate non priuatâ, sua omnia metiri. Sanè qui nemini viuit, nec sibi: nisi nullus ipse, sed tunc nec viuit. vide Senecam epistola ad Lucill. 56. Porrò locus hic alio ordine in Moguntin. Herbipolens. & Venetis tribus:

Cæloque parem tollat & astris
Alius curru sublimis eat:
Me mea tellus lare secreto
Tutóque tegat.

201 Crine soluto Megara] *propter necem patris ac fratrum. de quo more dicam ad Chor. 1. Troad. nunc tantùm, sic intelligi Propertium lib. 2.*

Nec toties propriis circum oppugnata triumphis
Lassa foret crines soluere Roma suos.

de bellis ciuilibus, quibus magnam stragem, & pene internecionem ciuium lugere Roma coacta, & iam defessa.

202 Tardúsque senio] *Pacuuius in Hermionâ:*

Habet hoc senectus in se, cùm pigra est ipsa, vt spissa omnia
Videantur confieri. *causa Aristoteli, quia senes arido terreo abundant, vnde & cariosi & situ obsiti.*

IN ACT. II.

209 Antequam lætam domum] *fortè ex Sophoclis Trachiniis, vbi Deianira:* ——— λέχος γὰρ Ἡρακλεῖ κριτὸν
ξυστᾶσ', ἀεί τιν' ἐκ φόβου φόβον τρέφω
κείνου προκηραίνουσα. νὺξ γὰρ εἰσάγει,
καὶ νὺξ ἀπωθεῖ διαδεδεγμένη πόνον.
Nam toro ex quo potita sum Herculis, semper alius
Succrescit ex alio pauor, & illi vt bene
Sit, cura me torquet grauis, & labor
Semper alius alium excipit. certaminum
Nullus est modus ——— *sic vertit vir magnus: nimis tamen licentiosè, parumque fideliter. Moschi Megara εἰδ. β'.*
πολλοῖσιν δύστηνος ἰάπτομαι ἄλγεσιν ἦτορ
αἰεὶ ὁμῶς. δακρύων δὲ πάρεστί μοι οὐδ' ἱερωή.
ἀλλὰ πόσιν μὲν ὁρῶ παῦρον χρόνον ὀφθαλμοῖσιν
οἴκῳ ἐν ἡμετέρῳ. πολέων γὰρ οἱ ἔργον ἑτοῖμον
μόχθων, τοὺς ἐπὶ γαῖαν ἀλώμενος ἠδὲ θάλασσαν
μοχθίζει ——— Multis doloribus corde crucior
Eodem modo semper. neque à lacrymis vlla est quies.
Sed maritum dum tam breui tempore conspicio oculis
Domi nostræ. nam illi multorum præ manu est opus
Laborum; quos terrâ marique oberrans sustinet.

210 Meat] *mendosè m. s. aliqui, & excusi veteres;* exeat. *nam* meat *antiquæ notæ verbum, quo Lucretius ter quatérve vsus.*

211 Nec vlla requies] *Eustathius prodidit natum Herculem quartâ Lunâ, quâ qui nascuntur laboriosam sint acturi vitam: & quia talis imprimis Hercules fuit; qui vel pro se, vel pro aliis labores multos perferunt,* Tetradistæ *seu* quartâ Lunâ editi *vocantur: sed & quinctâ Lunâ aliquid inchoare inauspicatum fabulantur, ex Virgilij Georgicis. vide Adag.* ἐν τετράδι γεγενῆσθαι, quartâ nati Lunâ: *quam Herculis sidus appellat L. Florus libro* 1. *histor. cap.* 18.

212 Apprime] *Eguian. lib.* ad prima. *hoc est, ad ipsa principia. vix natus, & iam hostilia molitur. puto veram lectionem.*

214 Monstra] *incipit narrare Herculeos labores, quos latè prosequuntur Euripides in* μαινομέν. *chor.* 1. *Apollonij Schol. in lib.* 4. *Virg. Æneid.* 8. *Ouidius* 9. *Metam. & in epist. Deianira, Claudianus in carm. de laude Herculis, & Apollodor. lib.* 2. *Biblioth. in eo dissentiens, quod hunc furorem cunctis laboribus priorem statuat, quem posteriorem reliqui. breuiter eos complectitur Martialis lib.* 9. *Epigramm. penult. ad Domitian. laudes Herculis ornatè celebrat Aristides orat. in Herculem tom.* 1.

215 Gemina cristati] *rectè nuncupat cristatos: cùm tamen draconem à Cadmo necatum non scribat cristam habuisse. quia hic fontis accola, & Philostratus scribit angues aquatiles cristâ carere.*

218 Remisso] *non turbato. imò cum risu si Claudianū audimus. pugnam describit Theocritus, in Herculisco seu* εἰδ. 25. *quidam m. s. & impressi Venet. ac Herbipol.* Remisso pectore ac placido intuens. *non quod pectore intuebatur (quis hoc somniet?) sed quod cùm intuebatur, pectore erat pacato, & timore vacuo. alij m. s.* remisso pectore, vultu ac placido intuens. *abundat vna vox. Lipsij liber dubio procul melius:* remisso lumine ac placido in.

220 Tenera manu] *Theocritus:*

θῆρε δύω χείρεσσιν ἀφυκτ' ἁπαλαῖσιν ἔχοντα
συμπλέγδην. Belluas duas tenaciter manibus teneris prementem Constrictim.

223 Prælusit] *specimen præbuit pugnæ cum Hydrâ conserendæ. Hippol.* 1058. prælusit iræ. *Troad.* prælusit tuis iam Troia fatis. *Seneca epist.* 93. illi meliori vitæ longiorique præluditur. *Cassiodorus lib.* 1. *varior.* Ars enim bellandi, si non præluditur, cùm necessaria fuerit, non habetur. *militaris ergo vox. has autem prælusiones veteres,* battalias *quasi* battualias *vocasse docuit me Adamantius Martyrius apud Cassiodor. de Orthograph. Latinum ergo vocabulum Itali, Hispani, & Galli vsurparunt, sed minus deflexum Hispani;* batalla.

Mænali pernix fera] *à Mænalo Lycaonis F. dicta Mænalos vrbs Arcadiæ, cuius incolæ viri Mænalij, mulieres Mænaliæ & Mænalitides: apud Stephan. vitiosè legitur;* μαιαλίτης *pro* μαιναλίτης. *saltum vrbis vocant* μαίναλα: *est & mons Mænalos, & Galatiæ vrbs Mænalia.*

222 Multo decorum] *Euripides:*

Aureo quoque decoram capite
Maculosam capream

Vasta-

Vastatricem venatorum
Conficiens specticulo venatorio.

Pindarus, Auricornem ceruam. *habes autem geminum vnâ in re commentum, ceruæ cornua, eáq; aurea: cùm in hoc genere in plerisque regionibus ceruæ cornibus careant. quid tamen obstat, quominus alicubi sint cornutæ? nam & multis Callimachus, & huic Herculeæ Diodorus Siculus, & ei quæ Telephi nutrix Anacreon cornua tribuerunt (plura Cælius lib. 7. antiq. lect. cap. 15. Pierius lib. 7. Hieroglyph.) Ego tamen valde suspicor per enallagen* ceruam *Græcos pro* ceruo *posuisse. more Atticorum, qui τὴν ἔλαφον, & αἱ ἔλαφοι, τὰ κέρατα, articulum femineum iungunt masculino nomini. Hebræi quoque velocitatem exprimere volentes nusquam (quod sciam) in sacris litteris* ceruorum, *sed vbique* ceruarum *meminere, Habac. 3. Psalm. 18. 2. Samuel. 22. & alibi.*

223 Nemeæ timor] *Nemea Arcadiæ Silua. in hac Leo, quem Hercules lacertis strangulauit: dictus & Bēbinæus à Bembinâ vrbe Nemeæ. Panyasis:*

δέρματι θήρειον Βεμβινήταο λέοντος.
Pellisque fera Bembinæi leonis.

Item: καὶ Βεμβινήταο πελώρου δέρμα λέοντος
Et Bembinas monstrosi pellis leonis. *pugnam describunt noster Oetæo vers. 1233. Claudian. in laude Herc. Theocritus εἰδ. 26.*

226 Suisque Regem] *iuxta hanc Æaci legem:*
Si quod quisque facit patitur, iustissima lex est.

227 Erymanthi] *montis Arcadiæ, vbi & eiusdem nominis flumen, iuxta Pausan. in Eliac. seu lib. 5. pugnam vide apud Claudian.*

228 Taurúmque] *prælium hoc idem Claudian. commemorat. Heraclides Ponticus, in Homeric. allegoriis, per aprum, intemperantiam; per leonem inconsultum & temerarium impetum; per taurum, iracundiam; per ceruam, inanem metum; per Augiæ stabulum, vitæ fæditatē; per Stymphalides, auaritiam; per hydrā, ignorantiam; per Cerberū, tres philosophiæ partes, intelligit.*

231 Pastor triformis] *Geryon; qui gregis dominus: at Opilio fuit Eurytion, eius canis Orthus, Hesiodo in Theogon. Schol. Apollonij lib. 4. & Schol. Pindari in Isthm. & Silius Italicus:*

——— illatrat ieiunis faucibus Orthus
Armenti quondam custos immanis Iberi.

sic enim olim castigauit Laurent. Balbus Liliensis, in annotat. & emendat. in Val. Flacci Argon. editis Compluti anno CIↃ.IↃ.XXIV. *vnà cū contextu, non indiligenter recognito. Orthus hic Cerberi frater ex Echidnâ; alij Gargittion vocant. Cur vetustas Geryonem tricorporē finxerit, varia Palephatus in Fabul. Arrianus li. 2. rer. Alex. Plutarchus in Politic. Lucianus in Toxari, Eunapius in vit. Sophist. & Iustin. li. 44. de gregibus eius vide Plin. li. 4. c. 2. dictæ purpureæ & aureæ propter flauum colorē. indicat Martial. Epigram. de Bethica:*

Vellera natiuo pallent vbi flaua metallo,
Et linit Hesperium bractea viua pecus.

habes alia quædam apud Cælium lib. 6. antiq. lect. cap. 7.

Tarteſſij] *quidam excuſi Venet. & Herbipol. & Lugdun.* Carteſij, *& deducunt interpretes à* Carteiâ. *eadem quidem* Carteia *&* Tarteſſus, *Plinio, Straboni & Melæ, nec diſſentit Silius, ſi ſeriosè attendas. prius ergo Carteia, inde Tarteſſus, denique Gaddir dicta. vide Plin. lib. 4. extremo, Melam lib. 2. & Strabon. lib. 3. à* Carteiâ *non deducitur* Carteſius; *ſed à* Tarteſſo Tarteſſius, *etiam Ouidio & Silio, quare hoc loco id tuendum cum Baſileenſ. & Lipſienſib. & m. ſ. pleriſque. nam ceteri;* Trateſius. *malè, vt tamen veram ſcripturam ſtabiliant. apud Appianum mendosè* καρπήσσος, *pro* ταρτήσσος. *vrbi nomen volunt Græci dediſſe flumen* ταρτησσὸν *ortum ex Argenti montibus, vt aiunt Strabo & Stephan., & idem Strabo poſtea natum ſcribit ex Oroſpedâ, vt videantur mihi montes illi argenti eſſe Straboni*, Oropeſæ *montes. Tarteſſus flumen Græcis, qui poſtea Bethys, teſte Strabone. Steſichorus de hoc ipſo armento agens:*

> διότι γεννηθείη σχεδὸν ἀντιπέραν κλεινᾶς Ερυθείας
> Ταρτησσοῦ ποταμοῦ παρὰ πηγὰς ἀπείρονας ἀργυροριζους.
> Nata ex aduerſo ferè inclytæ Erytheiæ
> Tarteſſi amnis ad fontes immenſos argenteis radicibus.

Regio dicta Tarteßus, Eratoſtheni, Artemidoro, & aliis. Anacreon:

> ἐγὼ τ' αὖ οὔτ' Ἀμαλθίης βουλοίμην κέρας, οὔτ' ἔτη
> πεντήκοντά τε καὶ ἑκατὸν ταρτησσοῦ βασιλεῦσαι.

Non cornu Amaltheæ mi, non poſco quinquaginta centúmq; regnare annos Tarteſſis beatis. *Homerus:* ταρτήσσιον ὄλβιον ἄστυ. *Herodotus etiam in Clio incolas vrbis vocat Tarteßios. Nonnulla de Tarteſſo Liuius lib. 42. & Dionyſius Afer eius opulentiam celebrat. Salluſtius ſcribit à Pœnis ſeu Tyriis dictam*, Gaddir: *ego putem ab Hebræis, quibus Geder ſeu Gader* גדר *maceriam ſeu ſepem denotat, & eo nomine vrbs in tribu Iudâ fuit, etiam* Gedera; *Stephano, Antiochia. Solin. cap. 26.* In capite Bethicæ, vbi extremus eſt noti orbis terminus, inſula à continenti ſeptingentis paſſibus ſeparatur; quam Tyrij à rubro mari profecti, Erythræam; Pœni linguâ ſua, Gaddir, id eſt, ſepem nominarunt. In hac Geryonem æuum agitauiſſe plurimis argumentis probatur: tametſi quidam putent Herculem boues ex aliâ inſulâ abduxiſſe, quæ Luſitaniam contuetur. *Solini ſententiam ex Dionyſio Feſtus Auienus aſtruit, è quo fruſtrà conantur apud Solinum, legere;* ſeptum, *pro;* ſepem. *ſed & Plinius d. lib. cap. 22.* ſepem *ſcripſit, & ex* τὸ ſepem *potuere librarij deprauare* ſeptem. *nec omne ſeptum ſepes. Vocata etiam* Cotinuſa, *teſte Dionyſio, vocata & Aphrodiſias, niſi fallit Stephanus.*

232 Ab occaſu vltimo] *Silius libro 3.*

> Armat Tarteſſus ſtabulanti conſcia Phœbo.

234 Penetrare iuſſus] *Hercules in Africam proficiſcens duas apud Gades columnas dicitur poſuiſſe, & montes, Hiſpaniam connectentes Africæ, diremiſſe. ideo ait:* Vtrimque montes ſoluit, *&c. Mela lib. 1 cap. 4.* Deinde mons eſt præaltus, ei quẽ ex aduerſo Africa extollit, obiectus: hunc Abylam, illum Calpen vocant; columnas Herculis vtrumque. addit

fama

fama nomini fabulam; Herculem ipsum iunctos olim perpetuo iugo diremisse colles, atque ita exclusum antea mole montium Oceanum, ad quæ nunc inundat, admissum. *Ptolomæus & Dionysius ἄλυϐαν vocāt, suspicor mendo calcographorum. Eustathius Dionysij Scholiastes has columnas prius Saturni, mox Briarei, demum Herculis vocatas tradit. de his quomodo accipiendum columnæ nomen, accuratè Strabo lib.3. & Adag. στῆλαι Ἡράκλειαι* 237 Etiam ruenti] *emenda*; & iam ruenti. *hoc est, minanti se iam iam ruiturum.*

239 Aurifera spolia] *quomodo hæc poma, ipsius Atlantis vsus operâ, Hercules abstulerit, lepidè narrat Apollodorus li.2. Biblioth. eiq; consentit Schol. Apollonij, addens hanc rationem à nymphis edoctum, quam illæ à Nereo vinculis constricto acceperant. vide Scholiast Apollonij in lib. 4. circa finem, & Eustathiū in Odyss. ή. fuère hæc poma, mala citria, vt docet Athenæus li.3.c.5.*

Serpentis] *cui nomen Ladon, teste Apollonio & Pisandro.*

240 Lernæ monstra] *hydram & cancrum subsidiarium. vel sanè solam excetram vocat monstra, propter multitudinem repullulantium capitum; quæ Simonides* XC. *Alcæus* L. *alij* VII. *nonnulli quinque tradunt. Pausanias contendit vnicum fuisse, primumq; Pisandrum multiplicasse, vt fera videretur terribilior, & carmini suo plus dignitatis accederet. ita Pausan. in Corinthiac. formam hydræ exhibet Hesiod. in Theogon. confodit Hercules, iuxta plerosque sagittis, iuxta alios necauit igne. Qui à sagittis hydræ cruore imbutis, toxicum dictum volunt, parum probabili nituntur coniecturâ. Dioscorides & Ægyneta etymum malunt, non ab Herculeis sagittis, sed à Barbarorum sagittis hoc veneno illini solitis; Pomponius Sabinus in Virgil. & Brodeus Comment. in Græca Epigramm. à taxo quasi taxicum deriuant. sed hoc etiam meritò displicuit Gorrhæo in Nicandri Alexipharm. & erudito nostræq; societatis amantiss. Martiali Campano in Epigr. Ausonij de toxico. differt enim taxi venenum à toxico. Ego toxicum esse puto, quod Hispani, ab ipso vsu, sagittariam herbam* (yerua balestrera) *vocant, & ceruis transfigendis vtuntur. Nam Festus vocat ceruarium venenum, & eo sagittas perungi solitas testatur. Sic intelligendum, quod Iul. Scaliger lib. 1. comment. Aristot. de plantis scribit toxico Alpinos Pyrenæosq; latrones tela inungere. sanè Nicander in Alexipharm. tradit hunc vsum Gerrhæis & Euphratæis præbuisse. vt vt est, non serpentis sanies, sed plantæ genus est, vnde conficitur, teste Diosc. lib.5. & Galeno li.2. antidoti; seu virgulti, similis arbusto thuris. Lucanus docet lib. vlt.*

Non tam veloci corrumpunt pocula letho,
Stipite quæ diro virgas mentita Sabæas
Toxica, fatilegi carpunt matura Sabæi.

240 Numerosum] *Euripides*: —— quin & multiplicem clamosumque canem Lernæ, Hydram igne perdidit.

241 Non igne] *alij lib. in his Mogunt.* Num.

243 Stymphalides] *aues ad Stymphalum Arcadiæ lacū, vnde illas Hercules fugauit: pennas iaculabantur, instar sagittarum, ferreas, teste Euripide*

in Phrixo, Claudiano, Pherecyde, Hellanicò, & Timagneto; natandi quoque perita, vnde Ploides *dictæ, Apollonio, Charonti ac Seleuco: Mulieres fuisse vult Mnaseas, vide Apollonij Schol. in li. 2. ver. 384. & ver. 1050. Leonicum lib. 2. var. hist. cap. 77. & Wottonum lib. 7. de differ. animal. cap. 172.*

245 Thermodontiæ] *Regina Amazonum, Hippolyta.*

247 Augiæ] *describit hoc stabulum Theocrit. εἰδ. 26. tradunt tria boum millia in eo stabulasse, & triginta continuis annis nunquam expurgatum à foris; quādo, pactâ Hercules mercede, immisso Miniæo, iuxta Pausan. Eliac. 1. vel, iuxta alios, Peneo. seu Pignione, aut Alphæo, omnem fimum euerrit. Vide Adag.* Augiæ stabulum. Augiæ] *Mogunt.* Augëi. 249 Pacis auctorem] *peperit orbi pacem Hercules, vnde in Numismatib. dicitur* pacifer.

250 Prosperum] *scelera quæ felicem exitum habent, ac impunè cedunt, virtutes vocantur. sic Iuuenalis hortatur sui temporis improbos:*

Aude aliquid breuibus gyaris aut carcere dignum,
Si vis esse aliquid —— *quando hoc verum, si non hoc æuo?*

256 Regium capitis decus] *coronam, vel diadema.*

257 Cum capite] *Creontis, quē vnâ cū liberis, Megaræ fratribus, Lycus interemit.* 258 Ferax Deorum terra] *Thebæ: de quibus Sophocles:* οὐδ' ἡ μόναι τικτουσιν αἱ θνηταὶ θέους. Non solæ (*scil. Thebanæ*) Deos pariunt. *Dij Thebani, Bacchus, Palæmon, Leuothea, Hercules. ideo Manilius:* —— florentes oris Athenæ,
Sparta manu, Thebæ diuis —— *Iustin. lib. 11. scribit: Thebas non viros tantum, sed etiam Diuos genuisse. Aristides in Panathenaicâ; Thebanos, dicit, Deorum ortu sibi placere.*

Quem Dominum] *quàm vilem, quàm improbum! Lycum.*

261 Natus Amphion Ioue] *hic lyrâ vel cytharâ acceptâ à Musis, secundùm Apollon. & Pherecydem; aut Apolline, iuxta Dioscoridem; aut Mercurio, iuxta Philostratum (quam lyram in cælum translatam, fingunt Homerus & Aratus) à Mercurio etiam musicam didicit, teste Antiopes auctore, apud Pausan in Boeot. & Horatio; & artem cytharæ dicam homines docuit, auctoribus Plutarcho in lib. de Musicâ, & Plinio li. 7. cap. 56. qui addit alios id Orpheo, alios Lino tribuere. imò ipse Plutarchus paullo pòst Terpandro ascribit. Amphionis carmine Thebas conditas Euripid. in Phœnyss. Philostratus in Imagin. & alij tradiderunt. Horatius:*

Mercuri, nam te docilis magistro,
Mouit Amphion lapides canendo.

265 Fecit] *propter Bacchum dicit, quem Thebani indigetarunt, præeunte Narceo, eius ex Physcoâ F. Vide Pausan. Eliacor. 1. Antiqua Scholia in illud Iuuenal.* Descendere iussit in cælum, *exponunt,* Deum fecit.

267 Ophionius cinis] *in magnâ lectionis varietate amplector istā multorum codicum: cuius sententia; Thebani oriundi ex dentibus draconis, à Cadmo terræ mandatis, florentes olim, nunc penè ad exitium perducti. quidam libri:* atque Ophionius cinis Quo recidistis? *ita Moguntin. & omnes veteres impressi. Basileens. & Lugdun.* Ciuis atque Ophionius. *sunt qui pro,* Ophio-

Ophionius, *habent*; Amphionis. *Oblanca*; cinis atque Amphionis. *perperam. Basileens. & Lugdunens. codicum lectio, non mihi improbatur, sed meis manusc. non probatur.*

272 Fértque quæ ferri] *sustinet mala, quæ auertit ab aliis; patitur, quæ facit ne alij patiantur. sic rectè Lugdun. & multi manusc. & placet. non malè tamen Lipsiens.* fertque quæ fieri. *Basileens. corruptè*; fert quæ fieri vetat.

278 Depulsas] *ex vestig. membranar. lego*; dispulsas.

280 Diducto] *Eguian.* reducto. *Mogunt. & Herbip.* deducto.

282 Iugis] *Ossæ atque Olympi.*

283 Flumini] *Peneo; qui iuxta Strabonem Macedoniam à Thessaliâ separat: sed Cæsari, id Halyacmon præstat.*

284 Dedisti] *sic Herbip. & Veneti; Mogunt.* fecisti. *Lugdun.* stetisti.

285 Huc mons & illuc] *continui montes, Ossa & Olympus, diuisi, admiserunt aquarum fluenta, vt per medium spacium fluerent. Apollodor. lib. 1. putat hanc diuisionem factam diluuio Deucalionæo; Seneca lib. 6. Nat. quæst. terræmotu accidisse. idq; valde verisimile.*

287 Thessalus torrens] *multa quidem Thessaliæ nobilia flumina, sed postulant adiuncta, de Peneo intelligi: alioquin etiam per excellentiam ei hoc nomen competit. Apollonij Schol. in 3. scribit multa quidem Thessaliam ornare influentia flumina, præcipua tamen censeri quattuor, Peneum, Apidanũ, Panisum, & Enipeum; excellere autem & nobiliorẽ reliquis Peneum, obscurare aliorũ nomina.* ὁ Πηνειὸς τῷ ὀνόματι καταχρατῶν, ἀνωνύμους τοὺς ἄλλους ποιεῖ.

289 Afferens] *sic primus Caietan. rectiùs ante illum, vt continent Mog. Eguian. & alij tres m. s. Herbip. etiam & primus Venetus*; efferens.

291 Oblitos sui] *plerique mortuos omnium, quæ in vita egerant, obliuisci putabant, potatâ Lethes aquâ.*

292 Lucisque pauidos] *Manes lucifugos. vide sup. in fine act. 1.*

295 Illum] *vnus Mog.* vnũ. 297 Reditusq; lentos] *fortè ad illud Penelopes*: ——— lento tibi mittit Vlyxi.

299 Centena tauri colla] *vouet Ioui Taurorum Hecatomben, si sibi detur adhuc Herculis conspectu & coniugio frui: quod quia consecuta non est; appositè irrito voto, & non impetratis optatis, improbatas etiam victimas illam fingit polliceri. quemadmodum apud Virgilium li. 3. Æneas cælicolũ regi taurum mactat in litore,* cõmittens rem insolitã & piacularẽ, vt monstro locum faceret secuturo, *inquit Macrob. li. 3. Saturn. c.* 11. *notans vitium, Ioui taurum immolare: quod & Seruius annotauit li. 3. & 9. Æneid. Atteius Capito li. 1. de iure sacrificiorũ, ait*: Ioui itaq. tauro, verre, ariete immolari non licet. *& postea*: Si quis fortè Ioui tauro fecerit, piaculum esto. *Labeo lib. 68. innuit etiã Neptuno, Apollini & Marti taurũ non immolari sicut ergo Maro ad futura respexit, vt ostenderet, non litatã; sed secutũ* horrendũ dictu & mirabile monstrũ: *ita noster pari acumine ad euentũ respiciens; vt ostenderet Megarã mariti reditu, non modò non consecutã miseriarum, quem sperabat, finem; sed in maiores multò miserias incidisse, hostiam fecit contrariam, votum improbum.*

Dona-

Donatus tamen etiam taurum Iouis sacrificio adhibet, & apud Ouid. lib. 4. Metamorph. Perseus occiso cæto, & Andromedâ liberatâ:

Diis tribus ille focos totidem de cespite ponit,
Læuum Mercurio, dextrum tibi bellica virgo,
Ara Iouis media est. mactatur vacca Mineruæ
Alipedi vitulus, taurus tibi summe Deorum.

Iulianus etiam apostata superstitionis Ethnicæ diligentißimus quadam ad Libanium epist. scribit Berrhoeæ se in arce, more regio, taurum immolasse. & Silius lib. 15. Scipionem idem factitasse:

——— cadit ardua taurus
Victima Neptuno pariter, paritérque Tonanti.

Et eodem sensu Chor. Medeæ 59. Primus sceptiferis colla Tonantibus Taurus celsa ferat tergore candido, *&c. An ergo iure id Pontificio priuatis interdictum, regibus Deorumq́ filiis licuit dumtaxat, iisq́ omnibus qui superiorem in terris non agnoscebant? suspicor. mira aliàs scriptorũ dißidentium pugna. Nec illud quidem Iuuenalis patitur subsistere, qui Sat. 12. in prin. priuatis quoque sacrificiis Taurum tribuit. Sed quid si Satyricum dicam id reprehendere?*

299 Frugum parens] *non reiicio. nam scio, fruges Cereri sacræ, vt inuentrici. Petronius Arbiter:*

Agricolas primos Cereri dare messis honores,
Palmitibus plenis Bacchum vincire, Palémque
Pastorum gaudere manu: latet obrutus omni
Neptunus demersus aquâ, Palláſque tabernas
Vindicat ——— *sic legunt. atqui tabernæ Bacchi, sanè vinariæ, ceteræ Mercurij:* * cauernas *virgo respuit, &, si quæ virginales, illas Dianæ venatrici permittit. reddantur litterariæ Deæ;* lucernæ *quas illi tribuerat Petronius, sed sensu ambiguo. sic Arnobius vocat,* Mineruam lucernarum modulatricem. *Porrò pro;* parens: *non malè, Moguntin. Herbipolens. & Veneti;* potens. *& nisi fallor hoc Senecæ.*

* Sic reponunt nonnulli.

300 Secreta reddam sacra] *de sacris Cereris agit. Vide Hippolyt.* 106. *in Comment.* secreta. *quia non initiatis reuelare non licebat.*

301 Eleusi] *Moguntinens.* Eleusis.

305 Clausum] *Moguntin.* classum. *secundus Venet.* clasum. *num scripsit?* cassum. *mortui enim caßi. non hoc vt amoueam illud;* clausum. *sed vt quid videri queat, indicem.*

308 O socia] *Initium colloquij faciunt mei manusc. & Moguntinens. & Herbipolens. Non tamen superuenit in scenam prodiens Amphitryo: prius enim prodierat vnà cum Megarâ, vt ex fine præcedentis Chori constat. quare putem non esse à superioribus separanda.*

310 Meliora mente concipe] *melius ominare, spera sortem alteram. faciendum id quamdiu viuimus. Theocritus εἰδ' δ'.*

θαρσεῖν χρὴ φίλε Βάττε· τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον.
ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες.

Fidere

Fidere decet care Batte. forſan cras melius erit.
Spes inter viuos ſunt, expertes autem ſpei ſunt mortui.

312 Quod nimis] *ſic Menander cenſet, homines miſeros, credulos. & in Heliogabalo, Lamprid.* vt ſe habent (*inquit*) vota hominum ad credulitatem feſtinantium; quicquid optant, verum eſſe deſiderant.

315 Prona eſt timori ſemper] *ſic Lucanus lib. 1.*

——— ſic quiſque pauendo
Dat vires famæ: nullóque auctore malorum,
Quæ finxêre timent ——— *ſic Statius lib. 3. Thebaid.*
——— tunc plurima verſat
Peſſimus in dubiis augur timor ———

Fides] *credulitas.* 316 Demerſus] *In Moguntino verſus hic Megaræ; præcedens etiamnum Amphitruoni datur. optimè.*

320 Biſque diſcedens fretum] *Syrtes duæ, maior, minorq́ in mari, quod Africam Ægypto proximam alluit, fluxu & refluxu pelagi, qui bis quotidie fit, naues ad ſe tractas (vnde & nomen ſortitæ) in cæca & vada, quibus abundant, compellunt: modò enim arenoſa ſunt loca, modò profundiſſima, & impetuoſis fluctibus cooperta. vide Salluſtium in Iugurth. Pomponium libro 1. cap. 7. Lucanum libro 9. Dionyſius Perieget.*

ἐξείης δ' ἐπὶ Σύρτις ἀγάῤῥοον ὁλκὸν ἑλίσσει
βαιοτέρη· μετὰ τήνδε πρὸς αὐγὰς ἔρχεται ἄλλη
ἄσπετος, εὐρυτέρησι βαρυνομένη προχοῇσιν·
ἔνθα κορυσσομένης Τυρσηνίδος ἀμφιτρίτης,
ἄλλοτε μὲν πλημμυρὶς ἐγείρεται, ἄλλοτε δ' αὖτε
ἄμπωτις ξηρῇσιν ἐπιτροχάει ψαμάθοισι·

Papius: Nec procul inde minor rapido cum gurgite Syrtis
Altera; inſequitur maior quàm Solis ad ortum
Altera, collectis gremio prægnantior vndis.
Quà mare Tyrrhenum magno verſante tumultu,
Nunc grauido exundans pelagus ruit impete, nunc ſe
Fert retrò, ſiccáſque fugâ relinquit arenas.

vltimum illud proprium ad noſtri mentem, Priſcianus, ita:

Acceſſúſque furit, ſiccíſque receſſus arenis.

323 Pedes] *Apollodorus lib. 2. Biblioth. fabulatur aureum poculum ab Apolline Herculem accepiſſe dono, atque eò Oceanum tranaſſe: quia (vt docet Macrob.) vſus nauigio, cui nomen,* Scyphus. *alij volunt vſum æreo lebete, pro velo, leonis pelle; pro malo, clauâ; pro rudentibus, pharetræ loris; pro remo, arcu. vnde manauit prouerbium* ἄλλο γένος κώπης. aliud remi genus. *refert Plutar. in Collectan.*

323 Nemo ſe tuto diu] *veritas ipſa teſtatur, eum qui periculum amat, in eo periturum. & Sapiens,* Qui malum quærit, id ipſi euenturum. *Prouerb. 11. quærit autem, qui amat* ῥιψοκινδυνεῖν, *temerè & inconſultè caput periculis obiectare. Med. 519.* ——— caſus ſæpe iam expertos time.
fieri nequit, vt qui ſæpe fortunæ aleam iacit, non aliquando infortunium lucretur.

eretur. scitè Aristoteles lib. 2. de Cælo cap. 12. οἷον πολλοὺς ἀστραγάλους κώους βαλεῖν ἀμήχανον, ἀλλ' ἕνα ἢ δύο ῥᾷον. veluti multos talos Coos iacere difficile, vnum aut alterum facile. *Vbi plerique interpretes admodum infeliciter*, Chienses; *quos Simplicius errare fecit de magnis illius insulæ talis mirifica somnians. Philalteo Lucilio ibidem tenebræ, & aberrat à vero, ferreos nescio quos talos ludicris illius insulæ commiscens: quasi eburnei vel ossei satis æuum non ferrent. Inuitat me magnorum virorum hæc ignoratio; de talis Cois & toto talorum ac tesserarum genere, quæ partim lectione, partim diuinatione mihi compararam, aliis non inuidere. multa de iis alij; sed strictim, nec accuratè satis aut plenè, vt Sipontinus Episcopus in lib. 2. Martial. Philip. Beroaldus in Propert. & in Sueton. Cælius Rhodig. lib. 20. Antiq. cap. 17. & lib. 4. cap. 11. & 12. Nicolaus Leonic. in Sanneto, Galeottus Martius de promisc. doctrinâ cap. 36. Scaliger in exercitat. contra Cardan. Turnebus lib. 5. aduers. cap. 6. Lambinus Comment. in Asinariam Plauti; & Polydor. Virgilius lib. 2. de Inuentorib. rerum cap. 13. Pauca, sed meliora Lipsius in lauto illo Conuiuio lib. 2. Antiq. Inprimis differunt tessera & talus. conuincit auctoritas scriptorum, & ratio. Auctoritas, Ciceronis in lib. de Senectu. Clementis Alexandr. lib. 3. pædagogi. cap. 11. Martialis, & Ouidij, qui omnes apertè distinguunt. Confunduntur tamen non rarò, vt à D. Isidoro lib. 18. Etymol. vbi* suppum & planum *tesseræ tribuit, quæ tali propria: & Senecâ in ludo; vbi datâ operâ id fecit, ioci gratiâ, vt ex æquo Claudium illis delectatum significaret.* Tum Æacus iubet illum aleâ ludere, pertuso fritillo, & iam cœperat fugientes semper tesseras quærere, & nihil proficere: Nam quoties missurus erat resonante fritillo

Vtraque subducto fugiebat tessera fundo:
Cúmque recollectos auderet mittere talos,
Lusuro similis semper, sempérque * petenti
Decepere fidem refugi, digitósque per ipsos
Fallax assiduo dilabitur alea furto.

* Antectius, petentis.

vtrique per turriculam *seu* pyrgum *iaciebantur, ne tesseræ aut aleæ componi possent. apud Martialem Pyrgus inquit lib. 14.*

Quærit compositos manus improba mittere talos?
Si per me misit, nil nisi vota facit.

hoc est, mea fit opera, vt quamuis velit dolis vti nequeat. sed tamen peritiores fraudem adhuc nouerant in pyrgo. cur enim alioquin Persius Sat. 3. diceret in voto sibi fuisse: —— angustæ collo non fallier orcæ? *D. Isidorus:* Iactus tesserarum ita à peritis aleatoribus componitur, vt adferat quod voluerit. *imò*, quod voluerint. *mendosius etiam fortè, cùm ait:* Tabula luditur pyrgo, calculis, tesserisque. *opinor mens eius, in tabula talis, calculis, & tesseris ludi solere. hi enim tres tabulisantium ludi. vel potiùs legendum:* In tabula luditur cum pyrgo talis, tesserisque. *nam calculi manu tantùm, non per turriculam iaci soliti. Commentar. Iuuenalis antiquus Pythæi in Satyr. 14.* Apud antiquos in cornu mittebant tesseras, mouentésque fundebant: aut fritillum pyrgum dixit. *præcesserat;* fritillus pixis cornea qui

finius

finius dicitur Græcè. *corrigendum censet Lipsius;* φιμὸς. *Ratio differre probat, quia diuersa nomine, formâ, situ, numero, ornatu, iactu.*

Tessera, *siue* lepusculus, *siue* iaculum (*hæc illi antiqua nomina, teste D. Isidoro*) *Græcis* κῦβος, *nobis* cubus *vel* quadrantal, *olim &* numeri, *æqualia sex latera habet, angulos rectos bis quattuor. falsus Cardanus lib. de Subtilit. distinguens cubum à tesserâ. fallitur etiam Foquelinus in Persium, cubum confundens cum astragalo. nam* ἀςράγαλος, *quē poetæ vocant* ἄςριον, *Galli* osselet, *Hispani* carnicol, *Belgæ* pickelsteen, *Latini* talum *vel* taxillum; *vnâ ex parte sinuatus & extuberans; alterâ paullo planior & quodammodo concauus, totusq; aduncæ in fibulæ morem conformatus; sex illi latera valdè inæqualia, anguli quattuor inflexi & incurui. Non ago nunc de oscillis quæ in homine & animalibus, quibus in digitos pedes desinunt; quæ incertum tali sint, nec ne, &; ludi saltem illis nemini consuetum: sed loquor de lusoriis talis, qui animalium bisulcorum & solidungulorum. differunt ergo nomine & figura.*

Differunt situ & positione. quia tesseræ, *quouis modo cadat, situs firmus, & æquè idoneus ad consistendum: nihil in illâ concauum, nihil conuexum, planæ facies omnes.* Talo *nulla facies perfectè plana, quædam extuberant, quædam angustiores, aliæ latiores, quædam ad cōsistendum aptæ, quædam minus, nonnullæ prorsus ineptæ. In cornua si cadat, nequit consistere; in latera minus lata, stat quidem, sed minus stabilis, quàm si in latiores duas superficies; hoc est, quàm staret, si suppus aut planus foret. positiones has accepi ab Aristotele lib. 2. de hist. animal. cap. 1.* πάντα δὲ τὰ ἔχοντα ἀςράγαλον, ἐν τοῖς ὄπισθεν ἔχει σκέλεσιν. ἔχει δὲ, ὀρθὸν τὸν ἀςράγαλον ἐν τῇ καμπῇ, τὸ μὲν πρανὲς ἔξω, τὸ δ' ὕπτιον εἴσω. καὶ τὰ μὲν κῶα ἐντὸς ἐςραμμένα πρὸς ἄλληλα, τὰ δὲ χῖα καλούμενα, ἔξω, καὶ τὰς κεραίας ἄνω. Omnia enim talum habentia, in posterioribus eum cruribus habent, erectum illum in suffragine planâ sui parte foras, suppâ verò introrsum spectante: ita vt Coa quidem, intus ex aduerso inuicem opposita sint; illa verò quæ Chia appellant, foris, quæ cornua antennarum, supra habeantur. *ergo hæ tali partes,* πρανὲς, ὕπτιον, κεραῖα. planum, suppum, cornua. *Cornua, sic dicta, quod ab iis tuberculum, seu vt alij vocant mons, astragali, eo modo dependeat, quo velum vento sinuante ab antennis. de Chio & Coo mox agemus.*

Quæ de Cois de venere Cælius d. cap. 12. planè præter rem sunt. hæc vera lectio.

Numero in ipsâ lusione differebant, quia talis quattuor vel pluribus; tesseris dūtaxat tribus ludebatur. De talis nota res. inde enim Venerius iactus talorum: inde Plautinus miles quattuor iacit vulturios: hinc Cicero lib. de diuinat. si quadringentos talos ieceris. *Martialis*:

Non sim talorum numero par tessera: dum sit
Maior quàm talis alea sæpe mihi.

Ouidius:

Parua monere pudet: talorum dicere iactus
Vt sciat, & vires tessera missa tuas.
Et modò tres iactet numeros: modò cogitet aptè
Quam subeat partem callida, quámque vocet.

quo loco; numeros, *interpretor* tesseras; *& in vltimo versu præstaret forsitan legere;* Quam fugiat. *Idem Ouidius:*

Seu ludet, numerósque manu iactabit eburnos,
Tu malè iactato, tu bene iacta dato:
Seu iacias talos (victam ne pœna sequatur)
Damnosi facito stent tibi sæpè canes.

Siue inquit illa tesseras iactabit; siue tu talos, fac vincat & vincaris. D. Cyprianus lib. de aleatorib. vt paternas suas hereditates, sub hostium suorum multiformi numero dispergant? *& paullo pòst (nam* aleam *promiscuè etiam pro tesserá & talo ponit)* ille *(inquit)* cùm se in statunculis & simulacris formaret, aliud crimen adinuenit, quo se ab imitatoribus suis colendum, & sibi sacrificandum instituit, ita vt qui vellet studio eius adhærere, non ante manum in tabulam porrigeret, nisi auctori huius prius sacrificasset. *quod meâ sententiâ, de imaginibus idolorum in tesseris depingi solitis, & earum nominibus accipiendum; & quia nominatim lusuri Herculem ac Venerem inuocabant, vt postea docebo. idq; paullo prius Ciprianus apertè indicauit, dicens:* Cùm enim quidam studio litterarum bene eruditus, multum meditando hoc malũ & tam perniciosum studium adinuenit, instinctu solius Zabuli, qui eũ artibus suis repleuerat; hanc ergo artem ostendit, quam & colendam sculpturis cum sua imagine fabricauit. *&c. quæ de inuentione huius ludi subiungit; significans philosophum aliquem auctorem. Herodotus tamen tesserarum, & aleæ inuentum tribuit Lydis Asiæ populis lib. 1. Sed ad ornatum redeamus.*

Ille; Zabulo diabolus.

Quis ille? Stesichorus? an Euripides, aut Midas?

Ornatus *ergo non idem tesseris & talis. tesseræ punctis distinguebantur; vnâ in facie vnio erat, in aliâ binio, atque ita deinceps ad senionem vsque. Martial.* Hæc mihi bisseno numeratur tessera puncto:

Calculus hic gemino discolor hoste perit.

Inde, vt docet Etymologici magni scriptor, tesseræ dicuntur ὀςᾶ ἐςιγμένα, ossa punctis distincta: *vnde &* numeri *dictæ, vt Turnebus obseruauit. Talis nulla puncta, nulli numeri inscripti: sed iis ipsa figura, positura, ipsíque casus (auctore Polluce) pro punctis numerorum. Sed an tali pingebantur? dicam dubitanter. fuêre multimodi. quidam naturales, quibus etiam nunc pueri & feminæ in Belgio lusitant varicoloribus: quidam artificiales, ex ebore, argento, vel aliâ materia. naturales aliquo fortassis colore, nigro puta, rubróve imbuebant, nullis tamen figuris exornabant. artificiales rursus alij Romani & Prisci, alij Græci & Asiatici. Romani fortè veteres, nullis simulacris ornati. suadet Romanorum parsimonia: suadet, quòd Latini scriptores talorum effigiem aliquam præferentium, hominum, vel brutorum, vel Deorum, memoriam non præstent. certè ex Plauto id non colligitur; nam Græco illic more ludebatur: neq; ex D. Cypriano, quia verba eius de tesseris accipi queunt, &, si de talis, de Barbaris, non Romanis. De posterioribus, Græcis & Asiaticis, vt fors fuisse non negem, facit Pollux; qui testatur, quosdam talos Stesichorios dictos, qui octonarij erant; quosdam Euripideos, qui * quadragenarij: fuisse & Midam, cuius signum omnium fortunatissimum.*

* Puto hos diuersis imaginibus distinctos: non verò tot punctis. nec etiam tot numero iactatos: sed tot nũmos auferre solitũ qui vicisset.

Deniq;

Denique iactu *discrepant. nam propriè loquendo tali iactus, sunt* Cous, Chius, planus, suppus, Venus, canis, basilicus, Hercules, vulturius. *Tesseræ iactus sunt,* vnio, binio, ternio, quaternio, senio. Coum & Chium *docent Aristoteles loco citato, & Aristarchus ad illud Aristophan. in Ranis:*

Aliter Polydorus & alij: sed hæc puto veriora.

πέπλωκεν ἔξω τῶν κακῶν, οὐ χῖος, ἀλλὰ κῶος.

Euolauit e malis, non Chius, sed Cous.

& Pollux in Onomast. qui tradunt in talis Chium semper Coo contrarium; illum damnum, hunc lucrum adferre. Nominis ratio ab vtriusque gentis ducta moribus. Coos insula prudentes multos, gnauos, & reip. viros vtiles genuit: Chij vt scurriles, leues, ac odio digni pessimè semper audiuerunt, teste Didimo Aristophanis Scholiaste. vnde Strattidis illud prouerbiale; χῖος παραστὰς κῶον οὐκ ἐᾷ λέγειν. Chius hic astans non sinit Coum loqui. *Et Lacedæmonij olim per præconem edixerunt, Chiis licere intemperanter agere. vide Plutarch. in apophtegm. Laconic. & adag.* χιῶς ἀποπατῶν, *& aliud* χῖος πρὸς κῶον; *quod quo loco Suydas refert mihi non integer videtur, & ex Aristotelis verbis d. cap. 2. suppleri vel corrigi posse. Latinis* Cous *vocatur* Venus, *vel* suppus. *nam suppum, quod ex animi sententiâ contingit. Lucilius apud Sex. Pompeium:* Si das id quod rogat, & si suggeri' suppum.

Suppus talus, qui sic cadit, vt tuberculũ eius supra sit, hoc est, supinus. Chius *verò, Latinis* planus *vocatur, &* canis, *nempe suppo contrarius, quando pars tali opposita tuberculo, quæ nec plana prorsus est, nec planè caua, supra cõsistit, talo prono.* Basilicus *opinor idem cum venere;* vulturius *cum cane: etsi Polydorus distinguat. Tesserarum nomina non indigent interprete.* Vnio, *canis Latinis, Græcis* κύων; *senio* ἑξίτης. *fuêre hæc numerica nomina, propria, vt dixi, tesserarum; sed tamen* μεταφορικῶς *etiam talis accommodari solita. non quod ea puncta vel numeri in talis picta, fixáve: sed quia quod in tesseris puncta, hoc in talis positura ac situs præstabat. erat enim Chius in talo, æquè damnosus ac vnio in tesserâ; & Cous tali æquè felix ac senio tesseræ: inde factum, vt Chius sæpe vocetur vnio, & econtrà; senio Cous, & Cous senio. sic intelligendi Pollux, & Hesychius volens Coum sex, Chium valere vnum. Binionem & quinionem quod in talo inueniri negãt, fateor: quod ternionem, quaternionemq́; talo, vt proprium, ascribunt; veniam dent, non credo. fefellit eum qui primus excogitauit,* τέτρωρον *humanum. nam in humano talo (vt cum Herodoto & Iul. Celso dicam) tuber illud quod Graij* τέτρωρον, *nostri* quatrionem *vocant; quia quatuor costis seu lateribus fermè quadrangulum; inueniri scio, idemq́; talis lusoriis nomen fortassis attribui putabant posse: verùm hoc à punctorum illis quatrionibus, de quibus agitur, nimis quam alienum. Multò etiam amplius quod scribunt, senionem vocari quaternariũ. non magis profecto, quàm ternarius, quinio; vel equus, mulus vocitetur. æquè enim specie differunt. apertum id in vnâ tesserâ, in qua semper quaternioni, ternio apponitur. similiter in vno talo; siquidem vnum vni tantum contrarium; quatrio vnioni non potest opponi, cui tamen* ἑξίτης *opponitur. Dico igitur in talis sòlum vnionis & senionis nomẽ translatum à tesseris inueniri. Sed aiunt,* qui Chium iactabat trîs nummos, qui senionem quattuor lucrabatur: qui

Sipontin. Leonic. Caiius, Polydor. alij.

Lege Vesalium lib. 1. de humana corporis fabri. cap. 33.

coum

coum seu venerē, sex. *aiunt, sed aiunt tantùm, nō probant; & coum septenariū putāt, sed putāt. quod ego dixi, Polluci & Suetonio, postea citādo, magis consentaneum. aliquid illi verisimilius dicerent, si vellent ternionem nuncupari posse latus tali angustius, planum ferè; quatrionem verò latus tali huic oppositum, & litteræ* ∽ *in morem excauatum. Nunc probandum tali nomina sæpè ad tesseram, & huius ad illum translata. D. Isidorus, de tesserâ loquens*: Iactus quisq. apud lusores veteres à numero vocabatur, vt vnio, binio, trinio, quatrio, quinio, senio [*hoc de tesseris verum, non de talis*] postea appellatio singulorum mutata est, & vnionem canē, * trionem suppum, quatrionem planum vocabant. *quibus verbis docet præterea, non fuisse quaternionem eundem cum senione. Senio, vt illi fatentur, felix ac dexter: quatrio infelix, teste Isidoro; qui planum dicit vocari. planus autem chius, vt vidimus. Quare si quatrio planus, & planus damnosus; quomodo quatrio senarius? senio enim lucrosus. Est quidē tam senarius numerus planus, quàm quaternarius, si Pythagoræorum mysteria spectemus: sed id verum, quâ planus numerus opponitur solido & lineali; non quâ planum opponitur suppo in veterum lusionibus. In his quatrio planus vocatur, vel quia planorum more iacienti imponebat, eiusq́; spem fallebat; vel quia suppo contrarius. suppo namque semper planus opponitur, vnioni senio. Quod si vnicâ tesserâ, vel singulari talo ludebant (nā vno vel pluribus lusisse docet Eustathius in Homerum) tunc senio felix, vnio damnosus. & tunc vnio, canis vel canicula. Quando verò pluribus, tunc vnio vel canicula dicebatur, quando vno situ omnes, vel iisdem numeris tesseræ. D. Isidorus scribit*, canem vitari ab aleatoribus, quia damnosus est, & vnum significat; optari senionem, quia bonum iactum adfert. *Persius Sat. 3.*

*Trio bouē significat: mallem; trinionem.

Cælius lib. 22. antiq cap. 15.

——— quid dexter senio ferret
Scire erat in voto; damnosa canicula quantum
Raderet; angustæ collo non fallier orcæ.

Martialis:

Senio nec nostrum cum cane quassat ebur.

Auctor adagior. in prouerb. *Chius ad Coum.*

Quem versum non intellexit, qui putat ex eo, senionem quotiescunque cum cane coniungebatur, iactum efficere infelicem. Cedo enim an venerius iactus *infelix? at hic iaci non potuit, nisi concurrente cane & senione. Venerius vno talo iaci non potuit: potuit pluribus, nempe quattuor: tunc, quando sic omnes cadebant, vt omnibus diuersa superficies essent*, venus iacta *dicebatur. De quaternario numero testis est locuples Cicero lib. 1. de diuinat. & Lucianus. Quibus addo non arbitrari me*, τῆς κυβείας *fuisse venerem, sed* ἀστραγάλισμοῦ *dumtaxat. Sanè nondum legi venerium tesseris tributum: & tesseris solebant tantùm tribus ludere. omnes in hoc iactu superficies oportere dissimiles esse, optimè docet Lucianus, vesanum illum adolescentis Cnydij erga Veneris statuam amorem describens:* τῇ δὲ τραπέζῃ τέτταρας ἀστραγάλους Λιβικῆς δορκὸς ἀπαριθμήσας, διεπέττευε τὴν ἐλπίδα. καὶ βαλὼν μὲν ἐπὶ σκοποῦ, μάλιστα δ' εἴ ποτε τὴν θεὸν αὐτὴν εὐβολήσειε, μηδενὸς ἀστραγάλου πέσοντος ἴσῳ σχήματι, προσεκύνει, τῆς ἐπιθυμίας τεύξεσθαι νομίζων. εἰ δ' ὁποία φιλεῖ, φαύλως

κατὰ

κατὰ τῆς τραπέζης ῥίψειεν, οἱ δ' ἐπὶ τὸ δυσφημότερον ἀνασταῖεν, ὅλῃ Κνίδῳ καταρώμενος, ὡς ἐπ' ἀνηκέστῳ συμφορᾷ καὶ &c. Super mensâ quattuor talos Lybicæ capræ componens, ludendo experiebatur, quid sibi sperandum foret. & scopum quidem iaciendo attingens, maximè si Deam ipsam (*Venerem*) iaciendo sortitus erat, nullo talorum æquali effigie cadente, pronus illam adorabat, spei plenus se illam potiturum. sin autem (vt fit) negligentiùs talos iecisset in mensam, & illi abominabiliùs subsiluissent (*nempe canes exhibendo*) vniuersæ Cnido diras imprecabatur, velut ob cladem aliquam ingentem. *& Martialis Bilbilitanus:*

Cùm steterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna misisse tibi.

tunc (inquit) munus meum (talos hosce) magni facies, cùm iis iactis, Venerem fixeris, & in quicquid luditur, abstuleris. εὔστοχος ergo iactus, venus; ἄστοχος καὶ δυσφημότερος, Canicula. Propertius lib. 4. Malè hæc intellecta Merula & Calderino, [illegible]

Et mihi per talos Venerem quærente secundos,
Damnosi semper subsiluere canes.

Id ea ratione, vt Galeottus Martius cap. 36. de Promiscuâ doctrinâ notat: quia Veneris sidus putatur salutiferum & benignum; caniculæ maliuolum & lethiferum. Et fortaßis hi canes olim Actæonis patrimonium deuorarunt, vt nimis quam multorum hodie. Vt autem in singulari talo, senioni canicula, apud Persium Satyr. 3. sic in pluribus talis, Veneri canes opponuntur, in isto Ouidij, vt explico:

Quid valeant tali, quo possis plurima iactu
Figere, damnosos effugiásque canes.

nam τὸ plurima, *non ad numerorum puncta referendum, quæ in talis nulla; sed ad diuersas facies talorum, quæ plurimæ in iactu Venerio. docet ergo necessarium illi, ἀστραγαλοπεττίαν tenere, vt norit Venerem iacere, & canes non iacere. Itaque si Veneri canes oppositi: rectè Lambinus canes esse prodidit, quando figuræ omnes similes subsiliunt, etiamsi in tesseris (si modo ibi hæc nomina; & si non nomina, certè euenta similia) omnes seniones forent, vel in talis omnes suppi. Aliud enim* senio, *aliud* Venus; *contra quam plerique, sed minus eruditi. Suetonius namque in Augusto:* Lusimus, mi Tiberi, *γεροντικῶς* heri & hodie, talis enim iactatis, vt quisque senionem, aut canem miserat, in singulos talos, singulos denarios, in mediũ conferebat, quos tollebat vniuersos, qui Venerem iecerat. *Viderunt hoc alij: cur verò hic senio scæuus, qui aliàs dexter, non viderunt. Arbitror in talo singulario, semper faustum; in multis, semper infelicem, nisi quando omnes facies dißimiles. Nimirum, quando vno talo vel tesserâ luditur, ratio habetur situs, vel numeri, qui plenior aut solidior; qualis in illo suppus, in hoc senio: at quando pluribus talis vel tesseris, tunc non vnius tali vel tesseræ numeri aut positura ratio habetur, sed omnium. Luserat ergo Augustus talo singulari, & etiam talis pluribus, ideo inquit:* vt quisque senionem (*scilicet in plurium iactu*) aut canem (*in iactu vnius tali*) miserat. *Ex his apparet hallucinari illos, qui Venerem septenarium putant, vt sunt Engentinus in Persium, Beroaldus in*

Sueton.

Sueton. Polydorus Virgil. & alij. Hoc præterea inter Venerem & canes intereſt; quod illam vnius tantùm; hos vnius quando vno talo ludimus, & plurium numero, quando plures iaciuntur appellemus. Sed dices, quomodo talis Venus figi potuit, ſi priſcis talis nec puncta, nec effigies erant depictæ? explicat Leonicus; ſed ita, vt Chium à pronâ parte, Coum à ſuppâ diſtinguat, cõtra eorum rationem, quæ iam docuimus, & ipſe paullo antè ſcripſerat. opinor, eo ſitu conſiſtere debuiſſe, vt vnus talus ſuppus iaceret, alter pronus, reliqui duo lateri incumberent; diuerſimodè tamen, vt vnius tuberoſa, ſeu ſuppa pars foras, alterius introrſus ſpectaret. In talis pictis, picturæ diuerſitas, Venerem conſtituebat.

Sed qui Vulturij, *qui* Hercules? *an in talis hæ depictæ effigies? fortaſsis in aliquibus, vt & in teſſeris ſeu cubis, quæ non punctis numerorum, ſed iconibus diſtinctæ idolorum vel hominum, qualis haut dubiè Midas, & fortè Euripides, ac Steſichorus, ludi alicuius aut ſpeciei teſſerarum vel talorum inuentores: & tunc hæ effigies certæ erant æſtimationis, quare vna octonarius, alia quadragenarius dicebatur, prout ea iacta tollere vel ponere iubebat. Sanè D. Cypriani verba ſuperiùs citata ſatis clarè indicant in ipſis ſuperficiebus teſſerarum vel talorum (quos ille generico nomine, alearum, complectitur) imagines aliquas exſtitiſſe. quæ enim in illis altæ ſtatunculæ aut ſimulacra? & doctiſsimo Turnebo (qui tamen Cypriani locum non viderat) ita viſum, quoſdam talos vulturis & reguli imaginibus exornatos, atque ita Plautina verba intelligenda. Græcis ſanè & Aſiaticis ſeu Barbaris id ferè proprium ex Polluce diximus, qui tamen Pollux, nec alius quiſquam vulturij vel reguli vel aliarum auium inſculptarum, ſi bene memini, meminit: & in pictis iſtis teſtatur, non Herculem baſilicum, ſed Midam fuiſſe fortunatiſsimum. Vt vt eſt in pictis; certè in non depictis talis aliò recurrendum. Vulturium Lambinus infeliciorem baſilico, cane feliciorem autumat; & baſilicum ac vulturium medios eſſe canem inter & Venerem. id ſi recipias; non video quomodo Plautinus miles quatuor vulturios potuerit iacere: ni vulturium dicas planum latus anguſtius; baſilicum oppoſitum tali latus anguſtius illud quod in ∽ conformatur. ſed hoc vt nouum, fortè & falſum. Putarim potius canes & vulturios eoſdem. quia vulturius à Plauto opponitur baſilico: at baſilicus (vt bene Iuſt. Lipſius) idem qui Venerius; ita dictus, quia cùm regna vini talis ſortiebantur, tunc (Horatio teſte) iacta Venus arbitrum bibendi dicebat, hoc eſt, conuiuarum primus qui Venerium iecerat conuiuij magiſter, & rex conſtituebatur. Opponi baſilico vulturium ex Plauto deprehendi, apud quem in Ciſtellar. miles* talos poſcit ſibi in manus: *paraſitum* prouocat ad aleam. iacit vulturios quattuor. *paraſitus arripit* talos, & Herculem *iactat* baſilicum, *quem eumdem iactum in Curculione ἁπλῶς baſilicũ vocat, & qui eum iecerat, mox, vt victor, & proinde rex conuiuij potationem inchoans, victo magnum poculum propinat. Cur ergo* Herculem baſilicum *vocat? latet iocus non ſine felle. nam à feſtiuo ſcurrâ lepidè, cùm miles* canes, *ipſe verò iecisſet* Venerem, *ſibi baſilicum Herculem, militi aſcribit vulturios. facetè. quaſi vaticinans ſibi quidem poſt exantlatas ærumnas paraſiticas, ingem ac* perpe-

perpetuam conuiuij & vini dictaturā, pro præmio; quod adolescenti cupido rei speratæ copiam parasset; vt Herculē post XII. *labores Poëtæ canunt in cælum translatum: contra militi, propter abactas prædas, latrocinia, rapinas, malam crucem, cui affixus à vulturibus laceretur, vt Prometheus ad Caucasum. fortaßis etiam militem significare voluit quendam esse sagatum vulturem: quomodo forenses harpyiæ Apuleio* togati vulturij *dicuntur. vel sanè quod miles spe suâ præclarè deiectus fuisset: nam qui auidiùs aliquid appetebant, maximè heredipetæ, veteribus* Vulturij *vocabantur. quoduis horum probabilius puto, quam cum Cælio lib.*8.*antiq. lect. cap.*18.*vulturium dicere talum nominatum; quia tali opes, vt vultures vorant cadauera. nisi si Cælius de infelicibus tantùm talis loquitur: alioquin etiam parasitus quatuor vulturios iecisse dicendus, si omnes tali vulturij. præterea non omnis iactus infelix, vulturius; vt nec felix omnis, Venerius: sed ij tantùm qui summo gradu.*

Talorum vsus antiquißimus fuit, & prior vsu tesserarum, notus Heroicis temporibus: minus etiam infamis, quam tessera *siue* alea. *propriè enim tessera alea est: & hæc semper legibus vetita. commune quidem nomen* alea *iis ludis omnibus, in quibus maximam sibi partē fortuna & casus victoriæ vindicant; & omnibus ludis opponitur, in quibus prudentia & consiliū, vel corporis robur & agilitas dominantur; quo sensu aleæ ludus Romanorum iure prohibetur. D. tit. de aleator. & l. vlt. C. de religios. & sumt. fun. Auth. interdicimus C. de sacros. Episc. & cler. & grauißimè reprehenditur à D. Cypriano d. lib. de aleator. & ceteris patribus, & à Ioanne Salisberiensi li.*1.*Polycrat. cap.*5. *& ab hoc sensu dubij casus quibus homulli in varia discrimina impellimur, solent vocari* alea hominum. *ad Ephes.* 4. ἐν τῇ κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων. *Sic Varro circa initium lib.* 1. *de re rust.* vbi salubritas non est, cultura non aliud est, atque alea Domini, vitæ ac reî familiaris. *sic etiam ad hunc locum respiciens D. Ambros. in epist.* germanæ tuæ non ius, sed sollicitudo decessit; non fructus, sed culturæ labor; non reditus, sed incerti euentus quædam, vt vulgò dicitur, alea. *Propriè tamen loquendo* alea *tesseram seu cubum significat, vulgo nimis notum. & ideo Ammianus lib.*28.*mihi videtur tesseram pro aleâ posuisse*: Quidam ex his, licet rari, aleatorum vocabulum declinantes, ideóque se tesserarios appellari cupientes; inter quos tantum interest, quantum inter fures & latrones. *cùm enim aleâ luderent, tamen ab honestiore nomine eiusdem instrumenti appellationem aucupabantur. Solent falli nonnulli, etiā ex doctioribus,* ἀστραγαλίσιν *cum* πεττεία *confundentes. nam ex Eustathio in Homerū & Athenæo li.*1. *manifestum,* πέοσον *vnde* πεττεία *longiusculum oscillum esse, quod Aduatici* een koote *nominant. De calculus non est quod moneam. notum ex Martiali lib.*14. *Ouidio, Petronio, ceteris; vulgò*, furunculorum ludus, *cuius inuentio à quodam philosopho. Vide Polydor. d. cap.*13. *& Schaccheidem Hieronymi Vidæ. sed à fritillo hoc innocuo tandem manum tollamus.*

329 Qualis animo talis incessu] *mores enim & habitus exterior, interiorem animi dispositionem ac statum significant. sic Medeâ:*

Fert odia præ se, totus in vultu est dolor.

Oetæo: Ecce præcipiti gradu,
Secreta mentis, ore confuso, exerit.
Item: —— licet ipsa neges:
Vultus loquitur, quodcumque negas.
Thyeste: —— multa sed trepidus solet
Detegere vultus. magna nolentem quoque
Consilia produnt ——
Agam. Licet ipsa sileas, totus in vultu est dolor.

333 Obliqua phocis] *litus inflexum & tortuosum, & altero latere sinum Corinthiacum efficiens. describunt Pausan. lib.* 10. *& Strabo lib.* 14.

Ismenus] *flumen Bœotiæ, ab Ismeno quodam dictum, sacrum Apollini. Vide Scholiast. Apollonij in lib.* 1. *ver.* 538. *& sup. Hippol. ver.* 502.

334 Cithæron] *Mons Bœotiæ, quicquid Seruius dicat, à Parnasso alius, & ipse sacer Apollini, Musis, & Baccho; ab eo Musæ* Citheriades. *at Venus* Cytheræa, *ab insulâ,* Cythere. *Vide Strabon. & Eustathium.*

335 Isthmos] *Chersonnesus, terra sic mari cincta, vt exigua sui parte continenti adhæreat. illi* πορθμὸς *seu fretum opponitur, maris scilicet inter duas continentes angustiæ. Isthmos sex vidi legendo, hunc Peloponesiacum, in quo Corinthus, de quo perpetuò noster intelligendus. Secundus est iuxta Rhodum, in Cariâ; tertius in Hellesponto, obiacens Phrygiæ; quartus in Tauris, Mæotim ab Euxino separat; quinctus, Cymbricus; vltimus, inter Gangeticum & magnum sinum, quem nominant auream Chersonnesum.*

336 Non vetera] *prius tamen dixerat Euripides*:
—— vetúsque inter Cadmæos sermo est
Prius Dirces coniugem Lycum
Hanc septem insignem arcibus vrbem tenuisse,
Quam huius terræ principatum arriperent
Amphion & Zetus nepotes Iouis:
Cuius filius, eodem quo pater dictus nomine,
Non quidem stirpe Cadmæa ortus, sed profectus
Ex Eubœâ, iugulat Creontem, iugulatóque eo terræ imperat,
Seditione morbidâ irrumpens in mænia.

339 Clara virtus] *Nam, iuxta Attij Diomedem*:
Non genus virum ornat. generi vir fortis loco.

340 Qui genus] *&c. Claudianus*:
—— & quæ non fecimus ipsi.
Vix ea nostra puto ——
Idem: —— virtute decet, non sanguine niti.
rectiss. Epictetus in Enchir. Non sunt in nobis corpus, possessio, gloria, principatus, &, vno verbo, quæcunque nostra opera non sunt. *Vide Ciceronem pro Plancio, & Iuuenalem Sat.* 8.

Aliena laudat] *quia (inquit Seneca epist.* 8. non est tuum, quod fortuna fecit tuum. *cuiusmodi nobilitas. Idem epist.* 44. Non facit nobilem, atrium plenum fumosis imaginibus. nemo in nostram gloriam vixit:

nec

nec quod ante nos fuit, noſtrum eſt. animus facit nobilem: cui ex quacunque conditione ſupra fortunam licet ſurgere. *Dionyſius etiam Halycarnaſſ. hominis nobilitatem non niſi virtute cenſet. & Phalaris*: ἐγὼ δὲ μίαν εὐγένειαν, ἀρετὴν οἶδα· τὰ δ' ἄλλα πάντα τύχην· καὶ γένοιτ' ἂν ὁ μὲν ἐκ φαύλων ἀγαθὸς, καὶ βασιλέων καὶ πάντων εὐγενέστατος. ὁ δὲ ἐξ ἀγαθῶν, φαῦλος, αὐτός τε ἑαυτοῦ καὶ τῶν ταπεινοτάτων δυσγενέστατος. Ego verò vnam tantùm generoſitatem noui virtutem: cetera verò omnia, dona fortunæ. Et fieri poteſt, vt ex malis prognatus, euadat bonus, & regibus omnibuſque hominibus generoſior: & vt prognatus ex bonis, euadat malus, & ſemetipſo atque omnibus abiectiſſimis ignobilior. *Epiſt.* 120. *Et Velleio iudice lib.* 2. *Optimus quiſque nobiliſsimus. Non tamen negandum illud philoſophi.* 5. *Polit.* εἰκὸς βελτίους εἶναι τοὺς ἐκ βελτιόνων. *vnde Horatianum hoc*: Fortes naſcuntur fortibus & bonis.

341 Omnis in ferro eſt ſalus] *quàm vana ſit hæc tyranni ſententia, grauiter oſtendit Petrarcha lib.* 1. *de remediis vtriuſque fortunæ*: G. Ferro mihi tyrannidē acquiſiui. ferro quæſitam, ferro etiam ſeruaturus. F. Ferro forſitan etiam amiſſurus. Præclaras ſanè tibi diuitias comparaſti, eſſe omnibus odioſum atque terrificum; quódque hinc ſequitur, tibi te perpetuo grauem metu &c. *dialog.* XCV.

342 Ciuibus tenere te inuit. ſcias, ſtrictus] *Moguntin. Herbipol. & Venet. Bernardini*: ciuibus tenetur inuitis: ſcias ſtrictus, *&c.*

346 Megara] *cùm Hercules Ergynum Minyarū regem crudeliſsimum fudiſſet Thebanos infeſtantem; Thebanorum rex Creon, vt animi grati beneuolentiam teſtaretur, Herculi filiam ſuam Megaram deſpondit, conceſſâ etiam regni ſocietate. ſed dubium an hic ille Creon Iocaſtæ frater, de quo in Oedipo noſtri, & apud Sophoclem in Oedipo vtroque ex Antigonâ. videtur. nam ſuprà dixit Megara, Creonte & filiis interemtis, occidiſſe ſtirpem vltimam Cadmidarum. & infrà verſu* 495. *clarè meminit Oedipi vt iam defuncti. quare hæc tragœdia foret poſtponenda Oedipo. ſed quia id non conſtat, & fortè hic Creon alius. videtur etiam Oedipi calamitas iam mortuo Hercule obtigiſſe. quomodo enim ille non interfuiſſet prælio illi nobili ad Thebas? quomodo ad ipſum non potiùs confugēre ſupplices, quam ad Theſei filium? ſunt & alia multa huic coniecturæ fauentia. ſed res non tanti.*

Ducet nouitas colorem] *ignobilitas noſtra ornamentum accipiet, & quaſi nouo colore inducto illuſtrabitur. ducta opinor hæc tranſlatio, à parmis albis ingloriorum militum, quæ pingebantur patrato aliquo facinore egregio. Noui homines, quorum maiores publicis honoribus & functionibus caruerunt: inde* nouitas, *huiuſmodi conditio.*

352 Poſſe te inuidiam pati] *Mogunt. Herbipol. Venet.* poſſe inuidiam pati. *ſi hiatum recipias, probum. Burdigal. ſchedæ, & Eguianus*; poſſe ad inuidiam pati, *& ita citat Eibius. alterum magis placet, qui enim non aduerterunt ad frequentes huius poëtæ hiatus, pars*; &, *pars*; ad, *intruſerunt.*

353 Igitur] *membranæ Burdegal. & Eguianus*; ergo.

354 Triſtis veſtis] *pulla vel atra.*

Obtentu] *sic quidam manusc. & omnes vett. impreßi, item Basileens. & Lugdunens. primus opinor N.* obtectu, *ex Basileens. cod. margine, vnde & alias multas nouandi causas mutuatus.*

355 Præsides astat Deos] *significat more supplicum ad aras confugisse. nam mox dicet:* complectere aras, *& c. stabant ad aras & statuas Deorum, vel considebant, vel illas amplectebantur, & inhærebant: sicut in sacris litteris Ioab altaris cornu prahendit.*

361 Odia agant] *sic m.s. mei omnes. sed Herbip. & Veneti tres, & Eib.* agent. *cet. excusi;* agant. *Lipsius ex vno cod. reponit,* gerãt. *quia hoc Latinius.*

367 Victo necesse] *vetus dictum: Pacem & concordiam victis vtilia, victoribus tantùm pulcra. sed melius noster. nam victis minus animorum, & neceßitati parendum: victori amplum & speciosum pacem dare; & victoriæ lætitia facili momento luxuriat, & vana euadit. quoniam ex aduersis secunda, & ex secundis aduersa vtplurimum nascuntur. sæpè qui vicit, vincitur; & triumphans triumphatur; & , qui perimitur, interimit perimentem, & perdit pereundo eum à quo perditur.*

371 Adspersam] *q.v.l.* sparsam.

372 Prius] *adscribam quæ apud ceteros poëtas huiusmodi alia notaui, vt iuuentuti exempla suppetant, & acceßio non exigua fiat adagiorum centuriis.*

Ennius: Prius pariet locusta Lucam bouem.

Propert. lib. 1. Multa prius vasto labentur flumina ponto,
Annus & inuersas duxerit ante vices.

Idem lib. 2. Tu prius & fluctus poteris siccare Sicanos,
Altaque mortali diligere astra manu.

Idem: Quærebam siccâ si posset piscis arenâ;
Nec solitus ponto viuere, toruus aper.

& lib. 3. Flamma per incensas citius sedetur aristas,
Fluminaque ad fontis sint reditura caput.
Et placidum Syrtes pontum, & bona litora nautis
Præbeat hospitio sæua Malæa suo.

Horatius autem: Sed iuremus in hæc. simul imis saxa renarint
Vadis leuata; ne redire sit nefas.
Neu conuersa domum pigeat dare lintea; quando
Padus Matina lauerit cacumina:
In mare seu celsus procurrerit Apenninus:
Nouaque monstra iunxerit libidine
Mirus amor, iuuet vt tigres subsidere ceruis,
Adulteretur & columba miluio:
Credula nec flauos timeant armenta leones:
Ametque salsa lenis hircus æquora.

Idem alibi: Priúsque cælum sidet inferius mari,
Tellure porrectâ super.

Ouid. lib. 1. nox.æ: Vere prius volucres taceant, æstate cicadæ,
Mænalius lepori det sua terga canis.

Lib. 1. Trist. Eleg. 7.

In caput alta suum labentur ab æquore retrò.
Flumina, conuersis solque recurret equis.
Terra feret stellas: cælum findetur aratro:
Vnda dabit flammas, & dabit ignis aquas.
Omnia naturæ præpostera legibus ibunt:
Parsque suum mundi nulla tenebit iter.

& lib. Dirarum in Ibin:

Desinet esse prius contrarius ignibus humor:
Iunctáque cum Lunâ lumina Solis erunt.
Parsque eadem cæli Zephyros emittet & Euros,
Et tepidus gelido flabit ab axe Notus.
Et noua fraterno veniet concordia fumo,
Quem vetus accensâ separat ira pyrâ.
Et ver auctumno, brumæ miscebitur æstas:
Atque eadem regio vesper & ortus erit.

Claudianus, In Olybrij & Probini consulatum:

Ante dabunt hiemes Nilum: per flumina damæ
Errabunt, glaciéque niger damnabitur Indus.
Ante Thyestæis iterum conterrita mensis
Intercisa dies, refugos vertetur in ortus.

& de bello Gildonico:

—— prius astra chaos miscebit Auerno.

& ad Olybrium, in Epigrammat.

—— lucem iam condat Hydaspes,
Et Tartessiaco Sol oriare vado.
Candescat Geticis Meroë conuersa pruinis,
Claráque se vetito proluat vrsa mari.

apud eundem lib. 1. in Eutrop. illa noua, sed mordacissima;

—— procacior alter: si talibus (inquit)
Creditur, & nimiis turgent mendacia monstris.
Iam testudo volat. profert iam cornua vultur,
Prona petunt retrò fluuij iuga: Gadibus ortum
Armenij texêre diem. iam frugibus aptum
Æquor, & assuetum siluis Delphina videbis:
Iam cocleis homines iunctos, & quicquid inane
Nutrit, Iudaicis quæ pingitur India velis.

Videtur iam tunc in vsu fuisse imaginosum illud pictura genus, quo nostris temporibus Hieron. Boscius & discipulus eius Bruegelius, Aduatici, excelluerunt.

Sidonius Aruernorum Episcopus in Panegyr. Maioriani, plura congessit:

—— tua viscera ferro
Majoriane petam: Phœbus si nocte refulget,
Luna die: duplex ponto si plaustra nouatur
Parrhasis: Atlantem Tanais, si Bagrada cernit
Caucason: Hercynij nemoris si stipite lintris
Texta Nabathæum pro * remo sulcat Hydaspen:

* Omnino legendum, *pro Rheno.*

 Si

Si bibit Hispanus Gangen, tepidísque ab Erythris
Ad Tartessiacum venit Indus aquator Iberum:
Si se Pollucis perfudit sanguine Castor:
Thesea Pirithoi, Piladem si strauit Orestæ
Vel furibunda manus; raperet cum Taurica sacra
Matricida pius —— *hæc Latini: addam nonnulla ex Græcis.*

Nazianzen. in carmine de vitâ suâ:

πρόσθεν ῥυήσετ' εἰς ἄνω πηγῶν φύσις,
καὶ πῦρ ὁδεύσει τὴν ἐναντίαν φορὰν,
ἤ τι προδώσω τῆς ἐμῆς σωτηρίας.

Billius: Natura sursum fontium tendet prius,
Partésque ad imas flamma labetur vorax;
Quàm quid salutis perfidus prodam meæ.

Aristophanes, in pace:

πρὶν κὲν λύκος οἶν ὑμεναιοῖ. Antequam lupus ouē ducat vxorē.

mox: *οὔποτε ποιήσεις τὸν καρκίνον ὀρθὰ βαδίζειν.*
Nunquam facies cancrum rectâ progredi.
οὐδέ ποτ' ἂν θείης λεῖον τὸν τραχὺν ἐχῖνον.
Neque vnquam leuigaris asperum echinum. *Euripid. Medea*:
ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαὶ,
Sursum sacrorum fluminum feruntur fontes.

Palladas: *θᾶττον ποιήσει μέλι κάνθαρος, ἢ γάλα κώνωψ.*
Citius faciet mel scarabeus, aut lac culex.

Theocritus, in Thyrside, seu εἰδ. α.

νῦν ἴα μὲν φορέοιτε βάτοι, φορέοιτε δ' ἄκανθαι,
ἁ δὲ καλὰ νάρκισσος, ἐπ' ἀρκεύθοισι κομάσαι.
πάντα δ' ἔναλλα γένοιντο, καὶ ἁ πίτυς ὄχνας ἐνείκαι
Δάφνις ἐπεὶ θνάσκει. καὶ τὼς κύνας ὥλαφος ἕλκοι,
κἠξ ὀρέων τοὶ σκῶπες ἀηδόσι γαρύσαιντο.
Nunc violas feratis rubi, vos spinæ feratis:
Iuniperi pulcro narcisso floreant:
Omnia denique contraria fiant, & iam pinus pira ferat.
Daphnis postquā moritur: iam ceruus canes trahat captiuos,
Et ex montibus vlulæ cum lusciniis cantu certent.

Similia quædam ex Critiâ Athenæus lib. 13. cap. 26. ex Philippo & aliis Fuluius Vrsinus in 1. Virgilij eclog. ad illud: Ante leues. *Aristides orat in Romam*; donec, *ait*, laminæ ferreæ mari innatent, aut arbores vere florere desinant. *& orat. pro Quatuor viris*; ad vmbram verba eructare, anthericum metere, funiculum ex arena nectere, telam retexere.

Diem] *Solem. sic in Herc. Octæo*: —— ab occasu dies
Nascetur —— *Lucretius de Solis radiis*:
—— lucida tela diei. *Ouidius:*
Siue die mersatur humus —— *Claudianus*:
Merserat vnda diem.

Diem] *Basileens.* dies. 373 Pax ante niuibus & flammis erit] *hoc noster inter ἀδυνατὰ. Strabo tamen, Plinius, Solinus, Seneca ipse & Claudianus narrant, in Æthnæ cacumine inter vastos illos flammarum fluctus, niues intactas perdurare, miro naturæ miraculo.*

376 Scylla] *vide Medeæ vers. 351. & Thyest. 580.*

377 Euripus] Mare [*inter Atticam & Euboeam*] rapidum & alterno cursu septies die, ac septies nocte fluctibus inuicem versis adeo immodicè fluens, vt ventos etiam ac plenis velis nauigia frustretur, *inquit Pompon. lib. 2. cap 7. Plinius tamen, Seneca, Strabo, & alij tantùm die ac nocte simul septies fluere contendunt. Liuius autem lib. 38. ita scribit*; fretum ipsum Euripi, non septies die, sicut fama fert, temporibus statis reciprocat; sed temere in modum venti nunc huc, nunc illuc verso mari, velut monte præcipiti deuolutus torrens rapitur. *causam huius fluxus & refluxus, cùm nequisset Aristoteles assequi, mœrore contabuit. auctores D. Iustinus Martyr in Admonitor. ad Gentes, & D. Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Iulianum apostatam.*

383 Dominare tumidus] *scidæ Burdegal.* dominare dum licet.

384 Sequitur superbos] *Nemesis, quæ & Adrastia, & Rhamnusia, vltrix superbiæ & vaniloquentiæ, de qua ex veteribus multa Ammianus Marcellinus lib. 14. sub finem, explicans eius habitum; & Pausanias in Atticis, Strabo lib. 9. Artemidorus in Onirocrit. Græcor. Epigramm. lib. 4. & Macrobius 1. Saturnal. cap. 17. ex recentioribus, auctor Adag. in adag.* Adrasteia Nemesis. *Cælius lib. 11. cap. 9. Crinitus lib. 19. de hones. discipl. cap. 6. Baptista Pius cap. 70. posterior. annotamentor. Lilius Syntagm. 16. Budæus in lib. de contemtu rer. fortuitar. Brodæus commentar. in lib. 1. Epigr. edition. Frobenianæ fol. 57. & Pintianus in Not. ad Melæ lib. 2. cap. 3.*

Vltor] *Veneti membranæ, Eguian. & Moguntinens.* Victor, *quod etiam exstat in Herbipolens. Venetus, & Lugdun. & Basileens. & ita legit Eyb. melius tamen alij codices*; vltor. *sic Tibullus*:

Nescius vltorem post caput esse Deum.

Ouidius: Exiget at meritas vltrix Rhamnusia pœnas.

Deus] *pro Deâ. ex Stoicorum sententiâ, qui Deos vtriusque sexus singulos putabant. testatur id Pomponius, Sabinus in Cirim Virgilij, & adducit ex Antimacho versiculum*:

Fluminis Asopi gelidas Adrastus ad vndas
Templa Deo posuit. *videlicet Nemesi. exprimere voluit Sabinus ista, quæ ex Antimacho Suidas*:

ἔστι τὶς Νέμεσις μεγάλη θεὸς. ἣ τάδε πάντα
πρὸς μακάρων ἔλαχε. βωμὸν δὲ οἱ εἵσατο πρῶτος
Ἄδρηστος, ποταμοῖο παρὰ ῥόον. *vbi quæ apud Suydam sequuntur mutilauit magnâ ex parte Latinus interpres, vt & alia passim. Caluus quoque & Virgilius* Venerē Deum *vocarunt, imitatione Homeri; cui Iliad. γ'. dicitur δαίμων, vt & aliis Græcis sæpè ἡ θεὸς, non verò tantùm ὁ θεὸς. Leuinus*: Venerem igitur almum adorans. *Valerius Soranus Iouem dixit*

multe-

mulierem versibus suprà allatis, Tu genitor genitrixque Deûm. *Varro Palem* Deum *nuncupauit: Ægyptij* Lunam, *vt docet Crinit. lib. 23. de honest. discipl. cap. 6. Spartianus in Caracallâ, prodidit Carrhis Dei Luni templum fuisse, incolisq. persuasum, & à doctissimis quibusq. traditum; eum qui* Lunam *femineo nomine & sexu nominasset, semper muliebri dominio pariturum; qui verò marem credidisset, hunc liberum à muliebribus insidiis, viris etiam imperaturum. vnde quamuis Ægyptij, eo genere quo feminam hominem, etiam Lunam* Deam *dicant, mysticè tamen* Deum *vocare. Hoc sensu capio illud Næuij lib. 2. de bello Punico; etsi Priscianus aliter interpretetur:*

Prima incedit Cereris Proserpina puer.

& illud Cornelij Seueri, apud Sosipatrum:

Ignea nam Phœbe ducebat sidera cælo
Fraternis successor equis ———

Eodem sensu Ouidius de Venere:

Sponsor coniugij stat Dea picta sui. *quæ ritualia esse Grammatici non aduertunt, vt nec istud de Nemesi, & Venere. alioquin minimè insolens antiquis, genera nominum cõmutare. sic Ennius:* cupressos rectos, à stirpe supremo, Ilia dia nepos, lupus feta, nulla metus: *Cato*, recto fronte: *Lucretius*, funem auream: *Catullus*, ebriosam acinum: *Varro*, hunc spicum: *Commentarij Pontificales*, hic ouis, hæc agnus, hæc porcus. *Vide Festum in* spicũ, *&* recto fronte. *Nec absonum foret, si scriptum;* vltor sup. seq. à ter. Dea. *sicut Ouidio*, Dea sponsor, *& Cornelio*, Phœbe successor.

387 Nati, patris] *nonnulli lib.* nati & patris.

388 Fratrum] *Eteoclis & Polynicis. vide Thebaid.*

Totidem rogos] *cum Polynicis cadauer in rogum, quo cremabatur mortuus Eteocles, iniectum fuisset, subitò flamma dissiluit in duas partes, ita vt suus cuique cadaueri ignis luceret. vide Oedip. 321.*

389 Superba Tantalis] *Niobe Tantali filia, Amphionis vxor numero liberorum elata, Latonam præ se contemsit. in vltionem Phœbus filios, filias Diana sagittis transfixerunt. misera mater præ dolore obiit, & in lapidem transformata; qui diu postea lacrimare visus. Callimachus Hymn. Apollin.*

καὶ μὲν ὁ δ' ἀκρύοεις ἀναβάλλεται ἄλγεα πέτρος
ὅστις ἐνὶ Φρυγίῃ διερὸς λίθος ἐστήρικται
μάρμαρον ἀντὶ γυναικὸς οἰζυρόν τι χανούσῃ.

Differt petra suos pariter lacrymosa dolores
Humida, quæ quondam Phrygiis induruit oris.
Nunc quoque marmor hiat, triste & lacrymabile quiddam:

Ideo Sophocles in Electra Nioben dixit in saxeo sepulcro lacrymari, sepulcrum vocans corpus saxeum: quod videtur imitatus Agathias illo ænigmate:

ὁ τύμβος οὗτος ἔνδον οὐκ ἔχει νεκρόν.
ὁ νεκρὸς οὗτος ἐκτὸς οὐκ ἔχει τάφον.
ἀλλ' αὐτὸς αὐτοῦ νεκρός ἐστι καὶ τάφος.

& interpretatus Ausonius Epitaph. 29.

Habet

Habet sepulcrum non id intus mortuum:
Habet nec ipse mortuus bustum super:
Sibi sed ipse hic est sepulcrum & mortùus.

habes de eadem Græca epigrammata Leonidæ & Antipatri lib. 3. Antholog. Vide Auson. epigramm. 147. cuius initium: Thebarum regina fui. *& Pausaniam in Attic. & inferiùs Agamem. vers.* 374.

390 Manat in Sipylo lapis] *ex Callimacho & Ouidio, quos infrà in Agamemn. citabo. Leonides:*

πέτρος ἔτ' ἐν Σιπύλῳ Νιόβη θρυνοῖσιν αἰάζει.
Est lapis in Sipylo Niobe lacrymas iuge fundens.

Sipylus vrbs & mons Phrygiæ. hic de monte loquitur. nam vrbs euersa terræmotu, viuo Tantalo, test. lib. Aristot. in Meteor. Strabone li. 1. *& Plin. li.* 11. *c.* 41.

391 Subrigens] *erigens. à* subrigo, *quo Virgil. vtitur 4. Æneid. Seneca lib. 5. de benefic.* subrectis vexillis. *Plinius de vpupa;* cristâ visenda plicatili, contrahens eam, subrigénsque per longitudinem capitis. *vtitur etiam Tertullianus subrigendi verbo.*

396 Efferatas] *Veneti;* effrenatas. *Moguntinens.* effrenas, *sed inter lineas;* efferatas, *vt ceteri.*

399 Gerámque] *Moguntin. Herbipolens. Veneti;* gerámque. *amplectere quod lubet. nam non insuauis ista repetitio.*

405 Sed ille] *Creon. est autem antipophora.* Vos] *Lycus cum sociis. melius tamen Moguntin. Herbipol. Veneti, Lugdun. & Basileens.* nos. *nam ipse de se loquitur.*

Vos improba] *Sallustius profundam imperij & diuitiarum cupidinem vnam & veterem bellandi causam esse confirmat.*

406 Queritur] *quid necesse partâ victoriâ disceptare, vtra pars iustam belligerandi causam habuerit? iustè censendus pugnasse, qui vicit. fauère huic Dij. non causæ, sed euentus inspiciendus. eo pertinet illud Lucani:*

Victrix causa Diis placuit, sed victa Catoni.

& illud: —— hæc acies victum factura nocentem est.

Vulgus enim ab euentu censet causæ iustitiam: sapientiores à bonâ caussâ bonum euentum sperant, non verò sibi pollicentur perpetem. gnari sæpè vnde ius stabat, ei victoriam non dari.

410 Adores] *Persis mos fuit genuflexo reges adorare,* προσκύνειν *teste Lampridio in vitâ Alexandri Seueri: vbi addit Halagabalum eum cultum admisisse, Alexandrum verò prohibuisse. Græci id detestabantur. apud Herodot. in Polyhim. Lacedæmonij eum morem sibi esse negant: apud Probū Atheniensis Conon suæ id ciuitati, probro futurum asserit: apud Ælianum lib.* 1. *var. hist. Thebanus Ismenias callidè Persarum regi imponit, simulans se adorare, cùm annulum suum ante pedes deiectum humo sustulisset. De Alexandro Macedone Iustinus lib.* 12. Non salutari, sed adorari se iubet. Acerrimus inter recusantes Callisthenes fuit: quæ res & illi & multis Principibus Macedonum exitio fuit. Retentus est tamen Macedonibus mos salutandi Regis, explosâ adoratione. *Igitur meritò Lycus negat*

hoc loco à matronâ Thebanâ, se hanc demißionem exigere. At exigunt hodie Hispanæ mulieres. vbi vix vlla nobilior aut paullo opulentior femina, quæ non iubeat vel patiatur, famulos & ancillas potum sibi præbentes, humiliter προσκυνεῖν. *ô superbiam! maritorum ista pusillanimitas, qui superbo sexui, nimiùm indulgent.*

420 Nostra] *melius Moguntinens.* nostram.

422 Vt supera] *scripti Mogunt. & Burd.* superna. *& ita Ven. & Herb.*

425 Cogi qui potest, nescit mori] *ex sententiâ Stoicâ. quorum hoc effatum*: qui non timet mortem, cogi nequit. *Seneca epist. 71.* Ego cogitem in eo, qui viuit, omnia posse fortunam; potius quàm cogitem, in eo qui scit mori, nihil posse fortunam? *& epist. 92.* Non sumus in vllius potestate, cùm mors in nostrâ potestate sit. *Efficacißima sunt illa Epicteti de Laterano, Thraseâ, Agrippino in hanc sententiam. Vide Arrianum lib. 1. de vita Epicteti, cap. 1.*

432 Imperia dura tolle] *virtus enim circa ardua, dura, aspera versatur: nec ad solidum robur vlla perueniat, nisi huiuscemodi dudum exercita sit. Arriani Epictetus lib. 1. cap. 6. docet dura imperia Herculeæ virtutis materiam fuisse.* In quem (ait) virum euasurum fuisse putas Herculem, nisi leo talis exstitisset, & hydra, & ceruus, & aper, & iniusti quidam homines ac feri, quos ille expulit & expugnauit? quidnam fecisset, si nihil huiusmodi exstitisset? nónne stragulis inuolutus dormisset? Itaque primùm non factus fuisset Hercules, in talibus deliciis & otio stertens per omnem ætatem. Deinde, vt factus esset, quæ fuisset illius vtilitas? quis vsus brachiorum eius? quis tanti roboris? quis tolerantiæ & animi generosi; nisi tales conflictationes eum ad talia certamina excitassent, atque exercuissent? *&c.*

433 Obiici] *lego*; obici. *sicut* subici, adici, *& similia.*

Feris, monstrisque] feræ, *naturâ volente formantur*: monstra, *ipsius naturæ errores sunt, non valentis efficere quod destinarat, auctor Aristoteles 2. Phys. cap. 8. & 4. de Generat. animal. cap. 4. & Galen. lib. de definit. medic. Vide nostrum Benedict. Pererium lib. 9. Physic. cap. 10.*

434 Virtutis est] *mutili Mogunt. & vett. excusi, qui*; virtus est.

436 Non est] angustum *enim* est iter quod ducit ad vitam: regnúmque cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

437 Penetrat] *nondum, nec tam citò. an non ergo melius legas?* penetret. *at quidam manusc.* sperat. *sed alij, quod coniectura suggesserat.*

441 Pacatum manu] *fuit Alcides per totum fermè orbem* εἰρηνοποιός, *Ouid. in epist. Deianir.*

Respice vindicibus pacatum viribus orbem,
Quâ latam Nereus cærulus ambit humum.

Claudianus, de Hercule:

Thracia pacifero contigit arua pede.

vnde quædam inscriptiones: HERCVLI PACIFERO.

443 Phlegram] *Phlegra Thraciæ, prope Pallenem, vbi Gigantes contra*

Deos pugnarunt, & victi ope Herculis. vide Schol. Apollonij, Strabon. Pausaniam, ceteros.

447 Mortale cælo non potest iungi genus] *vno versu omnē Heroum genealogiam refellit, totam poësim & theogoniam veterum subuertit. secutus Platonem, qui in Sympos.* θεὸς δ' ἐ ἀνθρώπῳ οὐ μίγνυται *Apuleius de Deo Socratis*: Vt Plato ait, nullus Deus miscetur hominibus: *assentitur Plutarchus in Numâ: vbi contendit, quæ de Deorum erga homines amore narrantur ad morum ac virtutum dilectionem referenda: nunquam enim Deos vel Genios humani corporis, formæve vsu delectatos. Ægyptij tamen, vt ipse refert & refellit, existimabant fieri posse, vt spiritus cum feminis rem habeant, eiq; sobolis quædam principia ingenerent: cum viro tamen id non accidere. Plato in Cratylo scribit, omnes Heroës vel ex amore Deorum erga mulieres mortales, vel virorum erga Deas esse progenitos. Nec mirum: erāt enim illorum Dij, dæmones. Et quamuis nōnulli existimarint hos mulieribus commisceri non posse, vt Chrysost. hom. 22. in Genes. Caßianus in patrum coll. 8. c. 21. Eugubin. lib. 8. de peren. philosoph. cap. 32. Scalig. contra Cardan. exercitat. 355. & præcipuè id pertinaciter negent Agrippa Magus, & Wierus Caluinista: certum tamen rectè sentientibus, posse illos esse incubos, succubosq;, & sæpe esse solere, vt docent D. Augustin. lib. 15. de ciuit. Dei cap. 23. & Isidorus lib. 8. Origin. planè in fine; quo loco censeo pro;* iniui, *rescribendum;* Inui. *sic enim Pan vocatur, teste Macrobio lib. 1. Satur. cap. 22. vel* incubi, *nam Glos.* incubus, *Pan; incubo,* ἐφιάλτης. *& Arnobio lib. 4. & paullo priùs, pro;* panitæ, *legendum;* panisciæ, *quæ vox nota Ciceroni. 3. de Nat. Deor. & Suetonio in Tiberio cap. 43. Idem docent Innoc. 8. in Bulla quæ præfigitur malleo maleficar. Scot. & alij in 2. d 8. & confeßiones damnatorum per totam ferè Europam, vt de maleficis Germaniæ narrāt Sprenger in Malleo, & Nider in Formicario; de Italiæ maleficis, Grillandus lib. de Sortileg. & Ioannes Francisc. Picus lib. de Prænotione: de Hispaniæ, Torquemada in Horto florum; & de Galliæ, Meierus annal. lib. 16. anno 1459. Et licet Succubus dæmon verè concipere & parere nequeat, quæq; huiusmodi narrantur præstigiosa & illusoria sint; qualia illa apud Vincent. Speculi lib. 3. cap. 26. & Polydor. Virgil. lib. 13. Histor. Anglic. tamen ex incubo nasci filiū posse, operâ quidem eius, sed semine humano, & ita vt verus pater sit is à quo id decisum fuerat, & à dæmone collectum, docent Theologi, vt S. Thom. in 2. d. 8. & ex eo Sprenger in Mall. p. 1. q. 3. Vlricus Molitor in Dialog. de Pythonic. mulierib. cap. 5. 6. & 10. & Bartholom. Spinæus in q. de strigib. cap. 6. eaq; Scholasticorum sententia auctoritate Patrum confirmatur, quos recensent Xistus Senens. lib. 5. Biblioth. annotat. 73. & 77. & Eugubin. vbi sup. fuit & veteris Synagogæ sententia, vt patet ex Philone lib. de Gigantib. & Iosepho lib. 2. antiquit. Iudaic. cap. 3. Nec Chrysostomus Caßianus, & alij Patres, aliud negare voluerunt; quàm dæmones naturali animalium more, semen ex propriâ substantiâ decidendo, congredi; quia sensitiuæ & nutritiuæ facultatis sunt expertes. Vide Pet. Binsfeldium tractat. de Confeßionib. Sagar. 5. conc.*

448 Communis] *Diis ac Deabus. vide Arnobium lib. 4. contra gent. cuius verba in codice quo vtor, non satis rectè sunt dispuncta, lego:* Proserpinam, in Adonim; matrem eius Cererem, in Iasionem, *&c.*

Diis] *Deos multitudinis numero appellat, vulgum secutus. nam ferè quotquot Ethnici sapientiores, vnicum esse Deum, non ignorabant: sed multitudine, variam ac multiplicem eius potentiam conabantur significare. indicat hoc Ouidius in Fastis:*

Scilicet alterno voluit rudis illa vetustas
Nomine, diuersas significare vices.

apertiùs Iuppiter sic Deos alloquens apud poëtam:

Cælicolæ, mea membra Dei; quos, nostra potestas
Officiis distincta, facit —— *idem mihi ex pluribus obseruationibus videor colligere.* Tellurem *Pontifices (teste Varrone) ita colebant, vt quattuor terræ Diis sacra facerent,* Telluri, Telluuioni, Altori, Rusori: *quia vni eidemq́; terræ, secundùm multiplicem eius potestatem, hæc quatuor nomina conuenire iudicabant, vt Parrhasius annotauit. Solinus Briareum & Ægæona, vt diuersos celebrauit; quos Homerus vnum esse docet: quia Eubœenses duplicem eius potestatem venerabantur. Stella Veneris, quasi duplex sidus, Lucifer & Hesperus dicebatur; quòd idem lucis & tenebrarum præcursor. sunt qui eadem de causa Plutoni Iouis, Proserpinæ Iunonis nomen aptatum censent. Macrobius Ianum, etiam Apollinem & Dianam esse, & omnes Deos ad Solem referri docuit, lib. 1. Saturnal. cap. 9. & cap. 17. cum seqq. Vnicum certè Deum & non plures esse censuerunt Stoici (iuxta nonnullos) sed multis nominibus appellari secundũ suas proprietates,* δία *quod per ipsum sint omnia;* ζῦνα, *quod vitæ omnium sit auctor;* ἀθηνᾶν, *quòd in æthere distentum sit eius imperium;* ἥραν, *quòd in aëre;* ἥφαιστον *quòd in igne artificiali;* ποσειδῶνα, *quòd in humore;* δήμητραν, *quòd in terrâ, &c. vt commemorat Laërtius lib. 7. & apertè affirmat Aristoteles in lib. de mundo ad Alex. & Apuleius lib. de mundo ad Faustum: idem asserunt apud D. Iustinum in lib. de monarchiâ & in Exhortatorio, poëtæ vetustissimi, Sibyllæ, Orpheus, Æschylus, Sophocles, Euripides, Philæmon & alij; apud Clementem Alex. li 5. Stromat. Xenophanes, Melanippides, Theatrides, Parmenides, Hesiodus, ceteri.*

449 Famulinc] *Panyasis:*

Passa Ceres, passusq́ue insignis Mulciber, estq́ue
Passus Neptunus, passus est Phœbus Apollo
Mortali ipse suas operas mercede locare;
Passus Marsq́ue ferox irato à patre coactus.

452 Erranti] *Delos, etiam Ortygia & Asterie dicta, teste Scholiaste Apollonij in lib. 1. Porrò mira hic varietas in omnibus lib. hæc N. mihi visa optima.*

453 Num monstra] *Herbipolens.* haut. *Moguntin. & Lugdun.* non.

454 Draco] *hunc versum ordine conuerso sequenti postponendum puto, sic:* AM. Quam grauia paruus tulerit ignoras mala.
Primus sagittas imbuit Phœbi Draco.
E matris, *&c.*

cete-

ceterum de hoc Dracone, Pythone, legendus Apollodorus lib.1. Biblioth. ab eo necato sagittis, Symmias in ouo Apollinem vocat ὀφιοβόλον: hunc draconem nonnulli Græci, Delphinem vocarunt, vt Leander, Callimachus, & Apollonius lib.2 vbi consule Scholiastem ver.708. Sunt qui existiment, ab hoc Pythone, spiritum, quo afflati futura quidam prædicebant, pythonem cœptum vocari, & Pythonicos afflatos ipsos, non Phytonicos. Act.16.

459 Latuit] *& auidus Saturnus, pro filio, obiectum lapidem vorauit, cui iuxta Scalig. nomen* Bætylon; *iuxta Priscianum,* Abaddir. *In hoc versu mallem;* Non, *pro;* Num.

462 Hominem scias] *nam à diuinâ naturâ prorsus est miseria aliena. Aristides, contra Homerum in Isthmicâ:* Etenim mala, ærumnæ, calamitates, nec sunt inter Deos, nec esse possunt: cùm in hunc terrestrem locum relegata sint: nedum immortalitatis alicui initiũ præbere possint. mala enim ex malis oriuntur, Deorum verò opera bona sunt. nec hæc aliter se possunt habere. *Illa impij Epicuri:*

Omnis enim per se Diuûm natura necesse est
Immortali æuo summâ cum pace fruatur.
Nam priuata dolore omni, priuata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nil indiga nostri.

si de vno vero Deo, pia hactenus. nã quæ addit aut interserit, impia, blasphema. 463 Miserum neges] *rectè. quamuis schidæ Burdegal.* hominem neges. *quasi nequeat homo fortis esse.*

464 Fortem vocemus] *hanc seruitutem fœdissimam describit OEtæo vers.373. & Ouidiana Deianira, in epist.*

Vna recens nobis referetur adultera crimen:
  Vnde ego sum Lydo facta nouerca Lamo.
Mæander; toties qui terris errat in iisdem,
  Qui lapsas in se sæpè retorquet aquas;
Vidit in Herculeo suspensa monilia collo,
  Illo cui cælum sarcina parua fuit.
Non puduit fortes auro cohibere lacertos,
  Et solidis gemmas apposuisse toris.
Ausus es hirsutos mitrâ redimire capillos.
  Aptior Herculeæ populus alba comæ.
Et mox: Mæonias inter calathos tenuisse puellas
  Diceris, & dominæ pertimuisse minas.
Non fugis, Alcide, victricem mille laborum
  Rasilibus calathis imposuisse manum?
Crassaque robusto deducis pollice fila,
  Æquáque formosæ pensa rependis heræ.
Ah quoties digitis dum torques stamina duris
  Præualidæ fusos comminuere manus.
Diceris, infelix, scuticæ tremefactus habenis,
  Ante pedes dominæ pertimuisse minas.

Nec immeritò Lycus hæc exprobrat. summum enim crimen visum veteribus, & tetrioris notæ. vt docet disertißimè Saluianus Episcopus lib. 7. de Dei gubernat. Cùm enim muliebrem habitum viri sumerent, & magis quàm mulieres gradum frangerent; cùm indicia sibi quædam monstruosæ impuritatis innecterent, & femineis tegminum illigamentis capita velarent, atque hoc publicè in ciuitate Romanâ, vrbe illic summâ & celeberrimâ: quid aliud quàm imperij Romani dedecus erat, vt in medio reip. sinu execrandissimum nefas liceret admitti? potestas quippe magna & potentissima, quæ inhibere scelus maximum potest, quasi probat debere fieri, si sciens patitur perpetrari. *& D. Hieronymus scribit:* castitatis amatori fugiendos viros, quibus feminei contra Apostolum crines. hæc enim esse argumenta diaboli. *in epist. ad Eustochium de custodienda virgin. Martialis simili crimine li. 12. quendam Callistratum pulsat. cui infamiæ, latam legem Scantiniam Rænardus censet, in libris Variorum. assentior. tamen puto impositam pœnam, nō quâ femineis vestibus vterentur dumtaxat; sed quâ ad vlteriora, ad quæ vestitu illo inuitabāt, & quorum hoc habitu quasi professionem faciebant, vt nonnihil antè citata verba Saluianus significat, dicens:* per publicam sceleris professionem, *&c. quorum vindictam nouißima lex* [l. cùm vir nubit. C. ad leg. Iul. de adult.] *capitalem esse voluit. De ornatu viris indigno, multa egregia Epictetus Arriani lib. 3. cap. 1. quæ vtinam & legeret & audiret nimis comta & cirrata iuuentus huius temporis.*

468 Nardo] *oleo nardino. Prudentius:*

Vt mitra cæsariem cohibens aurata virilem
Combibat infusum croceo religamine nardum.

de nardo herbâ, Dioscorides lib. 1. de vnguenti generibus vide l. 21. §. 1. D. de aur. arg. leg. Plinium lib. 13. cap. 2. & lib. 12. c. 12. Clementem lib. 2. pædagogi Athenæ. & alios.

469 Tympani] *existimo de illo loqui, quod Hispanis,* pandero, *non bellis, sed lasciuis apto tripudiis. Iustinus lib. 30.* instrumentum luxuriæ *vocauit, vt & antiquus poëta,* arma pruriginis. *noster sonum eius* non virilem *dicit. vide Isidor. lib. 3. Orig. extremo cap. de Musicâ.*

470 Mitra ferocem] *sic Moguntinens. & vet. excusi, sic omnia, quæ vidi exemplaria scripta, impressa: vt hæc Lyci adhuc verba de Hercule sint. quorum mihi consensus non aspernandus.*

475 Laxari] *Moguntinens.* lassari. *minus benè.*

476 Hoc Euryti] *Iolen significat & socias: de quibus in Oetæo. sed nonne Hercules Euryti Oechaliam, post furorem, euertit? certum id, vt quod maximè. quare vel per anticipationem hæc dicta, vel de Thespiadibus, vt & sequens versus accipienda, & locus corruptus. sanè Moguntin. & alij quidā:* Teutantis testatur. *mendosè, sed fortaßis emendandum,* Teuthrantis hoc fatetur euersi domus. *Ouidius de his virginum gregibus oppreßis:*

Nec tibi crimen erunt, Teuthrantia turba, sorores;
Quarum de populo nulla relicta tibi.

has numero quinquaginta vnâ nocte deuirginauit, & Sardoûm heroum matres fecit, auctore Simplicio in lib. 8. Physic. Aristotelis.

481 Eryx] *huius cum Hercule pugnam describit Lucan. lib. 4. Butæ F. fuit, cæstuum certamine victum in Siciliâ Hercules necauit. Pausan. auctor in Laconic. seu lib. 3.*

Antæus] *de hoc alibi.* Libys] *Afer. Sillius:*

—— ceditque loco Libys asper, & omnis,
Latè cedit Iber —— *Lucanus:*
Cùm iaculum paruâ Libys amentauit habenâ.

Mythologiam quandam physicam de Antæo habes apud Christophor. Rufum Antexegemator. fol. 15.

486 Geryonem] *sic Herbip. tres Veneti, & Lipsiens.* Geryonas, *Lugdunens.* Geriones, *Basileens. Moguntin. & Eguian.*

487 Est victus] *sic Lipsien. sed ex ceteris omnibus delendũ;* est. *vt legatur:*

Mortem coactus ante Geriones pati,
Nec vnus vnâ Gerion victus manu.

tres fratres erant. vnus ante reliquos necatus; victus vnâ manu non vnus, nempe tricorpor.

488 Licet] *malè schidæ Burdegal.* decet.

494 Creontis] *Menoetij filius, mortuus Oedipi filiis regnum accepit, secundùm nonnullos.* Labdaci] *Labdacus Phœnicus F. Laij pater, Oedipi auus.* 496 Solita] infausta.

497 Ægypti] *quinquaginta Ægypti filij, totidem Danai filias duxerunt, & ab iis vno excepto necati. ab hoc AEgypto Beli F. AEgyptios dictos, cùm prius Melampodes dicerentur, Lucillius & Apollodorus tradiderunt. Verius prius Aëriam vocatam, vt scribit Eusebius in Chronicis; & adhuc prius Misraim* מִצְרַיִם *seu Mesrim aut Mesraim, vt refert Iosephus lib. 1. antiquit. Iudaic. cap. 12. à Mesraim Chami filio. Danaidum & maritorum nomina commemorat Apollodorus lib. 2. Biblioth.*

505 Congerite siluas] *ex Euripide, qui:*

Iubete lignatores truncos quercuum
Incidere, qui vbi in vrbem fuerint deportati,
Circum altaria aptè ligna construite,
Eáque accendite, & ipsorum corpora comburite
Omnium —— *& apud eundem Hermione, fugatum ab aris Andromachen, minatur se ignem admoturam. quodam Plauti loco idẽ astruit Turnebus lib. 9. aduersar. cap. 12. solebant etiam templi valuas obstruere, & egressu præclusos supplices fame expugnare; & interdum tectum demoliri, quo citius aëris iniuriâ interirent. ita Lacedæmonij Pausaniam Regem suum necarunt, vt scribunt Lycurgus orat. in Leocratem, Plutarchus in Pausan. Diodorus lib. 11. & Aelianus lib. 9. var. histor.*

511 Nescit tyrannus esse] *Agamemn. 990.*

Rudis est tyrannus morte qui pœnam exigit.

Seneca li. 2. de benefic. Quemadmodum acerbissima crudelitas est, quæ

trahit

trahit pœnam, & misericordiæ genus est citò occidere: quia tormentum vltimum finem sui secum adfert: quod antecedit tempus, maxima futuri supplicij pars est. *In Medea; cùm Iason fractus miseriis diceret,* Infesta memet perime. *responedet illa:* misereri iubes. *Euripides:*

Cita enim mors facillima homini infelici.

Sophocles in Electra; Mori, graue esse negat; sed, cùm mori desideres, non posse illud assequi.

520 Templa] *exponit D. Isidorus, ampla tecta.*

522 En est] *Lugdunens. & plerique:* En, en sonitus.

IN CHORVM.

Queritur de fortunæ iniquitate, propositis Herculis & Orphei exemplis; quorum gesta celebrat, & describit vtriusque descensum ad inferos.

523 Quam non æqua] *Pacuuius, Duloreste.*

Fortunam insanam esse, & cęcam, & brutam perhibent philosophi,
Saxóque instare globoso prædicant volubili:
Id quò saxum impulerit fors, eò cadere fortunam autumant.
Cæcam ob eam rem iterant, quia nil cernat quò sese applicet.
Insanam autem esse aiunt, quia atrox, incerta, instabilisque sit.
Brutam, quia dignum atque indignum nequeat internoscere.

Iniquitatis in munerum suorum distributione causam etiam Aristoteles problem. 8. sect. 29. refert in cæcitatem. colebatur quidem ante Platonis æuum vt Dea, sed tunc demum illi templa dicari cœpisse, scribit Simplicius in lib. 2. Physic. tex. 47. elegans fortunæ descriptio exstat apud Galenum in orat. Parænet. ad bonas artes: multa de ea philosophica, Bened. Pererius, lib. 9. Physic. cap. 5. historica & poëtica Lilius Syntagm. 16. Imitatur hoc choro Seneca Euripidis in μαινομεν. Chor. 1. Testatur etiam Pausan. in Corinth. fortunam viris bonis iniquam esse exemplo Homeri & Demosthenis: testantur idē alij: sed vt communis, sic iniqua mortalium de fortunâ querela, ac Christianis hominibus indigna. iustissimâ enim hæc Dei lege eueniunt. docuerat id olim Seneca in lib. cui titulum fecerat, Quare bonis viris multa mala accidant, cùm sit prouidentia? *è quo Lactant. lib. 5. cap. 2. hoc fragmentum suppeditat.* Deus homines pro liberis habet. sed corruptos & vitiosos luxuriosè & delicatè patitur viuere; quia non putat emendatione suâ dignos: Bonos autem, quos diligit, castigat sæpius, & assiduis laboribus ad vsum virtutis exercet, nec eos caducis ac mortalibus bonis corrumpi ac deprauari sinit. *horum verborum sententia exstat in lib. de prouidentiâ ad Lucilium, hæc ipsa verba in eo non exstant: & ipse titulus à Lactantio, ex primis huius libri verbis, conflatus videtur; vt ambigam verbáne sua Lactant. posuerit, an aliū Seneca lib. de prouidentia scripserit, præter eū quē habemus.*

527 Cæliferam] *humeros quidem cælo supposuit: sed an humeros sine manibus? nec nouum vnum corporis membrum pro alio poni: & robur maius, si dicat manus cælum sustinuisse. Deinde quid quæso peculiare* in manu teliferâ? *solúsne telis vsus Hercules? sequor ergo cunctos codices, scriptos, excusos, quos inspicere potui; qui* cæliferam manum.

532 Mul-

532 Multiuagas] *delectatur huiusmodi compositis*, multiuagus, montiuagus, *&c. de Scythis Herodot. in Melpom.* Siquidem nullæ sunt eis vrbes, nulla mænia exstructa: domos secum ferunt singuli, equestrésque sunt sagittarij, non pane victitantes, sed ex pecoribus; pro domibus plaustra habentes. *Horatius*: Campestres melius Scythæ
Quorum plaustra vagas ritè trahunt domos.
Suidas eos vocat ἀμαξοφάρετας. vide Iustin. lib. 2.

Hospitas] *quia vbi vno die, alio non sunt: sed assiduè habitationem mutantes, noua quærunt pascua.*

535 Mutis tacitum] *glaciale mare, quia constrictum, fluctibus non agitatur, nec allisum litori sonum vllum edit. ideo vocat tacitum, & litora muta. malè Moguntinens. & vett. excusi* multis: *etsi verè multa ibi litora, tot fluuiis influentibus.*

537 Qua plena rates] *quà prius nauigarant, nunc currus agitant. Virgilius*: Puppibus illa prius patulis, nunc hospita plaustris.
Plinius in Panegyr. Danubius ripas gelu iungit, duratúsque glacie, ingentia tergo bella transportat.

538 Intonsis Sarmatis] *libertatis auidis. sic Tibullus*: —— intonsos Taurus arat Cilicas. *vide sup. Hippol. vers. 71. horum admirabilem industriam in loricis conficiendis narrat Pausan. in Attic. Intonsos etiam possis interpretari, capillatos, quomodo Plinius Arabes intonsos dixit; & quos Liuius lib. 1. belli Punici Inalpinos vocauit intonsos & incultos, eos Plinius capillatos. coma enim promissa, quibus intonsa.*

546 Suspiciens] *Hippolyte vel Antiopa regina Amazonum, de quibus multa Stephanus.* Genu] *genua inclinare obedientiæ & obsequij habitus, ideo malo*; suspiciens *cum Venet. Lugdun. Paris. Basileens. Lipsiens. & Complut. quàm cum Moguntin. & Herbip.* suscipiens. *etsi hoc tolerabile.*

548 Siculæ Proserpinæ] *Simonides canit, Vulcanũ & Cererem coram Aethnâ, de Siciliæ dominio litem contestatos; Aetnam Cereri addixisse. Plutarchus auctor est, Siciliam à Cerere Proserpinæ in dotem datam. Ceteri Proserpinæ & Cereri sacram insulam fuisse volunt, quòd in ea ambæ natæ, & fruges repertæ. Cicero in Frumentariâ, Claudianus, Diodorus, &c. ideo ait* Siculæ, *&* regna.

552 Timidis] *hoc malo, quàm*; miseris. *quia manusc. corruptè*, tumidis. *quo*, timidis, *confirmatur.*

558 Non reuocabiles] *sic Mogunt. sed Herbip. & tres Veneti*; non remeabiles. *ceteri*; irreuocabiles, *vel*; irremeabiles *eâdem sententiâ. sic Tertull. lib de pœniten. dixit*; moras irreuocabiles.

559 Populis pluribus] *inferis. maior enim mortuorum quàm viuentium numerus. quare Herc. Oetæo Plutonem vocat*; dominũ turbæ maioris: *& inferos, seu mortuos vocabãt antiqui absolutè* plures, *&* πλείονες. *Plautus Trinummo*: Quia ego ad hoc genus hominum duraui, quin prius
Me ad plures penetraui —— *hoc est, cur non prius deuixi. vide Pet. Victoriũ li. 1. var. le. c. 7. cuius explicationẽ malâ fide sibi alij adscripserũt.*

563 Tenui vulnere] *egregij Dij, qui vulnerati; quorum ex vulnere sanguis, vel, si Homerum audimus, sanies, manauit. Vulnerata hoc eodem tempore ab Hercule, Iuno; aliô Venus & Mars, à Diomede; Pallas, ab Ornyto; ipse Hercules, ab Hyppocoontidis. Clemens in Protrept. & Arnobius lib. 4. cont. Gent. testantur.* Saucius] *narrant Arnobius lib. 4. Apollodor. lib. 2. Biblioth. & Homerus Iliad. δ'. addit Hesiodus eodem itinere Herculem Marti multa vulnera inflixisse.*

564 Mortis Dominus] *Pluto Dominus omnium infernorum Deorum, Iupiter superorum, Neptunus marinorum. hi tres dicti Ioues, vt alibi docui; & quia Domini credebantur, vno sub nomine à Samaritis, Moabitis & ceteris Asiaticis coli soliti, Baal.* בעל *hoc, est, dominans, possidens, subijciens: & quia ab eo, idolorum cultus propagatus, eâdem voce omne idolum significatur. Porrò* Mortis *Dominus, quia Morti imperat.* Mors *Hesiodo Dea, Filia Noctis, morti præsidens. hanc inuocat Tibullus:*

Abstineas Mors atra precor. non hîc mihi mater.

Gadibus aram Morti sacratam prodidit Arrianus lib. de Prouidentia.

565 Tristibus inferis] *mæstis. verè. non tamen malè Mogunt. Herbip. & Veneti*; tristis & inferis Prospectus pat. lucis. *ipsis enim tristis, quia lucifugæ: nobis lætus, quia lucis filij.*

570 Eurydicen] *vide hac de re elegiam Hermesianactis apud Athenæ. lib. 13. cap. 25.* Repetit] *Moguntin. Herbipol. & Veneti*; dum recipit. *non contemnendum. repetiit, recepit, sed amisit.*

571 Siluas] *Euripides, Bacchis:* ——— vbi quondam
Orpheus cytharam pulsans
Carmine duxit arbores
Duxit & immites feras.

Calpurnius ecloga 2.

Adfuit omne genus pecudum, genus omne ferarum,
Et quæcumque vagis alitum ferit aëra pennis:
Conuenit vmbrosâ quicumque sub ilice lentus
Pascit oues, Faunúsque pater, Satyríque bicornes:
Adfuerunt sicco Driades pede, Naiades vdo:
Et tenuêre suos properantia flumina cursus.
Desistunt tremulis decurrere frondibus euri,
Altáque per totos fecêre silentia montes.
Omnia cessabant, illis certantibus. ausa est
Dædala nectareos apis intermittere flores. *non quidem hæc de Orpheo, sed ab eius fabulâ petita. de Orpheo verò est illud quod Victorinus adduxit:* Alius citharâ sonitúque potens volucres pecudésq; mouere.

Sidonius in Panegyr. Anthemij:

Qui cantu flexit scopulos, digitísque canoris
Compulit auritas ad plectrum currere siluas
Cùm starent Hebri latices, cursúque ligato
Fluminis attoniti carmen magis vnda sitiret.

575 Surdis resonat] *non quia non audiant, quomodo enim illos carmine oblectasset? sed quia perpetuum illic silentium. In quibusdam libris post hunc versum sequitur, non qui vulgò proximus; sed qui quartus. Moguntinens. etiam mirè concisus. nam continet.*

Surdis resonat clarius in locis.
Deflent Eurydicem vmidi sedent.

Meâ sententiâ, sic disponendi versiculi:

Surdis resonat clarius in locis.
Deflent Eurydicen Threiciæ nurus,
Deflent & lachrymis difficiles Dei;
Et, qui fronte nimis crimina tetricâ
Quærunt, ac veteres excutiunt reos,
Flentes Eurydicen iuridici sedent.

Nurus] *quæ apud inferos; quorsum enim quæ in Thraciâ, huc accersantur? deërant videlicet inferis præficæ.*

578 Excutiunt] *discutiunt & inquirunt, quid quisque deliquerit. sic quod Vlpianus lib. 2. ad Edict.* excutere vires hereditatis, *Seneca in lib. de Benefic.* inquirere in fortunas, *dixit. Sed quia quo plus temporis à commissi ad discussi criminis diem intercesserit; hoc maior quæsitori diligentia adhibenda; iccirco addidit*, veteres reos.

581 Tandem] *narratur hic descensus & Orphei fabula etiam à Virgilio 4 Georg. & Ouidio 4. Metamorph. Mythologiam tradit Lucian.* περὶ ἀστρολογ. *Licet quoque exponere has feras cum Clemente in Protrept. vt volucres denotent, homines leues; serpentes, deceptores; leones, iracundos; sues, libidinosos; lupi, rapaces; lapides verò & ligna, bardos ac stupidos. Ex eo quod Orpheus dictus feras attrahere citharæ modulamine; factum, vt qui in leporariis varia animantiũ genera, cornu, bucinâ, vel quo alio instrumento norunt conuocare;* Orphei *vocentur, vt indicat Varro lib. 3. de re rust. cap. 13.*

585 Deos] *Solem, & sidera, & superos quibus dies sacra; vt nox Manibus.*

Obtulerit] *Eguian.* attulerit.

IN ACT. III.

Actu superiore narrata Megaræ, in renuendo Lyci coniugio constantia; tyranni cum eadem & Amphitryone altercatio; victi, impotentes minæ. nunc ecce, dum congeritur strues lignorum, vt ab aris fugentur supplices; aduenit Argis Hercules cum Theseo. cognitus, quæ gesta; occiditur Lycus ab Alcide. interea Theseus Amphitryoni, quæcumque apud inferos viderat, & de Cerbero victoriam, recenset.

592 Qui alterna] *vtrumque hemisphærium.*

595 Iussus] *propterea dignus veniâ; quia non sponte.*

596 Secreta] *Cerberum; quem videtur Deus damnasse tenebris, ne lucem videat. ideo sup. dixit;* illicitum.

601 Portenta] *reuera* monstrum *erat Cerberus, non* portentum, *si vera Festi differentia: sed* portentum *vocat; quia veteres omnia monstra aliquid putabant portendere; & quia voces hæ sæpe confunduntur.*

602 Iussit] *Iuno. sed Mogunt.*qui. *Eurysteus. mendosi hîc Lugdunens.* Qui aduexit & iussit.*cui lectioni nec sententia, nec versus leges fauent.*

605 Omnibus] viuis. 606 Deterior polus] *Antarcticus: qui deterior, quia Stygi subiectus, iuxta Virgil.*

612 Offendi] *sic Lugdun. offenderat quidem Plutonem. sed nihil hoc ad Dionysum. audacter sequere reliquos*; ostendi. *nempe Cerberum, inferorum ianitorem, & Theseum qui iam inter plures.*

613 Da] *dic, suggere. Virgil.*

Sed tamen iste Deus, qui sit da Tityre nobis.

Papinius: Asopus genuisse datur —— *sic Græci* διδόναι.

Vltra] *id scilicet quod vici & domui.*

616 Vtrúmne] *in manusc. non distinguitur hîc noua scena, sed continuatur præcedenti.* Visus vota] *sic apud Maronem, non exspectato Æneæ aduentu, stupefacta Andromacha, hæret initio, & quærit an ipsius sit, quem videt. Ait* vota decipiunt visus; *quia quos iugi cogitatione & desiderio fantasiæ impreßimus, facilè illi oculis videntur obuersari.*

619 Silentum] *Moguntin. & primæ quattuor edition.* silentem. *& sequenti vers.* iste. *melius saltem hoc.*

623 Agnosco toros] *Herculem Athenagoras in legatione, planè ænigmaticè, ex Orpheo, depinxit; draconem spiris inuolutum, tricipitem, vno capite leonino, alio draconino, medio humano. id, quia Hercules illis tempus significabat; & tria capita tres temporis vicißitudines, humanum præsens, anguinum præteritum, leoninum futurum. Vide Macrob. li. 1. Saturnal. c. 20. & ex eo Pet. Suffridum in Comment. Athenagoræ. Porrò in versu præcedenti, nescio quid latet: Nam Herbipol. vna voce, scilicet;* tuâ, *caret & mutilus est: Duo manusc. aliorum vno versu auctiores:*

Teneóne in auras editum, an vanâ fruor:

Ego sic legerim:

Verúmne cerno corpus, an vanâ fruor
Deceptus vmbrâ? —— *appositè* corpus verum vanæ vmbræ opposuit. *Et vt illud;* Verúmne cerno corpus, *rectiùs, quàm* teneóne in auras editum; *sic rursus;* an vanâ fruor, *meliùs quàm;* an fallor tua. *Vidi, postquam hæc à me scripta, idem præoccupasse Raphelengium Iuniorem, bonæ & spei & indolis iuuenem: sed nec hoc, nec alia nonnulla in his Commentariis, quæ vtrique eadem placuere me ab illo sumsisse, testis mihi esse potest Reuerendiß. Torrentius, apud quem mei Commentarij fuêre, priusquam prodirent in lucem Raphelengij notæ; testis, si viueret, auus eius Plantinus, qui ante mortem & ante morbum, accepto Syntagmate hoc nostro, illius editionem in se receperat: testis gener Plantini Moretus, qui propter morbum soceri, ne, vt fit in domo funestâ, chartacea hæc deperirent, ad Torrentium detulit custodienda; & qui exemplar Raphelengianū ad me demum hoc anno* CIƆ.IƆ.XC. *mense Febr. transmisit, mihi prius non visum.*

624 Alto trunco] *oblongâ & altâ clauâ.*

625 Squallor] *Lugentes; siue rei, siue supplices, siue funestati; neque vngeban-*

gebantur, neque lauabantur, neque vllam corporis aut munditiarum curam habebant. Terentius: capillus passus, nudus pes, ipsa horrida. *Idem*: pannis obsita, neglecta, immunda inluuie. *Varro, Manio:* æger (*si hoc melius quàm*, ager) derelinqueretur, ac periret squale, scabréque, inluuie, & vastitudine. *Lucilius lib. 26.* Squalitate summâ, scabre summâ, in re summâ obrutam, Neque inimicis inuidiosam, neque amicis exoptabilem. *Idem lib. 36.* Hic cruciatur fame, frigore, inluuie, inbalnitie, inprofundie, incuriâ. *Plura Nonius in* illuuies, *in* inuidiosum, *in* squalor, *in* lauit, *& in* stolam.

Lugubribus amicta coniux] *hoc est, atratis vestibus. nam color hic lugentibus Græcis semper in vsu fuit, vt apparet ex multis locis Euripidis, Homero Iliad. ω. Plutarcho lib. de sanitate tuenda & in Apophthegm. Pausaniâ in Arcadic. seu lib. 8. Romanæ verò feminæ, non semper, vt falsò Blondus & Polydorus autumant, sed aliquando in luctu candidatæ, vt ex Tibullo lib. 3. statim initiò deprehendi, & ex Varrone, Dionysio, Valerio, Ouidio, & Iuuenale docuit Hieron. Magius lib. 3. miscellan. cap. 14. qui satis conuincit florēte repub. atris vestibus vsas: confirmato postea vnius imperio, etiam albatæ luxerunt promiscuè feminæ, vt ex Plutarchi Romaic. problem. 26. & Seueri funere apud Herodian. lib. 4. docuit Iustus Lipsius Commentar. 2. ad Annal. Taciti. Hodie etiam in multis Hispaniæ locis viduæ albatæ incedunt, velo albo à capite ad solum dependente: similiter in Franciâ, vbi præterea latum clauum ex murium Sarmaticorū pellibus albis stolæ præfigunt: qui habitus quòd reginarum viduarum olim proprius erat, etiam nunc regum viduæ,* reginæ albæ, *vocantur. Quo tempore nondum Romanæ mulieres in funeribus candidam vestē receperant, aduerti illas etiam pullis vsas. nam etsi vt plurimum pullus cum anthracino seu nigro confundatur: differt tamen. Niger, tinctorius est; pullus, natiuus, nec vllo tincturæ veneficio imbutus. Vidit hoc Nonius dum scriberet:* Pullus color est, quem nunc Hispanum (*sic lege*) vel natiuum dicimus. *rectè* Hispanum *nam illo Hispani maximè vsi, & vtuntur. ruffo obscurior, nigro clarior, leonato proximus*, bethicus *etiam dictus, vnde sic vestiti Martiali* bethicati. *Quod autem dixi pullo vsas, apertè Varro docet lib. 3. de vita pop. Roman. si duo fragmenta, dispersa apud Nonium, congreges, & corrigas, vt arbitror debere;* Vt dum supra terram essent, ricinis lugerent, funere ipso, vt pullis pallis amictæ, propinquæ adulescentulæ etiam anthracinis; amiculo nigello, capillo demisso, proximæ sequerentur luctum *describit pompam funebrem, & significat matronas, siue illæ propinquæ, siue alienæ, sed honoris & beneuolentiæ causâ præsentes; amiculum dūtaxat nigrum, pallam pullā indutas: propinquas verò adolescentulas, non amiculo tantùm, sed etiam pallâ nigra amictas, capillo demisso, proximè cadauer subsequi solitas. De ricinis idem Varro lib. 1. de vita pop. Rom.* Ex quo mulieres in aduersis rebus ac luctibus, omnem vestitum delicatiorem ac luxuriosum postea institutum ponunt; ricinia sumunt. *scilicet, non in funeris pompâ, nam tunc pallis vsæ, sed postea, & ante funus durante luctus tempore breue hoc palliolum, idq; prius atrum vel pullum, postea album*

In Iphig. Aulid. Dionyss. Oreste Alcestide.

gestarunt. nam pallam simul cum palliolo, non videtur. Viri sine discrimine pullati vel atrati, nisi quod pauperiores vtplurimum pullati. ita factum vt pulla vestis cum atrâ, & pullus color cum nigro passim confundantur: vnus tamen Varro testis locuples discriminis. Tonderi etiam mulieres in luctu solitas colligo ex istis ◡Attij, Amphitryone◡:

Sed quænam hæc est mulier funestâ veste, tonsu lugubri.

627 Pedore] *propriè pro pedũ squale, frequentius pro quibuslibet sordibus.* Nati] *videntur in luctu cum parentibus tonderi soliti. Seneca monet li.5. de benefic.* Regiam clauderet, & filium, quod in rebus aduersis & luctu moris est, tonderet. *huc ego retulerim illud Sisennæ li.3. histor.* cùm complures menses barbâ immissâ, & tonso capillo, lugubri vestitu, populum vicatim flens cum liberis circumiret. *Comam ergo detondebant, barbam demittebant, & crescere sinebant lugentes.*

631 Videt] *sic Moguntinens. Herbipolens. & primus Venetus. primus Daniel videtur intrusisse;* vidit.

633 Hanc ferat virtus notam] *vt post tot tam laudatas pugnas, tam vili & dedecoroso hoste tuam virtutem dehonestes. turpe forti, ignauum & degenerem sanguinem haurire: gloriosum fortes superare, vel ab iis superari. sic AEneas Lausum consolatur lib.10. Camilla Orsytum lib.11 Aeneid. Achilles Cygnum lib.12. Metamorph. contra Opis indignatur Aruntem Dianæ sagittis oppetere. Aeneid. 11.*

636 Resiste] *Mane, sta. Pomponius Comicus:*

Iámne abierunt? iámne obtundunt? iámne ego sum in tuto satis?
Num quis hîc resistit, qui nondum labias lirarit mihi?

Ingruat] *à tergo. sumta vox à gruibus, quæ hoc ordine volant, vt vna alteram à tergo consequatur.*

643 Est lentum] *schidæ Burdegal.* lentum est. *Ciceronis fragmentum me primum emendasse putabam, sed postea præoccupatum aliis comperi.*

644 Votum secundet] *ad formulam respicit, quâ veteres cunctis rebus inchoandis vtebantur. consule Brisson. lib.1. formular. fol.73.*

655 Quod fuit durum pati] *valde hic mutilus integro versu Mogunt. Euripides:* Vt iucundum est viuenti meminisse laborum. *Xenophon:* Et multa de præteritis laboribus commemorantes. *Idem:* Illud sanè sciendum est, & bona maiorẽ adferre lætitiam, quo magis quis labore antecedente ad ea perueniat. labores enim obsonium sunt strenuis. Nam nisi quis re illâ opus habeat, quam consequitur; nihil adeo apparari queat sumtuosè, vt suaue sit. *Seneca epist.79.* Deinde quod acerbum fuit, retulisse iucundum est. naturale est mali sui fine gaudere. *possem similia ex Aristotele, Homero, & Euripide, sed illa Guellius ad 1. Aeneid. Virgil.* 655 Fas omne] *Narraturus abdita inferorum arcana, prius à Diis inferis veniam petit, vt, si qua erat in reuelando culpa, eam euitet. exemplum præbuit Virg.6. Aeneid.* 658 Irrita] *casso labore. sed prait aliam mentem Mogunt.* eruta. *nam nihil inscrutatum totâ Aethnâ reliquit. omnes angulos lustrauit. vide Claudian. lib. vlt. de raptu.*

659 En-

659 Enna] *nota* Enna, *vel ex Parrhasij commentariis, vel Scholiis nostris in Claudian. sed manusc. omnes & antiquæ editiones hoc loco;* Æthna. *multo veriùs. omnem enim Siciliam, Aethnam montem maximè, non Ennam solam, anxia mater eruit.*

660 Eloqui] *Moguntinens.* loqui.

662 Tænarus] *in Maryandinis extractum canit Dionys. Periegetes. ex Spelæo Heracleæ vicino, volunt Plato in Phædone, & Aretades Cnidius, & Apollon. lib. 2. Nicandri Scholiast. Mela lib. 1. cap. 19. Plinius lib. 27. cap. 2. & Solinus cap. 55. Pausanias in Laconicis, ita scribit:* Hecatæus quidem Milesius rem non absurdam commentus est, in eâ cauernâ immanem ac tetrum serpentem lustrum habuisse: qui sit iccirco inferorum canis dictus, quòd quem morsu impetiisset, subitò eum vi veneni mori statim necesse esset. eum serpentem ab Hercule ad Eurystheum pertractum. Homerus verò (is enim primus, quem Hercules extraxisset, *Ditis canem* appellauit) neque nomen ei imposuit, neque de eius figurâ est fabulatus, vti de chymærâ. Posteriores & Cerberum appellarunt, & cùm cetera cani fecissent similem, tria dixerunt capita habere. cùm tamen Homerus, vt homini familiare animal, *canem* dixerit: vel qui draco fuisset inferorum, *canem* appellasse videri possit. *Quod Pausaniæ, Eumæi subulci verba, apud Homerum Odyss. ό. seu lib. 15. confirmant, quæ laudauit Aristoteles lib. 1. Rhetor. ad Theodect. cap. 11. Petronius, in Euscio:* Cerberum ait fuisse forensem causidicum. *solus (quod sciam) Nonnus Scholiis in D. Nazianzen. tradidit Cerberum ab Hercule interemptum.*

663 Inuisi] *æque bene Mog. & vett. imp. quattuor;* inuicti. *insuperabilis.*

669 Afflicti] *per tenebras quasi periclitantis & penè exstincti: porrò vocauit hanc viam* cæcam, *quia ipsa non videtur, vt Lucretio* cæca corpora, *aliis* vada *vel* saxa cæca. *Græci ἀπόοπτα, τυφλα, ἕλη.*

672 Vacua-spacia] *Stoicis intra mundum nullum, extra eundem infinitum vacuum. Aristoteles omnino nullum esse vacuum contendit, li. 4. Physic. lib. 1. de ortu. li. 2. de cælo. sed contra Aristotelem Cleomedes, finitũ mundum in spacio seu vacuo infinito consistere, nititur probare: quod vacuum in Hymno æternitatis pulcrè descripsit poëta Gallus: & admiserunt etiam Pythagoræi; vide Theodoret. lib. 4. Curat. Græcan. affect. Plutarch. lib. 1. placitor. cap. 18. & Aetium in histor. qui duo postremi faciunt, vt vehementer ambigam, an alicubi Aristoteles sibi contrarius, extra mundum infinitum illud vacuum posuerit; ambo enim id illi tribuunt: an verò ipsi oscitanter in Aristotelis mente inquirendâ sint versati. Stobæus li. 2. physic. eclog. cap. 22. Aristotelis producit auctoritatem, vt probet vacuum reipsâ non dari, sed cogitatione tantùm, vt & Hermes in Catholico, & Plato in Tymæo volunt. Verùm hæc dissensio tantùm fortaßis est, inanis de nomine contentio. quis enim somniet vacuum, reale quid negatiuum, vt vocant, esse? Ego nec Epicuræos, nec Stoicos id voluisse crediderim, nec Cleomedi, nec cuiquam in mentem venisse. Rursus, quis priuatiuum vacuum extra vltimum cælum, nisi contentiosè, queat negare? Vacuum namque bifariam sumitur. primo modo vt omnem*

omnino

omnino plenitudinem negat: secundò, vt consideratur priuatum omni corpore contento, sed proximè tamen aptum, illo repleri, idque suscipere: priuatum inquam vel actu, vel potentià. Vide Scaligerum in Exercitat. contra Cardan. Exercit. 5. cap. 2.

676 Agger] *Mogunt. tres Veneti, & Herbip.* aër. *ait ab aëre ipso quem, quasi præcipitem, agi, & à Chao attrahi: vt citius descendat. auxesis poëtica.*

Chaos] *baratrum, confusio, quæ ibi maxima.*

678 Immenso] *Moguntinens.* immerso.

677 Gradúmque] *Anacreon:*

Orci enim est horrendus
Specus, & grauis in ipsum
Descensus. nam patet ei
Qui descendit, nullus ascensus.

Propterea Elæi Plutonis simulacrum effinxère; cui astans Nympha clauem manu tenebat. clauis enim, Plutonis insigne, significat sic ab eo sub serà vmbras claudi, vt nulli liceat redire. ita Pausan. Eliacor. 1. seu lib. 5.

681 Flexibus] *nouem.* 683 Mæander] *desumtum hoc ex Ouidio in Metamorph. vide Hippol. 15.* 687 Strigis] *Vide sup. Medeâ.*

690 Tabido] *Herbipol.* rapido. *Moguntinens. & vnus Venetus;* tabido. *ceteri;* tabido. *melius fames enim, quasi tabes, conficit.*

691 Tegit] *mallem,* tegens. *malè veteres impressi;* gerit.

694 Extremo abdita] abdito, *Moguntin.*

695 Baculo] *scipione; quam vocem vtitur Catullus, sed non vt quidam augurantur; verùm, vt arbitror, pro titione, in Epigram. ad Contubernal.*

696 Ferax] *Scidæ Burdegalen.* tenax.

698 Non vlla ramos] *ait apud inferos nullam felicem arborem esse, sed omnes (vt Cato loquitur) infelices.*

708 Est in recessu] *Moguntinen.* secessu. *idem paullo pòst:* Manat hinc vno latex Alter, *&c. hoc sensu; ab vno eodemq́; fonte duo manant latices, hinc quieto similis & stagnans, styx; inde turbulentus, & spumans, Acheron.* Alter *etiam habetur in Herbipol. & sic legit Marmita. primus Daniel postea reposuit;* ater. *hoc sensu, ex profundo erumpit styx discors suo fonti. nam fons ille non adeo ater est, & inquietior.*

710 Tacente] *quia ferè immotus: & propter inferna silentia. Simonides:* Silentium inter vmbras est.

Styga] *Styx Apollodoro lib. 20. de Diis, dicta* ἀπὸ τοῦ στυγάζειν τοῖς πένθεσι, καὶ στυγεῖν τὰ ἐν ᾅδου, *ab inuiso inferorum luctu. Fusissimè de Styge ex Porphyrio & aliis Stobæus Eclog. Phys. penè extremâ.* Sacram *vocat, hoc est, inuiolabilem. quia, vt subiungit,* hũc iurant Dij *& Thyeste. 666.*

——— talis est diræ stygis
Deformis vnda, quæ facit cælo fidem. *huius Dij, iuxta poëtam,* iurare timent & fallere numen. *Lucanus lib. 6. vocat* timorem Superûm. *peieranti nouennio nectare & ambrosiâ carendum, decimo verò anno à Deorum consortio exulandum, vide Homer. Iliad. ό. & Odyss. ε. Apollonium Argonaut.*

gonaut.&. eiusq; Scholiast. Hesiodum in Theogon. & Virgilium lib.6. 9. & 10. Aeneid. Tributus hic honor Stygi, vel quia tres eius gnatæ, Victoria, Vis, & Robur; Ioui bello Titanis auxilium tulerunt, vel quia Deorum coniurationem Ioui patefecit (vide Natal. Mytholog. lib.3.c.2.) Aristoteles lib.1. Metaphys. cap.3. censet hac fictione poëtas innuere voluisse, aquam primum esse rerum principium. alias etiam rationes Cælius lib. 27. cap. 5. Sed vnde oritur Styx? quidam cẽsent ex Oceano, vt in Theogon. Hesiodus: nonnulli ex petrâ quadam apud inferos, vt idem Hesiodus, & Apollodorus lib.1. & fortaßis hoc voluit noster: alij ex Baiano sinu, propè paludem Acherusiam: plerique in Arcadiâ prope Nonacrin oppidum, vt Herodotus in Erato, & Pausanias in Arcadicis.

714 Acheron] De Acheronte & palude Acherusiâ multa Stobæus d. loco fol.129. & Scholiastes Apollonij ad lib. 2. ver.353. & seqq. & ver.751. & 748. vbi etiam multa de hoc Herculis ad inferos descensu. At Arrianus li.3. de dictis Epicteti cap.13. Nullus (inquit) Orcus est, nullus Acheron, nullus Cocytus, nullus Pyriphlegethon, sed omnia plena sunt Deorum & Geniorum.

716 Ditis] de Plutone quæ scire cupis, à Lilio petas Syntagm. 6. quod est de inferis, valdè copiosum. 720 Digerit] Moguntin. dirigit.

725 Aspectum] non male Moguntin. tres Veneti, & Herbip. aspectus.

726 Veráne est fama] Mogunt. vera éstne fama, non quærit autem, an vlla sint inferorum supplicia (vix enim quisquam de hoc dubitabat gentilium) sed an illa, quæ rumor distulerat, ita se habeant, sicuti ferebantur. ideo enim paullo pòst, hoc ipsum quærit, dicens:

—— certus inclusos tenet
Locus nocentes; vtque fert fama, impios
Supplicia vinclis sæua perpetuis domant?

nimirum de loco, & illis suppliciis ambigebat, quæ vulgò narrabantur, quæ postea Theseus singulatim exponit. quo modo accipienda multorum auctorum loca, inprimis Arriani ille, iam ascriptus, & Platonis, quando lib. 1. de repub. quæ dicuntur de inferis, fabulas vocat; quæ apud Sallustium Cæsar contra Catonem disputat; multa Ciceronis, pro Roscio Ameri. vltimâ Catilinariâ, 2. de Nat. Deor. & Tuscul. quæstion. illud etiam quod pœnis inferorum subiungit Propert. lib.3. Eleg.4. alludens ad locum illum Platonis:

An ficta in miseras descendit fabula gentes
Et timor?

& multa nostri. epist. 24. Non sum tam ineptus, vt Epicuræam cantilenam hoc loco persequar, & dicam vanos esse inferorum metus: nec Ixionem rotâ volui, nec saxum humeris Sisyphi trudi in aduersum, nec vllius viscera & renasci cotidie & carpi. nemo tam puer est, vt Cerberum timeat, & laruarum habitum nudis ossibus cohærentium. Lib. de consolat. ad Martiam cap.19. illa quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabulæ. Nullas scimus imminere mortuis *tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrãtia igne, nec Obliuionis amnem, nec tribunalia & reos, & libertate rerum tam laxâ, vllos iterum tyrannos. Hoc falsum, & contra fidei veritatem.

 luse-

luserunt ista poëtæ. *Nam huiusmodi, quæ de Pyriphlegethonte, Lethe, Aeaco, Plutone, Charonte, Tantalo, Danaidibus, &c. iactabantur, semper sapientioribus visa sunt anilia deliramenta, & ludicra puerilia. Ideo (vt obseruauit Muretus lib. 10. var. lect. cap. 17. & lib. 11. cap. 6.) grauissimi quique poëtæ, sic semper de illis loquuntur, vt simul occultè vanitatē refellant, quam apertè impugnare non audebant; memores non aliâ de caussâ Socratem pro impio habitum. Iccirco putat idem, à matre Vlyssem apud Homerum moneri, vt quæ penes inferos viderat, ad focum vxorculæ narrare meminerit: Cumq́; à poëtis duæ inferorū portæ constituantur, vna cornea, quâ vera somnia emittantur; altera eburnea, qua falsa euolent, vt produnt Homerus Odyss. 19. Coluthus de raptu Helenæ, Virgilius 6. Aeneid. Horat. lib. 3. Od. 27. & Papinius lib. 5. Siluar. in Epicedio patris: ideo fingit poëta Aenæam satiatum mirifico illo spectaculo, non per corneam, sed per eburneam portam emissum: etsi alij alio trahant. Virgilianæ fictioni similem inueni apud Ausonium, in εἰδυλ. de supplicio Cupidinis:*

Quæ postquam multâ perpessus nocte Cupido
Effugit; pulsâ tandem caligine somni,
Euolat ad superos, portâque euadit eburnâ.

voluit enim hoc corollario testari, quæcunque de Amoris cruciatu cecinerat, fictitia, & inania esse somnia. Potest huc etiam referri illud Iuuen. è Sat. 2.

Esse aliquos Manes, & subterranea regna,
Et contum, & stygio ranas in gurgite nigras,
Atque vnâ tranare vadum tot millia cymbâ:
Nec pueri credunt; nisi qui nondum ære lauantur.

727 Sera] *optimè Diphilus apud Theodoretum lib. 6. Curat. Græcan.*

μηδ' ἐν πλανηθῇς, ἐςὶν ἐν ἄδου κρίσις,
ἥνπερ ποιήσει θέος ὁ πάντων δεσπότης.
Ne te error habeat, est ius inferis;
Quod ille dicet rerum omnium dominus.

730 Alta sede] *tribunali, non subsellio. tribunal altius, & fixum: minorum iudicum subsellia inferiora, & loco mouebantur. subselliis, iudices delegati vtebantur: tribunal, erat iudicum ordinariorum, maximè eius, qui inter ceteros primus, & quasi præses. vide Polletum lib. 1. Fori Romani cap. 6.*

Quæsitor] *Quæsitores, qui iudicio præerant: ideo illi tribunal tribuit. Cicero pro Fonteio:* quid mihi opus est sapienti iudice? quid æquo quæsitore? *Quærere, nonnunquam significat iudicio præesse. Cicero pro Rabirio:* Accusaui de pecuniis repetundis, iudex sedi, Prætor quæsiui. *porro quæsitorum genus duplex, de quo Broideus in Corollar. ad Polletum lib. 5. cap. 7. num. 2. vide Polletum lib. 3. de foro Rom.*

Sedens] *sedere sollemne iudicibus dum iudicabant, de quo alibi: interea consulere potes Pollet. lib. 1. cap. 5.* Sortitur] *vide sup. num. 109.*

732 Auditur] *triplex auditorium inferorum proponit, suum cuiusque quæsitoris. In vno ait Aeacum causas* audire; *in ceteris Minoem & Rhadamantum sententiam proferre, & proinde* audiri. *vtrumque videlicet iudicis offi-*

officium, causas audire, & sententiam recitare. ab audiendo, iudicij locus, auditorium l. lecta D. si cert. pet. seruant id Hispani, nam Audientiam vocant, & quos ceteri Senatores vel Consiliarios; ipsi Oydores, hoc est, Auditores, ipsumq; militarium causarum dirbitorem Latinâ voce Auditor appellant. Hoc audit] perperam quidam m. s. hoc agit.

Foro] sex fori significationes recenset Sex. Pompeius. Et Victorinus inquit: Forus, status tam in foro, quàm in naui & torculari.

732 Minos] Minos Cretensium Rex, ius leges tulit, sed post Talum; quem Lycurgus imitatus. huius Tali nomen apud Sex. Empyricum contra Mathemat. cap. 18. degenerauit in nomen Thaletis, vitio typographorum: & fortassis ipsius Thaletis apud D. Cyprianum in libro contra Aleatores, in; talis Dei. vehementer enim suspicor D. Cyprianum, aleæ & talorum inuentionem Thaleti ascribere.

733 Auctorem scelus repetit] apud D. Matthæum Dominus: In quo iudicio iudicatis, in eo iudicabimini, & in quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis. leges ciuiles Roman. vnumquemque eo iure vti iubent, quod in alium prius statuerit. D. quod quisq. iur. &c. Æschylus, quod quisque patrauit, hoc illum & pati asserit oportere.

δράσαντι γάρ τοι καὶ παθεῖν ὀφείλεται,

& alius: εἰ δεινὰ ἔδρασας, δεινὰ καὶ παθεῖν σε δεῖ. Et ita fit. in auctores scelera redeunt. nocent auctori consilia improba. quod optimè explicuit Claudianus li. 1. in Eutropium, eo quòd cùm Fl. Habundantius; cuius apud D. Hieronym. mentio in epist. de morte Nepotiani, & de quo poëta loquitur: Eutropium magno Reipub. malo ad summa euexisset, primùm hic semiuir auctorem suæ dignitatis perdidit:

Quàm bene dispositum terris, vt dignus iniqui
Fructus consilij primis auctoribus instet!
Sic multos fluuio vates arente per annos,
Hospite qui cæso monuit placare tonantem,
Inuentas primùm Busyridis imbuit aras,
Et cecidit sæui, quo dixerat, victima sacri.
Sic opifex tauri, tormentorúmque repertor,
Primus inexpertum, Siculo cogente tyranno,
Sensit opus, docuitque suum mugire iuuencum.

734 Suóque premitur] Eibius legit; punitur. malè:

741 Animóque parcit] non contaminat crudelitate. sed malo, quod est in Burdegal. & Eguiano, & vt legit Eibius; animæque scilicet ciuium. Pulcrè Sallustius, quod dignum vt sæpius ingeratur: sibi pro vero constare omnium mortalium vitam diuino numine inuisi; neque bonum, neque malum facinus cuiusquam pro nihilo haberi; sed ex naturâ diuersa bonos malósque præmia sequi.

743 Nemoris Elysij] Subterranea loca apud inferos, vbi iustorum animæ magnâ felicitate frui putabantur, Elysium vocauerunt, teste Platone in Gorgiâ. Alij Elysios campos in orbe Lunæ, alij in circulo lacteo ponebant;

quidam in Hispania continente, nonnulli in insulis, vel fortunatis, vel Atlanticis, vel Britannicis. sic enim in varia discedunt Homerus, Hesiodus, Euripides, Dion, Plutarchus, & Philostratus. Fictum id propter amœnissima quarundam prouinciarum loca; quæ quod pulchritudine & amœnitate suâ hominum animos curis soluerent, veteres Elysios campos vel nemora vocarunt. talia loca in Ægypto ponunt Herodotus & Duris; in Græciâ Virgilius, idq; vel in agro Thebano, iuxta Lycophronē, vel in Arcadiâ iuxta alios, vel prope Lesbum, teste Suidâ; in Bethicâ Hispaniâ Strabo statuit, vt arbitror, vel in ea quæ nunc Estremadura, *vbi Placentia amœnissima, vel propè fretum Herculeum & vrbem Xeresium, vbi Sidonia Guzmanæ familiæ patrimonium. Elysij elegans descriptio apud Prudentium hymn. Cathemer. 5.*

Illic purpureis tecta rosariis
Omnis fragrat humus, calthâque pinguia,
Et molles violas, & tenues crocos
Fundit fonticulis vnda fugacibus.
Illic & gracili balsama surculo
Desudata fluunt, raraque cinnama
Spirant, & folium, fonte quod abdito
Prælabens fluuius portat in exitum.
Felices animæ prata per herbida
Concentu parili suauesonantibus
Hymnorum modulis dulce canunt melos,
Calcant & pedibus lilia candidis.

Sed illa de Elysio poëtæ finxerunt, ex iis quæ de Paradiso terrestri (de quo nos aliâs fusè) inaudierant.

745 Amp. certus] *necessaria personæ interpositio si per interrogationem ista. sed Mog. hac omnia Theseo tribuit, & absq; interrogationis notâ. non deterius.* 749 Rapitur-Ixion] *incipit recensere nobiliores inferorum pœnas, quas breuiter perstrinxit Tibullus lib. 1. eleg. 3.*

Illic Iunonem tentare Ixionis ausi
Versantur celeri noxia membra rotâ:
Porrectúsque nouem Tityus per iugera terræ,
Assiduas atro viscere pascit aues.
Tantalus est illic, & circum stagna: sed acrem
Iam iam poturi deserit vnda sitim.
Et Danai proles, Veneris quòd numina læsit,
In caua Lethæas dolia portat aquas.

Incertus auctor Axiochi; ἔνθα χῶρος ἀσεβῶν καὶ Δαναΐδων ὑδρεῖαι ἀτελεῖς, καὶ Ταντάλου δίψος, καὶ Τιτυοῦ σπλάγχνα, καὶ Σισύφου πέτρος ἀνήνυτος οὗ τὰ τέρματα αὖθις ἄρχεται πόνῳ. vbi impiorum est locus, inexplebilésq; Danai filiarum vrnæ, vbi Tantali sitis, præcordia Titij, Sisyphi inexplicitum saxum, cuius finis ab alio incipit rursus labore.

Ixion] *hunc præter alia scelera, primùm humanum sanguinem fudisse volunt (quod tamen falsum) & Iunoni vim inferre conatum, & nube oblatâ delu-*

delusum Centauros genuisse; & à Ioue ἐν πτερόεντι τρόχῳ vt ait Pindarus, vt noster, in volucri rotâ *suffixum. fusè narrant Pindarus Pyth. Od. 2. Scholiastes Apollon. in lib. 3. Eustath. in lib. 1. Iliad. & Didymus in lib. 21. Odyss. veram verò historiam Ixionis texit Tzetza Chiliad. 9. prolixissimè ad nauseam.*

750 Sisyphia] *Lucretius hoc supplicium accõmodat ambitiosis hominibus:*

Sisyphus in vitâ quoque nobis ante oculos est:
Qui petere à populo fasces sæuásque secures
Imbibit, & semper victus tristísque recedit.
Nam petere imperium, quod inane est, nec datur vnquam,
Atque in eo semper durum sufferre laborem;
Hoc est aduerso nixantem trudere monte
Saxum *&c.*

huius, vt hominis vafri, versipellis, infidi meminerunt Homerus Iliad. 6. Sophocles in Philoct. Pindarus Olymp. Od. 13. Theognid. in Sentent. & Hygin. Fabular. cap. 201. Eius supplicium facetissimè Seneca in aleatores deriuat, in ludo de morte Claudij.

752 Abluit] *Eguianus*; obluit.

755 Volucri] *Mog.* vulturi. *sed hoc patet esse ex glossulis interlinearibus.*

755 Tityus] *Lucretius*:

Sed Tityus nobis hic est, in amore iacentem
Quem volucres lacerant, atque exest anxius angor,
Aut alia quauis scindunt torpedine curæ.

eleganter hæc explicat Pierius lib. 18. *Hieroglyph.*

758 Phineas] *Phineus, iuxta Hellanicum Agenoris; iuxta Hesiodum, Pherecydem, Antimachum & Asclepiadem, Phænicis & Cassiopeæ filius, in Paphlagoniâ, vel, vt alij malunt, in Salmydesso Thraciæ regnauit. Vide quæ in Med. vers. 782. dixi, & Scholiast. Apollonij.*

766 Squallent genæ] *Moguntinen. & quattuor primæ edition.* lucent: *ex sententia eorum, qui pupillam igneam esse censent, vt Plato in Tymæo, Galenus 3. de placit. & Vallesius lib. 2. controuers. cap. 23. idq́ valde probabile, etsi Aristoteleis minus probatum.*

767 Portitor] *vel quia portorium capit, quo respexit Propertius:*

—— vbi portitor æra recepit: *vel quia vehit. nam pro vectore simpliciter vtuntur Columella, Lucanus, & Martialis.*

770 Charon] *Arbiter vocat*; Prothea. *sed ei omnes ceteri repugnant; nisi fortè Iuuenal. Sat. 3. scripserit:*

—— tetrúmque nouitius horret
Protea —— *non, vt legitur*; Porthmea. *sed hoc non est temerè affirmandum. nam,* Porthmeus, *optimè Charonti quadrat, significat enim portitorem, quod nec Tortellium fugit, & v. l. Iuuenalis. & antiqua scholia continent*; porthmea. *quare mallem apud Arbitrum repudiato Proteo legere* vix nauita porthmeus: *nec frustra geminentur hæ voces. aliud enim nauitæ, aliud sæpè portitoris officium.*

Vacuam] *Moguntin. Herbipol. & Veneti tres*; vacuus.

Vndas] *An Charon trepidus fugit? non credo. sequitur enim restitisse, seq; Herculi opposuisse. Verissimè ergo emendat Lipsius ex m.s.suo*; vmbras: *& explicat; vacuatâ cymbâ, nouum onus repetiisse.*

771 Siste] *duplici de causâ, & quia viuus, & quia naulum non persoluisti. credebant neminem transuehi nisi portorio persoluto; quod Iuuenal. Satyr. 3. vocat* trientem, *Græci* δανάκην, *Callimachus, Suydas, Plutarchus. Lucianus verò in Menippo, Charonte & alibi obolum fuisse significat. hunc obolum veteres morituri ori imponebant, vt testantur Lucianus, Etymologys. & Apuleius in Psyche: addebant mellitam placentam (Suyd. in voce* μελιτοῦττα*) placando Cerbero, & sertum floreum, iuxta Polyb. lib. 2. & Clementem Alexandrin. Hermionæi soli se ab hac necessitate immunes putabant, auctore Strabone lib. 8. quia à regione suâ ad inferos faciliorem, quàm per cymbam Carontis, viam esse iactabant. vide Alex. ab Alex. Genial. dier. lib. 3. cap. 7. Cælium lib. 10. cap. 2. & Victorium lib. 2. var. lect. cap. 7. Mortuorum ergo pretium vecturæ vnus obulus; viuentium duo, vt significat Hercules apud Aristophan. in Ranis. Hos ergo fors voluit Charon auferre, cùm exclamauit:* Quo pergis audax? siste, *&c.*

775 Succumbit] *Lugdun. & plerique*; succubuit.

Sedit] *Pintianus lib.* cedit. *reÿciendum. Moguntin.* seditque.

776 Latere titubato] *sic Moguntinens. Basileens. Lipsien. at Lugdun. Venet. Herbipolens.* latere titubante, *vel*; titubanti, *quod optimum.*

778 Centauri truces] *Centauros nec fuisse, nec generari, aut viuere posse contendunt non tantùm poëtæ, vt Lucretius lib. 4. & Ouid. 4. Trist. eleg. 7. sed & medici, & philosophi, & theologi, D. Chrysost. in c. 3 ad Coloss. Orosius lib. 1. histor. cap. 14. Galenus lib. 3. de vsu part. cap. 1. Aristoteles 2. Physic. Ammonius in lib. Aristot. de interpretat. & Cicero lib. 1. de Natura Deorum. Idem tamen Aristoteles lib. 8. de hist. animal. cap. 28. & lib. 2. de generat. animal. cap. 5. & lib. 4 cap. 3. admittit animalia diuersi generis aliquando, si coierint, posse generare: & Plutarch. in lib. an brutis ratio insit, videtur censuisse Centauros, Ægypanes, Minotauros, Sphynges, & similia monstra ex promiscua hominum ac brutorum mixtione nasci: & visum olim Hippocentaurum scripsit Plinius lib. 7. Nat. histor. cap. 3. idem voluerunt, adiungentes, more suo, impias quasdam de Protoplasto fabellas, Rabbini in lib. Hyobamud in 2. cap. Genes. in hanc rem plura Magius lib. 1. Miscellan. cap. 20.*

778 Multo bella] *sic Moguntinens. Herbipolens. & tres Veneti, & Lipsiens. Lugdunens. verò*; ad bella. *quidam*; in bella.

783 Terna] *Moguntin.* trina.

785 Lambunt colubri] *Eguian.* colubræ; *& veteres etiam feminino genere*; colubra, *vt ex Lucilio docet Nonius.*

Viperis] *Quod de viperarum partu traditur, prolem erosâ matris aluo in lucem emergere, matrémque in patris necati vltionem occidere, et si Philostratus & Albertus Magnus reÿciant, vt & Greuinus; à summis tamen viris prodi-*

proditum, Nicandro & eius Scholiaſ. in Theriac. Plutarcho, Horo, & D. Baſilio, item Plinio, Apuleio, Prudentio, & D. Hieronymo. Vide Gredinum lib. 1 de venen. & Cælium lib. 6. antiq. lect. cap. 13. & 16.

786 Longúſque] *ait Cerbero, pro caudâ, draconem dependiſſe: quare poſtea caudam eius vocat*, anguiferam.

789 Miſſúmque captat] *aure terræ appoſitâ ſonum ex longinquo captat. quod probat experientia. ſed id hominum proprium: at Cerberus canis inferorum, & canes ſurrigunt aurem. quare licet in o. l. legatur* ſubiectâ, *mallem cum Lipſio legere*; ſubrectâ. *quod canibus ſonum captantibus familiare fatebuntur, quibus erectæ & patulæ ad verum admittendum aures.*

791 Cedit] *nunquam tam citò; poſtmodum fortè cederet dira bellua. an ergo*; cedit, *quod habent Lipſienſ. & Veneti omnes, ſignificat cedere cœpit? præfero lectionem Eguiani, & Moguntini, & Herbipolenſ. & Lugdunenſ.* ſedit. *qui tacebat, Hercule adueniente non dignatus in pedes ſurgere, ſed dumtaxat anteriori corporis parte pauliſper ſeſe erigere, poſteriore ſedere. & hoc moloſſicum.* 798 Clepit] *Pacuuius, Hermione*:

Sermonem hic noſtrum ex occulto clepit, quantum intelligo.

Cicero: rapere pueri, & clepere diſcunt.

799 Dextera robur] *malè Lipſienſ.* dextrâ.

804 Duci iubet] *iuridicum vocabulum, de illis, qui à magiſtratu iuriſdictionem habente in carcerem vel vincula duci iubentur ad ſupplicium, quæſtionem, vel inquiſitionem, vel cuſtodiam. Seneca in ludo*; Febrim duci iubebat. *& epiſt.* 4. victor te duci iubebat. *ſic Græcis ἀπάγω. Actor.* 12. ἀνακρίνας τοὺς φύλακας ἐκέλευσεν ἀπαχθῆναι. *rectè vulgata verſio*: examinatis cuſtodibus iuſſit eos duci. *ait ergo Cerberum Herculi addictum, vt quo velit pro arbitrio illum rapiat. ab hac verbi*; duco, *ambiguâ ſignificatione natus ille ſalſiſſimus Nauij iocus inter ridicula à Cicerone 2. de Orat. laudatus*:

Quanti addictus? mille numum. Nihil addo. ducas licet.

nam emtor quando licitatione ſuperabat, mancipium; & creditor nexum, ducere iubebatur.

805 Me quoque] *deſcenderat cum Pirithoo vt Proſerpinam raperent, ſed occiſo Pirithoo manſerat captus. tunc Hercules eum in libertatem vindicauit.* 807 Adamante texto] *frequens hæc phraſis, apud Dionyſ. Halycarn. lib. 7. & illos quos citaui Notis in Claudianum lib. 2. in Rufin.*

809 Componit] *prius ſurrectas, nunc adulantium more canum demittit: quod apertè ſequens verſus indicat*:

——— ore ſubmiſſo obſequens

Vtrumque caudâ pulſat anguiferâ latus. *ſic motitant canes dum heris blandiuntur.*

813 Lucis ignotæ, bonos reſumit animos] *Nullus codex ab hac ſcriptura diſſidet. ſenſus eſt; poſtquam clara diei lux oculos Cerberi nitore incognito præſtrinxit, non ferens ille & indignans, animum audaciamq́; ſolitam reſumſit. quod cur diſpliceat? aut cur ad coniecturas abeamus, & non neceſſarias nouationes?*

815 Vecto-

815 Vectorem] *v.l. plerique*; victorem, *& quadrat praecedentibus, vbi pro*; Resumit animos vinctus: *tres Veneti*; victus. *victus victorem.*

817 Respexit] *vt auxiliares, ope meâ se indigere professus.*

IN CHORVM.

Laudes Herculis canit Chorus, & redeuntis victoriam Paeane excipit.

829 Properante partu] *Apollodorus li. 2. Biblioth. narrat Sthenelo Eurystheum natum, qui Mycenis imperauit. fortè quo tempore Hercules erat nasciturus, Iuppiter Diuis dixerat; Qui è Persei posteris nunc oriturus est, Mycenis regnabit. quare Iuno per inuidiam Ilithyiae persuasit, vt Alcmenae partum retardaret, curarétque vt Eurystheus, Stheneli filius tantùm septimestris, in lucem prodiret.*

830 Mundi penetrare fundum] *inferos; quos plerique in mundi centro, seu infimâ terrae parte collocant; qui locus iuxta Physicos, fundus reliquorum; iuxta Mathematicos, omnium medius. Vide D. Thomam p. 3. q. 97. à 7. & Theologos in 4. sent. d. 44. ex quibus nonnulli distare infernum accuratâ & Geometricâ dimensione volunt à terrae superficie extima, mille centum & nonaginta tribus leucis. At D. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 42.* hac de re *(inquit)* temerè definire non audeo. *& D. Augustinus li. 20. de Ciuitate Dei. cap. 16. id scire neminem, in qua mundi parte infernus sit, arbitratur, nisi cui diuinus Spiritus reuelauit. Alibi tamē, vt li. 12. in Genes. ipse D. August. & D. Gregor. d. cap. 42. probabiliorem opinionem eorum putant, eamq́ rationibus firmant, qui inferos sub terrâ esse credunt. & hoc confirmat Philippus presbyter lib. 2. in Iob his verbis*: Gigantes sub aquis ita inquit gemere, velut si dixisset sub terrâ, id est, in inferioribus terrae, vbi inferi esse perhibentur. vnde & ipsi inferi nominati sunt. Aquae ergo eius naturae sunt, vt sine terrâ esse non possint. Sicut ergo inferi in profundo terrarum sunt, ita terrae in profundo aquarum. *&c. Et ex D. Paullo ad Ephes. c. 4. id colligitur iuxta expositionem D. Hieron. D. Ambros. D. Chrysost. Theophilact. Theodor. Euthym. Oecumen. Primasij, & aliorum. Vide Theses Ioan. Busaei de descensu Christi ad inferos fol. 7.*

Alexius Vanegas lib. de Agonia mortu, punct. 4. cap. 8.

839 Eleum] *concurrit ad ludos Iouis Olympici qui prope Pisam Elidis vrbem celebrantur. Elidi annumerat Strabo, quicquid inter Achaiam & Messeniam, vsque ad mare iacet.*

Ludos] *certamina. Lydi cùm in Hetruriâ consedissent, Romanos ritus omnium ferè superstitionum, & spectaculorum artificia, & paraturam, docuerunt. ab his Tymaeus prodidit* ludos *dictos; idq́ amplexi Tertullianus lib. de spectaculis, & D. Isidorus lib. 18. Orig. cap. 10. cuius verba non prorsus sana, corrigenda ex Tertulliano, nisi putes ab eo, cuius verbis vtitur, quémque sequitur, dissentire. At Varroni,* ludi à ludo vel lusu dicti.

840 Quincta cum sacrum reuocauit aestas] *difficilis locus, & ab interpretibus propterea intactus. causa difficultatis: tum quòd falsum videatur Olympia circa aestatis initium celebrari consueuisse: tum quia non videntur quincto quoque anno solita. Nam Izacius in Lycophronem, putat quoque mense quinquagesimo. D. Cyrillus Hierosolym. Catechesi Mystagog. 12. sic scribit:*

scribit: Olympias apud Græcos vocatur, quod singulo quadriennio peracto fieri solet certamen; propter quattuor annorum cursum Solis, in quibus singulis annis tres horas adiiciens diem quarto anno addit: *& verè quattuor annorum spacium fuisse Olympiadem, olim Glareanus & Budæus, et nunc nouissimus auctor lib. de emendatione temporis docet in præfat. lib. 1. & lib. 5. Nec Cyrillus tantùm, sed & Suidas, τετραετηρικὸς ἀγών. & paullo antè de Olympiade, sic vocari à Græcis ὁ κατὰ τέσσαρα ἔτη, &c. Plutarchus etiam in Apophtegmatib. de Agi, & pleniùs Solinus, & Eusebius. vide N. in thesauro linguæ Græcæ tom. 2. & Budæum in Pand.. Alij tamen vt Brodeus Comment. lib. 1. Epigramm. Græcor. & Lonicerus in Pindarum spacium quinquennij tuentur. Pugnam ita concilio, vt exhibiti quarto expleto, quincto ineunte. Poetas verò qui Troianum bellum duob. lustris durasse canunt; eo quòd lustrum ineunte anno quinto, quod eius initio conueniebat, id anno toti accommodarunt. sic quinto fieri die dicimus, quod quarto die desinente, & quinto incipiente lucescere, factum scimus. Sic etiam glossarium vetus, Lustrum πενταετηρίς. Auctumnali id solstitio contigisse pugnacissimè contendit Ioan. Lucidus lib. 1. de emendat. temp. cap. 8. & lib. de vero die Passionis Christi hypoth. 7. & 8. cuius rationibus adijcio, quòd anni initio exhiberi solitos prodiderunt Scholiast. Græcus in Pindari Olymp. & Glaucippus in lib. de sacris Atheniensium: Græcos autem ab auctumnali solstitio annum inchoasse prodidêre, Alphonsus Castellæ Rex in Tabulis, & Rogerius Bacconus in epist. ad Clementem V. Igitur credo Senecam loqui de æstate confectâ, & quincto anno, sed inchoato; hoc est, de quincto autumno incipiente. Confirmatur, quia libræ meminit auctumnalis signi, ac proinde de auctumnali seu hiemali æquinoctio se agere ostendit; in quod æquinoctium hos ludos incidisse testantur Onufrius Cōment. li. 1. Fastor. & Pererius lib. 4. phys. princip. c. 3. Atq. ita omne dissidium tolli videtur. his adde dicta ad Hippol. ver. 106.*

Æstas] *annus, sed inchoatus peractâ æstate, cœpto auctumno. sic æstas sumitur Her. Oet. 597. sic* hiemes *à Catullo, & aliis. vide Corradū in li. 1. Æn.*

842 Et somnos] *Herbipolens. & Veneti.* in somnos. *Manilianum versum huc pertinentem, in Notis Claudiani, ante Commentar. nouum viri docti in Manilium, plusquam septennio recensueram.*

844 Cererem] *Eleusinia sacra, non, vt putat lib. de emendat. temp. Dionysia.* 846 Noctem] *nam mistæ noctis initiò ad templum Cereris festinabant, eo quòd Atticus diei initium ab occasu solis.*

852 Comis nondum positis] *Ephebi ad annum vsque quartum decimum cirrati, cincinnati, capillati: postea detonsam seu positam comam Deorum aris consecrabant, præsertim Apollinis vel Amnium (quia capilli calore & humore potissimùm nutriuntur) sic apud Homerum Iliad. 23. Achilles; apud Plutarch. in vitis, Theseus; apud Pausaniam in Arcadic. Leucippus; apud Philostratum in Imagin. Memnon; alij apud Statium in Thebaid. li. 8. & Ambraciotæ, apud Varronem: id plerique ad bonam corporis valetudinem impetrandam faciebant, teste Censorino de die Natali. Ponebant & Numinibus barbam ipsam, teste Suetonio in Calig. cap. 10. & in Nerone cap. 12.*

Vide Vet. Victor. li. 6. var. lect. cap. 22.

Qui comam alebant, eos existimo sic illam plectere nonnunquam solitos, vt Sueuorum virgines solent. Suboluit mihi ex quodã fragmento Varronis lib.1. de vita pop. Rom. quod Nonius in apertum *refert, & est huiusmodi:* Minores natu capite aperto erant, capillo pexo vtique, innexis crinibus. *pro quo lubẽs rescripserim*; capillo pexo, vtrimq. innexis crin. *vel*; cap. plexo.

853 Matris & nomen] *infans qui modò desiit matrem vocare mãmam, & patrem tatam, & pultes papas; vt Afranius & Martialis loquuntur; sed iam suis quæq; nominibus nouit compellare.*

854 His datum solis] *ait pueris, ephebis, & virginibus cereum concedi seu candelam, vt per iter illud tenebricosum eant intrepidi. dictum, vel ex vulgi opinione, vel ex prisca consuetudine, pueros dubio adhuc die, prælatâ candelâ efferendi, vt ex Tacito & Eustathio docuit Muretus lib.13. var. lect. cap. 2. sed cur noster idem priuilegium ephebis & virginibus tribuit? an quia qui pari fermè pudore & innocentiâ, æquali prærogatiuâ digni? Persius videtur & adultis dare, Sat. 3. nam de adultis loqui docet adiuncta tibia:*

Hinc tuba, candelæ, tandémque beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis.

sed hic candelarum meminit, hoc est, multorum funalium, quæ maiorum natu: vnicus cereus puerorum. fortè & discrimen in tempore. interdiu illis hæc præferebantur; cereus pueris noctu. Tubam maiorũ natu funeribus propriam, & alij obseruarunt, nunc in memoria hærent Nebrissensis in Persium, Brodeus lib. 4. Miscellan. cap. 30. Magius lib. 1. Miscell. cap. 13. & Victorius lib. 9. var. lect. cap. 14. sic tuba in funere Pallantis apud Virgilium: tibia, quæ puerorum, in funere Archemori apud Statium 6. Thebaid.

Cùm signum luctus, cornu graue mugit adunco
Tibia; cui teneros suetum producere manes,
Lege Phrygum mœstâ. Pelopem monstrasse ferebant
Exsequiale sacrum —— *fuit ergo hoc Phrygum institutum: sed Phryges ab Hebræis mutuati. nam & Iudæorum fuisse, patet ex D. Matthæi cap. 9. de puellâ, quam Dominus noster* Iesvs *suscitauit: è quo loco, & alio illo Statij, colligo etiam ditiorum puerorum funeribus tibiam adhibitam. Nam puella hæc Archisynagogi filia, teste D. Marco cap. 5. & Archemorus Lycurgi Regis. Igitur primò ad ætatem attendebatur; & quoad pueros puerasq;, nullum inter inopes & locupletes discrimen; sed tantùm illud inter prouectioris ætatis homines. in his, diuitũ funeribus tubicines adhibebantur. patet ex Plutarcho in li. vtra animãtes prudentiores sint &c. & ex illo Persij beatulo, hoc est, diuite delicato, & ex Propertio lib. 4. de Cornelia funere:*

Sic mœstæ cecinere tubæ, cùm subdita nostrum
Detraheret lecto fax inimica caput.

In pauperiorum funerib. tibicines. Propertius, cùm non sumtuoso, sed tenuiorum funere efferri vellet, ait:

Nec mea tunc longâ spacietur imagine pompâ,
Nec tuba sit fati vana querella mei. *idem alibi tibiam à tubâ distinxerat:* Tibia funestâ tristior illa tubâ.

Sed

Sed de nuptiali tibiâ loquebatur, non de exsequiali: de hac autem Ouidius lib. 5. Trist. eleg. 1. Tibia funeribus conuenit ista meis.

Haut scio tamen an perpetuò hoc discrimen obseruatum. Nam Higynus in Fabulis cap. 274. docens vnde ista consuetudo manarit: Tyrrhenus (*inquit*) Herculis F. tubam primus inuenit hac ratione, quod cùm carne humana comites eius vescerentur, ob crudelitatem incolæ circa regionem diffugerunt. tunc ille, quia quidam sociorum (*sic suppleo lacunam*) decesserat, conchâ pertusâ bucinauit, & pagum conuocauit, testatúsq. se mortuum sepulturæ dare, nec consumere. Vnde tuba Tyrrhenum melos dicitur. Quod exemplum hodie Romani seruant: &, cùm aliquis decessit, tubicines cantant, & amici conuocantur, testandi gratiâ, eum neque veneno, neque ferro interiisse. *hæc ille nullum inter diuites & pauperes discrimen ponens. Ego tamen credo tubam in inopum iustis nunquam adhibitam: tibiam in diuitum funere, puto vnà cum tubâ, & tibiã naniæ solitam præcinere; in pauperum, tibiam tantùm comitari. Cicero lib. 2. de legibus propè finem scribit moris fuisse honoratorum virorum laudes in concione memorari, & cantu ad tibiam celebrari; & sancitum legibus* X I I. *tab. vltra decem tibicines neminem conducere. Et apud Xiphilinum in Seuero, funeri Pertinacis tibia adhibetur, & flebiles threni ad tibiam;* καί τινες ἐκόπτοντο ἑτέρων πένθιμόν τι ὑπαυλούντων. *Tam tubicines, quàm tibicines à Catone & Atteio dicuntur* siticines; *quia, vt Nonius scribit, iam sitis (hoc est sepultis) ad cantus lamentabiles concinendos adhibebantur. Minus notum quod Dionysius Halycarnass. lib. 7. tradit, in locupletum & illustrium virorum funebribus pompis, feretrum præcedere consueuisse saltatores quosdam Satyricos, indutos tunicis hirsutis, quas scorteas nonnulli nominant, & amiculis quibusdam ex omni florum genere consertis; vel etiam opertos hirsutis tergoribus, & horrẽtibus in vertice setis terribiles; qui Sicynnim Græcanicã ridiculè per ludibriũ serias saltationes Pyrrhicas deprauantem, imitabantur.*

Igne prælato] *interpretatus sum candelam seu cereum, non facem. quia obseruaui (quicquid aliis visum scribere) adultis faces prælatas, cereum pueris. persuadet mihi Seneca extremo lib. de Breuitate vitæ ad Paulin.* At, me Hercle, istorum funera tanquam minimum vixerint, non ad faces, sed ad cereos deducenda sunt. *hac de caussâ lib. de tranquillitate vitæ ad Serenum cap. 11. faces à cereis distinxit:* toties præter limen immaturas exsequias, fax, cereúsque præcessit. *vbi, caue erres, immaturæ dicuntur tam senum bis puerorum, quàm verè puerorum. illas fax, has cereus præcessit. mordaciter* immaturas *dixit, quia qui, non vt oportuit, vixère, non vixisse videntur. Perturbat me tamen Persius, qui adolescenti candelam: quem, si hæc Senecæ traditio vera, vt puto; moneo alium aduocatum quærere. caussam eius non tueor.*

857 Qualis animus] *mæstus, tristis, nubilus, loco illi caliginoso & flebili persimilis.*

860 Tenebræq; turpes] *de quibus apud Spartianum Imp. Hadrianus:*

Animula vagula, blandula

n 2 Hospes,

Hospes, comésque corporis,
Quæ nunc abibis in loca
Pallidula, rigida, nudula,
Nec, vt soles, dabis iocos.

citantur à Petrarchâ lib. 2. de ocio religioso, non satis emendatè.

861 Color noctis malus] *tenebræ nocturnæ coloris expertes sunt, sed colorem illis tribuit atrum, poëtico more. quem malum vocat: quia Romani mala* nigra *vocabant. Horatius:*

——hic niger est, hunc tu Romane caueto.

hoc sensu Apuleius lib. de philosophiâ, deteriores animas, vocat fusciores. *Idem lib. 1. Floridor.* nec quod iisdem Indis ibidem sitis ad nascentem diē, tamen in corpore color noctis est. *& Petronius describens Æthiopē:*

Tinctus colore noctis
Manu puer loquaci
Ægyptius choreutes.

862 Vacuæque] *non omnino inanes, sed corporis contenti expertes. sic Virgilius:* Perque domos ditis vacuas & inania regna.

867 Omnis] *Seneca alibi:* Omne humanum genus morte damnatum est, omnes ea conditio deuinxit, cui nasci contigit, mori restat. *Stesichorus:* Planè nullus innocens est, nullus immortalis. *Idem docet Phanocles. de hac necessitate moriendi multa Epictetus apud Arrianum lib. 2. cap. 5. & 6. & lib. 3. cap. 24.*

874 Thebis] *hortatur populum, vt sospite Hercule Diis gratias agant.*

875 Tangite] *sacrificate. nam sacrificantes manu aras tangebant. Briss. videndus li. 1. Formul. pa. 45. hunc autē & duos versus præcedentes, vt Senecæ, laudat Terētianus Maurus, vt dubitare desinant hanc fabulā esse Senecæ.*

883 Sol medium tenens] *de Syene explicui in Aduers. adductâ auctoritate Macrobij, & Lucani: apud quem non est quod laborent quidam,* numquam *reponere, pro;* nusquam. *tantum enim voluit certo tempore, nullā corpora erecta vmbram iacere: quod etiam testantur Plinius lib. 2. cap. 75. Strabo lib 17. & Cleomedes in Sphæra. quædam habet Brodeus li. 5. Miscellan. c. 17.*

893 Populo] *cur populus Herculi sacra, fusè & doctè Pierius Valerianus lib. 52. Hieroglyphicor. Ouidius:*

Aptior Herculeæ populus alba comæ.

IN ACT. IIII.

Occiso Lyco, sacrificaturus Hercules incipit furere: occidit coniugem, cum liberis: offert se morti Amphitruo, sed abducitur à Theseo. defatigatus parricida inuoluntarius, in somnum labitur, & sæua volutat corde somnia.

895 Periuit] *tres manusc. & Lugdunens. cum veter. excusis* cecidit. *Solus fortè Aristides Orat. contra proditores mysteriorum, ea negat Herculi contigisse, quæ de furore illius hoc actu narrantur.*

898 Meritas aras] *quibus pro accepto beneficio victimæ debentur. sic sumunt Ouidius & alij, quos congerit Brissonius lib. 1. Formul. pag. 114.*

899 La-

899 Laborum socia] *Pallas Herculi, se ad omnia certamina ducem præbuit, & Hercules quandocumque sibi contra hostes, quorum metuenda vis videbatur, tela dirigenda, in Mineruæ auxilio spem ponebat. auctor Aristides orat. in Mineruam. eò respicit.*

901 Ægis] *scutum Palladis, cui Medusæ caput infixum contectum pelle capræ Amaltheæ; quam poëtæ modò Ioui, modò Palladi tribuunt. Martialis ait fuisse thoracem Palladis, Musæus & Homerus Iouis thoracem: Lactantius Iouis clypeo, Seneca & Pausanias Mineruæ scuto inducunt. Palladis autem hic habitus. pro loricâ, et pellis Pallantis necati; in casside, Typhon cælatus; in dextrâ, hasta plusquam cubitûm quattuor; in læuâ scutum cum eburneo Gorgonis capite; in talis, pennæ eiusdem Pallantis & ponè cubans draco. dicitur è Iouis capite hastam vibrans, vnde & nomen sortita, prosiluisse. Eadem belli præses & olei inuentrix fingitur: quia videlicet iustis bellis pax inuenitur, & bella ad pacem stabiliendam geri debent.*

902 Lycurgi] *vide Oedip. vers. 471.*

910 Exsudet] *vt ceteri m. s. Moguntin.* exundet.

914 Dij conditores] *suspicor delendam Thesei personam, & omnia ad huc Herculi relinquenda, vsque dum Amphitryo;* Nate manantes, *&c. præterea pro;* Dij, *scribendum;* Qui: *vt adhortetur Thebanos ad sacrificandum; vos, ait, qui colitis vrbis huius conditores, & qui colitis antra zethi trucis & larem regis à Tyro aduenæ, &c.*

915 Zethi] *hoc reponendum monui, pro;* Ceti. *nec nouum mendum. c. pro Z. sic enim apud Melā li. 3. vrbs Carmaniæ* Cethis *dicitur, quæ Plinio* Zethis.

Dirces] *de hoc fonte illa Attij à me castigata:* Cùm è Dircæo fonte adueniunt mundulæ, nitidantur. *huius fontis etiam meminit Epictetus Arriani lib 2. cap. 16.*

916 Larémque regis qui aduenæ Tyrium colis] *sic recens excusi; sed Veneti veteres excusi omnes,* Larem qui regis aduenæ Tyrium colis. *Moguntin. & Herbipol.* Larémque regis aduenæ Tyrium colis. *rectè, si suprà;* Qui, *non* Dij; *vt censui.*

917 Date thura] dare thura. *sollemne sacrificantium verbum, quo etiam vsus Octau. act. 4. vide Brisson. li. 1. Formular. fol. 29. veteres in solâ Sabaâ nasci putabant, Nicander etiam in Syriâ, in Alexipharm.*

πολλάκι δ' ἐν θρύψειας ἐν ὀπταλέῃσιν ἀκοσαῖς,
Γερραίης Λιβάνοιο χύσιν περιπηγέα θάμνοις.
Illam etiam ptisanâ persæpe liquato Sabæi
Quæ Libani ramos concrescit lacryma circum.

Petrus Anglerius in Indicis Decadib. apud Ciaconitas in Pariâ regione thus prouenire testatur. de tempore & modo colligendi multa Plinius lib. 12. cap. 14. & 15. Quod verò idem lib. 13. cap. 1. scribit: Iliacis temporibus vnguenta non erant, nec thure supplicabatur: cedri tantum & cyrri, suorum fruticum, in sacris fumo conuolutum nidorem, veriùs quàm odorem, nouerant. *id Senecæ nostro repugnat, sed Arnobij auctoritate confirmatur, qui sic scribit:* Nam neque heroicis temporibus, vt perhibetur,

quidnam esset thus scitum est : neque genitrix & mater superstitionis Hetruria opinionem eius nouit, aut famam. *sed poëtæ, iure suo, quæ suis temporibus in vsu erant, antiquioribus ascribunt. sic enim Virg. li. 5. Æneid. sic Ouidius 1. Metamorph. & 3. Fastor. & alij, qui facilè nostrum tuebuntur exemplo. Solebant autem, cognito iam thure, priusquam extispicium facerent, illud flammis adolere, earumq. fumum, motum, strepitumq. notare, & cum ceteris victimæ portentis conferre, vt scribit ex lib. signorum & prodigiorum thuris Luctatius in li. 4. Thebaid. Statij. Thuris verò minuti pollen,* manna *illis dicebatur, vt scribit vetus ille & doctus auctor Commentarij in Iuuenalis Sat. 9. Glossarium Græcolatinum,* Turspollen *μάννα. et postea:* Tuspolline *μάννα. legerem vtrobique* Turispollen, *vel* Tuspollen, *& in comment. Iuuenal. Græcis litteris, μάννα. accepere Græci ἀναλογικῶς ab Hebræorum* manhu. 918 Et hostili] *Mogunt.* ex hostili.

Expia] *Anticlides in lib. Redituum* : Erat enim mos antiquorum, qui nunc etiam asseruatur; vt qui cædem hominum vel aliorum animalium commisissent, perenni aquâ manus abluerent, ad commissi piaculi lustrationem. *idem docuit Theophrastus in lib. Caracterum; quem refert Robortellus in lib. de Elegiâ, post Scholiasten Sophoclis in Aiacem lorarium. vide suprà Hippolyt. act. 3.*

920 Victima] *quid significet victima, nemo nescit : fortaßis tamen nimis patienter hactenus tolerata apud Senecam lib. 4. de beneficiis cap.* 18. quid sumus præda animalium & victimæ ac bellissimus & facillimus sanguis. *rescribendum enim*: quid sumus? præda animalium, belluis vilissimus ac facillimus sanguis. *quis enim audiuit vnquam homines victimas belluarum? nec poëtæ dixerint.*

921 Opima] *sicut oues pinguiores & candidiores,* lectæ; *& porci maximi, excepti ad sacrificia,* eximij; *sic boues totius armenti pulcherrimi & electißimi,* egregij, *vel* opimi. *ideo ritè ait,* victima opima; *vt & Seneca* 1. *de benefic. & in Oedip. & Plinius lib.* 10. *& Ouid.* 4. *de Ponto Eleg.* 9.

Albáve opimorum colla ferire boum.

„ *Varro lib. 2. de re rust.* Boues altiles ad sacrificia publica saginati, dicun-
„ tur opimi. *Festus autem* : Hostiæ, *inquit*, opimæ; præcipuæ, pingues : &
„ spolia opima, magnifica & ampla. *Græci κάλλιστα λάφυρα vocant, vt Plutarch. in Marcello. Etymologiam nominis Plutarchus tradit, in Romulo:* ὀπίμια δὲ τὰ σκῦλα φησὶν οὐάῤῥων, καθότι καὶ τὴν περιουσίαν, ὄπεμ λέγουσι. πιθανώτερον δ' ἄν τις εἴποι διὰ τὴν πρᾶξιν. ὄπους γὰρ ὀνομάζεται τὸ ἔργον. αὐτουργῷ δὲ ἀριστείας στρατηγῷ στρατηγὸν ἀνελόντι, δίδοται κατιέρωσις ὀπιμίων. Opima verò spolia Varro dicta scribit, quòd affluentiam, opem vocant. Verisimiliùs est à rei gestæ opere nuncupata. opus enim ἔργον vocant: & quæ sua manu cæso hostium Imperatori auferebat Imperator, spolia opima posteri appellarunt. *hæc Græcorum verborum sententia est: sed quis vnquam Latinorum, opem diuitias significare somniauit. perspicuus error vel librarij, vel Plutarchi; & legendum; ὄπες λέγουσι. simile mendum, in Marcello, exstat, vbi cùm de ouatione agatur, inter cetera; ὄβαν*

δὲ

δὲ τὰ πρόβατα Ῥωμαῖοι καλοῦσιν. ouan pecora Romani vocant. *nihil certius, quam castigari debere*; ὄϊες δὲ. *hoc enim verum. & sunt plerique ridiculi Græci in Latinarum vocum originibus explicandis. Nemo qui vel Liuium, vel Dionys. vel Plutarchum legerit, vnde faustuli coniugi* Lupæ *nomen fuerit inditum, ignorat: Cedrenus tamen fol.* 120. *non veretur scribere:* εἴθιστο δὲ τοῖς ἐγχωρίοις, λυκαίνας τὰς τοιαύτας (*scilicet quæ oues pascebant*) καλεῖν γυναῖκας, διὰ τὸ ἐπίσπαν ἐν τοῖς ὄρεσι μετὰ λύκων διατρίβειν. διὸ καὶ τούτους ὑπὸ λυκαίνης ἀνατραφῆναι μυθολογεῖται. *crede, si lubet,* ouium custodes feminas lupas dictas ab antiquis illis locorum incolis, quòd perpetuo in montibus inter lupos agerent. *cur ergo mariti & filij earum, qui magis aßidui erant ad greges, Non lupi dicti? Idem nescio quam mixo-barbaram vocem commentus;* Capitolium, *quasi* κεφαλὴν πόλεως, *dictum censet. lepida verò vox;* Caputpoleῶn *vel* Caputpoleorum. *actum de Arnobiana & aliorum narratione, de inuento, cùm fundamenta iacerentur, Oli capite. Suauißimus porrò est, quando Sextilem, à quodam Februario, Manlij Capitolini inimico, Februarium nuncupatum confirmat. Dies me deficeret, si Cedreni flosculos pergam legere. Vetus quidam poëta apud Terentianum:*

Opima adposui senex
Amori arma Feretrio.

927 Astra inoffensos] *illæsa & inconcussa maneat cæli machina.*

929 Ferrum] *omnia arma in vomeres, ligones, rastra conflentur.*

932 Ignis] *Fulmen.*

939 Cinxere] *lib. Moguntin.* Tinxere: *quod colorum proprium.*

947 Rutilat] *proba vox, hoc est, rutilam iubam iactans, quasi micat. rutilat autem quia sidus. nam sidera propriè rutilantia.*

948 Quicquid] *ait videre se leonem ad saltū paratum, vno saltu cuncta auctumnalia & hiemalia simul signa, medium zodiacum, transmissurum, vt Taurum, sidus vernale inuadat. pro;* verni, *tamen Mogunt.* iterum.

Grauis] *nam admodum morbifer.*

952 Huc & huc] *sic plerīq. libri. Herbipol. & Veneti;* huc illuc. *sed natum quia mendosè quidam m.s.* huc & illuc, *vt etiamnunc Moguntinen.*

953 Aciéque falsum] *furentibus sæpe mediâ luce tenebræ suboriri, & sol sudus obnubi videtur: quod, imaginatione læsâ, sensationum verum esse iudicium nequeat.*

956 Immune cælum] *suprema illa pars vniuersitatis,* οὐρανὸς καὶ ὄλυμπος. *de variis cæli significationibus Aristoteles lib.* 1. *de cælo cap.* 9.

Immune] *intentatum meis viribus.*

959 Non capit] *fortè Varronis illud imitatur, in Meleagris, apud Nonium, de Hercule;* Iccirco quem terra non cœpit, cælum recepit. *sic recenseo, in* capi.

960 Superis reddit] *loquitur ex sententiâ Platonicorum, qui putabant animas prius in cælis fuisse, quàm in corpora demittantur.*

964 Saturno] *aptas hasce Ioui terrendo minas, imitatione Senecæ, Statius & Claudianus crediderunt. apud illum* 5. *Thebaid. ait Pluto:*

—— habeo iam quassa Gigantum
Vincula,& æthereum cupidos exire sub axem
Titanas, miserúmque patrem ——

apud hunc idem —— patefacta ciebo
Tartara: Saturni veteres laxabo cathenas.

Saturni sepulcrum in Siciliâ fuisse, scribit Philochorus.

966 Titanes] *hi fuêre primi terræ cultores, Cretæ incolæ, ex Cælo & Titæâ nati: qui cùm Iouis parentes in vincula coniecissent, ab eodem victi fuêre. ita Euhemerus, Eumelus, Diodorus, Lactantius: reliqua quæ de Gigantibus narrantur, fabulæ.*

970 Sub ossa Pelion] *Virgilium sequitur, qui Ossæ Pelium imponit, & huic frondosum Olympum, situs (opinor) rationem habens. nam Herculi Thebis agenti proximus Pelius, inde Ossa, denique Olympus. At Homerus ad magnitudinem attendit, & quasi pyramidem construit. nam illi trium maximus Olympus, infimus; & huic mole proximus, impositus, Ossa; & supremus vtroque minor Pelius. Vide Strabon. lib. 1. De situ dissentiunt Herodotus in Polybimn. & Ptolemæus tab. 10. loquitur autem de Ossâ Thessaliæ non Elidis.*

Chiron] *Suidas in Thessalicis prodidit Chironem, vt & ceteros Centauros, ab Ixione genitum: atqui Gigantomachiam composuit Græcus scriptor, ex Philyrâ Oceani filiâ, & Saturno (conuerso vtroque in equinam effigiem) natum. vxor ei Chariclo. humanissimus Centaurorum & iustissimus fingitur, Achillis & Iasonis pædagogus; musicam, medicinam, toxoboliam eos docuisse. hæc communis traditio. longè tamen alia Daimachus & Dionysius Chalcidensis, apud Scholiast Apollonij in lib. 1. Argonaut. à versu 553.*

Suum] *eius enim incola.*

971 Olympus] *Olympi (Straboni li. 8. & 10) quatuor, vnus prope Antandrum diuersus ab Idâ, alius in Mysiâ, alius in Elide, alius Thessaliæ, de quo noster. Alios alij numerāt; Hesychius quatuordecim, Lucillius Tharræus sex. Eustathius scribit à Græcis omnem montem paullo altiorem, vocari vel Idam, vel Olympum, idq; propter Idam Phrygiæ, & Olympum Thessaliæ. Olympus sanè Thessalicus (cui hoc nomen per excellentiam competit) adeo celsus est, vt in eius vertice, nec venti, nec niues, nec nymbi cernantur, vt scribunt Homerus Odyss. 6. & Philostratus in Imagin. ideo Plutarchus in lib. de defectu Oraculorum vocauit, aulam superum.*

978 Pallene] *Pallene vna ciuitas Achaica, alia ciuitas & mons Macedoniæ seu Thraciæ, item Thessaliæ, item Arcadiæ: vt testatur Apollonij Scholiastes in lib. 1. significans Achaicam scribi tantùm per ἐ,* Πελλήνη, *Arcadicam per α,* Παλλήνη; *vt & Thraciam; Thessalicam verò etiam per ἐ,* Πελλήνη. *Thraciæ Pallene (de qua noster) à multis cum Phlegrâ confunditur. sed Plinius distinguit lib. 4 cap. 10. & Scholiastes Apollonij* Φλέγρα πεδίον Θράκης περὶ Παλλήνην. *confundere videntur Stephanus in* Παλλήνη *vbi multa ex Theogene in Macedonicis, & Hegesippo in Palleniacis, Diodorus Siculus li. 5. & Dionys. Halycarn. li. 1. fortassis mendosè Ptolomæus vocauit Patalenen.*

980 Mimas] *perperam hoc loco Oblanca reponit;* minans. *& Marsus*

apud Silium lib. 12. Numanta. *est enim* Mimas *Gigantis nomen Hesiodo, Euripidi, Claudiano, Sidonio. Scholiastes Apollonij*; Μίμας δὲ τὸ κύριον τοῦ Γίγαντος. *alterius cuiusdam Mimantis meminit Ammianus lib.* 31.

981 Flammifera] *vt tubarum vsu nondum inuento ab antesignanis in bello, pugnæ initium coniectis in inuicem facibus fiebat, teste Parrhasio; sic in hac imaginariâ pugnâ Hercules ait furias flammâ prælij signum proponere. Sic Papinius lib 3. Thebaid.*

Prima manu rutilam de vertice Larissæo
Ostendit Bellona facem —— *& Claudianus:*
Tisiphone quatiens infausto lumine pinum
Armatos ad castra mouet pallentia manes.

989 Tela sic mitti decet Herculea amp. quo se cæcus inuergit furor] *nihil video cur hæc lectio displiceat. Moguntin. tamen:*

—— tela sic mitti decet.
AMPH. Quo, nate, sic se cæcus inmergit furor.

non dubito quin multis hæc placeat.

Tela Herculea] *Propertius:*

Quis facta Herculeæ non audit fortia clauæ,
Et nunquam adnatas irrita tela feras?

iccirco Virgilius amoris tela nimis certa, Tirinthia *dixit, vt interpretor illud in Ciri:* —— tela pharetrâ.

Heu nimium tereti, nimium Tirinthia nisu
Virginis in tenerâ defixerat omnia mente.

Inuergit] *antiquum, pro ruit, se ingerit, influit.*

993 Medio spiculum collo fugit] *idem scribit Philostratus in Herculis Furentis imagine.*

996 Mycenis] *A Mycenao Spartonis F. Phoronei nepote dictas scribit Euripid. Scholiast. sed Oearum magnarum auctor (vulgò putatur Hesiodus) à Mycene Inachi regis filia: Ctesias ab vlulatu sororum Medusæ occisæ, mugitu simili; alij à mugitu Iûs: Chrysermus lib. 1. Peloponnesiacorum scribit Gorgophonum Epidaurium, inuento ibi Persei capulo, iussu oraculi, vrbem inde nominasse. Vide Pausaniam.*

Cyclopea] *Mycenas ædificarunt Cyclopes, hos Strabo docet fuisse septem numero è Lyceâ, dictos* γαστερόχειρας *quia suo artificio alebantur. alij Vulcani fabri. Vide infer. Thyest. versu 405.*

999 Columen] *hoc est, culmen. sic passim capit noster.*

1000 En blandas] *Riccius lib. 1. de imitat. omnia putat in Scenâ coram geri. Melius O blanca; Amphytruonem tanquam introspicientem ista loqui; sic tamen, vt cùm hæc intus gerantur, quandocunque loquitur, quasi per transennam populum adspiciat, Hercules verò ista gerens non videatur à populo, sed audiatur tantùm.*

1006 Sonuit] *plerique libri*; sonat.

1015 Vultus tuos] Inprimis (*inquit Sphintys*) honestum est matronæ, pudicitiam suam erga virum, per formã liberorum suorum testari:

quod fit si liberi referant typum similitudinis sui genitoris. *de causis verò physicis istius similitudinis videndi Aristoteles lib. 4. degenerat. animal. cap. 3. Plutarchus lib. 5. de placit. philos. cap. 11. & 12. Censorinus in lib. de die Natali, Valerius Maximus lib. 9. cap. 14. & Plinius lib. 7. cap. 12. & omnia adducens Tiraquellus 7. lege connubiali à num. 50.*

1017 Renuo] *monueram olim hanc posse tolerari, sed meliorem esse multorum librorum*; teneo. *ait vesanus, se tenere manu comprehensam Iunonem, eámque ratus se necare, vxorem interficit.* Teneo, *habetur etiam in Venetis. & Herbipolensi editione.*

1021 Igneo vultu] *Homerus*:

Oculi autem sibi igni lucenti similes erant. *Lucretius lib. 3.*
Est etenim calor illi animo, quem sumit ab irâ
Cùm feruescit, & ex oculis micat acribus ardor.

vel respicit Seneca ad id quod docet Eustathius Iliad. ä. homines quosdam, occultâ naturæ proprietate, scintillare oculis, felium instar, quod de Hercule Ion Chius prodidit. Vide dicta sup. act. 3. versu 623.

1025 Nec vsquam est] *in tot particulas & tam minutas claua ictu dispersum, planéque contritum.*

Nefas] *hoc primus N. reposuit; cùm prius legeretur*; nimis. *& vtrumque in libris inuenitur.*

1029 Conuerte] *ô nate inquit stipitem hunc, quo puerum mactasti, nunc torque in me. Nescio quid N. in mentem vt contra lib. omnium fidem reponeret*; euerte.

1031 Genitor] *parens Herculis: affectui id mouendo magis idoneũ, quàm* senior. *minus senem occidere, quàm patrem senem.*

1034 Bene] *nunc intus peractâ cæde foras progreditur.*

1035 Tibi hunc] *decorum seruat. nam furiosus non attendit, quàm sibi contraria loquatur. En Iunoni sacrificium parat, quam paullo priùs se tenere & occidere existimabat.*

1037 Victimas alias] *Eurystheo minatur necem.*

1038 Nondum litasti] *absolutè positum, nec referendum ad sequentia, vt sit*; litasti sacrum. *ait, non exsacrificasti. non enim consummatum putabant sacrificium, quo non litatum. Est verò* litare, *sacro facto, Diis placatis, postulata impetrare. Virgilius:* Tu modò posce Deos veniam (*sacrifica*) sacrísque litatis (*feliciter consummato sacrificio, votis potita*) indulge hospitio. *Litasse se rebantur, si exta prospera & læta. vide de litatione Brissonium lib. 1. Formular. à fol. 32. cui addo id quod Grammatici nonnulli notãt, dici non posse* lito exta, *sacra, sacrificia, neque id vnquam Romanis placuisse:*
Seruius in Virgil. & Galeottus Martius cap. 19 de prom. sc. doctri. *non planè verum videri. frequentius quidem*; lito Deos extis, *sed & hoc nonnunquam. In primis Seruius fatetur sic vsum Maronem loco citato, etsi reprehendat. Propertij verò versus apertior est, quàm vt deprauari debuerit fictâ,* excalatandi *voce*: Pastor & ad calamos exta litabat ouis. *Suetonius in Aug. cap. 96.* circa Perusiam sacrificio non litante. *Idem alibi*: Nam victimas Diti patri cæsas litare. *quod & Budæo placuit:*

&

& Lactantius lib.4. cap.27. Nam cùm Diis ſuis immolant, ſi aſſiſtat aliquis, ſignatam frontem gerens, ſacra nullo modo litant. *Niſi accipias ſacra in recto, quod non minus contra mentem Galeotti. Denique Græcorum* καλλιερεῖν, *tam datiuo quàm accuſ. iungitur, vt docet Budeus in Com. fo.744.*

1039 Stat] *rituale*, ſtat hoſtia ad aram; *& explicat ſubiungens*, exſpectat manum ceruice pronâ, præbeo, *&c.*

1041 Errat acies luminum] *hoc Steſichorus & Panyaſſis tradidere. addunt Thebani, præ inſaniâ ipſum quoque Amphitryonem fuiſſe occiſurum, niſi lapide à Mineruâ iacto ictus ſomno ſe dediſſet, eumq́; lapidem vocant*; auctorem reminiſcentiæ. *ita Pauſan. in Boeot. ſeu lib.9.*

1044 Feſſa] *nimij labores ſomnum conciliant. nam illis vehemens calor excitatur; quo liquantur humores; hi cerebrum petentes ibi refrigerantur, & denſati ſomnum adferunt: vel cum labore nimio vitales ſpiritus conſumantur, refrigeratum corpus vim ſomni perferre non valet, ſed opprimitur. Vide Argenterium lib. de ſomno. vnde mirari non oportet tam laborioſum furorem Herculi ſomnum excitaſſe.*

1046 Aut portus] *quæ tanta, vt decidens in mare, ſecurum portũ queat efficere.* 1049 Reciprocos] *ſomni periphraſis.*

Motus] *arteriarum.*

IN CHORVM.

Plangit miſeriam Herculis, ſomnum eius deſcribit, & ſomni numen laudat & precatur, vt vel illum furore ſoluat, vel ad mortem vſque detineat. Denique pueros occiſos lugubri næniâ proſequitur.

1054 Æther] *quicquid vltra ignis ſphæram (ſi certa aliqua huius elementi ſphæra) vel vltra ſupremum corpus ſimplex (ſi ignis certum locum eſſe neges) cælum vel æther vocatur; ſecundùm Anaxagoram,* ἀπὸ τοῦ αἴθειν, *quod ardeat; iuxta Platonem, quòd aëri circumfuſus ſemper currat,* ἀεὶ θεῖ ἀέρα ῥέων; *iuxta Ariſtotelem, à perpetuo motu,* ἀπὸ τοῦ ἀεὶ θεῖν. *Vide Auctor. lib. de mundo ad Alex. cap. 1.*

1055 Ætheris] *antiquos*; cælum Iouem, *hoc*; pro iiſdem ſolitos, *rectiſſimè monui, quicquid dicant. nam Ennius, Thyeſte:*

Aſpice hoc ſublime candens, quem inuocant omnes Iouem.

& alius apud Ciceronem:

Cui, quod in me eſt, exſecrabor hoc quod lucet, quicquid eſt.

oſtendit idipſum augurum formula, qui volentes ſignificare Ioue fulgente tonantéve quid actum, dicebant; Ioue tonante, fulgente. *Euripides etiam vt multa præclarè, ſic hoc breviter, inquit idem Cicero.2. de Nat. Deor.*

Vides ſublime fuſum immoderatum æthera,
Qui tenero terram circumuectu amplectitur,
Hunc ſummum habeto Diuûm, hunc perhibeto Iouem.

Quare fortè rectè hic ætherem ſumas pro Ioue; vt Chorus iubeat Iouẽ eiusq́; patrem Saturnum lugere filij, nepotiſq́; calamitatem. ſed in ſacris quoque litteris; cælum *pro*, Deo. *Lucæ cap. 15.* peccaui in cælum.

1064 Soluite Superi] *quidam v.l. pro*; tantis *continent*; tantum. *quid ſi*

scribas? Animum monstris soluite tantum,
Soluite Superi —— *nihil aliud poscimus, quàm vt sanaipsum menti reddatis, liberetis ab insaniâ. hoc bene erit: satis erit.*

1065 Malorum] *sic Moguntinens. Herbipolens. & Veneti, & Lipsiens. at Lugdunens.* laborum. *parum refert. vtrumque somno conuenit, conuenit legi numerorum. ad curarum & laborum intermissionem somnus nobis à Deo datus. Ideo Sicyonij somnum pingebant leones domantem: quia, teste Pausaniâ in Corinth., nullus tam sæuus dolor est, qui somno non sopiatur. Homerus Odyss. 20.*

Noctes autē somnus habet. hic enim obliuisci facit omnes homines
Bonorum & malorum, postquam palpebras complexus est.

Ideo vocatur Homero, dulcis; *Apollinari,* melle dulcior; *Theognidi,* curator malorum; *Pindaro,* comes dulcis. *Euripides;* somno dulcissimum ferenti gaudium. *Item:* quietem somni dulcem. *& alibi:* ô amicum somni delinimentum, ô auxiliatorem morborum, *Orpheus in hymnis:*

ὕπνε ἄναξ μακάρων, πάντων θνητῶν τε ἀνθρώπων,
καὶ πάντων ζώων, ὅποσα τρέφει εὐρεῖα χθών.

& postea: λυσιμέριμνε κόπων ἡδεῖαν ἔχων ἀνάπαυσιν·
καὶ πάσης λύπης ἱερὸν παραμύθιον ἔρδων.

Somne rex Deorum felicium, & omnium mortalium hominum
Et animantium, quotquot latè patens nutrit tellus.
Qui liberas omni sollicitudine adferēs dulcem laborū quietem,
Sacrosanctum doloris omnis solamen.

multa huic rei Sophocles in Philoctete, & Hermes Termaximus lib. ad Tatium, in eclog. physic. Stobæi, & Lilius Deorum Syntagm. 9.

1066 Pars melior vitæ] *quia qui dormit, nihil neq; agit, neq; patitur mali.*

1067 Volucre] *plerique lib.* volucer, *melius.*

Genus Astrææ] *Astræa dicta Iustitia, quia gigantis Astræi filia, auctore Arato, cuius interpres Germanicus (huius enim verba ascribam, vt quattuor fœda menda tollam) ait, vt ego rescribo:*

Iustitia inuiolata malis placidissima virgo:
Siue illam Astræus genuit; quem fama parentem
Tradidit astrorum: seu vero intercidit æuo
Ortus fama tui; mediis te læta ferebas
Sublimis populis, nec dedignata subire
Tecta hominum, & puros mores sine crimine ——

* Fortè etiā melius, olim, pro; illum.

legas etiam paullo pòst, pro vulgatis verbis:

Tantum cùm trepidum vulgus, cœtúsque notauit
Increpitans: Patrum soboles oblita priorum
Degener *&c.*

1068 Frater d. l. mortis] *vterque enim Noctis & Erebi filius. quod confictum propter eorum similitudinem; de qua Coluthus:*

ἐπεὶ θανάτοιο συνέμπορος· εἰ γὰρ ἐτύχθη
ἄμφω, ἀναγκαίῃ ξυνήια πάντα λάχοντα,

ἔργα

ἔργα παλαιοτέροιο κασιγνήτοιο διώκειν.

Somnus morti similis est, vtpote frater eius
Simul semper incedens. ideo necesse est minorem natu
Opera & effectus fratris senioris imitari.

Lucretius lib. 4. hanc similitudinem, per effecta somni declarat;

——— sensus abit, mutatis motibus altè.
Et quoniam non est, quasi quod suffulciat artus,
Debile fit corpus, languescunt omnia membra,
Brachia palpebræque cadunt, poplitésque procubant.

Aristoteles lib. 5. de animal. hist. docet somnum medium quid esse inter mortem ipsam & vitam. Pausanias in Eliac. scribit in Cypseli tyranni monumento, fuisse simulacrum Noctis, *duos infantes gestantis, vnum nigrum, alium candidũ, cum elogio.* Mortis & somni. *Paßim ergo fratres vocantur.*

Orpheus: Qui mortis formam inducens animalia seruas.
Nam germana tibi, cum Lethe, pallida Mors est.

Homerus: Tum Mortis fratrem somnum conuenerat ipsa.

Hesiodus: aut etiam Somnum ad manus fratrem Mortis. D.

Basilius: temulentia enim Somnum quidem adducit, fratrem Mortis. *Gorgias moriens amicis:* Iam (*inquit*) somnus incipit me tradere fratri suo. 1069 Veris miscens falsa] *insomnia alia vera, alia falsa, alia semiuera.* Futuri certus & pessimus auctor] *Artemidorus lib. 1.* ὄνειρός ἐστι κίνησις ἢ πλάσις ψυχῆς πολυσχήμων, σημαντικὴ τῶν ἐσομένων ἀγαθῶν ἢ κακῶν. Somnium est motus, vel figmentum animæ multiforme, significans vel bona, vel mala futura. *hæc dicit noster aliquando verè, aliquando falsè præsignificari, & vt plurimum mendacißimè. Quare facetè impius Lucianus lib. 2. verar. narration fingit ciuitatis Somni incolas (hoc est Insomnia) perrarò vera loqui, & mendaciis vtplurimum homines circumuenire, esséque natura mendaces ac subdolos: eodem sensu Tibullus somniis pedes tribuit incertos & labundos, quales ebriorum sunt, qui officium nequeunt facere.*

Póstque venit tacitus fuluis circumdatus alis
Somnus, & incerto somnia nigra pede. *vide Troad. 437.*

1070 Pater rerum] *digestionem namq. iuuat, alit, reficit, reparat corporis vires, & sic quasi genitalis.*

Portus] *refugium.* Lucis] *laboris diurni.*

1076 Cogis disc. mortem] *Xenophon:*

Cogitate præterea nihil morti esse somno similius.

Longam mortem] *Recti ingenij iuuenis, & spei bonæ, Douza filius, pro;* morte, *reponit;* noctem *: vt mors dicatur nostro;* nox longa, *sicut Propertio & Silio Italico.*

1077 Torpore] *nam somno torpescimus. Attius Telepho:*

Iam iam stupido Thessala somno
Pectora languent senentque.

1081 Sæua feroci] *quia humor ille ater & acer, quo Hercules abundabat,*

 talia

talia somnia solet excitare, vt sanguineus placida, testibus Hippocrate & Aristotele in libris de Insomniis. accedit, quod furiosi & melancholiâ perciti flatibus abundant, à quibus immodicè concitati humores, monstruosas & confractas reddunt imagines, vt in aquâ commotâ videmus.

1090 Vento cessante tumet] *Seneca de tranquillit. vitæ ad Serenum cap. 5.* sic est quidã tremor etiam tranquilli maris, aut lacus qui ex tempestate requieuit. *& de vita breuitate ad Paulin. cap. 2.* si quando aliqua quies fortuitò contingit, veluti profundo mari; in quo, post ventũ quoque volutatio est; fluctuantur. *Statius lib. 1. Thebaid.*

——— ventis vt decertata residunt
Æquora, laxatísque diu tamen aura superstes
Immoritur velis ———

Claudian. lib. 1. in Ruffin. ——— seu murmurat alti
Impacata quies pelagi, cùm stamine fracto
Durat adhuc, sæuitque tumor, dubiúmque per æquor
Lassa recedentis fluitant vestigia venti.

ᵛ Officinam textoriã somniabant; qui curarũt edi; *stamine.* lege; *flamine.*

Ouidius lib. 2. Fastorum.

Vt solet à magno fluctus languescere flatu,
Sed tamen à vento, qui fuit, vnda tumet.

hoc noster imitatus.

1096 Insontem] *culpam furor tollit, quia libertatem arbitrij vincit, iuxta Theologos. Dionys. Halycarnass. lib. 1.* Omne peccatum inuoluntarium veniam meretur.

1114 Regina] *Moguntinens.* Regia. *hoc est, aula Plutonis. at* Regina, *hoc est, Proserpina.*

1117 Date sæua] *crudelia. at Herbipol. & Veneti;* fera.

1122 Sæuo vulnere] *Moguntin.* sæuos. *non malè.*

1123 Argiuâ palæstrâ] *palæstram à quodam Mercurij filio inuentam & nominatam, prodidit Philostratus in Imaginibus. Horatius ipsi Mercurio hanc laudem tribuit lib. 1. Od. 10. Pausanias in Attic. Theseo. erat exercitatio liberalis, iuxta illud Terentij:*

Fac periculum in literis, in palæstra, in musicis;
Quæ liberum est æquum scire adolescentem, sollertẽ dabo.

In Arcadiâ inuentam scribit Philostratus; noster vocat Argiuam *communi nomine, pro Græcâ, vt in illo:* ——— qua vecti Argiui delecti viri.

Palæstra propriè luctationem significat; sed hic, vt alias sæpè, integrum Pentathlum, seu Quinquertium; quo tota puerorum ingenuorum excercitatio constabat; nempe disci tactum, cursum, saltum, luctam, iaculationem.

1125 Scythici] *hoc ait, quia Scythæ puerulos adhuc filios sagittis assuefaciebant: ita singularem dexteritatem sibi parabant, & eâ genti suæ laudem. quare Lucanus de Parthis, Scytharum sobole, lib. 8.*

Nec puer aut senior lethales tendere neruos
Segnis, & à nullâ mors est incerta sagittâ.

Seneca epist. 36. Si in Parthiâ natus esset, arcum infans statim tenderet; si in

si in Germaniâ, protinus puer tenerum hastile vibraret; si auorum nostrorum temporibus fuisset, equitare & hostem cominus percutere didicisset. Hæc singulis disciplina gentis suæ suadet & imperat.

1124 Flectere docti] *Moguntinens.* flectere fortes, forti cæstu, Fortésque manu. *Herbipolens. & Veneti*; flectere forti, fortes cæstu, Fortésque manu. *dixi olim, quid sentiam.*

1136 Noti] *ob patris claritatem.*

1136 Visite] *etiam Moguntinens.* visere.

Reges] *Plutonem & Proserpinam.*

IN ACT. V.

Hercules, recedente furore, accedit ad malorum suorum lamentationem. ea primò fert impatienter, vsqueadeo vt vix se à sibi inferendis manibus, paternâ prece & minis deduci patiatur. tandem parcit sibi, vt patri parcat; viuit, vt ille viuat: & à Theseo purgandus Athenas deducitur.

1143 Exuit] *non malè. sed nec malum*; exiit. *nam in Mogunt.* exiuit.

1150 Tegmen] *Moguntinens.* tegimen. *& sic editio Metamorph. vetustior centum annis lib. 3. non vt recens*; tegmen.

——Tegimen cui fulua leonis Pellis erat.

1153 Abstulit] *Moguntinens.* abstrahit.

1157 Incestu] Incestare, *vitiare & corrumpere. inde*, incestus, *latè pro quouis stupro vel adulterio.*

1164 Pelopis regna] *Peloponnesum Pelopi Phrygio regnatam.*

Dardanij [*Phrygem fuisse docebo postea: tamen Apollonius lib. 2. Paphlagonem facit; Euphorion, Lydum.*

1165 Auctorem] *Basileens.* actorem.

1169 Thracis] *Diomedis.* 1168 Vindicas] *vlcisceris.*

1170 Libyæve dominos] *Athlantem, cùm hortum spoliaui; & Antæum, cùm eum in luctâ peremi.*

1180 Dominator] *Eurystheus Argiuorum tyrannus.*

1181 Pereuntis] *Lugdunens. perperam*; parentis.

1182 Per te] *sic paullo pòst.* Per sanctâ generis sacra, per ius nominis, *&c. hîc ponitur*, per, *pro vn, vt apud Virgilium*:

Per ego has lacrymas, dextrámque tuam te,
Per connubia nostra, per incœptos Hymenæos.

Vide Carisium lib. 2. & luctuosa bonis litteris morte raptum Godschalcum Steenvvyckium annotat. in Apuleium, vbi de hac formulâ.

1184 Numen secundum] *à Ioue.*

1185 Cui præda iacui] *quis arma me præsente diripuit? sic Claudian.*

——cui præda feror? Tacita] *sic Euripides.*

Tantum quidem scito malorum, reliqua amittito.

1190 Quota] *in Moguntino erat*; quanta, *sed ab aliquo positum* quota.

1192 Manus refugit] *manus refugit contactum patris. vt inf. ver.* 1318.

Hic errat] *Herbipolens.* hic erat. *vnus Venetus*; hoc erat.

1196 Quæ potuit] *Moguntinens.* non quæram manum. Quis potuit,

tuit, *&c. Basileens.* non quæro manum. quis potuit, *&c.*

1197 Vix recedentem] *magna hic diuersitas, clarâ tamen mente. quidam v. l. vt Eguianus*; vix iam cedentem. *hoc est, quem nunc irâ tumens vix ipse queo adducere. minus bene Mogunt.* vix pene cedentem. *Herbipol.* penè vix cedentem. *Veneti*; vix cedentem. *ceteri*; vix recedentem.

1199 Tacuere. nostrum est] *ideo Sophocles in Trachiniis*:

Cur tacitum te hinc proripis? silentio hoc
Fateris huius te ream esse criminis.

Euripides, Oreste:

Fatetur tacens, ego verò loquens tibi suffecero.

Apud eundem Theseus:

Ad mutos testes confugis? manifestè
Res ipsa non loquens, te indicat malum.

Apulei. Apolog. 1. Qui sedulò laboro, vt ne quid maculæ aut inhonestamenti in me admittam, videar cuiquam, si quid ex friuolis præteriero, id agnouisse potiùs, quàm contemsisse.

1205 Caspiæ] *de his montibus, qui Tauri pars sunt, consule Plinium & Strabonem.* 1206 Pontum Scythen] *Euxinum mare, in quo Symplegades. Lucanus lib. 1.* —— stringit Scythicum glaciali frigore pontum.

1208 Abruptum] *Moguntinens.* obruptum.

1213 Actis] *Moguntinens.* arctis.

Medium mare] *quatuor veteres impreßi*; *&* medium mare.

1216 Cremem] *Herbipol.* crement. *Lugdunens.* cremo. *quod amplius arridet: etsi non reijciam*; cremem, *quod in ceteris.*

1220 Sæuit] *Herbipol. & Veneti*; furit. *sed tunc claudicat versus, nisi syllabam adicias cum emendantibus*; furit. HER. O dira.

1235 O nouercales manus] *crudeles erga liberos, qualis erga me nouerca Iuno.* 1236 Errori dedit] *sic Moguntinus & prima Veneta edit. reliqua duæ cum Herbipolensi & Eguiano*; addidit. *Lugdunens.* indidit. *rectè omnes. puto germanum*; dedit. *Confirmat hanc sententiam nostri, Thucydides*: Non enim (*inquit*) inuiti læserunt, sed scientes insidiati sunt. quod autem præter voluntatem fit, id dignum est veniâ. *Æsculapius quoque ad Ammonem*: τὰ γὰρ ὑπ' ἀνθρώπων τολμώμενα, ἢ πλάνη, ἢ τόλμη, ἢ ἀνάγκη ἣν καλοῦσιν εἱμαρμένην, ἢ ἀγνοίᾳ ταῦτα πάντα παρὰ θεοῖς ἀνεύθυνα. μόνη δὲ ἡ ἀσέβεια, δίκῃ ὑποπέπτωκε. Nec hominum facinora, vel error, vel audacia, vel necessitas, quam fatum appellant, vel ignorantia: cuncta hæc apud Deos reprehensione vacant. sola impietas est quam vindicta iustitiæ vlciscitur.

1246 Altorem] *verè. Mogunt. tamen Herbip. & tres Veneti*; autorem.

1253 In toto furit] *plerique editi*; fuit. *sed Veneti*; furit, *& sic multi m. s.*

1255 A me timetur] *sic omnes libri scripti, excusique quos vidi. quare non credo*; nobis, *reponendum.*

1256 Fructum tui, tactúmque & aspectum] *sic Herbipol. duo Veneti, & Lipsiens. & Basileens.* fructúmque tui, tactum & aspectum, *primus Venet.*

Venet. & Moguntin. fructum tui, contactum & aspectum, *Lugdunens.*

1265 Peto] *assentior amico corrigenti; pete, & rectè explicanti; dele & delue inquit aspectu aliarum gloriarum vnam hãc noxam. tibimet hoc vnum crimen condona & ignosce.*

1274 Solito] *malè N.* solido.

1276 Herculem irasci veta] *iram, animumq́, tuum doma. sic Ouidius:*

Vince animos irámque tuam, qui cetera vincis.

1280 Oberrat] *versatur in pectore meo immanis iracundia, dirum reuerâ monstrum, quauis truculentius ferâ.*

1285 Mecum cremabo tota cum domibus suis Dominísque tecta, cum Deis] *Herbip. & Veneti,* cremabo aut tota cum d. s. D. tecta, cum Diis. *ceteri vt posui. nisi quod Mogunt. etiam;* Diis.

1292 Media qua] *quicquid inter terram & supremũ cælum interiacet.*

1296 Hoc Iuno telum manib. emisit] *frequens apud I. C.* telum fugisse: *& eum dicendi modum Cicero 3. de Oratore commendat. hoc telo nunc minatur Amphitryo, se sibi vitam euitaturum. Alij illud;* vox est digna genitore Herculis, *&c. ironicè dictum volunt, hoc sensu; digna scilicet verba paternis auribus, vt filio suo arma, necis instrumenta subministret. Hoc me dignius, vt quibus telis nepotes mei iacent, ijsdem nunc in meam vtar perniciem. Sed nónne hæc frigent, & iacent? Quin dicat Amphitryo; se sui memorem, quod Herculis patrem deceat dicturũ, scilicet:* Hoc en. *&c. sic enim superiùs quoq; affatur Lycum ver. 509.* Hoc munus à te genitor Alcidę, *&c.*

1301 In tuto] *quia stat mori.*

1304 Miserum, &c.] *quia iam sum miser, & animo mortem præcepi. Porrò personæ his locis variæ in libris. secutus sum plerosque, & quos rectiùs iudicaui distribuisse nomina.*

1305 Sic statue] *Ad Herculem, iam deliberata morte ferocior se conuertit: non supplicans, vt prius; sed minitans.*

1311 Ferro pectus impresso induam] *sic Lipsiens. & plerique vett. libri. Excusi pleriq;* ferrũ pectori impressum. *Caietani lib.* ferrũ pectus impress.

1310 Tarde] *hoc addit, quia multum beneficio detrahit, qui cunctatur. bis dabis, si citò dederis. Vide Senecam lib. 2. de benefic. c. 1. 2. & seqq.*

1315 Labor] *seruati parentis, & victoriæ meimet animi.*

1318 Nixus] *v. l.* nisus.

Ego] *soli Lugdunens.* ergo.

1323] Tanais] *Scythæ* Sylin *vocant, vt & Mæothin* Temerinda. *id est, matrem maris, ait Plinius. sanè Dionys. docet vocari,* μητέρα Πόντου. *veriùs tamen Scythicum nomen significare* maris finem. *plura iam de Tanai dicta.*

Nilus] *Æthiopes, teste Dionysio,* Sirin *vocant; deinde apud Syenem incipit dici,* Nilus. *fortaßis de hoc Claudianus:*

——— Siris notissimus amnis Æthiopum.

vel monosyllabâ voce; Et Sir. not. a. *Dicitur etiam* Niger *ídque significat Hebræum vocabulum, quo appellat Isaias cap. 23. Sihor* שִׁיחוֹר *: vocatur etiam*

P *cap. 2.*

cap. 2. Genes. Gibon גיחון *nam Iosephus docet esse Nilum; de cuius ortu & incremento philosophorum, historicorum, & poëtarum veterum historias prolixè commemorat Scholiastes Apollonij lib. 4. ad vers. 269. Consulendi etiam Pierius lib. 46. Hieroglyph. Ludouicus Nugarola in Dialog. de Nilo, & Francisc. Rhamnusius in epist. ad Fracastorium, ipsumq́; Fracastorium consule integro libro ei respondentem. Ex antiquis optimè disseruit de Nili origine & excrescentiâ, Aristides Orator in Ægyptiacâ tom. 3.*

1324 Tigris] *natus in loco edito, qui dicitur Elongosine, in Armeniâ maiore, Mesopotamiam amplectitur, & Euphratem cum Choaspe in sinum Persicum defert, auctore Solino. Violentum vocat, quia rapidissimus. indicat nomen Hebraicum Syro mixtum, vnicam velocitatem significans, vel etiam velocitatis acumen Genes. 2. Hidekel* חִדֶּקֶל.

Rhenus] *non Cisalpinum illud ignobile, sed Germaniæ flumen clarissimum, quod describit Dio Cassius lib. 39. histor. & Irenicus Exegeseos lib. 8. cap. 28. 29. & 30. cuius scrinia non compilabo: monebo potius valdè corruptum de hoc fluuio & aliis Sidonij carmen in Panegyr. Maioriani:*

——— rigis hunc abluit vndis
Rhenus, Arar, Rhodanus, Mosa, Matrona, Secana,
Clitis, Elaris, Arar, Vacalis, Ligerique bipenni, Ledus
Excisum per frusta bibit ———

sic vulgò in Veneti editione leguntur. emendo:

——— riguis hunc abluit vndis
Rhenus, Arar, Rhodanus, Mosa, Matrona, Sequana, Ledus,
Clitus, Elauer, Atax, Vacalos, Ligerísque * bipenni
Excisum per frusta bibit ——— Ledus, *in secundum carmen transtuli, ex fide m. s. Sidonij bibliotheca S. Victoris, quem mihi ostēdit noster Iacobus Syrmondus, cui etiam assentior;* Clitum, *esse qui vulgò,* Clanis. *cetera restitui ex coniecturâ.* riguis, *pro;* rigis, *&* Sequana, *pro* Secana; Elauar *ex Cæsare pro* Elaris, *vulgò nunc* Allier: Vacalos *posui, pro* vacalis, *vocatur etiam* Vahalis; *denique* Ligerísque *pro* Ligerique, *mox posui asteriscum, notam lacunæ cuiuspiam, nam non cohærent sequentia: & quis Ligerim vnquam sic constrictum glacie vidit, vt hauriri eius aqua nequeat?* Clitus *me monet, vt restituatur in Regis Alexandrini libro 2. Europæ tab. 7. vbi in Lugdunensi Galliâ collocatur vulgò;* Titus, *flumen. Ad Rhenum redeo. eum veteres credebant spurios infantes gurgitibus suis absorbere, legitimam sobolem innoxiam non demergere. quare recens natos accolæ in eum deferebant scuto impositos. Claudianus:* Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus. *tribuit hoc Celtis auctor Epigramm. lib. 1.* θαρσαλέοι κελτοὶ ποταμῷ, *&c. & Iulianus epist. ad Maximum, & Aristoteles in Polytic. Germanis, Galenus lib. 1.* ὑγιεινῶν, *Cæsar & Mela. nec mirum, Germani enim dicti Græcis (vt docet N. in Batauiâ, post Irenicum) Celtæ, vnde Theophilactus Rhenum* Celticum flumen, *dixit: & sic eam vocem acceperunt Nicolaus Damascenus apud Stobæum Serm. 42. multa referēs de illorum iustitiâ; & audaciam miram celebrantes Strabo lib. 7. Arrianus lib. 1. Alexandri histor. & Aristoteles*

Vide Irenicum lib. 1. Exeges. cap. 17.

teles lib.3. Ethic. ad Nicomach. quem immeritò, more gentis suæ loquentem, Genesius Sepulueda, in Comm. Polyt. reprehendit. Rhenus δίςομος est, Asinio Quadrato apud Strabonem lib.4. Melæ lib.3. Hegesippo, Panegyristæ Constantini, Tacito, Claudiano, & aliis, quia ad Drusi vsque tempora talis fuit, & ostia eius naturalia bina tantùm: Plinio & Ptolomæo τρίςομος, quoniam fossâ Drusianâ, improbo labore militum, excauatâ, & artificiali vno ostio addito, tribus iam cornibus Oceanum ferire cœpit.

1325 Tagúsve Iberâ] *De aurifero Tago dicta nonnulla: nunc de Iberis; qui partim Asiatici, partim Europæi. Priscianus, illos ab his ortos tradidit: reÿciunt nonnulli, vt testem singularem. sed solus non est. nam Dionysius Alexandrinus id docuit, & Strabo apertè lib.1. etsi alibi, propter linguæ & sermonis diuersitatem, hæsitet. Appianus quoque tres sententias refert: primam, Europæos ab Asiaticis deducentium; secundam, Asianos ab Hispanis; tertiam nihil illis præter nomen commune volentium.*

Gaza] *qui veteris Hispaniæ thesauros, auri, & argenti, nescit, peregrinus est in literis. Vide quæ ex Posidonio & aliis Strabo lib. 3. Iustinus ex Trogo lib. vlt. Panegyrista Theodosij, & alÿ.* Gaza *Persicum vocabulum, pecunias significans, auctore Stephano in γάζα. vnde &* Gazophylacij *nomen manauit, quod in domo Sacerdotum seu Leuitarum templo vicinâ, triclinium illud significat seu exhedram in qua thesauri asseruabantur, Ierem.35. & 36. Ezech.40.41.42. & alibi; aliquando etiam arcam oblatæ pecuniæ custodem; vt Lucæ 21. & Marci 12. aliquando denique locum istius arcæ, vt Ioan.8.*

1326 Mæotis] *palus Scythiæ ad Phasidis ostiũ, distincta à Bosphoro Cimmerio, & Ponto Euxino, etsi maxima flumina recipiat, hyeme tamẽ cõgelatur.*

1336 Amas] *malè apud Lugdunens.* amat.

Gratiam refer] *obuia hæc phrasis Ciceronem. falsus ergo qui solius Victoris putat, nec probam satis.* 1342 Illa te] *Euripides:*

Ergo relinque Thebas, implendæ legis gratiâ,
Nósque sequere simul ad vrbem Palladis;
Illic purgatis manibus tuis à piaculo, *&c.*

de hoc auxilio & consilio Thesei accipe ista Aristidis Orat. priore de Societate: Cùm Hercules amicum requireret, Theseus eum Athenas ductum refocillat. 1343 Facere innocentes terra quæ superos solet] *Athenis multi quidem fuere iudiciorum concessus, quos enumerant Leonicus lib.2. var. hist. cap.31. & Sigonius li.1. de repub. Atheniens. cap.3. præcipuus Areopagi; cuius vocis penultimam ex Homero, Euripide, & Suidâ corripiendam potiùs putem, quàm producendam. Nam etsi mihi aliquando id dubium, non quidem propter vulgare illud à fonte deduci; sed propter Dionys. Halycarn. auctoritatẽ, qui in Originib. disertè tradit, Latinos* pagi *vocẽ à Græcis mutuatos; vnde sic argumentabar, Latini à Græcis vocem sumsêre, Latini producunt; ergo & Græci sic olim: attamen dubitare desÿ, quia nec argumentum illud prorsus stringit, & obseruaui, sæpissimè Latinos Græca, & Græcos Hebræa, vel accentus ratione, vel ignoratione, vel quapiam aliâ de causâ, vitiosè pronunciare. In* Areópägo *igitur Mars de Halirrhotÿ cæde causam dixit,* Vide Eman. Aluarez.

 teste

teste Pausaniâ in Atticis, omniúmque iudicum calculis fuit absolutus, vt scripsère Apollodorus lib. 3. Biblioth. Dinarchus in Orat. contra Demosthenem, & Aristides in Panathenaicâ. Herculem traditur sumto Anticyraeo helleboro morbo liberatum, à nece verò filiorum Athenis expiatum etiam Sozomenus tradidit: & Menecrates, eum qui expiauit Cybalum vocat. Vidimus Furentem; spectemus & morientem in Oetâ.

COMMENT. IN HERCVLEM OETAEVM.

ARGVMENTVM.



REDIBAT ab Oechaliæ expugnatione Hercules, Iolen secum adducens, cuius amor belli suscepti causa. Non tulit thori sui violationem, & ante oculos pellicem, Deianira: sed primò quidem, furore femineo, venena & ferrum cogitat; mox, lenita à Nutrice, reuocat in memoriam Nessi Centauri consilium & donum. nam hic moriens, cruorem vngulæ inditum Deianiræ dederat, monens phyltrum efficacissimum esse, si eo vestes tingerentur. Tunicam ergo hac sanie imbutam, ad maritum transmisit. detulit Lichas comes Herculis, iam iam sacrificaturo. induit, & mox vt calor eam attigit, ardentissima febris, & æstus immodici, doloresque grauissimi inuadunt, paulatimque vis morbi, carnem & interiora absumit. Iubet ergo, dolore victus Hercules, intellecto Nessi dolo, pyram in Oethâ monte exstrui, quâ se ipsum cremet: Lycham tamen prius occidit. Deianira seipsam conficit, vt marito præmoriatur. Accurrit Alcmena & Hyllus, & adstant morienti Heroi: eiusque post obitum Alcmena cineres, Philoctetes, mercedem succensæ pyræ sagittas & arcum, refert. Tandem eiulanti matri apparet Hercules, iam Deorũ numero ascriptus. Ceterùm calidè nimis, qui totam hanc damnant; totam fremitum, tumorem, fastum esse volunt. multa in ea huiusmodi, & quæ patientem lectorem postulant: sed non pauca rursus, lectu & imitatione dignissima, multa erecta, acuta, docta,

docta, abstrusa. sed est præ ceteris mirè deprauata, nec erat tota in meo manuscripto, nec in Burdegalen. sed in Eguiano, Moguntino, & Winckeliano integra.

In act. I.

Narrat *res à se gestas Hercules, & preces sacrificaturus concipit viro forti. sed gentili accommodatas.*

1 Sator Deorum] *Valerius Soranus de eodem Ioue:*
——genitor genitrixque Deûm. *ceteris etiam poëtis*, Diuûm pater. 4 Porrigi terras vetat] *cingens & coërcens mare terram instar cinguli. dicit*; quacunque. *nam Hercules orbem peragrauit, vt pacem orbi pararet. Seneca li. 1. de benefic.* Hercules nihil sibi vicit. orbem terrarum transiuit, non concupiscendo, sed vindicãdo. Quid vinceret malorum hostis, bonorum vindex, terrarum marísque pacator?

8 Parui] *apparui. vide vers. 497.*

14 Cùm cesset] *Mogunt. Herbipol. & Venet.* cùm esset. *Eguian.* cùm cessit. *hinc natum illud*; cùm cesset: *meliùs & rectiùs coniecissent*; cõcessit. *priscum & elegans verbum; cuius sensus, planè abiit, simul cessit. Lucret. li. 4.*

Vis animæ, partimque foras eiecta recessit,
Et partim contrusa magis concessit in altum.

& lib. 1. Omnis enim locus ac spacium, quod inane vocamus,
Per medium, per non medium concedat oportet.

& lib. 5. Inque dies magis in montem succedere siluas
Cogebant, intráque locum concedere cultis.

& alius poëta de Sole exoriente:
Concessêre Deo tenebræ.

19 Hebro] *Thraciæ amnis, cui Homerus Iouem patrem tribuit cùm ceteri fluuij dicantur Oceani filij. vide vers. 623.*

20 Thermodontiæ] *Amazones propè ripas habitarunt Thermodontis; qui Themyschiræ fluuius est, in cõfiniis Cappadociæ, sexagintaquinque ostiis in mare prorũpens, teste Apollonio lib. 2. Negat Seruius trisyllabum esse: sed Græci contrarium conuincunt. nam Æschylus, Apollonius, Plutarchus, & ceteri in secundâ sede agnoscunt ω. quare censeo apud Latinos poëtas, Senecam hîc, Virgilium Æn. 11. Ouid. 2. Metamorph. Valerium lib. 4. & 5. Argonaut. expunctâ voce quadrisyllabâ, restituendam trium syllabarum.*

21 Vidi regentem fata] *Lugdunens.* silentum. *melius ceteri de Plutone*, regentem fata. *talem vocat, & fatetur Lachesis apud Claudian. in lib. de raptu. in Herc. Fur. dictus est* Mortis Dominus.

26 Taurúsque] *de quo Pausanias in Atticis:* Taurum enim Cretenses Neptuni ira immissum memorant: quòd Minos latè mari toto imperans, nihilo quàm ceteris Diis Neptuno maiorem honorem habuisset: è Cretâ verò eundem taurum in Peloponnesum traiecisse, vnúmque fuisse de XII. Herculis laboribus.

27 Infestum] *Moguntinens.* infesta.

29 Fusum dextera] *Mogunt.* fusum est dextera.

30 Iratis Diis] *omnia, vbiuis locorum genita, monstra necauimus. frustrà Dij irati mala hæc populis immittebant: nam nos sustulimus. frustrà irascebantur: minas eorum & flagella discußimus. Quare, si orbis nullas feras audet amplius producere; ipsaq; Iuno incassum sæuit, nec vllo mihi pacto placari vult: quid est (genitor) cur vltra cælum conferre differs? quin potiùs filio, vt hereditatem; forti viro, vt præmium, astra largiris? digna mercede, virtus: dignus paternis bonis, gnatus.*

36 Inuadet mala] *languidum certè, nec aptum sententiæ. sed nec illud quod reponunt versui satis accommodum. fugit tragœdia, noster maximè, quinctâ in sede iambum: ne versus præcipitet. ego censeo;* inuideat mala, *legendum. non tamen planè hoc arridet, & suspicor quid aliud ab auctore scriptum.* 39 Redegi] *Eguianus lib.* recepi.

40 Scythicæ] *Herbipol. & Venet.* Scythiæ. *cetera vt reliqui libri ad vnum omnes, quibus Arctoi populi vocantur genus Scythicæ vrsæ. hoc ordine, hac mente. Meas experti vires, populi sub vrsâ nati, me Indus subditus Soli, & Afer subditus Cancro. aptior quidem illa coniectura,* frigidũ Scythes genus. *sed coniectura tantùm, contra fidem librorum.*

46 Defecit gradum] *magis hoc antiquitatem redolet, quàm* gradu. *iccirco manum abstinui.*

51 Quacunque] *Mogunt.* quamcunque.

59 Leue est] est, *non est in Moguntinens.*

61 O quanta] *consentit vers. 1793. vbi nos nonnulla.*

69 Annum fugatæ] *vide Thyest. chor. 4.*

70 Cælo iubam] *malè Lugdun.* collo. *quâ quæso parte, nisi collo? at mirum: quod in cælo.* 71 Trahit] *haurit, bibit.*

79 Irata] *soli Lugdunens.* iurata.

80 Siculus Hesperium latus] *Sicilia tribus promontoriis in mare excurrens, litteræ Δ. effigiem præbet. ea sunt Pachynus, Pelorus, Lylibæum. de quibus paßim Græci, Polybius, Diodorus, Strabo, Dionysius Stephanus, & Latini, Mela, Marcianus, Plinius, Silius, Claudianus; ex quibus discant scribendum in recto* Pelorus *&* Pachynus, *non* Pelorum, Pachynum. *Iunimus autem hos versus Senecæ aptâ dispunctione, & puto, iis quæ dixi in aduersar. intricata, inepta esse omnia desiisse. si cui non probatur leuis illa mutatio ex;* iam, *in* cum; *is Lugdunens. & nonnullos alios sequatur, qui;* & vna iam tellus erit. *Sanè non nego, N. valde hæc deprauasse. Similis huic loco alius in lib. de consolat. ad Martiam:* Videbis primùm ipsam insulam, ab Italiâ, angusto intercisam freto; quam continenti quondam cohæsisse constat. subitum illô mare irrupit, & Hesperium Siculo latus abscidit.

82 Iungi iubes] *Venet. vnus;* debes. *Herbipol.* debet.

93 Serpente] *Pythone, quem præter suprà laudatos etiam Tertullianus,* Delphinem *vocauit, & sunt qui hinc Apollinem* Delphinium *dictum censent. vide Iulian. Aurelium lib. 1. de cognominib. Deor. cap. 4.*

96 Gor-

96 Gorgon] *Medusa.* 100 Præfer] *Mogunt. & vett. excusi;* perfer.

102 Cenoei Iouis] *dissentit ab aliis Scholiastes Sophoclis tradens tum demum templum Cenoeo Ioui ab Hercule erectum: cùm tamen ipse Sophocles significet iam prius ædificatum. Ouid. 9. Metamorph.*

Victor ab Oechaliâ Cenæo sacra parabat
Vota Ioui ———

Sophocles, in Trachiniis:

——— est litus Euboici sinus
Aras ibi statuit odoratísque Cenæi Iouis
Incensa faciet frugibus ——— *Æschylus:*
Euboicum flexum iuxta Cenæi Iouis litus,
Apud ipsum miseri Lichæ sepulcrum.

113 Astro] *Arturo, vt dixi, & sic mei lib. scripti: aliorum,* Austro. *atq; ita Veneti & Herbipol.*

In chorvm.

Plangit Iole patriæ excidium, affectuum internecionem, suam seruitutem: dominam iuuant comites captiuæ, quas ab Oechaliâ adduxerat Hercules.

104 Ille] *Mog.* iste. 108 Puppem] *cymbam Charontis. vitam finiuit.*

110 Ferculum] *hoc est, non ducetur captiuus in triumpho. ait* Ferculum pompæ. *fercula namque pomparum propria. Cicero,* vt similes pomparum ferculis videamur. *D. Ambrosius lib. 1. de officiis;* quasi quædam fercula pomparum. *Ferculum ergo idem quod gestamen pompaticum: vt in illo Cantic. 3.* Ferculum fecit sibi Salomon. *hoc est, gestatorium tentorium in quo thronus Regius.* φορεῖον *Septuag. in Heb.* אַפִּרְיוֹן *apirlon. Chaldaic. Thargum* templum sanctuarij, *alij vertunt* ædificium, *vt Pagnin. alij* tentorium, *alij* lectum *vel* thalamũ, *vt Agathius, & D. Ambros. optimè nostra versio* ferculum; *pessimè heretici;* essedum, *Angliam somniantes. sic etiam pompam vsurpauit Prudentius:*

Fertur per medias vt publica pompa plateas.


D. Isidorus lib. 17. Origin. cap. 2. Pompa dicta Græcâ significatione, ἀπὸ τοῦ πομπεύειν, hoc est publicè ostentare. *Videtur Seneca allusisse ad illud Paulli Æmilij dictum, qui miserè deprecanti se Perseo, ne in triumphum duceretur, respondit: hoc quidem & prius & tunc eius in potestate situm, si mortem turpitudini præferret:* τοῦτό γε, καὶ πρότερον ἦν ἐπ' αὐτῷ καὶ νῦν ἐστιν, ἂν βούληται· δηλῶν τὸν πρὸ αἰσχύνης θάνατον.

111 Nunquam est ille miser cui facile est mori] *nam supplicij & pœnæ euasionem confestim cum morte paciscatur. præstat citò emori, quàm lentè diu cruciari. multis tamen contrariũ persuadet dirus amor vitæ, vt C. Cilnio Mecænati, cuius versus refert & grauissimè insectatur Seneca epist. 102.*

112 Decipiat] *nempe destituens fracta vel hians.*

114 Cùm mare diuidunt] *suspicor alicunde hæc irrepsisse. Sensus tamen; cùm victores venti Eurus & Africus, mare scindunt, eiusq; sibi dominium vindicant. Eurus ab Oriente in Occidentem tendit, alter a Meridie in*

Septentrionem; ita simul flantes, vnus decussatim, scamnatim alter, iuxta quorundam positionem hoc pacto mare scindunt. Sed vt semel hi flatus intelligantur, notanda hæc descriptio ventorum Aristotelea, ceteris melior, & accuratior, & aptior poëtis explicandis: alij Geographi Eurum Zephyro, &



Argestem Apellioti scamnatim opponunt. vide Strabonem lib. 1. Notandum verò sæpe à poëtis collaterales ventos pro præcipuis poni, vt hic suspicor. nam Seneca contrarios simul flare non refugit in poësi, quare tunc Eurus pro Subsolano, & Africus pro noto accipi deberet, & mare diuiderent in crucis formam ✠. *si propriè; tunc vt dixi. De ventis olim scripserant Bion astrologus, Eratosthenes, Posidonius, Timosthenes, & Thrasyalces; qui omnes interierunt. nunc vide Aristot. lib. 2. Meteor. & de mundo ad Alex. Senecam lib. 5. nat. quæst. Plinium lib. 2. cap. 46. Stobæum lib. 1. eclog. Phys.*

116 Speret] *Mogunt.* sperat, *& seqq. duobus versib.*; potuit, *pro* poterit.

Æquore] *æquor propriè ipsa maris planicies. Vetus poëta apud Victorinū:*

Mare non amo, quod modo placido cùm stetit æquore, litora cædit.

122 Felices] *idem in Troade dicit Hecuba.*

126 Dolops] *Thessaliæ populi Dolopes. Schol. Apollonij:* Δόλοπες γὰρ ἔθνος Θεσσαλίας. *dictos à Dolope quodam Mercurij filio refert Cleon lib. 1. Argonaut.* 127 Oechaliæ] *Oechaliæ plures, Eustathio quinque, hic de Eubœa, quæ dicta Euryti. vide Strabonem lib. 10.*

Cinis] *sic suprà:* Ophionius cinis. *Claudianus:* Mygdonij cineres. *P. Sabinus:* Iam cinis & tantum flebile Troia solum.

Porrò

Porrò verum quæ paullo antè : Stamus, nec patriæ mænibus (heu) locus Et filuis dabitur. *totus locus corruptus est. in vet. edit.* nunc *pro*; nec. *sententia esse debet ista*; *stamus, nec cum cadente patriâ cadere licuit. nec tamen relictus locus vllus recidiuis patriæ mænibus. inculta omnia & sola; siluis succrescentibus cessura, non ciuibus. quare pro*, & filuis *malo*, fed filuis.

129 Indocta fistula] calamo agresti, *vt ait Virgilius. pastoritiam fistulam Tibullus*, garrulam; *alij* stridulam *vocant*; *à Græcis* σύριγξ *propter sibilum*; *ex cicutis, auenis, calamis, vel arundinibus conficiebatur, singulis primò tubulis, mox binis, tandem septenis cohærentibus, & conglutinatis cerâ & lino vel setis: ita, vt quâ ori inferebantur, æquales essent; quâ sonus & spiritus efferebatur, alæ instar, inæquales. ita Scalig. art. poët. lib. 4. Porrò delicias & curas pastoritias describens eleganter elegantißimus Nazianzenus, nec fistulam, nec cantilationem omisit; in Apologet. quo loco Elias Scholiast. fistulam scribit oblongam & concauam esse tibiam; quam cùm pastores ex calamis aptarint, ac deinde inflarint in eas, pastorale carmen modulãtur; amatorium, vel sibi ipsis, vel bobus aut pecudibus. Nam & cantus esse quosdam qui bruta animantia ad Venerem excitent; quorum vnum ab incitandis equis* ἱπποθορον *appellent. hæc ille.*

131 Sæcula] *Varro* : Sæculum fpacium centum annorum vocarunt, à fene, quod longiffimum fpatium fenefcendorum hominum id putarunt. *lib. 5. de ling. Lat. Censorinus, de die Natali, postquam sæculum definiuit esse* fpatium vitæ humanæ longiffimum, partu & morte definitum. *primò reprehendit eos, qui sæculum putant esse spacium annorum triginta; hoc enim ex Heracliti & Zenonis sententiâ* γενεὰν *potiùs esse. mox subiungit ex sententiâ Heracliti annos* XXV. *esse* γενεὰν: *& subdit in singulis ciuitatibus variam fuisse sæculi mensuram, & confirmat ex Ritualibus Hetruscorum. concludit denique, maiores, quòd, naturâ quantum esset sæculum, exploratum non haberent, ad certum modulum annorũ centum statuisse, eamq; Pisonis in Annalibus sententiam fuisse. Equidem apud Senecam epist. 75. in fine sæculum pro spatio quinquaginta annorũ deprehendi: quo modo in diuinâ scripturâ sumi docet D. Isidorus lib. 5. Orig. c. de seculis, vbi addit à sequendo dici seculũ, ex monophthongo é, factâ æ diphthõgo, vt prior licitè producatur.*

132 Quæretur patriæ quis fuer. locus] *ante non multos annos situs Oechaliæ ignorabitur. elegans euersæ vrbis descriptio; quâ vsus Seneca epist. 72. & Tertullianus in lib. de pallio.*

135 Trachyna] *vocat*, faxa rigentia, *& infr. aspera* Trachyn. *& etymum Græcum id sonat: & Cynethon testatur, vrbem fuisse ab Hercule conditam in aspero & saxoso solo, post dicta Heraclea. Plinius lib. 4. cap. 8.*

137 Montiuago] *frequens nostro & Lucretio vocula.*

140 Dircæa mœnia] *Thebas Boeotiæ, à fonte Dirce sic dictas.*

Fugit] *vera lectio, quæ in Basileens. margine excusa*; fluit. *nam Ismenus languidus opponitur Iaccho volucri; fugit hic, ille fluit.*

143 Quæ cautes] *Æschylus* :

Ferreum & lapideum cor coërcens.

Homerus Iliad. π'. *idem dicendi genus vsurpat. & Tibullus Eleg.4.lib.3.*

Nam te nec vasti genuerunt æquora Ponti;
Nec flammas voluens ore Chymæra fero;
Nec canis anguineâ redimitus terga cathenâ,
Cui tres sunt linguæ tergeminúmque caput;
Scylláque virgineam canibus succincta figuram:
Nec te conceptum sæua leæna tulit;
Barbara nec Scythiæ tellus horrendáve Syrtis.

Propertius lib.1. Eleg. 17.

Sit licet & saxo potentior illa Sicano,
Sit licet & ferro durior & chalybe.

Ouidius in epist. Didus:

Te latus & montes innatáque rupibus altis
Robora, te sæuæ progenuêre feræ,
Aut mare ——— *& in epist. Ariadnæ:*
Nec pater est Ægeus, nec tu Pytheidos Æthræ
Filius, auctores saxa fretúmque tibi.

144 Titana] *Vsurpatur hoc nomen pro robustis, & fortibus, & inexpugnabilibus, etiam in Cantico Iudith*: Non enim cecidit potens eorum à iuuenibus, nec filij Titan percusserunt eum, nec excelsi Gigantes imposuerunt se illi. *vbi Græci*: οὐδὲ υἱοὶ τιτάνων ἐπάταξαν αὐτὸν, οὐδὲ ὑψηλοὶ γίγαντες ἐπέθεντο αὐτῷ. *Athenagoras horum nobis Genealogiam & etymum præbet in legatione*: ἦν γὰρ ὕδωρ ἀρχὴ κατ' αὐτὸν τοῖς ὅλοις, ἀπὸ δὲ τοῦ ὕδατος ἰλὺς κατέςι, ἐκ δὲ ἑκατέρων ἐγεννήθη ζῶον δράκων, προσπεφυκῦαν ἔχων κεφαλὴν λέοντος, διὰ μέσου δὲ αὐτῶν θεοῦ πρόσωπον, ὄνομα Ηρακλῆς, καὶ Χρόνος· οὗτος ὁ Ηρακλῆς ἐγέννησεν ὑπερ μέγεθες ὠὸν, ὃ συμπληρούμενον ὑπὸ βίας τοὺς γεγεννηκότος ἐκ παρατριβῆς εἰς δύο ἐῤῥάγη. Τὸ μὲν οὖν κατὰ κορυφὴν αὐτοῦ, οὐρανὸς εἶναι ἐτελέσθη· τὸ δὲ κατενεχθὲν, γῆ· προῆλθε δὲ καὶ θεὸς Γῆ διὰ σώματος· Οὐρανὸς δὲ Γῇ μιχθεὶς, γεννᾷ θηλείας μὲν, Κλωθώ, Λάχεσιν, Ἄτροπον· ἄνδρας δὲ ἑκατηχείρας, Κόττην, Γύγην (*sic lege*) Βριάρεων καὶ Κύκλωπας, Βρόντην, καὶ Στερόπην, καὶ Ἄργον. οὓς καὶ δήσας κατεταρτάρωσεν, ἐκ πεσεῖσθαι αὐτὸν ὑπὸ τῶν παίδων τῆς ἀρχῆς μαθών. διο καὶ ὀργισθεῖσα ἡ γῆ τοὺς Τίτανας ἐγέννησε Κούρους δ' Οὐρανίωνας ἐγείνατο πότνια Γαῖα οὓς δὲ καὶ Τιτῆνας, ἐπίκλησιν καλέουσιν Οὕνεκα τισάσθην μέγαν οὐρανὸν ἀςερόεντα. Fuit enim aqua secundùm ipsum principium omnium. ab aquâ subsidente creata est Ilys. his parentibus ortum est animal draco, cui adnatum erat caput leonis, corpus verò medium continebat faciem Dei, Herculis aut Chroni dicti. ab Hercule natum est ouum immensæ magnitudinis, quod dum fouetur, vim passum ex attritione à suo parente, in duas partes dissiliit, & superior quidem, in Cæli formam perfecta est; inferior verò delapsa, terram constituit. Itaque terra iam integro corpore, iamque dea prodiit. Huic mistus est Cęlus, & genuit ex eâ feminas, Clotho, Lachesin, Atropon; mares verò, centimanos Cottum, Gygen, Briareum, & Cyclopes, Brontem, Steropem, Argum.

quos

quos etiam vinctos in Tartarum præcipitauit, cùm se regno pellendum à filiis intellexisset. quamobrem irata ei terra Titanes peperit:

Tum tellus peperit cælestes Vraniones, Quos & Titanes alij cognomine dicunt, Quod cæli fuerint vltores stellimicantis.

quam de ouo fabulam, ex quo cælum & terra idem mendacij Pater multis in America persuaserat.

Ferunt] *sic in Lipsiens. lib. & aliis nonnullis rectè. Lugdunens. & plerique*: Titana ferum te Rhodope tulit. *quasi Titanes Rhodopeij.*

149 Commisitque] *continuatis nullo die intermedio noctibus, loco Luciferi, qui mane debebat oriri, mansit Hesperus dux noctis, eius vices fungens. loquitur quasi de diuersis stellis, cùm vna sit, pro diuersis functionibus diuersa nomina sortita. dicerent Scotistæ: Luciferum differre ab Hespero non realiter, sed formaliter.*

151 Monstra] *quæ hæc*; peruia monstra? *nulla, nulla prorsus. quare ante triennium Burdigalæ degens ex coniecturâ reponebam*; membra. *neque magno aut claro ingenij Sole, in re tam clarâ fuit opus. quis non videat, hoc velle; nullam Herculei corporis partem sauciari posse? Sed bene sit libro, qui idipsum, vt Lipsius testatur, confirmat.*

152 Sensit] *ex manusc. iam pridem recensui*; sentit.

Chalybs] *non distincta metalli species, vt peruersè quidam, sed ferri, purioris, sincerioris, & durioris species, certa quadam temperaturâ constans; nonnihil vt puto diuersum à ϛόμωμα, quod ipsum quoque certâ ferri temperatura est, iuxta Aristotelem lib. 4. Meteor. etsi Daimachus apud Eustathium putet stomomatis speciem esse chalybem vtilissimam fabrilibus operibus. Chalybs Damasci præstat omnibus, Hispaniensem laudat Iustinus lib. 43. & nomen deducit à Chalybe fluuio propè Bilbilim, & accolas ait Chalybas vocari, quo nomine etiam alij sunt Scythiæ populi, vberi ferro nobiles; quas nationes optat perire Callimachus apud Scholiast. Apollonij in lib. 1. ver. 1323. & lib. 2. vers. 375. & quia non vno loco chalybes, ideo Catullus, ex Politiani emendatione*; Chalybum omne genus pereat. *Chalybs dici videtur ab Hebræo chalamisch* חַלָּמִישׁ, *si vera, quæ Forerius tradit ad cap. 50. Isaiæ. quo tamen loco D. Hieronymus maluit* petram *cum Septuaginta reddere.* Vide Magium lib. 2. Miscellan. cap. 1.

156 Poterant] *Moguntinens. & veteres excusi sic habent; alij*, poterunt. *vtrumque recipi potest.*

159 Suppositus] *Herbipolens. & Veneti*; supponitur.

160 Vicino Nabatæ] *Dionys. & alij Græci sine aspiratione ναβαταῖοι. Tamen quia & hæc vox ab Hebræis manauit, dicti enim Nabathæ à Nebaioth seu Nabaioth* נְבָיוֹת *filio Ismaëlis Genes. 25. & tota regio ab Euphrate vsque ad mare rubrum, magna scilicet Arabiæ portio, Nabaioth seu Nabathena.* נְבָיוֹת *Isaiæ 60. non vereor non sequi Græcos, & consuetudinem vulgatam retinere. Porrò cùm ad Euphratem vsque Nabathæi se porrigant, merito illis vicinos dixit Parthos. Moguntin.* vicinus. *non muto.* Vide D. Hier. in Tradition. Hebraic. in Genes.

165 Patuit] *sic Moguntin. & sic repos. N. sed meliùs ceteri vulgati & excusi*; potuit. *mortis, inquit, vicem habet, iracundum Herculis vultum vidisse.*

vidisse. vt enim quis videt, perit. nec opus est ad victoriam magnis sudoribus, minari sufficit. verba eius debellant, quos vix aliorum arma & verbera. ideo subiungit. nil superest mali. Iratum miseræ vidimus Herculem.

Et vicisse] *placet magis v.l. in quo;* & vidisse sat est H. minas.

167 Briareus] *Cæli & Terræ F. Hesiodo, Ponti & Terræ Eumelo; & si eidem Eumelo, Cononi, Virgilio, Papinio, Claudiano & Seneca credimus, Ioui vnâ cum reliquis Gigantibus bellum intulit: iuxta Homerum verò, Valerium Flaccum, & alios, à Thetide persuasus, è Ponto in cælum ascendit, vt Ioui, contra Neptunum & coniuratos Apollinem, Iunonem, & Palladem, iret suppetias. Homerus à superis Briareum, à mortalibus Aegæona vocari testatur. eius frater Gyges, de quo statim. Vide Pierium mysticè hæc explicãtem lib. 35. Hieroglyph. Porrò pro;* quo, *bis in hoc carmine, ceteri ferè codices;* qui v.B. qui t.G. *sed Georgius maluit;* quo, *& non desunt m.s. qui habent;* quo. *& sententiâ non incommodâ; Quid mirum, inquit, nos victas irato Herculis aspectu, timidas mulierculas; quo aspectu ipsimet Briareus, eiusq́ frater Gyges præ metu obriguerunt, quando vidêre Gigantes, socios suos, in Phlegrâ superantem.*

170 Commoda cladibus] *Vide Agamemn. chor. 1.*

173 Templa] *direptæ vrbis descriptio pulcra Meleagri exstat apud Aristotelem lib. 1. Rhetor. cap. 7.*

184 Sipyli] *Æschylus:* Sipylum Idæam prope terram. *his autem duabus comparationibus vtitur, sed aliter, Statius lib. 5. Siluar. Vide Agamemn. versu 675.*

185 Figat] *suspicatus fui olim scribendum;* figite. *idq́ eo nunc demagis, quia Lipsiens. liber scriptus habet;* fingite.

186 Eridani] *Padi notissimus amnis, Italiæ fluuiorum rex: cuius in ripis sorores Phaëtontis casum deflere creduntur: est & alius Eridanus Atticæ, teste Pausan. in Att.*

187 Phaetontiadum] *Phaëtontis sorores iuxta plerosque tres; septem, iuxta Higyn. cap. 154.; dum immodicè fratrem lugent, in populos vel alnos conuersæ electri guttas lacrymantur. ita post Pherecydem & Hesiodum Apollonius li. 4. & Q. Smyrnæus lib. 5. Philostratus in Imagin. Virg. Aeneid.* 10. *& Ouidius Metamorph. 2. Iuuenalis Sat. 5. pocula ex electro vocat* Heliadum crustas. *vbi licet Glossæ vett. legerint* Beliadum, *nihil mutem. Dionysius etiam de Eridano agens, scribit nocturno tẽpore Heliades mæstis querelis Phaëtontem fratrem suum plãxisse; & inde fieri vt ibidem accolæ Celtæ auricolaris electra legãt, lacrymarum in morem, à populeis ramis defluentia.*

Ἡλιάδες κώκυσαν ὀδυρόμεναι Φαέθοντα,
κεῖθι δὲ κελτῶν παῖδες ὑφήμενοι αἰγείροισι
δάκρυ ἀμέργονται χρυσαυγέος ἠλέκτροιο.

Priscianus: Hîc electra legunt alnis stillantia Celtæ,
Sucina quæ memorant, mellis viníve colore;
Quæ paleas rapiunt tractu, frondésque caducas.

Addit paullo post apud Aldesci & Panticapæ flumina, ex Riphæis nata, ele-

ctrum

ctrum candidißimum, nitidißimumq́. gigni. Strabo lib. 3. scribit in Hispania Electrum fieri solere: nam auro effosso, & aluminosâ terrâ abluto, id quod tunc purgando reÿcitur, electrum esse, ex auri argentiq́. mixturâ conflatum. vnde Silius: Electri gemino pollent de semine venæ. Gemino, *auri argentiq́.. His ergo, metalli species partim natiua, partim artificiosa, & de hoc electro apud Virgilium atque alios quoque mentio. hîc de succino; de quo commentitiâ multa refert Plinius lib. vlt. cap. 2. Verùm, quod scribunt Tacitus in Commentar. de Morib. Germanorum; Germaniæ proprium esse, glessum & succinum vocari, & inter maris eiectamenta numerari: cui consentit Plinius & Caßiodorus lib. 5. variar. epist. 2. ÿ quoque qui Phaëtontiadum fabulam refellunt, Lucianus in Dialog. Deorum in Dial. Iouis & Apollinis, in lib. de electro vel cygnis, & in lib. de astrologiâ, Sidonius lib. 1. epist. 5. Strabo lib. 5. Scalig. de Subtilitate contra Cardanum, & fusè Fran. Irenicus lib. 7. Exeges. à cap. 2. vsque ad 8. Noua quædam & rara de succino suggerit Lud. Guicciardinus in vltimâ editione descriptionis Belgicæ: videndus etiam de Eridano & Phaëtontis sororibus Goropius in vlt. lib. Origin.*

194 Aspera Trachyn] *talis re, & nomine. nam Glossar.* τραχὼν, ὁ πετρώδης τόπος. *sentes, cautes.*

195 Cyprias] *Myrrha, Cinaræ Regis Cypri filia, ex ignari incestu patris prægnas; vbi resciuit pater, vix manus eius fugâ euasit, in Arabia quoddam arbustum conuersa; è cuius biante cortice Adonis natus. sacrum Veneri arbustum* myrrham *sudat, inde dicitur retinere lacrymas Cyprias.*

196 Coniux] *Alcyone, Ceycis regis Trasciniæ vxor, propter mariti naufragium, dolore victa, se in mare abiecit, & in Alcyonem auem abiit. Ouidius 11. Metam. & Lucian. in huius nominis Dialogo. plura in Agamemn.*

197 Tantalis] *Niobe.* Sibi superstes] *sic vtuntur Plautus & Terent.*

199 Philomela] *Procnen conuersam in lusciniam volunt plerique. Homerus:*

Sicuti autem quando Pandarei filia Chloreis luscinia
Bene canit vere recens orto
Arborum in foliis sedens densis;
Quæ frequenter vertens fundit personantem vocem,
Filium lugens Itylum dilectum.

Tzetzes: Dij verò illas
In aues transformarunt, Procnen in lusciniam,
Philomelam verò rursus in hirundinem.

Aristophanis Scholiastes: Procne in lusciniam, Philomela autem in hirundinem mutata fuit. *Idem tradit auctor Rhesi cho. 3. & sic accipit quædam Ouidÿ, Horatÿ, Catulli Pierius. Ouidius:*

Sola virum non vlta prius mœstissima mater
Concinit Ismarium Daulias ales Ityn.

Horat. Nidum ponit Ityn flebiliter gemens
Infelix auis, & Cecropiæ domus
Æternum opprobrium; quòd malè barbaras
Regum est vlta libidines.

Catullus: Qualia, sub densis ramorum concinit vmbris
Daulias, absumti fata gemens Ityli.

Sed Catulli locus non multum, Horatij nihil omnino, ad id confert, cui Pinrius adducit. tam de Procne, quàm Philomelâ; tam de hirundine, quàm lusciniâ, potest intelligi: hirundo magis veris nuncia, prouerbio vulgari & experientiâ. ideo potiùs Horatius innuit Ityli matrem in hirundinem cõuersam, non tamen exprimit Philomeláne an Procne mater. Sed idem quod Ouidius, Homerus & alij, censuit, apud Aristotelem lib. 3. Rhetor., Gorgias; qui ab hirundine superuolitante, quod Tobias, minore incommodo, passus, exclamauit; αἰσχρόνγε ὦ Φιλομῆλα. turpe hoc quidem ô Philomela. *& Varro lib. de Ling. Lat.* Luscinia, quòd luctuosè canere existimatur, atque esse ex Atticâ Progne in luctu facta auis. *idem tenent Ioan. Grammaticus Schol. in Hesiodum, & Apollodorus li. 3. Bibl. & Pausan. in Att. qui propter auium istarum flebilem cantum fabulam confictam putat; quam tamen reijcit Plato in Phædone.* 205 Querulo-questus] *ludit vocabulo.*

214 Thoxeu] *Moguntinens.* Theseu, *sed inter lineas*; Toxeu. *& hoc verum fratris Ioles nomen.* Colos] *hoc enim ancillæ officium, iuxta Plautum, texere, molere, ligna cædere, pensum facere, ædes verrere, &c.*

219 Pro sæpe dolor *&c.*] *olim monui*; sæue, *legi in m. s. amplector nunc etiam*; decor, *quod Lipsius ex suis. itaq. ait* sæuum decorem, *quia sibi, quam decorabat, vitam videatur ademturus. itaque Sophocles:*

—— formæ decus, cùm intensiùs considero,
Quæ miseræ ademit vitam.

221 Cuncta domus] *alludit ad causam, quam ex Higyno ascripsi in Aduersar. Pausanias tamen in Corinth. scribit Eurytum aliam ob causam ab Hercule in Isthmiis interfectum.*

228 Patiens quisquis] *quicumque æquo fert animo, se ex regni culmine, in seruitutem decidisse, & vultum fortunæ scit adaptare. variè autem hæc leguntur in lib. Lipsiens. vt exhibui, atq. ita quidem scripti. Lugdunenses:*

Patiens quisquis nouit famulum
Regemque pati, vultúsque suos
Variare potest, pepulit vires
Pondúsque mali: nec seruit inops,
Casus animo qui tulit æquo.

Moguntinens.

Felix quisquis nouit fam.
Regémque pati vultúsque suos
Variare potest:
Patiens quisquis nouit famulum
Regémque pati, pepulit vires
Pondúsque mali casus animo qui tulit æquo.

Herbipol. & Veneti.

Patiens quis no. fam.
Regémque pa. vul. suos variare potest,

Pepu-

Pepulit vires, pond. mali, casus animo
Qui tulit æquo.

Basileens. Pat.q.n.f. R p.vires pepulit Pond.m.c.a. Qui tulit æquo. *Quare illud;* nec seruit inops, *delendũ.nec ad rẽ,quod de inopia suggeritur.*

Qui tulit] *hoc est, quia tulit.*

In act. II.

Describitur vis zelotypiæ in Deianirâ:mittitur Herculi venenata vestis per Licham.

233 O quàm] *dictum de hac re Med. vers.581.*

238 Innubis dies] innubilus, *Lucretio & Ouidio.*

241 Armento] *non dubitandum quin rectiùs;* Armeniâ:*sed in meis libris omnibus;* armento, *& sic omnes excusi, etiam Marmitæ. quis ergo primus peruersè mutauit? quibus in libris erat aliter? Scibam in margine Lugdunensium haberi;* Armeniâ: *scibam sic Badium emendasse omnium primum; sed nesciebam ex coniectura, an ex codicibus. quare fuit religio mutare, quod vbique inueniebam.*

246 Lymphata] *lymphatus,qui mente abalienatâ furere cœpit:* Romani (*inquit Nonius*) ceritos vel laruatos vocarunt, quòd Cereris aut Laruarum incursione animo vexarẽtur. *Græcus νυμφόληπται, Latini L.ex N. fecerunt.* Lymphatos enim (*Varro ait*) quasi Nympharum spiritu correptos. *scilicet credebant Nymphas iratas, si conspicerentur, perpetuò hominem furore multare, vt docent Festus* in lymphæ, *& Hesychius in νυμφόληπτοι: quare,vt refert Scholiastes, à Theocrito δειναὶ θεαὶ,* potentes diuæ *dicuntur. vnde* lymphationes *morbi, de quibus Plinius lib.25.cap.5.lib.28. cap.16.lib.34 cap.15.li.37.cap.3.& 4.vbi interpretatur,* vanos metus. *lib. tamen 30.cap.10.non obscurè distinxit lymphatos, ab iis qui à nocturnis Diis Faunisq́; agitantur, hoc est, à vexatis vano metu, seu Panico terrore; de quo Polyænus lib.1.Stratagem. Politianus Miscellan.cap.28.& Adag.* Panicus casus. *ex his fit manifestum cur Ouidius lib. 4. Fastor. cecinerit:*

Nec Dryadas, nec nos videamus labra Dianæ,
Nec Faunum medio, cùm premit arua die.

Peccant, qui lymphationẽ *cum* hydrophobiâ *confundunt; hæc enim aquæ simul cupiditatem & fugam generat. de quâ Dioscorides lib. 7. cap. 2. Cornel.Celsus lib.5. & Gorrhæus in Definitionib.medicis. A* lymphatiõne; *dictum,* lymphare *apud Plinium lib.24.cap.17.& Valer. Flaccum lib.3.*

254 Sonuere postes] *apud Censorinum, quidam:*

Quis repens semipulsus onere grauifores strepitu terrent?

Granius; Peliadibus; Sonat impulsu (*hoc malo quàm impulsa*)
Regia cardo. *Plutarchus in Poplicolâ:*

Præterea cùm eo tempore ędium fores omnes introrsum ductæ aperirentur, fecerunt vt huius solius ianua foras propelleretur: nimirũ quod is (vt erat eius honoris dono indicatum) semper reipub. curam gereret. Grẹcorum ianuas omnes olim solitas forâs reiici tradunt, testimonio à

comœ-

comœdiis ſumto: ibi enim foras prodituri, intus oſtium pulſant, vt qui ad domum accedunt, aut aſtant, ſtrepitu exaudito, caueant ſibi ne lædantur à foribus in vicum deiectis. *quod teſtatur etiam Dionyſ. Halycarn. lib. 5. Antiq. qui in nomine Poplicolæ primi cos. cum Plutarcho cenſet*, Marcum *dictũ. Vide Alexand. ab Alex. lib. 5. Genial. cap. 24. Muretũ lib. 1. var. cap. 17. & Turnebum lib. 4. Aduerſ. cap. 16. & lib. 11. cap. 12. vbi docet ex hoc more Athenienſibus ſolemne, cùm exirent, ψοφεῖν; cùm ingrederentur domum, κόπτειν; & illud ſignificari, quando oſtium dicitur* concrepuiſſe; *hoc verò, quando* pultari. *addo ad vtrumque promiſcuè referri, quando legimus valuas, cardinem aut oſtium* ſonere, ſtridere, percuti, *vel* impelli, *& ex adiunctis colligendum de ingreſſu an egreſſu ſit ſermo.*

264 Poſſit] *ſic N. cùm legeretur*; poſſum. *at ego mallem*; poſſim.

270 Accipe] *vtere me, in Herculem, vt telo miſſili.*

271 Ego ſum nouerca] *liberis, quos iam ex pellice Hercules.*

272 Perfer manus] *ſic Lugdun. & quidam alij, ceteri*; profer.

273 Quod iubes, fiat] *ſic N. Lugdunenſ.* quod iubes, fiet nefas. *non ſequor Moguntinenſ. lectionem, retentam ab Herbipolenſ. & Venetis*, quod iubes fieri nefas, Reperi. quid? *melius Lipſienſ. ſi diſpungas, vt curaui excudi.* ——— quid ceſſas Dea? Vtere furente: quod iubes, fiat nefas? Reperi. quid hæres. *Hortatur Iunonem iratâ vtatur: tum quærit, quid imperet ſceleris. Tu,* inquit, *ſedulò excogita, quære, inueni. quid moraris? &, moræ pertæſa; ceſſes atque deſiſtas* (ſubdit) *per me licet. ipſa per me exigam vltionem. poſſet pro illo imperatiuo*; reperi. *etiam legi*; reperis? *vt interroget Iunonem, an aliquid inuenerit, quod imperet.*

274 Hæres] *malè vett. impreſſi*; habes.

280 Non flamma] *ſic o. l. ſed cùm nonnulli in ſequenti carmine pro*; &c, *habeant* vt, *hoc retineo, & ad priorem quoque verſiculum appono; leniter etiam tempora mutaui hoc modo:*

Vt flamma curſus pariter, & torrens ferant;

Vt v. p. ſ. c. bibat; Non ibo, *&c. hæc potiùs contingent, & licet contingerent, tamen non fiet, quin vindictam ſumam.*

287 Præripiet] *Moguntinenſ.* præripiat.

295 Coniux tumentis] *ſolus N. ſic legit, ceteri omnes codices*; timentis. *& probant; qui alio loco timuiſſe hunc Heroëm negant.*

296 Ceſſere captæ] *verſa in Pellicis captiuæ commodum, nam inciſum non ante, ſed poſt*, captæ, *ponendum. ſic Virgilius*:

Et patrio Andromachen iterum ceſſiſſe marito.

Pellici felix fui] *ſic Hypſipile Ouidiana*:

Votis ergo meis alij rediture rediſti:
Hei mihi, pro dirâ pellice blanda fui.

299 Pro me gerebas bella] *quæ ſic deſcribit Claudian. in laud. Serenæ*:

Herculeas vidit, fluuio luctante, palæſtras
Mœnibus ex altis Calydon; præmiúmque laboris
Deianira fuit: cùm pectore victor anhelo

Alcides

Alcides fremeret, retróque Acheloïus iret
Decolor. attonitæ stringebant vulnera Nymphæ.
Saucia truncato pallebant flumina cornu.

in vltimo versu lego; lumina.

300 Achelous] *amnis Acarnaniæ, prius* Thoas *dictus, ab Acheloo Thessalo nomen accepit. hic pro Deianirâ cum Hercule conflixit. vide infer. 585.*

301 Cum lenta] *Sophocles:*

Procus obtigit mihi (Achelous inquam) in triplicem
Mutatus os habitúmque formam: is à patre
Consortia thalami ambiit diu mei.
Nunc euidenti obambulabat imagine
Tectus bouis: nunc variis tinctus notis
Terga, vt draco horrebat: figuram etiam hominis
Bouis capite sumebat ——

ita Ratallerus V. C L. cuius ego vi plurimũ interpretatione vtor in Sophocleis.

313 Non erit] *sic refertur ad sequentia; alij malunt ad præcedens. nam ediderunt*; erat.

320 Sæua iamdudũ faces] *valdè hic vel mutili quidã codices, vel redundantes alij. Moguntin. Herbipolens. Veneti, Basileens. & Lugdunens. non habent multa quæ alij. nam tantùm exhibent*: nam tuum gens Herculẽ Defendet omnis. vna quot pœnas, *&c. at N. edidit:* ——sæua iamdudum faces In te ferentur. Vindicẽ tellus suum Defendet omnis. vna quot. *multo meliùs; sed optimè liber vet. Ius. Lipsij*: saxa iamdudum & faces in te, *&c. optimè, inquam, si pro*; ferentur, *rescribas*; feruntur. *vult enim illi hæc ante oculos iam, quasi præsentia, versari. vt infrà:*

Iam, iam minaces ire per cælum faces
Specta, *&c.*

326 Tonantem fulmine excusso diem] *significat tonitru fulmine posterius, quia sic apparet: quod mulierculam decuit dicere. contrà tamen fieri sciebat Seneca, vt patet ex 2. li. Nat. quæst. & docuerat Aristoteles, vbi de fulmine & tonitru ex professo lib. 2. & 3. Meteor. quin & ipse poëta Epicureus cecinerat:* Tonitrum post fit vt auribus accipiamus,
Fulmina quàm cernant oculi. quia semper ad aures
Tardius adueniunt, quàm visum quæ moueant res.

nimirum, iuxta multos, visiles illæ imagines, motus non indigæ, in instanti percipiuntur: at soni simulacra, quia per motum fiunt, successiuè ad aures & tractim perueniunt. 336 Scythásve] *suspicor rectiùs*; Scythásque.

344 Herculi nuptam licet] *sic N. alij reponunt*; Herculis nuptam libet. *sed omnes mei manus. & Herbipol. & Veneti, & Parisiens. Compluten. & Lugdun.* Herculi iunctam libet. *Basileens. in contex.* victam, *in marg.* nuptam. *Nihil censeo contra consensum tot exemplarium. Sensus; mori opto, sed iuncta meo Herculi; sine illo viuere nõ possum; mori potero, & placet, cum illo: sed non sine vindictâ. necanda prius pellex, & quicquid ex meo in illâ.*

348 Feriat] *proprium victimis vocabulum. Briss. lib. 1. Formul. pag. 19.*

350 Vastum foues] *quidam libri*; pastum foues. *primò nutris, & adultum dolorem fouere pergis.*

352 Casum times] *optimè Herbip. & Veneti omnes*; cassum times. *frustrà. ortus error quod in m. s. raro suo loco litteræ geminantur, non suo sæpe.*

357 Illicita amantur, &c] *sic audi illud Taciti*: Fato quodam, an, quia præualent illicita, abhorrebat. *Annal.* 13. *& simile Petronij*: Vile est quod licet, & animus errore lętus iniurias diligit. *sic sacræ litteræ* Aquas furtiuas *dicunt* dulciores. *sic Ouidius*:

Quicquid seruatur cupimus magis, ipsáq. furē Præda vocat.
Quod licet ingratum est, quod non licet acrius vrit.
Nitimur in vetitum semper cupimúsque negata.

sic Græcis; dulce pomū cùm custos abest. γλυκεῖ ὀπώρα φύλακος ἐκλελοιπότος.

358 Fortuna amorem, &c.] *sic apud Papin.* 8. *Thebaid.*

——sponsam cui castus amanti
Squallor & indigni commendat gratia luctus.

multum auget amorem commiseratio. docet id Iocasta in Thebaid. quæ licet vtrumque natum pari affectu diligebat, in illum tamen, qui exulabat, non qui regnabat, vehementius propendebat.

359 Vel ipsam] *vel iccirco illam amat, etsi non forent aliæ amoris caussæ, quia exulat, &c.*

362 Nut. hoc vsitatum] *Ego verò, si locus coniecturæ, opinor hunc adhuc versiculum relinquendum Deianiræ: sequentem verò Nutrici dandum. Solet (inquit illa) Hercules amare captas. Respondet Nutrix, solere, sed breui spacio, & mox abijcere: idque probat exemplis Hesiones, Auges, Thespiadum, Omphalæ. quæ sanè nullo modo ab ipsâ Deianirâ dici conuenit. cogitate Critici, & adsentiemini.*

363 Soror] *Hesione, Priami germana, nescio an ab Hercule fuerit adamata, liberatam scio & ereptam Ceto, &, captâ Troiâ, Telamoni, quòd primus murum occuparat, concessam; ex Ouidio lib.* 11. *Metamorph. & Virgilio* 8. *Aeneid. Et quidem tūc Herculem, cùm balænam inuasisset, principiò quidem ab eâ deuoratum, sed euasisse glabro dumtaxat & caluo capite, præ caloris belluini magnitudine pilis defluxis, scribit Sex. Empyricus contra Mathemat. cap.* 16. *quo pacto intelligendum, quod eadem de re obiter Theophilactus prodidit Commentar. in Ionam, triduo Herculem in ventre ceti fuisse, & pilorum tantùm iacturâ factâ incolumem emersisse.*

364 Concessa famulo est] *Iouis nepos, vt Herculis famulus dicatur? non opinor. Mallem*; famula est. *vt enim* Dominæ, *sic &* Famulæ *nomen inter* ἐρωτικα. *sic Phædra se* famulam *vocari mauult, sup. Hippol. vel* famulum *intellige socium, comitem. fidissimus enim Herculi Telamon & Argonautarum omnium amicissimus; qui multa cum eo prælia & labores confecit. Vide Scholiast. Apollonij in lib.* 1. *versu* 1289.

366 Arcadia virgo] *Augen Hercules, Aloei Arcadis filiam Mineruæ sacerdotem, vi constuprauit, ex eaq. Telephum genuit: sed neglexit postea. nam ab irato patre in arcam ligneam simul cum puerulo, quem pepererat, inclusa, &*

& mari expositæ, opem nullā tulit. Vide Andocydem in accusatione Palamedis, Strab. lib. 13. Diodorum lib. 5. Apollodorum li. 2. Bibl. & Hyginū cap. 99. Fabul. hic autem Senecæ locus videtur expressus ex Ouid. in epist. Deianiræ:

Et mater de te quælibet esse potest.
Non ego Parthenus temeratam vallibus Augen,
Nec referam partus Ormeni Nympha tuos.
Nec tibi crimen erunt, Teuthrantia turba, sorores;
Quarum de populo nulla relicta tibi.
Vna recens nobis referetur adultera crimen:
Vnde ego sum Lydo facta nouerca Lamo. *&c.*

dixi plura in Herc. Fur. versu 464.

369 Thespiades] *Teuthrantis neptes, Thespij filiæ quinquaginta, quas vel totidem noctibus, teste Apollodoro lib. 2. vel septem noctibus, iuxta Herodorum referente Athenæo lib. 13. cap. 2. vel vnicá, vt scribunt Arnobius, & plerique, cunctas matres fecit.*

370 Breuique] *enclyticam addiderunt, vt hiatum vitarent; sed illa menti loquentis maculam aspergit. dele.*

371 Tymoli] *Tmolus mons Lydiæ, trisyllabus vel disyllabus antiquis, vt & nostro, Thebaid:* Hinc nota Baccho Tmolus attollit iuga. *Virgilius 1. Georg.* —— nonne vides croceos vt Tmolus odores. *Ouid. 4. de Ponto:* Africa quot segetes, quot Tmolia terra racemos. *Plinius lib. 5. c. 29.* scribit fertilem esse croci & vini. *quare apparet vitiosè apud Martianum Capellam lib. 6. cap. de Phrygiâ, editum:* Dehinc Tmolus loco florens, amnisque Pactolus. *emenda,* croco florens.

373 Vdum feroci] *Excusi omnes & Moguntin.* Vnum. *male. deterior quoque expositio interpretum, quasi texuisset, non neuisset ad colum. In quatuor m. s. legitur:* Vtrumque forti stamen. *pellucet mihi quiddā in his verbis, aptum menti Omphales, & Zelotypiæ Deianiræ. μεταφορικῶς, stamen alterum; ipse amor Herculis, & labor Mineruæ. Sed longè hoc petitum. Quare mallem,* vtrimque forti, *hoc est fusum in omnem partem forti manu intorquens: vel,* vtraque. *Videmus enim, dum fusum torquent, sæpe vtramq; manum adhiberi: minusq; mirum id in Heroë nendi imperito. Retinui tamen, eruditi & amici coniecturam. nam fit nentium stamen vdum saliuâ vel digitis aquæ immersis, vel tanti asini sudore madefactis. vt noster;* stamē vdum, *sic Virgilius vdum librum:* —— vdóque docet inolescere libro. *citatur à Nonio, sed sine interpretatione nec suo loco, in* delibratum. *inde, meo iudicio, expellendum. Repetitur enim aptiùs, in* librum. *Nisi Nonius illic explicuerat verbum;* inolescere, *& interpretatio perierit. tunc post;* discissum, *lacunæ nota ponenda, ante Virgilij versum. Leue hoc (fateor) & obuium: sed quod, post tot Argæos oculos, remansit, & ne in vltimâ quidem Nonij editione, nec aliis alibi, me conscio, fuit animaduersum.*

375 Crinémque mitra] *docet nos hæc Herculis seruitus, quam sæua & impotens sit tyrannis amoris: de qua multa eloquentißimus, & inprimis pius Hispaniæ scriptor Lud. Granata, lib. 1. Ducis Peccator. par. 2. cap. 9. §. 2.*

quem librum vtinam cuncti valdè sibi facerent familiarem. Ignominiosam hanc Herculis abiectionem describunt, Propertius li. 4. eleg. 10. Ouid. in epist. Deianiræ, Albinouanus Pedo in eleg. de obitu Mecænatis, Papinius lib. 1. Achilleid. Lucianus lib. de scribend. histor. ex Theologis Origines lib. 5. contra Celsum, Tertullianus lib. de Pallio cap. 4. & Lactantius lib. 1. diuin. Instit. cap. 9. Certum est reginam illam petulantem, vocatam Omphalen. Nam quod aliter Prudentius, inquiens:

Fusos rotantem cernimus Tyrinthium,

Cur? si Neæræ non fuit ludibrio? hoc enim vulgari modo dictum, quo meretrices omnes, bene habitæ, & succi plenæ, quas Attici pugiles; Romani Neæras. sic enim idem Ariadnam, lib. 1. contra Symmach.

Hanc iubet assumtam feruens post vina Neæram,
Secum in deliciis fluitantis stare triumphi.

376 Myrrha] myrrha gummi genus odoriferum, in Trogloditide, Arabiâ, Sabæâ nascens: Sabæa vilissima ferè, teste Plinio lib. 12. cap. 15. & 16. vnguentum ex solâ myrrhæ guttâ, ςακτὴ dicebatur.

377 Leui] inconstanti, & citò exstinguendâ.

378 Hærere] rectissimè Critici aduertunt hæc tribuenda Nutrici, non Deianiræ. 381 Inuestit] vestibus ornat, & contegit omni ex parte. elegans vocula.

384 Deforme foliis] prius excusum; solis, vt in Herbipol. & Venetis, & retinuêre Lugdunens. primi Basileens. folia nobis, sed non Sybillæ. Nudum nemus significat, vacuum foliis, exstantibus tantùm truncis arborum; ita tamen vt trunci ramos complecti intelligantur. quis enim tantus brumæ rigor, vt ramos etiam cunctos deiciat? neque id vult noster. comas tantùm significat decidisse: & comæ, folia sola. Legendum aliquando putaui: Deforme foliis aspicis truncum nemus. nam arbores truncæ poëtis, quæ sine foliis. sic Ouidius lib. 8. Metamorph. Truncat olus foliis. Verùm, quare ad coniecturas, cùm æquè bona quæ exstant?

388 Et partu] peruersè Lugdunens. ex partu.

390 Eripuit] æquè fluet versus, æquè constabunt omnia, etiamsi retineamus, quod omnes libri ad vnum exhibent. nimiæ istæ deliciæ; quibus tam defluimus. 391 Perdat] Moguntinens. perdit.

397 Totis gentibus] offendit me hoc, & perplacet quod in marg. Basileenses exhibent; notis. vel sanè; cunctis.

385 Sic nostra longum] Sophocles:

——— ad hæc talis ætas eius est,
Magis, magisque quæ venustatem augeat:
Mea indies flaccescit: illa est lubrici
Decerpere à quà oculi solent florem: ast ab hac
Pedem retrò ferunt. 399 Quo nimis quisquis Deos orabat

vllos] ita plerique lib. scripti. vnus; quéve mens quicquam Deos orabat. Eguian. quæ nimis quisquis Deos o. illos. Mogunt. quæ mens quidq. Deos o. vllos. sed postea in eo recentiori charactere emendatum: quæ quicquid.

quicquid. *Primus Venetus*; Quæ enim quisque Deos. *alij duo Veneti, & Herbipol.* Quo nimis quisquis Deos orabat vllos. *Quis mihi nunc Oedipum aliquem, qui hæc Sphingea enodet? hæreo, non solus: hærent & reliqui. aliquid olim ex coniecturâ in Aduersar. iis, & vt video, eam Raphalengius in contextum recepit, etsi nihil in Notis eâ de re: nec an coniecturæ meæ dumtaxat, an codicum etiam approbatione. Mihi quidem, nisi libri suffragentur, certum in contextum illam non recipere. vidi qui in Suspicion. lib. 6. legeret;* Cominùs quisquis Deos, *&c. hoc sensu quæcumque mulier ardentiùs aliquid à Diis, nimis optabat meum coniugem sibi; veterum illâ superstitione Deos de proximo & cominus adorandi; quasi eminus minus exaudirent. laudant de ritu Senecam epist. 41. & Arnob. lib. 6. adferam & aliam, æquè incertam. quid si?* ——— quid nisi? quisquis Deos, *&c. hoc sensu; quid aliud Deos oraret, quàm thalamos meos, quæcunque nurus aliquid orabat? Afranius apud Festum simili phrasi vsus*: me auctore mater abstinebis. quid nisi? *Sed Festus ipse ibidem, si non scalpro, luce saltem indiget. Quare fortassis tutiùs, hoc totum sine quo sententia & moduli sibi constant, præterire, vel manum abstinere; & ignorantiam meam fateri. vtinam non in grauioribus. nugæ sunt istæ, quarum ignoratio leuis.*

405 Meruisse] *minus est honoris & commodi in matrimonio Eurysthei, quàm dedecoris & damni in repudio Herculis. non emam toros regios, vt thalamis Herculeis priuer.* meruisse regnantis, *omnes libri quos videre potui. Posset etiam recipi, quod ex vno libro Lipsius*: caruisse regnantem, *& explicari; vile mihi & leue coniugium Eurysthei, si non maritus Hercules: præ quo, despicio mortales omnes.*

407 Conciliat] *Quinctilianus Senior Declamat.* I. Maritum & vxorem, nisi liberis initiarentur, non fortissimis corporum vinculis inhærere. *Claudian.* I. *in lib. Eutrop.*

Femina cùm senuit, retinet connubia partu,
Vxorisque decus matris reuerentia pensat.

422 Oechalia] *non illa, quæ postea Chalcis, nec ea quæ in tractu Messeniaco, de quibus Stephanus & Plinius lib. 4. cap. 9. & 12. sed tertia Boeotiæ, Euryti, iuxta nonnullos, Regia, quam Oechalius amnis alluebat, quamq́; funditus, propter denegatam Iolen, Hercules euertit. consule Eustath. in Iliad. ε.*

427 Furit] *sic Moguntinens. sed in eo emendat.* ferit.

431 Sic] *propter Megaram hoc dicit.*

438 Perimam dolo] *priuatis in odiis, nec ferro, nec dolo liceat: sed, cùm iustum bellum suscipitur, D. Augustino iudice q. 10. super Iosue; vt apertè quis pugnet, aut ex insidiis, nihil ad iustitiã interest: hoc Xenophontis in Hipparcho, Thucydidis lib. 5. Homeri, Virgilij, ceterorum probat auctoritas.*

440 Quem nec Nouerca] *sic Ouidius in epist. Deianiræ.*

Quem nunquam Iuno, seriésque immensa laborum
Fregerit ———

Peremit] *sic Lugdunens. & Lipsiens. sed Herbipol. & Veneti*; perimit. *melius schidæ Burdegalens.* potuit.

441 Deia. cælestis] *hunc versum qui* NVT. *tribuunt, turbant planè. nam cùm* NVT. *quæreret illáne Herculem perimeret, quem Iuno non potuerat: Respondet irata mulier: Ego verò perimam: etsi Iuno non peremerit. Nimirum quia, superi quos volũt vlcisci, miseros faciunt; homines, quos vlciscuntur, occidunt & nullos esse volunt.* NVT. *si illi non vis, parce tibi, & time tam sæuum facinus, vel tuâ causâ.* DEIA. *Cur timeam? expuli metum omnem. nihil timeo. non potest non omnes contemnere, qui ante omnia mortem contempsit. mihi mors futura solatio, vita supplicium est. opto mori, non metuo. Ideo subiungitur.* DEIA. Contemsit omnes, *&c. pro;* omnes, *malim;* omnia.

446 Cur sæua modicis] *cur exiguo errori & modicæ culpæ, crudelia & atrocia supplicia paras?* Modicis, *est in o.v.l. in Herbipol. Venetus, Lugdunens. primi Basileens. deprauarunt;* sæua modicè. *paullo minùs; qui,* sæua immodicè *legebant.*

448 Pascit] *nutrit continuò & fouet, nec sinit intermori.*

452 Artibus magicis] *in dæmonis aut magorum, qui per illum sua operantur, potestate non esse, hominem inuitum ad amorem aut lubricæ Veneris consensum impellere ex D. Iustinæ virginis & martyris, & D. Cypriani illius, qui primò maleficus, postea Christi athleta fuit, apud Laurent. Surium, vitâ patet, & certo certius est. potest his artibus ad insaniam homo perduci, perturbatione phantasmatum, vel organorum capitis disturbatione & functionibus impeditis; potest memoria vitiari, sed non potest hominis voluntas, dummodo nolit, vnquam efficaciter in peccatum, & proinde nec in huiusmodi amorem pertrahi. Fidelis enim est Deus, qui non patitur nos tentari supra id quod possumus, teste D. Paullo, & docent hoc D. Hieron. in histor. S. Hilarion. D. Gregor. Nazianz. orat. 29. In Cyprian. & Epiphan. hær. 30. Fateor tamen posse sensitiuum appetitum cogi & necessariò ad appetendum induci; & sic his artibus artius ligari coniuges; vt è contrario vsus quoque matrimonij iis impediri potest. c. fin. 33. q. 1. vide Siluest. verb. maleficium, 46. & Canonist. in tit. de frigid. & maleficia. & in d. c. fin. Paluda. & alios theolog. in 4. d. 34.* 454 Vernare] *frondescere, virere. Propertius:*

Dum vernat sanguis, dum rugis integer.

455 Fulmen] *Ouidius:*

Illa refrenat aquas obliquáque flumina sistit.

lege; fulmina, *quæ propriè obliqua.*

Concussi] *non minora iactitat Simon Magus apud D. Clement. Rom. lib. 2. recognit. tempestates & procellas magos excitare posse, communis sententia est, nixa scripturæ & legum auctoritate. vide Binsfeldium Confession. maleficar. conclus.* 11.

457 Fontibus] *Fontana enim aqua rarißimè à fluminibus vel mari manat, rarò etiam è pluuiis colligitur, frequentius ex terræ concauitatibus suâ sponte erũpit. ideo noster ad causam crebriorem respexit. videndi Seneca li. 3. Nat. quæst. Georg. Agric. lib. de ortu. & caus. subterran. 1. Anton. Galatæus lib. de fluuiorum origine.* 460 Manes] *Empedocles:*

Exstinctúmque hominem nigro reuocabis ab orco.

sed

sed falluntur venefici. non enim necromantiâ ipsas animas defunctorum euocat vi sua, nec etiam dæmonis; sed, si verè damnati anima appareret, per miraculum id fieret; si beati, diuinâ virtute & permissione. vtplurimum dæmon earum loco apparens decipit. vt docet ex D. Augustin. & Chrysostom. D. Thomas. 1. p. q. 117. art. 4. ad 2. At legimus in sacris litteris Samuelis defuncti animam à Pythonissâ excitatam. 1. Reg. 28. & Ecclesiast. 49. scio. sed diuina permissione. & adhuc dissensio inter Theologos, vtrum hæc vera apparitio, an illusoria, & per dæmonis fraudem? ita volunt D. Iustin. q. 52. ad Christian. Raban. Maurus lib. de præstig. dæmon. Isidorus lib. 8. Orig. D. Augustin. in lib. quæstion. vet. & nou. Testam. q. 27. & c. fin. 26. q. 5. Cyrillus lib. de adorat. spirituum, & Anastasius Episc. Nicenus in lib. quæstion. q. 37. qui liber perperam Athanasio ascribitur. tamen veram esse potuisse ex permissione diuinâ, fatetur ipsemet D. Augustin. lib. de curâ pro mortuis cap. 10. & pulcrè docent Abulens. in d. cap. 28. q. 28. & Alfons. Castrius lib. 1. de iustâ hæret. punit. & Franc. Vallesius de sacra philosophia cap. 33. & veram fuisse tenent multi Catholici, cum Rabbinis. vide D. Thom. 2. 2 q. 95. a. 4. ad. 2. & hoc videtur securiùs. nam scripturæ magis consentaneum, & à pluribus Patribus receptum, vt docet ex Societate nostrâ Robert. Bellarminus lib. 4. de anima Christi, cap. 11.

463 Leges] *hic pro naturâ rerum ponit. Hippolyt.*

Nec vllâ lege victum melioris soli.

aliquando vsurpat pro fato, aliquando pro iure.

470 Sit] *rectè corrigunt*; stet. *& huic mox opponitur*; fugerit. *quare non mouendum loco.*

472 Vicit & superos] *Sophocles*:

Inuictæ Veneris magna potentia est.
Namque vt illa quæ Deos contingunt
Facta omittam, vtque superûm patrem
Ludificatus sit Iouem, furuique
Regem Tartari,
Dominúmque maris; cuius magno,
Terra tremuit concussa tridente
Neptunum —— *Idem*:
Inuictus enim Deus Venus.

481 Interim scelus] *hoc est, interdum. sic fortè sumitur à Volcatio Gallicano, in Cassio*: Fuit his moribus, vt nonnunquam trux & asper videretur, aliquando mitis & lenis; aliquando religiosus, aliàs contemtor religionum; auidus vini, interim abstinens. *hoc est, aliquando temeto deditus, aliquando abstemius. suadent, quæ præcedunt. Vide infr. vers. 928.*

Interim scelus est fides] *hoc est quod D. Ambros. lib. de Offic. 3. scribit*: esse nonnunquam contra officium fidem seruare. *& quod D. August. censet. c. si ad peccatum. 22. q. 4.* Si ad peccatum committendum fides exhibeatur, fidem appellari non debere. Fidem *hic pro silentio posuit, cum extra scelus commendat pulcrè Anaxandrides*:

ὅτις

ὅτις λόγους γὰρ. παρακάθηκην ὥς. λαβὼν
ἔξειπεν, ἄδικός ἐστιν ἢ ἀκρατὴς ἄγαν.
ὁ μὲν διὰ κέρδος ἄδικος· ὁ δὲ τούτου δίχα
ἀκρατὴς ἴσως δὲ γ᾽ εἰσὶν ἀμφότεροι κακοί.

Commissa cui sunt verba, seu depositum;
Si retegit, est iniquus aut garrulus.
Si spe lucri, est iniquus: hac sine, garrulus.
Censendus autem vterque pariter improbus.

Dionysius Halycarnass. lib. 11 Pactiones si quas inter vos fecistis arcanas, fidémque dedistis, sponsores facientes Deos. seruatas eas putato impias, vt aduersus ciues & patriã: at solutas, pias. Dij enim se ad pulcros honestósque consensus adhiberi gaudent, non ad turpes atq. iniustos.

486 Est in remoto regię sedis loco] *sic videtur etiam legisse Bernardin. Gellius.* 490 Latet] *primus N. mutauit, reposito;* manet.

492 Thessalo] *Ixioni; cui Nubes Centauros genuit: vnde à Claudiano vocantur*, nubigenæ.

493 Celsus] *hoc malo, quàm illud vnius lib.* trepidus.

496 Achelous] *amnis Acarnaniæ in Epiro, teste Strabone, olim Thoas, post Thestius, & Axenus auctore Plutarcho lib. de fluminib. dictus; oritur ex Pindo, & diu per planiciem lapsus, tandem in Ionium è regione Echinadum, influit, vt docent Thucidides lib. 2. & Plinius lib. 11. cap. 85.*

497 Turpis] *alij corrigunt ex vno manusc.* turpe. *hanc pugnam describit eleganter Nonnus Dionysiac. μγ'.*

Cornu] *cunctis fluminibus veteres cornua tribuerunt, vt docui in Not. Claudiani, & notum est, & optimè de eo disserit Pierius causas referens libro 3. Hieroglyph.*

501 Altum gurgitem] *ideo Sophocles Euenum vocat* profundifluum flumen. *Non placant aures meas qui hîc reponunt* & pontum. *Nusquam legi, tum refluxum maris, vel æstum solere vndas Eueni replere & repellere. sanè non arbitror. nec tam litoralis Euenus, qui priùs in Cephissum influit, & nomen amittit; Cephissus mari illabitur quomodo ergo refluxus per totum Cephissum in Euenum vsque? nec indicant Sophocles aut Ouidius, sed vberiorem solito fuisse, quòd nimbis hiemalibus esset auctus.*

504 Vagum] *non malè vagus vortex flumen: & noster etiam suprà vocat Euenum vagum: neque tunc peruius, aut vadari poterat: quare parũ proderat solitum esse vadis transire. igitur sequor meorum omnium tam excusorum, quàm scriptorum scripturam. non tamen pugnarim, si quis malit;* vadis. *nam & Ouid. significat, cùm ait Nessum* scitum vadorum.

Precium poposcit] *Sophocles:*

Ab hoc viator Eueni per gurgites
Stata solet mercede quiuis traiici.

Strabo: Nessum hac in parte designatum portitorem fuisse, occisum ab Hercule vulgatur, cùm inter traiiciendũ Deianiram violare conaretur.

505 Equo] *De Centauris abundè suprà egimus, & videndi præter citatos,*

tatos, Lucianus in Hermotimo, & in Antiocho, Plutarchus in Conuiuio sap. & lib. de vitando ære alieno, Strabo lib. 9. Plinius lib. 7. cap. 58. & Tzetza Chiliad. 7. histor. 99. & 273.

508 Medióque adhuc] *Ouidius scribit etiam Herculem exisse, Archilochus neutrum, in medio enim Eueno vult occisum Nessum, vt docet Schol. Apollonij in lib 1. aptiùs vtroque noster rem totam.*

511 Tu præda] *rapinâ enim & præda Nesso, quæ præmium Herculis. ideo* raptam *vocat Ouidius*:

Dat munus raptæ velut irritamen amoris.

525 Monuit] docuit, *alij. Moguntin. deest, sed inter lineas alienâ manu*; monuit. *Porrò de Mychale etiam Nemesianus Eclog. 4.*

Et mille ignotas Mychale circumtulit artes,
Cantauit quod Luna timet, quo rumpitur anguis,
Quo currunt scopuli, migrant sata, vellitur arbos.

526 Magam] *olim Persis* Magi, *siderum, & physicæ totius periti, vt ex Cicerone lib 1. de diuinat. & Plinij lib. 6. & 20. colligitur, dicti Mechasphim* מְכַשְּׁפִים *Persicâ voce ab Hebræis: postea cùm plerique relictâ sapientia rerum verarum ac naturalium, ad superstitiosas, & dæmonum cultum delaberentur; hoc nomen solis cœpit maleficis, Goëtiæ studiosis, tribui. Duplex enim Magiæ tum species constituta. Vna, vetus illa, intimæ philosophiæ nucleus, ipsa naturæ secreta callens: altera malorum spirituum inuocationibus & familiaritate, & malis carminibus infamis & inauspicata. Hæc vltima,* Goëtia *mera cùm sit; audent illam tamen homines impij* Theurgiam *vocare. nec desunt qui vim illi bonos etiam angelos cogendi & ligandi ascribant; & quæ hoc potest*, albam *magiam nuncupant; quæ malis euocandis dat operam*, nigram. *Sed hæc opinio, vt orta ab Iamblicho, Plotino, Porphyrio, Iuliano, iuratis fidei hostibus, Christiano prorsus exsecranda. Semper enim siue atra, siue candida specioso vocabulo, cacodæmoni honorem exhibet, & humanis diuinisq́; legibus supplicia dira debet. Nunquam bonæ beatæq́; mentes magis communicant, nec eorum sceleribus vllam opem ferunt, vt rectè docet Bernard. Basinus de artib. Magicis concl.* 8. *Hæc ego nunc & sæpe de his malis artibus, quod (proh dolor!) nimis hodie nota, nimis, etiam teneræ ætati, familiares.*

Vide Calium lib. 3. variar. lect. ca. 43. & Michaelē Medinam lib. 2. de recta in Deū fide cap. 1. & 7

537 Sinus] *sanè*; tactus sinus, *non quadrat. sed quia v. l.* tactus imas, *legam*; tectus imas. *si versus patiatur. latenter (ait) intima & penita cordis penetralia penetret, semel artubus receptus. nunc assentior Lipsio reponenti*; tactu intimas. *Herbipol. & quidam Veneti*; tractus sinus. *vitiosè.*

545 Neruo] *arcu.* 552 Rapidum] *Mogunt.* trepidum.

553 Puellæ] *Europæ Agenoris filiæ, à quâ volunt tertiam orbis partem nominatam. Andron Teius tamen prodidit, Oceano nupsisse duas nymphas; ex quarum vnâ, natæ Asia & Africa; ex alterâ, Europa, & has orbis partibus nomina dedisse.*

559 Furua] *Moguntinens.* fulua. *an sceptrum Ditis aureum? fuliginosum potiùs & anthracinum.*

569 O quod superbæ, &c.] *Aristoteles lib. 1. Polyt. cap. 11. ait tyrannis*

paucos esse veros amicos, quòd ab iis adulatores diligantur. & Seneca lib. 6. de benefic. de iisdem: vix est, qui illis verum dicat, sed vnũ omnibus adulandi certamen, vnum amicorum omnium studium, vna contentio, quis blandissimè fallat. *Æschylus:*

Inest enim hic omni tyrannidi
Morbus; amicis non confidere.

quis ergo illis fidat? quis fidus futurus? fides fidem prouocat, diffidentia perfidiam. 571 Nostra quos neuit] *Sophocles:*

——— tunicam vt hanc dexterâ textam meâ
Donum Herculi meo feras ———

commendat seipsam à lanificio, cuius quàm studiosas esse feminas oporteat, docet And. Tiraquellus in leg. connubial. 10. à num. 38.

574 Iecur] *huius meminit, quia in eo sedes amoris. iuxta illud tritum:*

Cor sapit, & pulmo loquitur, fel commouet iras,
Splen ridere facit, cogit amare iecur.

Iul. Firmicus lib. de errorib. profanar. religion. cap. 5. Tertia pars constituitur in iecore, vnde libido nascitur & voluptas. Illic enim genitaliũ seminum collecta fœcunditas, naturalibus stimulis desiderium cupiditatis exagitat. *Lactantius lib. 6. Institut. cap. 15.* Quod si (vt medici dicunt) lætitiæ affectus in splene est, iræ in felle, libidinis in iecore, timoris in corde. *Claudianus in Panegyri de 4. consulatu Honorij elegantissimis versibus humanam describens animam, cupiditates omnes in iecore collocauit: ascriberem, nisi multi forent. ideo & Horatius:*

Non ancilla tuum iecur vlceret vlla, puerve.

rectè. Amor enim ex bile flauâ gignitur, cùm calidæ aridæq́; sit naturæ, & ignis locum in homine possideat. Nam veteres, vt hoc obiter dicam, quatuor humoribus hominem, quasi elementis constare volunt, quæ totidem mundi elementis respondeant; sanguine, pituitâ, bile flauâ, bile atrâ: sanguinem quidem, qui calidus & humidus est, ex corde oriri, & aëri respondere; pituitam ex cerebro manare, humidam & frigidam, aquæ; bilem atram ex splene, frigidam & siccam, terræ; flauam verò bilem, ex iecore, aridam & calidam, igni. Propter has autem qualitates seu ποιότητας magni mundi elemẽtis tam consentaneas, hominem μικρόκοσμον dictum autumant medici. Quod ipsum ex Theologis nõnulli, vt D. Cyprianus, ex quattuor Græcis characteribus nominis protoplasti τὸ ἄδαμ eliciunt, quibus credunt totidem cardines orbis significari, per prius τὸ ά, Orientem ἀνατολὴν; per τὸ δ', Occidentem δύσιν; per posterius ά, Aquilonem, ἄρκτον; per vltimum μ', μεσημβρίαν, Meridiem: qua de re multa Eugubinus in epist. apologeticâ contra Erasmum, Picus Mirandulan. in Orat. & lib. 5. Heptapli cap. 4. Francis. Georg. Harmoniæ mundi cant. 1. tom. 6. & Pontus Thyardæus in lib. de vniuersita. addo Marij Victorini carmen Genes. lib. 2. ——— Deus omnia nosse

Quæ bona sunt, cum luce, dedit; mundóque minori (*homini*)
Quicquid maior habet, sacro innotescere sensu,
Seque per hæc, voluit ——— *ad Dei nos ergo ista cognitionem,*

laudem,

laudem, amorem inuitant. & tamen hunc hominem videas pecudum potiùs vitam viuere, & quasi belluina mens ei foret, stupidum ac vagum, huc illuc circa terram rapi, solo inhærere, nec assurgere aut erigi in cœlum. Questus id Antidamus in Moralibus his verbis: Fabrè compactū animal hominem, quis ferat * sic esse pecuatum? quis auerruncassit tam Aretinas hominum mentes? *sic vulgati libri Placiadis hoc fragmentū contribuunt, & ipse* Aretinas, *interpretatur testeas vel argillaceas: veteres tamen libri habent*; Aricinas. *fors, an scripserat Antidamus*; arietinas? *hoc est, stolidas & fatuas. euincit vocula*, pecuatum. *sed vereor, ne cui petulco hædo, in hanc coniecturam lubeat arietarier.* *Hoc repono, pro; esse.

582 Calydoniæ] *alij Calydonij, alij Caledonij: qua in re multum in editis libris peccatur; & legi virum eruditum non ita pridem luculentè cæcutientem.* Caledonij, *Ptolomæo & ceteris Græcis* καληδόνιοι; *secundâ productâ, Scoti in Britanniâ, tertiam corripiunt, Lucano, Martiali, Ausonio, Claudiano. apud Statium lib. 5. Siluar. in Propemt. Crispini, vbi de Albione, & apud Sidonium in Panegyr. Auiti versu 89. hos repono. apud Martialem verò vel repono, vel retineo lib. 1. in his:*

Nuda Caledonio sic viscera præbuit vrso. &
Quincte Caledonios Ouidi visure Britannos.

Calydonij, *contra secundam corripiūt, tertiam producunt, & sunt in Ætoliâ, hoc loco, & in Troade*: An ferâ notam Calydona sæuâ. *Claudianus*: Mœnibus ex altis Calydon. *idem confirmant Manilius lib. 5. Ouidius in Metamorph. Lucanus lib. 6. Pharsal. Statius 4. Thebaid. Silius lib. 15. & ante omnes Homerus Iliad β'.*

Χαλκίδα τ' ἀγχίαλον, καλυδῶνά τε πετρήεσσαν.
Chalcida maritimámque & Calydona petricosam.

sic etiam scribunt Ptolomæus in tab. Thucydides lib. 3. Strabo, ceteri.

In chorvm.

Mulieres Calydoniæ deflent Deianiræ sortem, se illi vt fuêre in prosperis, sic in aduersis comites fidas spondent: in ambitionem & auaritiam præposteram mortalium & tyrannorum studia inuehuntur, & priuatā fortunā extollunt.

585 Acheloi] *tres sunt amnes huius nominis, vnus in Phrygia, apud Homerum, à Sypilo defluens; alius Arcadiæ, pone Lyceum montem, Pausaniæ in Arcadic. tertius noster, de quo iam egimus vers. 496. quem idem Homerus fluuiorum Regem vocat; à quo aquæ omnes vocantur*, Acheloides vndæ, *vel* Acheloia pocula *Maroni 1. Georg. vt obseruarūt Eustatius in 2. Iliad. Macrobius li. 5. Saturn. cap. 18. & Brodæus Comm. in lib. 1. Epigr. huius fluminis descriptionem à Thucidide positam lib. 2. commendat Demetrius Phalereus.*

591 Flauus Lycormas] *Strabo*: Euenus, Lycormas priùs vocatus. *Archelaus*: Lycormas Ætoliæ fluuius, qui postea alio nomine dictus est Euenus, radicem producit quæ Zarisa nominatur, hastæ similem, & obtusæ oculorum aciei vtilissimam. *vnde dictus Euenus, vide Apollodorum lib. 1. Biblioth.*

594 Nos Cadmeis, &c.] *consueuimus tecum Bacchi sacra celebrare, ea scilicet; quæ Trieterica, tertio quoque æstiuali solstitio (hoc est, anno tertio) veris initio celebrabantur, vt apertè indicant sequentia:* Cùm iam pulso sidere Brumæ (*hoc est, finitâ hyeme, fugato Piscium sidere*) Tertia soles euocat æstas (*tertij anni æstiuum solstitium calores incipit adducere*) Et spiciferæ concessa Deæ Attica mystas claudit Eleusis: *quo tempore apud Eleusim Atticæ oppidum, mystæ Cereri initiati, minora Thesmophoria celebrāt; quæ hoc tempore fieri antea docui. De his Trietericis agit Plutarchus lib. 4. Sympos. Problem. 5. & Latini Poëtæ passim, nullus tamē tam perspicuè tempus, quo celebrabantur, expressit, vt noster. Aristides simpliciter Dionysia videtur vocare, & primo vere celebrari docet:* Primo vere, cùm aguntur Dionysia, sacram Baccho triremim per forum circumferri, signum rei gestæ. Aliquando Chios vrbem (*Smyrnam*) inuasisse, vt vacuam, quod ciues abessent Dionysiis operantes; sed eos, re cognitâ, vt erant Bacchico cum schemâ, latrones fudisse, & naues eorum occupasse, & Pyrrhicam vere Baccho saltasse, & in hostium corporibus Dionysia peregisse. *Orat. 15. & 22. tom. 1.* Cadmeis cistis] *calathis Thebanis.*

Orgia] *sic Græci, quas Latini* cærimonias. *commune enim id nomen omnibus Bacchi sacris, vel ἀπὸ τῆς ὀργῆς quia Bacchantes non sine furore; vel ἀπὸ τῶν ὄρων, quia in montibus præcipuè celebrabantur, vnde & Bacchus Festo* ὄρεος. Nyctelia *etiam dicta hæc orgia, quia Bacchus noctu colebatur. Virgilius:* ——— vbi audito stimulant Trieterica Baccho

Orgia, nocturnúsque vocat clamore Cythæron.

ideo faces & lampades ad templa deferebant (vnde auctore Pausaniâ Bacchus apud Pallenenses φαύστριος & λαμπτὴρ) & passim per platæas vini crateres statuebantur. ita per noctis & vini licentiam nihil turpitudinis & sceleris omittebatur, vt narrant Clemens Alexandr. in Protrept. Arnobius li. 5. & Eusebius lib. 2. Præparat. Euangel. cap. 5. & de Romanorum Bacchanalibus seu Liberalibus Liuius lib. 39. Tacitus Annal. 11. *Valerius Max. lib. 6. cap. 3. Tertullian. in Apologet. & lib. de Spectaculis, & D. Augustin. lib. 6. de Ciu. Dei cap. 9. & lib. 18. cap. 13. Gestabant autem Bacchantes varia, vnus quidem vitem, alius hircū, alius cophinum, seu cistam, iuxta Plutarchum, caricis plenam; omnes autē phallos, vt ex Plutarcho docet Cælius lib. 7. c. 16. omnes etiam thyrsigeri, & pampinis, hederaq́; coronati; taurum dentibus laniabant, & per siluas clamoribus dissonis vlulantes vagabantur: tibiarum quoque cantu, & cimbalorum tinnitu cuncta personabant, & (teste Firmico d. lib. cap. 6.) quidam ibant nigro amictu tetri, quidam ostenso angue terribiles, alij ora cruenti viui pecoris membra lancinabant: & Clemens tradit etiam serpentibus coronatos* Euan Euian *vlulasse: lacerasse dentibus virides chelydros addit Prudentius:* ——— quod & ebria iam tunc

Ante oculos regis satyrorum insania fecit,
Et fecisse reor stimulis furialibus actas
Mænadas, inflammante mero in scelus omne rotatas.

Signum sanè Orgiorum fuit serpens mysteriis initiatis, & Deus sinum peradens,

uadens, & Draco initiandorum sinu extractus; symbola quoque, talus, sphæra, nux pinea, mala aurea, trochus, speculum, vellus, turbines, volubiles rotulæ, pilæ teretes. collegi ex Clemente in Protrept. Eusebio d. cap. 5. Arnobio li. 5. puto etiam in Orgiis symbolicos fuisse versus illos apud Firmicum cap. 19. & 20. ἐκ τυμπάνου βέβρωκα, ἐκ κυμβάλου πέπωκα, γεγονα μυστικῶς ex tympano edi, ex cymbalo bibi, & mysteria religionis perdidici. *Item:* χαῖρε νύμφιε, χαῖρε νέον φῶς. Salue sponse, salue nouum lumen. *Notãdum etiam duos fuisse Bacchos, vnum Cretensem, alium tyrannum Thebanum, vt explicat accuratè Firmicus d. cap. 6. & quidem quæ de Lycurgo & Bacchis Thebanis referuntur ad Thebanum pertinere; quæ de Ioue patre & sacris Trietericis ad Cretensem spectare: & postea multis verbis vtriusque historiam narrat. Sed mirè poëtæ amborum gesta confundunt, vt etiam Clemens, Eusebius, & Arnobius. Omnia quæ Græci Baccho tribuunt eiúsque Orgia, ab Ægyptiis Osyridis sacris Orpheus ad Græcos transtulit, vt docent idem Eusebius lib. 2. Præparat. cap. 1. & Theodoretus li. 1. Curation. Græcan. affect. Inueniuntur autem plura quoque Bacchi Orgia; quæ commodè sic distribuentur, vt quædam ab ipso Baccho nomen acceperint, vt* Dionysia, *quæ vel mense Elaphebolione, iuxta Suidã, vel Boëdromione iuxta Plutarchum in Alexandro, fiebant; vt* Theoinia *Atheniensium;* Leneïa, *apud Græcos;* Bacchanalia *seu* Liberalia *apud Romanos. Alia dicta à tempore quo celebrabantur, vt* Trieterica *ista;* Antisteria, *apud Suidam & Thucid. lib. 2.* Protygia, *teste Hesychio;* Nyctelia, *Virgilio & Plut. in Problem. Quædam à vasis & instrumentis, quorum vsus; vt* Choa, *à Themistocle instituta, de quibus Aristoph. in Acharn. & eius Scholiast. in Equitib. & Suidas;* chytra, *Suida & eidem Scholiast.* Lagænophoria, Pythegia, Ascolia, *Athenæo, Suidæ, Platoni in Sympos. & Plutarcho in Problem. 71. Sympos. 3. quæ* Ascolia, *Romani* Vinalia *vocabant, & iis per vtres vnctos saltabant, apud Virgil. lib. 2. Georg. Nonnulla à re, in cuius memoriam celebrabantur, vt* Apaturaria, *Tertulliano Apologet. cap. 39. Cetera ab epulis & comessationibus, quæ in iis; vt* Phagesia, *&* Phagesiposia, *apud Athenæum lib. 7. &* Omophagia *apud Arnobium. de quibus omnibus fusissimè N. lib. 1. Conuiuial. antiquitat. cap. 33. Fuère etiam quædam Bacchi sacra, dicta* Sagræa, *quæ in Sagris Italiæ, & Alymunte Atticæ fiebant; quorum (vt puto) poëtæ, qui exstant, nusquam meminerunt, omnium fœdissima; quæ meritò proscindunt Clemens Alexand. in Protrept. Arnobius lib. 5. & Theodoretus lib. 8. Curat. Græcanicar.*

595 Spiciferæ] *Cereri, magistræ agricolandi.*

602 Vbi iam melior] *Pindarus*: perit honos viro qui priuatur amicis, paucique mortalium in ærumnâ sunt fideles, ita vt sint participes laboris. *hanc in rem Petronij versus refert Salisberiensis lib. 3. Polycratici. cap. 7. quorum quatuor iam posui in Aduersar. illis annectuntur isti:*

Grex agit in schena mimum. pater ille vocatur, ** Correxi primum, nã mendosè vulgati.*
Filius hic: nomen diuitis ille tenet.
Mox vbi ridendas inclusit pagina partes;
Vera redit facies, dissimulata perit.

noti huic rei confirmandæ Ouidiani loci lib. 1. Tristium, & lib. 6. de Ponto. Isocratis in Parænesi, & Aristotelis lib. 7. moral. ad Eudam.

606 Centum lumina] *Vide sup. Herc. Fur. vers. 164.*

613 Comes inuidia] *comitatur inuidia felicitatem, & quæ magis edita, hac flamma vaporant. aduersæ fortunæ comes miseratio. Vnde fingebant fortunam cum inuidiâ colligatã. Statius Papin. lib. 5. Silu. de Abascantij pietate.*

Quísnam impacatâ consanguinitate ligauit
Fortunam, Inuidiámque Deus? quis iussit iniquas
Æternum bellare Deas? nullámne notabit (*sic lego*)
Illa domum, toruo quam non hæc lumine figat
Protinus, & sæuâ perturbet gaudia dextrâ?

& paullo pòst confirmat à simili: ——— sic plena maligno
Afflantur vineta Noto. sic alta senescit
Imbre seges nimio. rapidæ sic obuia puppi
Inuidet, & velis adnubilat aura secundis.

619 Clarus claras] *m. s. Moguntinens. & Burdigal.* clarúsque datas. *Eguian. Veneti, Herbipolens. & Eib.* clarúsque latas. *hinc Lugdunens.* clarus latas. *primus N.* claras. *quod mihi amplius placet. sic enim alij m. s.*

621 Implere] *aduocanda, quæ de insatiabili opum fame dixi ad Her. Fur. chor. 1.* 622 Gemmiferi] *gemmiferum esse Istrum docet Dionys. Perieg.*

624 Lydia] *sic omnino Claudianus:*

Non Tartessiacis illum satiaret arenis
Tempestas pretiosa Tagi, non stagna rubentis
Aurea Pactoli: totúmque exhauserit Hermum;
Ardebit maiore siti ——— *& mox:*
Quo væsane ruis? teneas vtrumque licebit
Oceanum: laxet rutilos tibi Lydia fontes:
Iungantur solium Cræsi, Cyrique thyaræ:
Nunquam diues eris ——— *Lydia fluminibus aurea ramenta voluentibus nobilis est, Hermo scilicet & Pactolo. de Pactolo, dictum alibi: de Hermo, Papinius 3. Siluar.*

——— Hermíque vadum, quo Lydius intrat
Bacchus, & aurato reficit sua cornua limo.

(hoc ait, quia Bacchi cornua fingunt aurea poëtæ) Claudianus lib. 2. de raptu:

——— referunt Baccho solennia nymphæ
Mœoniæ; quas Hermus alit, ripásque paternas
Percurrunt auro madidæ ——— *Virgilius 2. Georg.*
Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus. *Lucanus lib. 3.*
Passáque ab auriferis tellus exire metallis
Pactolon, quâ culta secat non vilior hermus.

Lydia, prius Græcis Mæonia dicta, describitur à Strabone lib. 13. & Plinio lib. 5. cap. 29. de Etymo nugantur Græci, verè ab Hebræo Lud descendit, illis enim Lydia לוד. *Habes hic aurifera flumina vel gemmifera Istrum, Hermum, Pactolum, Hebrum, Tagum, Hydaspen (qui mendosè Ptolemæo σύδα-*

αὔρεος) & Gangen Indiæ: qui vltimus prius Chliares dictus, teste Plutarcho, de cuius fontibus Strabo & Plinius altercantur, vt de hodierno eius nomine Gastaldus & Theuetus apud Ortelium in Synonimiâ; antiquissimum illi nomen Phison פִּישׁוֹן Gen. 2. iuxta Eusebium & D. Hieron. quamuis Rab. Salomon dissentiat. vocatur & Getha Iosepho lib. 1. antiquitat. De his auriferis fluuiis accipio illa Senecæ lib. de consolat. ad Martiam: quid lapidum gemmarúmq. fulgor, & inter rapidorum torrentiũ harenas aurũ interfluens. & li. 4. de benefic. vt ego membranarũ Burdig. beneficio legendum & dispungendũ didici: tot metalla defodit, tot flumina emisit in aëra, super quæ decurrunt sola, aurum vehentia, argenti, æris, &c. corrupêre, qui vocem, sola, nesciebant. at Seruium audiuissent affirmantem, vnicuique rei quod sùbiacet, solum esse ei, cui subiacet. Isidorus lib. 14. Orig. cap. 8. Solum est omne quod sustinet, à soliditate dictum. vtuntur Cicero Anteq. iret in exil. & pro Cornelio, Ennius Annal. 3. Lucretius lib. 2. & 5. Catullus in Galliambo, & antiquorũ verborum studiosus conquisitor Prudent. in Apotheg. 626 Zephyro subdita tellus] Hispania zephyri flatibus obnoxia, quia occidua. ἰσπανία Græcis raram seu preciosam denotat, inquiunt. sed si quasi ἰσοσπανία, indiga potiùs & pauper. Verùm id per antiphrasin.

627 Hebrus] an aurifer? nescio. non memini. fortè pro tota Thraciâ posuit, quæ fertilis magnâ ex parte. vel corruptum nomen, ex; Hermus.

628 Ruráque Moguntinens. vndáque. sed carmen respuit.

640 Quota] Moguntinens. Quarta. vitiosè.

648 O si pateant pectora ditum] Euian. ducum. Boëtius lib. 3. de consolat. philosoph. vt legitur in membranis D. Mariæ Siluæmaioris:

Quos vides sedere celsos — Vulgò, celso.
Solij in culmine reges,
Purpura claros nitente
Septos tristibus armis,
Ore toruo comminantes
Rabie cordis anhelos;
Detrahat si quis superbis
Vani tegmina cultus;
Iam videbit intus artas
Dominos ferre cathenas.
Hinc enim versat libido
Auidis corda venenis:
Hinc flagellat ira mentem
Fluctus turbida tollens:
Mæror aut captos fatigat,
Aut spes lubrica torquet;
Sæuos caput tot vnum
Cernas ferre tyrannos.
Non facit quod optat ipse,
Dominis pressus iniquis.

650 Bruttia] *mare Bruttium, à Bruttiis Italiæ populis, Coro valdè infestatur. βρούτιοι quibusdam Græcis rectè dicti, auctore Strabone, quia oriundi à fugitiuis, Lucanorum; Lucani verò fugitiuos βρεττίους appellabant. Stephanus etiam sic nominat. nam in βρέττος & in βρουτία tradit, Brutios dici qui in Siciliâ Brutian vrbem incolunt; Brettios autem in Italiâ dictos ab vrbe Bretto, quam condidit Brettus Herculis filius, & ab hac totam Italiam Antiocho dictam Brettiam. βρέττιοι etiam Aristophani noti, & Dionysio Periegeti, sic enim rectiùs quidam libri, quàm alij; qui, βρέυτιοι.*

653 Patulâ pocula fago] *nam, vt hodie, & olim pocula ex fago fiebant. Virgilius:* ——— tibi pocula ponam

Fagina ———

Tibullus: Faginus astabat cum scyphus ante dapes.

Ouidius: ——— fabricatáque fago Pocula ———

Idem: Terra rubens crater, pocula fagus erant.

656 Non strictos] *alludit ad conuiuium parasito exhibitum Dionysij Syracusani iussu, suspenso de setâ equinâ supra caput gladio. narrant Cicero 5. Tuscul. & Macrob. in somn. Scipion. & Ammianus Marcellin. lib. 30. qui loquitur ita, quasi sæpius à Dionysiis hoc factum fuerit.*

660 Pelagi rubentis] *Erythræi maris.*

662 Lapis] *sic vocat margaritum, vt & Ammian. Marcellinus lib. 23. vbi ortum & naturam vnionum latè prosequitur: qua de re fusè Arrianus lib. rerum Indicarum.*

667 Ser] *Dionysius de serum operibus, vt vtar Papij versibus, nam grata mihi recordatio:*

Quîs nec cura boum, pecorum nec pascua cordi,
Florea sed vastæ pectentes gramina terræ
Arte parant variâ vestes, sumtúque superbo,
Florida diuersis quæ prata coloribus æquent.
Non illis operum certarit aranea laude.

672 Quorum] *Moguntinens. Herbipolens. & Veneti:* Quarum, *dixit ante illa.* 678 Puer] *Phaethon.*

683 Sulcat] *scheda Burdegal.* pergit. *Basileens.* cùm pergit. *Mogunt.* percurrat. *Venetus primus*; peregerat. *alij duo*; peregit. *Lugdunens.* peragrat. *Lipsiens.* dum sulcat. *quod ceteris melius, vt & illud*; dum pergit.

684 Tenuit Latias Dædalus oras] *Lucianus lib. de astrolog. hæc vanis astrologis pulcrè adaptat. fabula ipsa nota ex Diodoro lib. 4. Biblioth. cap. 19. Seruio in 6. Æneid. & Ouidio in Metamorph. & Arte. Venisse tunc Dædalum non in Sardiniam modo, & in Siciliam quod Sallustius & Ouidius; sed etiam in ipsam Italiam, Cumas & alia loca, præter Virgil. lib. 6. Æneid. docet Stephanus:* Δαιδάλεια πόλις Ἰταλίας, Δαιδάλου κτίσμα, ἥτις Ἰουλία νῦν καλεῖται. *Iulia ergo vrbs exstructa à Dædalo in Italia, olim Dædalea. sed an in Latio propriè dicto fuit? non puto. sed Latium, sumitur pro totâ Italiâ, vt solet pars præcipua pro toto. Nec deest huic acceptioni idoneum acumen. allusit ad Saturni latebras, & etymon Latij. nam his se primum oris Dædalus credidit: hîc tutus latuit.*

689 Pon-

689 Ponto] *Icarium mare lapsu suo nominauit.*

695 Phaselos] *phaselus, breue nauigium, celebratum Catullo. vide Seruium Honoratum.*

698 Medióque rates quærit in alto] *vnde Clitomachus:*

Fortuna spirans aduersa prospere agentibus
Omnia confundit.

702 Fertur rap. Regina gradu] *mei o.l. sic continent. Criticorum lib. alius*; fertur medio Regina gradu. *magis arridet mihi*; rapido. *hoc enim timentium: gradum citare. nec de alio cogitandum vocabulo.*

IN ACT. III.

Commemorat Deianira metus sui causas, narranti superuenit Hyllus, & refert quantum mali & miseriæ munus eius Herculi attulerit. illa graui dolore & desperatione percellitur; seq́ interimit.

708 Cor-salit] *videtur subsilire, vel, vt Comici loquuntur, lienosum est, artem facit histrioniam. hinc sumebatur diuinatio* salitoria.

711 Languidis ventis dies] *Moguntinens.* languidus.

714 Vrget] *sic Philoetas:*

Nec mihi Parca malorum finem adfert, sed manet
Constanter, & præsentibus accrescunt alia.

pro semel, *quod legit & exposuit Daniel, est in Moguntinens. Herbipol. & primo Veneto*; simul.

717 Thalamísque demens] *dementem se vocat, quòd pallam misisset, hostis sui secuta consilium, neq́ prius re exploratâ. confirmant Mogunt. & omnes veteres excusi, qui*; amens, *minùs benè. sed optimè m. s. qui*; mærens.

718 Struit] *sic etiam Mogunt. & Herbip. Lugdunens. autem*; astruit.

720 Ostendi arcuit] *sic emendant, & assentior. nam*; ostendi, *inuenitur etiam in Moguntinens. Herbipol. & trib. Venet. facilè etiam fuit, ex*; arcuit, *facere* arguit. *c. in g. affinem litteram.*

727 Abiectus horret sanguis] abiectum horret virus. *Moguntinens. Herbipol. & Veneti, sed iidem seq. vers.* tepefactum. *Sophocles interpres huius loci:* ——— nam lana ea

Qua tunicam inunxi pura, & albo vellere
Detonsa, prorsus in nihilum redacta iam
Euanuit; nec tacta ab vllo, intus qui erant,
Consumta per se periit, & summâ petrâ
Dilapsa in auras, tabuit. *& mox:*
Lanam ante paullò, qua togam perunxeram,
Cùm fortè coniecissem in ignes fulgidos
Solis micantis, mox ea (horreo eloqui)
Feruore vbi est correpta, tota nescio
Quo diffluit modo, ac humi exaret cadens:
Perinde serrâ ligna dum secantur, ac
Tenuem scobis si conspicere puluerem.

Terráque ibi spumosus ebullit liquor;
Haud aliter quàm adueniente auctumno è botris
Expressa Bacchi musta feruent pinguia,
Effusa humi ———

730 Mimas] *mons Ioniæ, perpetuis obsessus niuibus, Homero, Aristophani, Thucydidi, Ouidio, Lucano, Silio, Solino.*

Salo] *Mare salum, siue quod fluctuet, ἀπὸ τῦ σαλεύεσθ. siue quia salsum.*

735 Comam] *ipsam illam lanam, quâ inunxerat pallam. declarat Sophocles, si aduertitis.*

739 Tuménsque] *verissimè ἀταξίαν hîc esse monent. dicam posteà vbi versus iste ponendus. Si omnino hîc manere vis. audi m. s. Moguntin. & Venetos, in quibus,* timénsque, *& lege,* Timens quæ tacita sequitur, *vt hoc dicat Deianira, veniente mœstâ nutrice, cum Hyllo mœsto, & properante. Verùm huic lectioni lex carminis repugnat.*

747 Regia triumphi templa Iunonis pete Hæc tibi patent, delubra Præclusa omnia] *habentur hæc carmina in nonnullis m. s. vt in Moguntino in quo tamen legitur,* Regina triumphi, *&* recluso omnia. *non dubito versus germanos esse. & illud* Regina *coniecturam Lipsij confirmat, qui sic legit:*

Nescio quod animus grande præsagit malum.
HYL. Regna, triumpha, templa Iunonis pete,
Hæc tibi patent. delubra præclusa omnia.
DEIAN. Effare qui me casus insontem premat.
HYL. Decus illud, *&c. & interpretatur commodissimè: vt iubeat Hyllus matrem agere triumphum, re tam præclarè confectâ: sacrificare Iunoni, non aliis Diis. quia ceteris Diis mors Herculis mœrorem, soli nouercæ voluptatem sit allatura. sic enim inferius Chorus, vers. 1547.*

Soláque obductis foribus Deorum
Templa securæ pateant nouercæ. *obitu scilicet Herculis.*

750 Vrit lu. nescio quæ] *etiam Moguntinens. Herbip. Veneti. sic habent. Nec iuuant hilum qui se iuuare versus legem profitentur.*

749 Obiit] *desperat de Herculis vitâ, nondum mortui*, obiit, occidit, interiit, deuixit, mortuus est, *δυσφημίας verba; quæ in familiari colloquio veteres refugiebant; tragici consectantur.* vixit, abiit, fuit, *εὐφημίας, vnde &* abitio, *pro morte, apud Festum.*

765 Vastum nefas] *Burdegalens. lib.* magnum scelus.

768 Timet] *Moguntinens.* stuuet. *an voluit scribere;* stupet.

Infandum] *malè vett. impressi cum Mogunt.* nefandum.

769 Eat] *malè N.* iit. *contra fidem codicum.*

771 Tu illum dicis] tu *deest Lugdunens.*

774 Omni parte] *hæc verò EubϾ descriptio non est ad verum, nec ad Geographiæ legem, siue totam Eubœam, siue (vt Sophocles) Cenæum duntaxat promontorium metari voluerit. Est quidem Caphareus, etsi ad ortum, magis Australis, quàm Cenæum; Euripus tamen minas Aquilonis pati nequit. Vide Sophiani Græciam. Sophocles ait:*

—litore

——litore maris
Eubœi eminens
Locus eſt, vtrimque quod fretum, pulſat, vocant
Cenœum. 777 Inſtabiles vagus] *Mogunt.* inſtabilis vagus.

778 Septémque] *conſentit in numero Strabo, ſi rectè intelligatur: Antiphilus Byzantius quodam Epigramm. ſenarium prodidit: alij alium, & fortaſſis ab his omnibus certus pro incerto poſitus.*

779 Iuga] laſſum iubar *etiam Mog. & omnes olim excuſi, Ven. & Herb.*

781 Rupe celsâ] *ſollemne id fuit. poëta quidam:*
Ingentem Iouis humentis tunc exſtruit aram
Et ſacra imponit in montibus —— *Herodotus:* Iſtis verò lege ſancitum eſt, vt in altiſſimis montium verticibus eò aſcendentes ſacrificent. *Melanthes:* Omnis autem mons, Iouis mons dicitur: quoniam mos fuit antiquorum, vt ſupremo Deorum, in ſublimi loco ſacrificarent. *Ariſtides Orat. 1. ſcribit, homines, poſtquam vrbes condere cœperunt, Ioui arces conſecraſſe: tum quod in mundi ſummo culmine habitet, tum quia vltrò cedebant munitioribus locis ei, qui ſolus Regum optimè noſſet imperare.* 791 Sabæis] *de turis collectione conſule Plinium & Solinum. videtur Sabæos ab Arabibus diſtinguere. ſed ea de re nos ſuo loco.*

796 Fugax] *qui conatur fugere manus ſacrificulorum, vno iam ictu ſecuris exſternatus. non indecora hæc comparatio. quia mugienti tauro Alcidem gementem confert.*

801 Calpe] *ſequor emendationē Lipſij* chalcis. *quæ omnino aureola correctio eſt. Euripo Chalcis iungitur & loco. & more noſtri. de loco Strabo docet. de more, conſtat. ſic mox:* Semper Euripo properante Chalcis.

Cyclas] *nouem, teſte Higyno & Strabone, inſulæ Sporades vel Cyclades dictæ, quia Delum coronæ & circuli inſtar cingunt. auctor Ammianus lib. 22. multa de his Theuetus lib. 7. Coſmograph. cap. 12. & 14.*

807 Licham] *ſolitus in bello Herculem ſequi Lichas; à quo volunt militares lixas dictos. Feſtus in* Lixæ.

809 Parum ſui] *quidam lib.* paulum ſui.

811 Hac manu] *peritè narrat, quod ſine flagitio repræſentari non poterat. Secutus autem hoc loco ſum Lipſium; cuius ex m. ſ. illo præclaro præclaræ caſtigationes magno mihi hîc & ſæpè poſtea, in hac potiſſimùm, in qua meus manuſc. mutilus, tragœdia, vſui fuêre. ſed prolixum nimis ſingula repetere. profiteor, quæ non dicam me ex coniecturâ meâ vel codicibus meis repoſuiſſe, ex eius Animaduerſionibus deſumta.*

812 Herculem perimit] *vt à forti vinci ſpecioſum, ita ab imbecilli turpe & flagitioſum. Attius Armor. iudic.* ——nam
Trophæum me ferre à forti pulcrum eſt viro:
Si autem & vincar, vinci à tali nullum eſt probrum.
ſic numeris reſtitue, minimâ mutatiunculâ. Virgilius:
Aut ſpoliis ego iam raptis laudabor opimis,
Aut letho inſigni. *Vide Herc. Fur. 663.*

817 Getica] *Getas arcu & ſagittis vſos neſcit nemo, qui vel Pontica, vel Triſtia Naſonis legerit. Dionyſius Getas ad Iſtrum ſtatuit, & mox illos cum Dacis & Germanis mirè confundit. Apollonius etiam, iuxta Iſtrum collocauit. Thraces eſſe voluit Herodotus, eumq́ ſequuntur Latini poëtæ. nam & noſter alibi* Hebrum Geten, *vocat ab accolis, & Ouidius ſemper cum Beßis (qui Thraces origine) & Sauromatis coniungit. & Virg. lib. 4. Georg.*

—— flerunt Rhodopëiæ arces
Altáque Pangæa, & Rhæſi Mauortia tellus,
Atque Getæ, atque Hebrus —— *Silius Italicus lib. 2. Punic.*
—— curſúque fatigant
Hebrum innupta manus, ſpreti Ciconéſque Getæque,
Et Rhæſi domus, & lunatis Biſtones armis.

ſcilicet quia vt Tanaim, ita & Hebrum accoluerint. teſtatur Tibullus lib. 4.

Quáque Hebrus, Tanaíſque Getas rigat atque Moſynos.

Plinius & Appianus confundunt cum Dacis, de quibus alibi. Melius diſtinxere Strabo, & Stephanus, vt Getæ magis Orientales ſint Ponto vicini; Daci ad Iſtri fontem, & Germaniam vergant. Stephanus: οἱ Δάκοι οὓς κάλουμεν Δάους. Γέτας γὰρ τοὺς πρὸς τὸν Πόντον κεκλιμένους, καὶ τὴν ἕω. Δάους δὲ, τοὺς πρὸς ταναντία πρὸς Γερμανίαν, καὶ τὰς τοῦ Ἴστρου πηγάς. καὶ παρ' Ἀττικοῖς δὲ, τὰ τῶν οἰκετῶν ὀνόματα, Δάοι καὶ Γέται. *vbi & illud, Dacos etiam Daos vocari, & hos populos (quia vicini ſibi) cauſam præbuiſſe Athenienſibus, vt ſeruis ſui nomina Dauorum & Getarum imponerent. Getas tradit Spartianus in Caracallâ poſtea Gotthos dictos, & Ioannes Magnus lib. 1. hiſtor. Gotthorum Gotthos eſſe gentem Gethicam probat. Mihi probatur præ ceteris, Originem gentis ex Schandiâ fuiſſe inſulâ, & inde erumpentes, partem propè Pontum, partem propè Cymbricam Cherſonneſum conſediſſe, hos propriè* Gotthos *vocari; illos primò quidem* Getas *(quo nomine Claudianus, vt vſitato magis, vtitur) poſtea etiam, quòd ſe iſtis aliis adiunxiſſent, eorumq́ facti acceßio, omnes* Gotthos *nuncupatos. hoc accuratè confirmat Fran. Irenicus Exegeſeos lib.* 1. *Hebræis Getæ, vt ceteri Scythæ Magoh à filio Iapheth* מגוג *, vt volunt Arias & alij recentiores linguæ Hebraicæ periti: ſed id videtur non concedere D. Auguſtin. negat enim* גוג *&* מגוג *ſic accipi debere, tanquam ſint aliqui in aliquâ parte terrarum conſtituti, & de Getis ac Maſſagetis expreßè reijcit. Vide lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 11.*

Vide epiſt Viuis ante Commentar. in D. Auguſt. de ciu. Dei, hac de re, ſatis agentem ambiguè.

818 Cydon] *incola & vrbs eodem nomine in Cretâ, arte ſagittandi celebres. Virgilius*: Parthus ſiue Cydon telum immedicabile torſit. *hodie fortaßis* Ciſamus.

Inferius tamen & tela fugient] *tam altè in cælum proiecit Licham, vt tam altè iaci nequeant à Getis vel Cydoniis tela: eoq́ iactu caput auulſum in ſaxa, truncus corporis in mare decidit. immane mendacium.*

822 Malum eſt] *foret concinnius*; ita'ſt malum.

830 Nunc ore] *Sophocles*:

Dolore iterum fero victus ſe humi ſternit. *& addit:*
κοὐδεὶς ἐτόλμα τ' ἀνδρὸς ἀντίον μολεῖν.

ἐπ' αὐτὸ

ἰαπτὸ γὰρ πέδονδε, καὶ μετάρσιος βοῶν. ἰύζων.

Nunc humum ore extensus ferit, nunc in pedes
Erectus, horrendo eiulat sono ——

833 Vnda non vincit] *Nonnus Schol. in D. Nazianzenum etiam aquam perpetuum calorem accepisse, & inde exstitisse Thermopylas refert.*

834 Et nota] *quæ frequenter adierat.*

837 Nunc puppis] *sacrificabat in Eubœa ad Cenæi Iouis, sed inde nauiculâ illatus continenti ad Oetham, vbi exspirauit.*

839 Destituit] *ipsum Herculem relinquit animus, vires deserunt, paulatim emoritur. non est necesse hunc versiculum dare Deianiræ. sino, vt fuit.*

845 Tantis] *sceleribus.*

846 Leui telo] *poßidebant & alij Dij præter Iouem fulmina, vt alibi dictum. sed duplicem obseruaui differentiam vtriusque fulminis. Prior, ex Acrone, quòd aliorum Deorum fulmen, album, vel nigrum; solius Iouis, rubrum. Vnde Horatius:* —— & rubente

Dexterâ sacras iaculatus arces.

Altera, quod alij Dij tantùm poßidebant grauius *fulmen, quo noxij puniuntur: illud verò quod* secunda *seu* tausta *tela vocat Ouidius,* minus *&* leue *noster, & de quo Claudianus*:

Pacificas rubri torsisset fulminis aras;

hoc ad solum Iouem pertinebat, & ab eo tantum nonnisi monendi homines gratiâ mittebatur: quia (vt Seneca docuit) ad regem maximè spectat iuuandorum subditorum cura & sollicitudo. Stabiliuntur hæc Festi ruderibus: Manubiæ Iouis tres dicuntur esse, quarũ vnæ sunt minimæ, quę moneant, placidæque sint. Alteræ, quæ maiores sunt ac veniant cum fragore, discutiántque aut diuellant; quæ à Ioue sint, consilióque Deorũ mitti existimentur. Tertiæ his ampliores, quæ cum igne veniant, & quamquam nullum sine igne fulgur est, hæ propriam differentiam habeant quòd aut adurant, aut deforment fuligine, aut accendant, quæ statum mutent Deorum consilio superiorum. *postulat ergo Deianira iaci in se has vltimas manubias. Sed quid sibi volunt Glossarij Græco-Latini scriptores;* Fulgurium, κεραυνοβόλιον ἡμέρινον. Bidentale κεραυνοβόλιον. fulgur sub manum κεραυνοβόλιον ἀπὸ πρωΐ νυχτερινόν. *An vltimum istud Plutonis, & legend.* Summanum *? primum verò Iouis, & scrib.* Fulgur, Dium? *nam antea*; Diumius Ζεὺς κεραύνιος. *&*, Dium ἀστράπη. *idem ergo, fulgetrum, fulgurium, & Dium: vide infrà Agamemn. vers. 524.*

851 Telum] *Herodotus*: telum immisit Deus. *Sophocles*: immitte telum pater fulminis. 852 Perdidi] *Phaëtontem cremasti, quia mundum incendio corrũpebat: in Hercule mundi securitas & salus. perdidi Herculem & eripui mundo. orbem ergo non minus quàm Phaëton perdidi. quare par causa par supplicium exigit. satis acuta hæc, non quæro acumina aliena. non quicquid subtilius, & verius. Eadem inf. explicat vers. 870. & seq.*

857 Cur? deme fer.] *cur occupem ferrum? desit ferrum, vndique tela ad mortem suppetent quicquid occurret, in mortẽ trahet. non deerunt rupes,*

vnde me præcipitem. sic Basileens. & Lipsiens. & confirmat vitiata scriptura Moguntin. & Herbipolens. & Venetor. cur demum ferrum? *Non tamen improbo aliud:* Cur deinde ferrum? *simili enim phrasi infer.*

Cur deinde latebras, aut fugam vecors petam?

863 Asperi montis] *malè Moguntin.* asperi ponti. *rupes aspera, non pelagus.* 874 Aræ] *Busyridis.*

884 Haud est nocens] *Sophocles:* —— leuior

Peccata punit pœna, quæ non spontè sunt
Commissa.

885 Facto] *qui sibi parcit, commisso scelere. At Moguntinen. Herbipol. & Veneti;* fato. *& potest, hac mente; Quicumq; scelera sua in fatum reiicit, & vt fati necessitate coacto ignoscit sibi. Sic sua scelera Phalaris passim excusat, fati necessitate se compulsum.*

892 Vinci Hercules non potuit, hinc cœpit mori] *Et ego minus probam hanc credo, quam (nisi fallor) primus N. intrusit. nam cuncti lib. scripti, vett. excusi & Lugdunen. continent;* Vinci Her. cùm potuit. *nec malè Daniel explicat:* Quando Hercules potuit vinci (*veneno scilicet Nessi, & veste missâ*) & retineri à famulis, credendum est illum incepisse mori. *nec vnquam reiecta hæc à me. testor aduersaria.*

894 Natum sepelit] *rectè censet Hyllum à se occisum, quia patrem eius occiderat. nam, vt ait P. Syrus:*

Homo toties moritur, quoties amittit suos.

896 Sceleris te] *sic Burdigal. Moguntin. Herbip. Veneti & Lugdunens. ceteri;* scelere *prius elegantius, sed lex versus respuit; nisi versus exlex, vt in hac tragœdia fortè sæpe.*

Nemo nocens] *fati culpam, non sceleris agnoscebat Deianira. non (inquit) iccirco nocens videbor, quia pœnam non cogitati sceleris à me exposco. nullus enim pœnas à se exposcit eius, quod patrare voluit; sed eius, quod cùm nollet patrare, per imprudentiam consciuit. Respondet Nutrix. Idipsum te potiùs ab infligendâ tibi pœnâ dimouere deberet. plerisque enim quibus animus innocens, manus nocens, homines ignouerunt. Et quis adeo demens vt fata sua damnet, quæ in ipsius sita non sunt potestate? Acutiora sanè hæc iis quæ substituunt.*

900 Fata iniqua] *quæris quis damnet fata? ille damnat cui fata iniqua obuenerunt. mihi talia. iccirco mortem peto, vt fata effugiam.*

902 Indolem] *spem pulcram virtutis futuræ, quam ex puerorum vultu colligimus. Indoles enim* καλὴ ἐλπὶς ἐν νεωτέρῳ *in vet. glossario, quæ etiam* χαρακτὴρ *dicitur. Porrò in Mogunt. & quatuor primis excusis;* indoles.

903 Flectens] *Figuntur in corporibus tela, sed postquam flexus arcus. in corpora missuri, arcum flectimus: nec nouum, quod arcus proprium, accommodare telis. ideo retineo cum quatuor manusc. & omnibus excusis;* flectens. *sup. Herc. Fur. hac eadem de re:*

Virtum coactis flexit arcum cornibus.

905 Fonte Cyniphio] *Cynips vel Cyniphs Africæ fluuius inter duas*

Syrtes ortus, per Macas in mare Libycum labitur, auctore Herodoto. Pintianus *monuit in recto debere sine aspirationis notâ scribi, quam exigat in obliquis. ab hoc flumine Silius lib.* 3. Macas *vocat* Cyniphios. *Quid si fontem Iouis Ammonis, qui arietis seu hirci formâ colebatur,* cinyphium *vocarit? is enim Libyæ propriè dictæ. Vide Herc. Fur. in fine.*

909 Fraudem] *Nessi; à quo licet decepta, credulitatis stolidæ pœnas à me lubet exposcere.* 913 Immensa] *Mogunt.* Immersa.

922 Cum Alcide] *quid enim desideret aut quærat in mundo, mundi vindice sublato? an mala perpeti, à monstris, tyrannis, & feris? Mogunt. Venet. & Herbipolens.* quicunque Alciden. *non placet.*

923 Per has aniles] *ita in Hippol.*

Per has senectæ splendidas supplex comas
Fessumque curis pectus & cara vbera
Precor —— *& apud Ouidium:*
Instat anus, canosque suos, & inania nudans
Vbera, per cunas alimentáque prima precatur.

Iustinus lib. 16. cùm vitam etiam per vbera materna deprecaretur.

924 Materna] *Moguntinens.* mater obsecro.

928 Interim] *secus hæc olim accepta à me, melius Lipsius dispunxit; vera quidem, quæ de exspectatione mortis dixeram, & quæ ex multis probari facilè possunt, Claudiano in Rufin. D. Hieron. in vitâ S. Malchi, Lactantio lib. de falsâ sapient. cap. 8. Senecâ epist.* 105. *Seuero Cassio apud Senecam seniorem lib.* 3. *declamat.* 5. *sed aptior fors interpretatio, vt* NV. *volenti mori, & asserenti crudelem esse, qui miserum mori non sinit; imò verò, inquiat, qui sinit. nam mori semper pœna est, siue miser, siue felix, qui moritur. Possit etiam sic legi:* —— crudelis ille est interim. NV. Pœna est mori. *interea dum dissuadet, & distinet morituríentem, crudelis est.* NV. *imò mors est suppliciũ. Verum fatebor, nec hoc planè satisfacit. Sic Tertullian. apolog. c.* 19. non tam difficile est nobis exponere, quàm enorme; nec arduũ, sed interim longum. *Vide etiam supra ver. 481.* 931 Sciat] *ipse Hercules; qui, si moreris, noxiam putabit: si viuis, expurgandi occasionem tibi non adimis.* Sciat, *habent Moguntin. Herbipol. & Veneti tres: primi Basileens. mutarunt in;* scias.

938 Iuno non ausa Herculem est eripere terris] *totum hoc mihi suspectum, vt alieno loco positum.*

944 Thessalum] *Ixionem Phlegiæ, vel, iuxta Higynam, Leontei filium: alius Ixion II. Corinthiorum rex.* 946 Vacet] *sic o. l. tam scripti, quàm excusi. cur mutatis? iubet enim earum vnam quæ labore irrito aquam hauriebant vacare: se obituram vices eius. Illa quæ numero deerat quinquagesima nõ vacat; nũquam apud inferos cum sororibus forato vase vndas, quas perderet, repetiit.* 948 Coniux] *Medea.* Mater nocens] *sup. Medea necat liberos.* Soror] *prius, discerpto Absyrto fratre.*

958 Belias] *Beli neptis, Danai filia. Ouid.* 4. *Metamorp.*

Molirique suis lethum patruelibus ausæ,
Assiduè repetunt, quas perdunt, Belides vndas.

sed

ſed vide ſis hominum ſtultitiam: non defuère, qui mariticidas, poſtea ducerent; quod quâ induſtriâ perfecerit Danaus, narrat Pauſan. in Lacon.

966 Titan] *Sol, Hyperionis, qui Titanum vnus, F.*

973 Si poteſt] *An armata manus tua telis ſolitis, valet arcum intendere in hoſtem? an verò arma tibi exciderunt, & imbecillam, vi morbi victis viribus, manum arcus contemnit? ſi valet manus tua tela mittere, intrepida coniux, &c. ſic Ouidius:* ——— nec quæ magis audiat arcum. *hoc eſt, quæ promptiùs & fideliùs obediat, & iuſſum vulnus infligat.*

976 Licham] *ab hoc tres inſulæ, Lichades dictæ, Straboni lib. 9. de morte eius Ouid. 9. Metamorph.*

Sic illum validis iactum per inane lacertis,
Exſanguémque metu, nec quicquam humoris habentem,
In rigidos verſum ſilices prior edidit ætas.
Nunc quoque in Euboico ſcopulus breuis, eminet altè
Gurgite, & humanæ ſeruat veſtigia formæ:
Quem, quaſi ſenſurum, nautæ calcare verentur,
Appellántque Lichan ———

978 Arcadiæ nefas] *Mænalium ſuem.* 982 Hylle] *Cornutus, antiquiſſimus ferè artigraphus,* Ymetthus, Yacinthus, Yllus, *& ſimilia, vult ſine* H, *ſcribi. Sed Eutyches orthographus lib. de aſpiratione:* Omnis vox ſeu Græca ſeu Barbara ſuum ſeruat apud Romanos, tam in vocalibus, quàm conſonantibus ſpiritum, vt Hannibal, Rhenus. *quare retineo,* Hyllus. 994 Alcidæ] *ſic dictus Hercules, vel ab auo Alcæo, vel ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, fortitudine.*

995 Nec peragens mala] *ſic excuſi. m. ſ. variant. In Moguntin. eraſum quod prius, & repoſitū vt hîc. lego;* nec peragens, (*.ſ. iuſſa*) malè Erres, *&c.*

999 Parcant] *plures membranæ;* parcunt. *& ſic etiam Mogunt.*

1001 Quænam] *Deo laus, videor inueniſſe, quo errorē reuocē; hoc pacto:*

Quænam iſta torquens angue vipereo comam,
Tuménſque tacita ſequitur, & quaſſans caput,
Temporibus atras ſquallidis pinnas quatit?

huic ille ſecundus verſus loco natus; qui ſup. verſ. 739. cuncta interturbabat.

1005 Sedere] *hoc Iudicum. Propertius:*

Et Veij veteres, & vos tum regna fuiſtis,
Et veſtro poſita eſt aurea ſella foro.

In ſacris etiam litteris: Rex qui ſedet in ſolio iudicij. *Vide Iacob. Menochium lib. 1. de arbitrar. iudic. q. 61.*

1012 Suſtine] *Propertius:* Flumina Threiciâ ſuſtinuiſſe lyrâ.

1022 Moritura] *Trachyne ſe interfecit Deianira, non Argis, eiusq́; tumulus ad radices Oetæ montis, adhuc Pauſaniæ temporibus. vide in Corinth.*

1024 Auferre] *hoc numeris aptiùs. iam antè docui fugere noſtrum iambos in penult. ſede. hoc (ait) reſtat, impedire morientem. Mox ſe reprehendens. Me miſerum, inquit, ſaluâ pietate nequeo. Nam ſi matrem mori non ſino, impius in patrem cui illa mortem: ſi mori matrem non veto, matri debitā violo pieta-*

pietatem. Nil ergo saluâ pietate piè facere queo: sed ipsâ pietate impius sum futurus.

IN CHORVM.

Commendaturus Orphei dictum, in gesta & musicam illius digreditur; & tandem ex diuerticulo regreditur ad γνώμην *omnibus rebus necesse emori, homini, animantibus, inanimis, cælo, ipsi morti.*

1031 Threiciam chelym] *cur hoc improbum? sic Propertius,* Threiciam lyram, *vocauit. sic o.v.l. omnes etiam impressi quos vidi. scio,* Pieriam *dici rectè. nam Schol. Apollonij;* Πιερία ὄρος Θρᾴκης. ἐν ᾧ διέτριβεν Ὀρφεύς. *sed Pieria, Thraciæ: quare non patior illud tolli;* Threiciam. *&, reddo eandem vocem Glossario Latino-Græco; vbi malè scriptum;* Græcanicum βίθυνον. *Creticum* ἑλληνικόν. *rescribo.* Threicium, βίθυνον. *Græcanicum* ἑλληνικόν. *docet Claudianus:* Thyni Thraces erant, quæ nunc Bithynia fertur.

1033 Æternum] *hic ponitur pro eo, quod finem nullum habet; aliâs pro eo quod finem quidem exspectat, sed quem, & quando, nescitur. vt apud Horatium lib. 1. epist.* Seruiet æternum. *quæ explicatio latuit eruditulos nostri æui, non latuit D. Augustinum, sic explicantem illud Exo. 21. & seruiet in æternum, lib. 2. locutionis de Exodo. tom. 3. & lib. 1. quæstionum super Genes. cap. 31. tomo 4. vbi Horatij versum interpretatur: & fuere profectò Hieronym. Augustinus, Ambrosius, Orosius, Isidorus omnium litterarum peritiores; quam scioli quidam suspicantur; quorum audacia & supercilium illa Ecclesiæ lumina loliginis suco aspergere conantium, vix vlterius ferenda bonis & Christianis auribus videntur.*

1036 Sequi fugas] *cuius, aut quas? an per* fugas, *cursum suum intelligit? an legendum cum quibusdam;* fugax. *vt sit,* Oblitúsque sequi, fugax amisit liquor imp. *hoc amplius placet, quàm quod coniiciebam:* Oblitúsque stetit fugax Amisso liquor impetu.

1047 Centauris obitum ferens] *quos ruina opprimit. Mogunt.* Centaurus orbiter fer. *Tres Veneti, & Herbip.* Centauros obiter ferens, *secum deferens dum caderet centauros. sed placet illa prima.*

1048 Iuxta Rhodope] *Rhodope accessit & stetit prope Orpheum auscultatura: hoc confirmat Claudianus. sed Marmita monuit melius legi;* Rhodopen, *vt videlicet Orpheus in Rhodope, & huic astiterit Athos. pro;* iuxta, *Herbipol. & Veneti continent;* victa.

1050 Suam] *Seruius scribit Dryades esse, quæ inter arbores habitent; Hamadryades quæ simul cum suâ arbore nascantur & moriantur, vt nomen indicat: & Apollonius recensens historiam Perabij & Nymphæ arbori suæ commorientis, vocat Hamadryadem, lib. 2. versu 479. vbi in hanc rem multa Scholiastes, ex Pindaro, Charonte Lampsaceno, & Mnesimacho, idem de Hamadryadibus prodidit Hesychius; & de nymphis cum quercubus ortis testatur Callimachus in hymno Delio, hoc vsus argumento, quòd gaudeant, quando quercus copioso imbre irrigantur; mæreant, quando comâ spoliantur. has Latini* Querquetulanas *vocarunt, vt docet Festus. reprehendit grauissimè huiusmodi deliria Sedulius versibus, quorum initium:*

Arboreis alius ponit radicibus aras Instituítque dapes, *&c.*

quod enim de Dryadibus loquatur, nomen suadet. δρῦς namque non glandiferam modo, sed omnem arborem significat, propriè tamen quercum. Ideo Seneca dixit: Quercum fugiens suam. *Gallorum sapientes quia Syluicolæ,* Druidæ, *quasi* Dryidæ *dicti.*

1054 Iuxtáque] *alludit ad illud Ouidij:*

Sæpe canes, leporésque vmbrâ iacuere sub vnâ,
Et stetit in saxo proxima cerua leæ.

1058 Oblita veneni] *soli Lugdunens.* mali sui.

1059 Tænarias] *Moschus:* ——— quod si possem
Vt Orpheus, qui descendit ad inferos, sicut quondam Vlysses,
Et ante eum Alcides: ita ego fortè venirem ad domum
Plutonis ———

1060 Commonitos] *Moguntinens.* illi mitos. *ego censeo;* non domitos. *tales tunc, quia primus illos flexit cantu Calliopes F.*

1069 Volucres tenet] *mei libri omnes;* volucres: *& Ouidium imitatur, laudatum alias à me: & plures volucres noster agnoscit alibi: Ideo mihi non placet, quod placet amico; vt ex vno cod.* volucrem *reponamus.*

1070 Nauita] *Charon, quem D. Isidorus lib. 8. Origin. videtur confundere cum Plutone. à Charonte dicta* Charonia. *Laberius in staminariis:* Tollet bonâ fide vos Orcus nudas in Charonium. *quod rectè restituit apud Gellium lib. 16. cap. 7. Badius, etsi in explicando halucinetur, quemadmodum & Mosellanus: corrupêre recentiores secuti Cælium Rhodigin. li. 10. cap. 18. & li. 12. cap. 17. Vide, si placet, Pet. Victorium lib. 16. var. lect. cap. 16.*

1072 Nullo remigio] *aduolante naui sponte suâ, ad cantum Orphei.*

1076 Nec pomis] *quia famem sitimq; non potus aut cibi suauitate, sed concentus dulcedine excussit.*

1087 Nata est] *sic Mogunt. cum cunctis impressis.*

1095 Colo] *hoc reposui, legebatur;* polo. *sensu nullo.*

1097 Quod natum est poterit mori] *Trismegistus ad Tatium;* πᾶν τὸ γενόμενον, φθαρτόν. quicquid natum est interire potest. *Aristoteles lib. 1. de cælo; omnia quæ generantur, corrumpi docet. Arrianus lib. 2. vitæ Epicteti cap. 5.* Norim ei quod natum sit, etiam esse pereundum: *& multis c. 6. & lib. 3. cap. 24. Statius etiam lib. 2. Silu.*

——— omnia functa
Aut moritura vides. obeunt noctésque, diésque,
Astráque, nec solidis prodest sua machina terris.
Nam populos mortale genus, plebisque caducæ
Quis fleat interitus? hos bella, hos æquora poscunt,
His amor exitio est.
Vt sileam morbos; hos ora rigentia brumæ,
Illos implacido lethalis sirius igni,
Hos manet imbrifero pallens auctumnus hiatu.
Quicquid habet ortus, finem timet.

1103 Libyam] *Africam, hac Libya dicta à Græcis: & à Sallustio apud*

ntium Paullinum; qui locus fragmentis aliorum potest addi:

Europamque, Asiámque duo vel maxima terræ
Membra; quibus Libyam dubiè Sallustius addit,
Europæ adiunctam, possit cùm tertia dici.

lum soluit Lucanus lib. 9.

Tertia pars rerum Libye, si credere famæ
Cuncta velis: at si ventos cælúmque sequaris,
Pars erit Europæ —— *Arator:*
Europæ, atque Asiæ, Libyæque tenebitur orbis.

Hieronymus duas Libyas ponit, vnam Cyrenaicam (Act. 2.) alteram thiopicam, vsque ad meridianum Oceanum pertingens: illa prior Aegypti ta est, & mari Libyco nomen dedit. Hebræis Africa seu Libya פוט *Put, vel Pul.* 1112 Deos] *vel interpretare sidera, more Stoicorum; vel fate- Deos Stoicis mortales.*

114 Et mors fata nouissima in se constituet sibi] *An hæc est illa sen- tia quam Senecæ tribuit Tertullianus lib. de Resurrect. carnis? similis qui- , non eadem. nam illam Seneca protulerat his verbis:* post mortem om- finiuntur, etiam ipsa. *patet ex Tertulliano lib. de animâ cap. 42. Porrò dicit, Mortem fati dominam, postquam cunctis manũ iniecerit, seipsam turam.* 1116 Mundum] *sphæras cælestes: alioquin quomodo mun- capiant elementa eorumq́ spacium, quæ ipsa pars mundi?*

123 Fati] *Mogunt.* fatum. *melius alij;* fratrum. *& rectè explicant: s trium fratrum, qui orbem diuiserunt, Iupiter, Neptunus, Dis, capiet ia, cùm vnum erunt omnia?*

IN ACT. IIII.

uliebriter eiulanti Herculi superuenit Hyllus. narrat matris obitum, & i dolum. his ille compertis, oraculi olim accepti memor effectus, legit mor- in Oetæâ pyrâ.

32 Obsta nouerca] *sic Lipsicus, pessimè.* obstat nouerca, *Lugdunen.* at nouercæ; *Veneti, Herbipolens. & Basileens.* obsta nouercæ, *alij: or manusc. Moguntinen. qui;* obstet nouercæ. *polus atrâ nube horridus uat Iunonis oculis, ne me morientem aspiciat.*

40 Patri] *Saturno, contra fratrem Iouem.*

37 Gigas] *Gigantum etymon confirmatur, his Homericis in Βατραχομ.* γέων ἀνδρῶν ἔργα Γίγαντων. virorum terrigenarum opera Gigantum *rphei, quibus Gigantes vult natos ex Terrâ, & Cæli sanguine; ideoq́ no- sortitos:* ὃς καλέουσι Γίγαντας ἐπώνυμον ἐν μακάρεσσιν
οὕνεκα γῆς ἐγένοντο καὶ αἵματος οὐρανίοιο.

ulam plerique transferunt ad eos qui naturæ duci reluctantur; vel etiam magistratibus resistunt & aduersantur, quos Cicero lib. 3. de legibus, re- , Platonem laudans auctorem. reprehendit Ciceronem Victorius lib. 13. lect. cap. 9. quasi alia mens Platonis: sed arbitror Platonem id voluisse, dicant eius verba, à Turnebo in Comment. ad eum Ciceronis locum, ad- a. Macrobius lib. 1. Saturn. c. 20. Quid aliud fuisse (*Gigantes*) creden-

dum est, quàm hominum quandam impiam gentem, Deos negantem, & ideo existimatam Deos pellere de cælesti sede voluisse: horum pedes in draconum volumina desinebant; quod significat, nihil rectum, nihil eos superum cogitasse, totius vitæ eorum gressu atque processu in inferna mergente. *mallem*; vergente. *Ouid. lib. 5. Fastor.*

Terra feros partus, immania monstra Gigantes
Edidit, ausuros in Iouis ire domum:
Mille manus illis dedit, & pro cruribus angues.

in Metamorph. —— cùm centum quisque parabat
Iniicere anguipedum captiuo brachia cælo.

Sæuerus, in Ætnâ:

His natura sua est aluo tenus; ima per orbes
Squammeus intortos sinuat vestigia serpens. *Sidonius Apollinaris:* Non hîc terrigenam loquar cohortem,
Admixto mage viuidam veneno;
Cui, præter speciem modo carentem,
Angues corporibus voluminosis
Altè squammea crura porrigentes
In vestigia fauce desinebant.

ex his intelliges pleraque è Gigantomachiâ Claudiani, & cur Seneca in Medea de Typhæo dixit: Membra qui discors tulit. *Alcymus Auitus Archiepiscopus Viennens. egregius poëta, lib. 4. de Orig. mundi, hæc omnia, quæ de Gigantibus produntur, turris Babyloniæ ædificatoribus adaptat:*

Tempore quin etiam peccatrix terra sub ipso
Nutribat sæuos immania monstra Gigantes;
Nec tamen effari solitum, quo sanguine cretos:
Communi cunctis ortum de matre ferebant:
Qui genus, vnde patres, prohibent arcana fateri.
Si speciem quæras; humani corporis illis
Plus vultus, quàm forma fuit. sic linea membris
Conueniens hominem monstrabat, dissona molem.
Quapropter deinceps commentis Græcia fictis
Dedecus infandum massis informibus auxit,
Et portentosis descripsit corpora membris;
Pubetenus cum forma viri, cùm corporis ima
Supplerent vasti mixto pro crure dracones;
Artus semihominum, patulis qui faucibus, imo
Integros viuósque homines, crudo ore vorarent.
Tunc etiam aiebant diro terrore Tonanti. *&c.*

& paullo pòst:

Montibus impositos nec enim fas credere montes.
Hóc tamen & deinceps illos tentasse putabo,
Qui coctos lateres, lentóque bitumine iunctos
In sublime rati manibus sic posse superbis
Sustolli, *&c.*

Arcana; quia dissentiunt patres ex angelorum ne an virorum contubitu geniti. neq. id, tūc saltem, definitum.

alia

a habes, diuersa ab his, apud Pierium lib.16. & lib.25. Hieroglyph.
1154 Inarimen] sunt qui Virgilium & ceteros loqui velint de quadam
sula in orâ Campaniæ, quam prius Pythecusas vocabant, de qua Suidas,
arpocration, Strabo. Pherecydes apud Apollonij Scholiast. li.2. prodidit eam
phæo impositam, idq; Latini poëtæ, vt hîc noster, sequuntur. Quod si ve-
m, errauit Ouidius lib.14. Metamorph. Inarimen, Procbytan, Pythecusas,
s insulas faciens. Vide Turneb. lib. 20. Aduers. cap.8.
1160 Stadia] sic pro; stagna, Mog. Herb. & tres Veneti. primi Basileen.
tarunt. 1161 Trepidis] non cecidere Solis equi, nec illis excidit Sol;
oquin periisset dies. sed trepidarunt sonipedes, titubauit currus, ideo ferè
idit Phœbus. quid opus (ferè dixerã labi) lapsis reponere? quatuor mei m.s.
ad vnum excusi; trepidis. verè bonum hoc, bonum: sed & germanum.
163 Per meum] Sophoclæus Ciceronis, seu Attij explicatio addita suf-
, etsi non ad verbum. Euripidis, ista sunt:

——— neque ab oculis
Exstillaui guttas, neque arbitrabar
Eò rem venire posse vt ora rigarem lacrymis.

165 Instar] nónne melius; instat. Non imminet nec ingruit iam iam ob-
urum me latus abrupti montis.
166 Gigas] sic ad vnum libri omnes. & frustrâ sunt qui; Gygen sub-
unt. imitatur enim Sophoclem, cuius ego iam olim & Attij verba in ad-
sar. exhibui. Et sic suprà Ne quis Gigas Thessalica, &c. an & Gygen
elegent. miserum qui tot incommodas sedes subire cogitur: sup. ver.167.
ges legendum satis fusè docui quondam adolescens; & illud etiam Apol-
ri codicem mendosum videri. Nec vidi qui illic; Gyas, substitueret. vide-
quibus hoc ascribant; quos non nominant, sed suggillant; ne quid per ca-
niam. 1169 O misera virtus] Dion: Ipse etiam ad mortem con-
t, altáque voce recitato Herculis isto dicto; O infelix virtus! itáne,
nihil quàm nomẽ esses, ego te tanquam rem aliquam colui, cùm
ortunæ seruieris. cuius etiã Zonaras meminit li.2. & quod paullo aliter
t Plutarchus initiò lib. de suspicione. Lege Pet. Victor. li.23. var lect. c.2.
79 Potuissem mihi] Herbip. & Veneti; potuisset mihi. Mogunt. po-
e. quidam reponit, potuissem, hei mihi, Iunonis odio. Sensus; Vtinam
isero licuisset Iunonis odio occumbere. Suspicabar; prodesset mihi.
75 Femina Ouid. 9. Metamorph. Túne meæ necis auctor eris?
31 Sed nimis] Moguntinens. si nimis.
33 Amazon] Titinnius, auctore D. Isidoro, Amazones, vocat Vni-
mas. hinc Plauti; Vnimammia.
35 Quid tale] Moguntin. scelere. fors an ex; simile.
37 Excessit] sic etiam Moguntinens.
8 Ferebas] ægrè quidem, sed ferebas tamen: non malè sic connecti-
nec mihi nexus suadet vllam nouitatem.
93 Centauris] quo tempore in Pholoë monte eos vel occidi, vel profli-
narrat Polyænus in Stratagem. & Diodor. in Biblioth.

1194 Vinctus] *sic tres m.s. & Lugd. sed Mog. Herb. Ven. Basil.* victus.

1196 Tunc] *Mogunt. Herbip. Ven.* nunc.

1199 Pro feræ] *Moguntinens.* ô feræ.

1210 Monstriferum] *ipsi potius toti monstrum Titanes, malè Mogunt. & Eguian.* mortiferum. *placet;* montiferum.

1216 Eheu quis intus] *legunt ex manusc. suo:*

Heu qualis intus Scorpius quis feruidâ
Plaga reuulsus. *placet, nisi quod retineo;* plagâ reuersus, *cum ceteris omnibus libris, quia semel trāslatus è terrâ in cælū, nunc putat rediisse in solum.* 1222 Primam] *aliàs;* primum. *in sequ. versu placet emendari;* latus. *statim enim dixerat, ardere iecur.* 1230 Fateor] *cui mala maxima semper exilia, minuta, contemtibilia videbantur.*

1233 Lacertis] *sic testantur interfectum Theocritus* εἰδ. *26. Euripid. in Herc. Fur. & Apollodor. li. 2. Biblioth. errant pictores, qui Herculē manibus leonis os deducentem pingunt. Aduertit Pet. Victor. lib. 4. var. lect. cap. 22.*

1235 Detulit] *Moguntinens.* retulit. *Eguian.* abstulit. *alij;* detulit. *quidam, quos ego non vidi;* depulit.

1238 Calpe] *Calpen montem Paullinus* bimarem *vocat. describūt Strabo lib. 3. & Mela in descript. Hispaniæ. Est & vrbs Calpe Straboni ibidem, quam in Itinerario Antoninus docet à Carteiâ diuersam.*

1241 Opposui] *de præpositione,* ob, *tradit Papirianus, sequente vocali vel* u, *vel* i. *quando habent vim consonantium, vel litterâ* r, *semper integram manere; sin verò* f, m[illegible] *sequantur, tunc* b, *in illas ipsas migrare, vt* obeo, obuius, obiicio, obruo; offulgeo, ommutesco, oppono.

1243 O vires prius in me sepultæ?] *aliquis his verbis sensus: sed quanto melior ex castigatione Lipsij.* Vbi vires priùs in me? sepultæ. *subaudi; quæ priùs erant in me.*

1246 Credetur] credatur *Mogun. primis editionibus totus versus deest.*

1258 Effera es] *Moguntinens. Herbipolens. & Veneti;* es effera. *quare scribo:* Quæcunque pestis, sæua quæcunque es fera.

1259 Palam timeres] *non auderes aperto me Marte aggredi. in ipsis visceribus lates & crucias. rectè se locus habet. deprauāt, qui;* timori es, *supponūt.*

1262 Simile] *inuictum, indomitum, insuperabile.*

1267 Vidit] dedit *Moguntinens.*

1269 Et ante omnes] *hoc est, & coram omnibus, in cunctorum etiam oculis oculos meos prima lacrymari coëgisti.*

1270 Abstulisti] *eripuisti, extorsisti.*

1270 Durior saxo & chalybe] *Moschus de Hercule, dixit:* ex saxo aut ferro animum *habere* fortem in pectore. *Ennius Andromachâ:*

Sed quasi ferrum aut lapis dura 'st,
Rarenter gemitum conatur.

Ouidius in [illegible] *Ariadnæ:*

Non poterant figi præcordia ferrea cornu:
Vt te non tegeres, pectore tutus eras.

Illuc

Illuc tu silices, illuc adamanta tulisti:
Illic, qui silices Thesêa vincat, habes.

Tibullus lib. 1. *Eleg.* 2.

Flebis, non tua sunt duro præcordia ferro
Vincta, nec in duro stat tibi corde silex.

1272 Extulit] *quidam*; extudit. *in eodem carmine pro* rictus, *nonnulli libri, in quibus Danielis*; ritus.

1273 Pro tector] *Mogunt.* prospector. *emendant*; prô rector.

1279 Parrhasio axe] *axe plaustri septentrionalis, quod agit Bootes; Calystho in vrsam cõuersa fuit, seu plaustrum. A Parrhasiâ vrbe Arcadiæ; quã Pelasgus Nestoris filius ædificauit, & in honorem Parrhasi Lycaonis F. nominauit, teste Charace lib.* 1. *Chronic., tota Arcadia dicta Parrhasia. Itaque* Parrhasio, *hoc est, Arcadico, propter Calystho. vel quia potiùs videtur* axis *pro ipso tractu & ora poni*; lentior, *opponitur* duriori. *tam durus, inquit, quam ipsa rupes Arcadica. vide inf.* 1537. 1278 Gethico] *Thracio. nam poëtæ Getas cum Thracibus confundunt. ostensum superiùs.*

1283 Resoluit] *à niuibus sumta metaph. sicut solis tepor niues in aquam, sic luctus fletũ resoluit in lacrymas. ita, si cum Mogunt. & m. s. legas*; luctus. *sin cum impressis*; virtus. *mens ista; sæpenumero fletum ipsum fluere paratum, absumit virtus, & robur animi absorbet. Vereor ne quid mendi subsit: nam quidam lib.* & letum virtus sæpe resoluit. *alij* fletum vir. s. res. *alij* Fletum luctus s. r. 1286 Vincitque faces] *sic Lipsiens. plerique*; vincitque (nefas) solis adusti glaciale iubar.

1287 Glaciale iubar] *splendor in glaciem induratarum niuiũ vel aquarum. miram duritiem niuium, quam calor solis nequeat dissoluere: facilè credant, qui crystallum existimant tenuissimarum aquarum glaciem concretam, vt Seneca lib.* 3. *Nat. quæst. cap.* 25. *sed crystallo multum terrenæ substantiæ inesse crediderim, cum Platone in Tymæo; & mineralibus adscribendum, cum Theueto lib.* 5. *Cosmograph. cap.* 8.

1291 Implicaret] *hoc Daniel reposuit, prius legebatur vt adhuc in Mog. Eguiano, Herb. primo Veneto, & Lugd.* explicaret, *extenderet, & porrigeret. placet tamen magis*, implicaret, *circũuolueret, amplecteretur, quod serpentũ.*

1300 Non minus verum mihi] *optimè reponunt*; cælũ. *potui (ait) cælum mihi vindicare æquè atq; Gigantes. robore præstiti, non cessi audaciâ. retinuit pietas. dum patrem puto; quæ tibi sorte obtigit; partem non eripui.*

1313 Tantum] *tamtus & quamtus*, m, *debent habere medium, vt tam & quam. auctores Cæsellius, & Cornutus.*

Ex parente] *patre. Pallas ex solo Ioue nata sine matre, quare εὐπατέρειαν καὶ ἀμάτορα vocant, Latini patrimam. Catullus*:

Qualecumque, quod ô patrima virgo
Plus vno maneat perenne sæclo.

1324 Subtrahitis] *Papirianus censet*, sub, *quando præcedit* m, f, p, *tunc* b, *in eas consonas mutare*, summitto, suffero, suppono: *sequentib. verò* c, t, *in* s, *migrare, vt* sustineo, suscipio. *dicendum ergo foret*, sustraho: *nisi vsus repugnaret.*

1325 Ita nulla] *Moguntinens.* iam nulla. 1332 Si me] *hoc perperam Lipsiens. cùm legeretur in omnibus excusis & calamo exaratis*; Ni me.

1333 Excipite] *eripite. sæpe enim hoc significat.*

1330 Ingrate] *Sophocles:*

O gens nimis ingrata Pelasgi,
Vbi nunc estis?
Vestri dum ego æquora turgida pelagi,
Dum nemora altis obsita siluis
Omnia purgo: pereo infelix.

1337 Corde anhelanti] *cor per arteriam venosam, aërem refrigerantem, quem pulmones misêre, recipit, teste Aristotele lib. 3. de partib. animal. quare cùm superiùs dixerit pulmones vi veneni exaruisse, profectò consequebatur quod subiungit, æstuantis cordis suspirium, & quasi suffocatio.*

1339 Spiritus fugiens meo legatur ore] *ex veterum consuetudine, apud quos proximiores parentes, eorumq; defectu, vt quisque amicior, exspirantem deosculabantur, & corpus corpori, vultum vultui imponebant; quasi excepturi ore fugientem animam. meminit moris Alexand. ab Alex. lib. 3. Genial. c. 7. sed non probat. id præstabo. Cicero, de Supplicius in Verrem:* Filiorum suorum supremum spiritum ore excipere liceret. *Virgil. 4. Æneid.*

——— & extremo si quis super halitus errat
Ore legam ——— *quo loco Donatus*: hoc dixit, quia hunc carissimi colligere se posse arbitrantur. *Ouidius Carm. de morte Drusi*:

At miseranda parens suprema nec oscula fixit,
Frigida nec mouit membra tremente sinu;
Non animam apposito fugientem excepit hiatu.

& mox à filio mater hoc officium requirit:

——— excipias hanc animam ore pio.

Quinctilianus senior declamat. 6. Non morienti pater assedi, non ægri caput molliori sede composui, non fatigatum latus mutaui, non spiritum excepi. *apud Iustinum lib. 23. uxor Agathoclis, ait*: se nec inuitam periculo spiritus sui empturam, vt extremos viri spiritus exciperet. *Denique tria testimonia inuenies apud Statium lib. 2. Siluar. Epiced. in Glaucum, lib. 5. Pietatis in Priscill. & lib. 5. Thebaid. versu 52.*

1342 Stelligera] *Moguntinens.* stellifera.

1344 Vmbræ simile] *dilapsa membra, nescio quid illorum restat vero corpori dissimile, vmbræ corporis simile; quod esse videatur, non sit. Non video cur hoc damnes.* 1357 Credo] *alij*; crede.

1360 Lemnos ardens] *Lemnos Ægæi maris insula Vulcano sacra, de qua multa Valerius lib. 2. Argonaut. & Statius lib. Thebaid. crebra eius incendia, fumosum, nigrantemq; aërem describentes. sunt, qui veterum quosdam secuti, putent etiam vocari, Aethalen, Hypsipilaan, Berenicen, Macrim, & Chium. nescio an rectè: nam, quod ipsi non diffitentur, Liuius libro 37. Chium, Aethaliam, & Macrim, totidem diuersas insulas facit; & Dionysius Periegetes Macrim & Chium à Lemno apertissimè distinguit. Vulcani offici-*

officinam in Lemno ponit Cicero lib. 3. de Nat. Deor. Ex hac adfertur terra illa nobilis, quam sigillatam *vocant, de qua multa Theuetus lib.* 8. *Cosmograph. lib.* 11. *& meminerat olim Myrsilus lib.* 1. *Lesbicorum, teste Natali lib.* 2. *Mytholog. cap.* 6.

1360 Inferni poli] *alij*; ignifera. *mallem*; igniferi. *si* inferni, *non probum: sed nondum video mentem. quæ hac plaga ignifera poli, vel igniferi poli, quæ vetat flagranti currere diem in zonâ? intelligitis Critici? relinquam* inferni, *donec vos extricetis. sensus interea: Quænam hac tanta vis caloris, & intestinæ flammæ? quam non æquet vel ignis Siculæ Aethnæ pluuias absorbens; vel fornaces Vulcani, qui in Lemno; vel ipse Pyriphlegethon, aut alia plagæ illius inferorum incendia; quæ (vt maius lumen offuscat minus) ita illæ æstu suo ac tenebris arcent, vel opprimunt radiatum iubar solis; impediunt ne in plagâ illâ & tractu ardente sol suas queat vires exerere. Tantos ibi ergo calores, tam densis mixtos tenebris, esse significat; vt Solis Meridiani lumen refutent.* Zona] *non vnâ ex quinque, sed inferorum territorium.*

Flagrante] *ignibus, quibus noxij puniuntur.*

1362 Pro comites] *suspicor librarios, verentes ne* ô, *non posset non absumi, pro eo sæpe in his fabulis obtrusisse*, prô, *vt superiùs paullo antè versu* 1199. *nunc multo aptiùs*: ô comites.

1364 Terris Oceanus maior] *quia putabant mare tellurem circumcingere, quæ fuit opinio Aristotelis in lib. de mundo ad Alex. Q. Metelli & Cornelij Nepotis apud Melam lib.* 3. *cap.* 5. *vide inf. Oedip. versu* 504.

1370 Herculem] *Sex. Empyricus lib.* 8. *contra Mathemat. pag.* 261. *scribit Herculem prius vocatum Alcæum, sed Herculis nomen sibi vsurpasse, quia is eo tempore Deus existimabatur. Vnde & famam viguisse, Thebis olim inuentam propriam Herculis statuam, cum hac inscriptione*: ALCÆVS AMPHITRYONIS AD GRATIAS AGENDAS ALTERI.

1377 Scythia Gementem] *mallem profectò*; Scythiâ gemente. *etiamsi duri illacrymassent Scythæ, non tamen ego.*

1380 Athos] *de hoc monte nos iam nonnulla. vide Stephan. & Apollon.* 1. *Argonaut. & Adag.* Athos adumbrat terga Lemnij maris.

1382 Fulmen excipiens] *quia* feriunt summos fulmina mõtes, *Athos verò celsissimus: multo Mimas humilior, minúsque nostro in ore, etsi aliquando. omnes manuscr. quos vidi, & omnes excusi hunc versiculum purum & germanum deputant.*

1388 Hinc & taurus] *flagitante versu, reieci* τὸ, &.

1389 Quicquid furit] *imo (retractare non pudet) etiam Lugdunen. & plures omnino excusi, nonnulli etiam, sed pauciores m. s. habent*; furit.

1390 Solum quoque ingens] solúmque ingens, *Moguntin.*

1392 Excutient] *Moguntin.* excutiant.

1396 Sed] *principiò Latini*, sedum; *deinde*; set, *tandem* sed *vsurparunt, vt docent Phocas & Victorinus.* Dura series operis] *retineo. sed quid sibi volunt quædã exemplaria in Lernam cogitatione defixa? Mog. enim*; sed durus serpens operis. *Herbip. & Veneti quidã*; durus serpens ophis.

1397 Fauet] *sic Basileens. & Lipsiens. non malè.* fouetur *Moguntinen. reÿculè.* fouet, *Herbipol. & Veneti.* fauet *plerique omnes m.s.*

1399 In orbe] *alÿ lib.* In orbe veniat, veniat huc. *orta hæc varietas quia in quibusdam manusc. tantùm;* In orbem veniat huc aliquis mihi. *vnde typographi, tibicinem addidere carmini alÿ alium.*

1400 Hei mihi] *Pintianum exemplar:* Est mihi sensus quoque excussus. *mendosè.* 1401 Nimius impulsus] *vet. excusi;* nimis impulsus. *legebam;* nimius impulsu. 1407 Meruit] *rectiùs etiam in Eguian. & Mogunt. & Herbip. & Venetus tribus;* meminit.

Alcmene] *Scribit Victorinus lib. 1. veteres nunquam c, & m, coniunxisse, vsque ad Iulium Cæsarem; qui primus* Alcmæon, Alcmena, Tecmessa; *quos priùs*, Alcumenam, Tecumessam, Alcumæonem, *scribebant. Carisius lib. 1. vult dici Andromacha, Alcmena, Danaa, &c. omnia in a, quia Græcè tantummodo in e producto.*

1414 Gnatum] *testatur Victorinus, veteres scribere solitos* gnatus, gnauus, *& simil. Theodosij verò Imp. tēpore cœpisse tolli g. & dici* natus, nauus.

1417 Pro cap. scelerũ dolor] *iuuarim interpunctione;* pro capax scelerum! dolor! *detestatur diem seu lucem vt acerbam, & capacem scelerum. mox erumpit in exclamationem. qualis illi frequens; nefas! scelus! & similes. omnino non ausim sine librorum auctoritate aliud verbum ingerere.*

1422 Eripiet] *Sophocles:*

——— eo iam redactus esset, vt
Parente sese vtroque momento breui
Videret orbatum ———

1425 Compesce] *Sophocles:*

——— tace filij. *Item:*
Sed tu querulas comprime voces.

1426 Nato similis] *Moguntinens.* fato *similis. rectè. omnes tamen reliqui mei codices scripti;* nato. *& sic omnes editiones quas vidi veteres (præter Badianam) sic tres Veneti, sic Herbipolens. sic Basileens. sic Complutens. Lipsiens. & sic legère olim Gellius & Daniel.*

1428 Lassam] *Moguntinens.* lapsam.

1431 At inter] *Eguian. & Mogunt.* aut inter, *& sic excusi multi.*

1435 Generum] *Heben mihi despondet. vide Hesiod. in Theogoniâ.*

1436 Nitentem] *Herbipolens. & Veneti;* intentam. *hinc ego, etsi;* nitentem, *non improbem: suspicabar;* micantem, *vel* patentem.

1437 Zonam] *torridam. de hac & aliis Eratosthenes:*

πέντε δὲ οἱ ζῶναι περιηγέες ἐσπείρηνται.
αἱ δύο μὲν γλαύκοιο κελαινότεραι κυάνοιο,
ἡ δὲ μία ψαφαρή τε καὶ ἔκπυρος, οἷον ἐρεθρὴ,
τυπτομένη φλογμοῖσιν ἐπεὶ ῥα ἑ μοῖραν ἐπ' αὐτὴν
κεκλιμένην ἀκτῖνες ἀειθερέες πυρόωσιν,
αἱ δὲ δύω ἑκάτερθε πόλοιο περιπεπηγῦαι,
αἰεὶ κρυμαλέαι, αἰεὶ δ' ὕδατι μογέουσαι.

Quin-

Quinque autem zonæ rotundæ circumuoluuntur,
Duæ quidem glauco sunt obscuriores cyano:
Vna verò sabulosa torridáque & rubens,
Verberata flammis, quoniam eam partem
Sibi subiectam perpetuò ardentes radij torrent.
Reliquæ duæ, ad vtrumque polum extensæ,
Perpetuâ torpent glacie, pluuiisque grauantur.

hunc ergo imitatur noster, & sentit non habitari, nimio calore cuncta exurente. contrarium constat experientiâ, & nauigationibus Hispanorum. qua de re consule Albert. Magnum lib. de Natura locor. dist. 1. cap. 6. Contarenum Cardinalem lib. 2. de elementis, Clauium nostrum Commentar. in Sacrobosci spheram. de zonis, ex antiquis, egêre Cleomedes in sphera, & lib. 1. Meteor. Ptolomaeus in Quadrig. tract. 2. Strabo lib. 1. & 2. Cicero in Somn. Scipion. & ibi Macrob. lib. 2. Firmicus Astrolog. lib. 1. cap. 4. & vlt. Plin. li. 2. cap. 70. Capella lib. 6. Virgil. 1. Georg. Tibullus lib. 4. Eleg. 1. Ouid. lib. 1. & 2. Metam. ascribam solum fragmentum Varronis, à me numeris redditum:

Mundus domus est maxima rerum,
Quam quinque altitonæ fragmine zonæ
Scindunt; per quas limbus pictus
Bis sex signis stellimicantibus
Altus in obliquo æthere, Lunæ
Bigas acceptat.

adduxit Turnebus lib. 20. Aduersar. cap. 29. sed longè aliter.

1440 Deducor] *subitò deijcior. Cicero pro Cæcina,* deduci fundò.

1441 A leto] *à morte. vett. excusi;* à lecto. *& exponunt ab Hebes coniugio. sincerius m. s. quidam;* à cælo. *& rectè exponit Lipsius.*

1445 Hanc vocem] *scilicet* (cogis fateri.) *nam quis Herculem queat cogere? aut quis tantus dolor cui subcumbat Alcides? qui aliò amandant, hunc sensum non sensêre. Nec mihi liquet, cur Hyllo tribuam. quid enim in Hylli verbis, quod fateri cogatur? an quòd minas Herculis diras vocarit? & quam vocem iubet illum occupare? an quod de summo labore dixerat? sed prius illud parum Latinum, fateri, pro dicere ἁπλῶς. posterius verò subfrigidum.*

1446 Hylle] *de huius robore quædam Pierius lib. 1. Hieroglyph. ab eo descendisse reges Ægypti Ptolomæos docet Satyrus in historia Alexandrinâ apud Theophilum lib. 2. ad Autolicum, vbi tamen in Græco contextu nomen Hylli mendosum.*

1448 Quale] *vett. excusi,* quare. *Moguntinens.* quas.

1456 Sua] *Sophocles:*

Ab alio nemine, suâ ipsa concidit interempta dexterâ.
HER. Heu cur meâ non occidit illa dexterâ

1467 Extulit] *sic Mogunt. ceteri;* expulit. *num scripserat;* expuit.

1470 Habet] *satus est. sic exponit Non. illud Virgilij:*

Hoc habet, hæc melior magnis data victima diuis. *& sic exponere debuit illud Terentij Andr.* certè captus est, habet. *Apud Sophoclem*

Hercules: Hei mihi, miser perij, perij ego funditus,
Lux fulget hæc nouissima hei mihi,
Video

1474 Perempti] *Sophocles*:
——olim à patre hoc summo Ioue
Oraculum accepi: superstitis Herculem
Nullius occisum manu iri: vitam ei
Apud inferos Stygij incolam Orci aliquem fore
Qui ei eriperet.

1475 Olim] *sic Tacitus Annal. 15.* Quod ad omina sui exitus *olim verteretur.* 1480 Hunc] *Moguntinens.* hanc.

1485 Herculea] *vni manusc. totus versiculus deest.*

1487 Inclytum] *inspice Aduersar. olim à me hæc restituta comperies: alij eodem modo, sed occupatum.* Regnúmq.] *totus hic versus deest Venetis.* 1499 Nox] *duplicata ad me gignendum.*

1504 Quamquam Iupp. credi] *Moguntinens.* quicquam. *N.* quanquam. *ceteri excusi*; quoque. *mallem, si libri suffragarentur*; tantum. *vel credi pater meus gaudet, etsi non sit.*

1505 Meis] *mihi impensis, pro me fusis.*

1507 Tale Iuno peperit] *sic om. cod. quos vidi, siue à typographis vulgati, siue à librariis descripti. sed alij ex suo lib. reponunt*: Quid tale genuit, peperit. *quia designari tantùm Iunonem elegãtiùs videatur. Displicet mihi illa inutilis repetitio*, genuit, peperit. *an quæ peperit, non genuerat? quid addit altera vox alteri, quoad sententiam? Efficaciùs etiam hæc dicentur, si nomen exprimatur, quàm si designetur.* 1510 Perage] *Mogunt.* perge.

1530 Tuus comes] *Herbipol. Veneti, Basileens. Lipsiens.* vester. *Moguntinens.* noster. *Parisiens. & Lugdunens.* tuus.

IN CHORVM.

Herculis mortem & luget, & mundum consolatur prædicens Deorum numero adscribendum; Iouem quoque precatur vt mundi vindici sublato sufficiat alium, vel desinat feras & monstra producere.

1516 Radiate Titan] *Attius*:
Dextrorsum orbem flammeum radiatum Solis liquier cursu
Nouo. *Item*:
——oculis postremùm lumen radiatum rape

Papinius: Sidereíque orbes radiatáque lumina cæli.

1518 Lassa] *quo incipiente calorem fundere, equos Luna defatigatos nocturno penso disiungit.* Bigæ] *Vide Hippol. 311. porrò sic singulario numero Liuius lib. 28. penatem, Pacuuius plagam, Horatius Quiritem, Plinius & Macrobius grossum dixere.*

1525 Vnde non vnquam] *Philetas Cous*:
——iter feci ad inferos,
Per quod nullus retrò viator rediit.

1526 Quos

1526 Quos nubes radios sequantur] *non illud lucidum iubar, quo mundus amœnatur; sed nubilam faciem; qualis quando pluuias attrahis, & nubes quasi conuocas, quæ grauidatæ, in imbres dissoluantur.*

1522 Plaustro] *has septem stellas docent ab Homero & Græcis ἅμαξαν dici, & propinquum sidus Βοώτην; illas à Latinis* septem triones *vocari, à boum similitudine, quia Romani olim boues terræ cultores,* triones, *quasi* teriones *nominabant: ipsæ verò septem stellæ ita locatæ sunt, vt ferè duos trigonos faciant, & quandam cum Boote axis vel temonis speciem exhibeant. ita Varro lib. 6. de Ling. Latina, & Gellius lib. 2. cap. 21. de his Ennius, Iphigenia, vt N. emendat:*

Quid nocti videtur? in altisono
Cæli clipeo temo superat
Stellas, sublime etiam
Atque etiam cogens noctis iter.

1530 Alium] *quando futurus alius, vir æquè fortis; qui tyrannos & monstra tollens, tanta terrarum orbem celeritate peragret, vt Sol eius ægrè vestigia subsequi videatur. ait* Alium Herculem. *quia hoc nomen omnibus viris strennuis tribuebant, vt docet Cælius lib. 6. antiq. cap. 7. Sex Cicero, at Varro quadraginta tres Hercules nouit; omnium gesta vni huic ascribi solent.*

1537 Durior terris Helices] *hoc est quod sup. dixit:* Nec Parrhasio lentior axe. 1543 Immensas] *Eguian.* intensas. *non placet.*

1556 Æacúmque] *Herbipolens. & Veneti;* Æacósque.

Geminos] *Rhadamantum & Minoëm.*

1557 Fata discernens] *Mogunt. vt alij mei manuscr.* facta discernes. *quod placere, aliàs significaui. Iudicum enim facta reorum discernere, & pro factis infligere pœnas: quas si* fata *vocari contendis. esto. parum refert. vide inferius versu 1988. quæ ex Stobæo.*

1561 Fatis] *perperam Lugdunens.* factis. *ceteri omnes* fatis. *dixit enim alibi:* Iratis Diis non licuit esse.

1563 Locum virtus] *Scipio apud Ciceronem 6. de repub.* Omnibus qui patriam conseruauerint, adiuuerint, auxerint; certum esse in cælo ac definitum locum, vbi beati æuo sempiterno fruantur.

1565 Tepido] *Moguntinens.* rapido.

1568 Recepto tu. Alcide] *Mogunt.* recepti tutus Alcidæ.

1570 Leone] *quem in Nemeâ præfocauit.*

Cancro] *quem simul cum hydra sustulit.*

1581 Fretum] *amittet mare salsuginem; quam, cùm terreo multo sit commixtum, nequit in totum deperdere. hinc pendet solutio problematis attributi Alex. Aphrodisæo lib. 1. Problem. 53.*

1583 Ponto vetito] *causam cur nequeat mari mergi veriorem putant; quia circulus Arcticus altior est nostro Orizonte, ideo sidera illa Arctica nobis nequeunt occidere. vide Brodeum lib. 5. miscell. c. 25. & infra Thyest.* 472.

1588 Habeat nec vlla] *Moguntinens.* habeat, nullâ *assentior legenti;* Horreat nulla.

Qui potest] hoc est, quo pacto potest. sed melius Lugdunens. & Herbip. cui potest. quamuis; qui, sit in Venet. Basileens. & Lipsiens. Moguntinus: qui putet solum, &c. potest esse, pro est. sumitur. vide Canteri nouas.

1590 Intensum] lego ex Mog. Herbipol. & Venetis; impensum.

1593 Ecquid hoc] alij; en quid hoc: quidam; Hem quid. nonnulli, heu quid hoc. Secutus sum Herbip. vnum Venetum & Lipsiens.

1593 Mundus] cælum. 1597 Lassus an pondus] refero pondus ad lassus, non ad titubauit. ἀρχαικῶς, vt captus mentem, &c.

Atlas] tres Atlantes inuenio apud Seruium; primum Italiæ regem, Electræ patrem; secundum regem Arcadiæ, Maiæ patrem, auum Mercurij; tertium Promethei fratrem Afrum; hic dicitur primus artem nauigandi, sphæram, & astrologiam inuenisse, Diodor. lib. 4. Plinius lib. 2. cap. 8. & lib. 7. cap. 56. D. Augustin. lib. 18. de ciuitate Dei cap. 8. & Isaacius in Lycophr. ideo dictus sustinere cælum ab Homero 1. Odyss. Pindaro 4. Pyth. & ceteris; & cùm Perseo hospitium denegasset, ostenso Medusæ capite, in montem induruisse, auctoribus Pausaniâ in Attic. Plinio lib. 5. cap. 1. Ouidio 4. Metam. & Herodoto in Melpome. vel sanè suasu Iunonis ferentem Titanibus auxilium, Iuppiter in montem transformauit, vt scribit Higyn. in fabulis c. 150.

IN ACT. V.

Catastrophe; continens obitum Herculis, & luctum Alcmenæ & Apotheosim Alcidæ.

1610 Docuit indomita] Mogunt. Herbip. & Veneti indomita docuit.

1617 Fagus] Theocritus: vmbrosâ sub fago.

1621 Loquax] Sophocles: Et multiloquæ quercus.

1622 Stat vasta late] sic Herb. & Ven. quos sequor. alij codices; stat lata vasti 1626 Totos] omnes. sed amplius arridet quod Raphalengius; totum. quamquam parum Latina in hac fabulâ nonnulla.

1627 Lentâ morâ duxit ruinam] ipsæ syllabæ non verba modò denotant, quàm ægrè & vix tandem collapsa.

1630 Diem] hoc est, loca iam clara & à sole illustrata. sed Mogun. Herbip. & Veneti; domus. suspicatus sum quandoque legendum:

Volucres pererrant nemore succiso nemus,
Quæruntque lassis garrulæ pinnis domos.

vt ludat in voce nemus, primo loco ponens pro vastâ illâ arbore.

1635 Alternæ trabes] alternatim positæ.

1636 Angustum] sic etiam Veneti & Herb. simile mendum insedit carmina Sidonij ver. 355. in Paneg. Auiti. nam legendum: —— & angustus pennas non explicat aër. Porrò cùm dicit tollunt in astra. altitudinem pyræ describit. quia veteres, quo quis ditior opibus, dignitate celsior, virtutibus præstantior, hoc illi pyram celsiorē erigebant. Virg. 4. Æneid. de pyra Didus: —— sic fata gradus euaserat altos. vbi Seruius: rogi pro qualitate fortunarum fiebant. & lib. 6. de rogo Miseni: —— aramque sepulcri
Congerere arboribus, cælóque educere certant. vbi Donatus

hoc factum ait : vt robur & meritũ viri sic appareret. *eaq́; causa est cur de Patroclo Homerus*:

ποιήσαν δ' ἐ πυρὴν ἑκατόμπεδον ἔνθα καὶ ἔνθα.

Fecerunt autem pyram centum pedum vtrimque.

Dionys. Halycarn. lib. 11. Antiqu. Rom. scribit milites Sicinium virum fortissimũ sepeliisse, & honestissimè extulisse, rogumq́; maximũ aggessisse: aliaq́; pro viribus implesse, quæ, in supremũ honorem, strennuis viris lex fieri iubet.

1646 Sate Pæante] *vbique noster Philoctetem facit Pæantis filium, & heredem telorum Herculis, superius*

—— læto venit ecce vultu
Quem tulit Pæas, humerisque tela
Gestat & notas populis pharetras
Herculis heres.

idq́; prodiderunt Cicero lib. 2. Tuscul. & omnes ferè tam historici quàm poëtæ quos citant Brodæus lib. 1. miscellan. cap. 15. & Hercules Ciofanus in Ouidij Metamorph. addo Simmiam in Arâ cui vocatur idcirco Philoctetes, Trinoctis vstor, τριεσπέροιο καύστας. *vt appareat temere reprehensum Ciceronem à Petro Victorio lib. 2. var. lect. cap. 14. Quod ad Brissoniũ lib. 1. de formulis pag. 37. hæc nostri verba de Apolline accipientem; facilè crediderim typographorum, vel librariorum errore, Apollinem pro Philoctete positũ. nam in virum illũ hic error nõ cadit.*

1650 Nunquam irritas] *felicitas in eo, quòd nunquam frustrâ iaciantur. vide dicta Herc. Fur. versu 983.*

1658 Facem extremam] *qua rogus incendebatur. nam fax duplex, prior in nuptiis, de qua actum initio fermè Medeæ; altera in funere. sic accipio illud Corneliæ eleg. vlt. Propertij*:

Mox vbi iam facibus cessit prætexta maritis. *nuptialibus.*
Item: —— cùm subdita nostrum
Detraheret lecto fax inimica caput. *funebris.*

post de vtraq́;: Viximus insignes inter vtramque facem. *à die nuptiarum, vsque ad funus. Fuit autem (vt existimo) maritus huius Corneliæ (si quid ad rem) Paullus ille, cuius meminit Seneca lib. 1. de Clementia cap. 9. Funebrium tedarum præter Tacitum & Virgilium, relatos à Lazio lib. 3. comm. reipub. Rom. cap. 18., meminit, Seneca de Tranquillitate vitæ ad Serenum cap. 11.* toties in viciniâ meâ conclamatum est: toties præter limen immaturas exsequias fax cereúsque præcessit. *malè lib. excusus quo vtor*, pressit. *Vt fax, ita & lectus duplex. alter genialis, alter funebris, de quo versiculus ille Persij Sat. 3.* —— tandémque beatulus alto Compositus lecto —— *& modò citatus Propertij. de vtroque, Seneca pater lib. 6. Declamat. 6.* versæ sunt in exsequias nuptiæ, genialísque lectus mutatus est in funebrem. subiectæ sunt ergo infelices faces, *&c. de hoc funebri alia quædam Lazius d. cap. 18. De vtraque face insignis est locus Iustini lib. 11.* Nonnulli facem nuptiis filiæ accensam, rogo patris subditam dolebant. *& Ouidij 2. Fast.* Conde tuas Hymenæe faces, & ab ignibus atris
Aufer, habent aliâs mœsta sepulcra faces.

1659 Hic

1659 Hic nodus] *ligneam tradit Seneca clauam Herculis: trinodem addunt fuisse & ex oleastro. vide Pausan. in Corinthiac. vbi addit illam refloruisse. Herculis arma, varia: lanceam memorant Hesiodus in scuto, & Sophocles in Trachin. thoracem aureum à Vulcano acceptum, peltam à Mineruâ & gladium Apollodorus lib. 2. Biblioth. sed ordinaria, pellis, arcus, claua; & quidem hæc illi peculiaris. Vetus poëta:*

Fulmen habet mundi dominus, tenet illud apertè:
Nec datur æquoreo fuscina tecta Deo:
Nec Mauors illum, per quem valet, occulit ensem:
Nec latet in tepido Palladis hasta sinu.
Num pudet auratas Phœbum portare sagittas?
Clámne solet pharetram ferre Diana suam?
Num tegit Alcides nodosæ robora clauæ?
Sub tunicâ virgam num Deus ales habet?
Quis Bacchum gracili vestem prætendere thyrso,
Quis te celata cum face vidit Amor?

& alibi: Fulmina sub Ioue sunt, Neptuni fuscina telum,
Ense potens Mars est, hasta Minerua tua est:
Sutilibus Liber committit prœlia thyrsis:
Fertur Apollineâ missa sagitta manu:
Herculis armata est inuictâ dextera clauâ.

1670 Voce feminea] *D. Cyrillus:* Amans lacrymarum semper est muliebre genus. *Vetus poëta:* Fletus muliebri ingenio est additus.

1672 Dolor femineus] *Archilochus:*
Patientes estote muliebri luctu depulso.

1674 Pellicis &c.] *prior hoc Ouidius:*
—— pellex lacrymis lætabitur istis.

1675 Comprime infirmum] *Mogunt. Herbipolens. & Veneti;* contine firmum iecur. *mallem;* contine infirmum.

1682 Illo] *tam læto & sereno.*

1683 Tyrannus] *accipio in bonam partem, pro quouis Rege, prisco more: vt Virgilius:* Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.
& Valerius Flaccus:

Duc precor ad vestri, quicunque est, ora tyranni.

Cornelius Nepos, seu Probus; in Miltiade: Tyrannúsque fuerat appellatus, sed iustus. non enim erat vi consecutus, sed suorum voluntate, eámque potestatem bonitate retinuerat. omnes autem & habentur, & dicuntur tyranni: qui potestate sunt perpetuâ, in eâ ciuitate, quæ libera fuit. *Lucianus in 1. Phalari. scribit, tyranni nomen videri potiùs, quàm esse odiosum.* 1695 Commissa] *coniuncta, addita. Virgilius:*

Delfinum caudas vtero commissa luporum.

Manilius: Pars hominis tergo pectus commissus equino.
Ausonius: Scylla triplex, commissa tribus; cane, virgine, pisce.
Claudianus: —— qua pristis commissa viro ——.

Seneca, Thyeste: ——— penitus premens
Iugulo manum commisit.

1697 Vtrumque] *Oriens & Occidens.* Scythiæ genus] *Septentrio.* Ardens ora] *Meridies. sic totum describit mundum; quod vno verbo, omnis plaga.* 1701 Si scelera] *Moguntinens.* & scelera.

1703 Conterrent] *Moguntinens.* conturbant.

1710 Approba] *incertum quomodo in compositione,* ad, *scribi debeat. Cæcilius Vindex:* Si sequatur *(ait)* F. non est mutandum, vt adfluo, adfari, adfore. *Papirianus verò:* si sequatur m, migrat in m, vt ammoneo, amminiculum. *Priscianus:* sequente g, migrat in g, vt aggero, aggregor. *Cæcilius, Cornutus & Papirianus cōsentiunt etiam mutari, quando subiunguntur t, p, c, s, l, n, accedo, attuli, aßideo, appareo, alligo, annuo.* Approba *ergo. hoc est, fac periculum, experire, tenta: faxo, me dignum iudices.*

1719 Ignaue, iners, inermis est] *sic multi. sed Herb. & Veneti:* Ignaue, iners, inermis. est nostros *&c. pulcrè castigant;* en, nostros. *ironicè dictū.*

1723 Rogat] *inuitat, quasi ad conuiuium, vbi nectar & ambrosia. sunt alia quoque in hac fabulâ nimis hyperbolica. ideo non eo, quô quidam vocat. Nullum vidi codicem, in quo non;* rogat.

Iam me] *Herbipolens. & Venetus Bernardini;* me iam.

1725 Pinum ardentem impuli] *moris, vt qui defuncto maiori neceßitudine deuincti, auersi rogo flammam inferrent, vel facem impellerent. Virgilius de funere Miseni:*

——— pars ingenti subiêre feretro
Triste ministerium, & subiectam, more parentum,
Auersi tenuere facem.

Lucretius lib. 6. de consanguineis agens:

Subdebántque faces multo cum sanguine ———

Meminere moris, de Valeriorum & Fabriciorum funeribus agens Plutarch. in Problemat. Romaic. q. 79. & Dion, qui in Seueri funere filios eius scribit pyram accendisse. Denique Herodianus est auctor, in magnificâ illâ Imperatorum consecratione, principio facem ab imperij successore tabernaculo admoueri solitam, mox à ceteris ignem subdi. Hic noster Philoctetæ, heredi & successori armorum Herculis, hoc munus tribuit.

1730 Ad durum iecur] *sic solet vocare iecur Herculis.*
——— sed iecur fors horridum Flectam emerendo ——— *& fortè etiā difficilius iecur, quàm reliqua interna comburitur. nam in Thyeste 784.* ——— stridet in verubus iecur. *ingemiscit ergo ignis, quia cum difficultate illud vrit: vel synecdoche, quòd ipsum iecur videtur ingemiscere, stridere, & quasi queri.* 1737 Sic] *siccis genis vide sup. vers. 1686.*

1740 Adhortatur, monet] *Mogunt.* membra, hortatur, mouet, Gerit aliquid. 1754 Sinu gerentem] *vtriusq; parentis, præsertim matris officium fuit, cremata ossa, & reliquias legere, & collectas asportare. Tibullus:* ——— non hîc mihi mater,
Quæ legat in mœstos ossa perusta sinus.

Seneca lib. 2. de ira cap. 33. Dignus fuit, cui permitteret ad oſſa filij legenda à conuiuio diſcedere. *& lib. de conſolat. ad Elbiam cap. 2.* Modò in eundem ſinum ex quo tres nepotes emiſeras, oſſa trium nepotum recepiſti. *legebant ergo & in ſinum collecta referebant matres. Parentum oſſa, ſi deërant parentes, filij legebant. Propertius lib. 4.*

Oſſáque legiſti, non illâ ætate legenda,
Patris, & in tenues cogeris ire lares.

vel eorum penuriâ, alij heredes. Martialis lib. 8. Epigr. 56.

Oſſáque defuncti licet olim non legat heres,
Hoc ſibi iam Picens præſtitit officium.

vel alij propinquiores, amicioresq́., vt Patrocli Achilles Iliad. ψ'. Hectoris, fratres & ſocij Iliad. ω'. Virgilius de Miſeni funere:

Oſſáque lecta cado texit Corynæus aheno.

vbi Donatus id aſtruit. Propertius lib. 1. eleg. 17. Hoſtia, ait:

An poteris ſiccis mea fata reponere ocellis?
Oſſáque nulla tuo noſtra tenere ſinu?

Tibullus Neæra lib. 3. oſſa
Incinctæ nigrâ candida veſte legant.

Principum & Imperatorũ reliquias legebant Conſules vel maiores Ordines, vt ex Herodiano cõſtat & Sueton. Vide Lazium li. 3. Comm. reip. Rom. c. vlt.

1755 Crinémque iactans ſquallidum] *agnoſco habitum lugentis matris & comam puluere aſperſam vento committentis. & tu credis, dilecti filij cineres Alcmenam iactaſſe? quid hoſti queat crudelius? ſequor meos codices & excuſos ad vnum omnes: qui conſtanter etiam retinent,* gemit. *rectè. nam ſuperiori verſiculo dictum reliquias geſtaſſe. Dices, oſſa lecta: nunc cinerem. verùm; ſi gerit cinerem, quomodo iactat? cenſeo ſimul & oſſa & cineres tuliſſe, & ſqualidam luctu comam per humeros eius expanſam, & crebro motu capitis, quod dolore vel irâ ſui impotentes ſolent, iactaſſe.*

1757 Gigas] *fuit ſtaturâ talis, ſecundùm quoſdam: & apud Indos etiam cognomine, vt tradit Megaſthenes.*

1760 Ille] *ſic perperam N. rectè Herbipolenſ. Veneti, Lugdunenſ. & ceteri;* illi, *Herculi.*

Vix totam] *Propertius lib. 2. de Briſeide:*

——— tanti corpus Achillis
Maximáque in paruâ ſuſtulit oſſa manu.

Idem lib. 4. de Cornelia:

En ſum quod digitis quinque leuatur onus.

Hortenſius Commentar. in Lucan. tradit Pompeij Magni tumulo hoc carmen inciſum:

Templi pondus erat, modicâ qui clauditur vrnâ.

vereor ne quis verſificator docto homini impoſuerit. Sanè Dion ſcribit Hadrianum de Pompeio dixiſſe: τῷ ναοῖς βρίθοντι πόσση σπάνις ἔπλετο τύμβου.
Oſſa viri magni tenui quàm clauſa ſepulcro. *Dio idem prodidit Seuerum Imp. cùm vrnam Porphyreticam, quâ oſſa ſua & cineres condi volebat, ad ſe*

perlatam contemplaretur, in hac verba erupisse: Χωρήζεις ἄνδρα ὃν ἡ οἰκουμένη οὐκ ἐχώρησεν. Tu virum capies, quem totus terrarum orbis non cepit. *Apud Plutarchum in vita Scipionis habes pulcrum epigramma eiusdem sententiæ.*

1763 Totus æther] *cælum & elementa.*

1772 Vnum] *vnicum, non remeabile, nec iterabile: vel* vnum, *æquè distans. nam omnes regiones supremæ terræ æquali ab inferis interuallo distāt, vt Anaxagoras & Aristippus morituri respondent, apud Ciceronem 1. Tusculan. & Stobæum de exilio serm. 38. contra Hermioniorum commentum, qui se compendium quoddam viarum callere iactitabant, teste Strabone li. 8. vel,* vnum, *idem & commune omnibus. nam vt ait Herodianus lib. 2.* οὐδὲ γὰρ μία οὐδ' ἡ αὐτὴ πᾶσιν ἀνθρώποις θανάτου αἰτία. διάφοροι δὲ οὖσαι, εἰς ἓν τέρμα βίου ζυντελοῦσιν. Cùm non vna eadémque cunctis hominibus mortis sit causa, sed aliæ aliis: cunctæ tamen ad eundem vitæ terminum tendunt. *Seneca igitur & Aeschyli Telephus respexere, vnam viam ponentes, ad hunc communem vitæ terminum; Aristophanes verò in Ranis, ad varias mortis causas, spectauit.*

1774 Possum] *Moguntin.* possem. *Lugdunens.* possim. *ceteri* possum.

1777 Thebane coniux] *traditur enim Alcumena Amphitryoni Thebano superuixisse, & secundis nuptiis Rhadamantho coniuncta; à quo volunt quidam Herculem sagittandi peritiam didicisse; quod alij Teuthari bubulco ascribunt.*

1785 Busiris] *de huius crudelitate & nece, D. Augustin. lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 12. Orosius lib. 1. cap. 11. & alia quædam ex Eratosthene Diodorus lib. 2.*

1786 Antæus] *de quo nonnulla dicta Herc. Fur. versu, ni fallor, 481. dicitur Lybs, vel Lybis, non à Lybiâ propriè dictâ; sed à lato Africæ nomine. nam in Mauritania natus, & regnauit in eadem, oppidúmque Tingi ab illo conditum scribit Mela, lib. 1. cap. 4.* exstátque rei signum, parma elephantino tergo exsecta, ingens. *sic enim legendum censeo: de eiusdem regno & sepulcro in Mauritaniâ, idem Mela lib. 3. cap. vlt. & confirmant Plutarchus in vitâ Sertorij, & Strabo lib. vlt. pugnam cum Hercule & mortem describunt eleganter Pindarus Isthm. 4. & Philostratus in Imaginib.* *Pintianus auctor sed puto frustrà.*

Perfidæ] *Afris olim hoc vitium peculiare: vnde,* Punica fides. *nec minus hodiè.* 1790 Totus vretur dolor] *omnem in me indignationem & iram effundet. sæuiet quantum volet & valebit: nec cessabit, donec sedet dolorem suum, & sibi vlciscendo satisfaciat. vstus est totus ignis, Metaphoricè; quando deficit, sublato fomento consumtaq; omni materiâ. Vretur ergo, consumetur & in vltionem impendetur.*

1798 Eurystheus] *causam quæ Herculem coëgerit Eurystheo parere, iam narraui: addo, detrectasse seruitium initio, sed Iouis iussu & oraculo Delphico compulsum. Non omnia tamen bella & labores præcepto illius suscepit: sponte multa obiuit, vt canunt Pindarus, Callimachus, & noster sup. ver. 61.* O quanta fudi monstra, quæ nullus mihi, &c.

Laréſque miſeros] *domum patris mei Electrionis. vide Heſiod. in Scuto, vbi:* ἤοι ἡ προλιποῦσα δόμους καὶ πατρίδα γαῖαν

ἤλυθεν Θήβας, μετ' ἀρήϊον Ἀμφιτρύωνα,

Ἀλκμήνη θυγάτηρ λαοσσόου Ἠλεκτρύωνος.

Aut qualis relictâ domo aut patriâ tellure

Venit Thebas, ſecuta maritum Amphitryonem,

Alcmena, filia ſeruatoris populorum Electryonis.

1800 Et ipſa] *vt Semele.* 1804 Exſectus] *melius hoc, quàm quod Moguntinenſ.* exceptus. *verè enim Bacchus* cæſo.

1811 Hic dira] *in Arcadiâ occiſâ Lernæ hydrâ.*

Ales] *in eadem Arcadiâ Stymphalis victa.*

1812 Rex] *multis in locis occiſi ab eo tyranni, in Ægypto, Mauritaniâ, Thraciâ, alibi.* 1816 Hæc] *Thracia liberata ſæuo Diomede.*

1819 Vbi enim negata] *ſic o.l. omnino, niſi quod quidam addunt voculam* eſt. *Quid, inquit, defatigem me commemorandis regnis, quibus gnatus meus pacem peperit? toti mundo præſtitit; quem totum peragrauit: nec vlli fuit iniurius: nulli bono noxæ. Ain, Alcmena? mater es. non credo. negat Eurytus, negant alij innumeri. Acutior coniectura Lipſij*; vbi ei negata eſt. *nec enim pax Thraciæ dari potuit, quamdiu in pace Diomedes. pereundum huic, vt illa non interiret.*

1830 Debitos] *ſic o.v.l. & Herbip. Veneti, Baſileenſ. Lipſienſ. ſoli ferè Lugdunenſ.* indebitos. *Debiti quidem Herculi ſunt luctus. quis non mæreat terris vindicem deceſſiſſe? quæ mater filium talem non lugeat? Tamen, ſi rectè cogites, quis ille & qualis, & maternum exuas affectum; videbis illum non eſſe lacrymis vel eiulatu plangendum. graue hoc illi. nec decet virtute præditum; qui viuit & viuet in ore omnium.*

1833 Æterna virtus] *Euphorion*:

Et tum quiſpiam moderatè defuncti nomine triſtetur

Et moderatè lugeat. nam omnino à lacrymis alienum

Parcæ læſerunt. *& Euripides*: Neque ſupra modum dole,

——μηδ' ὑπερμέτρως ἄλγει. *Philetas*: ἐκ θυμοῦ κλαῦσαι μέγα μέτρια. ex animo lugeas omnino mediocriter. *Veriſſimè Homerus totum mare, ſi in lacrymas verteretur, ne vnum quidem mortuum ſuſcitare poſſe ſcribit. de inanibus lacrymis & luctu multa Stobæus ſerm. 121. apud quem elegans ille Sophoclis locus, huic Menandreo perſimilis eſt.*

εἰ τὰ δάκρυ' ἡμῖν τῶν κακῶν ἦν φάρμακον,

ἀεί θ' ὁ κλαύσας τοῦ πονεῖν ἐπαύετο.

ἠλλαττόμεσθ' ἂν δάκρυα, δόντες χρυσίον.

νῦν δ' οὐ προσέχει τὰ πράγματ', οὐδ' ἀποβλέπει

εἰς ταῦτα, δέσποτ' ἀλλὰ τὴν αὐτὴν ὁδὸν,

ἐάν τε κλαίῃς, ἄν τε μὴ, πορεύσεται.

τί οὖν πλέον ποιοῦμεν; οὐθὲν ἡ λύπη δ' ἔχει

ὥσπερ τὰ δένδρα καρπὸν τὰ δάκρυα.

Malis mederi ſi valerent lacrymæ,

Et

Et cogeretur mœror illis cedere;
Auro parandæ quolibet nobis forent.
Nunc res acerbæ nil morantur lacrymas:
Sed, siue plores, siue non plores, suam
Vno tenore semper insistunt viam.
Quid ergo prodest flere? nil. sed lacrymas
Fert mœror: arbores suum vt fructum ferunt.

Quomodo Christianis mortui lugendi, disce ex D. Hieronymo epist. 25. to. 1.

Gemendus] lugendus, *Mogunt.* 1838 Gnatos] *veteres excusi cum Mogunt.* nato. 1854 In saxa] *vt Nioben.*

1860 Genas] *Herbip. Basil. & Veneti*; genus. *& sic N. magis placet, vt m. s.* genas. Aduoca. *deest Moguntino. & nescio quid vitij in hoc versu, vel phrasi. credidi quandoque*; aduoca humanum genus. *mox enim gentes aduocat. & hiatus creber nostro.*

1868 Mandans] *sic corrupit N. nam antea omnes libri etiam Lugdun.* madens. *scilicet cruore humano.*

1874 Curetes] *Curetum & Corybantum idem officium armorum strepitu, cantu, choreis Iouis vagitum à Saturni auribus abscondere. parentibus & patriâ differebant. Curetes, qui &* dactyli Idæi *fuere; Hercules Idæus, Pæonius, Epimenides, Iasius, Idas, testibus Leonico lib. 2. var. hist. cap. 57. & Parrhasio in Claudianum. Corybantes fuere, Baulo, Disaul, Triptolemus, Eumolpus, Eubolcus, Eusebio lib. 2. de Præparat. Euang. cap. 5. In Corybanthum sacris fraternum parricidium celebrabatur, vt docet Firmicus cap. 12. Cabyro scilicet à fratribus illata mors. De Telchinis, Cabyris, Corybantibus, & Curetibus, qui volet, consulat Clement. Alexandr. in Protrept. Arnobium lib. 5. Euseb. d. cap. 5. Apollonij Scholiastem in lib. 1. ver. 1125. & 1129. Cælium Rhodig. lib. 16. Antiqu. cap. 20. Cælium Calcagnin. in lib. cui tit. Equitatio, & Lilium Syntagm. 1.*

1885 Setiger] *aper Erymanthius, Mænalius, Arcadius, Phææ Scrofæ filius, apri frater Calydonij.*

1887 Totum pinnis velata diem] *Moguntinens.* totum pin. valuat. *num scriptum fuit*; vallata. *hoc ordine; alesq; vallata pinnis iussa sagittas sequi totum diem: vt coëgerit illam Hercules integro die fugere, continuè sagittis insecutus. & sit synecdoche. eodem sensu cape aliam lectionem.*

1888 Cleonæ] *Cleonæ media inter Corinthum & Argos vrbs à Cleone Dolopis F. dicta. vel à Cleone filiâ Asopi, Pausan. in Corinthiac. ibi Hercules leonem præfocauit, alium à Nemeao, iuxta quosdam, eundẽ iuxta alios. vide Pierium lib. 1. Hieroglyph. & quæ nos sup. ver. 1233 & 1809.*

1891 Sitoniæ] *Thressæ. Horat.* Monet Sithoniis non leuis Euhius.

1894 Vescitur] *sic omnes lib. ad vnum: & exposui sensu non prorsus incommodo. adfirmant alij legendum*; nascitur. *aptiùs. sed quis prudens meras coniecturas totiès in contextum referat? Bernardinus exponit*: Stabula, id est, equi non vescuntur vestris infantibus. *Daniel Caietan.* aut (*inquit*) passiuè positum, aut per hypallagen, vescitur. *vtrumque dici potest. Sic*

enim dicimus mare nauigatur, campus curritur, & similia, de quibus Fabius lib. 1. cap. 4. Diomedes Tinda in Thracia regnans, fingitur equos humano sanguine & carnibus pauisse, etiam auctore Plinio li. 4. cap. 11. hic cùm Herculis catamitum Abderum equis epulandum apposuisset, vbi superuenit Hercules, suo ipse supplicio periit: equi clauâ necati, vt Tradit Tatianus in Orat. ad Græcos, & Philostratus in Imaginib. Higynus consentit, sed vult Abderum fuisse famulum Diomedis, & addit equorum nomina, cap. 30. feritatem eorum Euripides in Alceстide describit. Philostratus equas fuisse contendit, quæ furiatæ maribus ferociores: idq; illorum traditioni aptiùs, qui volunt has fuisse equas κατὰ ἀναλογίαν; veras Diomedis filias, scorta nobilia, quæ hospites pecuniis denudare, & exspoliare consueuerant, & propter effrenatam libidinem equas appellatas. Palephato placet fabulæ locum datum, eo quòd Diomedes equis alendis, & præsepiorum multitudine, subditorũ opes exhauriret.

1897 Fero] *de feritate nihil, de iustitiâ Geryonis multa legi. sed anus, præ luctu, verba effundit.*

1915 Ad quod populos] *Æschylus:*

Mori, similiter omnium portus est, quo appellimus.

Iuncus: homini quoque & aliis omnibus, mansuetis, ferísque animalibus, è vitâ migrare omnino necessarium est.

1919 Monstra] *Monui olim æquè bene in manuscr. legi;* fatâ. *& sic postea reperi in scriptis Burdigalens. & Moguntinens. sic excusi Herbipoli & Venetiis. Numquid (ait) te morantur in ipso vestibulo leges fatorum; vel Parcæ fati præsides; quæ aditu arcent. Alij libri;* monstra. *non prorsus malè. quis nescit illa in foribus inferorum stabulare? illic statuunt Maro, & ceteri, & ipse Seneca Herc. Fur. & tertio ab hoc versu. valent ergo aliquid hoc loco monstra.*

Morantur] *Ingredi prohibentia.*

1934 Teláque] *totum carmen abest à Moguntino.*

1936 Tenentem] *quidam Herculem putant Engonasim, alij Martis stellam.*

1945 Non semel] *sic apud Papinium lib. 3. Siluar. in Propemtico Celeris, ait Hercules:*

——Parcarum fila tenebo
Extendámque colos. duram scio vincere mortem.

1959 Vmbra] *nudum Herculis simulacrum: sic sumit sup. ver. 1829. 1919. 1936. & passim. Nam credebant non animas ipsas à corpore separatas, minus vnitas; sed nuda quædam simulacra & imagines, τύπους καὶ εἴδωλα, seu spectra, ad inferos descendere: animas, in alia potius corpora migrare. de qua opinione satis copiosè sæpè Plotinus disputat; & Timaus Locrus in lib. de animâ mundi; Ennio tribuit Lucretius:*

——esse Acherusia templa
Ennius æternis exponit versibus edens:
Quo neque permánent animæ, neque corpora nostra,
Sed quædam simulacra modis pallentia miris.

Fuit

Fuit in eadem Virgilius, cùm cecinit:

Morte obitâ quales fama est volitare figuras.

Item: Et nunc magna mei sub terras ibit imago: *fuêre ceteri poëtæ, quando non animas, sed* simulacra, vmbras, figuras *nominant. Cn. Matius Iliad. 13.* An maneat speci l simulacrum in morte silentûm.

Tibullus: Vidit vt inferni Plutonis subdita regno

Magna Deum soboles leuibus discurreret vmbris.

Claudianus, quãdo de Plutone: Vmbrarúmq. potens. *& Homerus Iliad.* ψ'. *animas vocat,* εἴδωλα καμόντων. simulacra mortuorum. *& de hac ipsâ Herculis vmbra alibi:*

τὸν δὲ μετ', εἰσενόησα βίην Ἡρακληείην,
εἴδωλον· αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι
τέρπεται ἐν θαλίης, καὶ ἔχει καλλίσφυρον Ἥβην,

Post hunc vidi vim Herculeam,
Simulacrum: ipse verò apud immortales Deos
Oblectatur in conuiuiis, & habet pulchrorum talorũ Heben.

de quibus versibus sentiebat Seruius in 4. Æneid. sic scribens: Valdè quæritur apud philosophos, quid illud sit quod inferos petat. Nam tribus constamus; animâ, quæ superna est, & originem suam petit; corpore, quod in terram deficit; vmbrâ, quam Lucretius sic definiit; superi spoliatus luminis aër. Ergo vmbra, si ex corpore creatur: sine dubio perit cum eo, nec est quicquam reliquum in homine, quod inferos petat. sed deprehenderunt esse* quoddam simulacrum, quod ad nostri corporis effigiem pictũ petat inferos; & est species corporea, quæ non potest tangi, sicut ventus. hinc in 6.

*Describit quid sit simulacrũ, reiectâ sententiâ volentium esse vmbram; sed vult differre vmbram à simulacro.

Corpora viua nefas stygiâ vectare carinâ.

Hanc autem rem etiam Homerus requirit, simulacro Herculis apud inferos viso. Et sciendum simulacra hæc esse etiam eorum, qui per Apotheosim Dij facti sunt:* vnde aut visi esse apud inferos, aut descendisse dicuntur. Horatius de Libero:

* Hoc pertinet ad explicationẽ loci Tibulliani.

Te vidit insons Cerberus aureo
Cornu decorum.

Sciendum tamen abuti poëtas, & cõfusè, vel simulacrum vel vmbram dicere. *Hæc Seruius, cuius philosophia mira est, nec satis vulgò intellecta. Ego non poëtas tantùm, sed & philosophos ista confundere, facilè euincerem: sed pudet in re tam putidâ immorari. apertè noster vmbram pro simulacro ponit, & sic Pomponius Sabinus:* Vmbra (*inquit*) ex homine petit inferos, anima quæ è cælo est, vt scribit Seneca, petit cælum: corpus terrâ absumitur. *Hæc mihi visa idonea ad nostri explicationem: nam quæ de tribus animæ vehiculis, & de animâ rationali, quâ sentiendi principium est, dici possent & solent, ex Platone lib. 4. de legib. ea mihi præter rem & mentem poëtarum videntur: & Platonici ipsi non satis secum consentiunt, in explicando, quo post mortem animæ deueniant; quomodo, quando, in quæ demigrent, quando denique corpori restituantur. de quibus latißimè D. Augustin. lib. 9. de Ciuitate*

Vide Nascelaneũ & Hortensium in 4. Æneid.

Hercules: Hei mihi, miser perij, perij ego funditus,
Lux fulget hæc nouissima hei mihi,
Video

1474 Perempti] *Sophocles*:
——olim à patre hoc summo Ioue
Oraculum accepi: superstitis Herculem
Nullius occisum manu iri: vitam ei
Apud inferos Stygij incolam Orci aliquem fore
Qui ei eriperet.

1475 Olim]. *sic Tacitus Annal. 15.* Quod ad omina sui exitus *olim verteretur.* 1480 Hunc] *Moguntinens.* hanc.

1485 Herculea] *vni manu sc. totus versiculus deest.*

1487 Inclytum] *inspice Aduersar. olim à me hæc restituta comperies: alij eodem modo, sed occupatum.* Regnúmq.] *totus hic versus deest Venetus.* 1499 Nox] *duplicata ad me gignendum.*

1504 Quamquam Iupp. credi] *Moguntinens.* quicquam. *N.* quanquam. *ceteri excusi*; quoque. *mallem, si libri suffragarentur*; tantum. *vel credi pater meus gaudet, etsi non sit.*

1505 Meis] *mihi impensis, pro me fusis.*

1507 Tale Iuno peperit] *sic om. cod. quos vidi, siue à typographis vulgati, siue à librariis descripti. sed alij ex suo lib. reponunt*: Quid tale genuit, peperit. *quia designari tantùm Iunonem elegãtiùs videatur. Displicet mihi illa inutilis repetitio*, genuit, peperit. *an quæ peperit, non genuerat? quid addit altera vox alteri, quoad sententiam? Efficaciùs etiam hæc dicentur, si nomen exprimatur, quàm si designetur.* 1510 Perage] *Mogunt.* perge.

1530 Tuus comes] *Herbipol. Veneti, Basileens. Lipsiens.* vester. *Moguntinens.* noster. *Parisiens. & Lugdunens.* tuus.

IN CHORVM.

Herculis mortem & luget, & mundum consolatur prædicens Deorum numero adscribendum; Iouem quoque precatur vt mundi vindici sublato sufficiat alium, vel desinat feras & monstra producere.

1516 Radiate Titan] *Attius*:
Dextrorsum orbem flammeum radiatum Solis liquier cursu
Nouo. *Item*:
——oculis postremùm lumen radiatum rape
Papinius: Sidereique orbes radiatáque lumina cæli.

1518 Lassa] *quo incipiente calorem fundere, equos Luna defatigatos nocturnó penso disiungit.* Bigæ] *Vide Hippol. 311. porrò sic singulario numero Liuius lib. 28. penatem, Pacuuius plagam, Horatius Quiritem, Plinius & Macrobius grossum dixere.*

1525 Vnde non vnquam] *Philetas Cous*:
——iter feci ad inferos,
Per quod nullus retrò viator rediit.

1526 Quos nubes radios sequantur] *non illud lucidum iubar, quo mundus amœnatur; sed nubilam faciem; qualis quando pluuias attrahis, & nubes quasi conuocas, quæ grauidatæ, in imbres dissoluantur.*

1522 Plaustro] *has septem stellas docent ab Homero & Græcis ἄμαξαν dici, & propinquum sidus βοώτην; illas à Latinis* septem triones *vocari, à boum similitudine, quia Romani olim boues terræ cultores*, triones, *quasi* teriones *nominabant: ipsæ verò septem stellæ ita locatæ sunt, vt ferè duos trigonos faciant, & quandam cum Boote axis vel temonis speciem exhibeant. ita Varro lib. 6. de Ling. Latina, & Gellius lib. 2. cap. 21. de his Ennius, Iphigenia, vt N. emendat:*

Quid nocti videtur? in altisono
Cæli clipeo temo superat
Stellas, sublime etiam
Atque etiam cogens noctis iter.

1530 Alium] *quando futurus alius, vir æquè fortis; qui tyrannos & monstra tollens, tanta terrarum orbem celeritate peragret, vt Sol eius ægrè vestigia subsequi videatur. ait* Alium Herculem. *quia hoc nomen omnibus viris strennuis tribuebant, vt docet Cælius lib. 6. antiq. cap. 7. Sex Cicero, at Varro quadraginta tres Hercules nouit; omnium gesta vni huic ascribi solent.*

1537 Durior terris Helices] *hoc est quod sup. dixit:* Nec Parrhasio lentior axe. 1543 Immensas] *Eguian.* intensas. *non placet.*

1556 Æacúmque] *Herbipolens. & Veneti;* Æacósque.

Geminos] *Rhadamantum & Minoëm.*

1557 Fata discernens] *Mogunt. vt alij mei manuscr.* facta discernes. *quod placere, aliàs significaui. Iudicum enim facta reorum discernere, & pro factis infligere pœnas: quas si* fata *vocari contendis. esto. parum refert. vide inferius versu 1988. quæ ex Stobæo.*

1561 Fatis] *perperam Lugdunens.* factis. *ceteri omnes* fatis. *dixit enim alibi:* Iratis Diis non licuit esse.

1563 Locum virtus] *Scipio apud Ciceronem 6. de repub.* Omnibus qui patriam conseruauerint, adiuuerint, auxerint; certum esse in cælo ac definitum locum, vbi beati æuo sempiterno fruantur.

1565 Tepido] *Moguntinens.* rapido.

1568 Recepto tu. Alcide] *Mogunt.* recepti tutus Alcidæ.

1570 Leone] *quem in Nemeâ præfocauit.*

Cancro] *quem simul cum hydra sustulit.*

1581 Fretum] *amittet mare salsuginem; quam, cùm terreo multo sit commixtum, nequit in totum deperdere. hinc pendet solutio problematis attributi Alex. Aphrodisæo lib. 1. Problem. 53.*

1583 Ponto vetito] *causam cur nequeat mari mergi veriorem putant; quia circulus Arcticus altior est nostro Orizonte, ideo sidera illa Arctica nobis nequeunt occidere. vide Brodeum lib. 5. miscell. c. 25. & infra Thyest. 472.*

1588 Habeat nec vlla] *Moguntinens.* habeat, nullâ *assentior legenti;* Horreat nulla.

Qui potest] *hoc est, quo pacto potest. sed melius Lugdunens. & Herbip.* cui potest. *quamuis*; qui, *sit in Venet. Basileens. & Lipsiens. Moguntinus*: qui putet solum, *&c.* potest esse, *pro* est. *sumitur. vide Canteri nouas.*

1590 Intensum] *lego ex Mog. Herbipol. & Venetis*; impensum.

1593 Ecquid hoc] *alij*; en quid hoc: *quidam*; Hem quid. *nonnulli*, heu quid hoc. *Secutus sum Herbip. vnum Venetum & Lipsiens.*

1593 Mundus] *cælum.* 1597 Lassus an pondus] *refero* pondus *ad* lassus, *non ad* titubauit. *ἀρχαικῶς, vt captus mentem, &c.*

Atlas] *tres Atlantes inuenio apud Seruium; primum Italiæ regem, Electræ patrem; secundum regem Arcadiæ, Maiæ patrem, auum Mercurij; tertium Promethei fratrem Afrum; hic dicitur primus artem nauigandi, sphæram, & astrologiam inuenisse, Diodor. lib. 4. Plinius lib. 2. cap. 8. & lib. 7. cap. 56. D. Augustin. lib. 18. de ciuitate Dei cap. 8. & Isaacius in Lycophr. ideo dictus sustinere cælum ab Homero 1. Odyss. Pindaro 4. Pyth. & ceteris; & cùm Perseo hospitium denegasset, ostenso Medusæ capite, in montem induruisse, auctoribus Pausaniâ in Attic. Plinio lib. 5. cap. 1. Ouidio 4. Metam. & Herodoto in Melpome. vel sanè suasu Iunonis ferentem Titanibus auxilium, Iuppiter in montem transformauit, vt scribit Higyn. in fabulis c. 150.*

IN ACT. V.

Catastrophe; continens obitum Herculis, & luctum Alcmenæ & Apotheosim Alcidæ.

1610 Docuit indomita] *Mogunt. Herbip. & Veneti* indomita docuit.

1617 Fagus] *Theocritus*: vmbrosâ sub fago.

1621 Loquax] *Sophocles*: Et multiloquæ quercus.

1622 Stat vasta late] *sic Herb. & Ven. quos sequor. alij codices*; stat lata vasti 1626 Totos] *omnes. sed amplius arridet quod Raphalengius*; totum. *quamquam parum Latina in hac fabulâ nonnulla.*

1627 Lentâ morâ duxit ruinam] *ipsæ syllabæ non verba modò denotant, quàm ægrè & vix tandem collapsa.*

1630 Diem] *hoc est, loca iam clara & à sole illustrata. sed Mogun. Herbip. & Veneti*; domus. *suspicatus sum quandoque legendum*:

Volucres pererrant nemore succiso nemus,
Quæruntque lassis garrulæ pinnis domos.

vt ludat in voce nemus, primo loco ponens pro vastâ illâ arbore.

1635 Alternæ trabes] *alternatim positæ.*

1636 Angustum] *sic etiam Veneti & Herb. simile mendum insedit carmina Sidonij ver. 355. in Paneg. Auiti. nam legendum*: —— & angustus pennas non explicat aër. *Porrò cùm dicit* tollunt in astra. *altitudinem pyræ describit. quia veteres, quo quis ditior opibus, dignitate celsior, virtutibus præstantior, hoc illi pyram celsiorē erigebant. Virg. 4. Æneid. de pyra Didus*: —— sic fata gradus euaserat altos. *vbi Seruius*: rogi pro qualitate fortunarum fiebant. *& lib. 6. de rogo Miseni*: —— aramque sepulcri

Congerere arboribus, cæloque educere certant. *vbi Donatus*

hoc

hoc factum ait: vt robur & meritū viri sic appareret. *eaq́; causa est cur de Patroclo Homerus*:

ποίησαν δὲ πυρὴν ἑκατόμπεδον ἔνθα καὶ ἔνθα.

Fecerunt autem pyram centum pedum vtrimque.

Dionys. Halycarn. lib. 11. *Antiqu. Rom. scribit milites Sicinium virum fortissimū sepeliisse, & honestissimè extulisse, rogumq́; maximū aggessisse: aliaq́; pro viribus implesse, quæ, in supremū honorem, strenuis viris lex fieri iubet.*

1646 Sate Pæante] *vbique noster Philoctetem facit Pæantis filium, & heredem telorum Herculis, superius*

—— læto venit ecce vultu
Quem tulit Pæas, humerísque tela
Gestat & notas populis pharetras
Herculis heres.

idq́; prodiderunt Cicero lib. 2. *Tuscul. & omnes ferè tam historici quàm poëtæ quos citant Brodæus lib.* 1. *miscellan. cap.* 15. *& Hercules Ciofanus in Ouidij Metamorph. addo Simmiam in Arâ cui vocatur idcirco Philoctetes*, Trinoctis vstor, τριεσπέροιο καύτας. *vt appareat temere reprehensum Ciceronem à Petro Victorio lib.* 2. *var. lect. cap.* 14. *Quod ad Brissoniū lib.* 1. *de formulis pag.* 37. *hæc nostri verba de Apolline accipientem; facilè crediderim typographorum, vel librariorum errore, Apollinem pro Philoctete positū. nam in virum illū hic error nō cadit.*

1650 Nunquam irritas] *felicitas in eo, quòd nunquam frustrà iaciantur. vide dicta Herc. Fur. versu* 983.

1658 Facem extremam] *qua rogus incendebatur. nam fax duplex, prior in nuptiis, de qua actum initio fermè Medeæ; altera in funere. sic accipio illud Corneliæ eleg. vlt. Propertij*:

Mox vbi iam facibus cessit prætexta maritis. *nuptialibus.*

Item: —— cùm subdita nostrum
Detraheret lecto fax inimica caput. *funebris.*

post de vtraq;: Viximus insignes inter vtramque facem. *à die nuptiarum, vsque ad funus. Fuit autem (vt existimo) maritus huius Corneliæ (si quid ad rem) Paullus ille, cuius meminit Seneca lib.* 1. *de Clementia cap.* 9. *Funebrium tedarum præter Tacitum & Virgilium, relatos à Lazio lib.* 3. *comm. reipub. Rom. cap.* 18., *meminit, Seneca de Tranquillitate vitæ ad Serenum cap.* 11. toties in viciniâ meâ conclamatum est: toties præter limen immaturas exsequias fax cereúsque præcessit. *malè lib. excusus quo vtor*, pressit. *Vt fax, ita & lectus duplex. alter genialis, alter funebris, de quo versiculus ille Persij Sat.* 3. —— tandémque beatulus alto Compositus lecto —— *& modò citatus Propertij. de vtroque, Seneca pater lib.* 6. *Declamat.* 6. versæ sunt in exsequias nuptiæ, genialísque lectus mutatus est in funebrem. subiectæ sunt ergo infelices faces, *&c. de hoc funebri alia quædam Lazius d. cap.* 18. *De vtraque face insignis est locus Iustini lib.* 11. Nonnulli facem nuptiis filiæ accensam, rogo patris subditam dolebant. *& Ouidij* 2. *Fast.* Conde tuas Hymenæe faces, & ab ignibus atris
Aufer, habent aliâs mœsta sepulcra faces.

1659 Hic

Seneca, Thyeste: ——— penitus premens
Iugulo manum commisit.

1697 Vtrumque] *Oriens & Occidens.* Scythiæ genus] *Septentrio.* Ardens ora] *Meridies. sic totum describit mundum; quod vno verbo, omnis plaga.* 1701 Si scelera] *Moguntinens.* & scelera.

1703 Conterrent] *Moguntinens.* conturbant.

1710 Approba] *incertum quomodo in compositione,* ad, *scribi debeat. Cæcilius Vindex*: Si sequatur (*ait*) *F.* non est mutandum, vt adfluo, adfari, adfore. *Papirianus verò*: si sequatur m, migrat in m, vt ammoneo, amminiculum. *Priscianus*: sequente g, migrat in g, vt aggero, aggregor. *Cæcilius, Cornutus & Papirianus cõsentiunt etiam mutari, quando subiunguntur t, p, c, f, l, n, accedo, attuli, assideo, appareo, alligo, annuo.* Approba *ergo. hoc est, fac periculum, experire, tenta: faxo, me dignum iudices.*

1719 Ignaue, iners, inermis est] *sic multi. sed Herb. & Veneti:* Ignaue, iners, inermis. est nostros *&c. pulcrè castigant;* en, nostros. *ironicè dictũ.*

1723 Rogat] *inuitat, quasi ad conuiuium, vbi nectar & ambrosia. sunt alia quoque in hac fabulâ nimis hyperbolica. ideo non eo, quô quidam vocat. Nullum vidi codicem, in quo non;* rogat.

Iam me] *Herbipolens. & Venetus Bernardini;* me iam.

1725 Pinum ardentem impuli] *moris, vt qui defuncto maiori necessitudine deuincti, auersi rogo flammam inferrent, vel facem impellerent. Virgilius de funere Miseni:*

——— pars ingenti subiêre feretro
Triste ministerium, & subiectam, more parentum,
Auersi tenuere facem.

Lucretius lib. 6. de consanguineis agens:

Subdebántque faces multo cum sanguine ———

Meminere moris, de Valeriorum & Fabriciorum funeribus agens Plutarch. in Problemat. Romaic. q. 79. & Dion, qui in Seueri funere filios eius scribit pyram accendisse. Denique Herodianus est auctor, in magnificâ illâ Imperatorum consecratione, principio facem ab imperij successore tabernaculo admoueri solitam, mox à ceteris ignem subdi. Hîc noster Philoctetæ, heredi & successori armorum Herculis, hoc munus tribuit.

1730 Ad durum iecur] *sic solet vocare iecur Herculis.*
——— sed iecur fors horridum Flectam emerendo ——— *& fortè etiã difficilius iecur, quàm reliqua interna comburitur. nam in Thyeste 784.*
——— stridet in verubus iecur. *ingemiscit ergo ignis, quia cum difficultate illud vrit: vel synecdoche, quòd ipsum iecur videtur ingemiscere, stridere, & quasi queri.* 1737 Sic] *siccis genis vide sup. vers. 1686.*

1740 Adhortatur, monet] *Mogunt.* membra, hortatur, mouet, Gerit aliquid. 1754 Sinu gerentem] *vtriusq; parentis, præsertim matris officium fuit, cremata ossa, & reliquias legere, & collectas asportare. Tibullus*: ——— non hîc mihi mater,
Quæ legat in mœstos ossa perusta sinus.

Seneca lib. 2. de ira cap. 33. Dignus fuit, cui permitteret ad ossa filij legenda à conuiuio discedere. *& lib. de consolat. ad Elbiam cap. 2.* Modò in eundem sinum ex quo tres nepotes emiseras, ossa trium nepotum recepisti. *legebant ergo & in sinum collecta referebant matres. Parentum ossa, si dëerant parentes, filij legebant. Propertius lib. 4.*

Ossáque legisti, non illâ ætate legenda,
Patris, & in tenues cogeris ire lares.

vel eorum penuriâ, alij heredes. Martialis lib. 8. Epigr. 56.

Ossáque defuncti licet olim non legat heres,
Hoc sibi iam Picens præstitit officium.

vel alij propinquiores, amicioresq́., vt Patrocli Achilles Iliad. ψ'. Hectoris, fratres & socij Iliad. ω'. Virgilius de Miseni funere:

Ossáque lecta cado texit Corynæus aheno.

vbi Donatus id astruit. Propertius lib. 1. eleg. 17. Hostia, ait:

An poteris siccis mea fata reponere ocellis?
Ossáque nulla tuo nostra tenere sinu?

Tibullus Neæra lib. 3. ossa
Incinctæ nigrâ candida veste legant.

Principum & Imperatorũ reliquias legebant Consules vel maiores Ordines, vt ex Herodiano cõstat & Sueton. Vide Lazium li. 3. Comm. reip. Rom. c. vlt.

1755 Crinémque iactans squallidum] *agnosco habitum lugentis matris & comam puluere aspersam vento committentis. & tu credis, dilecti filij cineres Alcmenam iactasse? quid hosti queat crudelius? sequor meos codices & excusos ad vnum omnes: qui constanter etiam retinent*, gemit. *rectè. nam superiori versiculo dictum reliquias gestasse. Dices, ossa lecta: nunc cinerem. verùm; si gerit cinerem, quomodo iactat? censeo simul & ossa & cineres tulisse, & squallidam luctu comam per humeros eius expansam, & crebro motu capitis, quod dolore vel irâ sui impotentes solent, iactasse.*

1757 Gigas] *fuit staturâ talis, secundùm quosdam: & apud Indos etiam cognomine, vt tradit Megasthenes.*

1760 Ille] *sic perperam N. rectè Herbipolens. Veneti, Lugdunens. & ceteri*; illi, *Herculi.*

Vix totam] *Propertius lib. 2. de Briseide:*

——tanti corpus Achillis
Maximáque in paruâ sustulit ossa manu.

Idem lib. 4. de Cornelia:

En sum quod digitis quinque leuatur onus.

Hortensius Commentar. in Lucan. tradit Pompeij Magni tumulo hoc carmen incisum:

Templi pondus erat, modicâ qui clauditur vrnâ.

vereor ne quis versificator docto homini imposuerit. Sanè Dion scribit Hadrianum de Pompeio dixisse: τῷ ναοῖς βρίθοντι πόση σπάνις ἔπλετο τύμβου. Ossa viri magni tenui quàm clausa sepulcro. *Dio idem prodidit Seuerum Imp. cùm vrnam Porphyreticam, quá ossa sua & cineres condi volebat, ad se perla-*

verlatam contemplaretur, in hac verba erupisse: Χωρήζεις ἄνδρα ὃν ἡ οἰκουμένη οὐκ ἐχώρησεν. Tu virum capies, quem totus terrarum orbis non cepit. *Apud Plutarchum in vita Scipionis habes pulcrum epigramma eiusdem sententiæ.*

1763 Totus æther] *cælum & elementa.*

1772 Vnum] *vnicum, non remeabile, nec iterabile: vel* vnum, *æquè distans. nam omnes regiones supremæ terræ æquali ab inferis interuallo distăt, vt Anaxagoras & Aristippus morituri respondent, apud Ciceronem* 1. *Tusculan. & Stobæum de exilio serm.* 38. *contra Hermioniorum commentum, qui se compendium quoddam viarum callere iactitabant, teste Strabone li.* 8. *vel,* vnum, *idem & commune omnibus. nam vt ait Herodianus lib.* 2. οὐδὲ γὰρ μία οὐδ' ἡ αὐτὴ πᾶσιν ἀνθρώποις θανάτου αἰτία. διάφοροι δὲ οὖσαι, εἰς ἓν τέρμα βίου ξυντελοῦσιν. Cùm non vna eadémque cunctis hominibus mortis sit causa, sed aliæ aliis: cunctæ tamen ad eundem vitæ terminum tendunt. *Seneca igitur & Aeschyli Telephus respexere, vnam viam ponentes, ad hunc communem vitæ terminum; Aristophanes verò in Ranis, ad varias mortis causas, spectauit.*

1774 Possum] *Moguntin.* possem. *Lugdunens.* possim. *ceteri* possum.

1777 Thebanc coniux] *traditur enim Alcumena Amphitryoni Thebano superuixisse, & secundis nuptiis Rhadamantho coniuncta; à quo volunt quidam Herculem sagittandi peritiam didicisse; quod alij Teuthari bubulco ascribunt.*

1785 Busiris] *de huius crudelitate & nece, D. Augustin. lib.* 18. *de Ciuitate Dei cap.* 12. *Orosius lib.* 1. *cap.* 11. *& alia quædam ex Eratosthene Diodorus lib.* 2.

1786 Antæus] *de quo nonnulla dicta Herc. Fur. versu, ni fallor,* 481. *dicitur Lybs, vel Lybis, non à Lybiâ propriè dictâ; sed à lato Africæ nomine. nam in Mauritania natus, & regnauit in eadem, oppidúmque Tingi ab illo conditum scribit Mela, lib.* 1. *cap.* 4. exstátque rei signum, parma elephantino tergo exsecta, ingens. *sic enim legendum censeo: de eiusdem regno & sepulcro in Mauritaniâ, idem Mela lib.* 3. *cap. vlt. & confirmant Plutarchus in vitâ Sertorij, & Strabo lib. vlt. pugnam cum Hercule & mortem describunt eleganter Pindarus Isthm.* 4. *& Philostratus in Imaginib.* *Pintianus aliter sed puto frustrà.*

Perfidæ] *Afris olim hoc vitium peculiare: vnde,* Punica fides. *nec minus hodiè.* 1790 Totus vretur dolor] *omnem in me indignationem & iram effundet. sæuiet quantum volet & valebit: nec cessabit, donec sedet dolorem suum, & sibi vlciscendo satisfaciat. vstus est totus ignis, Metaphoricè; quando deficit, sublato fomento consumtaq; omni materiâ. Vretur ergo, consumetur & in vltionem impendetur.*

1798 Eurystheus] *causam quæ Herculem coëgerit Eurystheo parere, iam narraui: addo, detrectasse seruitium initio, sed Iouis iussu & oraculo Delphico compulsum. Non omnia tamen bella & labores præcepto illius suscepit: spontè multa obiuit, vt canunt Pindarus, Callimachus, & noster sup. ver.* 61. O quanta fudi monstra, quæ nullus mihi, *&c.*

Laréſque miſeros] *domum patris mei Electrionis. vide Heſiod. in Scuto, vbi:* ἤοι ἡ προλιποῦσα δόμους καὶ πατρίδα γαῖαν
ἤλυθεν Θήβας, μετ' ἀρήιον Ἀμφιτρύωνα,
Ἀλκμήνη θυγάτηρ λαοσσόου Ἠλεκτρύωνος.
Aut qualis relictâ domo aut patriâ tellure
Venit Thebas, ſecuta maritum Amphitryonem,
Alcmena, filia ſeruatoris populorum Electryonis.

1800 Et ipſa] *vt Semele.* 1804 Exſectus] *melius hoc, quàm quod Moguntinenſ.* exceptus. *verè enim Bacchus* cæſo.

1811 Hic dira] *in Arcadiâ occisâ Lernæ hydrâ.*

Ales] *in eadem Arcadiâ Stymphalis victa.*

1812 Rex] *multis in locis occiſi ab eo tyranni, in Ægypto, Mauritaniâ, Thraciâ, alibi.* 1816 Hæc] *Thracia liberata ſæuo Diomede.*

1819 Vbi enim negata] *ſic o.l. omnino, niſi quod quidam addunt voculam* eſt. *Quid, inquit, defatigem me commemorandis regnis, quibus gnatus meus pacem peperit? toti mundo præſtitit; quem totum peragrauit: nec vlli fuit iniurius: nulli bono noxæ. An, Alcmena? mater es. non credo. negat Eurytus, negant alij innumeri. Acutior coniectura Lipſij;* vbi ei negata eſt. *nec enim pax Thraciæ dari potuit, quamdiu in pace Diomedes. pereundum huic, vt illa non interiret.*

1830 Debitos] *ſic o.v.l. & Herbip. Veneti, Baſileenſ. Lipſienſ. ſoli ferè Lugdunenſ.* indebitos. *Debiti quidem Herculi ſunt luctus. quis non mæreat terris vindicem deceßiſſe? qua mater filium talem non lugeat? Tamen, ſi rectè cogites, quis ille & qualis, & maternum exuas affectum; videbis illum non eſſe lacrymis vel eiulatu plangendum. graue hoc illi. nec decet virtute præditum; qui viuit & viuet in ore omnium.*

1833 Æterna virtus] *Euphorion:*
Et tum quiſpiam moderatè defuncti nomine triſtetur
Et moderatè lugeat. nam omnino à lacrymis alienum
Parcæ læſerunt. *& Euripides:* Neque ſupra modum dole,
——μηδ' ὑπερμέτρος ἄλγει. *Philetas:* ἐκ θυμοῦ κλαῦσαι μέγα μέτρια. ex animo lugeas omnino mediocriter. *Veriſſimè Homerus totum mare, ſi in lacrymas verteretur, ne vnum quidem mortuum ſuſcitare poſſe ſcribit. de inanibus lacrymis & luctu multa Stobæus ſerm. 121. apud quem elegans ille Sophoclis locus, huic Menandreo perſimilis eſt.*

εἰ τὰ δάκρυ' ἡμῖν τῶν κακῶν ἦν φάρμακον,
ἀεί θ' ὁ κλαύσας τοῦ πονεῖν ἐπαύετο.
ἠλλαττόμεσθ' ἂν δάκρυα, δόντες χρυσίον.
νῦν δ' οὐ προσέχει τὰ πράγματ', οὐδ' ἀποβλέπει
εἰς ταῦτα, δέσποτ' ἀλλὰ τὴν αὐτὴν ὁδὸν,
ἐάν τε κλαίῃς, ἄν τε μὴ, πορεύσεται.
τί οὖν πλέον ποιοῦμεν; οὐθέν· ἡ λύπη δ' ἔχει
ὥσπερ τὰ δένδρα καρπὸν τὰ δάκρυα.
Malis mederi ſi valerent lacrymæ,

Et cogeretur mœror illis cedere;
Auro parandæ quolibet nobis forent.
Nunc res acerbæ nil morantur lacrymas:
Sed, siue plores, siue non plores, suam
Vno tenore semper insistunt viam.
Quid ergo prodest flere? nil. sed lacrymas
Fert mœror: arbores suum vt fructum ferunt.

Quomodo Christianis mortui lugendi, disce ex D. Hieronymo epist. 25. to. 1.

Gemendus] lugendus, *Mogunt.* 1838 Gnatos] *veteres excusi cum Mogunt.* nato. 1854 In saxa] *vt Nioben.*

1860 Genas] *Herbip. Basil. & Veneti;* genus. *& sic N. magis placet, vt m. s.* genas. Aduoca. *deest Moguntino. & nescio quid vitij in hoc versu, vel phrasi. credidi quandoque;* aduoca humanum genus. *mox enim gentes aduocat. & hiatus creber nostro.*

1868 Mandans] *sic corrupit N. nam antea omnes libri etiam Lugdun.* madens. *scilicet cruore humano.*

1874 Curetes] *Curetum & Corybantum idem officium armorum strepitu, cantu, choreis Iouis vagitum à Saturni auribus abscondere. parentibus & patriâ differebant. Curetes, qui &* dactyli Idæi *fuere; Hercules Idæus, Pæonius, Epimenides, Iasius, Idas, testibus Leonico lib. 2. var. hist. cap. 57. & Parrhasio in Claudianum. Corybantes fuere, Baulo, Disaul, Triptolemus, Eumolpus, Eubuleus, Eusebio lib. 2. de Præparat. Euang. cap. 5. In Corybanthum sacris fraternum parricidium celebrabatur, vt docet Firmicus cap. 12. Cabyro scilicet à fratribus illata mors. De Telchinis, Cabyris, Corybantibus, & Curetibus, qui volet, consulat Clement. Alexandr. in Protrept. Arnobium lib. 5. Euseb. d. cap. 5. Apollonij Scholiastem in lib 1. ver. 1125. & 1129. Cælium Rhodig. lib. 16. Antiqu. cap. 20. Cælium Calcagnin. in lib. cui tit. Equitatio, & Lilium Syntagm. 1.*

1885 Setiger] *aper Erymanthius, Mænalius, Arcadius, Phææ Scrofæ filius, apri frater Calydonij.*

1887 Totum pinnis velata diem] *Moguntinens.* totum pin. valuat. *num scriptum fuit;* vallata. *hoc ordine; alesq. vallata pinnis iussa sagittas sequi totum diem: vt coëgerit illam Hercules integro die fugere, continuè sagittis insecutus. & sit synecdoche. eodem sensu cape aliam lectionem.*

1888 Cleonæ] *Cleonæ media inter Corinthum & Argos vrbs à Cleone Dolopis F. dicta. vel à Cleone filiâ Asopi, Pausan. in Corinthiac. ibi Hercules leonem præfocauit, alium à Nemeæo, iuxta quosdam, eundē iuxta alios. vide Pierium lib. 1. Hieroglyph. & quæ nos sup. ver. 1233 & 1809.*

1891 Sitoniæ] *Thressæ. Horat.* Monet Sithoniis non leuis Euhius.

1894 Vescitur] *sic omnes lib. ad vnum: & exposuit sensu non prorsus incommodo. adfirmant alij legendum;* nascitur. *aptiùs. sed quis prudens meras coniecturas toties in contextum referat? Bernardinus exponit:* Stabula, id est, equi non vescuntur vestris infantibus. *Daniel Caietan.* aut (*inquit*) passiuè positum, aut per hypallagen, vescitur. *vtrumque dici potest. Sic*

enim dicimus mare nauigatur, campus curritur, & similia, de quibus Fabius lib. 1. cap. 4. Diomedes Tinda in Thracia regnans, fingitur equos humano sanguine & carnibus pauisse, etiam auctore Plinio li. 4. cap. 11. hic cùm Herculis catamitum Abderum equis epulandum apposuisset, vbi superuenit Hercules, suo ipse supplicio periit: equi clauâ necati, vt Tradit Tatianus in Orat. ad Græcos, & Philostratus in Imaginib. Higynus consentit, sed vult Abderum fuisse famulum Diomedis, & addit equorum nomina, cap. 30. feritatem eorum Euripides in Alceslide describit. Philostratus equas fuisse contendit, quæ furiatæ maribus ferociores: idq; illorum traditioni aptiùs, qui volunt has fuisse equas κατὰ ἀναλογίαν; veras Diomedis filias, scorta nobilia, quæ hospites pecuniis denudare, & exspoliare consueuerant, & propter effrenatam libidinem equas appellatas. Palephato placet fabulæ locum datum, eo quòd Diomedes equis alendis, & præsepiorum multitudine, subditorũ opes exhauriret.

1897 Fero] *de feritate nihil, de iustitiâ Geryonis multa legi. sed anus, præ luctu, verba effundit.*

1915 Ad quod populos] *AEschylus:*

Mori, similiter omnium portus est, quo appellimus.

Iuncus: homini quoque & aliis omnibus, mansuetis, ferísque animalibus, è vitâ migrare omnino necessarium est.

1919 Monstra] *Monui olim æquè bene in manuscr. legi*; fatâ. *& sic postea reperi in scriptis Burdigalens. & Moguntinens. sic excusi Herbipoli & Venetiis. Numquid (ait) te morantur in ipso vestibulo leges fatorum; vel Parcæ fati præsides; quæ aditu arcent. Aliÿ libri*; monstra. *non prorsus malè. quis nescit illa in foribus inferorum stabulare? illic statuunt Maro, & ceteri, & ipse Seneca Herc. Fur. & tertio ab hoc versu. valent ergo aliquid hoc loco monstra.*

Morantur] *Ingredi prohibentia.*

1934 Teláque] *totum carmen abest à Moguntino.*

1936 Tenentem] *quidam Herculem putant Engonasim, aliÿ Martis stellam.*

1945 Non semel] *sic apud Papinium lib. 3. Siluar. in Propemtico Celeris, ait Hercules:*

——Parcarum fila tenebo
Extendámque colos. duram scio vincere mortem.

1959 Vmbra] *nudum Herculis simulacrum: sic sumit sup. ver. 1829. 1919. 1936. & passim. Nam credebant non animas ipsas à corpore separatas, minus vnitas; sed nuda quædam simulacra & imagines, τύπους καὶ εἴδωλα, seu spectra, ad inferos descendere: animas, in alia potius corpora migrare. de qua opinione satis copiosè sæpè Plotinus disputat; & Timæus Locrus in lib. de animâ mundi; Ennio tribuit Lucretius:*

——esse Acherusia templa
Ennius æternis exponit versibus edens:
Quo neque permánent animæ, neque corpora nostra,
Sed quædam simulacra modis pallentia miris.

Fuit

Fuit in eadem Virgilius, cùm cecinit:

Morte obitâ quales fama est volitare figuras.

Item: Et nunc magna mei sub terras ibit imago: *fuêre ceteri poëtæ, quando non animas, sed* simulacra, vmbras, figuras *nominant. Cn. Matius Iliad. 13.* An maneat speci simulacrum in morte silentûm.

Tibullus: Vidit vt inferni Plutonis subdita regno
Magna Deum soboles leuibus discurreret vmbris.

Claudianus, quādo de Plutone: Vmbrarúmq. potens. *& Homerus Iliad. ψ'. animas vocat,* εἴδωλα καμόντων. simulacra mortuorum. *& de hac ipsâ Herculis vmbra alibi:*

τὸν δὲ μετ', εἰσενόησα βίην Ἡρακληείην,
εἴδωλον· αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι
τέρπεται ἐν θαλίης, καὶ ἔχει καλλίσφυρον Ἥβην,
Post hunc vidi vim Herculeam,
Simulacrum: ipse verò apud immortales Deos
Oblectatur in conuiuiis, & habet pulchrorum talorū Heben.

de quibus versibus sentiebat Seruius in 4. Æneid. sic scribens: Valdè quæritur apud philosophos, quid illud sit quod inferos petat. Nam tribus constamus; animâ, quæ superna est, & originem suam petit; corpore, quod in terram deficit; vmbrâ, quam Lucretius sic definiit; superi spoliatus luminis aër. Ergo vmbra, si ex corpore creatur: sine dubio perit cum eo, nec est quicquam reliquum in homine, quod inferos petat. sed deprehenderunt esse* quoddam simulacrum, quod ad nostri corporis effigiem pictū petat inferos; & est species corporea, quæ non potest tangi, sicut ventus. hinc in 6.

*Describit quid sit simulacrū, reiectâ sententiâ volentium esse vmbram; sed vult differre vmbram à simulacro.

Corpora viua nefas stygiâ vectare carinâ.

Hanc autem rem etiam Homerus requirit, simulacro Herculis apud inferos viso. Et sciendum simulacra hæc esse etiam eorum, qui per Apotheosim Dij facti sunt:* vnde aut visi esse apud inferos, aut descendisse dicuntur. Horatius de Libero:

* Hoc pertinet ad explicationē loci Tibulliani.

Te vidit insons Cerberus aureo
Cornu decorum.

Sciendum tamen abuti poëtas, & cōfusè, vel simulacrum vel vmbram dicere. *Hæc Seruius, cuius philosophia mira est, nec satis vulgò intellecta. Ego non poëtas tantùm, sed & philosophos ista confundere, facilè euincerem: sed pudet in re tam putidâ immorari. apertè noster vmbram pro simulacro ponit, & sic Pomponius Sabinus:* Vmbra (*inquit*) ex homine petit inferos, anima quæ è cælo est, vt scribit Seneca, petit cælum: corpus terrâ absumitur. *Hæc mihi visa idonea ad nostri explicationem: nam quæ de tribus animæ vehiculis, & de animâ rationali, quâ sentiendi principium est, dici possent & solent, ex Platone lib. 4. de legib. ea mihi præter rem & mentem poëtarum videntur: & Platonici ipsi non satis secum consentiunt, in explicando, quo post mortem animæ deueniant; quomodo, quando, in quæ demigrent, quando denique corpori restituantur. de quibus latissimè D. Augustin. lib. 9. de Ciuitate*

Vide Nascimbeniū & Hortensium in 4. Æneid.

uitate Dei cap. 11. lib. 10. cap. 30. & 31. lib. 12. cap. 20. & succinctè sed accuratè sententias philosophorum explicans Sermone de Tempore 139. & 143. vbi quendã Virgilij versum è 6. Æn. interpretatur, quod alij non aduertunt.

1961 Furua] *Moguntinens.* fulua. *sed librarius ille fortè blæsus erat, sæpe l, pro r, ponens.*

1965 Paterna flammis] *Arrianus lib. 3. de dict. Epictet. cap. 13.* Cùm verò ea, quibus opus est, non suppeditat (*Deus*) receptui canit, ianuam aperit, teque venire iubet. Quo? non in malam rem: sed eò vnde ortus es, ad amica & cognata ad elementa. Quantũ ignis in te fuit, ad ignem redit; quantum terræ, ad terram; quantũ aëris, ad aërem; quantũ aquæ, ad aquam. *Idem in Hermotimo tradit Lucianus: & causam conatur Lucretius:*

Cedit item retrò, de terrâ quod fuit ante,
In terras: & , quod missum est ex ætheris oris,
Id rursum cæli relatum templa receptant.

Xenophanes, apud Theodoretum lib. 4 contra Græcan. affect.

ἐκ γῆς γὰρ τὰ δὲ πάντα, καὶ εἰς γῆν πάντα.
Omnia de terra sunt hæc, in terramque feruntur.

D. Cyprianus in lib. de Idolor. varietate: Castor & Pollux alternis moriuntur, vt viuant: Æsculapius, vt in Deum resurgat, fulminatur: Hercules, vt hominem exuat, Oetæis ignibus concrematur. *Quæ verba eadem inueni in Minucij Felicis Octauio. suspicor vnum ab alio accepisse; vel in alterutrius librum inserta à philoglossariis. Arnobius lib. 4. ita scribit:* Plutarchus Herculem post comitialis morbi ruinas in cineres dissolutum prodidit. *Quod nonnulli, completo nondum trigesimo ætatis anno, volunt accidisse: & ab hac eius miserià natum prouerbium:* Ardens tunica. *Manethon autem, Eusebius & D. Isidorus, sunt auctores, Herculem anno vitæ LII. cùm in morbum pestilentem incidisset, sanitate desperatâ, ob cruciatus acerbitatem, sese in flammam iniecisse. Aristoteles bile atrâ agitatum violentas sibi manus censet intulisse.*

Flammis tua] *putabant, vt quis immortalis fieret, terrenum omne corpori admixtum, igne prius comburi oportere. sic Ceres 4. Fastorum. volens Triptolemo immortalitatem conferre:*

Inque focos corpus pueri feruente fauillâ
Obruit, humanum purget vt ignis onus.

Martianus Capella, de Philologiâ in cælum transferendâ, lib. 2 formæ ac substantiæ cœpit formidare corporeæ. Quippe perferendos flãmarum cælestiũ globos, & ignes ardentium siderũ mortalibus adhuc artibus, & gracilenta macilitate siccatis, non incassum tremebunda formidat.

1965 Planctus] *an ad flendum & lugendum anui opus magno apparatu? credo illi ad manum, ad nutum lacrymæ, & clamores feminei. quos ergo planctus parabat? docet D. Hieroym. epist. ad Paullam de obitu Blesillæ; cùm scribit:* planctũ aliquando significare, non ipsas lacrymas aut plangentium exanimationem; sed pompam funeris, & exsequiarum ornatum. *hunc planctum recusat Alcides: nam alter præcesserat.*

Pro-

Proinde planctus pone, quos gnato paris
Genetrix in ortu. luctus in turpes eat.
Virtus in astra tendit; in mortem timor.

In Moguntino hi tres versus desunt; qui habentur quo ascripsi modo in Lugdunen. In Eguiano solo ex manusc. quos vidi, continentur, sed ita, quemadmodum Lipsienses ediderunt, & prius Basileens. & Herbipolens. & Veneti. nam olim non satis diligens inspector fui. Quidam legunt, gnato paret; *à ceteris abstinent. Mihi videtur*

—— quos nato paras
Genitrix in ortu. luctus in tur. eat. *Hanc mortem putat Natalem diem, quo regeneratus ad immortalitatem. vel sanè:* quos nato paret Gen. inerti. luctus in turpes eat.

1968 Virtus in astra] *hoc est, virtute præditi & fortes in cælum transferuntur; timidi & pusillo animo, cùm nihil præclari gesserint, vnà cum corpore in posterorum memoriâ viuere desinunt.*

1970 Pœnas iam] *Strabo lib.* 8. Cùm autem Eurystheus apud Marathonem, aduersus Herculis filios & Iolaum, duxisset exercitum, auxilium ferentibus Atheniensibus, in ipso prœlio fertur occubuisse. reliqua sanè eius membra Gargetti sepulta esse, caput autem Corinthi seorsum; quod ab Iolao circa fontem Acariam secus semitam, abscissum fuerat. *At Apollodorus lib. 2. Biblioth. Eurystheum vult ab Hyllo interemtum prope petras Scyronias, & caput Alcmenæ allatum, ab eaq; oculos radio textorio erutos.*

1973 Vinco] *non malè Moguntin.* vito. *nunc non vicit, quæ non adiit, nec liquit etiam vbi iterum non fuit. vitauit tamen iterum.*

1976 Misera mens est credula] *Eguian.* misera mens incredula est, *& sic Mogunt. sed meliores m.s. & primæ editiones, vt posui.*

1977 Mundus] *more antiquo ponit pro cælo mundum. Sed cur addit* æternus. *an putabat reliquis consumtis incendio, cælum duraturum? docet vbique fermè in his fabulis contrarium. vereor ne scripserit:* mundus æternum. *iam immortalem. & persuadent triumphi tui tot tam nobiles. pro;* credo triumphis, *Moguntinens.* ordo triumphus: *mendosè. ex vno m. s. reponunt;* Io triumphe. *mihi, tot reliquis tragœdiis, necdum concinendum; nec scio an satis ad mentem Alcmenæ. certè ex abrupto.*


1976 Nouumque] *scribit Pausanias Eliac. 1. se à Thasiis accepisse, Thasi esse Tyrium Herculem, iam initiò ab illis cultum; qui cùm se Græcis adiunxissent, simul Thebanum Herculem eo honore prosequi cæperunt. Marathonios tamen affirmare se mortalium primos Herculi diuinos honores exhibuisse. sed Aristides id Atheniensibus adscribit, in Panathenaicâ. In quibusdam Thasiorum nummis argenteis vidi Herculis simulacrum cum clauâ & leonis exuuiis.*

1988 Nunc quoque] *etiam mortuus puni sontes. scribit, opinor ex Porphyrio, Io. Stobæus; Herculem adhuc apud inferos punire noxios, & iaculantis horrendam opinionem inferre; & quod inter viuos solebat, apud plu-*

res adhuc ſolere; &, Ariſtarcho auctore, non illic ſupplicium pendere, ſed ſumere. τιμωρεῖσθαι δὲ ἐκτὸς ὄντα καὶ τὸν ἡρακλῆν τοὺς ἀδίκους, φαντασίας φοβερὰς ἐμποιοῦντα τοῦ βάλλοντος καὶ τοξεύοντος, ὥσπερ ζῶν ἠμύνετο, ἀμυνομένου καὶ ἐν ἅδου τοὺς ἀξίους κολάζεως· οὐ γὰρ δὲ καὶ οὗτος τῶν κολαζομένων ἐστὶ, ὡς Ἀριστάρχῳ ἐδόκει, ἀλλὰ τῶν κολαζόντων.

1976 Miſera mens eſt credula] *ita plerique mei manuſcr. pleri etiam impreßi. nec falsè. timori prona in peius fides (dixeram id ipſis Senecæ verbis) aſt miſerorum, vbi nil metuunt, ſed ſperant, in ea quæ ſperant atque deſiderant, fides pronior.* quod *enim, noſter ait,* nimis miſeri volunt, hoc facilè credunt. *Miſera Alcmena, nil tamen Herculi metuebat, etſi ſibi nonnihil; ſed hunc ipſum apparens natus metum ademerat. optabat nati immortalitatem, & inaudierat. aſſentiri vix audebat: quia verebatur, ne quod optabat amans, ſibi ſomnium fingeret. Statim tamen poſtea dubitare deſinit, reuocatis in memoriam præclarè geſtis.* Es numen, *&c. hæc ego confirmandæ huic lectioni, non damnandæ alteri; quæ multorum quoque codicum;* incredula eſt.

1993 Mitteris] *ſic manuſc. meliores, in his Eguian. ſed Moguntinenſ. & veteres impreßi Herbipolenſ. ac Venet. & Pariſ.* Mittes. *poteſt etiam recipi: ſed alterum malo.* *Vale Hercules: magno me ſanè tædio affeciſti.*



AD V. CL. PETRVM ORANVM, SERENISS. PRINCIPIS LEODIENSIS CONSILIARIVM, ET CIVITATIS SCABINVM.

—— δέξαι τήν δε τὴν μετανιπτρίδα
μεστὴν Δίος σωτῆρος, ἀγαθοῦ δαίμονος.



DVOBVS *libaui: superest tertius.* τὸ τρίτον τῷ σωτῆρι. *tibi, V.C. tibi: sed more prisco, Tribunalium & Sacrorum. illic pluribus patronis caussæ difficiliores demandabantur: hic tribus crateribus variorum Numinum fauentia conuiuis conciliabatur. Musicum istud conuiuium Orchestræ Latiæ, magno Musarum & verorum Sacrorum* Antistiti *nostro dicatum, claudat iste* γλυκὺς κρατὴρ ἀναφθέγκτων ἀοιδᾶν, *trium Tragœdiarum* Thyestæ, Troadum, Agamemnonis *pactili serto coronatus: vltimus ordine; quia non omnes eodem tempore primi potuere; non meritis, non affectu. nulli cedit vel amor in me tuus, vel mea erga te obseruantia. primis me* Iurisprudentiæ *(agnosco & glorior) præceptis tinxisti, puram adhuc lanam, planè puerum; ad Themidis illud templum conanti per iter tenebricosum primus præluxisti. Iam inde beneficiorum tuorum, & obseruantiæ meæ nexus cœpit. tam antiqui meriti, tam dudum debitæ gratitudinis, hoc pignus cape. olim* Auditoris, *nunc* Clientis *cum Clariss.* Torrentio & Lipsio, *patrocinium suscipe. Tibi, qui ad* Iuris scientiam, *eloquentiæ studia, & morum probitatem præclarè adiunxisti, vt Patriæ tuæ meritò* Papinianus *audias;* caussæ, *quam non rei ipsius natura, sed æui huius inuidia facit difficilem, perorandæ munus reseruatum. & alioquin;* φθόνος ἔξω θείου χοροῦ ἵσταται.

Leodici CIↃ. IↃ. XCII. *Kal. Iulij.*

COM-

Eibius in Margari. hâc vocat Tantalum.

COMMENT. IN THYESTEM.

ARGVMENTVM.

VICISSITATE regnandi pactâ, annis alternis Pelopis filij, Atreus & Thyestes, Argis imperabant. Interea Thyestes aureum arietem, regni fatum, auertit, & Aëropen vxorem fratris in adulterium pellicit: mox pœnas metuens fratri dare, fugit in exsilium. sic euasisse dolens Atreus, quod vi nequibat, dolo conatur. in gratiam redire se simulat; oblatâ regni parte, fratrem inuitat, & persuadet. ei conuiuanti, liberos tres, ante aras immolatos instar victimarum, & partim assos, partim elixos ignoranti epulandos proponit, sanguinemque potandum propinat. sic fit filiorum parens sepulcrum. denique capita illi & manus crudelis Atreus offert; & ,quid comederit, quid biberit, enarrat. Luget Thyestes, & deflet calamitates suas; lætatur è contrà frater, & exultat in tam sæuo parricidio, quod ipse Phœbus videre non sustinuerat. Vide Pausan. in Corinthiacis.

IN ACT. I.

Tantalum Megæra compellit nepotum discidia nutrire.

1 QVIS me furor] *quo furore nouo (ô Megæra) percita, quâ væsania ab inferorum sede me expellis? sic omnes quos vidi codices: nisi quod Mogunt. deest;* ab. *concinnius tamen alij;* Quis me inferorum sede ab infaustâ abstrahit?

2 Captantem] *Moguntinens.* temtantem.

3 Quis male Deorum] *familiare poëtis, Diis mala sua imputare, vt ex Callimacho in lauacro Pallad. & Æschylo in Persis patet. Archilochus;* Diis omnia ascribit. *Euripides:*

Aut Deus, aut homo, aut
Quid aliud, iniuriarum
Viam inuiam orditur.

Afranius, Togatâ:

Nescio qui nostri miseritus tandem Deus?

Liuius Andronicus, in Odysseâ:

Inferus an Superus tibi fert hæc funera Vlyxes.

8 Differens] *optimè. tamen Moguntin. Herbipolen. & Veneti;* deferens.

9 Aut

9 Aut pœna Titij semper accrescens iecur] *sic mei libri omnes. monet Lipsius in suo manusc. esse:*

Aut pœna Titij, qui specu vasto patens
Semper accrescens iecur
Visceribus, *&c. & quærit an defectus hic aliquis? an hemistichium ab adtextu? hoc posterius mihi magis verisimile. nam etiam Bernardin. agnouit illud:* semper accrescens iecur, *& appositè dictum; nec quicquam ad sententiæ plenitudinem, sine illis,* (qui specu vasto patens) *neque ad carminis integritatem desideratur. Præfidenter alij; vnius libri lectionem secuti:* semper accrescens iecur, *expungunt: cùm in ipsorum, & meis codicibus cunctis, hæc verba contineantur. friuolum verò; illud desumtum à glossariis, ex simili Hippolyti loco. quasi non scriptores passim quod alibi dixere: quia placuit, soliti repetere. Nec satis Latinum illud;* patens vasto specu. *melius foret,* iacens. *sed recepta lectio tuenda.*

10 Visceribus] *Herbip. & Veneti, & Moguntin.* vulneribus. *minus rectè. Tibullus:* Assiduas atro viscere pascit aues.

13 Transcribor] trāsmittor: *à coloniarū deductione translatū vocabulū.*

31 Crescat] *Clytemnæstra se Aegistho prostituit, & eo iuuante maritum occidit, filium ad necem quæsiuit; qui postea matrem interemit. Agamemnon & Menelaus, decennali & transmarino ad Troiam bello, Asiam & Europam grauibus damnis affecerunt: in eo bello maior Atrides, Chryseidis & Cassandræ amori succubuit. hæc vaticinij istius summa.*

40 Fratrem] *Atreus Thyestem, & hic illum.*

Natum parens] *Clytemnæstra Orestem.*

41 Natúsque patrem] *quis? quem? cùm de futuris sceleribus loquatur, & de Clytemnæstrâ & Oreste mentio sit, puto castigandum;* natúsque matrem. *hanc enim fugit.*

Liberi] *Thyestæ filij, occisi ab Atreo patruo, vorati à patre.*

Nascantur] *ex incæstu patris cum filiâ.*

42 Viro] *Clytemnæstra Agamemnoni. cetera explicui versu 31.*

53 Accerse] *Moguntinens. & vet. edition. arcesse.*

54 Culmen] *sic solus Lipsiens. alij omnes;* altum columen. *sic manusc. sic editi, etiam Lugdunens.*

62 Epulæ] *multæ sunt voces, quæ huic Synonimæ videntur, nec tamen sunt, si purè & pressè loqui velimus. Donatus; Cibus (ait)* qui etiam delicatis præbetur: *victus*, in paruis aridisque alimoniis est constitutus. *Seruius autem: Dapes (inquit)* regum sunt; *epulæ*, priuatorum. *Idem: Dapes* Deorum sunt, *epulæ* hominum. *D. Isidorus lib. 20. Orig. cap. 1. Epulæ*, ab opulentiâ rerum dictæ, de lautis, & non in quotidianum vsum paratis, intelligendæ sunt, dum tamen à priuatis parentur. nam si à regibus, *dapes* vocandæ. *Cibus*, est omne id quo vescimur, dictus quia ore capitur: sicut *esca*, quia eam os capit. *Est autem & esca generale nomen, vnde argentum escale vocatur à Modestino in l. cum quidam, D. de supellect. lega.* Victus *quoque latiùs sumitur, & omne id quod esui, potui, cultui, & vitæ*

l. verbo victus. cum seq. D. de Verb. signific. l. legatis aliment. D. de alim. vel cib. leg.

necessitatibus seruit, complectitur Isidoro, sicuti & alimentum *Vlpiano, Cato & Iaboleno. Ideoq; Paullus li. 4. ad Neratium censet, eum qui rogatus sit vt quendam educet, etiam ad præstandum vestiarium & habitationem teneri, perinde ac si alimentorum legato (quale hoc est) nominatim ea forent adiecta. Neratius verò credebat, alimentorum legatum, cibos tantum comprehendere, ideo alia debere exprimi. id Paullus reprehendit. Vtique quando generaliter educatio, vel alimenta legata. Nam si* cibaria, *vel* diaria *tantùm relicta, vera foret Neratij sententia, teste Vlpiano. quia de cibo tantùm sensit testator, &* cibus *communi acceptione, nec habitationem, nec* vestiarium, *nec* calciarum *complectitur. Aliud ergo* alimentum *seu* victus, *aliud* cibus. *hic illius pars dumtaxat. Quid ergo si* dapes, *si* epulæ *legatæ? cibus dumtaxat debebitur, sed lautior, & splendidior, pro modo tamen facultatum. Confundi hæc scio à scriptoribus; & carpi, non intellecta, à Laurentio Vallâ, & Florido Sabino; sed illis respondere iampridem Alciatus & Forcatulus: responderam & ego in Antisabino, verùm liber ille vnà cum ψευδαντινομίων codice à perfidis depositariis in Galliâ olim, ante quàm lucem aspiceret, auersus intercidit.*

l. vlt. D. de alim. vel cib. leg.

l. diariis. d. tit.

Non noui] *nam filium Pelopem Diis apposuisti.*

63 Liberum] *vacuum à pœnis & curis aliis. sic à Cicerone sumitur,* tempus liberum.

66 Dapes] *magnificas & lautas epulas. de Thyestæis loquitur, quæ propter immanem crudelitatem celebratæ Eusebio lib. 5. Hist. Eccles. in epist Lugdunensium Martyrum, Athenagoræ lib. de resurrect. mortuor. & Oppiano κυνηγ. lib. 3. vide Adag.* cœna *vel* mensa Thyestea.

67 Fugeres] *Moguntinens.* Fugies.

82 Pœnas] *quas patimini.*

86 Pati pœnas] *quantumuis graues & laboriosas, seu (vt illas vocat Lucilius apud Nonium) labosas.*

87 Vt dirus vapor] *vaporem cum exhalatione confundit, more poëtico. nam philosophis ille ex aquâ calefactâ, hæc ex humefactâ terrâ: Aristoteles lib. 1. Meteor. cap. 4.*

88 Vel grauem] *vnus Venet. & habetur in Basileens. marg.* vt grauem.

91 Nostérque] *docet hoc vet. fragmentum:*

Ioue prognatus est, vt perhibent, Tantalus:
Ex Tantalo Pelops, ex Pelope autem satus
Atreus; qui nostrum porrò propagat genus.

Pudeat] *te mei: non, me tui.*

92 Taxata lingua] *Euripides:*

Quod homo existens, cum Diis
Communi mensâ dignus habitus,
Incontinẽtem habuerit linguam, morbũ longè deterrimum.

Cornelius Gallus:

Qui satur ante fuit felix conuiua Deorum
Nectare; quæ superis pocula grata Deis,

Nunc

Nunc cupit humanas epulas: sed semper ab ore
Vnda fugit. mediis stat sitibundus aquis.
Vnda, bibe, affatur, & discito iura silentî:
Conuenit ista pati lingua proterua quibus.

94 Violata] *volunt legi*; violate. *confirmat Bernardini editio vetustiss. in qua*; violatæ.

100 Sequor Meg. Furorem diuide] *sic Lipsiens. Lugdunens. autem:* MEG. Sequor nunc ô furorem, *&c. tres Veneti, Herbipol. & Moguntin.* τὸ; sequor, *addunt versui præcedenti, & tribuunt adhuc Tantalo. deinde alium inchoant:* MEG. Nunc furorem diuide in totam domum. *sola lectio Lipsiens. ex his tolerari potest. nam vt Megæra dicat se sequi, apertè mendosum: nec minus, vt vtatur deprecatoriâ voce*; ô. *vt verò*; sequor, *addatur versui præcedenti, contra carminis legem. redundabit prius, mutilum erit posterius. vel ergo sequamur N. vel ex coniecturâ meâ:* MEG. Sequere. furorem diuide, *&c. quid stas, quid pedem retrò fers? me sequere.*

114 Phoronides] *Argiuæ, Inachi, vel fontis cuiuspiam. vox verò*; latus *in præcedenti versiculo Aristarchi obelo indiget, etsi inueniatur in o. l. quomodo*; latus, *si vicina vada gracili terrâ diuidit? nolui tamen malæfidei inquilinum expellere, alio nondum inuento, qui potiori iure, & meliore sententiæ bono, locum occupet. sed feliciter Lipsius emendat*; lætus. *quia scilicet remoto mari, iam mergi non verebatur.*

118 Argi sitim] *sic Moguntinens. Herbipolens. & tres Veneti. perperam Lugdunens.* agri sitim. *Hesiodus:*

Argus inaquosum Danaus fecit aquosum.

120 Periturum] *quem scit obtenebratum iri, ne videat tam immane facinus.*

IN CHORVM.

Monet Argiuos Diis supplicent, vt mala & scelera imminentia velint auertere: & excurrit in Tantali supplicium.

Achaicum] *Stephanus*; Argos, *vndecim enumerat: imò censet Eustathius quamlibet vrbem littoralem*, Argos, *vocari posse. vt de Peloponnesio intelligamus, addidit*; Achaicum. *Achaïa initio dicta Ægialea, à primo Sicioniorum rege Ægialeo, qui vixit anno Nachor. 74. postea Danaä, denique Achaia, vt auctor est Euseb. Cæsariensis; peninsula est Ægeo & Ionio cincta, ab Isthmo Corinthio incipiens, describunt Strabo lib. 8. Ptolomæus lib. 3. Plinius lib. 4. Pausanias, Mela, &c.*

122 Turribus] *nihil ego hîc mutandum duxi, sed quid in libris contineretur monui. cur illi ad coniecturas? aut quæ necessitas cursuum?*

Portus] *hinc inde, pars ad Aegeum, pars ad Ionium.*

Diffidens] *diuisum Isthmo interiecto.*

128 Etesiis] *Aestiuos esse ventos constat ex Aristot. lib. de mundo ad Alex. Plutarcho in Dione, & Gellio lib. 2. cap. 22. item de genere Aquilonum ex Plinio lib. 2. & lib. 18. & D. Isidoro lib. 13. cap. 11. ideo Lucretius dixit:*

Etesia flabra Aquilonum.

De statu eorum aliqua apud scriptores discidia. quidam flare per dies quadraginta putant, Timosthenes apud Schol. Apollonij in lib. 2. per quinquaginta; alij totâ fermè æstate vsque ad III. Kal. Septemb. vt Columella li. 2. de re rust. Verius quotannis certis tantùm diebus (quod tempus ab Aristæo à Diis ad Icarum expiãdum fuisse impetratum, fabulatur Higynus) exoriri, & nomen indicat. dicti enim Etesiæ: quasi anniuersarij. Quando flare incipiunt; quod Cæsar & Plinius ad XVIII. *Kal. August. fieri censent; tum* Prodromi, *nominantur, vt docet Aristot. in Problemat. Flant ex aliâ & aliâ cæli parte, vt Gellius tradidit. secundùm Plinium quidem, in Asiâ ab Oriente, item in Hispaniâ; quare non mirum si Strabo in lib. 3. cum Euro videatur confundere: in Ponto flant ab Aquilone, ad quod Lucretius, Plinius, & Isidorus referendi: in reliquis partibus, à Meridie. de Oriente, testatus est apud Strabonem lib. 3. Poßidonius; de Aquilone, quos dixi & Polybius lib. 4. & Schol. Apollonij. In nostro mari ab Occidente flare, docent Aristoteles, & Diodorus, Sic. lib. 2. Biblioth. Quando ab Oriente flant, in Eurum transeunt, vel ijdem cum Euro potiùs; quando ab Occidente in Thrasciam, Caurũ, & Fauonium migrant. Ita fit; cùm in diuersis partibus, ex diuersis lateribus mundi spirent, vt scriptores pro ratione locorum quæ describunt, aliquando secundos & iuuare nauigationem dicant, aliquando aduersos esse, & eam morari, vt Tacitus lib. 18.* Veliferos *vocat noster, quia cùm per se sint ventorum omnium constantißimi, etiam nauigantibus exoptatißimi. Cicero lib. 2. de Nat. Deor.* Quàm tempestiuos dedit, quàm salutares, non modò hominũ generi, sed etiam pecudũ, iisque omnibus, quæ oriuntur ex terrâ, ventos Etesias; quorum flatu nimij temperantur calores, ab iisdem etiam maritimi cursus celeres & certi diriguntur? *quare meritò* nauales *nominat Varro, in Ephemeride:* Nauales Etesiæ diutius & huberius flauerant, & auctumnum ventosum fuerat.

Veliferis] *sic Propertio & Ouidio* carina velifera: *sic Valerio Flacco* mare veliferum.

130 Stadio] *curriculo; ita dicto quod stadij mensuram expleret: stadij inquam Olympici. de quo Gellius lib. 1. Noct. Attic. cap. 1.* Nam cùm ferè constaret curriculum stadij, quod est Pisis apud Iouem Olympium, Herculem pedibus suis metatum: ídque fecisse longũ pedes sexcentos, cetera quoque stadia in terra Græciæ ab aliis postea instituta, pedum quidem esse numero sexcentum; sed tamen esse aliquantulum breuiora. *Censorin. verò in lib. de die Natali:* Stadiũ in hac mundi mensurâ id potissimùm intelligendũ est, quod Italicum vocant, pedũ sexcentorum vigintiquinque. Nam sunt præterea & alia, longitudine discrepantia, vt Olympicum, quod est pedûm sexcentûm, Pythicum quod est mille pedũ. *Teste Plinio stadium efficit passus centum vigintiquinque nostros, hoc est, pedes sexcentos vigintiquinque, lib. 2. Nat. hist. cap. 23. octo verò stadia conficiunt vnum milliare, Polybio lib. 3. & Plutarcho in Gracch. & hæc dimensio Romanis historicis in vsu est. Vnde apparet Plinium de Italico stadio locutum: & D. Isidorum lib. 15. cap. 16 (quando stadium definit octauam mil-*

diaris partem, viam ſcilicet centum vigintiquinque paſſuum; eoq́ modo dicit Herculem id terminaſſe, cùm illud vno ſpiritu confeciſſet, ac proinde ſtadium appellaſſe, quòd in fine reſpiraſſet, ſimulq́ ſtetiſſet) vera quidem tradere, ſed non diſtinxiſſe inter Olympicum, quod Herculis ſtadium, & Romanum, ſeu Italicum quod CXXV. *paſſuum. Gellium denique Pythici ſtadij vel ignarum vel immemorem fuiſſe. Eſt & naturale ſtadium, quod Tzetza Chil.6. hiſt. 3. definit.*

πρὶν ϛάδιον ὠνόμαζον τὸν δρόμον τὸν ὁπλίτην.
ὁ τρέχων μετὰ ὅπλων δὲ, ὄρθιον εἶχε δρόμον.
Prius ſtadium vocatum ſpacium illud quod vir armatus
Armis onuſtus ſine quiete vno curſu queat decurrere.

ſubiungit deinde ſtadij curſum & recurſum διαύλον; *tres verò curſus & recurſus cum dimidio*, δόλιχον; *at illam decurſionem quæ duodecim ſtadij decurſus itu & reditu haberet*, τέτρωρον, *vocari.*

133 Neu] *Moguntinenſ. Herbipol. & Veneti* nec.

134 Minoribus] *vt* maiores, *generali nomine cuncti, à quibus orti ſumus; propriè tamen, qui ſupra tritauum l. quiſque D. de in ius voc. l. Iuriſconſultus. 10. D. de gradib. & affin. ſic, arbitror, quotquot à nobis deſcendunt poſteri*, poſteriores, & minores *nuncupantur, propriè tamen qui vltra trinepotes. Lucretius lib.5.*

——— quas lacrumas peperere minoribus noſtris.

Valer. Flaccus li.3. ——— noſtri luent ea facta minores.

Sortes Claudianæ, apud Trebellium:

Tu qui nunc patrias gubernas oras,
Et mundum regis arbiter Deorum,
An ——— veteres tuis nouellis.
Regnabunt etenim tui minores,
Et reges facient ſuos minores.

ſupplendam reor lacunam tertij verſiculi ex coniecturâ; Annectes veteres, *&c. Arnobius lib.* 3. Falciferum vetuſtas edidit priſca, & minorum tranſmiſit ætati.

139 Fide qua tulerat] *malè Lipſienſ.* quam, *ex margine Baſileenſ. Petenda hiſtoria ex Pindaro & Scholiaſte Olymp.* I. *Apollonio & Scholiaſte, qui admodum prolixè in lib. 1. verſ. 753. Philoſtrato in Imag. Pelopis, & in Imag. Hippodamiæ, Luciano in Charidemo, Izacio in Lycophron. & Sidonio in Panegyr. Anthemij Aug. breuiter, ſic res geſta. Oenomaus rex Elidis ex Euadne Acriſij F. ſuſcepit Hippodamiam; quam (quia reſponſum acceperat à genero ſibi mortem imminere) detractabat ulli in matrimonium collocare. ſed victus turbâ & pertinaciâ procorum; legem tulit, confiſus equorũ velocitati, ei ceſſuram filiam, qui curſu quadrigarum vinceret, qui à ſe vinceretur moriturum. Itaque proco certanti Hippodamiam auferendam in curru tradebat; ipſe inſequebatur, manu lanceam quatiens, & ſi aſſequebatur cõficiebat. multis ſic necatis, quorum nomina refert Scholiaſtes Pindari; tandem ipſe à Pelope vincitur. Qui, vel Hippodamiæ operâ quæ iuuenem deperibat, vel pro-*

missâ dimidiâ regni parte Myrtilo, Mercurij & Cleobules filio, Oenomai aurigæ, persuasit, vt sublatâ fibulâ, quâ modiolis axis affigitur, currum euerteret. Ita Oenomaus, dilapsis in ipso cursu rotis, ab equis suis in partes distractus, miserè interiit. Vnde Claudianus de laude Serenæ:

——— curru Pisæa marino
Fugit tela Pelops. nam * prouidus obiee regis
Prodidit Oenomai, deceptus Myrtilus axem.

* Mallem uā perfidus. vel; male prouidus.

Acceptâ Pelops coniuge, siue falsò ab eâ persuasus interpellatam se de stupro à Myrtilo, siue vt solus regno potiretur, Myrtilum è Geræsto in mare præcipitauit, quod inde Myrtoum fuit vocatum. Pierius lib. 11. *Hieroglyph. longè diuersa tradit; Amphionem Thebanum Pelopi quædam malefica dedisse, quæ in stadij solum defoderet; quibus Oenomai sonipedes consternati, dominum occiderint: postmodum etiam cunctos equos illâ transeuntes externari solitos, vnde loco ταράξιππου appellationem inditam.*

142 Fabula] *rumore & sermone omnium trita traditio, siue illa vera siue falsa, Græco more. sic Hipp.* Omnes per gentes fabula distulit. *sic lib. 3. de Benefic.* Sic seruata nobilis fabula, & duarum vrbium exemplum fuit. *quæ lectio non debuit à Pintiano peruerti. continetur enim etiam in membran. Burdigalens. & per duas vrbes Romanam & Grumentinam intelligit.* fabulam, *pro verâ narratione etiam Tertullian. in Apolog.*

143 Nauibus] *ipsis nautis & vectoribus. nam quod quidam lib. in margine;* nauitis, *glossema.*

146 Diuulsúsque] *sic N. ceteri;* diuisúsque.

148 Prosequitur] *alij;* persequitur. *& in seq. Mogunt.* Os æterna sitit.

147 Hospitibus Deis. *Eguian.* diuitibus Diis. *non placet.*

151 Et curuata] *lego ex Moguntin.* Incuruata.

156 Illudit] *Eguian.* alludit. *& sic Moguntinen. Herbipolens. Lugdun. & ceteri. N. primus, ni fallor,* illudit. *sic Tibullo, ima palla talis illudit.*

157 Nec quamuis] *sic Lipsiens. Moguntin. & Veneti.* hæc quamuis. *idem Eguian. Herbip. & Lugdunens. rectè.*

159 Obliquátque] *deflectit, ne aspiciat; aut saltem non nisi limis, & obliqua tuentibus hircis.*

171 Petens] *sic quidam ex m. s. melius, pro;* vocans. *sic Agamemn.*

Et inter vndas feruidâ exustus siti,
Aquas fugaces ore decepto appetit,
Pœnas daturus cælitum dapibus graues.

173 Conantémque] *quidam v. l.* conatúmque.

174 Gurgite] *ex aluco fugitiui gurgitis.*

IN ACT. II.

Consultat Atreus de vindictâ à fratre exigendâ, &, repudiatis monitis salubrioribus, ad insidias conuertitur.

199 Indocile] *indomitum; quia humanitate aut precibus flecti & molliri nequit. vi autem & malo subigi & domari potest.*

203 Fa-

203 Fama te] *hoc argumentum accuratè perpendit Hesiodus:*

——— δεινὴν δὲ βροτῶν ὑπαλεύεο φήμην·
φήμη γάρ τε κακὴ πέλεται, κούφη μὲν ἀεῖραι
ῥεῖα μάλ', ἀργαλέη δὲ φέρειν, χαλεπὴ δ' ἀποθέσθαι.
φήμη δ' οὔτις πάμπαν ἀπόλλυται ἥντινα πολλοὶ
λαοὶ φημίζουσι ———

——— grauem verò mortalium euitato famam.
Fama enim mala, est leuis quidem leuatu,
Molesta verò portatu; difficilisque depositu.
Fama verò nulla prorsus perit, quam multi
Populi diuulgant.

205 Domini] *Iulian. Apostata in Misopog. tam vehementer se Domini appellationem scribit auersatum, vt ad exemplum ceteris idem fastidientibus, illud penè interierit. Et sanè hoc nomen Dei mysticum* אֲדֹנָי, *de quo D. Hieronym. epist. ad Marcellam, primum sibi falsi Dij gentium vsurparunt, deinde humana adulatio in promiscuum vsum deduxit, non hodie tantùm, sed & olim. id enim Seneca epist. 3. testatur:* Itaque sic priore verbo, quasi publico vsus es, & sic illum *amicum* vocasti; quomodo candidatos, *bonos viros* dicimus; quomodo obuios, si nomen non occurrit, *dominos* salutamus. *de eadem voce Brisson. nonnulla lib. 8. Formular. Vidi, qui ausi sunt scribere Hispanorum olim peculiare nomen* Domini, *& inde illorum prænomen* Don *profluxisse. vtique non magis, quàm* patris patriæ, *aut* boni viri, *quæ Romanis nata. Vnde verò illud* Don *manarit, potuerunt illi ex Moralij & Garibaij Chronicis discere.*

208 Gloriam] *Cicero in Tusc.* Gloria est solida quædam res, non expressa aut adumbrata, & est consentiens laus bonorũ, incorrupta vox bene iudicantium de excellenti virtute. *hanc definitionem etiam Fabius ex parte fuit mutuatus, & iuxta eam hic gloria sumitur.*

217 Priuata] *propria priuatæ fortunæ.*

219 Fas est in illo quicquid in fratre est nefas] *sic primi libri, & sic Fabius citat. Mogunt. eodem modo, nisi quod omisit;* est. *Herbip. & Veneti;* f.e. in illo, q. in fratrem e.n. *hinc Lugdunens.* f.e. in illum q.i. fratrem e.n.

220 Quid enim reliquit crimine intactum, aut vbi sceleri pepercit] *sic o.l. præter Lipsiens. in quo N. iussit ex Basileens. marg. edi?* Quod enim rel. crimen int. aut cui s.p. *non malè, si m.s. confirment.*

222 Specimen] *pro indicio & argumento poni solet. Lucretius libro 4.* Hoc etiam inprimis specimen verum esse videtur. *& lib. 5.* Si non ipsa dedit specimen natura creandi. *quoniàm verò omina & portenta earum, quæ præsignificãt, rerum quædam indicia sunt; rectè arietem aureum, noster* specimen *nuncupauit, quem Attius* prodigium portento missum *vocarat.*

224 Est Pelopis] *Athenæus lib. 6. cap. 4. refert ex Herodoro phialam argenteam fuisse, quæ in medio agnam auream cælatam haberet. Pierius lib. 10. Hieroglyph. ex Platone & Pausaniâ narrat Thyesti quoque agnam auream natam fuisse. sed quod Seneca memorat, communius traditur.*

228 Tantalici] *sic o. mei libri; at meus (aiunt) vet. lib.* Tantali. *labat versus. an ergo?* tantalei. *mallem si mutandum*; Tantalidæ. *sic inferius*:

Hinc auspicari regna Tantalidæ solent.

Sceptra] *ait huius arietis lanâ aurea solitos Pelopidas sceptrum ornare; de quo Pausan. in Bæot. scriptum reliquit Deorum omnium maximè cõsueuisse Cherronenses illud sceptrum colere, quod Ioui fabricasse Vulcanum Homerus cecinit, à Ioue acceptũ Mercurium dedisse Pelopi, Pelopem Atreo reliquisse, Atreũ Thyesti, à Thyeste per manus traditũ tenuisse Agamemnonẽ: & hoc illos præcipuè sceptrum veneratos, & hastam nominasse. plura deinde de huius sceptri cultu & sacris subiungit. Vnde manifestum fit hoc sceptrum hastæ simile fuisse, nec mentitum Iustinum lib. 43. cùm tradidit, adhuc Romulo regnante, reges hastas, pro diademate habuisse, easq́; Græcos* sceptra *nominasse. quod intelligendum puto de hastis breuioribus, qualia sunt pila Romanorum, vel venabula Thessalorum, ferro tamen minus lato; non de oblongis illis Macedonum sarißis, quibus hodie pedites vtuntur.*

229 Possessor] *purpurei coloris ostentum confirmat etiam Spartianus. nam in vita Diadumeni inter imperij apiscendi omina recenset, in agro patris eius oues purpureas natas duodecim. Putarim hoc omen non ouis, sed coloris purpurei proprium, quia purpura Regum propria. Ælius enim Lampridius in Seuero, oui palumbini purpurei; Vopiscus in Aureliano, vituli & rosarum; & in Tacito, vini & vitis albæ subitò purpurascentium; Iul. Capitolinus in Maximino Iuniore, vitis & loricæ meminerunt, & huius quidem verba ascribam, sed emendata:* posita ab eo vitis, intra annũ ingentes vuas purpureas attulit. *Item*: Lorica patris eius, non, vt solet, ferrugine, sed tota purpureo colore infecta à plurimis visa est. cùm Grammatico daretur quondam, parens sua libros Homericos omnes purpureos dedit litteris aureis scriptos.

234 Consorte] *vxore. nam matrimonium* consortio *dicitur, l.* XCVI. §. 3. *D. solu. matr.*

244 Expuat] *vide inf. Troade vers. 1163.*

247 Impetretur?] *sic N. interrogatiuè. perimant (inquit) alij, qui tyranni esse nesciunt. egóne vt patiar, vel precibus tribuam in meo, hostes meos, regno, leni morte defungi? Nec reijcienda lectio aliorum codicũ:* lenis in regno meo mors impetratur. *mihi mors pœna non imputatur, sed gratiæ & clementiæ: quibuscum in gratiam redij, precibus exoratus, lenis mortis facio potestatem. respicit ad Tiberij dictum.*

262 Mugit] *mugitus terræ, prodigium nostro & aliis. Oedipo*:

Rupisse canem fama & nostris
Errasse locis, mugisse solum.

Item: ——— terra se retro dedit, Gemuitque penitus ———

Troadibus: Cùm subito cæco terra mugitu fremens
Concussa cæcos traxit ex imo sonos,
Mouêre siluæ capita, & excelsum nemus
Fragore vasto tonuit ———

Virgi-

Virgilius: —— magno cum murmure montis
Circum claustra fremit.
Item: Sub pedibus mugire solum & iuga celsa moueri.
Claudianus: Ecce repens mugire fragor. *at Aristoteli ex causis naturalibus prouenit. ait enim lib. 2. Meteor. sub terrâ omnes vocũ differentias emitti: adeo, vt videatur sæpè ὥσπερ λέγουσιν οἱ τερατολογοῦντες, μυκᾶσθαι τὴν γῆν.* vt portentorum scriptores aiunt terram mugire. *& in Problemat. ait in paludibus quæ iuxta flumina sunt fieri sonos qui vocantur* bomugi, *quos sacros Dei tauros esse fabulantur. Plinius etiam lib. 2. nat. hist.* Præcedit verò (*terræmotum*) & comitatur terribilis sonus, aliàs murmur, similis mugitibus, aut clamori humano, armarúmve pulsantium fragori, *&c. nam duas subdit causas.*

264 Moti lares vertere vultum] *Lares Mercurij & Laræ, seu Lalaræ iuxta Ouid. 2. Fastor. seu Larundæ iuxta Auson. in Monosyllabis filij, domus genij putati; in singulis, sui. Ausonius*:
Nec genius domuum Larundâ progenitus Lar.
hi priuati *& familiares, alij verò* publici *& communes vrbis custodes, qui* Præstites *dicti; de his Ouidius lib. 5. Fastor.*
Præstitibus Maiæ Laribus videre kalendæ
Aram constitui, paruáque signa Deûm:
Vouerat illa quidem Curius, sed longa vetustas
Destruit, & saxo longa senecta nocet.
Caussa tamen positi fuerat cognominis illis,
Quòd præstant oculis omnia tuta suis.
Stant quoque pro nobis, & præsunt mœnibus vrbis,
Et sunt præsentes auxiliúmque ferunt.
Et canis ante pedes saxo fabricatus eodem
Stabat. quæ standi cum Lare causa fuit?
Seruat vterque domum, domino quoque fidus vterque:
Compita grata Deo, compita grata cani.
Exagitant & Lar, & turba Diania fures,
Peruigilántque Lares, peruigilántque canes.
Præstites *ergo etiam* Compitales *viarum custodes; initiò duo tantùm pingebantur; post, cùm hæ statuæ interiissent, pro duobus illis coli cœperunt, in vicis singulis, tres Lares; duo quidem illi priores, & tertius* Augusti Genius. *significat idem Ouidius*:
Bina gemellorum quærebam signa Deorum,
Viribus annosæ facta caduca moræ:
Mille Lares, geniúmque ducis, qui tradidit illos
Vrbs habet & vici numina trina colunt.
& lib. 2. Fastor. —— geminósque parit, qui compita seruant,
Et vigilant nostrâ semper in æde Lares.
Compitalium Larûm ara in Circo maximo statuitur, etiam à Pyrrho Ligorio in eius imagine. Fortassis eos Tertullianus lib. de Spectaculis, compitipoten-

potentes, *vel* compitalipotentes *vocauit, vbi vulgò* comitiopotentes *legitur, vel vt Pamelius censet* compitalitij potentes, *quod in eorum honorem* compitalia *celebrata.* Compitales *vocauit Suetonius in Aug. cap. 31.* Compitales Lares ornare bis anno instituit, vernis floribus & æstiuis. *Nec vrbana tantùm compita, lares habebant, sed omnes etiam publicæ viæ. Indicat Arnobius de Laribus agens lib. 3.* Quos arbitratur vulgus vicorum atque itinerum Deos esse, ex eo quòd Græci vicos cognominant λαύρας. *hi dicuntur in Catalectis Virgilij:* Semitales Dij. *& Plauto* viales lares, *in Mercatore. Eorum nomen incertum fuit: Opinor hos à Prænestinis* Digitios *vocatos. Nam Arnobius tradit, ex Nigidio, nonnullos censuisse Latinis Lares esse, quos Græci Dactylos Idæos vocant. hoc nomen Prænestini voluerunt exprimere: vel Digitios dixêre, quòd viam quasi digito viatoribus indicarent. Fortaßis etiam digito protenso sculpebantur, quemadmodum nũc etiam multæ prouinciæ in viis ambiguis crucibus aut cippis, manus ferreas vel ligneas affigunt, indice extento, iter viatorum dirigentes. Quod si verum est: non est quod Solini lectionem, quam omnes Belgici, Celtici, Germanici m. s. confirmant, quantumuis probabili & ingeniosâ coniectatione commutemus.* Digitiorum *hoc nomen suspicor corruptũ in Glossario Græcolatino, vbi nunc editum:* Κουρῆτες οἱ περὶ τὸν παιᾶνα Corybantes, Indigites. *mallem* Idæi-digiti, *vel* Digitij. *nisi fortè fuerit,* Idæ indigites. *nec Arnobius insinuat* κατ' ἐξοχὴν, Indigetes *dictos; sed cum addito:* Samothracios. *Lari priuato quisque domi dicatum* Lararium *habebat, vt de Alexandro Mammæâ testatur Lampridius. Orta gentiorum & familiarium Larũm superstitio, inde, quòd antiquitus quisque suos domi mortuos sepeliebat, eósque vt Deos domesticos colebat. de his Plautus, Mercatore:*

Dij Penates meũm parentum, familiæque Lar pater,
Vobis mando meũm parentum rem benè vt tutemini:
Ego mihi alios Penates persequar, alium Larem.

Arnobius de iisdem lib. 3. In diuersis Nigidius scriptis, modò tectorum domuumque custodes, modò Curetas illos; qui occultasse perhibentur Iouis æribus aliquando vagitum; Indigetes Samothracios, quos quinque iudicant Græci Idæos dactylos nũcupari. Varro similiter hæsitans, nunc esse illos Manes, & ideo Maniam matrem esse cognominatam Larum; nunc aërios rursus Deos & Heroas pronunciat appellari; nunc, antiquorũ sententias sequens, Laruas esse dicit Lares, quasi quosdam Genios, defunctorum animas mortuorum. *quibus verbis Lares cum Manibus confudisse docet Varronem. Lari huic Cato, de re rustica, villicam, pro copiâ, certis diebus, coronâ in foco iubet facere; & Tibullus menstrua sacra tribuit, hoc versu:*

Glossar. Larei ἥρωες.

Redderet antiquo menstrua tura Lari. *Iuuenalis Sat. 12.*
——— Laribúsque paternis,
Tura dabo, & omnes violæ iactabo colores, *purpureas, aureas, niueas. apud Plautum Euclionis filia, etiam quotidiana:*
Ego lar sum familiaris, ex hac familiâ

Vnde

Vnde exeuntem me aspexistis. hanc domum
Iam multos annos est cùm possideo & colo,
Patrique, auóque iam huius, qui nunc hic habet.
Huic filia vna est, ea mihi cotidie
Aut thure, aut vino, aut aliquî semper supplicat,
Dat mihi coronas —— *familiari ergo Lari facere licebat, quando lubebat: vialibus, bis in anno; Præstitibus, kalendis Mai. Domestici etiam* grunduIes *dicti Arnobio lib.* I. *puto vel à suggrundis ædiũ, vel à porci grunnitu qui ipsis mactabatur. Horatius:* —— immolet æquis
Hic porcum Laribus —— *hoc enim de domesticis audio: at illud Propertij, de vialibus seu compitalibus:*
Parua saginati lustrabant compita porci.
Præter hos, inuenio apud Festum, Lares Hostilios; *à quibus hostes arceri putabant. Falli, qui putant Lares mortuorum maiorum omnium animas dictas; &* Lemures *cum Laribus confundere, docuit satis Martianus à nobis citatus in Oedip. 559. docuit etiam Apuleius lib. de Deo Socratis, cùm ait:* Lar dicitur familiaris; qui ex Lemuribus, posterorum suorum curam sortitus, pacato & quieto numine domum possidet. *Quidam ergo Lemures, non omnes Larum nomine comprehensi, boni scilicet & propitij: auersis verò & noxiis, Lemurum commune nomen, factum proprium. Lemuribus hisce* Feralia *mense Februario fiebant, à feritate illorũ opinor, dicta; quo tempore illis parentabatur tegulâ in mediâ viâ relictâ; cui violæ solutæ, & panis meraco vino maceratus, fruges sparsæ, & salis mica, cum coronâ imponebantur, teste Ouidio lib. 2. Fastorum, iisdem instituta Lemuria eidib. Maij, vt canit Ouidius lib. 5. Fastor.*

Lares effingebantur duo iuuenes succincti pelle caninâ (quare Persius Satyr. 5. vocauit succinctos) astante cane, vt ex Ouidio docui, & docent etiam Plutarchus in Problemat. & Pierius lib. 5. Hieroglyph. Solebant iis suspendere varia; in primis mundum muliebrem, qua de re Nonius in Strophium, *& in* reticula, *adducit hoc fragmentum Varronis Sexquivlixè:* Suspendit Laribus marinas molles, pilas, reticula ac strophia. *quæ hæ* molles marinæ? *an spongiæ? Glossar. Græco-Latinum,* δέσμη, marina, fascis. *sed probabilius ibi Lipsius conijcit,* Manua: *quæ vox Glossariis Latino-Græcis licet corrupta semel in* Mannæ, *& semel in* Manue, *id significat. An ergo potius;* molles marinæ *ornamenta ex lanâ succidâ? nam Glossar. Græco-Latinum;* πίνινον, marinum. *&* πίνερον ἔριδον, lana succida. *Hippocrati* πινώδη ἔρια, *videtur ergo* marina *œsypus, vel lanæ succidæ sordidus floccus. aliquando malui rescribi; suspendit Laribus;* arsinias, bullas, pilas *&c. item pilæ, pro numero seruorum, qui in familiâ; & effigies viriles muliebresq. pro numero liberorum domesticorum, vt Festus scripsit. Ingenuos puerilem vestem coram Laribus deponere solitos quodam Propertij loco confirmatur; & quando virilem togam sumebant, eos Laribus bullam donasse Persius docuit Sat. 5.*
Bulláque succinctis Laribus donata pependit.
Serui quando pileo donabantur, cathenas eis suspendebant.

Horat.

Horat. lib. 1. Sat. 5. ——— donasset iámne cathenam
Ex voto Laribus, quærebat ———

Differunt Lares, à Geniis, etsi Censorinus prodidit * *C. Flaccum in lib. de Indigitamentis ad Cæsarem & multos alios putasse eosdem: nam Genij non ædium tantùm & familiarum, sed & aliorum locorum, & hominum, & plantarum fuerunt: Lares, Genij quidem, sed domibus tantùm, & vrbibus, & viis præpositi: vnde* domus genium, *Larem vocat Ausonius.*

* Puto vocatū C. Graniū Flaccum.

Penatum *quoque nomen pressè sumtum differt à* Larium *nomine: etsi Penates omnes Lares quoque. Nam D. Isidorus lib. 8. Orig. cap. vlt. scribit:* Penates, Gentiles dicebant omnes Deos, quos domi colebant: & penates dicti, quòd essent in penetralibus, id est, in secretis. Hi Dij quomodo vocabantur, vel quæ nomina habuerint, ignoratur. *Cicero lib. 2. de Nat. Deor. dictos vult, vel à penu, vel ab eo quòd penitus insideant, vnde &* penetrales *vocari. Extra domum ergo, nulli Penates, sed Lares non tantùm in domo: rursus non omnes domestici Lares, Penates. Quare videmus propriè loquentes scriptores, hæc ab inuicem nomina distinguere, vt Plautum in Mercatore, Martianum sæpe lib. 1. de nupt. Philolog. & alios. & ritus, ac diuersæ cærimoniæ, atque conditio illorum hoc conuincit. nam Romæ diuersas illis ædes dicatas, docet Solinus cap. 2. Polyhist. Penates, sanctiores habebantur, & à Troianis accepti; Lares ex maiorum funeribus delecti, sæpe contemti & violati. Sueton. in Caligula:* Lares à quibusdã familiares in publicum abiecti. *Tertullian. in Apologet.* Domesticos Deos, quos Lares vocant, domesticâ potestate aliquando tractatos, demutando aliquando in cacabulum, aliquando in trullum. *Simulacra quoque & effigies longè aliæ. de Laribus vidimus, nunc de Penatibus videamus, qui & quales. Dionysius Halycarn. lib. 1. scribit, à Dardano Troianos sacra magnorum Deorum accepisse simulacra; eaq́; , vrbe captâ, ab Æneâ erepta, esse autem Deos, quibus Samothracij initiantur, & à Romanis* Penates, *à Græcis non vno nomine appellari, sed dici* πατρῴους *vel* γενεθλίους, *vel* κτησίους, *vel* ἑρκίους, *vel* μυχίους, *quia patrij, gentilitij, hereditarij, consepti, & maximè secreti atque penetrales sunt. Et traditum à Timæo, nihil aliud esse; quàm caducea partim ferrea, partim ærea, & Troianum fictile vas. quod Dionysio non probatur. maluit enim, propè forum Romanum, fuisse delubrum, in quo Troianorum Deorum imagines erant positæ cum inscriptione;* DENATES, *quæ* Penates *significat, cùm veteres D, pro P, vsurparint. esse autem duos iuuenes hastatos, habitu sedentium, antiqui admodum operis. In aliis quoque vetustioribus templis, semper horum Deorum imagines duos iuuenes militari habitu conspici. Plutarchus verò, in Camillo, duo dolia esse non ita magna ibi reposita, vnum apertum & vacuum, alterum plenum & obsignatum; solisq́; sacris virginibus ea conspicere licitum; aliaq́; de his doliis subiungit. Arnobius d. loco multorum refert sententias his verbis:* Nigidius Penates Deos, Neptunum esse atque Apollinem tradidit, qui muris quondã Ilium conditione âdiunctâ cinxerunt. idem rursus in lib. *sexto* exponit & decimo, disciplinas Hetruscas sequens, genera esse Penatium quatuor; & esse

Iouis

Iouis ex his alios, alios Neptuni, inferorum tertios, mortalium hominum quartos, inexplicabile nescio quid dicens. * Cæsius, & ipse adsequens, Fortunam arbitratur, & Cererem, Genium Iouialem ac Palem; sed non illam feminam, quam vulgaritas accipit, sed masculini nescio quem generis ministrum ac villicum. Varro, qui sunt introrsus atque in intimis penetralibus cæli, Deos esse censet, quos loquimur: nec eorum nomina, nec numerum sciri. Hos *Consentes* & *Complices* Hetrusci aiunt & nominant, quòd vnà oriantur & occidant vnà, sex mares & totidem feminas nominibus ignotis, & iis nationis barbarissimæ; sed eos summi Iouis Consiliarios ac Principes existimari. Nec defuerunt qui scriberent Iouem, Iunonem, ac Mineruam, Deos Penates existere, sine quibus viuere ac sapere nequeamus; sed qui penitus nos regant ratione, calore, ac spiritu. *Martianus Capella lib.* 1. *aliam rationem nominis Deorum Consentium reddit, de his agens hoc pacto*: Præcipuéque Senatores Deorum, qui Penates ferebantur Tonantis ipsius; quorúmque nomina quoniam publicari cęleste secretum non pertulit, ex eo quod pariter omnia repromittunt, nomen eis ex consensione perfecit. *Statimq; hos Consentes à magnis Diis distinguit, & Magnos Deos* XII. *Iouis Consiliarios vocat. Non grauabor etiā Macrobij verba ascribere, eo quòd Arnobianis istis multam lucem præferant, ex lib.*3. *Sat. cap.* 4. Nigidius enim de Diis lib. XIX. requirit, num Dij penates sint, Troianorum Apollo & Neptunus, qui muros eis fecisse dicuntur: & num eos in Italiā Æneas aduexerit? * Cornelius quoque Labeo lib. de Diis Penatibus, eadem existimat. Hanc opinionem sequitur Maro, cùm dicit:

Sic fatus, meritos aris mactabat honores,
Taurum Neptuno, Taurum tibi pulcher Apollo.

Varro rerum humanarum secundo, Dardanum refert Deos Penates ex Samothrace in Phrygiam, & Æneam ex Phrygiâ in Italiam detulisse. Qui sint autem Penates in lib. memorato Varro non exprimit: sed qui diligentiùs quærunt veritatem, Penates esse dixerunt, per quos penitus spiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem animi possidemus. Esse autem medium aëra, Iouem; Iunonem verò, imū aëra cum terrâ; & Mineruam, summum ætheris cacumen: eo argumento vtuntur. quòd Tarquinius Demarathi Corinthij F. Samothraciis religionibus mysticè imbutus, vno templo ac sub eodem tecto numina prædicta coniungit. Cassius verò Hemina dicit Samothracas Deos, eosdémque Romanorum Penates, propriè dici θεοὺς μεγάλους, θεοὺς χρηστοὺς, θεοὺς δυνατοὺς. Noster hoc sciens, ait:

Cum socio, natóque Penatibus & Magnis Diis.

quod exprimit θεοὺς μεγάλους: sed & omnia hæc nomina, cùm in vno de supradictis nominibus seruat, doctrinam proculdubiò suam, de hac omni opinione confirmat. cùm enim ait:

Iunonis magnæ primùm prece numen adora,

τὴν μεγάλην nominat.

* Ex Macrobio lego; Cæsius.

Sic vocat Samothracas: vnde orti Phryges, qui propriè Barbari.

* Hic putē desiderari Nigidij responsionē quam attulit Arnobius.

Adsit lætitiæ Bacchus dator, & bona Iuno,

τὴν χρηστήν. *Dominamq́ potentem*, τὴν δυνατήν Eodem nomine nominauit & Vestam, quam de numero Penatum, aut certè comitem eorum esse manifestum est: adeo vt & Consules & Prætores, seu Dictatores, cùm ineunt magistratum, Lauinij rem diuinam faciant, Penatibus pariter & Vestæ. sed & Virgilius, vbi ex personâ Hectoris dixit:

Sacra, suosq́ tibi commendat Troia Penates. Mox adiecit:
Sic ait, & manibus vittas Vestámque potentem
Æternúmque adytis effert penetralibus ignem.

Addidit Higynius in lib. quem de Diis Penatibus scripsit, vocari eos θεὺς πατρώες. nec hoc Virgilius ignoratum reliquit: *Dij patrij seruate domum, seruate nepotes.* & alibi: —— *patriiq́ penates. Hæc Macrob. Hinc patet vt Lares duplices publici & priuati: sic &* Penates publici, *qui Magni Dij, & Dij patrij: &* priuati, *vnicuique crediti vitæ, spiritus, animæ, corporis auctores. quod à Laribus alienum. itaq́ Lares à Penatibus verè differre; etsi sæpenumero scriptores confundant, vt videtur Cicero in Orat. pro Quinctio. Martianus vt ad Lares redeam, singulis Diis suum Larem tribuit, aquè ac Genium, & meminit etiam* Laris Cælestis *&* Laris militaris. *Hæc si iungantur iis quæ de Genio in Medeam, & de Manibus in Oedipum dixi, non omnino inaccurata futura est vocum istarum obscurarum tractatio. Postquam ea scripseram, incidi in Fernelij lib. de abditis, & in Lilij Syntagm. XV. vbi multa de hisce rebus; sed cur sententiam mutarem, aut me hæc scripsisse pœniteret, nihil causæ inueni.*

Lares vertere vultum] *sic Lucanus lib. 1.*
—— vrbisque laborem
Testatos sudore Lares —— *scilicet Præstites. Noster, de domesticis locutus.* 262 Tumet] *Moguntinens. Herbipol. & primus Venetus;* timet. *inferius quoque ait:* quid rursus times?

273 Odrysia] *de his Anacreon:*

Agite, date, nec ampliùs ita
Strepitu & fremitu
Scythicam potationem, inter vina
Exerceamus; sed pulcros
Potantes inter hymnos.

275 Animum filio inspira parens, sorórque. caussa est similis] *de sententiâ inuestigandâ, exiguus hic labor; de verbis quibus illam expresserit, non exiguus exhauriendus. etsi enim omnium lectionũ optima ista, in quam cùm optimi m.s., tum etiam excusi accuratiores. vt Basileens. Lugdun. Lipsiens. & alij consentiunt, nisi quod Basileens.* filij, *non,* filio; *tamen vocula illa mihi valde suspecta. Moguntinens.* animum filio inspira parens, Soror est caussæ similis. *Primus Venet.* animum agnati inspira parens, Soror est. en causa similis. *Duo alij Veneti cum Herbipol.* Inueniet. animum gnati inspira parens, Soror est: en causa similis. *in marg. Lugdunen.* animum mî inspira gnatus, parens. *Duas videtur aliis fabulas commiscere, & rei quam*

molitur

molitur accommodare; Tantali qui Pelopen apposuit Diis; & Terei, cui vxor & soror, Ityn dedere concisum in frusta & coctum. Sed ego ad vnicam tãtùm puto alludere. Nam vult Thyestis filios apponere epulandos. fecerat in simili iniuria idem Procne, vxor Terei. inuocat ergo Procnen & Philomenam, animum sibi vt trucem illum & crudelem inspirent, quæ tale facinus ausæ. & clara omnia, ni foret vocula; filio. *quæ turbat. an enim Terei, vel Procnes, vel sororis filius Atreus? quis hoc vnquam ἐν ὀνείροις? an per*; parens, *intelligendus Pelops, & huc referendum τὸ,* filio, *scilicet mihi? ita censet Bernardin. sed quomodo tunc connectuntur* parens& soror? *ego, si liceat, castigarim:* ——— animum similem inspira parens, sorórque. causa est similis. assiste, *&c. & similem animum interpreter, æquè impium, æquè iratum, æquè crudelem & scelestum, robur & audaciam parem. porrò hac vsus locutione alio sensu Apuleius:* Quod si animam inspires, *hoc est, spiritum.*

Parens] *Procne mater Ityli.*

Soror] *Philomela.*

Causa est similis] *nam tu vlta es mariti adulterium cum sorore commissum: ego vlciscar thori mei iniuriam. nam Thyestes Aëropen, vxorem fratris sui Atrei, constuprarat.*

284 Subsidis] *deficis, & decidis, qui erectus antea. porrò in eodem versu solus Moguntinens.* audendum. age.

290 Ioui] *hoc nomen multi deducunt ab Hebræo,* יְהֹוָה, *ineffabili & tetragrammato: & illud admiratione dignum annotant, apud plerasque gentes Dei nomen quadrilitterum. dictum de Hebræis, quibus etiam totidem litterarum est Elohe vel Eloha* אֱלֹהַי *Deus, item* אֲדֹנָי *Adonai, Dominus: Græcis* Θέος; *Latinis*, Deus; *Hispanis*, Dios; *Gallis*, Dieu; *Belgo-Germanis*, Godt: *addunt & idiomata mihi ignota, (quorum penes Ioannem Eckium hom. 3. de salutari nomine* IESV. *& Pontum Thyardæum lib. de vniuersit. fides sit) Indis & Antarcticis dici Deum* Topa *&* Zime; *Medis*, Orse; *Arabibus*, Alla; *Turcis*, Agdi; *Assyriis*, Adad; *Ægyptiis*, Thout, *vel* Theut; *Persis*, Syre; *Hetruscis antiquis*, Eser; *Croatiis & Sclauis*, Doeg.

288 Inimica credit cuncta] *sic Theognis:*

ἔχθρον μὲν χαλεπὸν καὶ δυσμενῆ ἐξαπατῆσαι,
κῦρνε, φίλον δὲ φίλῳ ῥᾴδιον ἐξαπατᾶν.

Fallere difficile est inimicum: at amicus amicum
Fallere, non magno, Cyrne, labore, potest.

ideo Cæcilius, in Suppositio:

Nam hi sunt inimici pessimi, fronte hilaro,
Corde tristi, quos neq., vt apprehendas, neque vt mittas, scias.

Lucilius Satyr. lib. 5.

Improbior multo, quàm quo de diximus ante:
Quanto blandior, hoc tanto vehementiu' mordet.

Publius Syrus:

Grauior inimicus qui latet sub pectore.

Quos amicos remur, ab iis nobis non cauemus: ita facilè decipimur.

305 Iam tempus] *omni enim tempus ægritudini medetur, vt ait Diphilus :* λύπης δὲ πάσης γίγνετ' ἰατρὸς χρόνος.

309 Peiora] *D. Ambrosius, explicans illud Iob 13.* consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ, *ita scribit* : Pulcrè id ætatis arripuit ad querelam, quæ magis ad vitium lubrica esse consueuit. Habet enim pueritia innocentiam, senectus prudentiá, ipsa vicinæ adolescentiæ iuuentus bonæ existimationis intuitum, & verecundiam delinquendi. Adolescentia sola est inualida viribus, infirma consiliis, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa deliciis. In tanto igitur, confragoso & scopuloso mundi huius turbine cur tam crebra naufragia improuidæ ascribuntur ætati? Vnde præclarè Dauid totius temporis eius veniam sibi à Domino postulauit, dicens: *Delicta iuuentutis meæ, & ignorântiæ ne memineris Domine.* quia tunc maximè calor corporis feruet, & æstu sanguinis vaporantis ignescit. *Lib. 1. de interpellat. cap. 7. vbi D. Ambrosius initiò adolescentiam à iuuentute distinguit, vt medium sit spacium inter pueritiam & virilem ætatem; cuius initium vocat iuuentutem: postea tamen iuuentutis nomine ipsam adolescentiam comprehendit, sicuti hic Seneca.*

310 In patre-in patruo] *sic plerique lib. & sic Etbius. sed Herbipol. & Venetus primus*; in patrem f. q. in patruum.

311 Sæpe in mag] *dixi aliqua in Herc. Fur. versu 736. quibus addo laudatissimum illud Hesiodi :*

οἷ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ, ἄλλῳ κακὰ τεύχων.
ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.
Sibi ipsi mala fabricatur vir, alij mala fabricans.
Malum verò consilium consulenti pessimum.

quod dictum Pausanias in Corinthiac. seu lib. 2. valdè commendat agens de Philippo Macedonum rege, qui, cùm alios veneno necare conaretur, à filio penè veneno fuit sublatus. verissimum sanè illud veteris tragædiæ :

——— qui alteri exitium parat,
Eum scire oportet, sibi paratam pestem vt participet parem.

huc pertinent multa à diuino dictata Spiritu Psal. 7. & 9. quæ sic elegantissimè vertit Apollinarius:

ἀλλ' εἰς ὃν περ ἔτευξε πέσοι κακοεργέα βόθρον.
κὰκ κεφαλῆς οἱ ἄλγος ἐπιστρέψειεν ἑτοῖμον,
καὶ οἱ ὑπὲρ κορυφῆς ἐπιβήσεται ὕβρις ἀεικής.
Sed in eam quam fecit incidit maleficam foueam.
Et ex capite ipsi dolor retorqueat paratus,
Et ipsi in verticem ascendet iniuria immanis.

& Psal. 9. ἣ δὲ πάγη, κρύπτεσκον, ἐκ ξυνέργετο πέζα.
Quem verò laqueũ absconderunt, suus cõprehensus est pes.

314 Nascuntur] Facilè *enim (teste D. Greg. Nazianz. in Apologetico)* & sine duce ac magistro malum fieri. *Et hoc prior D. Cyprianus; in prologo serm. de Natiu. Domini.* Facilè est pronum esse ad malum: & hac sine magistro, sine exemplo doctrina statim à pubescentibus annis imbuimur,

mur, & docemur. *hoc de omnibus hominibus verum; de supremo illo fastigio fortunæ, verißimum.*

315 Dire] *Lugdunens. & Eib.* durę: *ceteri*, dirè.

330 Turbatus] *Moguntinens. & alij m.s. Item Herbipol. Venet. Lugdun.* sed trepidus: *& ita legit Eibius. Nota hìc artificium poëtæ. non decebat illos esse conscios. quare? an vt expertes sceleris? aliena hæc impio Atreo pietas. imò moribus eius consentaneum, vt nati impietatis paternæ sint participes. nec ideo tantùm, verùm etiam vt ex insito erga patres liberorum affectu, deprehendat, suíne an alieni. Cur non ergo consilij sui facit participes? quia veretur; ne prodant. sibi consulit, suo consilio & crimini consulit. quid accommodatius tyranno impio?*

Vultus] *Euripides, in Ione, ex vultu censet cognosci, quis generosus, quis degener sit. Ouidius*: Heu quàm difficile est, crimen non prodere vultu.

335 Fides] *hoc dicere decebat. sed an ita erat? non opinor. imò tyrannis nulli fidi: timent omnes, & quos timent odêre. an ergo melior lectio?* timor. *non arbitror. nam quamuis hoc verum, dici tamen coram tyranno non oportuit, nec tutum mußitare.*

IN CHORVM.

Gratulatur sibi chorus, quòd fratres in amicitiam redierint, &, vt solet apud nostrum, in ambitiosæ & auidæ vitæ vituperationem; & modicæ ac suâ sorte contentæ laudem exspatiatur: & docet, in quo vera regnandi ratio posita. Quam vno tibi versiculo Ausonius:

Qui rectè faciet, non qui dominatur; erit Rex.

Et puerorum nænia apud Horat., quo allusit: Rex eris, aiunt, si rectè facias.

339 Alternis] *Moguntin. Herbipolen. Venet. primus*; alternum. *Eibius*; alterius, *vitio typographico pro* alternis.

342 Cupidi arcium] *nam antiquitus, teste Lucretio, Reges in arcibus habitabant, & arces ideo à Græcis, tyrannorum niduli vocabantur. cupidi ergo arcium, hoc est, cupidi tyrannidis.*

344 Regem non faciunt opes] *Imitatur hæc Boëtius lib. 3. de consolat. philos. vt legitur in membran. Burdegalens.*

Qui se volet esse potentem,
Animos domet ille feroces,
Nec victa libidine colla
Fœdis submittat habenis.
Etenim licet Indica longè
Tellus tua iura tremiscat,
Et seruiat vltima Tile:
Tamen atras pellere curas,
Miserásque fugare querelas
Non posse, potentia non est.

345 Tyriæ color] *purpura; quam soli Reges, &, qui regiæ potestatis successores videbantur, Coß. gestabant. quare Claudianus in lib. de raptu* reges *vocat*, purpureos: *& Virgilius ait*, purpura regum, *& Statius*:

 —cul-

—— cultúsque insignia regum Purpureos.

& Lactantius lib.4.cap.8. Sicut nunc Romanis indumentum purpuræ, insigne est regiæ dignitatis assumtæ, sic illis vnctio sacri vnguenti, nomen ac potestaté regiam conferebat. *Ideo Optatus lib. 5. vocat* regalem purpurá. *Sed nouum quod à D. Dorotheo, doctrina. 1. siue de renunciatione traditur* : Habet vnusquisque Regi militans, purpuram in lenâ suâ. Ex quo enim rex purpurá ferre cœpit, omnes eius milites togulis suis purpurea signa apposuêre, vt ex his appareat regios eos esse, & regi militare. *Purpurea ergo scruta vel clauos ceteri (scilicet Duces & milites regij) integram verò vestem purpuream, Imperatores, Cæsares & Reges ferebant. sic Dorotheus cum ceteris conciliandus.*

346 Nota] *Diadema, vel gemma illa regij generis propria, de qua D. Macarius hom. 23.* ὁ μαργαρίτης, ὁ μέγας, καὶ πολύτιμος καὶ βασιλικὸς ὁ εἰς διάδημα βασιλικὸν προχωρῶν, βασιλέως μόνου χρήζει, καὶ βασιλεὺς μόνος τοῦτον τὸν μαργαρίτην δύναται φορεῖν. ἄλλῳ δὲ ἀνθρώπῳ φορεῖν τόν τοιουτον μαργαρίτην οὐκ ἔξεστιν. *Picus : Insignis illa ac pretiosa margarita quæ facit ad diadema regium soli regi conuenit, solusq. rex illam gestare potest, nec licet vlli talem ferre margaritam.*

347 Auro nitidæ] *Seneca de Clemen. lib. 4.* tectum nitidius auro aut colore sparsum. Trabes] *non ex auro solidæ, sed inauratæ.*

348 Rex est] *qui regit animum suum, qui sibi imperat, qui perturbationibus suis dominatur. Sedulius operis Paschal. lib.2.*

—— si iure queat rex ille vocari;
Qui pietate caret, propriam qui non regit iram.

Seneca epist. 37. docet Regem esse, qui se rationi subdit, qui suo animo imperat. & sacræ litteræ, Deo seruire dicunt esse, regnare.

354 Tagus] *notus lippis & tonsoribus, aurifer & gemmifer Pomponio lib.3.cap.1. Castellanis* Taio, *Lusitanis* Teio: *aliud ante Karthaginensium in Hispaniam aduentum nomen habuit, nisi fallit D. Isidorus lib. 13. Orig. cap.21. sic scribens* : Tagum fluuium Hispaniæ Carthago nuncupauit, ex quâ ortus procedit fluuius arenis aureis copiosus, & ob hoc ceteris fluuiis Hispaniarum Prælatus. *Sed quomodo illum nuncupauit Carthago, vel quomodo prius dicebatur, antequam sic nuncuparetur? aut quæ ista Carthago, ex qua Tagus ortus? noua, an vetus? an quæ alia? Mihi de mendo liquet, de castigatione non liquet. Conijcio* : Tagum fl. Hisp. Celtiberia nunc. ex qua ortus. *nam Tagi fons inter Priegum & Toraluam, ad radices montium Celtibericorum, vel ex ipsis montibus ortus, Deus bone! quàm procul à nouâ Carthagine. nec de veteri quisquam somniet, quæ extra Europam : de tertiâ, nihil cõperior. Si tamen pertendas, Carthaginenses Tagi nomen inuexisse; tũc censeo post;* nuncupauit, *loco nominis loci, vbi Tagi fons, quod intercidit, asteriscum, defectus seu lacunæ notam, ponendum;* nuncupauit* ex quo, *&c. Sed quod illi nomen prius? nisi fallor, repperi apud Aristotelem,* Theodorus. *Aristoteles lib. de admirand. auditionibus:* καὶ ἐν Ἰβηρίᾳ δὲ τὸν καλούμενον Θεόδωρον ποταμὸν ἐμβράσσειν τε πολὺ περὶ τὰ χρυσίον χείλη, ὁμοίως δὲ καταφέρειν.

pem. Et in Iberia flumen Theodorus vocatum, circa litora multum arenæ aureæ voluit, vt fertur. *frustrà quæras* Theodorum, *alium amnem in Hispaniâ, præter beatum & salutarem Tagum: quem propter aquæ præstantiam, & quas fert diuitias, opinor à Græcis, qui vel Vlyxe duce, vel quo alio, Olysipponem condiderunt, Theodorum vocatum; verè donum diuinum, & Dei munere accolis concessum. Porrò an in Æthyopiâ, Tagus? affirmare videtur Sidonius in Panegyr. Auiti:*

Indorum Ganges, Colchorum Phasis, Araxes
Armeniæ, Tagus Æthyopum, Tanaisque Getarum.

sed non affirmat. indignus tam docto Aruernorum Antistite error tantus. scripserat me indice: Araxes Armeniæ, & Gis Æthyopum, *&c. Æthyopiæ flumen;* Gis, *notum Claudiano & aliis, quod &* Niger.

355 Claro] *in vno cod. vetusto, habetur;* caro.

356 Area] *vocat feruentem, & terendi voculam addit: quia, teste Varrone, area est* vbi frumenta teruntur & arescunt.

359 Obliqui] *omnes ignes cælestes maximâ ex parte in obliquum feruntur, maximè fulmina, vt docet Aristot. in Meteor.*

362 Ventosi-Hadriæ] *mare Adriaticum vt ventis & tempestatibus obnoxium damnat Horatius lib. 1. Od. 33. & lib. 3. Od. 9. & 27.*

363 Lancea] *Romana vox, si Diodoro Siculo credimus, à Gallis; si Varroni, ab Hispanis accepta.*

365 Tuto positus loco] *eiusdem sententiæ sunt ista incerti:*

Non est, falleris, hæc beata, non est;
Fulgentes manibus videre gemmas,
Aut testudineo iacere lecto,
Aut pluma latus abdidisse molli,
Aut auro bibere & cubare cocco,
Regales dapibus grauare mensas,
Et quicquid Libyco secatur aruo
Non vnâ positum tenere cellâ:
Sed nullos trepidum timere casus,
Nec vano populi fauore tangi,
Et stricto nihil æstuare ferro.
Hoc quisquis poterit: licebit illi,
Fortunam moueat loco superbus.

Huc spectant illa Saturnini grauissima, cùm ad imperij habenas regendas eum sustulissent, in historiâ Vopisci: Nescitis amici, quid mali sit imperare. nam & gladij & tela nostris ceruicibus impendent, imminent hastæ: vndique spicula: ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur. non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, nō bella pro iudicio, non arma pro studio. adde quòd omnis ætas in imperio reprehenditur. senex est quispiá, inhabilis videtur: sin minùs (*fortè legendum si iuuenis*) inest furor. Nam quod Imperatorem me cupitis, in mortis necessitatem me trahitis. sed habeo solatiū hoc mortis, solus perire non potero.

366 In-

366 Infra se] *minus bene scidæ Burdigalens.* iuxta se.

367 Necqueritur mori] *Horatius*:

—— hic murus aëneus esto,
Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.

Idem de viro bono & sapiente:

Hoc sentit, moriar. mors vltima linea rerum est.

& lib.3. Od.3. Iustum & tenacem propositi virum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida; neque Auster
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus:
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

huc pertinet, quod D. Hilarion latronibus mortem minantibus animosè respondit, apud D. Hieronymum in eius vita.

370 Sparsos] *palantes, & facilè mutantes sedes, vt Schytharum progeniem decebat, qui* νόμαδες καὶ ἁμαξοφόρετι.

Dacas] *quidam lib.* Dacos. *quid inter hos & Getas intersit, docui: nunc quomodo Daci distinguantur à* Dahis *& à* Danis. Daci *&* Dacæ *ijdem, Iustino à Getis oriundi, teste Strabone, Philostrato & Stephano. Græci sæpè vocant* Δαοὺς. *Strabo tamen lib.7. à Dahis Dacos separat: à Germanis, Danubio diuidi scribit Tacitus. Ptolomæus hos fines ascribit Daciæ. ad Aquilonem diuidi Carpatho monte, à Sarmatiâ; ab occasu Tibisco flumine, ab Iazygibus Metanastis, à Meridie & Ortu, vsque ad Danubium extendi. Iornandes putat olim Gothiam dictam Daciam. varia nomina diuersis est nacta temporibus, quæ habes apud Abrah. Ortelium in Synonimiâ: diuidebatur in Ripensem & Mediterraneam seu Alpestrem, vide Lazium lib.1. Comment. Rom. cap.5. sunt qui putant Dacos fuisse olim, qui nunc* Dani *incolæ Cymbricæ Chersonesi, sed falluntur, & iuniorum errorem sequuntur, qui magno lapsu Danos & Dacos eosdem faciunt.* Danorũ *mentio non exstat apud veteres scriptores: nunc* Dacorũ *nomen periit, & sedes eorum tenent Transiluani, Walachi, Moldaui, Herdelij, seu Sibenburgij, test. lib. Broderitho, Lazio, & Sambuco; nec vnquam Daci in Cymbricâ Chersoneso habitarunt, vt fusè docet Irenicus lib.1. Exeges. cap.30. vt mirer quid docto viro in mentem venerit scribere, ab Albinouano hos Cymbros intelligi.* (*In comment. in Appendicẽ Virgilian.*) Daci *à Scythis oriundi. nam Plinius, Tzetza, Sudas, Zonaras, Michaël Glycas, & Ioannes Curopalates, vel apertè Scythas, vel Patzinacitas vocant; quos esse Scythicam gentem non est dubitandum. Scythæ, inquam, Daci, sed Europæi. nam scriptores qui separant à Scythis, de Scythis Asiaticis intelligendi, vt Paullinus de Nicetâ Episcopo*: Ad tuos fatus Scytha mitigatur,
Et Getæ currunt, & vterque Dacus
Qui colit terræ medio. *& Fortunatus*:
Thrax, Italus, Scytha, Persa, Indus, Geta, Daca, Britannus.

&

& Horatius lib.1. Od.35. Te Dacus asper, te profugus Scytha.
& lib.3.Od.8. cùm dixisset: Occidit Daci Cotisonis agmen,
statim subiungit: Iam Scythæ laxo meditantur arcu
Cedere campis.

& Suetonius in Aug. & Florus lib.vlt. qui cùm tradant ab Augusto victos, pulsosq; trans flumen Dacos, asserunt tamen Augusti tempore Indos & Scythas auditu tantùm fuisse cognitos. quod verum esse nequit, nisi de Asiaticis accipias. Intimæ Scythiæ Asiaticæ populi sunt Dahæ *seu* Daæ, *seu* Dasæ, *ad extremum fere veteribus cognitum Orientem Stephano* περὶ πολεῶν, *Straboni lib.7. Pomponio lib.1.cap.8. & lib.3.cap.21. & Plinio lib.16.cap.17. Grammatici aliud discrimen commenti,* Dahas *primam corripere,* Dacas *producere: alij* Dacas *quando masculina declinatione inflectitur nomen producere priorem, quando femininâ corripere; quod Hortensius & Glareanus, in Lucanum, explodunt, & exsibilant, & versu illo Fortunatiani refellitur. Quare plerique censent vbicunque prima huius nominis corripitur;* Dahas, *pro* Dacis *substituendos. sed mihi non nisi ægrè persuadent. hîc enim Seneca & paullo pòst, vnanimi exemplariũ consensu,* Dacas *non* Dahas *primâ breui posuit: & illorum nemo Senecæ commeminit. apud Lucanum quoque lib.2. adiuncti Getæ faciunt vt malim* Dacas *quàm* Daas, *in illo versu:*

O Superi, motura Dacas vt clade Getásque.

vicini enim populi, & libri siue impreßi siue scripti variant, & solet illos cõiungere, eodem lib. Hinc Dacus premat, inde Getes. *& lib.3.*
—— iuncto Sarmata velox Pannonio, Dacísque Getes admistus.
eos etiam Martianus lib.6. in quarto Europæ sinu coniungit. Lucani quoque lib.7. veteres multi continent: Nec vetitos errare Dacas in mœnia ducat. *Nec magis vnum postulat sententia quàm alterum. nam quamuis Indiæ in præcedenti versu, Sarmatiæ meminit in subsequente. Apud Virg.8. Æneid.*

Indomitique Daæ, & pontem indignatus Araxes,

cum Seruio & Pomponio, propter Araxem cui viciniores Daæ. *& apud Silium lib.13. quia de intimis Orientalibus agit:*

—— cui peruia Bactra, Daæque.

non Dacas, sed Daas tuëor in possessione. Fateor etiam Dacos vt plurimum primam producere apud poëtas, apud Horatium, Lucanum, Paulinum, Fortunatum dictis locis, Virg.1.Georg. Pedonem Albinouanum in Elegija; Statium lib.4.Siluar. & 1.Thebaid. Iuuenal.Sat.6. Martialem lib.6. Claudianum lib.1.in Rufin. & de III.consulatu Honorij, Paulinum in carm. Natali, Sidonium in Paneg. Maioriani. Qui consensus facit, vt si quis apud Senecam mallet reponere vtroque loco Daas, *hîc:*

Qui sparsos agitant Daas; *& postea:*
Et Däæ Parthis equitem minati. *cum eo non pugnem.*

371 Qui rubri vada litoris] *Non Daci nec Däæ, sed alij reges qui iuxta mare Erythræum.*

375 Danubium] *Annianus ille Cato in Originib. Danubium vult ab accolis Danis cognominatum. quasi tunc Dani noti, aut Dani ad Danubium*

vlli. D. Isidorus lib. 13. Orig. cap. 21. vocatum putat à niuium copiâ, quibus magis augetur; oririq́ à Germanicis iugis, & sexaginta in se fluuios recipere, & septem ostiis in Pontum influere: quæ à Pomponio mutuatus ex parte. nam nec hic iugorum illorum nomen posuit, lib. 2. cap. 1. fortè quia non satis adhuc notum id Romanis. vnde Horatius lib. 4. carm.

Te fontium qui celat origines
Nilúsque & Ister. *& ideo Tertullian.* Istro fallacior, *dixit, iuxta Pamelium: rectiùs fortè transtuleris ad accolarum perfidiam: Omisit etiam Solinus cap. 18. Scio Pintianum apud Melam ex coniecturâ reponere:* in Abnobæ Germanię monte, *&c. pro eo quod omnes codices habent:* apertis in Germania fontibus. *sed nimium recedit à contextu. Ego Martianum arbitror lib. 6. quando quartum Europæ sinum describit, montis nomen posuisse, sed id vel inscitiâ librariorum, vel audaciâ, vel temporum iniuriâ, oblitteratum. legitur hodie:* * Hister fluuius, ortus in Germaniâ, de cacumine montis ad nouem, sexaginta amnes assumens etiam Danubius vocitatur. *Sed Martianus scripserat,* de cacumine montis Adnouæ, sexaginta, *&c. hoc enim cùm quidam mutassent in;* Adnouæ, *alij statim in peius;* Adnouem. *In Taciti & Plinij exemplaribus modo* Adnoba, *modò;* Abnoba, *modo;* Arnoba *inuenitur. Ptolomæi libri & Dionysij libri,* Annubam, *vel* Abnubam *vocant, Rhemnius Fannius,* Abnobam. *Hunc ergo fontem prius occultum, post Drusorum in Germaniâ victorias notum, patet ex Plinio, Tacito, Martiano, Dionysio & Ptolomæo: & nescio an errarit Ausonius, aut ad priora illa tempora respexerit, scribens:*

In editione Basiliensi vltima Pernæ, vnà cū Isidoro ex emendatione viri eruditi.

Danubius penitus caput occultatus in oris.
Item: Et fontem Latiis ignotum annalibus Istri.

De Danubio, ostiis, magnitudine, incrementisq́ eius quædam dixi in Solinum, plurima Irenicus lib. 8. Exeges. à cap. 18. vsque ad 26.

Audet qui] *qui Danubium gelu induratū pedibus calcare nō expauescunt.*

379 Seres] *de his alibi multa, ex Dionysio & aliis.*

386 Machinis] *Balistis. vide Veget. lib. 4. Valtur. & alios. caue bombardas interpreteris, cum Marmitâ. nam nondum tunc inuentæ, vt docet Hieron. Magius lib. 1. miscel. cap. 1.*

390 Rex est quique cupit nihil] *Versum hunc ex duobus vet. lib. inserunt, & aptus certè. Tamen in meis libris scriptis non inueni; nec Etbius eum agnoscit, nec agnouêre vlli interpretes, ante N., non Bernardinus, non Daniel, non Dadius, non ceteri, nec vlli hactenus edidêre typograpi, quod sciam. quis ergo deleuit, nondum receptum, vel editum in lucem? porrò sequentia sunt ex Euripide, qui in Ione:*

Regni autem, rei multis laudatæ perperam,
Facies quidem amœna; sed intra se tristia
Condit. quis enim beatus? quis felix?
Qui semper metuit, vitamque suspectam habens,
Æuum exigit? priuatus ego potiùs
Velim viuere beatus, quàm Rex esse.

400 Illi]

400 Illi] *Euripides, in priore Iphigeniâ:*

Nam beatum æstimo, quisquis securam absque periculo
Transegit vitam ignotus atque inglorius:
Qui verò in honoribus obierunt, minus beatos iudico.

402 Ignotus mor. sibi] *Tertullian. lib. de pallio cap. 5.* Vitâ meliore magis in secessu fruare, quàm in promtu. sed ignauâ infamique scilicet patriæ, & imperio, reique publicæ viuendum est. Errat olim ista sententia. Nemo alij nascitur, moriturus sibi.

IN ACT. III.

Allectus promissis Atrei, redit in patriam, non sine diffidentiâ & prænotione quadam imminentium Thyestes; suasu & adhortatione liberorum compulsus. exit obuiam frater, & eum falsâ pacis atque obliuionis præteritorum simulatione circumuenit. Notat Higyn. hunc Plisthenem eiusq; fratres putatos Thyestæ filios, verè tamen Atrei fuisse, atque ita Atreum proprios filios fratri obtulisse in mensâ. Higyn. fab. cap. 86.

405 Tactum soli natalis] *cunctis carissima & gratissima patria; cuius videre fumum Vlysses maluit, quàm immortalis fieri; maximè tamen exsulibus: quia negata ardentius concupiscuntur. Vide Lucian. in Encomio patriæ.*

405 Patrios Deos] *Dionysius vocat* θεὺς πατρῴυς, Penates *Latini.*

406 Si sunt Dij] *vel illi patrij, vel vlli omnino. digna impio Thyeste dubitatio; digna irato, propter miserias in quas illum passi incidere. Est autem hic Diagoricus Thyestes: ille alius in Attij Antigonâ; qui negat Deos regere, vel curare omnibus, Epicureus est. Nam Diagoras & Theodorus tollebant Deos, Protagoras & Epicurus, non Deos, sed Diis prouidentiam, vt docent Cicero de Nat. Deor. & Lactantius lib. 5. c. 22. & de Ira Dei cap. 9. vnde Claudianus in Rufin.* —— quæ numina sensu

Ambiguo, vel nulla putat, vel nescia nostri.

Cyclopum sacras turres] *Græci Scholiastæ tria Cyclopum genera agnoscunt, Vulcani socios, de quibus Hesiodus in Theogoniâ; alios in Siciliâ, ex quibus Polyphemus Homericus; tertios quosdam fabros, de quibus nunc sermo. Aristoteles prodidit turriū construendarum inuentores fuisse Cyclopes; sed Theophrastus id Phœnicibus ascribit; verè sacri scriptores Nemrotho, & Babylonicis illis, vt notat Fran. Georgius Harmon. mundi lib. 1. cap. 14. cantu. 1. Mycenæ tamen Cyclopum opus. sup. Herc. Fur.*

Bellum Mycenis restat, vt Cyclopea
Euersa manibus saxa nostris concidant.

Euripides Troad. —— ἵνα τείχεα
λάϊνα κυκλώπει, οὐράνια νέμονται.

vbi opus saxeum, Cyclopea mœnia, in astra surgunt. *& in Iphigenia Tauricâ:* O Cyclopei lares, ô cara patria, Mycenæ. *& Mycenas numerat inter opera Cyclopum Statius lib. 1. Thebaid. item Argos. sed & Pausanias in Corinthiac. Luctatius ad illud Statij:* Celsa Cyclopum tecta, *prodidit ea sic vocari, aut quod à Cyclopibus exædificata, aut quod magnæ molis essent. Ea namque quæ mole censebantur, Cyclopum opera credi solita. Strabo*

 lib. 8.

lib. 8. scribit, septem fuisse hos Cyclopes ex Lycæâ, qui fabrilis artis egregiè periti, variis ædificiis exstruendis victum sibi comparabant. Tatianus Assyrius fabrilis artis inuentionem ascribit: τυῤῥηνοὶ σάλπιγγα, χαλκεύειν κύκλωπες, *&c. in Orat. contra Græcos. quapropter poëtæ Vulcano tres illos alios Cyclopas famulos addiderunt, Bronten, Steropen, Pyracmona, seu (vt vocat Hesiodus hunc tertium) Argen.*

Tyrrheni inuenere tubam, fabrilem artem Cyclopes.

408 Nobilis] *vnus m. s.* nobilem. *de senum iactantiâ ait Aristoteles:* Semper enim præterita referunt, quòd ipsa recordatione delectantur.

412 Densos] *Eguianus*; pressos. *& postea*; qui oculos, *quomodo etiam legerunt Eibius, Bernardin. & Daniel, & sic Herbipolens.*

415 Cùm quid datur spectabis & dantem aspice] *sic Lugdunens. & Lipsiens. bene: tamen Eib. Moguntinens. Herbipol. & Veneti*; cum quod spect. & tandem aspice, *mendosè.*

427 Deflecte] *placet ex manusc. aliorum*; reflecte.

441 Potes regnare] *secutus sum lectionem membranarum. nam in excusis mira turbela. Sensus: Cur, inquit, non redeas pater; cui diadema merces.* THY. *magna scilicet* (ironicè) *merces, magna potestas offertur; quæ cum summo mortis coniuncta periculo. tu mercedem vocas, quæ fortassis interitus & exitium? Sed filij subsequens responsum facit, vt potiùs arbitrer, hoc dicere Thyestem. Inquis, me regnare posse. possum, atque adeo iam regno. cùm enim mortis meæ me penes potestas sit, quod maius regnum optem aut putem? si fratri me credo, hoc regnum amittam, atque in illum transferam ius vitæ ac necis meæ; quod ego nunc possideo. Cur ergo regnum aliud, tanto cum damno cupiam?* PLYS. *Si non tuâ, nostrâ saltem causâ; qui, nisi regnum Mycenarum accipis; in egestate perpetuâ consenescemus. Si nil cupis, nil ad filios hereditario iure transmittes.* THYES. *Erras. non ille mihi regni partem concedet. regnare duo simul nequeunt. regna socium non ferunt.*

444 Mauult-potest] *Mogunt.* mauis-potes. *sed Eib. ceteris consentit.*

447 Ipsum mei] *corporis mei stipatores, & gladium quo accingebar. de hoc pauore tyrannorum multa in Phalaridis epist. vt 34. 49. & 67.*

448 O quantum] *Euripid. in Iphigen. Aulid. Agamemnoni dicenti, eos qui ingloriam & quietam vitam peregêre, beatos sibi videri; infelices verò qui ambitiosam & publicis functionibus implicatam, ait Senex:*

Atqui istud decus est vitæ: *Respondet Agamemnon:*
Illud verò decus res est lubrica.
Dulcis quidem res honor;
Sed vbi accesserit, tum discruciat.

450 Casam] *Eibius, Moguntinens. Herbipolen. & duo Veneti*; iacentes s. n i. casas. *ceteri*; casam.

454 Malam bonæ] *quidam v. l.* præstare, *pro*; præferre.

456 Splendidum tectis ebur] *lacunaria domus ebore ornari solita, ex veteri quoque Tragœdiâ patet:*

Tectis cælatis, laqueatis
Auro, ebore instructam magnificè.

Sed

Sed & auro solido laquearia Cleopatram implesse, canit Lucanus; & de sui temporis luxuriâ, idem confirmat Statius lib. I. Thebaid. quomodo forte accipiendum illud Horatij, quando negat in suâ domo aureum lacunar renidere. Plinius alicubi Colchis argenteas trabes attribuit. Immanis luxus, & cui Deus meritò rependat, tales vt trabes domorum in capita suorum dominorum incumbant. Pro; splendidum, *schida Burdegal.* splendidè. *Ceterùm hoc argumentum eleganter etiam prosequitur Claudianus in Rufin. lib. I.*

——tibi quærit inanes
Luxuries nocitura cibos: mihi donat inemtas
Terra dapes. rapiunt Tyrios tibi vellera succos,
Et picturatæ saturantur murice vestes:
Hic radiant flores, & prati viua voluptas
Ingenio variata suo. fulgentibus illic
Surgunt prata toris: hic mollis panditur herba,
Sollicitum curis non abruptura soporem.
Turba salutantum latas ibi perstrepit ædes:
Hic auium cantus, labentis murmura riui.
Viuitur exiguo melius. natura beatis
Omnibus esse dedit: si quis cognouerit vti.

Narrauit elegantissimè Seneca, quam hic describit diuitũ insaniam, luxum, prodigalitatem, superbiam, epist. 90. adscribam verba, hinc enim nonnulla poëta noster desumsit: Quousque fines possessionum propagabitis? ager vni domino, qui populum cœpit, angustus est? Quousque arationibus vestris fines vestros porrigetis, ne prouinciarum quidẽ satione contenti circumscribere prædiorum modum? Illustrium fluminum per priuatum decursus est, & amnes magni, magnarúmque gentium termini vsque ad ostium à fonte, vestri sunt. Hoc quoque parum est, nisi latifundiis vestris maria *cinxistis, nisi trans Adriam, & Ionium, Ægeúmque vester villicus regnet: nisi insulæ, ducum domicilia magnorum, inter vilissima rerum numerentur. Quàm vultis, latè possidete: sit fundus, quod aliquando imperium vocabatur: facite vestrũ quicquid potestis; dum plus sit alieni. Nunc vobiscum loquor; quorum æquè spatiosè luxuria, quàm illorum auaritia diffunditur. Vobis dico: quousque nullus erit lacus; cui non villarum vestrarum fastigia immineant: nullum flumen; cuius non ripas ædificia vestra prætexant? vbicunque scatebunt aquarum calentium venæ, ibi noua diuersoria luxuriæ excitabuntur? Vbicunque in aliquem sinũ litus curuabitur; vos protinus fundamenta iacietis? nec contenti solo, nisi quod manu feceritis, maria agetis introrsum? Omnibus licet locis tecta vestra resplendeant, alicubi imposita montibus, in vastum terrarum, marísque prospectũ; alicubi ex plano in altitudinem montium educta; cùm multa ædificaueritis, cùm ingentia: tamen & singula corpora estis, & paruula. Quid prosunt multa cubicula? in vno iacetis. Non est vestrum, vbicunque non estis. Ad vos deinde pertranseo; quorũ profunda & insatiabilis gula, hinc maria scru-

*Mallem cinxeritis.

 tatur,

» tatur, hinc terras. Alia hamis, alia laqueis, alia retium variis generibus,
» cum magno labore persequitur. Nullis animalibus, nisi ex fastidio, pax
» est. Quantulum enim est, quod ex istis epulis, quas per tot comparatis
» manus, fesso voluptatibus ore libatis? Quantulum, ex istâ ferâ pericu-
» losè captâ, dominus crudus ac nauseans gustat? Quantulũ ex tot Con-
» chyliis, tam longè aduectis, per istum stomachum inexplebilem labi-
» tur? Infelices etiam, quod non intelligitis, vos maiorem famem habe-
» re, quàm ventrem. *Multa quoque elegantissima in eandem sententiam sequente epist. 91. post medium, proponit.*

458 Retro] *exemplũ prabet Surrentinũ Pollionis, apud Papiniũ li. 2. Silu.*

459 Iacta fugamus mole] *Seneca lib. 5. Declamat.* maria agetis introrsum. *& postea*: maria submouentur proiectis molibus.

Ventrem improbum alimus tributo gentium] *vili sumtu pascimur: non egemus, nec abutimur tributis aut publicis vectigalibus explendæ ingluuiei, vt apud Athenæum lib. 4. Xerxes, & alÿ apud Boysteum hist. prodig. cap. 25. huc pertinent ista Satyrici*:

Atque ita defecit nostrum mare, dum gula sæuit
Retibus assiduis, penitus scrutante macello
Proxima, Tyrrhenum patitur nec crescere piscem.

Instruit ergo focum prouincia. *Seneca epist. 61.* Quamdiu ergo sationibus implebimus magnarum vrbiũ campos? quãdiu nobis populus metet? quamdiu vnius mensæ frumentum multa nauigia, & non quidẽ ex vno mari, subuehent? taurus paucissimorũ iugerũ pascuis impletur. vna silua elephantis pluribus sufficit: homo & terrâ pascitur & mari. quid ergo? tam insatiabilẽ nobis aluum natura dedit, cùm tam modica corpora dedisset, *&c. Vix autem dubito, quin noster hoc loco Caÿgulam notare voluerit. sic enim de illo, lib. de Consolat. ad Helbiam matrem cap. 9.* Caius Cæsar; quem mihi videtur natura edidisse, vt ostenderet, quid summa vitia in summâ fortunâ possent: centies sestertio cænauit vno die, & in hoc omnium adiutus ingenio, vix tamen inuenit, quomodo prouinciarum tributum vna cœna fieret.

462 Meæ excluso Ioue] *malo ad eiusdem Caligulæ væsaniam referre, de qua Sueton. lib. 4. quàm ad Augusti ambitionem, quam insectatur Prudentius, & narrat Tacitus lib. Annal. 1.*

464 Culminibus me. imp. nutat silua] *Seneca lib. 5. Declam.* Alunt in summis culminibus mentita nemora, & nauigabiliũ piscinarũ freta. *hæc parens: at filius epist. 123.* Non viuunt contra naturã, qui pomaria in summis turribus serunt: quorum siluæ in tectis domorum ac fastigiis nutant; inde ortis radicibus, quô improbè cacumina egissent. *& Tibullus de istis hortis, lib. 3. Eleg. 3.*

Et nemora in domibus sacros imitantia lucos.

tales fortè illi Babyloniÿ pensiles, & alÿ Thebis, apud Plinium lib. 36.

465 Nec fumant manu succensa multa stagna] *mendosè vnus m. s.* nec fumant manu succensa flammis stagna. *vnde tamen non temerè coniÿcias;*

ycias; h. f. mari succensa flāmis stagna. *nam thermas in ipso mari, docet ipse Seneca d. epist.* 123. Non viuunt contra naturam, qui fundamenta thermarum in mare iaciunt, nec delicatè natare ipsi sibi videntur, nisi calentia stagna fluctu ac tēpestate feriantur. *Nihil tamen mutaui in contextu, quia nullam meam coniecturam in eum recipere constitui: & quia vulgata lectio ipsa quoque egregia, de vastißimis illis thermis Romanorum intelligenda. nam Ammianus Marcellin. lib. 16. scribit in vrbe lauacra ad modum prouinciarum exstructa, quæ dicebantur* Oceani. *Suetonius de Nerone (quem nostrum puto perstringere)* Stagnum (*inquit*) maris instar circumseptū ædificiis ad vrbium speciem. *& postea*: Balineæ marinis &*albulis fluentes aquis. Præterea inchoabat piscinā à Miseno ad Auernum lacum, contectā, porticibúsque conclusam, quo, quicquid totis Baiis calidarum esset, committeretur. *Oceanos ergo illos seu lauacra priuata, vocat* stagna, *ob magnitudinem, quæ quot manibus calefieri debuerint, satis patet. Dixeram de piscibus aliàs; secutus Ascensium, virum probum, quem mentitum non reor. Minus tamen id huic loco explicando idoneum.*

* Num legendum? Albulis

Nec somno dies] *Seneca epist.* 125. Lucet, somni tēpus est: quies est, nunc exerceamur, nunc gestemur, nunc prandeamus. *ad has luxuriæ peruersæ voces allusit. Non desunt, nec defuere temporibus antiquißimis tales, qui tenebras verterunt in lucem, & diem in noctem. quibus* Væ *illud Propheticum imminet, Esaiæ* 5.

466 Peruigili] *Moguntinens.* peruigil.

467 Immane] *obscurè dictum. Mens ista: Maximum ille & præstantissimum, & incredibile imperium obtinet, latißimè dominatur; qui priuatâ, & tenui fortunâ contentus, tyrannorum & potentiorū superbiam æquo animo potest perferre. Non malè legeretur;* immune. *hoc est, sine noxâ aut periculo, tutum, securum: eodem prope sensu. vtrumque dictum verè, nam patientia non sui modò, sed illorum ipsorum à quibus patitur, victoriam illi & principatum quendam largitur. Docent adoreæ Laurentij, Vincentij, Clementis Ancyrani & aliorum Dei martyrum; à quibus se crudelißimi & impotentißimi tyranni vinci & superari fatebantur.*

470 Nec appetendum] *viro probo munus & opera, nonnumquam; dignitas & honos per se nunquam. hoc ambitiosum, illud Reipub. necessarium. nam quod fieri necesse, id vt quàm optimi præstent optimum. huiusmodi sunt imperia. quare prudenter Nazianzen. in Apolog. aquè sibi perniciosum videri, neminem imperium suscipere, ac omnes imperare velle. Prouerb.* 11. Vbi non est gubernator, populus corruet. *propter* ἀναρχίας *pestem, in quam grauiter Plato epist.* 8. *&* 12. *de legib.*

472 Rogat? timendum] *Inimicus rogans, & præter morem se tibi amicum simulans, & blandiens, vt fertur Italico prouerbio, vel decepit, vel conatur decipere. Dion cùm scripsisset Didium Iulianum integro biduo nihil eorum prætermisisse quæ ad deliniēdos conciliandosq́ sibi Senatus animos pertinerent, addit*: οὐ μέντοι καὶ πιθανὸς ἦν, ἀλλ' ὡς ἀκρατῷ τῇ θωπείᾳ χρώμενος ὑπωπτεύετο. πᾶν γὰρ τὸ ἔξωθεν τοῦ εἰκότος, κἂν χαρίζεσθαί τισι δοκῇ, δολε-

δολερὸν τοῖς νοῦν ἔχουσι νομίζεται. Sed nemo nostrum ei fidebat, erátque suspecta omnibus eius assentatio. nam quod extra modū fit, licet putetur quibusdā esse gratū, tamen prudentibus fraude carere non videtur.

Errat] *Burdegal. membranæ*; regnat.

476 Perfundet arctos] *Eguianus.* effundat. *de hoc ἀδύνατῳ Vitruuius lib. 9. cap. 7. & Oethæ.* 1583.

477 Consistet] *Eguian.* consistat.

Ionio] *vel ab Ius errore nomen accepit, vt vult Lycophron. & Æschylus sentit: vel ab Ione Xuthi aut Apollinis aut Dyrrachi filio, vel ab Ione quodam Illyrico patre Adriæ (à quo mare Adriaticum dictum) iuxta Eustathium; vel ab Ionum naufragio, iuxta nonnullos; vel, secundùm Solinum, à quadam extremâ Italiæ orâ. Est autē propriè extrema maris Adriæ pars, quæ inter Epirum & Italiam Mediterraneo coniungitur, quod quidam* Ausoniū *appellant: veteres tamen frequentiùs totum Adriaticū, nominarunt Ioniū. Seneca peritè vtrumq; separauit ep. 90. inuenias etiam dici* Adriá, Adrianū, Adriacum, Saturniū, *&* Chronium, *& sæpiùs* Superum. *Plutarchus in Camillo:* τὴν μὲν γὰρ βόρειον θάλασσαν, Ἀδρίαν καλοῦσιν, ἀπὸ Τυῤῥηνικῆς πόλεως Ἀδρίας· τὴν δὲ πρὸς νότον κεκλιμένην, ἄντικρυς, Τυῤῥηνικὸν πέλαγος Et mare quidē ad Boream spectans Adriam vocant, ab Adriâ Tyrrhenicâ vrbe: quod verò illi oppositum noto obnoxium est, Tyrrhenicum mare. *Hoc* inferū *vocari ex iocoso dicto Craßi apud Ciceronem lib. 3. de Orat. probatur:* Hæc autē, vt ex Apennino fluminū, sic ex cōmuni sapientiæ iugo doctrinarum facta diuortia: vt Philosophi tanquam in superum mare Ionium defluerent, Græcum quidem & portuosum: oratores autem in inferum hoc Tuscum & Barbarum, scopulosum atque infestum laberentur; in quo etiam ipse Vlysses errasset.

483 Quantum potest, tantum odit] *sic quidam manusc. & Veneti & Lipsiens. alij;* Tantum potest, quantum odit.

486 Serum est] *Non enim adhibenda cautio, postquam accidit quod timebatur; sed patientiâ in damno atque ægritudine opus est, vt rectè ait Lud. Maynus lib. 2. de action. hunc versum citans.*

488 Ego] *protestor vos mihi duces præiuisse; me inuitum subsecutum.*

496 Sic cum feras] *Homerus*:

——cor autem ei intus latrabat:
Sicut autem canis teneros circum catulos iens,
Virum ignorans latrat, cupitque pugnare.

498 Lento] *nihil muto, etsi q. v. l. contineant,* leni.

500 Gestu] *sic Herbipolens. Venet. Basileens. & Saxonici: sic etiam m. s. omnes, sed in Moguntini margine est;* gennitu. *inde Lugdunens.* gemitu. *scio gannitum canum, &, vt D. Hieronymus vtitur, vulpium: sed versus leges non patiuntur: & quis non nouit motum illum ac conatum canum, ceruice tota, & corpore se dominorum manibus eripere luctantium? hunc,* gestum *vocat.*

503 Spirat] *in marg. Basileens.* sperat. *& sic legit Eibius. pulcrè autem*

*hoc explicat Seneca ipse lib.*1. *de Irâ in principio*: Cetera licet abscondere & in abdito alere: ira se profert & in faciem exit; quantóque maior est, hoc efferuescit manifestiùs. Non vides, vt omnium animalium, simul ad nocendum insurrexerunt, præcurrant notæ, ac tota corpora solitum quietúmque egrediantur habitum, & feritatem suam exasperent? Spumant apris ora, dentes acuuntur attritu: taurorum cornua iactantur in vacuum, & harena pulsu pedũ spargitur: leones fremunt: inflantur iratis colla serpẽtibus: rabidarũ canum tristis aspectus est. Nullum est animal tam horrendum, perniciosúmque naturâ, vt non appareat in illo, si ira inuasit, nouæ feritatis accessio. Nec ignoro ceteros quoque affectus vix occultarj; libidinem, metúmque, & audaciam dare sui signa, & posse prænosci. neque enim vlla vehementior intra cogitatio est, quæ nihil moueat in vultu. Quid ergo interest? quod alij affectus apparent, hic eminet. *adde quæ diximus Med.*386.

506 Præstetur] *Moguntinens. præstatur.*

514 Pietas] *hæc tua.*

517 Iniectæ] *sic Saxonica editio & quidam m. s. Moguntinus verò & Herbipolens. & Veneti*; iunctæ. *Burdigalens. m. s. & Lugdunens.* intactæ: *sed in marg.* iniunctæ. *mihi primum plus placet. post*: intactæ. *cur*; intactæ? *quia nullos pedes tetigerant, vt etiam inquit Andromacha in Troadibus. reliquarum lectionum vna & clara sententia.*

518 Tumor] *ex iracundiâ conceptus. Herbipolens. & Venet.* timor. *hoc est, diffidentia pristina.*

522 Senum præsidia] *sic numerum liberorum Augusti*; aulæ adminicula *alibi vocat*; *Tacitus verò* 5. *histor.* firma imperij munimenta. *Euripidi*; *Tyrannorum filij*, ἔρυμα δ' ὤμασι. *munimen domus. Alexander Magnus apud Curtium queritur orbitatẽ suam despici & sperni*; *quod sine liberis esset.*

536 Quàm facile] *Herodotus*: Illud inprimis discito humanarum rerum circulum esse; qui rotatus, eosdẽ semper fortunatos esse non finit.

542 Iura & arma] *omnia siue ad pacem siue ad bellum pertinentia.*

543 Vincla] diadema.

IN CHORVM.

Gratulatur fratrum concordiæ, & pacis quietem, cum bellico tumultu, allatâ maris similitudine, describit & componit.

552 Genuítque bellum] *sic vnus m. s. melius reliqui*; cecinítque.

556 Mauors] *Orpheus non Lebethrius, sed Ciconæus*:

Mars, Rex, perpetuâ saniéque & cæde cruente,
Horrendè, humano gaudens & sanguine Numen;
Qui gladiísque, hastísque cupis contendere semper.

562 Timuere natis] *Lugdunens.* tremuere natis. *Moguntin. Eguian. Herbipolens. & Veneti omnes*; tenuere natos. *mutat N. in*; timuere natis. *ex illâ Lugdunensi.*

569 Pinnis] *notæ murorum pinnæ, quas Virgilius & non semel Ammian. lib.* 24. minas murorum *vocant.*

571 Peior est bello timor ipse belli] *Seneca epist.* 24 nihil in terris terribile est, præter ipsum timorem. *acutè: non verè. nam timore timentur timenda, non timetur timor.*

573 Classicorum] *classicum olim bucinâ seu cornu solitum cani, & conuocationis militum ad bellum instans signum: sed prœlij conserendi signum, tubâ dabatur: litui opinor ipsam bucinam comitabantur vel præcedebant. significat hoc Lucanus lib. 7.*

——— stridulus aër
Elisus lituis, conceptáque classica cornu:
Tunc ausæ dare signa tubæ ——— *apertè etiam Isidorus lib.* 17. *Origin.cap.*4.*cui Lucanus, & ipse Lucano lucem aliquam; his verbis:* Inter tubam autem & bucinam veteres discernebant. nam bucina insonans sollicitudinem ad bella denunciabat. Virgilius: —— *qua bucina signum Dira dedit.* Tuba autem prœlia indicabat, vt: *At tuba terribilem sonitum dedit ære canoro.* Cuius sonitus varius est. nam interdum canitur vt bella committantur, interdum vt insequantur eos, qui fugiunt; interdũ receptui. nam *receptus* dicitur, quo se exercitus recipit. vnde & signa receptui canere dicuntur. *Classica* sunt cornua, quæ cõcinendi causa erãt facta, & à calando classica dicebãtur. de quibus Virgilius: *Classica namque sonant.* Apud Amazonas autem non tubâ, sicut à regibus, sed à reginâ sistro vocâbatur feminarum exercitus. *Glossar. Græco-Latinum,* περιφερὴς σάλπιγξ, Classica. *De classicum canendi modo, nonnulla Dion Cassius lib.*47. *hist. Augustæ ita tamen, vt tubæ & classici differentiam apertè confundat, si rectè N. interpretatur. nam Græcum exemplar nunc non habeo, quod consulam. Etsi generali vocabulo bucinator, tubicinem & cornicinem comprehendat; propriè tamen tuba æneatorum est, bucina cornicinum. Cornua lituis plerumque coniungunt, vt hîc Seneca, & Lucanus loco citato, & Horatius quando minaci cornuum murmuri addit lituos strepentes; et si etiam lituo tubæ sonitum permiscuit.*

579 In portu] *ingens tempestas, quæ timenda vbi securitas speratur: ingens malacia, quæ in truculento elemento & infido securitatem insultanti cymbæ præstat.*

580 Charybdis] *Homerus & Virgilius eam celebrarunt. plerique fabulantur anum fuisse voracissimam, & ab Hercule, quòd eius boues abegisset, in mare proiectam, freto periculosissimo Taurominitano nomen indidisse; alij malunt à Ioue fulminatam, in eodem pelago in saxum sui nominis commutatam. Allegoricè Anulus, in pictâ poësi:*

Inuidia obtrectans monstris est Scylla caninis.
Funditus at mergens paupertas, vasta Charybdis.
Incidet in Scyllam, qui vult vitare Charybdin.
Allatrat liuor mordax, absorbet egestas.
Ex vtroque malo minus elige. qui sapit, optat
Inuidiosus enim magè, quàm miserabilis esse.

Ideo apud Homerum Cyrce monet Ithacum, vt ad Scyllam potius flectat.

581 Cy-

581 Cyclops parentem] *Polyphemus, de cuius magnitudine Lucilius:*

Multa hominum portenta in Homero versificata
Monstra putant: quorum inprimis Polyphemu' ducentos
Cyclops longu' pedes. huic porrò maiu' bacillum,
Malus maximu' sit quàm in naui, aut corbitâ in vllâ.

putatus Neptuni filius. quia, vt scribit Ioan. Tzetza: Omnes animosos & viriles, filios & amicos Erastus ait Neptuni. *nam pro* ἐραστὰς φασὶ, *lego:* Ἔραστος φασί. 584 Ætnæis caminis] *κρατῆρες seu fauces Aetnæ vt vocat Lucretius lib. 6.*

In summo sunt vertice item κρατῆρες vt ipsi
Nominitant; nos quas fauces perhibemus & ora.

de his Cornelius Seuerus in Aetnæ descriptione, & Strabo lib. 6. Plinius, Solinus, &c. ex crateribus euolant ῥύακες, *hoc est fauillæ. non* κρατῆρες καὶ ῥύακες *Aethnæi idem. Aristoteles in li. de mundo indicat rationem horum incendiorum,* multæ spiracula habent emissariáque vaporis, vt Lipara, vt Æthna, vt Æoliæ insulæ; quæ quidem sæpe & ipsæ fluminum more fluunt, ignitásque ferri glebas euomunt. *De his Tertullianus lib. de pœnitentiâ extremo; vocans,* Fumariola. *de iisdem & D. Pacianus in Paræneſi, quâ cum Afro illo quem imitandum sibi sumserat, grauitate & eloquentiâ certauit.*

589 Stagnis] *ideo quietum Oceanum vetus poëta stagnum dixit:* Super Oceani stagna alta patris. 591 Strata] *tranquilla æquora & iacentia.*

595 Dolor ac voluptas] *Plinius in Panegyr.* At sicut maris cælique temperiem turbines tempestatésq. cõmendant: ita ad augendam pacis tuæ gratiam illum tumultum præcessisse crediderim. Habet has vicissitudines conditio mortalium; vt aduersa ex secundis, ex secundis aduersa nascantur. Occultat vtrorũque semina Deus, & plerumque bonorum malorúmque causæ sub diuersâ specie latent.

597 Ima permutat breuis hora summis] *Plutarchus:* Quod rectè Phalereus Demetrius, dicente Euripide: *Non sunt opes stabiles, sed durãt in diem. Vel minima nos euertunt. vna adeò dies, Deÿcere summa, extollere infima queat.* rectè quidem hęc omnia se habere dixit: melius tamen dicturum fuisse, si pro vno die momentum temporis posuisset. *Similia dixerat (nam à Plutarcho paucis mutatis posita Euripidis verba quæ Demetrio non prorsus probabantur, credo) Eurip. in Hecuba:*

Nec quibus secundæ res sunt perpetuò sic futuras fidere.
Etenim & ipsa quondam eram, sed nunc non sum amplius:
Opes at omnes vnus mihi rapuit dies.

Celerrimam esse rerum vicissitudinem, docet Simonides:

Etenim celeris muscæ præpetis
Instar, rerum fit mutatio.

quia, vt idem canit: Nulla res inter homines perpetuò firma manet. *Cui non aliquid accidit aduersi? Pindarus:* Sed enim vita extra periculum posita, non contigit nec Æacidæ Peleo, neque diuino Cadmo. Dicuntur tamen illi mortalium felicitatem supremam habuisse.

Simonides:

Neque enim ij qui superiore seculo exstiterunt
Et Deorum dominorum nati sunt filij
Semidei, laborum expertes & vitij,
Periculisque carente vitâ
Ad senectutem peruenerunt transactâ.

ratio reddita à Pindaro:

Nam alias alij sunt flatus
Alteuolantium ventorum:
Felicitásque hominum non accedit in longum permansura.

Eleganter in Nelei carmine scriptum fuit:

Topper fortunæ commutantur hominibus.

Quare beatus nemo ante mortem, de qua Diphilus:

Non vlla vita est, quæ omnino caret malis,
Curis, doloribus, & ægritudinibus:
Cùm apparuit sed mors, eorum vt medicus
Dat requiem iis quibus mala est, hos sopiens.

& prior Euripides, in Adromachâ:

Nemo beatus antè dici mortalium
Debet, quàm videris defuncti vltimam diem;
Quo pacto eâ clausâ migrarit ad inferos. *& in Creßis:*
τὸν εὐτυχεῖν δοκοῦντα μὴ ζηλοῦτε, πρὶν
θανόντ' ἴδῃ τίς, ὡς ἐφήμεροι τύχαι.
Tanquam beatus nemo laudetur prius
Quàm luce careat. fors enim est mutabilis. *& in Heraclidis:*
βροτοῖς ἅπασι λαμπρὰ κηρύσσει μαθεῖν
τὸν εὐτυχεῖν δοκοῦντα μὴ ζελοῦν, πρὶν ἂν
θάνοντ' ἴδῃ τίς ——
Mortalibus omnibus clarè enunciat, vt discant
Eum qui beatus videatur, non beatum iudicare prius
Quàm viderint mortuum ——

Item in Troadib. —— è beatis

Neminem solidè felicem dicite, antequam extremum obeat diem. *Sophocles in Oedipo Tyranno:*
Proinde tu, quicumque mortalis satus, semper diem
Vltimum considera, atque neminem, antequam vltimum
Non dolore vllo fatigatus, nec ærumnis feris
Vitæ egressus terminum est, vnquam beatum prædica.

598 Diadema] *Græca vox, Hebræis* נֵזֶר *neser, quasi sanctificatam dicas: quod Reges sanctos esse deceat. hoc Imperatorem Cæsaremq. distingui, quod illi Diadema peculiare, tradit D. Athanasius in libris de Trinitate. Diadema (Latini* fasciam *vocant) regiæ dignitatis insigne est, vt ex lapidum inscriptionibus, & numismatibus patet, & fusè docet Pierius lib. 41. Hieroglyph. in prin. est etiam genus ornamenti feminei, apud D. Isidorum lib.*

lib.19.Origin.cap.31. ad terræ ornatum traduxit Alcymus Auitus:

Et naturali campos diademate pingunt.

602 Dacæ] *vide sup. vers.370.* Minanti] *malo Docos Parthis minatos, vt quid m.s.continent;* minati, *& sic Lugdunens. & ceteri omnes (ni fallor) præter Saxonicum exemplar. Dacæ Scythæ sunt, Parthi Scytarum exsules & profugi. Porrò multi vet. lib. hic:* Daci, *non;* Dacæ.

603 Mouentes cuncta diuitias] *sic omnes mei & Carionis m.s. sic excusi Herbip. tres Veneti, Basileenses, & Lipsienses. quorum auctoritas opponi potest vni illi Batauico codici & Badiano exemplari. Vult ipsum Imperatorem, qui Reges creët; quem flexo poplite metuunt & adorant populi, cuius arbitrio arma ponant Medi, Indi, Dacæ, Parthi: hunc ipsum, in tantâ potentiâ, ne minimo quidem temporis momento metus expertem degere; sed anxietate plenum pauidâ trementeq; manu sceptrum tenere; & timidè; metuentem semper ne quis eum de solio deturbatū opibus spoliet; diuitias summas, quamuis diuitiæ quiduis mouere, perrumpere, & debellare soleant, non sine curâ & amittendi metu, possidere. quia casus mobiles rerum, incertasq; temporis vices formidat. Quid hac mente rectius? illam qui approbant, cur non sapiunt?* Mouentes cuncta diuitias *vocat; quia nihil tam sanctum, quod non violari; nihil tam munitum quod non expugnari pecuniâ possit. Pythia Philippo respondit:* Argenteis hastis pugna, & omnia vinces. *& sapiens Æschylus:* Omnia aurum perfringit & perficit. *Aristodemus inquiebat:* Pecunia vir est: egenus verò nullus est bonus, neque honoratus. *hominum videlicet opinione. Menander;* Aurum omnia aperit etiam inferni portas. *Archidamus lib 1. Thucyd.* Et bellum ferè nō minus stat sumtibus, quàm ope armorum; per illos enim vtilia sunt arma, præsertim hominibus mediterraneis aduersus maritimos. *De pecuniæ vi hos Iambos ex Euripide versos Seneca epist. ad Lucilium inseruit:*

Sine me vocari pessimum, vt diues vocer.
An diues omnes quærimus, nemo an bonus.
Non quare, & vnde; quid habeas tantum rogant.
Vbique tanti quisque, quantum habuit, fuit.
Quid habere nobis turpe sit, quæris? nihil.
Aut diues opto viuere, aut pauper mori.
Bene moritur quicumque, dum lucrum facit.
Pecunia ingens generis humani bonum;
Cui non voluptas matris, aut blandæ potest
Par esse prolis, non sacer meritis parens.
Tam dulce si quid Veneris in vultu micat,
Meritò illa amores cælitum atque hominum mouet.

pulcri & culti versus, sed impÿ & nefarÿ, & qui meritò Euripidi noxæ.

611 Omne sub regno grau. regnum est] *verissimum. nam Ecclesiastes ille mortalium sapientissimus:* Si videris calumnias egenorum & violenta iudicia, & subuerti iustitiam in prouinciâ, non mireris super hoc negotio: quia excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores

 sunt

sunt alij: & insuper vniuersæ terræ rex imperat seruienti. *Eccles. cap. 5. & Dauid Psal. 81.* Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat. *vbi κατ' ἀναλογίαν Dij vocantur iudices & Principes huc etiā pertinet quod iudicibus à se constitutis ait Iosaphat Rex*: Videte quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini, & quodcunque iudicaueritis in vos redundabit. 2. *Paralip.* 19.

613 Hunc dies vidit] *Commodi temporibus Cleander Phryx è seruili conditione ad eum dignitatis gradum fuit euectus, vt & Imperatoris custodiam, & cubiculi curam, & militum præfecturam solus obtineret, & imperium animo iam ac spe deuoraret: is tamen leuißimo momento, cum dignitate, diuitiisq́, liberos insuper & vitam ignominiosißimè amisit: quod narrans Herodian. li. 1. subdit:* τοιούτῳ μὲν δὴ τέλει Κλέανδρός τε καὶ οἱ περὶ αὐτὸν ἐχρήσαντο, φιλοτιμησαμένης (ὡς ἄντις εἴποι) τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἐν ἑνὶ δεῖξαι, ὅτι ἐκ τῆς ἐσχάτης εὐτελείας εἰς τὸ μέγιστον ὕψους ἆραι, καὶ πάλιν τὸν ἀρθέντα ῥίψαι ὀλίγη, καὶ ἀνέλπιστος δυνάται τύχης ῥοπή. Hæc finis Cleandri fatorum fuit. quasi in vno illo veluti ambitiosius ostentaret natura (vt sic dixerim humana) posse ex infimo loco ad summum fastigium euehi hominem; atque euectum, dein rursum deturbari quamlibet exiguo atque insperato fortunæ momento. *Meritò Claudianus*:

Summis stare diu Parcarum lege negatur,
Magna repente ruunt, summa cadunt subitò.

619 Crastinum] *Euripides in Alcesti*:

Omnes mortales mortis trahit necessitas:
Nec quisquam est qui certo nouerit,
Num sit in lucem victurus crastinam.

Seneca ep. 92. Nemo altero fragilior est: nemo sui in crastinum certior. *Theognis*: —— οὐδὲ γὰρ οὐδεὶς
ἀνθρώπων ὅ τι νὺξ χ' ἡμέρα ἀνδρὶ τελεῖ.

Nouit enim nemo hominum, quid nox & dies viro perficiat.

IN ACT. IIII.

Narratio est crudelitatis, quam Atreus in fratris filios exercuit, & paratarum Thyesti epularum.

622 Turbo] *turbo celerior & concitatior est vento. de turbine Seneca libro 7. nat. quæst. cap. 9.* mira velocitas eius & mira breuitas est. *quid sit docet, inquiens*: efficit turbinem, plurium ventorum inter ipsos luctatio.

632 Effare] *Hinc chorus loqui incipit non à præcedenti versu, vt in vulgatis. paullo post Mogunt.* remittat *pro* remittet.

639 Quis sit, sed vter] *sic manusc. plerique, sic Herbipolens., duo Veneti & Lugdunens. in tertio Veneto eodem modo, nisi quod vitiosè,* fit, *pro* sit. *Moguntin.* Non quid sit, sed vter effa. *omißâ dictione,* quæro. *sine quâ ruit versus. vitiosè edidere Lipsien.* Quis, sed vter. *illa alia lectio clara & aperta, vacat caligine & nubilo. Non dubito (inquit) hoc scelus, quod horres referre, ab altero fratrum commissum; nullus enim ausit alius: sed ambigo vter illorum, æquè namque scelesti sunt.*

649 Se-

649 Seceſſu] *Lugdun.* receſſu. Arcana, *quia non omnibus ad illam acceſſus:* patet, *quia capax & patula, hoc eſt vaſta. Et quærunt, ſi arcana, quomodo patet? Reſponderat olim Bernardinus: Vltra loca illa omnibus patentia, alium eſſe ſecretiorem ſolis regibus conceſſum; qui* patet, *quia erat amplus, non quòd omnes ingrediantur. Arcana illa regia patula, ſed non in propatulo.*

651 Penetrare] *vbi Lararium & Dij Penates.*

657 Lapſis] *ſic Lipſienſ. ſed plerique lib.* laſſis. *non quæ corruerint iam, ſed quæ ruinam minantur.* 662 Tiaras] *tiara. Valer. Flaccus lib.6.*

Subligat extremâ patrium ceruice tiaram.

Iuuenal. Phrygia veſtitur bucca tyarâ. *vbi Schol.* Tyara galea ſacerdotis eſt, quæ per malas veniens mento ſubligatur. Tyara eſt Phrygiũ quod dicunt. 670 Emiſſa buſtis turba] *ſæpe apparere defunctorum animas, nec illuſorias omnes huiuſmodi apparitiones, & quomodo veræ à falſis aliquatenus dignoſci queant, docerem; niſi id præſtitiſſet, noſter Pet. Thyræus in Theſibus fuſiſſimis de apparitione ſpirituum, quæ ante annos aliquot Moguntiæ editæ; & eâ de re nos fortaſſis aliâs.*

680 Adito] *Moguntin.* abdito.

686 Purpurea] *quia regales victimæ, Thyeſtæ filij.*

687 Salſa] *Eguian.* fusâ. *& ſic vnus Venet. & Herbipolenſ.*

694 Accendit] *Mogun.* attendit. *nimirũ illa obſeruat omnia, quæ in extiſpicio ſolita, vt doctũ in Oedipo. Herbip.* atcendit. *hinc ceteri excuſi;* accendit. *prima enim earũ quas vidi impreſſionũ illa Herb. & ante annum 1500.*

695 Lucus] *nam & hoc ominoſum. Tibullus lib. 2.*

Atque tubas, atque arma ferunt ſtrepitantia cælo
Audita, & lucos præcinuiſſe fugam.

de lucis creditum potiùs, quàm aliis ſiluis, quia illi ſacra nemora.

697 Læuo æthere] *cæli parte ſiniſtrâ. nam in Græciâ hæc gerebantur. & Græci ſiniſtra omina à ſcæuâ de cælo dari, Romani à dextrâ putabant. Cicero lib.2. de Diuinat.* Quæ autem eſt inter augures conueniens & con- ‟
iuncta conſtantia? ad noſtri augurij conſuetudinem dixit Ennius: ‟

Cùm tonuit læuum bene tempeſtate ſerenâ. ‟

At Homericus Aiax, quærens apud Homerum de ferocitate Troiano- ‟
rum, neſcio quid hoc modo nunciat: ‟

Proſpera Iuppiter his dextris fulgoribus edit. ‟

Ita nobis ſiniſtra videntur, Graiis & Barbaris dextrâ meliora. *Memoria* ‟
labitur. non enim Aiax, ſed Vlyſſes dixit lib.9. Iliad.

Ζεὺς δ᾽ ἐ σφὶν κρονίδης ἐνδέξια σήματα φαίνων
ἀστράπτει. Iuppiter autem ipſis Saturnius dextera ſigna oſtendens fulgurat. *Hinc apparet cur Cicero 3. de legib.* Magiſtrum populi aue ſiniſtrâ *dici voluerit. ſcilicet quia hæc Romanis bona. vnde Ennius de Romuli augurio:* Exin candida ſe radiis dedit icta foras lux,
Et ſimul ex alto longè pulcherrima præpes
Læua volauit auis. *& Cicero, in Mario:*
Partibus intonuit cæli pater ipſe ſiniſtris.

Romani hac in re disciplinam Hetruscam sunt secuti, vt docet Festus in sini-strææ aues. *& causam refert Dionys. Halycarnaß. lib. 2. Orig. Cur ergo Cicero in lib. de Diuinat. ad Comitia negauit bonum auspicium, sinistrum fulmen? sanè nescio: nisi, quia in mendaciis & ritu fallacißimo nulla constans veritas. Illud addo, hanc Græcorum & Romanorum dissensionem, imaginariam tantum fuisse; nam vtrisque ab Oriente signa secunda, ab Occasu infelicia. sed illis Oriens ad dextram, his ad scæuam quod paucis docebo. Geographia & philosophia melior dextram cæli partem Orienti, sinistram tribuit Occidenti: eo quòd naturalis nutus viuentium à dextrâ cœptus ad sinistram fertur; cæliq́ pars dextra Oriens, sinistra Occidens vocetur, & sol quotidie cõmuni cælorum motu rapidißimo, hunc cursum diurno curriculo conficiat, vt Plinius & Higynus obseruarunt. eaq́ Pythagoræ, Platonis, Aristotelis, Ptolomæi, Calcidij & aliorum sententia fuit. Iccirco cecinit Orpheus, Solem cùm dexter est, Auroram; cùm læuus, Noctem gignere: hoc est (vt rectè Parrhasius) ab ortu diem, ab occasu noctem producere. Iccirco Seuerianus prodidit, à Deo in Orientali plagâ Solem, in Occiduâ Lunam fuisse creatam: & Claudianus lib. 2. de raptu, fingit à matre Phœbum dextro lacerto, Dianam sinistro portari. Et his antica pars Septentrio, postica Meridies: quæ Græcorum & Barbarorum sententia est verosimilior. Sed Astronomi, quia non vt Geographi ad polarẽ stellam respiciunt; sed Meridiẽ potius inspiciunt, vt stellarum Planetarumq́ motus notent; Mundi læuam Orienti, dextram Occidenti, Septentrionem posticam, Austro anticam aßignant. Sed & Hetrusci, & ex eorum disciplinâ (teste Varrone) Romani; quia ipsis in augurio captando dextra cæli pars ab Occasu, sinistra verò ab Ortu esset, & antica ad Meridiem, postica ad Septentrionem, vt auctores sunt Varro & Plinius: factum vt læua vocarent exortiua, dextra verò occidua; & illa secunda, ista aduersa putarent. Interdum dextri & sinistri vocabulum accommodatur Austro & Aquiloni. Solebant enim Romani in Auguriis captandis ita sedes deligere, vt licet anteriori corporis parte ad Meridiem versi essent (hæc enim antica) tamen faciem versus Orientem deflecterent, vt docet Dionys. d. lib. 2. sicq́ Orientem aspicientibus, Oriens anticus, Occidens posticus, Borealis cæli pars erat dextra, Australis verò sinistra, consideratâ non corporis eorum, sed cæli situs ratione. & sic vti his nominibus Pythagoram, Platonem & Aristotelem Galenus testatur, sic etiam Empedocles & Cleomedes: & sic Lucanus de Arabibus:*

Vide Pier. lib. 3. Hieroglyph. Turneb. li. 18. aduers. cap. 15. quorũ ille fusius hic breuius, vterq. obscurè.

Vmbras mirati nemorum non ire sinistras.

quia, vt Solinus scribit: vmbræ quæ nobis dextræ, illis sinistræ. *In felici enim Arabiâ vnde venerant, vmbræ (vt rectè Dodonæus c. 4. Sphæræ) æstiuo solstitio in sinistram, hoc est Meridiem cadunt: in Italia & citeriore Ægypto semper in dextram siue Septentrionem. Sed si te conuertas ad partem occiduam, tunc cæli pars Aquilonaris erit sinistra, Australis dextra, atque ita vocasse Ægyptios testatur Galenus; & sequi videtur Festus, quando cæli anticam partem vocat dextram, posticam sinistram. Nam Romanis antica Australis. Hæc vera quoad cæli situm. Nam quoad nostram positionem, nobis ad Occasum conuersis, nostræ dextræ respondet Septentrio, sinistræ Meridies:*

contra

contra conuersis nobis ad Orientem, sinistræ Aquilo, dextræ opponitur Auster. Quare Hebræi, qui ad Ortum faciem conuertebant, Austrum seu Meridiem, per dextrum significant. vt Psal.88. versu 12. vbi Deus dicitur creasse צפון וימין *hoc est, vt D. Hieron. vertit,* Aquilonem & dexterum; *siue, vt Felix*, Aquilonem & Meridiem; *& Paraphrastes Chaldæus*, desertum Aquilonis habitatorésque Austri. *Et in idem incidit, quod Septuaginta reddunt*, τὸν βορρᾶν καὶ τὴν θάλασσαν; *& nostra vulgata*; Aquilonem & mare. *mare enim Hebræis* ים *seu maria* ימים *addito dages, sumitur pro* ימין, *Meridie, vt Psal.106. versu 4.* A solis ortu & occasu, ab aquilone & mari. *Non solum, quia mare mortuum illis ad Austrum, quod homini docto visum; sed etiam, quia in Australi cardine proprius Oceani locus, vt rectè Genebrardus. Vnde conijcere nequeo cur alius Reuerendiss. & doctiss. vir in d. Psal.*88. mare, *interpretetur Occidentem.*

699 Libata] *frequens in sacrificiis libationum vsus: eaq; vt plurimũ ex puro vino (purum, quod nec spurcum, nec aliâ labe, sordibúsve impuratũ) aliquando, aquâ, vel lacte. de prodigio vini in sanguinem mutati, dixi in Oedip.*

701 Fleuit in templis ebur] *docet hoc & similia prodigia esse naturalia, Plutarchus in Coriolano:* ἱδρῶντα μὲν γὰρ ἀγάλματα φανῆναι καὶ δακρυῤῥοοῦντα, καὶ τίνας μεθιέντα νοτίδας αἱματώδεις, οὐκ ἀδύνατόν ἐστι. καὶ γὰρ ξύλα καὶ λίθοι πολλάκις μὲν εὐρῶτα συνάγουσι γόνιμον ὑγρότητος, πολλὰς δὲ χροιὰς ἀνιᾶσιν ἐξ ἑαυτῶν καὶ δέχονται βαφὰς ἐκ τοῦ περιέχοντος. οἷς ἔνια σημαίνειν τὸ δαιμόνιον, οὐδὲν ἂν δόξειε κωλύειν. δυνατὸν δὲ καὶ μυγμῷ καὶ στεναγμῷ ψόφον ὅμοιον ἐκβάλλειν ἀγάλματα, κατὰ ῥῆξιν ἢ διάστασιν μορίων βιαιοτέραν ἐν βάθει γενομένην. ἔναρθρον δὲ φωνὴν καὶ διάλεκτον οὕτω σαφῆ καὶ περιττὴν καὶ ἀρτίστομον ἐν ἀψύχῳ γενέσθαι πάντα πᾶσιν ἀμήχανον· εἰ μηδὲ τὴν ψυχὴν καὶ τὸν θεὸν ἄνευ σώματος ὀργανικοῦ καὶ διηρμοσμένου μέρεσι λογικοῖς γέγονεν, ἠχεῖν καὶ διαλέγεσθαι. Sudare simulacra & lacrimari, guttásque sanguinolentas emittere, non id quidem omnino fieri non potest. Ligna enim lapidésque sæpe rubiginem contrahunt, quæ in liquorem dissolui possit: colores ex sese edunt varios, aut inficiuntur ab eo, quod est circũpositum: quominus etiam aliquid iis Dij nonnunquam portendant, nihil videtur obstare. Edere etiam sonitum, gemitus suspiriique assimilem possunt, cùm interiores eorum fortè partes rumpuntur, aut violentiùs à sese diducuntur. Articulatam verò vocem, itaque expressam & integram, & quæ intelligi omnino possit, ab inanimato corpore edi, creditu est perquam durum: quãdo neque Deus, neque anima, sine corpore, instrumentis & partibus animi capacibus, aptè loqui possit.

696 Regium decus] *Diadema.*

703 Deos] *Basileens.* Deas. *quod de Eumenidib. foret intellig.*

716 Primus locus, ne] *sic mei manusc. omnes, etiam Moguntinens. & sic Herbipol. & Veneti duo. & Lipsiens. Alij habent:* Primus pietati ne. *quod non placet. nam versus non patitur.*

717 Tantalus] *hic celebris illius Tantali pronepos; cui Clytemnæstra, antequam Agamemnoni nuberet, fuerat desponsa, cuius etiam ossa Argis*

in cippo quodam asseruabantur. Pausan. in Corinthiac.

719 Stetit] Sollemne victarum verbum.

722 Commisit] non prius premere & fodere desiit, quàm penitus demerso ferro manum iugulo apprimeret. Eguian. manus.

723 Hac parte an illâ] nam & hoc extispices obseruabant. lege Brisson. lib. 1. de Formul. & hunc locum adde.

728 Querulum] superius Med.ver.361. idem diximus de Orpheo & hic locus Senecæ ex illo (quem ibi citauimus) Ouidij videtur desumtus. sed hæc ex vulgi opinione dicta. nam, vt præcisâ arteriâ & sine pulmonis motu, truncatum caput loquatur, fieri nō posse docet Aristot. li.3. de partib. animal. cap. 10.

730 Pueróne] tres ergo nepotes ex fratre iugulauit.

732 In cæde multa victor] Mog. In cęde multa meat victor. superfluè.

738 Fureret] Moguntinens. Herbipolens. & Veneti; rueret. ijdem mox; exstitit. vtrumque germanum.

742 Vtrumque] pectoris & dorsi.

746 Obiecit feris] crudelissimum veteres indicabant cadauer feris obijcere, vel arcere sepulturâ, vt alibi docui, & postea fusiùs Guichiardus lib. 1. de Funeribus cap. 3. fortè quia ex Platonis opinione centū annis insepultorum vmbræ errare credebantur, neque à Charonte in cymbam recipi. Vnde Virg. Æn. 6. Hæc omnis quam cernis inops, inhumatáque turba; quibus ideo ait: Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta
Transportare prius, quàm sedibus ossa quierunt.
Centum errant annos volitántque hæc litora circum:
Tum demum admissi stagna exoptata reuisunt.

Tertullianus in lib. de animâ: Creditum est insepultos non antè ad inferos redigi, quàm iusta perceperint, secundùm Homericum Patroclum funus in somnis ab Achille flagitantem: quòd non aliàs adire portas inferorum posset, arcentibus eum longè animabus sepultorum. Non ergo inuentor Plato huius delirij; sed fortè Homerus, quem cæcum mirum non est à vero deflexisse. nam visu carentes magna pars veri latet. Ideo etiam Lucanus lib. 1. ——— Vmbráque erraret Crassus inultâ.
erraret, non quia inultus, sed quia insepultus. nam insepulti errabant, inulti vexare tantum occisores credebantur, qua de re dicā in Octau. ideo sup. in Oed. Laius, nō queritur errare se, quia sepultus; sed minatur occisori, quia inultus:
Te, te cruentâ sceptra qui dextrâ ger s,
Te pater inultus, vrbe cùm tota petam. &c.
hæc Lucani interpretibus separanda. Tanti ergo veteribus sepultura, vt nec maleficis putarent denegandam. Nam Hebræis disertè Moses vetuit, vltra vnum diem cadauer in patibulo relinquere, Deuteron. 21. & meminit Iosephus lib. 4. Antiquitat. cap. 6. ideo fortè tam solliciti Iudæi, ne corpus Domini & latronum cadauera sabbato in cruce permanerent, quia cùm magnus ille dies esset, eo tollere non potuissent, & sic vltra præscriptum in ligno mansissent. Ioan. 20. Græcis præter humanum morem visus facere Creon, cùm Polynicis ca pus in sepultum relin q ui iussisset, apud Eurip. in Phœn. Sophoclem

in-

in Antig. & Statium extremâ penè Thebaid. Apud Romanos etsi cadauera damnatorum petebantur ab amicis ad sepulturam, negari tamen non poterãt. l. 1. & vlt. D. de cadauer. damnat. l. obnoxios C. de religios. & sumt. fun. In Braccarensi concilio primo, statuitur, vt non contriti à sepulturâ arceantur: sed si confeßi fuerint & egerint pœnitentiam, non arceri voluit secundùm concil. Moguntinum, vt refertur c. quæsitum. 11. *q.* 2. *& c. placuit* 23. *q.* 5. *Hodie tamen singulæ prouinciæ suis hac in re moribus vtuntur. Nec desunt homines, nescio quàm impiè de corporum resurrectione sentientes, quibus in animo & ore, illud Mecœnatis apud Senecam epist.* 93.

Nec tumulum curo, sepelit natura relictos.

749 Nec soluat] *sic Lugdunen. & plerique excusi; sed Lipsiens. & mei m. s.* Ne soluat. 751 Sub hoc] *deest Mogunt.*

754 Erepta] *multi m. s.* eiecta. *alterum malo.*

755 Spirántque] *Mogunt.* strepitántque. *num?* trepidántque. *sequitur autem pulcra descriptio extispicinæ, quam confer cum iis, quæ in Oedipo.*

759 Epulis] *ideo vocatur ab Attio*; epularum fictor, scelerum fratris delitor. 763 Datas fidei] *Vide Med. versu* 248.

765 Flammatus latex] *apud Euripidem in Cyclope parantur Polyphemo* elixa & assa. *Valerius Flaccus de Argonaut. in nuptiis Medeæ:*

Pars verubus, pars vndanti despumat aheno.

770 Gemant, gemuere] *vidi postea in Moguntinens. sic haberi, & sic omnes excusi; & tolerari potest, etsi aliam lectionem præferam.*

776 Ruptum] *duo manusc.* raptum.

777 Lancinat] *solus Mogunt. ex lib. scriptis*; laceret. *Herbipol. & Veneti*; laniat. *probum tamen*; lancinat, *qua voce vsi Plinius, Prudentius, Seneca, & alij. sup. vsus verbo*; lacerat, *eodem sensu*: liberos auidus parens

Gaudénsque laceret, & suos artus edat.

783 Cursus] currus *Mog. Herbipol. & Veneti.*

787 Patefient] *sic ceteri meliùs, quàm N. qui*; patefiant.

In chorvm.

Obstupefactus subitâ lucis meridianæ obscuratione, queritur mundi vicem; cui iam nutantibus, & officij sui oblitis sideribus, antiquum chaos instare metuit, & auguratur. Multa hic astronomica occurrunt; quæ attingam, quâ ad mentem poëtæ eruendam necessaria.

788 Terrarum] *hominum in terris degentium, metonymicè.*

790 Decus] *sidera & stellæ.*

793 Nondum] *quid (inquit) causæ est, cur nondum noctis tempus cùm aduenerit, iam nox sit? cur medio die, abest dies?*

799 Tertia misit] *nondum datum signum vltimæ partis diei. singulas olim vigilias noctis, tubæ vel buccinæ signo indicatas docent Liuius lib.* 7. *& Vegetius lib.* 3. *idem fiebat interdiu, & ipse dies in totidem partes distinguebatur, in quot nox. Quómodo accipiendum illud Lucani lib.* 2.

——neu buccina diuidat horas. *Et has partes, docente naturâ, Gallinaceos*

naceos prænūnciare videmus. Plinius li. 10. quos excitandis in opera mortalibus, rumpendóque somno natura genuit. norunt sidera & ternas distinguunt horas interdiu cantu. *Democritus putat accidere, quòd cùm calidißima natura sit animal, citò cibum decoquat, eoq; toties à pectore in omne corpus distributo, cantu famem testetur, teste Ciceron. in lib. de diuinat. Aliò poëtæ referunt, vt Ausonius:*

——— ter clara instantis Eoi
Signa canit serus, deprenso Marte, Satelles.

Contra Mariangelum in Diatri. *nempe gallinaceus ales, non vt volunt coruus.* * *hic enim Phœbi, non Martis ales; etsi coruo idipsum Sidonius tribuere videtur:* Oscines (inquit) coruos voce triplicatâ puniceam Auroræ surgentis faciem consalutantes. *sic enim lego, vel;* facem. *nam qui* vocem, *reposuerunt, illi malas Apollinari,* Vide Troad. 437. *sublatâ luce, tenebras reliquerunt. Singulæ ergo partes diei Græcis quattuor horarum, si dies in tres partes diuidebatur. Hebræi & Romani in quatuor stationes diem (sicuti noctem in quatuor vigilias) distribuebant, & singulæ stationes erant horarum trium. prima à diluculo incipiebat; secunda à finitâ hora tertiâ diei; tertia, à diei sextâ exactâ; quarta, à confectâ nonâ. vt docet Cornel. Iansenius in Concordant. Euang. at Græcorum prima statio inchoabatur ipso diluculo, secunda, ab horâ quintâ: tertia ab octauâ finitâ, & incipiente nonâ. Sensus ergo, nondum nona est diei hora; supersunt adhuc horæ diurnæ plusquam quatuor.*

816 Roscida] *Moguntin.* torida. *Lugdunens.* rosida. *ceteri;* roscida.

819 Mergere ponto] *Hispani veteres fabulantur apud Cleomedem li.2.* Solem se Oceano mergentem quendam strepitum edere exstinctum, qualem à ferro candenti aquæ immerso fieri videmus. *Poßidonius quoque apud Strabonem lib. 1., vt vulgi fabulam refert apud sacrum promontorium, in extremâ Hispaniâ, solem occidere & magnum edere strepitum, quasi si mare strideret sibilarétque, Sole dum in fundum defertur exstincto. Huc allusit Ausonius ad Paullinum scribens:*

Stridebátque freto Titan insignis Ibero.

Confirmant eam fabulam Anaxagoras, Democritus, & Metrodorus qui Solem ferrum ignitum, aut lapidem flammâ succensum existimant: nec procul abit Xenophanes, qui Solem & Lunam nubes igneas esse censet: nec ij, qui rotam accensam, vnâ in parte apertam, & inde flammas vomentem. maxima enim de Solis & Lunæ, vt magnitudine, ita & substantiâ & figurâ, veterum dissensio. Vide Theodoretum lib.4. contra Græc. affect. col.4. & Ioann. Stobæum in Eclog. Physic.

821 Auroram] *sic dicta temporis Dea, quia ortum Solis antecedit. nam, vt ait Varro,* ab igne Solis aureo tum aër aurescit. *Ait: Miratur Sol occidens, assuetus apud Iberos nocturnum hospitium subire; nunc se ab Indis inuitatum & exceptum, quibuscum prandere & ientare, non cœnare solebat.*

823 Tenebrásque] *Iubet Sol meridianus abiens, tenebras ante tempus sibi succedere: quare Noctem imparatam, & nocturno labori, per diurnam quietem, se præparantem, semisomnem stratis expellit. cui tamen surgenti, & filias*

filias vocanti, natæ, astra, non obtemperant vt solent, nec matris currum sequuntur: Luna quoque non prodit è thalamo suo. ita densissimæ tantùm tenebræ sunt. nullâ Lunæ, nec siderum luce conlucatæ.

Parata] *sic Moguntinens. Eguian. Herbipolen. Veneti, & Basileens. primus M.* peractâ *intrusit. mendosè.*

825 Graues vmbras] *non lucet. ideo nullas vmbras facit. nam sine luce nulla vmbra.* Graues, *hoc est, noxias & corporibus minus salutares quàm solares vmbræ. Poëtæ vmbram positiuum quid, non lucis priuationem esse volunt: & fuit illa sententia Procli in lib. de mundi æternitate. Et reuera non est vmbra vlla sine aliqua entitate reali, licet valde imperfecta, recepta ab illo luminoso corpore, cuius est vmbra: Tamen quatenus prouenit à corpore opaco, mera tantùm priuatio est, vt docet Pererius noster in phys. lib. ad tertium argum. Procli.* 827 Trepidant, trepidant] *sic plerique m. s. & veteres impressi. minus rectè Lugdun.* trepidant nostra.

835 Dux astrorum] *Plinius*: Sol non modo temporum terrarúmq. sed siderum etiam ipsorum, cælique rector.

838 Timores] *quos inducunt & augent tenebræ, minuit lux lunæ.*

840 Curuo breuius] *Lunæ namque menstruus, annuus Solis cursus. huius loci fortè memor Boëtius, cecinit:*

Tu frondifluæ frigore brumæ,
Stringis lucem breuiore rotâ.
Tu cùm feruida venerit æstas,
Agiles noctis diuidis horas. Sui fratris] *Eguian.* suis, fratris.

842 Turba Deorum] *siderum, elementorum, mundiq́, quæ omnia Deos censebant Stoici, vt apud Ciceronem disserit Lucilius Balbus.*

843 Hic qui sacris Peruius astris] *sequitur Zodiaci descriptio, cui nomen hoc ab animalibus, quorum in eo signa: vnde &* Signifer. *de quo Aristoteles lib. 2. de generat. Cleomedes 1. Meteor. Proclus de Sphera, Aratus, & eius interpretes in Phænom. Manil. lib. 1. astronom. Virg. 1. Georg. Ouid. 2. Metam. & Lucanus lib. 9. Plinius li. 2. c. 4. 8. 16. & 77. Iulius Firmicus lib. 2. astron. c. 1. Hyginus lib. 1. cap. de Zodiaco & Macrob. lib. 1. in somn. Scipion.*

Peruius astris sacris] *quia per illum decurrunt Sol & Luna; vel quia per illum duodecim illa signa* exercent varias naturæ lege choreas, *& singulis singula numina Pythagorici præficiebant, teste Marsilio Ficino li. 4. Theolog. Platon. ex quâ sectâ Manilius lib. 2.*

Lanigerum Pallas, Taurum Cytheræa tuetur,
Formosos Phœbus Geminos, Cylleniu' Cancrum:
Iuppiter at cum Matre Deûm regit ipse Leonem.
Spiciferæ est Virgo Cereris; fabricatáque Libra
Vulcano: pugnax Mauorti Scorpius hæret.
Venantem Diana virum, sed partis equinæ
Atque angusta fouet Capricorni sidera Vesta.
At Iouis aduersum Iunonis Aquarius astrum est,
Agnoscitque suos Neptunus in æquore pisces.

844 Obliquo tramite] *ideo obliquus vel inflexus solet vocari. Virgil. 1. Georg.* ——— & via secta per ambas
Obliquus quâ se signorum verteret ordo.
Ouidius 2. Metamorph.
Sectus in obliquum est lato curuamine limes.
Manilius 1. astronom.
Sic per tres gyros inflexus ducitur orbis.
Obliquus autem, quia cum æquinoctiali & tropicis facit obliquos angulos, & semper eius aliqua signa obliquè in vtraque sphera oriuntur & occidunt. Et reuera, si non ad proprios, sed ad totius mundi polos respicias, ab iis inæqualiter distat. Eam obliquitatem primus deprehendit Pythagoras, licet sibi laudem Chius Oenopides conetur ascribere, teste Stobæo in Physic. Eclog.

Zonas] *fascias quinque siue cingula, quibus terras, cælumq; astringi quodammodo, vel scindi aut diuidi fingunt, polares duas algidas, æquinoctiali vicinam torridam, & medias temperatas. vide Herc. Fur. 1437.*

845 Longos] *ad differentiam annorum Solarium, qui duodecim ferè mensibus perficiuntur. Sed quis hic longus annus? puto non ille magnus Platonicus, quia cur hunc tribuat Zodiaco? sed potiùs spacium triginta sex millium annorum communium; quo, iuxta Ptolemæum, nona sphæra & inferiores ab Occidente in Orientem mouentur. quam periodum & circumuolutionem tribuit Zodiaco. quia motus iste non super mundi polos, vt diurnus; nec super vertices correspondentes arieti & libræ, secunda sphera, vt ille quem vocant trepidationis; sed super ipsos Zodiaci polos fit.*

Signifer] *nunc ordine incipit recensere Zodiaci signa, de quibus actum ex Q. Cicerone Herc. Oetæi act. 1. & Manilius lib. 1.*
Aurato princeps *Aries* in vellere fulgens
Respicit admirans aduersum surgere *Taurum*,
Summisso vultu *Geminos* & fronte vocantem,
Quos sequitur *Cancer*, cancrum *Leo*, *Virgo* leonem.
Æquato tum *Libra* die cum tempore noctis
Attrahit ardenti fulgentem *Scorpion* astro;
In cuius caudam contentum dirigit arcum
Mixtus equo, volucrem missurus iamque sagittam.
Tum venit angusto *Capricornus* sidere flexus.
Post hunc inflexam defundit *Aquarius* vrnam,
Piscibus assuetas auidè sitientibus vndas;
Quos *Aries* tangit claudentes vltima signa.
In Appendice Virgilianâ. XII. *scholasticorum poëtarum descriptiones leguntur: quas cum inuicem, & cum hoc Senecæ choro, & citatis Q. Ciceronis & Manilij versibus, non erit inutile conferre. his signis primus imposuit nomina Cleostratus, teste Plin. li. 2. c. 8. multa de illis Sex. Empyricus aduers. Mathemat. cap. 21.* 848 Reddit Zephyro] *ineunte vere rursus vult nauigare, sed tamen iterum mergetur. alludit ad Phryxi fabulam, de qua alio loco. Zephyrus calidus est, vtpote naturam aëris habens. vide Aristot. lib. 2. Meteor.*

Non-

Nondum benigno vere] *hoc dicit propter Martij asperitatem & inclementiam. Poßis etiam melius explicare, quod Aries reddit Zephyro vela, hoc est, Zephyrum flare iubet, quo flante nauigationis tempus aperitur. nam astrologi volunt astra ventis imperare.*

848 Aries] *longum foret omnes de singulis his signis fabulas referre. indicabo fontes, vnde curiosi sitim suam expleant. legendi, de ariete Schol. Apollonij lib. 2. Higynus lib. 2. astron. c. de ariete. Lucianus in astrolog. Galenus in Orat. suasoria ad artes, Plinius lib. 2. cap. 8. 16. 19. & lib. 18. cap. 24. & 25.*

851 Taurus] *de hoc dictum ad Herc. Fur. de Hyadibus & Pleiadibus ad Medeam. Vide Ouidium lib. 5. Fast. Higynum d. lib. 2. cap. de tauro, Plinium lib. 2. cap. 16. & 42. & lib. 18. cap. 28.*

852 Geminos] *siue hi Castor & Pollux, siue Iason & Triptolemus, siue Hercules & Apollo, vt ambigunt Higynus & Ouid. dictis libris, Bassus in Phænom. in signo Geminorum, Plinius lib. 18. Nat. hist. cap. 24.*

853 Cancri] *de hoc Higynus cap. de Cancro, & Calpurnius in illud Germanici:* Quâ media est Helice subiectum respice Cancrum. *& Plinius lib. 2. cap. 16. & 19. & lib. 18. cap. 25, 26, 28, & 35.*

854 Leo] *de hoc Higyn. & Bassus ille cap. de Leone ad ista Germanici:*

Horrentésque iubas & fuluum cerne Leonem:
Hunc vbi contigerit Phœbi violentior axis,
Accensa in Cancro iam tunc geminabitur æstas:
Tunc lymphæ tenues, tunc est tristissima tellus.

ideo noster ait æstibus flammiferis ardere. Maximianus:

Æstifer inde Leo sequitur cum Virgine fulgens.

Vide Macrobium lib. 1. Saturnal. cap. 21. & Plinium lib. 2. cap. 49. & lib. 18. cap. 24. & 28.

Iterum] *semel deciderat ex Lunari globo in montem propè Nemeam, vt testantur Nigidius, & Arati Latinus interpres, & Luctatius in lib. 2. Thebaid. & Claudianus in præfat. ad Florentin. ideo Callimachus & Pindarus nuncupant ἀπέζαντα. videantur quæ dixi ad 83. Herc. Fur.*

856 Virgo] *Astræa: & hoc explicui. consule Aratum, Germanicum, & eius interp. Higynum cap. de Virgine, & Plinium lib. 2, cap. 16.*

857 Iustæque Libræ] *Lucan. lib. 4.* ——ad iustæ pondera Libræ. *iam dixi, Noctes illam diebus æquare.* Iugum, *vocat Cicero lib. 2. de Diuinat. Higynus c. de Scorpio, docet hoc sidus propter magnitudinem in duo signa diuidi, & vnius figuram vocari libram; eam intellige, quam chelæ seu brachia extensa figurant, vt indicat Bassus ad illud Cæs. Germanici:*

Insignes cælum perfundunt lumine chelæ.

Libram Eusthenius vocat, momentum; *Basilius,* trutinę speciem; *Euphorbus,* æquale iugum. *Cùm verò sit pars Scorpij prior, meritò dicit noster;* secúmq; trahent. *vide Plin. lib. 2. cap. 16. & 19. lib. 18. cap. 24, 25, 26.*

858 Scorpion] *Latinis,* Nepa. *Asclepiadeus, poëta Scholasticus (nam nomen hoc etiam Poëtis, & Oratoribus olim tributum, nec recens aut Barbarum à Theologis excogitatum, vt ineptè quidam garriunt) ipsum Scorpium*

vocat

vocat Chelas; *cùm tamen confundi non debeant*, Chelæ *&* Nepa. *nam* Chelæ *etsi, vt dixi, quasi pars quædam videantur* Nepæ; *tamen duo diuersa sunt signa.* Chelæ *namque ipsum* Libræ *signum. Aratus*:

παρθένος αἰδ᾽ ἐπὶ οἱ χηλαὶ καὶ σκόρπιος αὐτός.
Virgo & prope eam Chelæ, & Scorpius ipse.

Videndi Bassus d. loco, Higyn. cap. de Scorpio, Firmicus lib. 2. cap. 12. Plinius lib. 18. cap. 24. & 26. ascribam solius Nicandri locum ex Alexipharm.

τὸν δὲ χαλαζήεντα κόρη Τιτηνὶς ἀνῆκε
σκορπίον ἐκ κέντροιο τεθηγμένον, ἦμος ἐπέχρα
Βοιωτῷ τεύχουσα κακὸν μόρον Ὠαρίωνι,
ἀχράντων ὅτε χερσὶ θεῆς ἐδράξατο πέπλων.
αὐτὰρ ὅ γε στιβαροῖο κατὰ σφυρὸν ἤλασεν ἴχνευς
σκορπίος ἀπροΐδης, ὀλίγῳ ὑπὸ λαϊ λοχήσας.
τοῦ δὲ τέρας περίσημον ἐν ἄστρασιν ἄπλανες αὔτως,
οἷα κυνηλατέοντος, ἀείδελον ἐστήρικται·
At verò algificum Titania virgo creauit
Scorpion, armatum stimulo, caudáque timendum,
Bœoto pœnas ex Oarione reposcens,
Sacram auso manibus vestem temerare Dianæ:
Qui latitans parui cæco sub fornice saxi,
Duram improuiso violauit vulnere calcem:
Cuius ob id, tanquam venantis in astra relatum
Sidus, & immotum magno fulgore coruscat.

quo loco mox Nicander octo scorpiorum genera describit, vulgò satis ignota:

860 Pennata senex] *de sidere Centauri siue Sagittarij, multa vobis Bassus in Germanicum, Higynus cap. de Sagittario, Ouid. 5. Fast. Plin. li. 2. c. 8. & lib. 18. c. 29. Firmicus lib. 2. cap. 12. & Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 21.*

862 Referens hiemem ægoceros] *primum sidus hiemale Capricornus; cur in astra relatus, varia memorant Higynus c. de Capricorno, & Bassus in Germanicum, Macrob. d. cap. 21. & Plinius lib. 2. cap. 16. & 19. necnon lib. 18. cap. 25. Euphorbus vocat* Neptuniam prolem, *fortassis quia mediâ parte piscis; aut ad occultam aliquam fabulam respiciens.* 865 Quisquis es] *de Aquario, vide Higynum in ca. de Aquario, & Bassum d. loco. Catullus vocat* Hydrochoon; *Hilasius*, Vrnigerum; *Iulianus*, aquæ fusorem; *Palladius*, aquæ gestatorē; *Asclepiadius*, nimbiferū; *Maximianus*, cui nomen aquæ faciunt; *Vitalis*, fundentem amnem; *Vomanus*, Deucalionis aquas; *Euphorbus*, quíque refundit aquas; *Basilius Scholiasticus poëta (cuiusmodi &, præter Catullum, reliqui qui præcessēre)* Quíque vrnam gerit. *Manilius & Q. Cicero, suo nomine*, Aquarium; vrnam qui tenet, *Ausonius, &* iuuenem qui regit aquas, *Ouidius 1. Fastor. de hoc sidere etiam Macrobius d. cap. 21. & Plinius lib. 18. cap. 24. & 26.*

864 Tecum excedent] *sic Venet. & Lipsiens. & alij, rectè. at Lugdunens. cum Eguiano*; excident. *sed tum versus nutat. fortassis*; tecúmque cadent. *de subitâ enim ruinâ mundi agitur.*

865 Vltima] *Euphorbus*: —— & Pisces vltimus ordo. *Vomanus*: —— Pisces postrema figura. *Asclepiadius*: —— Piscésque nouissima forma. *Palladius*: Piscésque supremi. *loquuti omnes ad normam antiquorum, quibus anni initium à vere. Quà causâ, in cælo Pisces, narrant ex Nigidio Bassus, & ex Diogenite Brithraco Hyginus, & elegantiss. Ouidius lib. 2. Fastorum. Videndi præterea Macrob. d. cap. 21. & Plinius cap. 16. li. 2. cap. 26, 31, 35. lib. 18.*

De Boote, Vrsis, *&* Angue *multa nos alibi, & plura Bassus in Germanicum, & Higyn. d. lib. 2. Item de* Angue *Firmicus lib. 8. cap. 17. De* Vrsâ vtraque *Ptolomæus lib. 7. Almagest. & tracta. 1. quadri. Manilius lib. 1. & Plinius lib. 2. cap. 42. & 72. & lib. 6. cap. 22. De* Boote, Arturo, seu Arctophylace, *Ptolomæus d. lib. 7. Manilius li. 1. & 5. Firmicus c. 14. lib. 8. Plin. d. cap. 42, 49, 62. lib. 7. & lib. 8. cap. 47. lib. 17. cap. 18. li. 18. cap. 24, 27, 28, 29, & 31. Quæ signa, & reliqua hic non enumerata, sic breuiter Ausonius complectitur:* Ad Boreæ partes Arcti iunguntur, & Anguis,

Post hos Arctophylax, paritérque Corona, Genúque
Prolapsus, Lyra, Auis, Cepheus ac Cassiopeia,
Auriga, & Perseus, Deltoton, & Andromedæ astrum,
Pegasus, & Delphin, Telum, Aquila, Anguitenénsque:
Signifer inde subest, bis sex & sidera complent,
Hic Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
* Libra, Scorpius, Arcitenens, Capricornus, & vrnam *Libráq. lege vel; *Libra &*
Qui tenet, & Pisces. Hi sunt in partibus Austri,
Orion, Procyon, Lepus, ardens Sirius, Argo,
Hydrus, Chiron, Thuribulum quoque, Piscis, & ingens
Hunc sequitur Pistrix, simul Eridaníque fluenta.

882 Pereunte mori] *Moguntinen. in margine;* aliàs, moriente.

IN ACT. V.

Mirus hic vltimus actus. exsultat in facinore suo nefario nefarius Atreus. Epulatur vnguentis delibutus & coronatus infelix Thyestes; sibiq; gratulatur, & miratur non posse se in tam magnis lætitiæ causis non mærere. Tandem occulti mæroris causas frater illi aperit, & quàm diræ dapes illius in visceribus saliant, & cur sole meridiano non luceat, allatis capitibus ostendit. hinc remotâ nube, & quasi velo fictæ reconciliationis, in conuicia & exsecrationes mutuas erumpunt. Non cedit (meo iudicio) hic actus Medeæ, nec Thebaidi, vt si sit ista Senecæ, queant & illæ ipsius esse.

884 Vertice attingens polum] *De impossibili conditione I. C. dicunt;* si digito, *vel* manu, cælum contigero: *sed poëta de felicibus & superbis, capite aut vertice cælum attingere. Propertius, de ijsdem lib. 1. Eleg. 6.*

Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis.

tam inquit felix sum, vt calcare videar Deos ipsos, & sub pedibus habere summum cælum. Vbi per me quidem viro docto palmas continere licet.

890 Dies recessit] *odêre lucem peccaturi, amant noctem: & (vt ait lib. 7.*

Controuers. Senecæ Iul. Bassus) Maiore licentiâ, quæ non videmus, agimus: & quamuis non minor sit atrocitas facinoris, formido minor est.

895 Tenebras] *erroris & ignorantiæ.*

896 Iaces] *ex more conuiuiorum priscorum. nam in his iacebant seu recumbebant.* 898 Sobrio] *nam malorum sensum ebrietas adimit, & lætitiam potiùs quàm mærorem animo inserit.*

902 Primus dolor] *quia primi motus tam violenti, vt eos extra hominis potestatem posuerint Philosophi.*

904 Spiritu expulso] *non verè, sed sopitis sensibus, vt in deliquio animæ videmus.* 906 Multa face] *multus enim veterum luxus accendendorũ in conuiuiis luminarium, candelarum varij generis, lucernarum sumtuosarum; quæ vel aureis & argenteis candelabris, lychnuchis & aliis instrumentis fultæ per se consistebant, vel puerorum ancillarúmve manibus gestabantur; de quibus D. Isidorus lib. 20. Orig. cap. 10. Crinitus lib. 17. de honest. disciplin. cap. 6. & N. lib. 3. Conuiuial. antiquit.*

908 Vino grauatum fulciens læuâ caput] *Veteres namque tam Græci quàm Latini, primis temporibus sedentes comedere solebant, vt ex Homero Iliad. λ'. Odyss. α. η. & ϑ. Apollonio li. 2. Argon. & aliis poëtis facilè probatur, & apertè docent Athenæus lib. 1. 5. & 11. Seruius in 7. Æneid. ad illud Virgilij:* Perpetuis soliti patres considere mensis.
Macrobius lib. 3. Saturnal. cap. 6. & D. Isidorus lib. Origin. 20. cap. 11. postea inualuit, vt cõuiuæ potiùs solerent apud Græcos, ἀνακλιϑῆναι, κατακέκλιϑζ, κατακεῖϑζ, ἀνακεῖϑζ, ἀναπίπ]ειν, ἀναπέζειν; apud Romanos, discumbere, accumbere, recumbere, accubare, cubare; reclinatâ videlicet superiore corporis parte in læuum latus, inferiore in longum porrectâ & extensâ & iacente, capite leuiter erecto, dorso à puluillis modicè suffulto: qua de re consulendi Philander in Vitruuium, Lambinus in Horatianis Commentar. & omniũ dicta congerens N. in Conuiuialib. Antiqu. lib. 2. cap. 34. Notum etiam quosdam veterum stantes cibum sumsisse, vt de Hannibale, Catone Vticensi, Varrone refert Alexander ab Alex. lib. 5. Genial. dier. cap. 21. statarium prandium *vocat Mamertinus Panegyrista; alij maluêre deambulando cibum sumere, vt de quodam monacho refert Suidas, Apuleius lib. 1. de Asino vocauit* ambulatorium ientaculum. *De Hebræis idem dicendũ initiò illos assedisse mensis. nam de Iosepho patriarchâ conuiuio fratres excipiente, legimus:* sederunt coram eo, primogenitus iuxta primogenita sua. *Genes. 43. vbi in Hebræo est* וַיֵּשְׁבוּ, *& Exod. 16.* quando sedebamus super ollas carniũ & comedebamus, *& cap. 32.* sedit populus manducare & bibere. *Vbi in Hebræo,* וַיֵּשֶׁב הָעָם *Sedit populus. idem patet ex Gen. 37. Prouer. 23. 1. Reg. 20. sed postea discumbendi consuetudinem vt ceteræ nationes receperunt, docet hoc Philo Iudæus, nam de conuiuio illo Iosephi agens, cùm scripsisset eum iussisse fratres assidere, subdit:* μήπω τῶν ἀνϑρώπων ἐν ταῖς συμποτικαῖς συνουσίαις κατακλίσει χρωμένων. Non enim ab hominibus discũbendi mos receptus erat. *Ideo videmus in nouo Testamento non sessionis, sed discubitus mentionem fieri. Luc. 7.* Et ingressus domum Pharisæi discubuit, *& mox:* vt cognouit

gnouit quòd accubuisset. καὶ εἰσελθὼν εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ Φαρισαίου ἀνεκλίθη. *& mox:* ἐπιγνοῦσα ὅτι ἀνάκειται, *& manifestum ex eo, quòd steterit retrò secus pedes eius. nam si sedisset Dominus, in solo illos osculari stans nequiuisset.* καὶ στᾶσα παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ, *&c. Mar.*14. Et cùm esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi, & recumberet. κατακειμένου αὐτοῦ. *& postea:* discumbentibus eis. ἀνακειμένων αὐτῶν. *& Ioan. cap.*12. *dicit Lazarum fuisse vnum ex discumbentibus;* τῶν ἀνακειμένων. *& cap.* 13. *dicitur vnus ex discipulis fuisse recumbens in sinu Domini;* ἀνακείμενος ἐν τῷ κόλπῳ τοῦ Ἰησοῦ. *Idem probatur ex vltimâ cœna Lucæ* 22. *Mar.*14. *& Mat.*26. *vbi Dominus cùm discipulis traditur discubuisse.*

907 Resupinus] *iam significat saturum & mero plenum, plus quàm par erat, & consuetudo honestè accubantium ferebat, se exporrexisse, & tantum non omnino iacuisse, modicè tantùm eleuato capite, & in cubitum læuum deposito: qualis est habitus conuiuarum ebriorum, apud Horatium:*

Languidus in cubitum iam se conuiua reponet, *& quem ex marmoribus Philander repræsentat. Aptè autem vtitur verbum;* incubat, *vt accubitus indecentiam & conuiuæ saturitatem exprimat. nam scriptores hac in re vocabulum istud vsurpare non solent. Quare ex hoc Senecæ loco infirmâ ratione probes, eum docere Heroum temporibus discumbendi morem in vsu fuisse, contra Homeri sententiam & Athenæi. quamquam dici posset, respexisse poëtam ad sui temporis consuetudinem. Ebrij porrò, & conuiuatoris adsidui* χαρακτηρισμὸν *pulcherrimum qui volet, eum Lyconis inueniet accuratissimum apud Rutilium lib.* 2.

Purpura atque auro] *non stibadio, vel toro, sed lecto prętiosis aulæis & stragulis purpureis instrato; quæ stragula Philo Iud. & Clemens Alex. vocant* στρωμνὰς ἁλουργάς. *Cicero:* Conchiliata peristromata. *Horat.* rubro cocco tinctam vestem. *de hoc Virgilius:*

Stratóque super discumbitur ostro.

910 Vota transcendi mea] *plus quàm optaui sum consecutus. non leuiter modò de filiis gustauit, aut primis labris attigit; sed ad saturitatem vsque illos vorauit, & in intimum penetrale corporis demisit.*

911 Ducit] *ducere, bibere tractim.* ἕλκειν. *Horat lib.* 3. ducere sucos nectaris. *lib.*4. ducere Liberum. *&:* ducere pocula Lesbij.

Capaci-argento] *paterâ vel alio vase argentea. nam de facto argento loquitur: quo vasa contineri Mucius & Vlpianus volunt. l. cùm aurum. l. Q. Mucius. D. de aur. & arg. legat.* Capaci. *quia principio maiora & capaciora Heroum pocula fuere & Principum; plebis & vulgi, minora & angustiora, vt docet Athenæus initiò lib.*11. *sed paullo post vulgus hac quoque in parte luxum Principum sequi cœpit, etiam Romæ, teste Galeno lib.* 1. *Therapeut.*

Merum] *meri potationem,* ἀκρατοποσίαν *veteres probro vertebant, vt docet Athenæus lib.* 10. *eamque* Scythicam potationem *appellabant, vnde iactatum in Roman. Imperatorem ridiculum illud nomen* Caldius Biberius Mero. *Semper enim modestis & temperantibus in more fuit, vinum aquâ diluere, & temulentum Bacchum sobriis Nymphis temperare; quod à quo, &*

quando cœperit, quot etiam modis & quantâ aquâ vinum veteres temperare sint soliti, petendum ex Hier. Mercuriali lib.1. Var. lection. cap.18. & N. libro 3. Conuiu. antiquit. cap.11.

912 Veteris] *rubro ergo vino vtebantur, nam id proprium celando sanguini.* Bacchi] *sic vinum vocatur ab inuentore, vt volunt poëta, Baccho. Nos à Noë inuentum scimus, ex Gen. cap.9. & D. Augustino lib.18. de ciuitate Dei cap.13. Athenæus ex Hecatæo, ex Melanippo tradit ab Oenæo in Ætoliâ primum vites inuentas, & inde vinum τὸ οἶνον dici, lib.2. Conuiuij cap.1. & fieri potest, vt Oeneus in Græcia vites primus seuerit. Varro* vinum *à vi deducit, quòd menti vim faciat, siue quòd ad bonum vel malum vim maximam obtineat: & multi Varronianum etymon Græca vocabuli origine confirmant, dici τὸ οἶνον παρὰ τὸ οἴω τὸ νομίζω καὶ τὸν νοῦν. quasi* prudentiores nos faciat, & mentem dirigat, *si moderatè sumatur; vel quasi, οἰόει νοῦν,* mentem vastet, & prudẽtiâ priuet, *si sine modo. Vide Eustathium Iliad. ζ'. & N. li.3. Conuiu. antiq. c.7. qui etiã c.8. & 9. recenset incõmoda ebrietatis.*

914 Abscondit] *Moguntinens.* abscondat.

Mensâ claudatur scypho] *solebant veteres cœnam potu terminare, & poculum illud,* poculum boni genij, bonæ fortunæ, boni dæmonis *vocabant; patet ex Eustathio Odyss. π'. Schol. Aristophan. in Equitib. & in Pace, & fusissimè Athenæus docet lib.15. Vtrum verò illa cõsuetudo naturæ humanæ vtilis, nec ne, disputat Christoph. Vega lib.2. de arte medicâ sect.4. & N. d. li.3. Quod verò poculi genus sit scyphus, & Reges ex eo bibere solitos, & qui scyphi laudatissimi, & de hoc vase alia multa Athenæus lib.11. cap.17.*

916 Iam cantus ciet] *παροινίαν, sic enim vocatur cantio potantium. est autem hic effectus vnus ebrietatis; vt ex Panyaside, & Eubulo docet Athenæus lib. 2. cap.1.*

918 Longis hebetata] *Burdigalens. memb.* tantis obsessa.

935 Veterem] *tristem, afflictum, calamitosum, panidum.*

942 Nulla surgens dolor ex causa] *mox ait:* Imber vultu nolente cadit. *hæc illi magnæ & imminentis, sed ignotæ calamitatis prænuncia signa opinabantur. Sic Ceres Claudiani, lib. 3. de raptu Proserp.*

——— nullúsque dies non triste minatur
Augurium. quoties flauentia serta comarum
Spontè cadunt! quoties exsudat ab vbere sanguis!
Larga vel inuito prorumpunt lumina fletu,
Iniussæque manus mirantia pectora tundunt!
Si buxos inflare velim, ferale gemiscunt.
Tympana si quatiam, planctum mihi tympana reddunt.
Ah vereor ne quid portendant omina veri.

944 Vincire] *floribus sertis, vel coronâ sutili aut plexili.*

945 Vernæ-rosæ] *Propertius lib. 3. Eleg. 4.*

Me iuuat & multo mentem vincire Lyæo,
Et caput in vernâ semper habere rosâ.

de rosis Chæremon, in Thyeste tragœdia: ῥόδ' ὀξυφεγγῆ κρίνοισιν ἀργεννοῖς ὁμοῦ

Πολ-

Πολλὴν ὀπώραν κύπριδος εἰσορᾶν παρῆν. Rosas nitentes liliis cū candidis Licet videre plurimum fructum Veneris. *alludit ad fabulam Adonidis & ortum rosarum Chæremonis versus in Græco Athenæo lib. 13. sub fin. non disiunguntur, vt Natalis disiunxit. Idem Chæremon in Vlysse:* Κόμαισιν ὡρῶν σώματ' εὐάνθη ῥόδα Εἶχον τιθήνη μ' ἔαρος εὐπρεπέστατον. Rosas habebam Floridum corpus Horarum & ipsa me simul decens alumna Veris. idem in Io. flores omnes vocat ἔαρος τέκνα, *veris filios vocauit.*

945 Pingui] *Pomponius lib. 6. ad Sabinum docet veteres vsos vnguentis vel voluptatis, vel sanitatis causâ:* Vnguentis legatis, non ea tantùm legata videntur, quibus vngimur voluptatis causâ, sed & valetudinis: qualia sunt comagena, glaucina, crina, rosa, myrrha, costum, nardum purum; hoc quidem etiam quo elegantiores sint & mundiores vnguntur feminæ. *hæc ille d. l. cùm aurum in fine. vnde intelligitur quale fuerit vnguentum illud, quod alabastro fracto effudit super caput Saluatoris Magdalena;* vnguenti nardi pistici pretiosi, *Ioan. 12.* μύρου νάρδου πιστικῆς πολυτίμου. *vbi pisticum nardum id quod I. C. vocat purum: & vt rectè Alcuinus, fidelis nec extraneis speciebus adulterati; & Euthymius, puræ, & ad puritatem ac munditiem ordinatæ; vtrumque vsum à Pomponio significatum complectens. Quibusdam vnguentis statim balneo egressi ante cœnam se inungebant. Vnde Terentius:*

Téne asymbolum venire, lautum vnctum à balneis.

& Apuleius Asini lib. 4. calidáque perfusi, & oleo peruncti in mensas dapibus largiter instructas incumbunt. *& vngebantur vel ante focum, vt significat illo loco Apuleius; vel in sole. Persius:*

At si vnctus cesses, & figas in cute Solem.

Iuuenalis:

Nostra bibat vernum contracta cuticula solem.

& testatur Galenus lib. de sanitate tuendâ. Aliis vnguentis perfundebātur, postquam accubuerant in ipso conuiuio, vt docet Aristophan. Scholiast. & Athenæus lib. 12. cap. 31. & lib. 15. à cap. 14. & N. d. lib. 3. cap. 15.

Amomo] *spissum id fuit. Tertullianus:*

Spisso lætum folio confragrat amomum.

plura de vnguentis, Clemens Alex. lib. 2. pædagog. Seneca lib. 2. de irâ. cap. 33. Athenæus d. d. locis. & Pet. Faber lib. 1. Semestr. cap. 6.

962 Sera] *serò.* 966 An habet lacrymas] *habet verò gaudium lacrymas. sed hoc discrimen. quæ præ gaudio effluunt, frigidæ; quæ præ mærore, calidæ videntur. quod notandum, ne malè accommodes epitheta. discriminis huius apparentis tantùm rationem (nam reuera eodem se semper modo habent) reddit Fran. Toledus lib. 2. de anima q. 30.*

969 Firmet] *Mogunt.* firmat, *& postea,* alligat, *& denique,* satias.

970 Saties] *sic Iuuencus:* ——— populíque replentur

Ad satiem dapibus ——— *sed Moguntin.* satias. *idq́ antiquius. nam eo vtuntur Lucretius & Lucilius apud Nonium.*

Bacchi] *Vini. sic etiam superius sumsit.* Prodicus Chius Solem (*inquit*)

& Lunam, & fontes, & fluuios, & in summa quæcunque prosunt vitæ nostræ, veteres Deos existimarunt, propter vtilitatem, quæ ex eis accipitur: quomodo Ægyptij Nilum. Et ideo panem quidem existimatum Cererem, vinum verò Bacchum, aquam Neptunum, ignem Vulcanum. *hæc ex illo Sex. Empyricus lib. 8. contra Mathemat.*

975 Nulla pars prolis tuæ] *ea de caussâ solum epulari iusserat, apud Attium*: Ne cum tyranno quispiam epulandi gratiâ
Accumbat mensam, aut eandem vescatur dapem.

977 Implebo] *Ventrem truncis corporum expleui: nunc manus & oculos, allatis manibus, pedibus & capitibus implebo.*

981 Paternis Diis] *quos supra,* patrios. *Laribus scilicet. nam vina memoriæ defunctorum libabant, teste Apuleio Lucij lib. 4. nec vina tantùm, sed dapes etiam, vt monet Horatius; vnde Plauto Lares, dicti* Dij patellarij. *Vide N. lib. 2. Conuiu. antiq. c. vlt.* Libabant *autem dando, & effundendo vinum. nam pauxillum in terram effundebant Græci & Romani, &, quod superat, ebibebant, ideo ait*: vina libentur Diis (*hoc est, effundantur*) tunc hauriantur. *fiebat id in honorem Iouis, Cereris, Veneris, Bacchi, Solis, Oceani, Neptuni, Larium & Mercurij; cui etiam peculiariter discedentes à cœnâ linguam sacrificabant, vt multis docet N. d. cap. vlt. Iudæi verò libamina integra Deo offerebant, neque gustabant ex eis quidquam. Exod. 25. Leuit. 6. & passim.* *987* Subsiluit] *Egntan.* subsidit.

988 Ignis] *cœnationi adhibitus,*

989 Desertus] *à Sole, Lunâ, ceteris sideribus.*

991 Spissior Densis coit caligo tenebris] *hæc eò conficta quòd Atreus primus animaduertit cursum Solis lationi cœlorum violenter renitentis, vt indicat Strabo lib. 1. & ipsemet Atreus Euripidis apud Achillem Statium.*
δείξας γὰρ ἄστρων τὴν ἐναντίαν ὁδὸν
δήμους.
Ostendens namque astrorum contrariam viam
Populis. *Vide Lucian. lib. de astrologiâ.*

996 Eripiet] *conuersi iam sunt in alimentum.*

1002 Vnde] *videbatur sibi in visceribus loquentes obaudire.*

1003 Ecquid agnoscis] *Moguntin.* vt quis.

1004 Fratrem] *imo te agnosco: fraterno nomine scilicet dignum.*

1016 Igneus totas] *sic a. l. sed mallem;* igneus tortas. *vel sanè igneus totas figuratè positum, pro;* igneas totus, *versus causâ.*

1019 Immota tellus] *at terram esse mobilem, ex antiquis Pythagoræi & Nycetas Syracusius, apud Ciceron. in Lucullo; & Cleanthes Samius, apud Plutarchum in lib. de formâ quæ visitur in orbe Lunæ voluerunt, & putant nonnulli Platonem in Tymæo id significasse, vt Aristoteles & Victorius lib. 22. var. lect. cap. 3. eamq; sententiam latè patrum nostrorum memoriâ conati defendere Cælius Calcagninus, & Nicolaus Copernicus, eorumq; argumenta probabilia censuit Pontus Thyardeus in lib. de Vniuersitate. egit eâ de re Cælius in li. de perenni motu terræ, & Nicolaus Copernicus lib. de reuolutionibus,*

nibus. & videtur voluisse Gemma Frisius in præfat. Tabularum Bergensium Ioannis Stadij, ipseq; Stadius in eam propendebat. Sed contrarium, nempe immobilem esse terram, docent philosophi ceteri, & Mathematici & Theologi, vt Aristoteles li. 2. de cælo cap. 13. & 14. & ibi Lucilius Philalteus. ipse Plato in Phædro & apertè in Phædone, de quo mox Ptolomæus li. 1. Almagest. cap. 5. & 6. Cicero li. 1. de Nat. Deor. Plinius li. 2. nat. hist. cap. de terrâ, Macrobius li. 1. in somn. Scipion. cap. 22. Manilius li. 1. Alfragan. differ. 4. Sacrobustius c. 1. Sphera & in eũ fusè Capuanus & noster Clauius, ex Theologis D. Damascenus li. 2. Orthodox. fid. cap. 10. Quod ad Platonem attinet, difficultas oritur ex Tymæi verbis obscuris. ἰλλομένην περὶ τὸν πόλον: *quod Platonici contendũt exponendum* σφιγγομένην. *nam* ἴλλομαι *significat tam* σφίγγομαι *vinciri, seu* συνέχομαι *contineri; quã moueri & volui. vt docent Apollonij Scholiastes in li. 1. & 2. & Hesychius in* ἴλλαι, *&* ἰλλαίζω, *&* ἰλλούμενος. *Aristoteles Platonicum illud in Timæo exponit* κινουμένην *verti & volui terram circa polum. Laborat vehementer Simplicius in d. lib. 2. de cælo, vt Platonem contra Aristotelem tueatur; & expositionem quæ placuit Proclo tenuerunt etiam Alcinous, Iamblichus, & Laërtius: & recentiores plerique rentur, malâ fide Aristotelem in reprehensione præceptoris versatũ. Ego censeo primo quidem, non reprehensum hic Platonẽ, non suggillatum ab Aristotele, quia apertè ait, quosdam in Timæo hoc putare, nec nominat Platonem, nec sententiam refellit, sed præterit & contemnit. Deinde in Timæo Platonem non ex suâ (nam fixam esse tellurem censebat, in quo vera dixere Platonici citati) sed ex Tymæi Locri sententiâ locutum, qui Pythagoricus fuit, & Pythagorici in hac opinione fuêre plerique, etsi pauci dissenserint, vt patet ex Plutarch. lib. 3. de Placit. philos. Denique cùm ex Pythagoreæ sectæ decretis illa dicantur à Platone; rectius Timæi locum acceptum ab Aristotele, quàm à Platonicis. nam* τὸ πρέπον *suadet, vt verba loquentis id sonent, quod sectæ eius decreta dici iubent: & alioquin etiam vocabulum* ἴλλω *apud Nicandrum in Theriac. ad orbicularem motum refertur. vt vt est, sacræ scripturæ magis consentanea communis traditio, & proinde veritati. Psal. 23. dicitur Deus* orbem terrarum fundasse super maria. *& 101.* initio terram fundasse. *hoc est, firmasse & stabiliuisse. & apertissimè Ecclesi. cap. 1.* terra autem in æternum stat. *vbi est in Hebræo gomadeth,* עֹמָדֶת; *quem mihi locum indicauit Leonardus Lessius Societatis* IESV *Theologus. Sed & Isaiæ 44.* stabiliens terram. *vt nostra versio. nam in Hebr. est* רקע. *quod quidam* deduco, *alij expandens vertunt: sed Septuaginta;* ἐστερέωσα. *& Chaldæus Paraphrastes, fundaui. Rusticus Elpidius:*

—— cærula ponti
Diffudit, solidauit humum, suspendit Olympum.

1022 Tribus] *in tres. sic enim loquitur etiam libro 2. de benef.* in multos diuidenda liberalitas.

1034 Hoc est] *ex facinoris cognitione, deprehendit causam solaris deliquij. Et ista, vt arbitror, est cognitio ex astris, de quâ Aristoteles in Poët. & quam scribit à Carcino in Thyeste memoratam. cùm enim* ἀναγνώρισιν, *vel*

per

per dubitationem fieri dixisset vel per signa, & horum alia esse aduentitia, alia ingenita, horum exemplum ponit astra, vt in Thyeste Carcini. haret ibi vir doctus Robortellus, ego verum puto, quod dixi.

1038 Vestigia] *pedes.*

1042 Sanguinis] *Liberos sanguinem suum vocat, quia prolis materia sanguis purissimus est, testibus Hippocrate, Aristotele, & Galeno. vide Tiraquellum 15. lege connub. num. 12, 13, & 14. & Vallesium lib. 2. Controuers. Medicarum.*

1046 Vmbris] *quæ insepulta corpora comitantur. comederat natos, non sepelierat. In præcedenti carmine Eguian.* Contusa planctu.

1048 Heniochus] *hos pars ad Caucasum, pars ad Pontum statuit. noti Ptolomæo, Plinio, Stephano, Straboni; ex quo And. Scottus rectè apud Pomponium lib. 1. cap. vlt.* Choraxi, Heniochi, Phthirophagi.

1052 Non vbi reponas] *nam cùm scelesta est vindicta sceleris; si scelus modo carebat; vindictæ modus est, nullo modo terminari. supra iussit Megera:*

——— nec sit irarum modus,
Pudórve: mentes cæcus instiget furor:
Rabies parentum duret & longum nefas
Eat in nepotes. nec vacet cuiquam vetus
Odisse crimen; semper oriatur nouum,
Nec vnum in vno: dúmque punitur scelus,
Crescat ———

æquè impiè, in Ione Euripides:

Pietatem colere prosperè agentes decet:
Sed quando quis hostes malo afficere cupit,
Huic nulla lex obstiterit———

Imò verò obstat lex Christi; quæ iubet iniuriam condonare, odia ponere, vindictam Deo permittere, beneficium pro noxâ reddere, malum (vt ait Apostolus) in bono vincere. Obstat recta ratio. quis enim futurus iniuriæ modus? quæ finis scelerum aut crudelitatis; si grauiore semper vindictâ damnum læsus persequatur? quanto rectiùs, in Furente Lycus:

Si æterna semper odia mortales agant,
Nec cœptus vnquam cedat ex animis furor;
Sed arma felix teneat, infelix paret:
Nihil relinquent bella, *&c.*

Ea est causa, cur, Atheniensium exemplo, sapientissima quæq; & laudatissimæ respub. amplecti legem ἀμνηστίας maluerunt.

1054 Debui vt] *nihil elidendum, vt nec in illo Virgilij:*

Ismarus aut Rodope, aut extremi Garamantes.

plura exempla hiatus adfert Gifanius in Collectan. Lucretianis pag. 436. & in litt. A, E, I, O, vbi tamen perperam aliqui versiculi, in quibus necessariò vocalis exteritur, quos facilè deprehendetis.

1055 Verba sunt iræ data] *fraus iræ facta, quæ, quod sperabat & putabat, nondum sibi satisfecit. ideo subdit;* cecidit incassum dolor. *quia expetitam*

titam vltionem nondum est adeptus. 1057 Votiua] *rectè. non placet*; nociua, *quod vnus m. s. continet.*

1062 Traiectas] *plerique libri*; traiecto.

1075 Prospicient] *Herbipolens. & duo Veneti*; prospiciunt. *in tertio, deest totus versus. Moguntin.* proficient.

1076 Te summe] *sic sapè accusandi casus pro recto ponitur, Virgilius 9. Æneid.* Me, me adsum qui feci. *Lucretius lib.* 1.

Scisne etiam quàm multa tibi me fingere possum.

etsi apud hos putare quis queat παρελκῶς *positum, Vide Gifanium in Collectan. Lucret. in voce*; se.

1079 Committe] *veteres impreßi quatuor*; commisce. *ijdem mox*; ereptum, *vt manuscr. & in Moguntinens. margine*; exceptum. *Lugdunens.* exemtum.

1091 Si nihil sup. mouet] *ex Epicuri & Protagoræ mente.*

1095 Perseueras] *Latere.*

1101 Piorum præsides-Deos] *Iouem Hospitalem, & supplicum præsidem Hicesium vel Hicetesium. Vide Lilij Syntagm. 2. Cùm verò dicit*; certos, *communem sequitur traditionem. nam, vt dixi, non defuere, qui Atrei liberos putabant. Nec etiam,* certi, *reuerâ. nam pater verè incertus. & iura non aliam certitudinem agnoscunt, quàm quæ à nuptiis demonstratur; vt is pater esse censeatur, qui maritus.*

1102 Coniugales] *quos violasti adulterio. Vide sup. Medeæ act.* 1.

1107 Liberos] *Agamemnonem & Atreum meos filios.*

Matre] *Aërope. sed pepercisti, quia non sine causâ tuos credebas. ideo superiùs dixit*: prolis incertæ fides ex hoc petatur, *&c.*



Hanc Tragœdiam bis Probus vocat HECVBAM; & ſic citant Deſpauterius & alij; omnes eam Senecæ tribuentes. Latini de rebus Troicis veteres ſcripſere, Attij duo, vnus nobilis ille Tragicus, alter ſcriptor Iliadis, quam ridet Perſius Sat. I. Attius Labeo; quam gloſſæ veteres dicunt fœdiſſimè verſibus Iliadem & Odyſſæam reddidiſſe, ad verbum; & referunt ex eo: *Crudum manduces Priamum Priamiq; piſinnos.* Gloſſæ teſtantur Neronem ſcripſiſſe *Troicon.* & Comment. in Iuuenal. Sat. 8. *libros Troados.* De C. Matio & Næuio addidi in Aduerſar.

ARGVMENTVM.



XCISO Ilio, cùm Græci patriam cogitantes, aduerſo flante vento, ſoluere non poſſent; noctu apparuit Achillis vmbra, & Polyxenæ ſacrificium, Manibus ſuis offerri, imperauit. Negabat Agamemno, ſe, vt regia virgo in inferias mactaretur, permiſſurum. conſultus Calchas, reſpõdit, omitti non poſſe. vnam hanc claſſis moram; ſed alteram potiorem, Hectoris filium Aſtyanactem; hunc quoque necandum. Vlyxes ergo Aſtyanactem è latibulis producit & de Scæâ portâ deiicit. Pyrrhus, abductam ab Helenâ Polyxenam, & connubialibus veſtimentis ornatam, ad tumulum parentis ſui mactat.

IN ACT. I.

Nil continet præter Hecubæ querelas.

4 Troia] *Propriè regionem ipſam ſignificat, in qua Ilium vrbs. Frequenter tamen pro ipsâ vrbe. Res ita ſe habet, à Teucro Scamandri F. è Cretâ in Aſiam profecto, regio illa* Teucria *dicta, & inde Troiani Teucri. Poſtea Dardanus, ex Samothraciâ, vel metu diluuij, vel fratris infortunio perculſus, in Teucriam peruenit, & ibi Teucri filiam in vxorem duxit, & oraculi monitu in colle Scamandrio, colli Atæ ſeu Noxæ oppoſito, vrbẽ condidit Dardaniam, vnde & Teucria dicta* Dardania. *Dardanus genuit Erichtonium. Erichtonius pater fuit Troïs; à quo Dardania,* Troia *nũcupata. Huius Troïs filius Ilus fuit; qui, victor certaminis, iuſſus ſequi cum delectâ iuuentute vaccam errantem, & vbi illa primùm procũberet, vrbem condere; eâ in Atæ colliculo quieſcente, à quo loco recedere Dardanum Apollo iuſſerat, oppidum exſtruxit, quod* Ilium *vocauit; vt docent Apollodorus in Biblioth. & Izacius in Lycophron. Vide Canter. lib.* 1. *nou. lect. c.* 1. 5 Fors] *Moguntinenſ.* ſors.

7 Aſiæ] *Aſia duplex, maior, quæ pars orbis tertia; & minor, quæ maioris Aſiæ pars non maxima: quæ, teſte D. Hieronymo, continet Phrygiam, Pamphiliam, Ciliciam, Lycaoniam, Galatiam, Cariam, & nonnulla præterea;*

quam ſuſpicantur hodie Turciam vocari. Orta hæc nominis confuſio, quia Græci tranſmarina omnia verſus Orientem, Aſiam vocabant. Sicuti & Latinis maior & minor Libya. minor propriè dicta, vbi erat Carthago: maior impropriè, tota Africæ regio. Eodem modo à parte totum denominant Itali & Hiſpani, cùm ridiculè Belgas omnes, Flandros nuncupant: contrà Luſitani, totius regionis nomen parti tantum tribuunt, cùm ſe Luſitanos, Caſtellanos autem Hiſpanos nuncupant, quaſi non ipſi Hiſpanorum portio. Imperauit autem Priamus minori Aſiæ, & parti maioris. nam ſic de hoc bello loquuntur ſcriptores vt totam eo Aſiam afflictam, & quaſi euerſam velint. Ideo hic locus & ſimiles, potiſſimum quidem de minori; aliquo tamen modo de maiori queant accipi. Polentis] *hoc eſt, potentis.*

Cælitum labor] *exſtruxerat quidem Ilus, ſed Neptunus & Apollo mœnibus cinxerunt Ilium, teſtes Homerus, Euripides, Ouidius, Statius, & reliqui, vnde & Triphidorus vocat,* opus immortalium, ἔργον ἀθανάτων; *& Simmias, in ſecuri, de turribus eius agens,* πύργων θεοτεύκτων, turrium à Diis ædificatarum. *Notandum tamen non omni ex parte illa mœnia à Diis exſtructa. nam cùm fata ſtatuiſſent (loquor ex mente ipſorum) Troiam dirui, & crederent inexpugnabilem futuram, ſi muros integros Dij ædificarent; Æaco partem laboris demandarunt. Pindarus auctor Olymp. 8.*

——ἐξ Αἰακοῦ
τὸν παῖς ὁ Λατοῦς, εὐρυμέδων τὸν ποσειδᾶν,
Ἰλίῳ μέλλοντες ἐπὶ στέφανον
τεῦξαι καλέσαντο συνεργὸν
τείχεος, &c —— poſt Æacum,
Quem filius Latonæ, & latè dominans Neptunus
Cùm Ilium eſſent coronaturi
Mœniis, aduocauerunt cooperatorem Muri——

10 Prorſus] *apud Terent. forte legendum;* rurſum, prorſum. *nam* prorſum, *non opponitur* ſurſum, *ſed,* rurſum. *curſare* rurſum prorſum, *eſt recurrere & procurrere. Nonius ait;* Rurſus, retrò. *Virgil. 3. Georg.* Rurſus cura patrum cadere. *Ennius Andromeda:*

Rurſus prorſus reciprocat curſus feram.

Varro, Andabatis: Mortales multi rurſus ac prorſus meant. *Arruntius, ſiue Donatus, in Terentiũ: Rurſum* propriè retrò; *prorſum,* ante ſignificat. *& alio loco, Rurſum* eſt* intro verſum: *prorſum,* prius verſum. *ſiue, vt Feſtus ait, porrò verſum. Sed poſſis melius hoc loco Senecæ,* prorſus, *interpretari, confeſtim: vt in illo Catonis de feneratione legis Iuliæ:* Camerini ciues noſtri opidum pulcrum habuêre, agrũ optimum atq; pulcherrimum, rem fortunatiſſimam. cùm Romam veniebant, prorſus deuertebantur pro hoſpitibus ad amicos ſuos. *Vide N. Comment. in Feſtum.*

* lego; retrò verſum.

11 Rubenti]. *rubrum mare Oceani ſinus eſt, quem Erythræum ab Erythrâ rege appellant. Dion in Traiano.*

Tigrim] *dictum à velocitate, docent Periegetes, D. Iſidorus lib. 14. Orig. cap. 21. & Pierius lib. 21. Hieroglyph. Porrò D. Iſidorus videtur errare*

 cum

cum aliis, cùm scribit, Tigrim in mare mortuum influere.

14 Pergamos] *alij*; Pergamus, *alij*; Pergamum; *alij* Pergamos. *πέργαμος, ab altitudine dicta, clarissima Troadis ciuitas ipsum scilicet Ilium, de quo Martianus li. 6.* ibi inter omnes Asiæ ciuitates, Pergamum clarius. *hoc sanè loco Eguian. & Moguntinens. & Lugdunens.* Pergamum. *Alia Pergamus, Attalicis regibus nobilitata, & inuentione Pergameni, teste Plinio: aliud etiam Pergamum Idæ promontorium, de quo Strabo: Seruius etiam auctor est ipsas arces Troiæ, atque adeò alta loca omnia,* Pergama *olim vocata. ad quod alludens noster, subdit*: En alta muri, *&c.*

18 Assaraci domus] *Ilium, vbi Ili filius Assaracus regnauit.*

22 Lentum Ilium] *vix decennali bello debellatum. sic Cicero ad Atticum,* lentum negotium *vocat. de bello isto Attius*:

Annos malos multósque longinquè à domo
Bellum gerentes summum summâ industriâ.

sic numeris reddo, apud Nonium.

28 Testor Deorum numen] *iuro per Deorum numen: sic testandi verbum sumitur non semel extremâ Octauia.*

29 Patriæque cineres] *veteres per, quæ sibi gratissima, iurabant. hic Hecuba per patriam, maritum, liberos. lib. 9. Æneid. Ascanius per proprium caput, per quod pater ante solebat; quo loco multa Guellius in Commentar. eruditione plenis. Antiqui Christiani, etiam per Principum salutem; Tertullian. Apolog. cap. 32.* Sed & iuramus, sicut non per Genios Cæsarum; ita per salutem eorũ, quæ est augustior omnibus Geniis. *Qui mos durat etiamnum in Hispania,* Por vida de, *&c.*

31 Stetit] *Virgilius*: —— stetit Ilium & ingens
Gloria —— *Ilium, vt dixi, ab Ilo, Apollinis iussu, conditum; vnde Apollo Maroni 3. Georg.* Troiæ auctor. *nam Latinis* auctor, *qui iubet vt se auctore aliquid fiat. vnde apud Liuium sæpe*; vt patres fiant auctores. *hoc est, fieri iubeant. nam ad iussionem malo, quàm ad solam ratihabitionem referre.* 32 Liberum magni greges] *ὑπερβολικῶς. duntaxat enim vel septendecim, vt tradit Cicero 1. Tuscul., vel quatuordecim; vt Apollodorus lib. 3. vel viginti, vt Theocrit. Idyll. 15. vel, teste Homero, viginti duos, Hecuba ex Priamo peperit: ceteri huic ex cõcubinis nati. simul omnes quinquaginta secundùm Homerum, Virgilium, Dictyn, & Euripidem; aut quinquagintaquatuor, iuxta Apollod. li. 3. & Higynũ in Fabulis c. 90. vbi nomina recensent.*

35 Credi Deo vetante] *Cassandra, cùm ab amatore Phœbo, concubitus pollicitatione, vaticinandi artem accepisset, eum fefellit: quare iratus, quod donum auferre nequibat, irritum reddidit, additâ Cassandræ oraculis lege, vt nemo illis crederet. Vide Apollodor. lib. 3. Hyginum Fab. cap. 93. Plutarchum in Polytic. præcept. Izacium in Lycophron. Propertius lib. 3.*

Certa loquor, sed nulla fides. neque enim Ilia quondam
Verax Pergameis Mænas habenda malis,
Sola Parin Phrygiæ fatum componere, sola
Fallacem patriæ serpere dixit equum.

Ille

Ille furor patriæ fuit vtilis, ille parenti.
Experta est veros irrita lingua Deos.

38 Comes] *Diomedes.* 39 Sinon] *de hoc Virgil. 2. Æneid. & Triphiodorus.* 42 Viuax senectus] *trium mulierum senectus celebris, Hecubæ, Sibyllæ, Cumææ, & Æthræ, matris Thesei. Antiquus poëta:*

Quædam haud iunior Hectoris parente,
Cumææ soror (vt puto) Sibyllæ,
Æqualis tibi; quam domum reuertens
Theseus repperit in rogo iacentem.

ab eodem tres viri, ad æui summam metam progreßi memorantur, Tithonus, Priamus, Nestor. 45 Ipsasque ad aras] *Triphiodorus:*

Æacides verò senem Pyrrhus regem
Ærumnis confectum apud Hercæi Iouis occidit aram.

Noster Agamemn. Sparsum cruore Regis Hercæum Iouem. *Eam aram describit Virgil. 2. Aeneid. & Hercæum Iouem, patrium Priamo numen, trioculum fuisse scribit Cælius lib. 11. lect. cap. 36. & apertè traditur à Philostrato in imagine Herculis Furentis. Meminit huius Iouis Plato in Euthydemo. Hercæum vocatum censet Pollux, quia inter aulam & septa parietum in domus penetrali colebatur; quâ de causâ Penates à Græcis ἑρκίους Deos vocatos scribit Dionysius lib. 1. Origin. Romanar. Pausanias verò in Messeniac. prodidit, in sceleris istius pœnam ipsum Pyrrhum postea Delphis ab Oreste ad Apollinis aram cæsum.*

46 Sæua] *læua, quam veteres scæuam dicebant.*

50 Tinctus] *castigo:* Ensis senili vix tinctus iugulo redit. *sententiâ postulante, sic in Agamemn.*

Vidi, vidi senis in iugulo
Telum Pyrrhi vix exiguo
Sanguine tingi —— *tam parum erat senili in corpore sanguinis, vix vt tingere gladium potuerit, quem penitus receperat.*

52 Æui cardinem] *qui ad exitam ætatem peruenerat.*

53 Quondam sacrum] *Potest intelligi vel de Genius Troiæ, vel de Palladio. Nam cùm Deus dederit singulis particularibus Ecclesiis, populis seu prouinciis suos Angelos à quibus custodiantur, vt ex cap. 10. Daniel. & Iosuæ 5. Deuteronom. 32. & aliis Scripturæ locis colligunt Patres, Clemens Roman. lib. 2. recognit. Clemens Alex. lib. 6. Stromat. Theodosius Orat. 10. in Daniel. & D. Isidor. lib. 1. de summo bono cap. 2. & ex Philone & Nazianzeno Arethas in 1. & 2. cap. Apocal. Et priusquam Hierosolymæ caperentur, auditam vocem, quæ testabatur migrare Numen vrbis, scribunt non Tacitus modò lib. 5. histor. sed & Ioseph. lib. 6. de bello Iudaico, & Nicephorus lib 3. hist. Eccles. cap. 4. Gentiles eam sententiam, ad lubitum peruertêre. nam quosdam Genios Fatales sunt commenti, singularum vrbium, coloniarum, & prouinciarum, vt testatur Tertullianus lib. de Idololat. & Symmachus in libel. ad Theodosium Imp.* Varios (*inquit*) custodes vrbibus mens diuina distribuit: vt animæ nascentibus, ita populis Fatales Genij diuiduntur. *quod*

refellit Prudentius. Hos credebant Genios, vrbes expugnandas vel sponte deserere, vt de Troiâ significat hîc noster, & Petronius Arbiter : Peritura Troia perdidit primùm Deos. *vel solemni prece euocatos, vt de Veiis tradidit Liuius lib.* 1.* *Decad.* 1. *& de prece istius euocationis sumendum illud Petronij, de Græcis:* Contráque Troas Troia inuocant sacra. *Formulam ex Sammonico Sereno proponit Macrobius lib.3. Saturnal. cap. 9. Consule varias lectiones Mureti, & lib.14. Aduers. Turnebi, Guellium in 2. Aeneid. & Brissonium lib. 1. de formulis pag. 70. & seqq. Vel potest Senecæ locus æquè commodè explicari de Palladio, quod fuit præcipuum Troiæ fatum, & Martianus Capella lib. 2. vocat;* Secretum Troiæ: *quod Vlyxes & Diomedes ante excidium vrbis nocturno furto asportarant. Id Clemens Alex. in Protrept. & Arnobius lib. 4. contra Gent. & contra eosdem Firmicus cap. 16. tradunt fuisse Palladis simulacrum ex Pelopis ossibus confectum, & à Scythis Troianis venditum, dicentibus inexpugnabilem vrbem fore, in qua illud asseruaretur. Argiui asserebant ad se translatum; sed ab Aenæa in Italiam transuectum communius traditur, & verius vult Pausanias lib. 2. plura de Palladio Apollodorus lib. 3. Biblioth. & longè alia, quam diximus Dionysius Halycarnass. lib. 1. antiquitat. ex historiâ Callistrati de rebus Samothraciæ, & antiquarum fabularum, collectore Satyro, & Aratino vetustissimo poëta; Chrysen Pallantis filiam cùm Dardano nuberet, munera Mineruæ dono accepta, in dotem illi dedisse, duas Deæ effigies & sacra Magnorum Deûm. Postea Dardanum, cùm vix è diluuio effugisset, in Samothraciâ consedisse: mox deductâ in Asiam coloniâ effigies illas secum detulisse; ibi redditum consulenti Oraculum:*

Citentur Decades Liuij in antiquissimo Martyrologio in vita D. Sebastiani, quod adeo antiquū, vt ex eo Beda & Vsuardus multa desumserint.

εἰς πόλιν ἣν κτίσητε θεοῖς σέβας ἄφθιτον αἰεὶ
θεῖναι, καὶ φυλακαῖς τε σέβειν θυσίαις τε χορεῖς τε·
εὖτ' ἂν γὰρ τάδε σεμνὰ καθ' ὑμετέραν χώραν ᾖ
δῶρα διὸς κούρης ἀλόχου σέθεν, ἡ δὲ πόλις σοι
ἔςαι ἀπόρθητος τὸν αἐὶ χρόνον ἤματα πάντα.

Fata dabunt vrbem poteris quâ condere sacra,
Cælicolásque illic festis colere atque choreis.
Munera namque Deæ seruabis arce reposta
Palladis. hæc quondam cœpit tua regia coniux,
Seruatura tuam duris procul omnibus vrbem.

Ita illas Dardanum effigies in vrbe sui nominis Dardaniâ reposuisse, ibi asseruatas donec Ilium habitari cœpit: eò transtulisse Reges, & in templo, quod cum adyto in arce construxerant, posuisse. Tandem Troiano bello, Græcos vnum noctu surripuisse, quod Diomedes secū in Italiam detulerit; quo etiam Aenæas alterum cum magnorum Deorum simulacris deportarit; cuius custodia Romæ penes Vestales & Nautiam familiam fuit, vt idem lib. 6. docet. De Penatibus seu Magnis Diis, non æquè commodè locus accipiatur: hos enim non perdidit, nisi excisa.

55 Caret sepulcro]. *proprium sepulcrum Priamus non habuit, sed truncus eius, cùm aliquādiu in litore abiectus iacuisset, tandem Hectoris sepulcro illatus.*

Ausonius:

Hic Priami non est tumulus, nec condor in istâ
Sede: caput Danai diripuêre meum.
Ast ego cùm lacerum sine nomine funus haberem,
Confugi ad cineres Hectoreos genitor.
Illic & natum, Troiamque, Asiamque sepultam
Inueni, & nostrum quicquid vbique iacet.

Item: Qui tumulum Priami quærit, legat Hectoris antè.
Ille meus, nato quem prius ipse dedi.
Hectoris & patris simul est commune sepulcrum,
Amborum quoniam iuncta ruina fuit.

56 Superi] *Mogunt. Herbipolens. & Veneti*, superis.

57 Domum] *sic Moguntinens. Herbipolen. Veneti, Lipsiens. alij concinnant*; donum ecce Priami è nuribus. *verius & simplicius Lugdunens.* Dominum. *de hac sortitione inferius:*

Versata dominos vrna captiuis dedit.
An. Cui famula tradar ede, quem dominum voco?

Item: Eligere dominos nescit.

Item: —— Domini pudet
Non seruitutis. *Mox etiam:*
—— dominum sequor.

58 Sortitur vrna] *Sortes Græcorum erant calculi, vel ex humo ficti globuli, mittentium nomina inscripti; qui in vrnam mittebantur, & versabantur doli vitandi gratiâ; vt, cuius primum sors exibat, commodi vel periculi primas ferret, vt docuit Brodæus lib. 3. Miscellan. cap. 25. Hic autem agitur de sorte diuisoria, quam etiam Christianis licitam aliquando esse constat ex patrum sanctionibus: diuinatoriam & consultoriam verò improbari vt plurimum cap. sortes 26. q. 5. vide D. Thomam 2. 2. q. 95. a. 3. & 8.*

60 Heleni coniugem] *vxor Hectoris, Andromacha; secundis nuptiis Heleno coniuncta fuit: sed de priore vxore mentio fit; quam, vt arbitror, illarum aliquam fuisse, quas Pausanias recenset in Bœot. post medium; ita non definio, quænam illarum fuerit. Antenoris vxorem, Theano vocant bis Homerus, & semel Triphiodorus.*

66 Fatalis Ide iudicis diri domus] *dissensio illa de loco iudicij Paridis, nata, ex viciniâ Idæ & Antandri. satis id accuratè describitur à Colutho lib. de raptu Helenæ, & Ouidio in epist. Paridis, Apuleio etiam in Lucio, Luciano in Dialogo θεῶν κρίσις, Plutarcho in Homeri vitâ, Darete initiò historiæ, Izacio in Lycophronem, & Fulgentio lib. 2. Mytholog. Nec Macrobio assentior, qui Saturnal. lib. 5. cap. 16. negat Homerum meminisse: nam ipse immemor eorum quæ in vlt. Iliade. Athenæus lib. 12. cap. 1. contendit, illud iudicium virtutis voluptatisq; comparationem esse: & quia Venus potior iudicata, hoc est, virtuti prælata voluptas, meritò cuncta confusa & perturbata fuiße. Totius rei historiam (ni fallor) verè tradidit Suidas in πάριον. Eruditum Paridem omni sapientiâ Græcorum orationem in laudem Veneris cõposuisse, eamq;*

eamq́, Iunoni & Palladi in eo prætulisse; & in Venerem quoque hymnum cecinisse, quem κεςὸν vocarit: postea à patre in Græciam sacrificandi Dis gratiâ missum, Helenam rapuisse: & bello dedisse causam. ficta hinc reliqua. Vide etiam Cælium Rhodigin. lib. 19. lect. antiq. cap. 19.

IN CHORVM.

Chorus iste, sollemnis leßi formula, cui similem nondum reperi apud vllum Latinorum; fungitur Hecuba officio præficæ: imitatur autem Chorum. 1. Troad. Eurip. 67 Non rude] *inexpertũ lugendi.* 69 Hospes] *Paris.*

70 Graias Amyclas] *Laconiæ Amyclas, in quibus nutriti Castor & Pollux, & Tindari regia; de quibus Pausan. in Laconic. & Polybius lib. 15. Aliæ sunt Italiæ Amyclæ, inter Caietam & Tarracinam, quas* tacitas *vocat Virgilius, quia taciturnitate & silentio perierunt. vide Adag.* Amyclæ tacendo perierunt.

74 Sigeis] *Pintianus in lib. 1. cap. 18. Melæ, ex Homero, Herodoto, Thucydid. & Stephano docet,* Rhæteum *&* Sigeum, *sine diphthongo in mediâ scribendum.* 79 Leua Regina manum] *ad pectus tundendum. In seq. carmine; Mogunt. Herbip. & Veneti;* sequamur.

81 Indociles lugere] *sic Horat.* indocilis pati. *Claudian.* indocilis flecti.

84 Tepido puluere] *cinere nondum frigefacto, ex recenti Ilij incendio. sic enim mox chorus:* Sparsitque cinis feruidus ora.

Mos vetustißimus in luctu & funeribus caput cinere conspergendi, vt passim in sacris litteris: & apud Eurip. in Hecubâ & Supplicib. Homerum Iliad. ψ. Smyrnæum lib. 7. Nonnum Dionys. lib. 46.

86 Veste reuulsa] *sic Lipsiens. sed ceteri omnes Mogunt. Herbip. Veneti, Lugdunens.* remissâ. *Lacerabant etiam vestimenta, vt apud Homerum Briseis Iliad. τ'. quo loco moris memor Eustathius, & Lucianus περὶ πενθοῦ.*

87 Substringe sinus] *vestem sub pectore prope vterum necte fasciâ interiore. iubet corpora vteritenus nudare.*

88 Cui coniugio] *antipophora.*

90 Cingat tunicas Palla solutas] *etiam Argiuarum hæc consuetudo in luctu: Papinius lib. 12. Thebaid.*

——— orbæ viduæque ruebant
Inachides; seu capta manus. sua vulnera cuique
Par habitus cunctis. deiecti in pectora crines,
Accinctique sinus. manant lacera ora cruentis
Vnguibus, & molles planctu creuêre lacerti.

91 Manus] *faciem & pectus vnguibus lacerabant, verberibus etiam & palmis, tumore & liuore variabant, caput pugnis contundebant, & interdum parieti illidebant; vt apud Catullum prædicunt de Troianis Parcæ, & fit apud Euripid. in Andromach. in Troad. Phœniss. & Supplicib. & Artemidor. lib. 1. Oneirocryt. cap. 30. Complodebant præterea manus, vna alteram ferientes, teste Eustathio Iliad. ψ. versu 102.*

100 Hoc ex Troia] *Habitus illarum ergo hic fuit. primùm crinem nodo soluebant, & cinere aspergebant: tum pectus nudabant & humeros; & vestem*

vestem non manu, sed chordâ vel fasciâ aliquâ supra vterum nectebant, ne decideret, ne patefierent quæ natura operuit: sic vtero tenus nudæ, eiulabant, & vnguibus, palmis, pugnis, in se ipsas sæuiebant.

103 Suffulta] *subfibulata.*

107 Echo] *Sophocles in Philoctete:* —— βαρεῖ

α δ' ἀθυροςόμος
ἀχὼ τηλεφανὴς πικρᾶς
οἰμωγᾶς ὑποκεῖται·
Nesciáque loquacem comprimere
Garrula vocem luctus Echo
Ingeminat graues.

Cur verò præcipuè iis qui mœrent, dicatur Echo respondere, id fortè caussæ; quia genus hoc hominum solitudines montium quærunt, in quibus inter saxa & rupes, & valliũ concaua, voces faciliùs reuerberantur: longo etiam tractu & lento sonos lugubres edũt, quare vox clariùs & apertiùs repercussa resilit.

124 Tu murus] *Philostratus in imaginibus, scribit Hectorem vocatum fuisse manum Troianorum, Aenæam verò mentem. Pindarus eum solidã & inexpugnabilem Troiæ columnam vocat. Sic Theocrit. Achillem turrim belli vocat εἰδ. 23. Theognis bonos viros, turres & arces populi. Tyrtæus Eleg. 2. Omnes ait bonum & fortem virum intueri, vt turrim quandam, & propugnaculum patriæ.* 126 Hectoris idem] *Ausonius:*

Hectoris hic tumulus, cum quo sua Troia sepulta est:
Conduntur pariter, qui periêre simul.

127 Priamo] *Herbipol. & Veneti*; Priamo nostro. *prius Podarces vocabatur, sed quia ab Hesionâ sorore, dato Herculi, in lytrum, aureo flammeo, redemptus, & in libertatem restitutus fuit, Priamus nominari cœpit. Apollod. li. 2. Bibl. Bis autẽ captus, semel ab Hercule, & iterũ auspiciis Atridarũ.*

133 Bis pulsata] *quidam cod.* pulsata. *præter legem versus,*

Bis pulsata Dardana Graio.

alij; pulsari, *præter mentem. subuenio incommodo vtrique rescribendo:*

Dardana Graio bis pulsata Mœnia ferro, *&c.*

semel sub Laomedonte, iterum sub Priamo.

134 Bisque pharetras] *apud Sophoclem ait Hercules*; Secundò namque meis illam oportet sagittis vastarier. *Valerius Flaccus:*

Namque bis Herculeis deberi Pergama telis
Audierat —— *Vides vnde Valerius sumserit.*

137 Funera cludis] *Sic Seneca senior lib. 5. Declamat.* 1. Domus meæ fata claudo, nullo miserior, quàm quòd vltimus morior.

144 Vincta] *Moguntin. Herbipol. & Veneti*; Victa. *schidia Burdigal.* victus. *nil muto.*

146 Fallacem] *hostis loquitur, ideo prudentia fallaciæ nomine obscuranda: contra Aristoteles, vt Græcus de Græco:*

ἀνέρα τὸν πολύμητιν ἐπὶ χθονὶ τῇδε θάνοντα,
κλεινότατον θνητῶν, τύμβος ἐπεσκίασεν.

Canterus ita:

Prudentem celebrémque virum post aspera fata,
Hoc gratus tumuli cespite cælat honor.

152 Aurea dextra] *num hoc regibus sollemne, aureis manicis captos in triumphum duci? suspicor. in cathenis ductos, de Perseo confirmat Liuius Decad. 5. lib. 5. sed non addit, ex qua materiâ.*

153 Pompa] *proprium triumphi vocabulum, patet ex Liuio, Plutarcho, & aliis.* 160 Videt] *sic omnes codices, quos vidi, & sic Ebius citat. videt omnia secum consumta, qui nil videt sibi superesse.*

In act. II.

Narrat Talthybius, quid apparens vmbra Achillis à Danais postularit. Iurgantur Atrides & Neoptolemus: litem dirimit Calchas respondens, Polyxenam immolandam, & Astyanactem de turris fastigio præcipitandum.

Talthybius] *hic Agamemnonis præco, ab Achille apud Homerum vocatur Iouis & hominum nuncius. sepultus Mycenis in patria. Aristoteles:*

Ταλθύβιον θεράποντα θεῶν κήρυκα καὶ ἀνδρῶν
ὧδε Μυκηναίων δῆμος ἔθαψεν ἅπας.

Talthybium famulum & præconem hominúmque Deúmq;
Hoc ciues cuncti composuere loco.

167 Pauet animus] *mirè exaggerat.*

168 Titan iuga] ὅραμα *vigilanti sibi oblatum narrat, ipso diluculo. vt autem discat iuuentus propriè vti vocabulis diei partium; ascribã verba Macrobij & Censorini, qui dumtaxat in eo dissentire videntur, quòd alius verbis vtantur, & plures vnus alio partes faciat. D. Isidorus quoque, sed minus accuratè eâ de re; & ponit quoddam tempus inter* Conticinium *&* diluculum, *quod appellat* matutinum. *adscribam verba in gratiam studiosæ iuuentutis: Censorinus lib. de die Natali: Incipio (inquit) à nocte media, quod tempus principium & postremum est diei Romani, tempus, quod huic proximum est, vocatur,* de media nocte. *sequitur* Gallicinium, *cùm Galli canere incipiunt; deinde* Conticinium, *cùm conticuêre. tunc* ante lucem; *& sic* diluculum *vocatur:* Mane, *cùm lux videtur Solis. post hoc,* ad meridiem. *tum* meridies. *hinc,* tempestas suprema. *post* supremum, *dicitur* vesper. *inde porrò* crepusculum, *fortassè sic appellatum, quòd res incertæ,* creperæ *dicuntur; idq; tempus noctis an diei sit, incertum est. post id, sequitur tempus, quod dicimus,* luminibus accensis, *antiqui* prima face *dicebant. deinde,* concubium, *cùm itum est cubitum. exinde* intempesta *(id est, multa)* nox; *quia nihil agi tempestiuum. tunc* ad mediam noctem *dicitur, & sic* media nox. *Agellius ex Varrone,* mediæ noctis, *&* primæ facis *meminit lib. 3. noct. Attic. cap. 2. Macrobius autem lib. 1. Saturn. cap. 3. & Gelliana (donec enim quid certiùs habebo, vt in calamum venerit vocabo) ponit, & alia addit, his verbis: Primùm tempus diei* (scilicet, ciuilis) *dicitur* mediæ noctis inclinatio: *deinde* gallicinium: *inde* conticinium; *cùm & galli conticescunt, & homines etiam tum quiescunt. deinde* diluculum, *id est, cùm incipit*

cipit dignosci dies. inde manè, *cùm dies clarus.* manè *autem dictum, aut quod ab inferioribus locis, id est, à Manibus, exordiũ lucis emergat, aut (quod verius mihi videtur) ab omine boni nominis. nam & Lanuuini*, manè, *pro bono dicũt: sicut apud nos quoque contrarium est, immane: vt immanis belua, vel immane facinus, & hoc genus cetera, pro non bono. Deinde à* manè *ad* meridiem, *hoc est, ad medium diem. inde iam supra vocatur* tempus occiduum, *& mox* suprema tempestas, *hoc est, diei nouissimum tempus. sicut expressum est in* XII. *tabulis*, SOLIS OCCASVS SVPREMA TEMPESTAS ESTO. *deinde*, vespera; *quod à Graeco tractum est. illi enim* ἑσπέραν, *à stella Hespero dicunt, vnde & Hesperia Italia, quod occasui subiecta sit, nominatur. ab hoc tempore*, Prima fax *dicitur: deinde* concubia; *& inde* intempesta; *quæ non habet idoneum tempus rebus gerendis. disserit de noctis & diei diuisione etiam D. Isidorus lib. 5. Origin. sed minus distinctè quàm Censorinus & Macrobius: sic enim scribit;* Matutinum *est inter abscessum tenebrarum, & Auroræ aduentum; & dictum* matutinum, *quod hoc tempus tẽpus inchoantes manè sit. Diluculum quasi iam incipiens parua diei lux. hæc & Aurora, quæ Solem præcedit. hæc ille. sed puto mendosum locum, & castigo;* quod hoc tempore inchoante manescit. *vel;* quod hoc tempus opus inchoant, & manescit. *Nondum enim est mane, & tempestas illa ante diluculum.*

169 Cæco] *ludit in cæci voce: cæci autem mugitus & soni, sunt incerti soni; soni dubij, occulti,* ἀόρατοι. *sic Liuius; Ione:*

Dirige odorisequos ad cæca cubilia canes.

Lucretius lib. 1. pro opertis:

Sunt igitur venti nimirum corpora cæca:

& ne dubites opponi apertis, paullo pòst subiungit rationem:

Quandoquidem factis ac moribus æmula magnis
Amnibus inueniuntur, aperto corpore qui sunt.

Idem: At primordia gignundis in rebus oportet
Naturam clamdestinam, cæcámque adhibere.

& lib. 4. ignem obrutum, vocat cæcum: *& lib. 6. sepulta sordi & absumta nominat*, viscera cæca. *sic Virgil.* 12. *Æneid.* cæcum murmur. *sic etiam Ouidius & Horatius. pro;* cæcos, *Mogunt.* totos. *sed reliqui omnes* cæcos.

Mugitu] *de mugitibus terræ actum à me superius. Thyeste:*

—— imo mugit è fundo solum.

170 Sonos] *Nullus à me visus lib. in quo non;* sonos, *haberetur. vnum alij laudãt, qui;* sinus; *congruâ sententiâ, fateor, de specu; quem mox significat versu 176. Sed cùm post de specu, cur idem hic dicat? an vt* τοῦ λεπτολογεῖν *occasiones quærat Talthybius? non. sed quia terram voces aut sonos emisisse negant. Verùm de sonis emissis aperta res, non cæca, nisi cæcis. an vllus, quæso, mugitus sine sono? terram mugitu fremuisse dixit; quid mirum si nunc addat, traxisse cæcos ex imo sonos, quasi laborantis & dolentis gemitus; quam vi perrumpebat Pelidæ vmbra? prius auditus ille mugitus, mox soni isti incerti. De voce emissâ, nihil est: nihil de illâ, hìc noster. videntur idem credere,*

vocem & sonū. sed paullo post docebo, quid intersit. 178 Thessalici] *malè N. reposuit*; Thessali. *nam*; Thessalici, *Moguntin. & Eguian. & Herbip. & Veneti & Lugdunens. & aptior in quintâ sede anapæstus, quàm iambus. Porrò Achilles, prius fuit vocatus* Ligyros: *postea dictus* Achilles, *quòd labra mammis non admouerit, teste Apollodoro lib.3. Bibliot. vel quòd, quando mater illum immortalem reddere conabatur iniectū in ignem, teste Apollonio, vel in lebetem bullientem, teste Aegimione; & extraxit Peleus filio formidans, vt narrarat Sophocles ἐν Ἀχιλλέως ἐρασταῖς; tunc non potuit tam citò extrahi; vt iam labrum superius flammæ non ambusserint, vt volunt Agamestor & Lycophron: vel quòd cibis solidis & succulentis fuerit nutritus, carne videlicet ferinâ, vt scribit ex quorumdam sententia D. Nazianzenus; aut leonum visceribus & vrsorum aprorumq́; medullis, iuxta Apollodorum; vel melle & ferarum medullis, iuxta Philostratum lib. 2. imagin.; vel denique omni cibo solido, & qui mandi posset, non sugi, vt narrat Phænyx apud Homerum Iliad.9. Eius vmbram dicit*; emicuisse, *apto vmbris vocabulo. de his vmbrarum apparitionibus siue veris, siue falsis, multa Sybillianus peregrinar. quæstion. Decad 1. & Pet. Boysteaus in historiis Prodigios. & quem prius citaui Pet. Thyræus. Meritò autem vocat* ingentem *vmbram. Nam & ipsum Achillem scribit Lycophron altitudinem æquasse nouē cubitorum; quare Virgiliana Dido lib.1. Aeneid. quærit, quam vasto corpore Achilles fuerit, vt notat Parrhasius: & credebant vmbras apparere maiores, quàm viuorum statura fuisset. hinc sup. Oedip.*

Vide Schol. Apollonij in lib. 4. & Lycophron. in Cassand.

——— vaga per lucos simulacra virûm
Maiora viris ——— *& Thyeste:*
Maiora notis monstra.

hinc Virgilius (vt explico) lib.2. Aeneid.

——— atque ipsius vmbra Creusæ
Visa mihi ante oculos, & notâ maior imago.

scilicet, quia metu perculsi sic sibi persuadebant. Præterea, quo quisque maior corpore vel dignitate, hoc ἀναλογικῶς vmbram illius vastiorem putabant. Quare superiùs de Priamo & liberis eius agens, horum vmbras, præ illius, minores *vocauit ver.33. & apud Maronem lib.4. Aeneid. Dido Regina:*

Et nunc magna mei sub terras ibit imago.

De hac ipsâ Achillis vmbrâ scripsit Philostratus lib.3. de vita Apollonij, eam Thyanæo duodecim cubitorum longitudine apparuisse.

185 Tardus] *nec hoc tantùm, sed etiam à Vulcano ambustus Xanthus, teste Luciano, Homero, Philostrato in Imaginib. Recentiori nomine dictus,* Scamander, *fluuius Troadis, nauigiis aptus ab Idæ radicibus defluit, & iunctus Simoenti in Hellespontum influit, testibus Homero & Plinio.* θεῖον *vocat Hesiodus, non tantùm communi fluuiorum epitheto, sed etiam quia, peculiari ritu, diuinis honoribus colebatur. Nam Homerus Iliad.ε. Sacerdotem illi tribuit, & Aeschines in epist. prodidit, Troianas virgines nupturas eo se flumine abluere, & sic quasi virginitatis suæ delibationem offerre solitas. alius est Xanthus Lyciæ Homero Iliad.ζ. alius Boeotiæ Plutarcho quæst. Græcan.*

quæst.

quæst. 41. de cadauerum istâ multitudine in Scamandrum impulsâ Attius (ni fallor) Scamandriam vndam sanctam falso obtexi sanguine,

Atque aceruos altâ in amni corpore expleui hostico.

187 Habenas] *Homerus, Iliad. χ'.*

Hectorem & Troiam] *hoc eo pertinet, quod Higynus scribit exclamasse Achillem cùm Hectorē raptaret;* Expugnaui Troiam. *nec immeritò, vt dictum.* 188 Sonus] *vox propiè de humanâ & articulatâ dicitur, teste Aristotele lib. de interpret. ceteri dicuntur,* soni. *Interdum tamen etiam animalia bruta dicuntur voces emittere; sed minus propriè. Imò Sextus Empyricus, vocē putat rectè definiri, vt sit proprium sensile auditus; sed reuerâ hæc soni, non vocis definitio est, vt & illa Victorini lib. 1. Grammat. sed quid requiratur ad* sonum, *vt* vox *dici mereatur, petendum non à Grammaticis, aut Pyrrhonicis, sed à veræ philosophiæ magistris Aristotele lib. 2. de animâ, & lib. 5. de hist. & Galeno lib. de vocis instrument. & lib. 7. de vsu partium. Vmbræ & dæmones, teste Plutarcho in Coriolano, sonum edere possunt, vocem non possunt. ideo rectè Seneca;* sonus.

191 Nostra-maria] *nam maternam originem se ab Oceano ducere iactitabat; cùm tamen verè illi non* Thetis *mater, sed Philomela Actoris Filia, vt ex Staphylo docet Scholiastes Apollonij in lib. 4. versu 816.*

192 Manibus] *rebus gestis, victoriis manu partis.*

193 Græcia] *Recentiores Græci nolebant vocari Græci, sed Hellenes: Romani illos non Hellenes, sed Græcos vocare malebant. adeo hoc illis nomen inuisum, vt nec traducto Byzantium imperio Græci audire optarint; sed se Romanos, alios Latinos dicere cœperint: & nugetur Hesychius Romanos, ad vetus nomen ῥαικοὶ, τὸ γ'. addidisse, vt γραικοὶ vocarentur. falsò. nam nomen agnoscunt antiquissimi scriptores, Lycophron, Thucydides & alij. Aristoteles sanè docet prius tantùm γραικοὺς dictos, qui propriè dictam Hellada incolebant; & postea eosdem dici cœpisse Hellenes, à quodam Hellene, quod Apollodorus lib. 1. confirmat. Antiqua autem & propriè dicta Hellas vel Græcia, in Thessaliâ fuit, vbi Dodone & Acheloi fontes: hîc pro totâ illâ, quæ postmodum Græcia. Hebræis Græcia dicta Iáuan* יָוָן, *& Græci Ieuanim* Ab hoc Iauan dicti Iones.
יְוָנִים *à Iauan filio Iapheth.*

At magno luet] *Moguntinens. Herbipolens. Veneti;* ac magno luet. *porrò hæc Ouidius ita Metamorph. 13.*

Immemoresque mei disceditis (inquit) Achiui:
Obrutáque est mecum virtutis gratia nostræ?
Ne facite. vtque meum non sit sine honore sepulchrum,
Placet Achillæos mactata Polyxena manes.

195 Voce] *Herbipol. & Veneti;* nocte. Dimisit] *Veneti omnes;* diuisit. *ceteri;* dimisit. *hæc (inquit) locutus condidit se sub tenebras.*

196 Specum] *quem egressu aperuerat, clausit regressu.*

200 Triton] *Tritones vocari Deos marinos minutos, tradit Plutarchus lib. de Osyride. eos autem semiuiros, & semicetos esse, & verè reperiri docent, Demostratus in Halicut. Pausanias in Bœoti. Plinius lib. 9. cap. 5.*

Alexander ab Alex.lib.3.Genial.dier.cap.8. Wottonus lib. 8. de differ.anim. cap. 196. Gilius in addition.ad Ælianum, & alij. Illum tamen maris buccinatorem & sermonis humani peritũ asserunt plerique, quem Neptuni filium diximus, & de quo solo nostrũ loqui existimo: ceteros Tritones, humanæ vocis expertes indicant, qui de illis egêre: quomodo igitur Hymenæũ cecinerũt. Quos nobis Tritonum choros in Orchestram inducunt? credo vt cum Nereidibus Aeschyli concinant & tripudient. legendũ puto: Cecinit ab alto Triton Hymenæum thoris. *confirmat Mogunt. qui habet,* thoro. *Ab ipso mari vult Tritonem in Thetidis gratiam hymenæum futuris nuptiis præcinuisse.*

201 Cùm læta] *Hoc iurgium magnâ ex parte desumtum ex iurgio Teucri & Atridarum in Sophoclis Aiace.*

Τευ. φεῦ, τοῦ θανόντος ὡς ταχεῖά τις βροτοῖς
χάρις διαῤῥεῖ, καὶ προδοῦσ᾽ ἁλίσκεται·
εἰ σοῦ γ᾽ ὅδ᾽ ἀνὴρ οὐδ᾽ ἐπὶ σμικρῶν πόνων
Αἴας ἔτ᾽ ἴσχει μνῆστιν, οὗ σὺ πολλάκις
τὴν σὴν προτείνων προὔκαμες ψυχὴν δορί.
ἀλλ᾽ οἴχεται δὴ πάντα ταῦτ᾽ ἐῤῥιμμένα.

Teu. Heu quàm citatim mortuorum gratia
Ingrata cedit, atque partes deserit.
Siquidem hic nec etiam ob parua dictu munia
Meminit tui Aiax; cuius olim gratiâ
Tuo periclo tot pericla exhauseras:
Sed omnis iste fluxit ingratus labos.

sic noster, excidit Achilles, *&c.*

202 Cuius vnius] *similem ibidem Teucer simili in ingratitudine Agamemnonis rerum ab Aiace gestarum narrationem texit:*

οὐ μνημονεύεις οὐκέτ᾽ οὐδὲν, ἡνίκα
ἑρκέων ποθ᾽ ὑμᾶς οὗτος ἐγκεκλεισμένους,
ἤδη τὸ μηδὲν ὄντας ἐν τροπῇ δορὸς
ἐῤῥύσατ᾽ ἐλθὼν μοῦνος, ἀμφὶ μὲν νεῶν
ἄκροισιν ἤδη ναυτικοῖς ἑδωλίοις
πυρὸς φλέγοντος.

Oblitus adeò es, quando nos in prœlio
Periculosis impeditos cassibus,
Nullâ salutis spe, atque vorsos in fugam
Eripuit iste vos suo aduentu; foris,
Cùm fureret ardens ignis in naualibus.

204 Obiecit] *sic Lipsiens. rectè. nam Moguntinens.* abiecit. *ex quo mendo aliud, Lugdunens. & aliorum excusorum manauit;* adiecit.

205 Scyros] *dum illic latuit inter virgines Lycomedis.*

Lesbos] *relictâ Scyro Achilles, in Lesbum priusquam se reliquæ classi Ilium petenti adiungeret, contendit, eamq; insulam occiso prius Trambelo Telamonis filio, qui illic habitabat ex quo Apriatem puellam diligere cœperat, & Achilli se opposuerat, occidit; vt ex Euphorione narrat Parthenius Erotic.*

tic. cap. 26., expugnauit. ibi illi Methymna vrbs moram obtulit, nec illam potiri posse videbatur, nisi Pisidice Regis filia ipsius amore correpta vrbem, nuptias pacta, prodidisset; quam tamen meritò postea supplicio affecit, milites iubens vt proditricem lapidibus obruerent. hoc narrat poëta ignotus, qui Lesbiaca scripsit, cuius fragmentum dabo ex Parthenio:

ἔνθα δὲ Πηλείδης κατὰ μὲν κτάνε λάμπεδον ἥρω,
ἐκ δ' Ἱκετάονα πέφνεν Ἰθαγένεος Λεπετύνου
υἱέα, Μηθύμνης τε καὶ ἀλκήεστατον ἄλλων,
αὐτοκασίγνητον Ἑλικάονος ἔνδοθι πάτρης
τηλίκον ὑψίπυλον, θαλερὴ δέ μιν ἄασε κύπρις.
ἡ γὰρ ἐπ' Αἰακίδῃ κούρη φρένας ἐπτοίησε
Πεισιδίκη, ὅτε τόν γε μετὰ προμάχοισιν Ἀχαιῶν
χάρμῃ ἀγαλλόμενον θηέσκετο. πολλὰ δ' ἐς ὑγρὴν
ἠέρα χεῖρας ἔτεινεν, ἐελδομένα φιλότητος.

* * * *

δέκτο μὰν αὐτίκα λαὸν Ἀχαιϊκὸν ἔνδοθι πάτρης,
παρθενικὴ κληῗδας ὑπὸ χλίσασα πυλάων
ἔτλη δ' οἷσιν ἰδέσθαι ἐν ὀφθαλμοῖσι τοκῆας,
χαλκῷ ἐληλαμένους, καὶ δούλια δεσμὰ γυναικῶν,
ἑλκομένων οὖν νῆας. ὑποσχεσίης Ἀχιλῆος,
ὄφρα νυὸς γλαυκῆς Θέτιδος πέλοι ὄφρα οἱ ἦεν
πενθεροὶ Αἰακίδαι, Φθίῃ δ' ἐνδώματα ναίοι,
ἀνδρὸς ἀριστῆος πινυτὴ δάμαρ. ἡ δ' ὅγ' ἔμελλε
τὰ ῥέξειν, ὀλοῷ δ' ἐπαγάσσετο πατρίδος οἴτῳ,
ἔνθ' ἥγ' αἰνότατον, γάμον εἴσιδε Πηλείδαο
Ἀργείων ὑπὸ χερσὶ δυσάμμορος. οἳ μιν ἔπεφνον,
πανσυδίῃ θαμινῇσιν ἀράσσοντες λιθάδεσσιν.

N. Hic vbi Pelides Heronem occidit & ipsum
Post Hicetaonem Ithageneo natum Lepetynno
Methymno, & cunctum germen qui robore vicit,
Fratrem vterinum Lycaonis, in medio vrbis,
O qualem Hypsipylon? Veneris sed facta malignæ
Qualia sunt? namque Æaciden conspexit vbi ipsum
Pisidice. hic primos inter fuit altus Achiuos
Viribus exsultans, & fortis robore dextræ:
In cælum extensis manibus cupit esse maritum.

* * * *

Excepit populum reseratis vndique portis
Stulta puella intra patriam, dulcésque parentes
Sustinuit mactari, oculis & cernere siccis
Ferrea femineam gestantem vincula turbam,
Distrahi & ad naues, promissis læta in Achillis:
Scilicet vt glaucæ Thetidis nurus sit, & exstent
Æacidæ affines, Phthiorum & regna gubernet,

Magni

Magni victoris coniux. sed nescia quod non
Hæc facturus erat. nam cladi innexuit atræ
Vna hanc cum patriâ. thalamum sic intrat Achillis,
Argiuum infelix manibus prostrata iacens nunc,
Cunctorum vnanimi consensu, & adobruta saxis.

hæc mora in Lesbo, de qua me nihil memini alibi legisse.

212 Pylij senis] *Æolus genuit Salmoneum, qui Tyronem; quæ peperit Neleum Nestoris patrem.* Pylius *dicitur etiam Aristoteli in Peplo in vtroq; epigrammate. Ausonius quatuor ætates vixisse scribit:*

Hoc tegor in tumulo quarti iam prodigus æui
Nestor, consilio clarus, & eloquio.

214 Fassus] *prodidit seipsum visâ galeâ & scuto, vt refert in Achilleide Statius. ideirco Homerus ait à ferro attractum virum.*

216 Mysiæ] *duplex Mysia, Europaea & Asiaticâ; de hac hoc loco sermo, cui nomen inditum scribit Scylax Caryandenus à Myso fluuio, qui eam perfluit. Vide Apollonium & eius Scholiast. in lib. 1. prope finem.*

218 Mitem] *quod retulimus de Telepho sanato ab Achille, fusiùs commemorat Higynus fab. cap 101. & Anton. Mizaldus Cent. 7. Memorab. aphoris. 4. putat fabulam natam inde, quòd vel Aristotele auctore, vulnera telis æreis inflicta, quia causticam & siccam exhalationem in vulnere relinquunt, faciliùs curentur. Id confirmari videtur eo, quòd cuspis hasta Achillea, vt & ensis Memnonis, & cetera Heroum arma tradita sint ærea fuisse: ex Pausaniâ docet lib. 1. var. histor. cap. 51. Leonicus; & æs illos eam ad rem temperaturâ quadam indurare solitos, sed eâ amißâ ad vsum ferri homines rediisse, referunt Proclus & Zozes in Hesiodum. Medicinam Achilles à Chirone didicit, & vt verisimile est Chirurgicam, quæ tunc fortè sola in vsu. Sanè de Chirone D. Isidorus lib. 4. Origin.* Medicinam (*inquit*) iumentorum quidam Chiron Græcus inuenit, inde pingitur dimidiâ parte homo, dimidiâ equus. dictus autem Chiron ἀπὸ τοῦ χειρίζειν, quia chirurgus fuisse dicitur, vnde appellatus.

220 Eetion] *hic non ille frater Dardani, filius Electræ, de quo ex Idomeneo, & Hellanico, Scholiastes Apollonij in lib. 1. sed Andromachæ pater, Thebarum Asianarum rex. Vide Homerum Iliad 6.*

221 Lyrnessos] *oppidum Troadis, patria Briseidis. Ouidius:*

Fertur & abductâ Lyrnesside tristis Achilles.

vide Homer. Iliad. 1. Ouid. in epist. Briseid. Turnebum lib. 13. Aduer. cap. 15.

224 Tenedos] *insula, Græcorum insidiis, qui illic, qua nocte simulabant reditum, latuerunt, nota; iacens inter Lesbum & Hellespontum.*

Quæ pascuo fœcunda pingui] *vtcumq; terminos Thraciæ extendas, nunquam illi ad Cillam vel Tenedum pertingent. quid ergo Tenedo vel Cillæ cum Threiciis gregibus commune? Quare arbitrarer eo decennio, quo Troiam obsederũt, Danaos armenta equorũ bellicorum (quales sunt Threicij) illic, propter pascuorum vbertatem, aluisse. Sed vtra,* Tenedos, *an* Cilla? *nescio. nam neutri videtur satis rectè cohærere quod dicitur: & Moguntin. manusc.*

mansuse. aliiq; nonnulli; mittit, *continent, pro;* nutrit. *vt suspicio me subeat, hic aliquid deesse, nomen scilicet loci, qui equos vel subministrabat, vel alebat.*

226 Cilla] *Ciliciæ ciuitas à Pelopis aurigâ ibi sito nominata, teste Strabone lib.* 13. *Sacra est Apollini, ab eâ Cillæo. Pro,* sacra, *Mogunt.* cara.

227 Caycus] *Mysiæ amnis, ideo à Virgilio in Georg.* Mysus dicitur.

229 Tot vrbes] *duodecim maritimæ, vndecim mediterraneæ, vt glorialur ipse Achilles Iliad. 9.*

231 Iter est Achillis] *fortè etiam alludit ad summam velocitatem eius, vnde κῦφος, ποδάρκης. πόδας ὠκὺς cognominatur. Pind. de Achille Nem.* 3.

κτείνοντ' ἐλάφους ἄνευ κυ-
νῶν δολίων θ' ἑρκέων·
ποσσὶ γὰρ κράτεσκε.
Interficientem ceruos sine canibus
dolosisque septis.
pedum enim excellebat velocitate.

& alibi dicit eum: ——— Ἄρει
χεῖρας ἐναλίγκιον
στεροπαῖσί τ' ἀκρὰν πόδων· Marti
Manibus æqualem,
Pedibus verò fulmini.

233 Merita] *non est quod hanc vocem tollant, proba & sincera.*

235 Vicit] *expugnauit. vnde etiam ipse Achilles ab Homero vocatur* πτολίπορτος, *non semel Iliad.* ο φ' ω. *quamuis vel semel tãtùm, vel nunquam sic vocatum putent, Cicero, Strabo, & Eustathius: frequentius tamen hoc Vlyssi tribuit, cuius consilio vult captam Troiam. at Maroni;*

Priami regnorum euersor Achilles.

238 Patruique] *sic Moguntinens. & pleriq; m. s. & sic Veneti, Herbip. Lugdun. & alij. probè. nam Priamus iuxta nonnullos Memnonis patruus.*

239 Pallente] *idem tradit Triphiodorus.*

241 Diis natos] *Moguntinens.* Deæ, *Herbipolens. & Veneti,* Deâ. *vtrumuis rectum. vt primus restitui in Aduersar.*

242 Amazon] *Penthasileam Amazonum reginam Troiano bello, inter fortissimos viros, egregia virtutis edidisse documenta scribit Iustin. lib.* 2. *Triphiodorus admodum bellicosam fuisse, & Græcos vsque ad naues fugasse scribit; quod Cointus copiosius enarrat. Eustathius refert, ex quorumdam relatione, ab eâ primo Achillem interemtum, & maternis precibus in vitam reuocatum, eam ipsam occidisse. Dares à Neoptolemo scribit interfectam. id verius, si Achillem illa necauit.*

247. At tuam] *Iphigeniam in Aulide à patre immolatam ad ventos propitiandos tradidere Theognis initiò operis, Eurip. in Iphig. priore, Virgil.* 2. *Aeneid. & Ouid.* 12 *Metamorph. Auctor etiam est Demarathus Lib.* 1. *Rerum Tragicar. Erechteum suam filiam Proserpinæ immolasse; suam quoque Marium Dijs Auerruncanis, tradit Dorotheus lib.* 4. *rer. Italicar. Vide Clementem Alex. in Protrept. De Iephte ex voto filiam sacrificante,*

cap. 11. Indic. consule D. Greg. Nazianzen. orat. 20. D. Ambros. lib. 3. offic. cap. 12. & D. Hieron. in. 7. cap. Hierem. & D. Epiphan. hæres. 55.

248 Et facta] τὸ &, *deest Moguntin. idem*; impetus.

253 Quo plura] *hunc versum Pyrrho ascribunt: Sed contrà fidem librorum omnium. Nec malè inter se nexa, si continues. reddit enim Atrides rationem pulcherrimam, & Regum Rege, iam sene, dignißimam; cur superbiam Achillis patienter tulerit. At Pyrrhum hoc dicere, minus conuenit. contumelias ille, non modestiam cogitat: irâ & iuuentæ feruore effertur. nihil illi nunc sanæ, nihil pacatæ mentis: qui consilium nec datum recipiat, minus rectè consulat aliis.*

262 Magna momēto obrui] *Isocrates*; Quod cōgregare seu colligere omnium difficillimū sit: dissoluere & dispergere omnium facillimum. *Seneca epist. 92.* Longam moram dedit malis properantibus, qui diem dixit non horá momentumq. temporis euertendis imperiis sufficere. *quibus verbis Euripidem reprehendit, secutus Phalereum. vide Thyest. 597.*

263 Tumidos] *Moguntin.* Timidos. *vterque quidem affectus ab Ilio. Superbia, quia euerterant: pauor, quia monebat exemplo, & ipsorum potentiam momento obrui posse. Sed de pauore infra commodius, cùm de Priamo: nunc solam ferociam Pyrrhi, qua efferebatur vult compescere.*

270 Ego esse quicquam sceptra] *ex illis Polynicem dehortantis Iocastæ apud Eurip. in Phænyß.*

τί τὴν τυραννίδ' ἀδικίαν εὐδαίμονα
τιμᾷς ὑπέρφευ, καὶ μέγ' ἥγησαι τόδε;
περιβλέπεσθαι τίμιον; κενὸν μὲν οὖν
ἢ πολλὰ μοχθεῖν, πόλλ' ἔχων ἐν δώμασι
βούλει; τί δ' ἔστι τὸ πλέον; ὄνομ' ἔχει μόνον.

Quid regna, felicis quid iniusti Deam
Veneraris, ac tanti facis? honore an putas
Summo colendam? vanius nihil est eâ.
Vis plura corradere? bonis cùm polleas,
Quid profuerit? inane nomen opes gerunt.

271 Falso-vinclo] *videtur (ait) diadema capitis ornamentum, cùm re verâ cathena sit, & vinculum verticis nostri: cùm nos capite minuat, veram tollens libertatem; in veram compingens seruitutem. Rectè etiam dixit* Vano fulgore tectum nomen. *nam vt ait lib. de diuinâ prouid.* Isti, quos pro felicibus aspicitis; si non qua currunt, sed qua latēt videris; miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti. non est ista solida ac sincera felicitas, crusta est & quidem tenuis. Itaq. dum illis licet stare, & ad arbitrium suum ostendi, nitent & imponunt. Cùm aliquid inciderit quod disturbet ac detegat: tunc apparet quantum altæ ac veræ felicitatis alienus splendor absconderit. *tam parum, vt nomen non res vocetur, & fulgore tectū vano nō vero. vide Her. Oet. v. 648.*

272 Casus hoc rap. breuis] *Euripides ibidem:*

ὁ δ' ὄλβος οὐ βέβαιος ἀλλ' ἐφήμερος.

Nec

Nec stabilis est nisi in diem felicitas.

In Moguntin. hic; casus hoc rapit. *melius Herbipol. & Veneti*; hoc rapiet. *quàm Lugdun. & Germani alij*, hæc rapiet.

278 Arcuissem] *assentior Lipsio scribenti*; arcuissem. prohibuissem. *sic, eodem errore, cùm rectè inferius legeretur*; vna ab interitu arcuit, *librarius Moguntinens. scripsit*; Arguit.

287 Dono] *melius Moguntinens.* donum.

290 Qui non vetat] *Thucydid. lib.* 1. Non enim tam is qui redigit alium in seruitutem, quàm is, qui cùm possit hoc prohibere contemnit, id facere existimandus est: maximè si præclarum titulum Græciæ in libertatem asserendæ præ se ferat. *Ad hunc verò Senecæ locum videtur alludere Saluianus li.7.de Prouidentia*: Potestas quippe magna & potentissima, quæ inhibere scelus maximũ potest, quasi probat debere fieri, si sciens patitur perpetrari. In cuius enim manu est, vt prohibeat, iubet agi, si non prohibet admitti. *huc etiam pertinet illud Prudentij:*

Nil refert, auctor fuerit factorque malorum:
An opera in vitium sceleris pulcherrima verti,
Cùm possit prohibere, sinat ——

294 Leuatur] *Moguntinen.* leuetur. *pro*; infuso, *Burdigal.* effuso. *& pro*; homini, *Mogunt.* hominis.

299 Pœna] *indigno virginis regiæ supplicio.*

300 Tumide] *inflate, arrogans, æmide, vt veteres dicebant.*

312 Supplex paternus] *vehementer hoc auget crudelitatem. nam Plato lib.5. de legib. scribit omnium, tam in peregrinos quàm in ciues peccatorum maximum esse, quod in supplices committitur. Quare meritò Triphiodorus hoc ipsum exaggerauit. cùm enim narrasset Pyrrhi facinus, addit illum neque æqualem Priamo Pelei caniciem reueritum, neque ipsum Priamum, cui καί περ ἔων βαρὺ μηνις, ἐφείσατο τὸ πρὶν Ἀχιλλεὺς*, etiam grauiter iratus existens Achilles ante pepercerat. *& propterea Neoptolemum vocat σχέτλιον* impium. 313 Hostésque] *pepercit parens meus supplici, ego hosti non peperci. peruicaciâ in hostem, beneficentiâ aduersus supplices vtendum scio. horum vitæ consulendum, illi euitandi.*

315 Aiaci] *Iliad. ί.* 323 Thessalis] *in hoc carmine malo*, Thessalicis, *in sequ.* Thessalis. *vt habent Lugdunens. ceteri vitiosi.*

329 Nunc misericors] *ironicè. nam sensus postulat vt neget misericordem esse. Moguntin. eodem sensu*; non, *pro*, nunc. *Porrò loquitur ex aliorum consuetudine. nam Stoici misericordiam animi vitium ex alterâ extremitate crudelitati oppositum existimabant, quod probare nititur Seneca li.2. de Clementia. sed misericordiam tollere, humanitatem est tollere: & delirium illud Stoæ confutatum iam pridem à patribus Lactantio lib. 6. cap.10. & 14. & D. Augustin. lib.9. de ciuit. Dei cap.5: & de moribus Ecclesiæ lib.1. cap.27. in fine. Miror hodie qui Chrysippum defendant, Lactantium reprehendant. Si de voce misericordiæ contendunt; audiant quid cap. illo 5. de Græculis Augustinus, ne vocem culpent seculis omnibus receptam. si res displicet; quam vo-*

cula notat : tunc, ſi virtutem eſſe negant, ſanè impÿ ; qui vel Deo adimunt, quod illi proprium cuncta ſacræ ſcripturæ volumina proclamant; vel Deo tribui volunt aliquid minus perfectum, & reprehenſione dignum. damnãt Eccleſiam ; quæ miſericordiam & miſerationem laudat , ſuadet , amplectitur. Chriſtum Dominum damnant, qui non ſemel miſertus & miſeratus aliena mala, non ſemel ingemuit, & fleuit. At inquiunt, de animi affectu loquimur. Diſcite ergo rectius tutius philoſophari : & animi has affectiones ſeu paßiones per ſe nec bonas nec malas eſſe , ſed virtutis aut vitÿ rationem , ex recto vel obliquo vſu accipere. Ariſtoteles 2. Ethic. cap. 5. & D. Thomas 2. 2. q. 35. a. 1. docebunt ; quos ad vnum omnes hîc ſequuntur , qui ſanè ſapere & ſobriè à ſanis & ſobriis iudicantur.

331 Lex nulla capto parcit] *nam quod bello capti non occidantur , non legis ciuilis ſanctione, ſed hominum magis clementiâ initio receptum; qui captiuos ſeruare, quàm occidere maluerunt. Vnde & dictos ſeruos Iuſtinianus cenſuit §. ſerui autem. de iure perſon. alÿ malunt à ſeruiendo dictos: & Iuſtinianum rident. idem tamen Pomponio viſum prius* ; Seruorum (*ait*) appellatio ex eo fluxit, quod Imperatores noſtri vendere captiuos, ac per hoc ſeruare, nec occidere ſolent. *l. pupillus. 139. D. de rer. & verb. ſignif. Quaſi, non antequam ſeruiant, ſeruati ſint. Ait Seneca, licere captos occidere. ita initio creditum Barbaris, Græcis, & Romanis: ſed Romani poſtea ſuſtulere iniquam illam poteſtatem: l. 1. D. de his qui ſunt ſui vel. al. iur.*

336 lactas] *alÿ* iacta. *in præced. verſic. Ethius:* Minimum debet libere.

338 Scelere quæ fratrum] *apud Sophoclem Teucer Agamemnoni:*

Ἀτρέα δ᾽ ὃς αὖ σ᾽ ἔσπειρε δυσσεβέστατον
προθέντ᾽ ἀδελφῷ δεῖπνον οἰκείων τέκνων:
Tuum ſatorem autem Atreum ſacerrumum
Fratri vorandos appoſiſſe liberos.

340 Atrei &c] *Teucer quoque hanc ignobilitatem non reticuit:*

οὐκ οἶσθα σοῦ πατρὸς μὲν, ὃς προὔφυ πατὴρ,
ἀρχαῖον ὄντα Πέλοπα βάρβαρον Φρύγα;
Neſcis tui qui proſator patris fuit
Pelops vetuſtus, eum fuiſſe barbarum?

341 Ex virginis] *viciſsim ſic Agamemnon Teucro:*

σέ τοι τὸν ἐκ τῆς αἰχμαλώτιδος λέγω.
ἦπου τραφεὶς ἂν μητρὸς εὐγενοῦς ἄπο,
ὑψήλ᾽ ἐκόμπεις, κἀπ᾽ ἄκρων ὡδοιπόρεις.
Tibi dico captæ matris ancillæ genus.
Ingenua quòd ſi ſuſtuliſſet te parens,
Quantum tumeres , teq́ue celſum attolleres.

Furtiuo ſtupro] *hoc Agamemnoni Teucer ingerit:*

αὐτὸς δὲ μητρὸς ἐξέφυς Κρήσσης, ἐφ᾽ ᾗ
λαβὼν ἐπακτὸν ἄνδρ᾽ ὁ φυτεύσας πατὴρ,
ἐφῆκεν ἐλλοῖς ἰχθύσιν διαφθοράν.
Te mater autem Creſſa protulit, ſuus

Quam

Quam deprehendit viro cum alieno pater
Mutisque iecit pabulum natantibus.

342 Sed nondum viro] *Quærebat apud Suetonium Tiberius, quomodo id temporis Achilles fuerit vocatus? respondet Hygyn. in fab. cap. 96. à capillorum colore tunc* Pyrrham *dictum. sic explico & castigo ista Sidonij in carmine ad Felicem*:

Inde Scyriadum datus parenti,
Falsæ nomina pertulisse Pyrrhæ:
Atque inter tetricæ choros Mineruæ, *&c.*

describit elaborato sermone, vt solet, Tertullianus lib. de pallio cap. 4. Naturam concussit Larisseus heros in virginem mutando. ille ferarum medullis educatus, vnde & nominis consilium, quandoquidem labiis vacuerat ab vberum gustu: ille apud rupicem, & siluicolam, & monstrorum eruditorem scrupeâ scholâ eruditus. Feras in puero matris sollicitudinem. patiens certè iam vstricolas, certè iam virum alicuius clanculo functus, adhuc sustinet stolam fundere, comam struere, cutẽ fingere, speculum consulere, collũ demulcere, aurem quoque foratu effeminatus: quod illi apud Sygeum statua seruat. planè postea miles est. necessitas enim reddidit sexum. de prœlio sonuerat, nec arma longè. Ipsum (*inquit*) ferrum virum attrahit. Ceterum si post incentiuũ quoque puella perseuerasset, potuit & nubere. Ecce itaque mutatio: monstrum equidem geminũ, de viro femina, mox de feminâ vir. *Hæc Septimius, vnde apparet turpitudo transfigurati sexus, quam hîc Pyrrhi natalibus aspergit. Nondum virum, veteres* improlem *vocabant teste Victorino libro 1. artis Grammat.* Alludit ad Homeri locum.

346 Paridis] *sed ex insidiis iuuante Apolline Paridem, & eminus sagittâ missâ, vt docent Smyrnæus lib. 3. Dictys lib. 4. Pausanias in Attic. Ouidius in Metamorph. & alij. ideo subdit:*

Quem nec Deorum cominus quisquam petiit.

352 Rati] *quædam schedæ*; ratis.

354 Mundi fragor] *terræmotum; cuius mira descriptio apud Xiphilin. in Traiano, genera, quæ sint tradunt Aristot. lib. 2. Meteor. cap. 7. Seneca li. 6. Nat. quæst. & Plinius lib. 2. cap. 79. & seq.*

355 Stella] *cometes, quem Seneca stellam esse censuit lib. 7. Nat. quæst. Verius tamen, stellæ differunt à cometis, vt docent, Aristot. li. 1. Meteor. c. 7. Plinius lib. 2. c. 22. & est communis opinio philosophorum & astronomorum.*

Longâ flammâ] *extento & diffuso crine.*

358 Calcha] *de quo recondita quædam Leonicus lib. 3. var. hist. cap. 63.*

362 Ionidésve] *virgines Argiuæ. de Ioniâ diximus nonnulla alibi, eam describit Plinius lib. 5. cap. 29. Quis primus Ionas in oppida compulerit, cùm nusquam legissem, docuit me hoc fragmentum Nicæneti, apud Parthenium; de Cauno, Biblidis fratre:*

* αὐτὰρ ὅγε προτέρωσε κιὼν οἰκούσιον ἄστυ * Miletus.
κτίσσατο Τραγασίῃ δὲ κελαινέας εἴχετο παῖδι,

 ἣ οἱ

ἥ οἱ Καῦνον ἔτικτεν, ἀεὶ φιλέοντα θέμιστας.
γείνατο δ' ἐραδαλῆς ἐναλίγκιον ἀρκεύθοισι
Βιβλίδα, τῆς ἤτοι ἀέκων ἠράσατο Καῦνος.
βῆ δὲ φερένιδιος φεύγων ὀφιώδεα κύπρον,
καὶ Κάπρος ὑλιγενὲς, καὶ κάρια ἱρὰ λοετρὰ,
ἔνθ' ἤτοι πτολίεθρον ἐδείματο πρῶτος Ἰώνων.

N. Longius inde abiens vrbem construxit: at ipsi
Tragasiæ vxori semper coniunctus ab illâ
Suscepit Caunum gaudentem legibus æquis,
Atque etiam excelsis similem suscepit ab illâ
Biblida iuniperis; quam inuitus Cadmus amauit.
Quare abiit fugiens Cyprum serpentibus auctum,
Siluosúmque Caprum, Carum quoque balnea sacra.
Postque vrbe inclusit constructâ primus Iönas.

Hoc loco Iönides dicuntur Inachides seu Argiuæ.

367 Turre de summa] *Moguntin.* turre de durâ. *Herbipol. & Veneti*, turre reclusus cadat. *an voluerunt edere*; turre detrusus. *nihil muto, à Basileens. Lugdun. & Lipsiens. lectione*; turre de summâ.

In chorum.

Hic chorus impius est, & animam humanam asserit perire cum corpore: quæ Stoicorum sententia fuit, vt docet Stobæus in Physic. eclog. pag. 109. & 106. Zenonis vt tradit auctor lib. de spiritu & animâ. tom. 3. Aug. & Senecæ, vt patet ex epist. ad Lucilium & Consolat. ad Martiam, & ei meritò hanc sententiam tribuit Tertullianus lib. de resurrectione carnis; quæ fuit Stoicis cum Epicureis communis, & paucis philosophis, quos recensent Aristot. lib. 1. de animâ, & Plutarchus lib. 4. placit. cap. 7. & Theodoretus lib. 5. Græcan. affection. sed hi inferioris subsellij omnes, vt & Plinius lib. 7. Nat. hist. & Lucretius Epicureus lib. 3. de rer. Nat. Nam Galenus non satis sibi ipsi consentire videtur. modò dubitare se ostendit, modò videtur in Epicureorum errorem delabi, si Cano credimus lib. 12. de locis cap. 15. modò apertè immortalem fatetur eam quâ intelligimus, vt lib. 9. de placit. cap. 16. & li. de vteri conceptu. Aristotelem, etsi quidam velint eum impietatis crimine onerare, etiam grauissimi scriptores; verius tamen est, animam humanam immortalem esse credidisse, vt mox docebo. De Platone nihil dubitandum; nec fuere, qui dubitent. Non tamen defuere olim hæretici, qui ad reijciendos Mosis libros contenderent ipsum animam nostram mortalem statuisse, dum dixit: Animam omnis carnis esse in sanguine. Leuit. 17. Et esse possent minus prudentes, qui ex Patribus idem se colligere crederent, quorum nonnulli animam humanam (de hac enim solâ nunc loquimur) corporeám esse significant; eo quòd solus Deus illis incorporeus, & in sacris litteris anima sanguis vocetur, & animæ membrorum mentio fit, Lucæ 16. & alia nonnulla quæ adducunt. Verùm hi patres tantùm voluere, eas Dei comparatione, non posse sic absolutè incorporeas dici, quemadmodum Deus est incorporeus, vt docet Xistus Senensis li. 6. annot. 35.*

* *Tertull. in lib. de animâ. Orig. lib. 1. περὶ ἀρχῶν c. 8. & tract. 30. in Ioan. Cassian. in collat. Gennadius in lib. de Eccles. dogmat. Pascasius Diaconus lib. 2. de Spiritu sancto. Faustus lib. 2. de natur. & alij.*

Et

Et quod anima in sanguine dicitur, vel sanguis ei tribuitur, vt Gen 9. Sanguinem animarum vestrarum requiram: *similitudine quadam (vt vult D. Aug.) anima dicitur sanguis, quia vt inter humores omnes potissimùm viuit animal sanguine: sic etiam intelligimus animam id esse, qua vitam ducimus.* * *Et esse in sanguine animã nihil aliud est (D. Epiphan. teste hær. 56.) quàm quod sine sanguine viuere non possumus. Animæ autem membra tribuuntur, vt Deo; quia officiis membrorum fungitur. Nulli ergo Theologi, nulli sani philosophi hoc opinati, quod vult Seneca; nisi fortassis Alexander Aphrodisæus; qui ex quattuor elementis componit. Quomodo igitur anima habet potestatem quarundam actionum, quæ nunquam fuerunt in potestate vllius elementi, vt mouendi antrorsum, retrorsum, dextrorsum, læuorsum? nihil enim in vllo composito, quod actu non fuerit in principiis eius essentiam constituentibus. nam principia huiusmodi sunt actus eorum, quorum sunt principia. Hanc hæresim, quibusdam Arabibus tribuunt Eusebius lib. 6. hist. & D. Augustin. hæres. 83. quatenus semel animas mori contendebant, & postea resurgere non amplius morituras: quod etiam videntur voluisse Netopsychitæ apud Damascenum lib. de hæresibus. Et vereor, ne non satis longè ab illâ recesserint recentiores quidam Aristotelei, qui conantur in eam philosophorum principem pertrahere, vt Pet. Pomponat. in lib. de animæ immortal. & Simon Portius in lib. de mente humana. Pomponatij argumenta dissoluit Contarenus editis cõtra illum, etsi non nominat, libb. de animæ immortalitate. Portij argumenta omnia refellunt Mar. Antonius Natta in lib. de animæ immortal. & Iacob. Ant. Marta Neapolitan. in Apologia contra Portium. & Anton. Mirandulan. in singula. certam. lib. 11, 12, 34. vsque ad 39. Fusè etiam Naclantus tomo 2. in disp. de animæ immortal. & Iulius Castellanus Fauentinus in tribus libris de animæ immortalitate; nostri quoque Fran. Toletus in lib. 3. de anima, Aristot. & Ben. Pererius lib. 6. Nat. princip. cap. 19. & seqq. dicam & ego nonnulla, sed breuiter.*

* D. Aug. lib. 2 cont. adu. legis cap 6. vide Sixt. Senen. lib. 8. bibl. c. vlt.

In primis animam hominis incorpoream esse & immortalem voluêre præstantissimi quique philosophi, Mercurius Trismegistus in epist. ad Æsculap. & dial. 1. & post eum Pherecydes Sirus eius discipulus (errauit Cicero putans hunc primum auctorem) cui illam tribuit præter Ciceron. 1. Tusculan. Lactantius lib. 7. cap. 3. tenuit idem Thales Milesius, teste Laërtio lib. 1. & Pherecydæ discipulus Pythagoras, teste Cicerone, & omnes discipuli Pythagoræ, vt Timæus apud Platonem, & Archytas apud Iamblichum in lib. de myster. quamuis hi errarunt, quoniam de brutorũ animabus idem existimabant.

Tenuit Plato constantissimè in Phædro, Phædone, Timæo, Philebo, Menone, lib. de repub. & epist. cuius loca recensent Fauentinus in d. opere, & Pererius d. lib. 6. cap. 18. Tenuit Galenus, vt dixi; & Hippocrates in lib. de carnibus. Tenuere, magistrum secuti, Platonici omnes, non Christiani modò, vt D. Greg. Nyssenus, D. August. D. Iustinus, Aenæas Gazæus; cuius manuscr. exemplar Græcum (nondum puto excusum esse Græcè) habetur Louanij in collegij nostri Bibliothecâ; dialogo, de animæ immortalitate. Sed & pagani quoque Platonici, Plotinus, Iamblichus, Porphyrius, Proclus, Psellus, Gemistus

Phleton,

Phleton, Alcinous, Apuleius, & reliqui. de brutorum animabus etsi in Phædone valde insinuet eas quoque æternas; verius tamen puto mortales posuisse, vt docent Philopon. in proœm. lib. de animo, Bessarion lib. 2. contra Trapezunt. & Marsil. Ficin. in Theolog. Platon.

Tenuit Aristoteles, etsi Gazæus & alij nonnulli cũ Plutarcho, & Aphrodisæo, Aristotelis mentem sequtus interpretentur: vel, cum Scoto, Herueo & Nypho dubiam fuisse putent: tenuit tamen, vt communius hodie plerique cum D. Thomâ, Albert., & omnibus ferè Scholasticis; cum Themistio, Simplicio, Philopono, Theophrasto, Olympiodoro, & vtroque Ammonio, nobiliores Peripatetici, Contarenus, Mocenicus, Anton. Mirandulanus, Mar. Ant. Ianua, Montecatinus, & alij eum sunt interpretati. Quid aliud illa sonant? λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον. οὐδὲ γὰρ αὐτοῦ τῇ ἐνεργείᾳ κοινωνεῖ σωματικὴ ἐνέργεια: *nisi, solam mentem extrinsecus aduenire, diuinam esse solam, & nullam actioni mentis nostræ, cum corporeis actionibus communionem intercedere? lib. 2. de animal. gener. cap. 3. Deinde nonne in lib. de animo apertè id se sentire insinuat?* ὁ δὲ νοῦς ἔοικεν ἐγγίνεσθαι, οὐσία τις οὖσα, καὶ οὐ φθείρεσθαι. μάλιστα γὰρ ἐφθείρετ' ἂν ὑπὸ τῆς ἐν τῷ γήρᾳ ἀμαυρώσεως. νυνὶ δ' ὥσπερ ἐπὶ τῶν αἰσθητηρίων συμβαίνει. εἰ γὰρ λάβοι ὁ πρεσβύτης ὄμμα τοιονδὶ, βλέποι ἂν, ὥσπερ καὶ ὁ νέος, ὥστε τὸ γῆρας, οὐ τῷ τὴν ψυχὴν πεπονθέναι τι, ἀλλ' ἐν ᾧ, καθάπερ ἐν μέθαις καὶ νόσοις. καὶ τὸ νοεῖν δὴ καὶ τὸ θεωρεῖν μαραίνεται, ἄλλου τινὸς ἔσω φθειρομένου. αὐτὸ δὲ ἀπαθές ἐστι. τὸ δὲ διανοεῖσθαι καὶ φιλεῖν ἢ μισεῖν, οὐκ ἔστιν ἐκείνου πάθη, ἀλλὰ τουδὶ, τοῦ ἔχοντος ἐκεῖνο ᾗ ἐκεῖνο ἔχει. διὸ καὶ τούτου φθειρομένου, οὔτε μνημονεύει, οὔτε φιλεῖ, οὐ γὰρ ἐκείνου ἦν, ἀλλὰ τοῦ κοινοῦ, ὃ ἀπόλωλεν. ὁ δὲ νοῦς ἴσως θειότερόν τι καὶ ἀπαθές ἐστι. Intellectus autem extrinsecus aduenire videtur, & substantia quædam esse & non corrumpi. Maximè enim corrumperetur, ab eâ debilitatione quæ senio contingit. Nunc verò non aliter euenit, quàm in sensuum organis. Si enim seni iuuenilis oculus daretur, cerneret vt iuuenis. Quamobrem nihil anima à senio patitur, sed quia id in quo est patitur, senescere videtur. sicut in ebrietatibus & morbis fit. Ipsum igitur intelligere ac cõtemplari marcescit, alio quodam interius corrupto: ipsa verò mens impatibilis est. ratiocinari autem, & amare, & odisse, non sunt illius affectiones, sed eius quod mente præditum est, vt eâ præditum. Quare hoc corrupto, mens non amplius recordatur, nec amat; non enim hæc mentis erant, sed compositi cõmunis quod interiit. Intellectus autem seu mens fortè diuinum quid est, & passionis expers. *Ad quæ verba Philopon. & alij monent addidisse* τὸ ἴσως, *non quòd dubitaret, sed quòd nondum id perfectè demonstrasset: & manifestum esse eum de nostrâ rationali animâ loqui; ineptos verò & vanos esse qui aliud existimarunt. Nam mox subdit* εὐλογώτατον γὰρ εἶναι τοῦτο προγενέστατον καὶ κύριον κατὰ φύσιν. rationi maximè conuenit esse nobilissimum quiddam mentem, & quando naturæ ordo retinetur, tunc illam ceteris partibus dominari. *Lib. deinde sequ. scribit* nihil vetare quasdam animæ partes esse separabiles à corpore, cùm corporis nullius

Contaren. in lib. 2 de immort. l. anim. Mocenicus in lib. 1. de transf. homin ca 18. 19 & seq. Mirandulan. in vniuers. singular. certamin. cete. ri m 3 de anima. tex. 65. & 66.

Lib. 1. tex. 82.

Lib. 2. tex. 11.

nullius ſint actus: etſi partes eius aliquæ ſeparabiles non ſint. οὐ μὴν, tex. 21.
ἀλλ' ἔνιά γε οὐδὲ κωλύει, διὰ τὸ μηθενὸς εἶναι σώματος ἐντελεχείας, & cæt. Hugo de ſancto Victore
poſtea, ſpeculatiuum aliud genus animæ & ſeparabile eſſe ab aliis, ſicut lib. de ſpir.
perpetuum à corruptibili *docet*: ceteras autem animę partes ſeparabiles & anim. â c.
non eſſe, vt quidam voluerunt. περὶ δὲ τοῦ νοῦ καὶ τῆς θεωρητικῆς δυνά- 38. *Tripartitam vim animæ, id eſt, ſenſualem, rationalem & intellectualem, philoſophi partes vocant, non integrales, ſed virtuales, quia potentiæ ſunt.*
μεως, οὐδέπω φανερόν. ἀλλ' ἔοικε ψυχῆς γένος ἕτερον εἶναι. καὶ τοῦτο μόνον ἐν-
δέχεται χωρίζεσθαι, καθάπερ τὸ ἀΐδιον τοῦ φθαρτοῦ, τὰ δὲ λοιπὰ μόρια τῆς
ψυχῆς, φανερὸν ἐκ τούτων, ὅτι οὐκ ἔστι χωριστὰ καθάπερ φασί τινες. *Et lib.* 3.
affirmat mentem eſſe ſeparabilem, immiſtam, & impaſſibilem ἀπαθὲς ἄρα
δεῖ εἶναι. *item* ἀμιγῆ εἶναι, & οὐδὲ μεμῖχθαι εὔλογον αὐτὸν τῷ σώματι, & tex. 1. 4.
ſubiungit organis carere. & poſtea, ſenſitiuum non eſſe ſine corpore; in- tex. 6.
tellectiuum verò prorſus à corpore ſeparari. τὸ μὲν γὰρ αἰσθητικὸν οὐκ ἄνευ tex. 7.
σώματος, ὁ δὲ νοῦς χωριστός. *& addit*, intellectum eſſe per ſe intelligibi- tex. 15.
lem & intelligentem, quoniam in his quæ materiâ carent idē eſt quod
intelligit, & intelligitur. ἐπὶ μὲν γὰρ τῶν ἄνευ ὕλης, τὸ αὐτό ἐστι τὸ νοοῦν καὶ τὸ
νοούμενον. *& clarius*, καὶ οὕτως ὁ νοῦς χωριστὸς καὶ ἀμιγὴς καὶ ἀπαθὴς τῇ οὐσίᾳ
ὢν ἐνεργείᾳ. & hic intellectus eſt ſeparabilis, & immiſtus, & impatibilis, tex. 19.
ſubſtantia ſemper actu exiſtens. *& mox*: χωρισθεὶς δ' ἐστὶ μόνον, τοῦθ' ὅπερ tex. 20.
ἐστι, καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον. Segregatus eſt animus ſolus, quic-
quid eſt, & hoc ſolùm eſt immortale & ſempiternum. *Nec difficile id
ipſum ratione probare. Nam (vt dictum) animus natura Ariſtoteli diuinum
quid: & eidem nullum cæleſte ſeu diuinum corruptibile. Item negabat Ari-
ſtoteles, ex nihilo aliquid produci poſſe; quod ſequeretur, ſi anima mortalis.
nam eſt illi anima quid ſimplex & incompoſitum. ergo non habet principia in
quæ redigatur. iccirco ſi interit, redigitur in nihilum. fit ergo ex aliquo nihil.
cur non igitur ex nihilo aliquid? Præterea eſt Ariſtoteli actus,* ἐντελέχεια *&
principium eſſendi & agendi. ſed ſi eſt actus, eſt quid ſimplex, non compoſi-
tum. nam compoſitum eſt potentia, partes eius ſunt actus. Rurſus ſi eſt prin-
cipium eſſendi & agendi; non eſt quid compoſitum. tunc enim partes eius eſ-
ſent principium. ſed nullum eſt principium eſſendi, cui præter Deum aliud ſit
principium. ergo non eſt Ariſtoteli aliquid compoſitum. ergo illi anima eſt
ſimplex. ſed huiuſmodi, ex nullis principiis componitur. ergo nec in vlla poteſt
reſolui. Vnde apparet omiſſis aliis, quæ adduci poſſent, eos qui volunt Ariſto-
telem animam rationalem interitus non expertem cenſuiſſe (vt ait Michaël
Epheſ. in lib. 10. ad Nicomach.)* οὐδὲν τι λέγουσιν ἀληθές. *Quare facilè cre-
diderim, quod refert Themiſtius in 3. de animâ, ſcripſiſſe philoſophum Dia-
logum quendam ad Eudemum Ciprium, in quo fusè immortalitatem animi
probarit; cùm id ipſum non obſcurè à Cicerone lib. 1. de Diuinat. & Plu-
tarch. in Conſolat. ad Apollonium, & in vitâ Dionis confirmari, iam alij
monuerint. Tenuerunt idem philoſophi, quos refert Theodoretus lib. 5. cura-
tion. Græcanicar. Eugubinus lib. 9. de perenni philoſoph. cap. 12. & 13. cona-
tur eam Stoicis aſcribere, maximè Senecæ, & cap. 16. & 17. Epicteto, eo quòd
à Deo creatam, Dei partem, abſciſſum quid & emanans à Deo eſſe dixerint,
& poſt mortem quietem homines manere, & ſimilia: ſed non aduertit, hæc*

 expli-

explicanda ex Stoicorum sententiâ, quibus ipse Deus mortalis, & finem habiturus, & quies illa, nil nisi ad nihilum penitus redactio: quare Tertulliano, Theodoreto & Stobæo assentior. Animæ verò immortalitatē illi crediderunt; quos propterea occidisse se, vt perpetuò viuerent, legimus apud Lactantiū li. 3. diuin. instit. cap. 18. D. Hieronymum in lib. contra Iouinian. & D. August. lib. 1. de Ciu. Dei cap. 2. etsi de Vticensi Catone, quia Stoicus fuit, non immeritò dubites; nisi eâ in parte Academiæ sectator, cetera Stoicus. Defendunt eandem Cicero 1. Tusc. Plutarchus lib. de fortitud. & lib. de serâ Numinis vindicta, Macrobius in somn. Scipionis, & alij: Poëtæ quoque Latini, qui partim inferni pœnas sceleribus propositas, partim hanc animorum durationem celebrarunt; vt Seneca, ex personarū quæ loquebantur, non animi sui sententia, in Herc. Oetæo & Furente, & in Thyeste, & auctor Octauia; & Virgilius, etsi hîc fortè animum ex igne velut materiâ composuerit: Ouidius, non tam quidem in Metam. 15. inquiens: Morte carent animæ, *loquitur enim Pythagoras trāsmigrationis auctor, & de brutorū quoq; quam in Tristibus:*

——— nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis, ingeniíque bonis.

Manilius lib. 4.

An dubium habitare Deos sub pectore nostro,
In cælumque redire animas, cælóque venire.

sed hoc quoq; ad Stoicorum mentem dictum. Claudianus, de animâ rationali:

Hæc sola manet bustóque superstes
Euolat ——— *denique Silius Italicus lib. 15. & Horatius, postquam deseruit Epicurum; Iuuenalis, Lucanus & alij. Ex Græcis Homerus, Euripides, Æschylus, Theognis, ceteri innumeri. paucorum testimonia adscribam, sed illustriora. Phocylides:*

ψυχαὶ γὰρ μίμνουσιν ἀκήριοι ἐν φθιμένοισι.
πνεῦμα γάρ ἐστι θεοῦ χρῆσις θνητοῖσι καὶ εἰκών.
σῶμα γὰρ ἐκ γαίης ἔχομεν καὶ πάντες ἐς αὐτὴν
λυόμενοι κόνις ἐσμὲν, ἀὴρ δ' ἀνάπνευμα δέδεκται.
Nulla lues animas defuncto corpore tangit.
Spiritus ille Dei est homini concessus imago.
Corpus terra dedit; versi, nisi puluis, in ipsam
Nil sumus: ast animæ spiracula suscipit æther.
ψυχὴ δ' ἀθάνατος καὶ ἀγήρως ζῇ διὰ παντός.
Morte carent animæ, & senij expertes semper viuunt.

Pythagoras:
ἡνίοχον γνώμην στήσας καθύπερθεν ἀρίστην.
ἢν δ' ἀπολείψας σῶμα ἐς αἰθέρ' ἐλεύθερον ἔλθῃς,
ἔσσεαι ἀθάνατος θεὸς, ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητός.
Optima dux ratio aurigæ te more gubernet.
Æthereum posito cùm liber adiueris orbem
Corpore, tum viues æternum, more Deorum.

Apud Clementem Alexandrin. in Stromat. li. 4. Epicharmus: εὐσεβὴς νόῳ πεφυκὼς, οὐ πάθοις οὐδὲν κακὸν κατάθανων, ἄνω τὸ πνεῦμα διαμένει κατ' οὐρανόν·

ψύχαι

ψύχαι δὲ ἀσεβῶν ὑπυράνιοι ἐπὶ γαῖα πετῶνται ἄλγεσι φονίοισι, ὑπὸ ζάγλαις ἀφύκτοις κακῶς. εὐσεβῶν δ' ἐπυράνιοι νᾶσι κολποῖς μακάρων, μέγαν ἀείδυσιν ἐν ὕμνοις. Si pietatem animo coluisti, nil mali post obitum patieris. superius manet in cælo spiritus: impiorũ verò animæ sub cælo vagæ, doloribus summis cruciatibusque ęternis malè exagitantur. Piorum animi cælestes, sinu beatorũ recepti, magnũ celebrant hymnis. *Sophocles*:

Ἔςαι γὰρ, ἔςαι κεῖνος αἰώνων χρόνος,
ὅταν πυρὸς γέμοντα θησαυρὸν χάσῃ
χρυσωπὸς αἰθὴρ, ἡ δὲ βοσκηθεῖσα φλὸξ
ἅπαντα τὰ ἐπίγεια καὶ μετάρσια
φλέξει μανεῖσα. ὅταν δὲ ἐκλίπῃ τὸ πᾶν,
φροῦδος μὲν ἔςαι κυμάτων ἅπας βυθὸς,
γῆ δ' ἑδράνων ἔρημος, ὐδὲ ἀρ' ἔτι
πτερωτὰ φῦλα βαςάσει πυρυμένη.
καὶ γὰρ καθ' ἅδην δύο τρίβυς νομίζομεν,
μίαν δικαίων, χ' ἀτέραν τῶν ἀδίκων,
εἶναί τε ὅρον, κἄπειτα σώσει πάνθ' ἃ προσαπόλωλεν.

Hoi tres citat D. Iustinus lib. de monarchia.

Erit enim, erit illud seculorum tempus,
Cùm plenum ignis thesaurum laxabit
Igneus æther, pastúque flamma
Omnia & terrestria & sublimia
Comburet insaniens. Vbi deinde desierint omnia,
Nusquam erit fluctuum omnis gurges,
Eritque terra sedibus deserta, nec amplius
Volucrum genus portabit dum ardebit.
Nam ad inferos duas semitas existimamus,
Vnam iustorum, alteram iniustorum,
Eritque terminus. deinde seruabit omnia quæ perierint.

Philemon.

Οἴει σὺ τὺς θανόντας, ὦ Νικόςρατε,
τρυφῆς ἁπάσης μεταλαβόντας ἐν βίῳ,
καὶ γῆν καλύψειν, ὡς ἀπὸ τῦ πάντ' εἰς χρόνον
πεφευγέναι τὸ θεῖον ὡς λεληθότας;
ἐςὶν δίκης ὀφθαλμὸς ὃς τὰ πάνθ' ὁρᾷ
εἰ γὰρ ὁ δίκαιος καὶ ἀσεβὴς ἕξυσιν ἕν,
ἅρπαζ' ἀπελθὼν, κλέπτ', ἀποςέρει, κύκα
μηδὲν πλανηθῇς, ἔςι κἀν ἅδυ κρίσις,
ἥνπερ ποιήσει Θεὸς ὁ πάντων δεσπότης,
οὗ τὔνομα φοβερὸν, οὐδ' ἂν ὀνομάσαιμ' ἐγώ.

Respicit ad nomen ineffabile tetragrámatum.

Putásne tu mortuos, ô Nicostrate,
Omnibus deliciis in vitâ potitos,
Terrâ ita tectum iri, vt deinceps in omne tempus
Effugerint numen, tanquam latuerint?
Est æquitatis oculus, qui omnia videt.

Si enim iustus & impius eadem conditione futuri sunt;
I, rape, furare, frauda, misce. sed
Errare noli. est & apud inferos iudicium.
Quod faciet Deus omnium Dominus;
Cuius nomen formidabile ne nominare quidem ausim.

Euripides:

ἄφθον βίου μῆκος δίδωσι πρὸς κρίσιν·
ὅστις δὲ θνητῶν οἴεται τουφ' ἡμέραν,
κακόν τι πράσσων τόν Θεον λεληθέναι,
δοκεῖ πονηρὸς, καὶ δοκῶν ἁλίσκεται
ὅταν σχολὴν ἄγουσα τυγχάνῃ δίκη.
ὁρᾶθ' ὅσοι νομίζετ' οὐκ εἶνε Θεὸν,
δὶς ἐξαμαρτανόντες οὐκ εὐγνωμόνως.
ἔστιν γὰρ, ἔστιν· εἰ δέ τις πράσσει κακῶς,
κακὸς πεφυκὼς, τον χρόνον κερδαινέτω,
χρόνῳ γὰρ οὗτος ὕστερον δώσει δίκην.

Satis longam vitam dat ad iudicium.
Quisquis verò mortalium putat, dum interim
Malum aliquod facit, se latere Deum,
Is videtur malus: & dum videtur, capitur
Cùm ocium agit iustitia.
Hæc perpendite, quicumque existimatis non esse Deum.
Bis peccantes non ritè.
Est enim, est. quod si quis malè facit,
Et est malus; tempus sanè lucretur:
Nam tempore postea dabit pœnas.

Atqui sic putandum, si sit anima mortalis. interit enim corpus: si & illa; quid reliquum? nisi vt cum Simonide impio, canamus:

τοῦτο κενεῖς ἀΐδαν, κενεὰ διανήχεται ἀχώ,

Item:

πάντα γὰρ μίαν ἱκνεῖται λαπίδα χάρυβδιν,
αἱ μεγάλαι ἀρεταὶ, καὶ ὁ πλοῦτος.
βροτῆς μὲν γὰρ χρόνος ἐστι βραχὺς, κρυφθεὶς δὲ
ὑπὸ γῆς κεῖται νεκτὸς τὸν ἅπαντα χρόνον.

Nihil ad inferos præter sonum transit inanem.
Item: Omnia enim perueniunt ád vnam voráginem diram
Et magnæ virtutes & diuitiæ,
Tempus enim est breue viuendi. semel verò situs
Sub terrâ iacet mortuus per omne æuum.

quid, nisi vt cum Sardanapalo felicitatem in rebus fœdissimis collocemus? Nam si cum corpore perit anima; pro operibus nullum vel præmium sperandum, vel pœna pertimescenda. quod videns D. Augustinus meritò professus est; se, si mortalis est anima, palmam Epicuro tribuere, & in eius sententiam mente statim concessurum, lib. 6. confess. cap. vlt. Sed quid testimoniis Gentilium

lium colligendis lectorem moror? Omnes ferè nationum omnium sapientissimi sic olim sunt arbitrati. de Chaldæis id certum est Zoroastris, & multorum testimonio; item de Iudæis (præter Sadducæos) & Ægyptiis, vt docent, adductis testimoniis, etiam Oraculorum, Iosephus lib. 1. contra Appion. Eusebius lib. 1. de præparat. Euangel. & Lactantius lib. 7. & Philostratus in vitâ Apollonij lib. 8. De Græcis iam docui, & testis Plato lib. 10. de repub. & in Apolog. De Persis & Medis, Xenophon in Cyropæd. de Romanis Cicero 1. Tusculan. & lib. de Senect. & in somn. Scipion. De Thracibus, Theodoret. lib. 5. De Gallorum Druidibus, & Maßiliensibus, Cæsar lib. 6. bell. Gall. & Valer. Maximus lib. 2. cap. 1. De Bracmanis & Gymnosophistis, Philostratus in Apollonij vita, & D. Antoninus 1. par. hist. tit. 4. cap. 2. Et epistolæ Indicæ, & Iaponicæ nostri ordinis hominum testantur, Chinarum, Iaponiorum, & Indorum maximâ ex parte hanc esse sententiam. vt verè Plato in libb. de legibus & in Apolog. dixerit hunc esse sermonem constantem, vnanimiq; omnium testimonio corroboratum, quem fontem aliquem magnũ vnde fluxerit, auctoritatemq; maiorem, quàm humanam habuisse, necesse sit. verè. nã habuit ipsum lumen naturæ, & lumen certius fidei diuinitus cælo missum. Vtrumque non difficulter ostendam, non quòd non plerique iam ostenderũt, sed quia vel me scribentem ista delectant, vel vtilitas ipsa rei tantæ, in quâ beatitatis nostræ sita fundamenta, sæpius repetita & inculcata, operæpretium pollicetur. Fidei lumen præferunt sacræ litteræ, concilia, & conscripti illi Ecclesiæ patres. docent enim non obscurè, primò animam humanam esse spiritum, vt opponitur corpori & carni. Psal. 30. In manus tuas cõmendo spiritum meum, *siue vt est in Hebr.* אַפְקִיד רוּחִי deponam spiritum meum, *& in Græco* παραθήσομαι: *sanè Dominus dixit Lucæ 23.* In manus tuas commendo spiritum meum. *& Ecclesiastæ cap. vlt.* reuertatur puluis in terram suam vnde erat, & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum. *vbi est pro spiritus* רוּחַ *ruah. Chaldæus autem Paraphr. exponit* spiritus animæ tuæ. *in Græco* πνεῦμα, *& frequentissimè D. Paulus spiritum seu* πνεῦμα *ponit pro animâ ad Rom.* 8. *ad Gal.* 1. *& prior ad Cor* 5. *&* 7. *& poster. c.* 7. *& D. Stephan. etiam Act. 7. Et Dominus monet Ioan. 4. Deum esse spiritum, & propterea in spiritu adorandum; quod argumentum nihil valeret, nisi animus quoque noster, quo Deum vult adorari spiritus esset. in suo ergo genere animus noster spiritus est, quo Deus in suo, hoc est, materiæ & corporis expers. Nec sanè memini* τὸ ἁπλῶς *in scripturâ spiritum poni pro animâ brutorum, sed cum addito,* spiritus vitæ, *Gen. 7. vel iumentorum, aut quid simile,* רוּחַ *vnde colligi poßit, agi de animâ brutorum, non vt re subsistente, sed tanquam* חַיִּים *de aëre, qui statim euanescit. secus autem de hominis spiritu, quem absolutè sic vocat, & cui tribuit proprias actiones, vt velle, intelligere, etiã post mortem. Tradunt hoc ipsum ex professo communiter Patres, vt D. Hieron. in 10 cap. Matth. & in epist. ad Pammachium, vbi sententiam Originis, qui corpus aëreum animæ dabat, damnat; vt D. Augustin. contra Tertullian. hæres. 86. & lib. 10. super Genes. ad litt. & in epist. D. Gregor. Magnus 1. Moral. D. Chrysost. D. Nazianz. & alij. Et definitur in epist. Sophronij approbatâ*

per Sex. Synod. & in Lateran. consil. sub Innoc. 3. c. firmiter. de summ. Trin. Secundò docent eandem animam esse immortalem, nec vnquam interituram. Scriptura quidem, Sap. 3. vbi dicuntur iustorum animæ in manu Dei, nec tanget eos tormentum mortis, & spes eorum immortalitate plena. *capite 4.* Iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. *&; placens Deo,* raptus est, ne fictio deciperet animā illius. Consummatus in breui expleuit tempora multa. placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properauit illum educere de medio iniquitatum. *Tobiæ 12.* Eleemosyna à morte liberat, & facit inuenire vitam æternam. *non à corporis morte, sed animæ. Lucæ 10. narratur anima Lazari fuisse in sinu Abrahæ, epulonis autem in inferni cruciatu. Matth. 10. dicit Dominus homines non posse animam occidere, quem locum ibi bene ponderant Chrysost. Theoph. & D. Hieron. Denique Matth. 22. non resurrectionem modò, quamuis illam præcipuè, sed & animæ immortalitatem Dominus probat ex illo Exodi 3.* Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Non est Deus mortuorum, sed Deus viuentium. *Quasi diceret: Ego sum ille Deus quem nunc pro vobis exorãt; alioqui respondere potuissent Sadducæi, esse Deū, quem illi, quando erant, adorabant. & sic Domini argumentatio foret inualida: nec quisquam Patrum de hoc dubitauit: accuratè potiùs nonnulli cõprobarunt, vt Clemens lib. 4 Stromat. D. Ireneus lib. 2. cap. 64. D. Iustin. in Dialog. contra Triphon. & in Apolog. ad Antonin. Tertullian. lib. de Resurrect. carn. & lib. de animâ, Gregor. Nissenus lib. de animâ. Lactantius lib. 7. cap. 8. & seqq. D. Chrysost. hom. 4. de prouidentiâ. D. Ambrosius lib. de bono mortis cap. 9. D. Augustinus lib. de immortalitate animæ, & lib. de quantitate animæ, & alibi. Hugo Victorinus, si ipse auctor, lib. de spiritu & animâ, in tertio tomo operum D. Augustini. Æneas Gazæus lib. de immortal. animorum, & alij. Et hoc decisum est in Conc. Viennensi sub Clemente V. & in Lateranensi sub Leone X. sess. 8. Adeo vt qui non verentur id in dubium vocare, aut à philosophiâ alienum asserere, ab Ecclesiâ damnati censeri debeant.*

Tertiò docet eadem Ecclesiæ auctoritas, animam hominis immortalem, non tantùm ex priuilegio, aut per gratiam, vel miraculum; sed naturâ suâ. Nam concilium Lateranense expressè tradit, verè, & per se, & essentialiter esse talem: & Scripturæ loca citata id videntur insinuare maximè Lucæ 12. vbi traditur nullos homines vltra corporis necem quicquam posse. Et probatur ratione. Nam naturâ sua sunt spiritus: spiritus autem naturâ suâ est immortalis. Quod verò hæc immortalitas in conc. Constantinop. 8. act. 11. dicitur à Sophronio non naturâ, sed gratiâ seu beneficio & dono Dei cõcessa, qua phrasi multi etiã sancti Patres sunt vsi; hoc sic accipiendũ est: vt velint hoc animam non de suo habere & ex se, quasi non acceptum à Deo. Nam donum dici potest aliquando generaliter quicquid ab alio quis accepit: quo pacto ipsa etiam natura nostra, & quicquid Deus non est, Dei donum est; & ipsum quod est, Dei hoc gratiâ est. Et sic Patres voluerunt Animæ immortalitatem Dei donum, & animam diuinâ gratiâ immortalem esse; quemadmodum eadem gratiâ, est anima. Solum namq; Deum habere immortalitatẽ ex se & à nullo acceptam.

& sic

ψυχαί. ψυχὴ αὐτοῦ.

& sic D. Paulus 1. *Timoth. vlt. dixit de Deo,* qui solus habet immortalitatem. *Alio modo donum dicitur, quicquid naturæ & essentiæ rei superadditum est; & quod non naturâ rei postulabat, vt sibi necessariũ; sed quod gratuita liberalitas auctarij loco illi gratiosè fuit elargita. hoc pacto, negandum animam esse immortalem Dei dono. Naturâ enim suâ, & per se, secundùm essentiam, talis est. Nam si hoc secundo modo foret expers interitus; moreretur anima vsque ad iudicij diem perinde ac corpus. Quia (Rom. 5.) propter peccatum mors introiuit in orbem terrarum. ergo sicuti propter peccatum, beneficium, corporibus vt non morerentur concessum, sublatũ, & proinde mox corporum mors subsecutà fuit: ita etiam beneficium illud ab animis sublatum foret, & subsecuta foret mors animorum. At fides nos docet, animos interitus expertes esse. docet ergo eadem, tales esse naturâ (hoc vltimo modo) non gratiâ, aut peculiari beneficio. Donum ergo Dei, quia naturaliter acceptũ à Deo; qui libera est omnium efficiens causa. Posset tamen Deus hanc animæ essentiam mutare, & animam corrumpere. Omnia enim dependent à Deo, qui solus primum principium cunctorum. quare possunt omnia alia ab illo corrumpi. sunt animi quidem, entia absoluta à subiecto suo & à termino; sed non à causâ: quare sunt ab alio & per aliud. At omne quod ab alio est, si id à quo dependet principium liberũ est, mutari potest. Animus igitur humanus mutari à Deo potest, & deturbari ab illâ, quam habet immortalitate. Nam si non posset, ideo non posset, quod in se haberet aliud principium resistendi diuinæ omnipotẽtiæ infinitæ. At illud principiũ à Deo dependere non posset. Deus igitur primum principiũ non foret, nec ab illo cetera cuncta dependerent. quo quid absurdius?*

Restat naturæ luce idem comprobare. potest enim, & quidem efficacissimè: sed breuior sum futurus, quia copiosissimè id D. Thomas q. de anima. & in summâ contra Gentes li. 2. & lib. de potentiâ q. 3. & alibi: & ex nostris Toletus hoc prolixè præstitit in li. 3. de animâ. q. 15. & Pererius dicti lib. 6. c. 20. Duas tantùm rationes proponam. Prima ratio desumitur ex eo, quod diximus plerasque gentes omnes solo naturali instinctu ductas, præcipuos etiam philosophos quibus fidei Sol non illuxerat, animæ immortalitatem cognouisse: sed huiusmodi iudicium cunctis insitum, cùm à naturæ lumine nascatur, non potest non esse certum & verum. quocirca reliquum est, naturæ faces satis hominibus ad hoc ipsum intelligendum præluxesse. Quæ ratio eleganter & robustè deducitur à Cicerone 1. Tusculan. & mihi inter Platonicas rationes videtur præcipua, cum illâ, quæ de diuinâ prouidentia est. Nam ceteræ partim falsæ, vt quæ de reminiscentia est; partim non rectè propositæ & explicatæ, vt quæ de animâ seipsam mouente; partim probabiles tantùm sunt. sed mihi nũc non videntur examinandæ. consule, si lubet, Nicolaum Leonicum in Bembo, Pet. Nicolaum Fauentinum in lib. de anima immortal. & Iacob. Carpentar. Comment. in Alcinoum digreß. 10. Secunda ratio meo iudicio conuincens sanã, & proteruiâ vel pertinaciâ non obcæcatam mentem est, illa quã D. Clemens Roman. lib. 3. recognit. ait se accepisse ex ore B. Petri Apostoli; si Deus iustus est, anima immortalis est: quamq; D. Chrysost. hom. 4. de prouidentiâ, & Lactantius lib. 7. cap. 10. censent tam esse claram & certam, quàm certum

est & euidens, meridiano splendente sole diem esse, non noctem. Quâ ratione etiam (quicquid dicat Scotus) vsi sunt in Phædone, & in libris de repub. Plato, & Plutarchus in lib. de serâ numinis vindictâ, & Cicero 1. Tuscul. ego illam sic deduci reor commodius; Si homo habet liberum arbitrium (vt nunc suppono, & habet re verâ) actionibus suis pœnam, vel præmium meretur. Si meretur præmium vel pœnam; ad diuinam spectat prouidentiam (hanc nullus nisi ἄθεος negare potest) pœnam illam promeritis, vel præmium reddere tis, quorum curam gerit: & si negligit, iniustus est. sed si anima hominis cum corpore interit, sæpe negliget: esset ergo iniustus. sæpe negligere, manifestum foret. Nam videmus non rarò multos improbè & sceleratè viuentes; quibus per totam vitam nihil ferè mali contingit, dignũ sceleribus: contra nonnullos iustißimè & sanctißimè vitæ cursum peragentes, continuis semper cladibus & ærumnis premi ac affligi. Si tales multi; vt iustus sit Deus, nec suæ curæ commissos negligenter habere videatur; necesse est, hos aliquando præmiũ, illos pœnam & supplicia manere. Sed non manet vllus infligendi, vel largiendi locus; si cum corpore perit animus. tunc enim nihil vel boni vel mali post mortem iis, qui nullâ sui parte sunt, potest euenire. Nec aliter diuinæ literæ diuinam iustitiam tuentur. Lucæ 16. Recordare fili, quia recepisti bona in vitâ tuâ, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. *Iob 21. & 22. Psal. 36. & 72. Ecclesiastæ. 3. Sap. 3. Hierem. 12. & Abac. 1. Nec sanè sufficiens est virtutis retributio, ipsa delectatio; nec pœna sceleris, conscientiæ remorsus. Multi enim in peccando callum obduxerunt, ita vt vix illos vnquam conscientia remordeat; qui tamen pœna digniores. Et virtus quâ virtus est, præmium; peccatum, quâ peccatum, pœnam meretur. Et si nulla bona sunt præter præsentia, cur illa diligere, vitio potius quàm prudentiæ ascribitur? Quis plures gaudij fructus, quis maiores percepit ex virtutis operibus, quàm vas electionis, gentium Apostolus? ille tamen Corinthiis scribens. 1. epist. cap. 15.* Si in hac vitâ tantùm, in Christo sperantes sumus; miserabiliores sumus omnibus hominibus. illi enim *(ait D. Hieron.)* vel in præsenti gloriantur: nos autem tribulationes hîc quotidie sustinemus. Vt quid *(ait auctor commentar. qui D. Ambrosio tribuuntur)* ieiunia, vigiliæ, exitus, munda vita, iusticia, misericordia, mors; si pro his nulla merces erit in futuro? Increduli autem vel hac vitâ fruuntur. *Et Oecumenius*: Si *hac *(inquit)* vitâ dũtaxat durant nostra, & in hanc solam conclusa sunt nobis, quæ speramus, miseri sumus. siquidem totum perdidimus, dum futura perdidimus. Et quid dico, inquit, quod in hac vitâ sperare miserandos facit? nam si etiam in Christum speramus in hac tantùm vitâ, hoc quoque modo miseri sumus. Si enim post tantos labores & pericula, huius tantùm vitæ habebimus bona, *etiam hæc erunt laborum retributiones. *his similia D. Chrysost. in 1. ad Cor. hom. 39. Similia Theodoretus, Sedulius, ceteri Patres: vt appareat omnem Scoto & Henrico, eorumq; sequacibus viam præclusam, vim argumenti huius, prorsus apodictici, eludendi. Quod mihi instar omnium videtur, & de quo non immeritò dicas: hoc robur, & æs triplex, hic murus aheneus. Omitto demonstrationes*

Negat ea vix philosophus.

Esse euidens verum esse Deũ rectorẽ omniũ, & secundum leges iustitiæ retribuere & punire latè probat D. Thom. lib. 3. cõt. Gẽt. à cap. 64 max. cap. 140.

*Male vulgò legitur.

*Repono: atque. vel quid simile.

tiones alias; quæ à potentiis & operationibus animæ ducuntur: partim ab intellectu, qui res corporeas cognoscit, ideo corporeus esse nequit, qui cognoscit & versatur circa simplicium & spiritalium rerum naturam & essentiam: cognoscit Deum & intelligentias; cognoscit per causas vniuersales, effectus; vtitur argumentatione, discurrit affirmando & negando; reflectitur supra se ipsum & suas operationes; percipit se & suas actiones; abstrahit à loco, tempore, & omnibus accidentibus sensilibus; iudicat inter corpus & spiritum; non entia & impossibilia, cognoscit; quorū nihil posset, si non esset abstractus, & à materiâ seiunctus: nec vllum habet organum corporeum sibi peculiare. partim à voluntate, quæ iisdem prædita dotibus, eiusdem est ordinis & gradus cum voluntate angelicâ. est enim libera, vt illa; nō subiicitur vllis orbium cælestium dispositionibus; est capax virtutum multarum, ad quarum actiones se vires corporeæ nequeūt porrigere, religionis, timoris Dei, amoris Dei; versatur circa bonum, vt bonum; habet appetitum quendam altiorem, & victorem eius, qui cum brutis communis est nobis; per quem respuimus delectationes, & quæcunque iucunda sunt corpori, & quæ præsentia sunt; concupiscit dolores & acerba quæq; præsentia, amore absentium æternorum: quo naturaliter appetimus immortalitatem, non vt ceteræ res; sed vt nobis debitam ac propriam. aliæ appetunt tantùm, quia nollent esse desinere; aut saltem, quia in præsenti esse cupiunt: nos appetimus esse, non tantùm vt nunc simus, vel ne esse desinamus; sed vt semper & in æternum simus. nequit autem hic appetitus in hac vitâ satiari: erit ergo quando satiabitur. Non enim frustrà Deus illum nobis inseuit. An tu Deum similem putas auaro hospiti, qui mensam opiparam conuiuis apponat: nec vnquam illos appositis vesci sinat? vexare hoc esset, non reficere. maleficus ille, non beneficus videatur. hæc inquam, & huiusmodi multa prætereo. etenim iam pro Commentar. instituto nimis multa dixi; pro rei dignitate & vtilitate vix pauca delibaui.

Valeat ergo Seneca cum suis animæ necatoribus. durius hoc vobis fortassis in illum dici videtur, & minus verè. Sensêre hoc mihi credite, Stoici: sensêre, quantūuis ornata verba, velut phaleras, ad populum. tribuit hoc illis Tertullianus, & quos diximus; sed cunctis clarius doctissimus Theodoretus, cuius propterea verba adscribam: Zeno (*inquit*) Citieus, à quo Stoicorum secta defluxit, ea sectatores suos atque discipulos, de animâ opinari instituit. Genitale siquidē hominis semen, quod humore ac spiritu præditum esse cernitur, partē esse animę, quandámque velut abscissionem putauit, confusaneámque mixtionem seminis patrum maiorúmq nostrorum de cunctis animæ particulis in vnam collectā, eiúsq. rei causâ corruptibilem eam dixit. Numenius autem Pythagoricus contra hos inuectus, hæc inquit: Τὴν δὲ ψυχὴν γεννητήν τε καὶ φθαρτὴν λέγουσιν &c. hoc est: Animam verò isti generabilem, corruptibilémque affirmant: non tamen eam inquiunt, simulatque corpore soluta sit ilicò interire, sed suis opibus innixam perdurare ad quædam temporis spatia. Proborum quidem virorum animas superfore, vsque dum vniuersus orbis incendio absumatur: stultorum verò hominum ad nescio quæ tempora esse

duraturas. Longinus quoque ſic eos manifeſtè accuſat: Ζήνωνι καὶ Κλεάνθῃ νεμεσήσαιεν ἄν τις δικαίως, &c. hoc eſt, Zenoni quidem ac Cleanthæ iure optimo ſuccenſere quis poſſit, qui de animâ quidem ita contumelioſè locuti ſint. vterque enim eſſe animam ſolidi corporis euaporatum quendã, exhalationémq. dixerunt. *hæc ille lib. 5. de Græc. affection. curat. quæ vtinam nonnullorũ affectũ in Stoicos minuant. Redeo ad noſtri explicationem.* 371 Vmbras] *ſepultis corporibus animas ſupereſſe.*

372 Oculis Imp. manum] *tam Græcis quàm Romanis ſolemne, vt coniuges, parentes, liberi, & proximi quique morientium oculos conderent, & labia, quæ dolor diduxerat, decenter componerent. Propertius:*

At mihi non oculos quiſquam inclinauit euntis
Idem: Condita ſunt veſtrâ lumina noſtra manu.

Ouid. epiſt. Penelop.

Dij precor, hoc iubeant vt, euntibus ordine fatis,
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.
& mox: Reſpice Laërtem, vt iam ſua lumina condas.

In epiſt. Ariadnæ:

Nec mea, qui digitis lumina condat, erit.

De morte Druſi, eleg.

Lumina cæruleâ iam, iamque natantia nocte,
Lumina fraternas iam ſubitura manus.

Et paullo pòſt ait Liuia:

Soſpite te ſaltem moriar, Nero: tu mea condas
Lumina. *P. Sabinus in epiſt. Demophoontis:*
Et quod non condant nati ſua lumina palmæ.

Valerius Flaccus 3. Argonaut.

——ſerâ componunt lumina dextrâ.

Statius Papin. lib. 8. Thebaid.

Tunc, quia nec genitrix iuxtâ, poſitúſque beatâ
Morte pater: ſponſæ munus miſerabile tradunt,
Declinare genas——

Et lib. 5. Siluar. de Abaſcantio:

——ſocioſque amplectitur artus,
Hærentemque animam non triſtis in ora mariti
Tranſtulit, & carâ preſſit ſua lumina dextrâ.

Idem confirmant Homer. Iliad. λ. & Odyſſ. λ'. Euripides in Hecubâ & in Phœnyſſ. Sophocles in Aiace, Stobæus in ſermone de exilio, Plutarch. in conſolat. ad Apollon. & aliâ ad vxorem, Fabius, Plinius, & alij citati à Guicchiardo lib. 1. Funer. cap. 11. vbi, contra Criniti & aliorum ſententiam, rectè explicat quomodo capienda ſit lex Mania, de qua ex Varrone Nonius in ſuggillare; quæ ſanciebat, Ne filij parentibus oculos luci claro ſugillarent.

373 Solibus] *luci vitali.*

375 Non prod. anim. tradere funeri] *imò verò nunquam illa funeri traditur, non rogo vritur, non ſandapilâ tegitur, & vt verè Propertius:*

Sunt

Sunt aliquid Manes, Lethum non omnia finit
Luridaque euictos effugit vmbra rogos.

375 Miſeris] *ipſorum ergo felicitas in ipſo interitu. nam vitam animæ, poſt funus, ἁπλῶς miſeriam rebantur Stoici.*

379 Immiſtus nebulis ceſſit in aëra] *putabant animam eſſe quid compoſitum, ex elementis vapori & exhalationi ſimile, & proinde in aërem, poſt certum tempus conuerti.*

380 Nudum] *cadauer crematum in rogo.*

385 Biſſena] XII. *Zodiaci animalia ſeu ſigna.*

382 Aſtrorum Dominus ſol. Hecate] *Luna qua velocitate voluuntur duodecim menſes anni; qua celeritate Phœbus & Phœbe peragunt curſum ſuũ: eâ properamus ad mortem. tantum enim vitæ, quantum tempori decedit.*

390 Nec amplius] *qui ſemel ad Stygem peruenit, non remeat amplius ad ſuperos.* 391 Fumus] *hanc comparationem ſumſit, vel ab Homero, vel à Platone. Homerus enim:*

ψυχὴ δὲ κατὰ χθονὸς ἠύτε καπνὸς
ᾤχετο τετριγυῖα —— *ait*, animam in terram ſimilem fumo fugere turbatam. *volens, non interire, ſed per terrã ad inferos deſcendere. Plato verò in Phædone:* εὐθὺς ἀπαλλαττομένη τοῦ σώματος, καὶ ἐκβαίνουσα ὥσπερ πνεῦμα. ſtatim abſolutam à corpore & egredientem inſtar ſpiritus.

Vſquam] *nullibi eſt, quia tanquam nunquam fuiſſet. impiè. ridicula verò ratio. celerrimè ad mortem properamus; vt nubes à vento diſsipantur, vt fumus citò perit; ſic vita hominis. anima igitur hominis moritur. Miſeri, ſi hæc conſequi neceſſariò Stoici rebantur: impudentes, ſi cum ſequi non viderent, vt rationi tamen conſentanea, obtrudebant. Decent mulierculas, dices, ex quibus hic chorus. Minus fateor illas dedecẽt. ſed cur illi mares philoſophi; illi ſuis in oculis ſoli fortes, ſoli conſtantes, ſoli ſapientes & boni; in aliis operibus philoſophicis eadem? ibi certè non mulierculæ loquebantur: ſi non ipſi mulierculis nugaciores. Nobis quidem vita ſumma breuis: inſtar aquæ & fumi dilabimur, ſed nos, homo noſter; non animus, non mens noſtra. hominem voco, perſonam, ipſumq́; compoſitum. hoc nos ſumus. anima noſtri pars melior.*

Ab ignibus] *ſignificat materiam animæ exhalationem eſſe. ideo mallem legere,* calidus fumus ab ignibus. *quàm,* calidis. *quos tu mihi frigidos ignes? ſcio Lucano ignem calidum dici, & pruinam gelidam: ſed vbi natura vtriuſq; erat explicanda. quod hic minimè neceſſarium: ſed fumi potiùs ſeu exhalationis huius, cui comparat animam; quem vult eſſe ſiccum & calidum, non frigidum & humidum. Nam Ariſtoteli vapor duplex, vnus ex aquâ, alter ex terrâ. illum (licet verè calidus quoque, ſed minus alio) ſæpè frigidum eſſe ſignificat: hunc perpetuò calidum nuncupat lib. 1. Meteor. cùm dixiſſet ἀναθυμίασιν, vaporẽ duplicem gigni, non ſimplicẽ;* τὴν μὲν (*ſubdit*) ἀτμιδωδεστέραν, τὴν δὲ πνευματωδεστέραν. τὴν μὲν τοῦ ἐν τῇ γῇ καὶ ἐπὶ τῇ γῇ ὕδατος ἀτμίδα, τὴν δ᾽ αὐτῆς τῆς γῆς οὔσης ξηρᾶς, καπνώδη, καὶ τούτων τὴν μὲν πνευματώδη ἐπιπολάζειν διὰ τὸ θερμὸν, τὴν δ᾽ ὑγροτέραν, ὑφίστασθαι διὰ τὸ βάρος. vnã quæ vapor magis ſit; alteram quæ magis ſpiritus. ac vaporem quidem eam exhalationem

esse, qui ex humore est, qui intra & supra terram continetur: quæ autem terræ exsiccatæ est, fumidam: quarum ea, quæ spiritus naturam habet, ob calorem emineat: quæ autẽ humidior, præ pondere subsidat. *quod ita breuiter Pontanus in Meteor.*

Terra etiam duplicem exhalat saturata vaporem.
Humidus hic, crassoque madens se corpore vix fert:
Aridus & calido suffimine prosilit alter:
Accipit hos latè in gremium circumfluus aër.

vult ergo spiritum egredi, qualis ἀναθυμίασις καπνώδης καὶ πνευματώδης, non qualis ἀτμὶς ὑγροτέρα.

392 Sordidus] *fumi epithetum ab Horatio lib. 4. Od. occupatum.*

393 Grauidas] *pluuiâ prægnantes.*

394 Dissipat] *ita libri, quotquot inspexi.*

395 Spiritus] *rector nostri & moderator animus. Vix enim Stoici admisissent animam esse actum informantem corpus; sed vt summum cum Platonicis esse formam, qualis est nauta in naui, quod ex Peripateticis multi sunt secuti; quibus, informamur ab intellectu quodam separato, quod in non Christianis minus mirandum, quàm in Christi fide insignitis. & minus quàm in Origine (quem ceteri Patres improbant) & Auctore quæstionum ad Antiochum, q. 10. vbi scribit, Animam esse in corporis domicilio instar columbæ cuiusdam, intra quatuor parietes elementorum conclusam, quibus dissolutis euolet; quod ἀλληγορικῶς accipiendum: minus inquam reprehendendum, quàm in Catholicis, vt profitentur, qui re iam ab Ecclesiâ definitâ, adhuc audent oblatrare. Animam enim rationalem essentialiter esse formam informantẽ corpus, decreuit concil. Viennense sub Clemente V. & Lateranens. sub. Innoc. 3. & in Sex. Synod. Quare sibi caueant iuuenes, ne phrases illas parum piè philosophantium Achillini in lib. de intelligentiis, Ianduni in 3. de animâ, Cardani, Anton. Mirandulani, & similium vsurpent; vnum fidei, alterum rationi, vel philosophiæ consentaneum esse; sensitiuam informare corpus, aut similia. nunquam enim fides cum ratione naturali nec verũ cum vero pugnat. sed si vnum verum, contrarium falsum sit oportet. Discant iuuenes Aristotelem potiùs sequi, quàm Platonicos aut alios Ethnicos; illius enim pauciores errores, etsi nonnulli. hic quidem nullus. nam, quicquid Iandun. & alij, etiam M. Ant. Ianua in 3. de anima; & Persius Telesianus posit. 1398. tradidere; verius eum, quod sentiendum, sensisse, vt docet Pererius lib. 6. Phys. cap. 21. & censuerunt olim D. Iustinus Martyr in Parænet. ad gentes, D. Nicænus lib. 2. de Philos. cap. 4. D. Ambros. lib. 5. epist. 21.*

Spiritus] *animus. In homine enim duæ tantùm partes essentiales, anima & corpus: & anima eadem est cum spiritu. Scio varia ab antiquis dicta fuisse. Fuère qui hominem putarent esse solum corpus, animam nihil esse, nisi quid fantasticum & commentitium. ita Dicæarchus Messenius apud Sex. Empyricum in lib. Hypotipos. nec alienus ab eo Sextus ipse cap. 22. lib. contra Mathemat. ita hodie Hæretici, quos Libertinos vocant, proles H. Risuuichi. Fuère qui solâ animâ humanam constare naturam crederent, corpus verò vehi-*

culum aut vestem dumtaxat animæ videri: placuit hoc Platoni in 1. *Alcibiad. & Dialog. de morte, si ipse auctor; & fortaßis Tertulliano lib. de testimonio animæ, cùm inquit,* animam esse id quod sumus. *nisi malis legere*; quo sumus. *quo nihil verius. dat enim forma esse rei. sed voluit fortaßis auctor operis imperfecti in Matth. hom.* 25. *& Georg. Venetus in libris Problem. scripturæ sacræ. verùm hoc repugnat decisioni Concilij Viennensis. (Vide Six. Senens. lib.* 5. *Biblioth. annot.* 25.) *Nec fauet scriptura huic errori, quando totum hominem nuncupat animam. facit hoc more solito, vt hominem spiritalibus studiis deditum, vocet animum; eum verò qui carni vacat, carnem. sed vt ex eo non sequitur esse dumtaxat carnem, ita nec esse animum tantum. Fuêre, qui præter corpus & animam in homine tertiam partē agnouerunt spiritum; moti quibusdam scripturæ locis; quibus spiritus ab animâ vel mente videtur separari; & spiritui immortalitas, animæ mors videtur tribui. Sed hoc verè nihil est; & à Theologis, qui rem exactius perpenderunt, meritò fuit reprobatum. Nam quod ad Roman.* 8. *dicitur spiritus reddere testimonium spiritui nostro; non vult esse duplicem in homine spiritum, sed spiritum Dei gratiæ auctorem; dum gratiam nobis largitur, talem nobis sui gustum præbere, vt ipsum nobis quodammodo experiri videamur, & sensu percipere. Quod verò* 1. *Cor.* 2. *dicit*: Quæ sunt in homine, nemo scit, nisi spiritus hominis, qui in eo est. *non est aliud, quàm quæ cogitat humanus animus, ipsummet solum intelligere. Iam cùm spiritum mentis nominat, Ephes.* 4. *Hebraismo vtitur, pro mente spirituali, vel spiritu mentali vsurpans, mentis spiritum. At cùm spiritu orante mentem dicit infructuosam.* 1. *Cor.* 14. *spiritum pro aëre accepit. nam pro eodem illi tunc, spiritu orare & linguâ orare: hoc est, voce tantùm orare, & sine mente sonum dare. quid autem vox, nisi tali modo verberatus aër? cùm sic solâ voce oramus, & aërem in aëra fundimus; quid vtilitatis inde mens percipit? quid animo lucri apponitur? Præterea notandum inter spiritum & animum considerari posse discrimen quoddam, non rei, sed rationis. Eadem res, quæ est hominis forma, quâ informat ipsum corpus dicitur in scripturis, anima; quâ verò res quædam est omnis materiæ expers, nominatur spiritus. Hinc oritur sanctitatis triplex ascensio. Primus gradus, vt, superiore animi parte Deo adhærentes, peccatū fugiamus: secundus vt etiam inferiore, quod honestum est, appetamus: tertius deniq; vt præterea ipso corpore sancti simus, & toti à turpitudine alieni. Fuit hæc in Christo sanctitas; ad cuius imitationem D. Paulus nos hortatur, cùm vult nos integros spiritu, animâ, & corpore in aduentu Domini nostri* Iesu Christi *seruari.* 1. *Thessal.* 5. *ea distinguens, non quasi spiritus ab animâ reipsâ diuersus sit, sicut est à corpore; sed vt expleat pulcherrimam illam gradationem, quâ vtebatur. Denique quod nonnunquam in diuinis litteris anima mori dicitur, spiritus nunquam: id non ideo fit, quia vt res à re distinguuntur; sed quia significatio nominis vtriusque diuersa est. significat enim sæpe* anima *totum ipsum hominem, qui quando peccat, in mortem incurrit, hoc est, æternæ damnationi subijcitur, anima quoque ipsa excidit à diuinâ gratia. & in locis vbi corporeū quid aut totius cōpositi tribuitur animæ, tunc solet poni Nephes* נפש,

Gen. 46. Exodi 1. ad Rom. 7.

 quæ

quæ vox admodum generalis est, & tribuitur tam animali, quàm animæ: ipsi quoque corpori, vt patet Ezech.18. Leuit.4. Genes.12.14.37.46. & passim. At quando de Dei spiritu vel hominis anima vt de re spirituali agitur, tunc vel ponitur ruah רוח*, sine addito, quod non significat corpus, vt Gen. 1.6.7. & alibi: vel sanè Neshama, quæ vox de sola anima hominis vsurpatur, Psal.vlt. & Gen.2. Apparet autem verè dictum, animam & spiritum vnam eandemq́ rem in homine. Nam scriptura, eam; quæ post obitum superest; tam animam, quàm spiritum solet nuncupare. Igitur restat, duabus tantùm partibus hominem componi, animâ, & corpore; spiritu & carne. Quod ipsum D. Hieron. satis apertè significat se sentire in cap.3. Danielis.*

נשמה Vide Genebrard. ad Psal.150. vbi ex Rabbinis hoc docet.

395 Ipsaque mors nihil] *nam vitæ priuatio.*

398 Auidi] *cupidi mortis; vt, quam credunt, beatitudinem consequātur.* Solliciti] *qui pœnas scelerum post mortē metuunt. sic sublatâ spe & metu futurorū nugabatur Epicurus se genus humanum incōparabili beneficio affecisse: eò respicit, vel id sentit potiùs, quemadmodū Zenon, vt docui ex Theodoreto.* 399 Quo iaceas] *Moguntinens.* quo iaceant.

400 Quo non nata] *Eris post obitū, quasi nunquā fuisses editus. impiè.*

401 Chaos] *successu temporis omnia in pristinum Chaos reuolui censebant Stoici; & nouos deinde mundos iterū interituros secundùm cunctas sui partes; nasci iterum, mori iterū, nullumq́ circuli istius finē agnoscebant. hæc illorum æternitas.* Indiuidua] *non separabilis. Tertullian. de patientiâ cap.5.* indiuiduas in vno patris sinu adoleuisse.

402 Est. *deest Moguntino. Porrò vocat mortem indiuiduam. hoc sensu: fieri nequit vt mors parcat animæ, non parcens corpori, vincatur ab illâ, victrix istius. sic enim diuidi mors deberet. at indiuidua. Lepidè; si quis lepos in tam excordi stultitiâ. Quasi non tota vis mortis in corpore consumatur: aut priuatio quid aliud sit, quàm eius, cuius est, priuatio & desitio. Diuiditur morte, animus à corpore: nec tamen mors ipsa diuiditur. Parcit mors animæ, quia nihil illi potestatis, nihil iuris in animā. Compositum humanū diuidi potest, pars altera interimi potest: anima nec diuisioni, nec interitui obnoxia. Vnica illa & vno in homine, non in omnibus hominibus vna, vt impiè cū impiis plerique recentiores Auerroistæ, Reginaldus Odo in lib. de animæ immort. Portius lib. de huma. mente. Achillinus lib. de intelligentiis, Anton. Mirandulanus lib.32. singular. certam. Pernumia lib.4. & lib.13. Compendij Natural. philos., & malo exemplo conatur excusare Buratellus lib.4. conciliation. minus, vnica in cunctis viuentibus, siue dicas vnicam specie, quod voluerunt Plotinus, & Manichæi apud D. Epiphan. hær.66. &, vt arbitror, Stoici, ex relatis à Stobæo in Eclog. phys. & verba quædam Cardani vehementer insinuant, in periculi pleno opusculo de immortal. animæ; siue vnā numero, vt Orphici, & Amelius apud Stobæum d. oper. pag.111. & 112. Sed vnica est, in singulis hominibus anima; quæ simul fit cum homine simulq́ cum eodē multiplicatur, vt quot fuerunt, sunt, erunt, homines, tot etiā, nunc sint, & erunt olim animæ: vt definitū est in Conc. Lateran. sub Leone 10. Vnica in toto viuētis corpore, & in singulis partibus ad substantiam eius pertinentibus exsistit; vnica, inquam*

Hi recentiores plerique sic se conantur excusare, vt dicant non hoc esse verum, sed Aristotelem tenuisse; quod nec ipsum verum.

quam numero, à quâ tria munia intelligere, sentire, vegetari, per tres potentias procedunt; quæ D. Hieron. epist. ad Eldiu. D. Augustini, D. Damasceni & aliorum Patrum sententia est, & à Scholasticis omnibus ferè defensa, & hautdubiè ipsius Aristotelis videtur, etiã Alexandro, & Plutarcho testibus. quare cauendũ; ne quis in homine vnam bonam, alterã malam admittat, cum Manichæis, contra quos D. Augustin. li. 6. contra Faust. cap. 8. & de hæresib. cap. 46. & alibi: & ex hæreticis huius tẽporis videtur renouasse Illyricus: vel ne duas animas admittat, vnã spiritualem, aliam animalẽ, cũ Trismegisto in Claue, & Iacobitarũ patre apud Gennadium in lib. de dogmat. Eccles. cap. 14. Vel ne cum Ochamo quodlib. 2. dicat esse duas animas rationalẽ & sentientẽ, vegetatiuam verò tantum formã corporis: vel duas corruptibilem & incorruptibilem, cum Ant. Mirandulano d. lib. 32. vel ne tres numero distinctas, cum Philopono in 1. de animo, &, vt videtur, Tignoso ibid. pag. 129. & Pernumiâ lib. 4. cap. 3. qui dicit esse tres species essentiâ distinctas. Philoponum quoq; secutus Mõtecatinus li. 3. de anima tex. 1. Omnes hi periculosè sentiẽtes. Et videtur hoc de iis in 8. Synod General. act. 10.

Et hæc vna numero anima tres illas potentias, quas animas vocare solemus, & aliquando philosophi partes nuncupant, continet; vt docent cum Aristotele pleriq; omnes. Non tamen ipsa diuisibilis est, aut ad corporis extensionẽ extensa; vt censuerunt Chrysippus & Cleanthes apud Greg. Nicenum lib. 2. de animâ cap. 2. (nam & hoc Stoici) & ex recentioribus non satis piè loquẽtes Pomponatius lib. de Nutritione & Pernumia lib. 4. philos. cap. 2. Sed indiuisibilis tota in toto corpore, & tota in qualibet corporis parte existens, vt docẽt D. Augustin. li. de quantit. animæ lib. 6. de Trinit. & ep. 22. D. Chrysost. hom. 5. de Nat. Dei. D. Nicenus d. cap. 2. & Tertullian. lib. de animâ. & Cassiodor. lib. de animâ, & omnes Theologi in 1. d. 8. & in 2. d. 6. & D. Tho. passim. Et verò negari nequit, si immortalem esse concesseris. Nec in octo partes diuiditur, vt imperitè Stoici, apud Laërtiũ lib. 7. existimarũt. Sed de his alibi. hîc nõnulla inserui; vt iuuenes discãt paulatim quomodo de animâ loquendũ: nã Ethnici, vt plurimũ ita loquuntur, vt eorũ loquendi ratio fugienda sit, non imitanda Catholico. 407 Rumores vacui] Tænara, quidem, & Cerberus: non tamen pœnæ & supplicia æterna; quæ, mirum, ni tu nunc tam impiæ sententiæ causâ persentiscas Annæe.

IN ACT. III.

Andromacha visu perterrita, filiolum abscondit Astyanacta, sed matrem decipit Vlysses, & infantem abducit moriturum.

408 Comas] deest Herb. sed Mog. & Ven. vnus; manus. minus elegãter.

412 Mea mẽbra] mei Hectoris. παθητικῶς. & sanè viri corpus vxoris est, & è conuerso. 419 Aliquid] Moguntin. Herbip. & Veneti; aliquos.

421 Maximum fructum] vbi enim tanta calamitas, nihil illi vt queat accedere; securitas menti inseritur: quæ fructus maximus.

424 Miserrimum est timere cùm speres nihil] timor enim, cui nihil spei admistum sit, desperationem, malorum maximum, gignit. nam desperans meliorem sortem, iacet omnino, neque se conatur erigere: & quia illis omnibus abstinet, quæ salutem possent adferre, nunquam ex miseriâ eripitur. huiuscemodi nobis hominem describit Terentius cum ait:

Vt animus in ſpe atq. in timore vſque antehac intentus fuit:
Ita poſtquam ademta ſpes eſt; laſſus, curâ confectus, ſtupet.

Ita viuendum ergo, & ſic animus temperandus eſt, vt & mala timeant, qui fortunati ſunt; & miſeri, meliora non deſperent: durent, & rebus ſecundis ſemet ſeruent: hoc eſt, ſpem timori miſceant. Sed aduerſantur ſibi ſpes & timor, vt quæ maximè. aduerſari fateor: ſed ita quoq; coniuncta contendo fuiſſe ſemper, & à naturâ quaſi colligata, vt cui nihil ſpei reliquum ſit, plerumque ne timeat quidē: & cui metus omnis ademtus fuit, is quoque ſperare deſinat; ſi putat hunc ſibi fortunæ ſtatum ſtabilem futurum. Vnde Hecate apud Senecam: Deſines timere (*inquit*) ſi ſperare deſieris. *Nimirum, quia qui nihil cupit, ſuaq; ſorte contentus viuit; metu eorum, quæ deſideraret, non adipiſcendorum, planè vacat. Qui tamen graui calamitate premitur, nec vllum ſperat exitum vel finem; ſperare quidem deſiit fortaßis; cur tamen grauiores calamitates metuere nequeat, non intelligo: niſi ſuas omnium grauißimas iudicet. Poteſt igitur ſimul quis ſperare & timere: poteſt nec ſperare nec timere: poteſt timere & non ſperare, vt hic Andromacha: ſed ſperare abſque omni penitus metu, vix poteſt.*

425 E malo malum] *q. v. l.* è magno malum.

435 Viſa] *de viſorum, ſeu ſomniorum generibus, & eorum diuinatione, non pauca Auctor lib. de ſpiritu & animâ cap. 25. D. Gregor. li. 8. in Iob c. 18. Salisberienſis lib. 2. Polycrat. c. 15. Mich. Medina, de rectâ in Deum fide lib. 2. cap. 1. Tibullus:* —— falſumque auertite viſum.
Propertius: Ne qua tibi inſolitos portarent viſa timores.
Macrobius lib. 1. in ſomn. Scipionis. Omnium quę videre ſibi dormientes videtur, quinque ſunt principales diuerſitates, & nomina: aut enim eſt ὄνειρος, ſecundùm Græcos, quod Latini *ſomnium* vocant; aut ὅραμα, quod *viſio* rectè appellatur; aut χρηματισμός, quod *oraculum* nuncupatur; aut eſt ἐνύπνιον, quod *inſomnium* dicitur; aut eſt φάντασμα, quod Cicero quoties opus hoc nomine fuit, *viſum* vocauit, *& latius de his poſtea diſſerit. conſule quoq; Nicephorū Gregorā in Comm. de inſom. Syneſij.*

437 Partes] *nox Romanis in quatuor ſtationes diuidebatur. nam ſingulas Plinius lib. 10. ternarum horarum fuiſſe indicat, & confirmat Cenſorinus de die Natali, & Propertius lib. 4. Eleg. 4.*
Si iam quarta canit venturam bucina lucem.
Sed alia Græcorum conſuetudo videtur fuiſſe vt ex Homero aliàs docui; & hìc confirmatur, quia ſignificat Andromacha poſt mediā ipſo diluculo ὅραμα *oblatum ſibi: vnde conſiderandum an rectè vir doctus morem illum quadripartitarum vigiliarum Græcis tribuerit Commentar. in Aimilium Probum in vita Eumenis, cùm ipſemet Probus eo loco trium tantùm vigiliarum meminerit, eamq; conſuetudinem militum Græcorū fuiſſe non obſcurè ſignificet; idem quoque Diodorus li. 19. Biblioth. & Polyænus lib. 4. Stratagem. confirmant, verbis quæ paulo antè in ipſis illis Comment. referuntur. Noſter Vigilias, vocat* noctis partes, *Æmilius primam vigiliam nuncupat* primā noctem. *Vult ergo Andromacha ex ipſo tempore inſomnij veritatem probare.*

Theo-

Theocritus:

Europæ Venus olim dulce ſomnium immiſit,
Cùm tertia pars noctis ſtabat, & Aurora prope erat;
Cùm ſomnus melle dulcior in palpebris ſedens,
Membra reſoluens oculos dulci vinculo ligat,
Cùm & veracium paſcitur turba ſomniorum.

Ideo Moſchus in Megarâ, poſtquam Alcmenam ſomnium narrantem induxiſſet, ſubdit, vix finito ſomnio, ſtatim Auroram illuxiſſe. & Tibullus li.3. Eleg.4. fingit oblatam viſionem, cùm ſummo Phœbus proſpexit ab axe.

Ouidius in epiſt. Herus:

Namque ſub Auroram iam dormitante lucernâ;
Tempore quo cerni ſomnia vera ſolent.

Horatius:

Poſt mediam noctem viſus, cùm ſomnia vera.

Antiquis par Fracaſtorius lib.1. Ioſephi.

—— haud vani ſpeciem referentia ſomni.
Namque ſub Auroram, cùm ſeſe ſidera condunt,
Caſurâ iam nocte, & Solis nunciat ortum
Lucifer —— *Quæ antea ſe offerrent, ὀνειροπόλοι attentione indigna iudicabant, teſte Philoſtrato lib.2. de vitâ Apollonij, eoq́; referebantur Oneirocritica decreta, quæ cõplexi olim Artemidorus, Geminus Pyrius, Phœbus Antiochenus, Aſtampſychus, Artemon, Antiphon, & Alexander Myſidius; qui mira omnes de inſomniis ſomniarunt. Nec veritus etiã Pet. Pomponatius lib. de incantationib. cap. 8. ſcribere matutina ſomnia veriora; quaſi à defecatione humorum illa veritas dependeret. Stulti, qui putent harum nugarum, habendam eſſe rationem. numquam illos crediderim vera vidiſſe ſomniantes, quos apparet vigilantes ſomniaſſe. Docent quidem ſacræ litteræ aliqua nonnunquam à Deo inter dormiendum reuelari. vnde & Georg. Piſid.as*:

Vide D. Auguſtin. lib. 12. ſup. Geneſ. D. Greg lib 4. Dial. cap. 27. Medruam d. lib. 2.

—— καὶ παραινεῖ πολλάκις Φόβοις, ἀπειλαῖς, εὐτροπαῖς, ἐνυπνίοις.
—— monetq́ ſæpius Terroribus, minis, pudore, inſomniis.

quis neſcit? ſed illam diuinationem per ſomnia, qua veteres vtebantur, & quæ ſuperſtitioſis etiam nunc familiaris, affirmo diuinis litteris damnatam, Deut.3. & Leuit.19. nugatoriam prorſus, incertã per ſe, ac fallacem, licet aliquando ex accidenti vera ſit, vt docet Ariſtoteles lib. de diuinat. per inſomn.

Nox alma] Nox *veteribus Dea, teſtibus Orpheo, Heſiodo, Arato; hymnum illi canit Statius 2. Thebaid. eiusq́; effigiem ponit Pauſan. in Eliac. laudat hymno peculiari Orpheus. ſiderum alumna Euripidi*: O Nox (*inquit*) nigra, aureorum aſtrorum alumna.

Tranſmiſerat] *adduxi olim in Aduerſar. ex Macrobio verba Peſtani Vibonenſis. Nunc vereor, ne liber mendoſius mihi impoſuerit. poſt incidi in epiſt.6. lib.16. ad Atticum, vbi Cicero*; Duo ſinus fuère, quos tranſmitti oportet, Peſtanus & Vibonenſis, vtrumque pedibus & equis tranſmiſimus. *hoc eſt, partim equitando, partim eundo. Credidi ſtatim Macrobij locum ex Cicerone deſumtũ, & à librariis Ciceronis nomen omiſſum, verba retenta*;

& sic ex duplici sinu nomen & cognomen ficti scriptoris concinnatum: vt videatur mihi Macrobius scripsisse: sed & Cicero ait —— Pestanus & Vibonensis; vtrumque pedibus & equis transmisimus. *lacuna notulas indices reliqui, nam quid desit ignoro. Hanc meam coniecturam anno* 1580. *Lutetiæ memini me cum Lud. Carrione I. C. communicasse, & tunc illam ei placuisse; nisi quod Ciceronis quoque verba credebat medici egere.*

438 Clarúmque septem] *nocte affectâ, vrsâ se condente. sic Lucanus intelligendus lib.* 2.

Parrhasis obliquos Helice cùm verteret axes.

& Ouidius 1. *Trist.*

Iamque moræ spacium nox præcipitata negabat,
Versaque ab axe suo Parrhasis Arctos erat.

441 Si somnus] ὅραμα *igitur oblatum stupore potius mentis, quàm somno consopitæ. Non frustra hoc additum. nam, auctore Iamblico, lib. de myster. Ægyptior., existimabant diuinitus immissa visa, ad aliquid futuri indicandum, vigilantibus; vel saltem medio quodam modo sese habentibus, offerri; non verò vt vulgaria somnia, sopore grauatis. Propterea volunt apud Homerum Odyss.*19. *Penelopen Vlyssi dicere suum illud visum, non somnianti sibi, sed (vt aiunt) videnti ac palpanti accidisse; & Pindaricâ Palladem Olymp.*13. *Bellerophonti iam euigilanti & cernenti frenum aureum dare. Superstitiosè ergo noster accuratus, & accuratè superstitiosus. à quo lubens quærerẽ, quid sibi voluerint, qui quo somnus profundior, hoc somnia certiora iudicarunt; vt Trismegistus, in Pimandro, qui se dium illud insomnium tum accepisse narrat, cùm tali sopore esset oppressus, quali qui ob satietatem vel defatigationem indormiscunt, quorum somnus non leuis, sed grauissimus esse solet; vt Homerus, qui* 2. *Iliad. Agamemnoni Somnum Deum, sopitis planè sensibus, scribit apparuisse; vt Iamblichus eodem illo opere, qui sententiæ etiam huius rationem reddit. Nisi fallor, vt somniantium somnia sæpe contraria; sic Iamblichus & Homerus de somniis secum pugnantia commenti sunt.*

444 Facibus Idæis] *sic Attius in Antenoridis facit Hectorem deliberantem, citante Marcello*:

Quî aut illorum copias in campo fundam, aut naues
Vram, aut castra mactabo in mare.

461 Spes vnica Phrygibus] *Eguian.* Spes, vita Frigibus. *rectè Lugdunens. & ceteri, præter Saxonicum lib.* Spes vna Phr.

473 Immemor] *sic mei libri omnes. non malè. Memor, illa timebat: sed immemor, vota fecerat nimis magna, nimis felicia. refer ergo ad præcedentia, & notâ Periodi seiunge à subsequentibus. videbis non esse necessariam contextus mutationem.*

479 Puluis altus] *Moguntin.* puluis alta.

482 Sacer] *religiosus. Festus ex Gallo Ælio*: Sacrum ædificium consecratum Deo: sanctum murũ, qui sit circa oppidum: religiosum sepulcrũ, vbi mortuus sepultus aut humatus sit. *tamen sæpe confunduntur hæc, & sepulcrum sacrum, sanctũ, religiosum dicitur. Vide Festum in* religiosus.

483 Pa-

483 Parens] *Priamus ad mæroris solatium nullis parcens sumtibus.*

487 Feralis] *de* feralis *significatione, quæ diximus, locus iste adstruit. Saluianus etiam Cayni & Absalonis crimina vocat,* feralissima *lib.* 1. *&* 2. *de prouid. hoc est, morte dignissima; vulgò lethalia, vel mortifera vocamus.*

487 Arcuit] *frequenti mendo Moguntin.* arguit. *sequentia autem puto personarum incongruâ interpositione vitiata. vellem sic legi:*

SE. Hæc caussa multos vna ab interitu arcuit,
Credi perisse. AN. Vix spei quicquam est super.
Graue pondus illum magna nobilitas premit.
SEN. Ne prodat aliquis, amoue testes doli.
AN. Si quæret hostis? SEN. Vrbe in euersâ perit.

Et hoc quoque probatum Raphelengio.

Verebatur mater filium in sepulcro recondere, ne verè illi sepulcrum id fieret. Imò (inquit SEN.*) non est quod metuas, hoc ipsum illi futurũ saluti.* AN. *Frustra id speramus. nimia eius nobilitas incurret in oculos omnium. erit illi exitio, quæ metuenda hostibus.* SEN. *latere poterit, si conscius nemo qui prodat. recedere omnes à te iube.* AN. *faxo. sed quid hosti quærenti sum responsura?* SEN. *in manu id. periisse in vrbe pereunte.*

496 Occupet] *primum quod offertur, festinanter arripiat, vt naufragi tabulam.* Legat] *singulus libratus, quod videtur commodissimum deligat.*

501 Victurum] *boni ominis gratiâ adiectum. nam in sepulcris non nisi qui deuixerunt.*

511 Habes sepulcrum] *Rutilius Geminus in Astyanacte suadet illi* suggrundarium *quærat.*

Melius suggrundarium miser quæreres, quàm sepulcrum.

quod referens Placiades lib. de Prisco sermone: Suggrundaria antiqui dicebant sepulcra infantium, qui necdum quadraginta dies implessent; quę nec iam busta dici poterant; quia ossa quæ comburerentur non erant; nec tãta cadaueris immanitas qua locus tumesceret. *quibus vltimis verbis patet aliquid deesse. sunt enim ratio cur non dicerentur tumuli. nam tumulus à tumore telluris dictus videtur. Et busta vocari illa non poterant, non quia deërat quod vreretur: sed quia nefas fuit homines, quibus nondum dentes enati, cremare, vt docet Plinius lib. 7. Nat. hist. quod si voluit Fulgentius, rectè; sin aliud, non rectè. sic intelligendum hoc Iuuenalis:*

—— nec terra clauditur infans, Et minor igne rogi.

hoc est, neque crematur, neque sepelitur; sed reconditur in suggrundario. Sed an commune nomen sepulcri illis competit? negat Rutilius. cur autem? opinor, quod huiusmodi non sub puluere aut terrâ (vt Satyricus ait) humabantur; sed in vrnulis vel similibus vasculis, & in ipsis locabantur suggrundiis. Aptius noster sepulcrum Astyanacti tribuit, tum quia inter Græcos versabatur, tum quia iam puerulus aliquot annorum. Videtur autem loci huius memor fuisse D. Hieronymus omnis litteraturæ peritissimus, cùm in vitâ S. Malchi, de sanctis speluncam subeuntibus, scriberet, Si iuuat miseros Dominus, habemus salutem: si despicit peccatores, habemus sepulcrum. *Et in epist. ad Principiam de Epitaph. Marcellæ;* cumque & te & illam ad Apostoli

D. Petri basylicam deduxissent; vt vel salutẽ ostenderẽt vel sepulchrũ.

518 Dehisce] *discede, & pande sinus tuos, vt puero latebras prabeas.*

520 Dubio] *ancipiti, cunctabundo, suspanti similis. talem pingit Sophocles in Aiace.*

521 Vlysses] *Plutarchus, & Latini Grammatici, & manusc. docent Latinè scribendum;* Vlixes. *sed sequor consuetudinem communem.*

523 Primum peto] *Talthybius Euripidis:*

Ne me oderis, inuitus enim nuncio;
Quæ in commune decreuerunt Danai & Pelopidæ.

Sophoclis nuncius:

Primùm tibi id de me assero;
Nec hoc scelus patrasse me, nec scire quis patrauerit.

534 Dicebat Hector] *rebus præclarè gestis, non verbis; vel verbis etiam, paterno affectu blandiens & bene ominans nato.*

535 Generosa] *Euripides, in Heraclidis:*

Res enim formidanda est hostibus, surgentes seu germina
Generosi iuuenes, & iniuriarum memores patris.

Idem: Infesti leonis catulos Non persecuta fuisses malis?

Stasimus:

Stultus qui patrem occidens natos sinit euadere.

Iulianus in Misopog. scribit; quemadmodum in plantis verisimile est diffundi qualitates quàm longissimè latissiméque, atque etiam in totum ea quæ gignuntur similia nasci, iis vnde orta sunt: sic etiam in hominibus credendum, nepotum mores auitis affines esse solere.

543 Male relictus] *sumtum ab Ouidio 7. Metam. vt monuit Herc. Ciofanus. Horatius:* —— neglecta solent incendia sumere vires.
Q. Curtius Rufus lib. 6. Parua scintilla contemta magnum sæpe excitauit incendium.

545 Tecum exigas] *si rectè putes omnia.*

546 Post annos] *verè aureola correctio, quam suggerit Lipsius ex membranis;* post hiemes decem, Totidemq. messes. *hoc est, exacto decennio.*

551 Tenet] *moratur. dixerat idem in Astyanacte Atreus. Vide primam partem Syntagmatis.*

560 Latus] *Synæsius inter tormentorum genera collocat, digitalia, pedum luxationem, torcular, nasi & aurium distorsiones, & labiorum vexationem. Quæ de* fidiculis *olim puer ætatis anno* XIX. *contra doctorum virorum sententiam scripseram in Aduersariis anno* LXXV. *editis, ea, verissima vt putem facit, quod videam idem placuisse Cæsari Baronio, de facie, non de eruditione mihi ignoto, in Notat. ad Martyrologium 22. Ianuar. anno 1589. à Plantino nostro, piæ memoriæ excusis. confirmantur enim viri eruditi iudicio, quæ tam diu ante puero mihi in mentem & calamum venerant. addo glos.* fidicula, ὄργανον βασανιστήριον. 563 Vapor] *fumus mixtus incendio.*

568 Vlyssem] *quem Homerus vocat gnarum doli omnis, & consiliorum abstrusorum; & multorum mentes hominum & mores vrbiũ vidisse scribit.*

575 Nam

575 Nam mori] *Eguian.* iam mori.

577 Verberibus] *non vnum genus verberum fuit: ingenui, fustibus & virgis; serui, flagris aut loris; martyres etiam cathenis, plumbatis, boum neruis, & scorpionibus verberabantur.*

580 Necessitas plus] *Æschylus in Prometheo vincto:*

Necessitatis robur inexpugnabile.

Idem: Artificio necessitatis debiliora longo.

Euripides: Necessitati validæ nil reliquorum quid resistere.

Simonides: Necessitati neque Dij queunt repugnare.

Thales: Fortissimum quid est necessitas, vincit enim omnia. *Plato in libb. de Repub. necessitatem facit Parcarum matrem. Trismegistus in Asclepio, Fatum & necessitatem copulat indiuiduo vinculo, & Fatum quidẽ vult omnium rerum initia parere, eorumdem verò exitum à Necessitate pendere, quòd illa effectum sortiri cogat. Democritus, Parmenides, & Epicurus Fatum ac Necessitatem vnum idemq́ putabant, testes Plutarch. lib. 3. de placit. & Stobæus lib. 1. Physic. cap. 8. Qualis autem hic Andromacha, talis à Dione pingitur Porcia Bruti vxor li. 44. se non adeò muliebri naturâ esse inquiens, vt ad arcana efferenda flammæ, flagra, stimuli eam possint adigere.*

581 Fides] *silentium secretum. sic sumitur Herc. Fur.*

——tibi multâ fide
Longas Eleusi tacita iactabo faces.

Oetæo; —— fide tacitâ premas. *Item*; Præstare fateor posse me tacitam fidem. *Thyeste*; —— tacita tam rudibus fides Non est in annis. *Oedipo*; Quis fuerit infans edoce. SEN. Prohibet fides. *Hippolyt.* Negata magnis sceleribus semper fides. *& alibi.*

608 Auspicium] Omen.

615 Et huc] *q. v. l.* Sed huc.

618 Alloqui] *consolari. sic olim Oblanca exposuit. Catullus*: Qua solatus es allocutione. *Horatius*: Deformis ægrimoniæ dulcibus alloquiis. *Ouid. lib. 1. Trist. Eleg. 4.* Ausus es alloquio sustinuisse tuo. *& Eleg. 7.* —— alloquij parte leuare tui.

622 Reliquit] *In Moguntin. Herbipolens. & Venetus hæc adhuc cum sequentibus tribuuntur Vlyxi, vsque ad*; Vtinam timerem. *melius quàm in ceteris. Pro*, En tremuit, *Moguntinens.* Intremuit. *Herbipolens. & Veneti duo*; En timuit. *tertius*; Et tumuit, *malè.*

624 Quærenda] *scrutanda.* 633 Lustrale] *purgatorium. sic in Agamemn.* Lustrale classi Doricæ peperit caput.

640 Sedibus sacris] *Cicero lib. 4. de Repub.* Eosdem terminos hominũ curæ atq. vitæ. sic Pontificio iure sanctitudo sepulturæ. *citat Nonius.*

646 Deósque veros] *Præcipuo enim honore veteribus Dij domestici, Manes suorum, vt docui.*

654 Hic] *Astyanax.* 655 Illum] *Hectorem.*

658 Sensu potens] *viuus. Eguian.* sensus potens.

668 Busta] *Festus, vel potius ex Festo Paulus docet*, bustum *propriè*

dici locum in quo mortuus est combustus, quasi benè vstum: si in eodem loco sepeliebatur tunc vocari, sepulcrum; *sin alio loco*, vstrinam *dici. Sed Seruius ista distinctius. nam prodidit, propriè cadaueris cremationem, dici* bustum; *locum*, vstrinam; *operis exstructionem*, sepulchrum; *inscriptionem*, monimentum; *exstructionem lignorum*, rogum; *subiectionem ignis*, pyram; *apparatum mortuorum*, funus. *Verùm ista sæpè confunduntur. hîc* bustum *pro ipso sepulcro.*

Transierat furor] *vos adhuc à sepulcrorum violatione abstinueratis: & sanè Aristoteles hoc crimen grauissimum iudicat lib. περὶ ἀρετῆς, cap. de Iustitiâ: & sepulcrorum dirutores vel spoliatores, vtplurimum infelicissimè mortuos didici. Pyrrhum Epirotam mulier tegulæ iactu occidit, Strabo lib. 8. Plutarch. in Pyrrho; Sullam pediculi comedêre, Serenus de re medicâ, Plinius lib. 7. & 26. Plutar. in Sullâ; Lysimachus ardentissimâ febri interiit, Pausan. in Atticis, Plutar. in Alexandro; Alexium Imp. fœdissimus hydrops præfocauit, Nicetas lib. 1. Annal. alij aliter periêre. Vide Guicciard. lib. 1. de Funerib. cap. 4.*

672 Amazon] *Penthasilæa.* Mænas] *Agaue, quæ Pentheum.*

683 Ignes] *vt cùm rates exussit.*

685 Gnatum] *Scamandrium, Nesum, Astyanactem. hæc enim tria eius nomina.* 696 Misero datur] *distinguebam*; Misero datur quodcunque fortunæ datur. *hoc sensu. quicquid miseris conceditur, fortunæ conceditur. illa vt in se collatum, fert acceptum, par pari relatura. Parce miseris, si vis tibi fortunam esse propitiam. sed melius Lipsius*; Miseræ datur quodcumque fortunæ, datur. *ab illis enim beneficiis, quæ in egenos, miseros, ærumnis oppressos conferūtur, beneficij nomen merentur. abest aucupij suspicio, abest spes retributionis.* 697 Coniugis] *Penelopes.* 701 Auum] *Laërtem.*

703 Exhibe gnatum] *iuridicum & sollemne vocabulum. vide D. de liberis exhibendis.*

706 Terror] *iam enim à Græcis metuebatur, Ausonius:*

Flos Asiæ, tantáque vnus de gente superstes
Paruulus; Argiuis sed iam de patre timendus,
Hîc iaceo Astyanax, Scæis deiectus ab altis.
Prô dolor! Iliaci, Neptunia mœnia, muri
Viderunt aliquid crudelius Hectore tracto.

715 Funera] *sic Mogunt. & alij m. s. Quidam excusi*; vulnera.

717 Pueri] *Etymologias & gradus ætatum, sic ex Varrone tradit Censorinus in lib. de die Natali*; Varro quinque gradus ætatum æquabiliter putat esse diuisos: vnumquemque scilicet, præter extremum, in annos quindecim. itaque primo gradu vsque ad annum quartumdecimum PVEROS dictos, quod sint puri, id est, impubes: secundo, vsque ad tricesimum annum, ADOLESCENTES, ab adolescẽdo sic nominatos. In tertio qui erant, vsque quinque & quadraginta annos, IVVENES appellatos, eo quòd remp. in re militari possent iuuare. In quarto vsque ad sexagesimum annum, SENIORES vocatos, quod tunc primum

mum corpus senescere incipiat. Inde vsque in finem vitæ vniuiusque quinctum gradum factum; in quo qui esset, SENEX appellatur, quod ea ætate corpus senio laboret.

730 Sola] *non virtutes, sed ira & sæuitia.*

736 Pelasgæ] *non Thessalæ tantùm (etsi hæ propriè* Pelasgæ) *sed Græcæ omnes: sic enim, vt plurimum sumitur. In magnâ Græciâ Pelasgi dicebantur homines rusticani. Vide Victorium lib. 1. var. lect. cap. 10. De gente ipsâ, quædam Dionys. Halycarnaß. lib. 1.*

737 Luctus] *quædam membranæ,* metus.

738 An has ruinas] *Euripides:*

—— μὴ τροίαν ποτε
πεσοῦσαν ὀρθώσιν; —— númne olim Troiam
Subrutam instauraret?

743 Tractus] *raptatum curru. vet. poëta:*

Vidi, videre quod me passa ægerrumè,
Hectorem curru quadriiugo raptarier.

Virgilius & Latini poëtæ ter circũ muros Ilij; Homerus lib. 22. & 24. Iliad. vsque ad naues, & postea ter circum Patrocli tumulum raptatum scribit.

745 Famulare] *iugum vocat famulare sicut alibi* turbam famularem, *Herc. Oetæo; sicut & Statius 2. Achilleid. & Tertullian. cap. 21. Apologet.* populum famularem.

749 Machinator] *hostes hostiles virtutes vitiis ascribunt. nam Vlysses non versipellis aut deceptor, sed prudens & consilio pollens fuit. vide Strabon. lib. 1. Aristidē in Isthmicâ, & Salisberiensem ex Darete lib. 1. Polycrat. c. 4.*

756 Virtus Vlyssis] *pulchrè laudat seipsum, laude & iudicio suorũ, mærore & luctu hostium. vtrumque expresserat Attius in Philoctete:*

Inclyte, paruâ prædite patriâ,
Nomine celebri, claróque potens
Pectore, Achiuis classibus* auctor:
Grauis Dardaniis Gentibus vltor,
Laërtiade —— *adsui quartum versiculum ex Victorino; apud quem male quattuor versus in duos coaluerunt.*

* *Sic Victorius: & Salisberiensis ex Apuleio lib. 6 Polycra. ca. 28. sed malem;* classibu' ductor.

758 Anchoras] *Anchoram putat Ephorus ab Anacharsi Scythâ inuentam; sed eâ diu prius vsi Argonautæ. vide Schol. Apollonij in lib. 1.* Legere anchoras *classicum vocabulum est, pro retrahere in nauem, & adducere.*

763 Arbitrio] *arbitratu, quantum & quomodo voles. solemnis formula.*

764 Fletus ærumnas leuat] *Iustin. lib. 8. Histor.* crescit dissimulatione ipsâ dolor: hoc altius dimissus, quo minus profiteri licet.

In Agamemnone:

Lacrymas lacrymis miscere iuuat,
Magis exurunt; quos secretæ
Lacerant curæ. iuuat in medium
Deflere suos. *idem confirmat Aristoteles lib. 9. ad Nicoma.*

765 O dulce pignus] *Euripides,* Ω φίλτατε, *&c.*

769 Me-

769 Medios] *iuuenis ab Hercule, expugnatâ Troiâ, Priamus hostium potitus; senex calamitatis & miseriæ omnis nobilissimum fuit exemplum; statam ætatem florens opibus, regno, liberis transegit.*

776 Lustri] *nam fiebant singulis quadriennius expletis.*

777 Troici lustri] *si rectum hoc; Ludus Troianus vocabatur,* lustrum. *ambigo an legendũ;* Troici ludi. *describitur à Dione lib.* 43. 48. *&* 51. *& vocabatur* Troia, *vt Dion & Festus scribũt. erat equestris, & à nobilibus pueris peragebatur.*

779 Inter aras] *choreas ergo in ipsâ æde, Deorum in honorẽ Phryges ducebãt, vt & alij, quod etiã Socrates poëta significat apud Athenæũ li.*14.*c.*12.

780 Flexo cornu] *Tibullus curuam tibiam vocat, lib.*2. *eleg.*1. Obstrepit & Phrygio tibia curua sono. *puto fuit, qualis* corneta *vulgaris.* Phrygiam *vocat Tibullus, quòd sit inuentum Pelopis Phrygis, vt indicant Thelest.is versibus mox citandis, & Statius lib.*6. *Thebaid. vide Herc. Fur.* 854.

Vide Cæliũ lib. 9 antiq c.3. Scaligerum lib 1 artis poet. cap.9.

Concitos modos] *Harmoniæ Græcanicæ, & Asiaticæ quinque fuêre genera,* Doricum, Aeolicum, Ionicum, Phrygium, Lydium. *de Græcanicis illis tribus, fusissimè disseruit Heraclides, lib.*3. *de Musicâ, apud Athenæum lib.*14. *cap.*10. *De Barbaricis istis duobus, alij. Per Phrygiam, afflatos numine Ischiacos sanari, prodidit Theophrastus lib.*1. *de afflatu numinis. Addit Clemens Alexandri.* mixolydiam *&* mixo-Phrygiam, *& inuentores singularum nominat lib.*1. *Stromat. Aduerti Ionium etiam vocatum* Iasium. *hinc apud Apuleium lib.*1. *Floridorum sic legitur:* Tibicen quidam fuit Antigenidas, omnis voculæ mollis modulator, & idem omnis modi peritus modificator, seu tunc vellet *Æolium* simplex, seu *Iasium* varium, seu *Lydium* querulum, seu *Phrygium* religiosum, seu *Doricum* bellicosum. *Apud Martian. lib. vlt. vbi quindecim harmoniæ tropos numerat, quinque principales, & duos singulis cohærentes, mendosè legitur;* Iastius, *quemadmodum etiam apud Cassiodor. lib.*2. *Variar. ep. ad Boëtium:* Hoc totum inter homines quinque tonis agitur, qui singuli prouinciarum, vbi reperti sunt, nominibus vocitantur. *Dorius*, pudicitiæ largitor est, & castitatis effector. *Phrygius*, pugnas excitat & votũ furoris inflammat. *Æolius* tempestates animi tranquillat, somnumque iam placatis attribuit. *Iastius* intellectũ obtusis acuit, & terreno desiderio grauatis, cælestium appetentiam bonorum operator indulget. *Lydius* contra nimias curas animæque tædia repertus, remissione reparat, & oblectatione corroborat. *Lucianus in Harmonide, Phrygio modo tribuit sonum* ἔνθεον, *Lydio* βάκχικον, *Dorio* σεμνὸν, *Ionio* γλαφυρόν. *Iccircò noster vocauit* concitos modos: *Propertius insanos, lib.*2.

Et Phrygis insanos cæditur ad numeros.

de his Telestas Selinuntius:

Primi apud Græcos inter bibendum in tibiis
Assecla Pelopis, matris montanæ
Phrygium cecinerunt modum;
Isti verò acutisonis citharæ cantibus

Lydium hymnum perſonarunt. *Iidem ergo inuentores barbaricæ harmoniæ tam Lydiæ quàm Phrygiæ, vt Athenæus docet d. c.10.*

781 Barbarica] *Phrygia. nam propriè Phryges dicti Barbari. Sophocles.* Πίλοπα βάρβαρον Φρύγα. *Catullus*:

Barbaráque horribili ſtridebat tibia cantu.

Priſco ſaltatu] *de quo tripudio Phrygio, Euripides*:

Libyſque tibia, & Phrygiæ
Cantiones perſtrepunt, at virgines
Alacri cum plauſu pedum
Lætis dabant operam cantionibus.

vide Athenæum lib. 14. cap. 12. vbi de generib. ſaltationum fuſiſſimè.

783 Flebilius aliquid Hectoris magni nece muri videbunt] *nónne à Bethyco, hoc poëta Burdegalenſis ſumſit? verſus paullo antè retuli.*

790 Quid meos] *Euripides*:

Quid me manibus prehendis? quid inhæres peplis?

797 Talis] *ex Euripideis his*:

Nam me ceu catulum leonis, aut vt vitulam
Montibus alita miſera miſeram
E tuâ manu abſtrahi aſpicies.

803 Iugo] *ſic recentiores codices excuſi: at Moguntinenſ. manuſcr. & impreſſi Franconicus & Hadriani tres*; viro.

805 Sume nunc iterum] *nato, quem occidendum tradit, viuo iuſta perſoluit. ſeruabatur enim hic ritus; vt primo mortui Manes vocarentur; lotis tum manibus oſſa legerent; lecta vino & lacte perfunderent; mox ventis cillanda & ſiccanda exponerent; ſiccata demum aromatibus & odoribus commixta in vrnam reponerent: reliquiis deinde lacrymas ſuperfunderent. teſtes Propertius, Ouidius, Tibullus; qui vnus omnia confirmat lib. 3.*

Præfatæ ante meos Manes, animámque rigatæ,
  Perfuſæque pias ante liquore manus:
Pars, quæ ſola mei ſuperabit corporis, oſſa
  Incinctæ nigrâ candida veſte legant:
Et primùm annoſo ſpargant collecta Lyæo,
  Mox etiam niueo fundere lacte parent:
Poſt hæc carbaſeis humorem tollere ventis,
  Atque in marmoreâ ponere ſicca domo.
Illic quas mittit diues Panchaïa merces,
  Eöique Arabes, diues & Aſſyria.
Et noſtri memores lacrymæ fundantur eodem.
  Sic ego componi verſus in oſſa velim.

vide Guicchiardum lib. 1. de Funerib. cap. 7.

810 Quicquid hic cineris] *oſculabantur cineres, & ſi quos alicubi reſtare opinarentur, ore ſcrutabantur, vt labris legerent. Ouid. lib. 3. Faſtor.*

Térque vale dixit, cineres ter ad ora relatos
  Preſſit, & eſt illis viſa ſubeſſe ſoror.

IN CHORVM.

Ariolantur captiuæ Troades, & coniiciunt quo quæque asportanda, & cui domino seruitura!

813 Quæ] *apud Euripidem ipsamet Hecuba quærit, ad quem angulum Thessaliæ, vel Phthiotidis, vel Cadmæi soli sit deportanda.*

814 Montes] *Othrys, Ossa, Olympus, alij.*

816 Phthie] *Phthiotis vna ex quatuor Thessaliæ partibus.*

819 Maris domitrix] *sic vocat propter Iasonem Argonautarum ducem; de quo in Medea:* —— mare qui subegit.

818 Trachyn] *malè quidam lib.* Trace. *non de Thracia sermo, sed de Trachyne. indicat res ipsa, indicat epithetum lapidosa. hoc enim sonat ipsum vocabulum.* 820 Gortyne] *Cretæ oppidulum à Gortyo Heroë vocatum dictum Gortyne, Gortyna, Gortys, & Larissa, teste Stephano.*

821 Frequens ruscis leuibus Methone] *Bernardin. legit;* rubis. *Equi. lib. habet;* rutis. *Herbipol. & Veneti;* riuis. *ceteri* ruscis. *quod retineo. Pro,* Methone, *legit Bernardin.* Meliboea: *& sanè Meliboea vrbs Thessaliæ Athenæo, vel litoralis potiùs (teste Herodoto lib.6.) Magnesiæ; fuit patria Philoctetæ, de quo hic agitur. Lucanus:*

—— pretióque nefandæ
Lampadis Herculeis fortis Meliboea sagittis.

Methone Straboni lib.8. Stephano, Dioni lib.11. Pausan. in Messeniac. & Ptolomæo Messeniæ vrbs, à multis Græcis Mothone *nuncupata. Sed cùm subdat Seneca;* Quæ sub Oethæis, *&c. & constet Philoctetem Troiam secundò iisdem sagittis expugnasse, quibus prior Hercules; planè arbitror, vel hîc legendum;* ruscis Meliboea lentis. *vel si lectionem pristinam retines, dicendum Senecam putasse Philoctetem Methonensem, vel Methonem cum Meliboea confudisse.*

823 Troïæ] *scribendum* Troïæ *trisyllabum. nam alias i, vocalis esse desinit, sicut in* Aiax *&* Graius. *quod vt constet, iubent Terentianus & Victorinus scribi;* Troija, Aijax, Graijus, Aiio, *& similia.*

825 Olenos] *Elidis vrbs, quam initio paucis incolis habitatam testatur Hermesianax, apud Pausan. in Eliac. & Strabo scribit lib.8. etiam suo tēpore desertā fuisse; multa de ea Stephanus. Scholiastes Apoll. duas Olenos agnoscit.*

826 Pleuros] *sic omnes libri; miror tamen, & consensus scriptorū aliorum suadet,* Pleuron. *sic enim Græci omnes* Πλευρὼν. *Statius* Meleagria Pleuron. *Silius:* —— regia Pleuron. *sic Ouidius & alij. Nota Ætoliæ vrbs, à quâ Strabo partem Aetoliæ, Pleuroniam dictam testatur. Helenam Lycophron Pleuroniam nominat. an ergo Aetola? aut in Argiuo agro Pleuron vlla, vnde id nominis sortita? putat Izacius, sed toto cælo aberrat. à proauo sic nominata. Helena Ledæ filia fuit. Leda Thestij, Thestius Agenoris, Agenor Pleuronis. vide Pausaniam in Laconicis.*

837 Sinuosa Trœsen] *litoralis Peloponesi ciuitas, Thesei patria, auctore Ouidio.* 838 Pelion regnum Protei] *De Proteo Licentius Hipponensis cecinit:* Protea namque ferunt veterum commenta Pelasgum;

Qui

Qui dum sollicitis non vult aperire futura,
Spumat aper, fluit vnda, fremit leo, sibilat anguis:
Captum aliquando tamen in munera parua volucrum.

Regnauit prius in Aegypto, post in Thessaliâ, vt indicat hîc noster, & Valerius Flaccus lib. 2. Argonaut.

Proteáque ambiguum Phariis referebat ab antris
Huc rexisse vias. *Euripides in Helena:*
Πρωτεὺς δ' ὅτ' ἔζη, τῆς δὲ γῆς τύραννος ἦν
Φάρον μὲν οἰκῶν νῆσον, Αἰγύπτου δ' ἄναξ.
Dum viueret Proteus, tyrannus finium
Istorum erat, rex Ægypti colens Pharum.

testatur & Nonnus in Schol. in D. Greg. Nazianzeni Orat. 1. *contra Iulianum: sed rem totam explicat Izacius in Lycophron.* Proteus, *inquit*, Ægyptius genere, Neptuni filius, ex Thraciâ in Phlegram Pallenes venit, ductâ Ægyptiâ puellâ Torone; ex qua sustulit Tmylū & Telegonum; qui cùm hospites luctâ victos occiderent, offensus eorum inhospitalitate Proteus, à patre postulauit, vt rursus in Ægyptum sisteretur: quo impetrato, apertis à Pallene, sub ipso mari in Ægyptum vsque cuniculis, in antiquam patriam fuit reuersus.

829 Hic] *in Thessaliâ.* 830 Montis exesi] *ocris. sic Liuius Andronicus, quo fortè Seneca respexit;* Vt quem Chiro in Pelio docuit ocri.

831 Iam trucis] *naturâ enim & indole trux, ferus, iracundus. Dictys lib.* 1. *scribit primis adhuc adolescentiæ annis Achilli vim quandam inconsultam & efferam morum impatientiam fuisse. Philostratus lib.* 2. *&* 3. *Imag. Achillem puerū pingit feroci facie, truci, magnanimoq́ vultu, vnde Ouidius canit:* Phillyrides puerum cytharâ perfecit Achillem,
Atque animos molli contudit arte feros.

Horatius in Arte poët.

Scriptor honoratum si fortè reponis Achillem;
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Iura neget sibi nata. nihil non arroget armis.

Chironem fuisse magistrum Herculis, Iasonis, Æsculapij, Castorū & Achillis, in musicis, medicis, politicis tradunt Plutarchus in lib. de Musica, Xenophon in Hippar. Apollonius lib. 3. *&* 4. *Pindarus in Pythic. item in arte equitandi iuxta Philostratum lib.* 2. *Imagin. cuius quod peritissimus esset, Centaurum creditum vult Tzetzes Chiliad.* 7. *hist.* 94. *Hermippus eum vocat* κένταυρον σόφον *Centaurum sapientem, & auctor Titanomachiæ de illo;* ὡς πρῶτος οὗτος εἴς τε δικαιοσύνην θνητῶν γένος ἤγαγεν δείξας ὅρκους καὶ θυσίας ἱλαρὰς, καὶ σχήματα ὀλύμπου.

Primus & ad iustum duxit mortalia sæcla,
nimirum docens,
Iusiurandum, & sacra Deûm, cælique figuras.

ita Clemens Alexandr. lib. 1. *Stromat. censuit ergo legum, theologiæ, & astronomiæ inuentorem, hoc est, totius philosophiæ auctorem fuisse. verum*

exemplar, & idea perfecti Principum educatoris & magistri.

833 Acuebat iras] *studio laudis & gloriæ ad bellum excitabat.*

835 Varij lapidis Carystos] *Lucanus lib. 5. vocat* saxosam : *est enim ferax multi & pretiosi marmoris, de quo Stephanus legendus. apud Martianum lib. 6. sic castigo* : Huius oppido Chalcidi, ex aduerso Aulis & Carystos marmoreis fluctibus (*mallem* frustis) concolora. *Distinxerunt etiã Chalcida à Carysto, Strabo, Mela, Plinius, vt suspicer Solinum errasse. nã Chalcis Eubœæ est.* Varij] *sic Moguntin. & Veneti.* rari, *Herbipol. & Lugdun.*

838 Echidnæ] *mallem, vt alias docui*, Echinæ. *sic etiam Apollodorus.*

839 Genoessa] *mallem cum aliis* Gonoëssa, *Stephano* Gonoyssa.

841 Attica pendens Peparethos ora] *si hæc lectio Germana, non habeo quomodo excusem poëtam : qui volet tueri, quærenda illi Peparethos in orâ Atheniensium. quærenda, non inuenienda. Si;* Peparethos, *legendum: puto vocem*, Atticâ *mendosam, positam pro*; Arctica, *hoc est, Boreali ora Græciæ. spectat enim Magnesiam, vbi Acte promontoriũ; à quo quis suspicetur*, Actiâ. *Apud Stephanum exstat Peparethos vnâ Cycladum cum vrbe eiusdem nominis : Ortelio* πεπάρηθος *Macedoniæ insula est in mari Aegæo ; quondam Plinio dicta* Euonus; *nunc Nigro Mario*, Lemene; *Castaldo*, Saraquino; *Beniamino Iudæo* Opula. *Seneca tamen significat in Atticâ, vel prope, tale oppidũ fuisse; quia Salamina & Eleusin coniungit. quare suspicatus sum aliquando reponendũ;* Perithædos, *vel potiùs* Sypalettos, *qui ambo Atticæ vici, teste Stephano, Pausaniâ, & aliis. vide Sigoniũ lib. 2. de repub. Athen. cap. 2.*

843 Aiacis Salamina veri] *Dicitur Aiax Telamonius in hyacinthum* „ *mutatus. Plinius lib. 21. cap. 11. de hyacintho*: Quem comitatur fabula du„ plex, luctum præferens eius quẽ Apollo dilexerat, aut ex Aiacis cruore „ editi, ita discurrentibus venis, vt Græcarum litterarum figura legatur „ inscripta. *quam explicat Ouidius lib. 10. Metamorph.*

Ipse suos gemitus foliis inscribit, & αἰαῖ
Flos habet inscriptum, funestáque littera ducta est.

de quo Virgilian. pastor:

Dic, quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores?

Quem vulgò hyacinthum florem appellant, in eo vix est vestigium harũ litterarum. Dioscorides, quem Seruius sequitur, pro vaccinio accipit: Pausanias in Corinthiac. cum comosandylo confundit. Ouidius verò ita describit:

Ecce cruor, qui fusus humi signauerat herbas,
Desinit esse cruor, Tyrióque intensior ostro
Flos oritur, formamque capit; quam lilia, si non
Purpureus color his, argenteus esset in illis.

vt appareat esse, nostrum lilium rubrum. nam & Plinius lib. 21. cap. 26. radicem bulbaceã affirmat. Igitur, quia primis nominis sui litteris, optimè exitus vitæ Aiacis respondit, verum *vocat: vel significat rectum & veracem fuisse, minimeq́; solitum mentiri, qualis ab Homero pingitur: vel,* veri, *id est, veracis vatis, quia Teucro fratri regni amißionem prædixit, apud Sophoclem. Dicit etiam*

etiam Salamina Aiacis; quia in illâ Telamonius Aiax fuit natus, vt ex Aretade Cnidio Plutarch. in Parallel. meminit. de hac eadem est illud à Lucano dictum obscurissimè lib. 3.

Trésque petunt veram credi Salamina carinæ.

quo loco, vt, quæ interpretes, mihi non placent; ita, quod mihi placeat, ipse non inuenio. Venit in mentem hanc Atticam Salamina veram vocari solitam, ad distinctionem alterius Cypriæ, quam Teucer ædificauit, cùm hanc Salamina patrémque fugeret; & quæ ab eodem Horatio vocatur ambigua. Vt fortassis apud Senecam debeamus reponere:

Numquid Aiacis Salamina veram?

si non mauis Hypallagen dicere.

844 Calydona] vrbem Aetoliæ, de quâ & apro vide Ouid. 8. Metam.

845 Titaressos] Titaressus (vt vocat Lucanus lib. 6.) vel Titaresius, vt Græci videntur malle, amnis Thessaliæ tam crassas habet aquas vt Peneo, cui influit, non admisceatur; sed olei instar supernatet, auctore homero Iliad. 2. & Lucano lib. 6. ideo vndas eius vocat segnes. Plinius lib. 4. cap. 8. videtur nonnullis vocare Euroton, Strabo Eurotam, Epytoma eius Europum. Homero aquas habet suaues. admiscetur Peneo, sed vix, vt patet ex Athenæo libro 2. cap. 2. causa, pinguedo iuxta Strabonem; leuitas, iuxta Athenæum & Plinium; fluit per Locros, quorum sunt vrbes, Bessa & Scarphe. apud Stephanum Heracleo Glauci F.

Βησσάντε Σκαρφῆντε καὶ Αὐγείαν ἐρα.

alia etiam Bessa Phocidis, & alia Scharphæ Euboeæ. Scarphæ & Scharphia Eustathio eadem. Sed falli puto. nam vna est Scharphia Locrorum distincta à Scharphe, de quâ Pausan. in Corinthiac. & Achaic. alia Scharphia Bœotiæ; Straboni. Pylon senilem] hoc addidit, vt de Nestoris Pylo intelligamus. sic Ouidius: Nos Pylon antiquam Neleia Nestoris arua. Homerus Odyss. γ'. Pyli nomine omnem ditionem Nestori subditam comprehendit, Strabone teste. Homeri Scholiastes tres Pylos numerat, vnam Messeniæ, quæ regnum Nestoris, & Coryphasia: secundam Arcadiæ, Nestoris patriam, quæ & Leopreatica & Triphyliaca; tertiam Eleæ, propè Oleniam petram. Ego Senecæ & Ouidÿ loca de prima puto accipienda. Pausanias in Messeniac. non videtur tot Pylos agnoscere.

848 Pharin] Pharis vrbs Laconiæ Homero Iliad. 2. & Stephano: Pharæ, oppidum Achaiæ Laconum Colonia, teste Aemilio Probo in Conone; deducta fortè ab iis, qui Pharin incolebant.

Pisam Iouis] Elidis vrbs Pisa, Oenomao regnata semper singulari numero profertur, Pindaro, Straboni, Diodoro, Stephano, Lucano, Statio, Plinio, Martiano, dicta teste Schol. Pindari à Pisâ Endymionis filiâ. Sed Hetruriæ ciuitas multitudinis numero profertur, Pisæ, vt notat Pintianus in lib. 2. Melæ. cur ergo apud Nonium Attius Oenomao de Græcanicâ,

Coniugium Pisis, patet eo te itiner tendere?

arbitror non fuisse Attiū singularē, sed scripsisse; Pisæ. Coronis] propter Olympia, quibus victorū capita oleâ coronabantur, vt docebo in Agam. act. vl.

853 Sparte] *Sparte semper pro vrbe ipsâ ponitur; Lacedæmon aliquando vrbem, aliquando totam prouinciam significat. Pausanias testatur Lelegem in Laconiâ regnasse, & ab eo Leleges dictos; huic quinctum ordine Lacedæmonem Heroëm successisse; hunc Spartam Eurotæ fluminis filiam duxisse; & à se regioni nomen Lacedæmoniam, ab vxore vrbi, quam in eâ condiderat, Spartæ nomen indidisse. Spartiatas, sacræ litteræ testantur fuisse de stirpe Abraham* 1. *Machab.* 12.

855 Neritos] *Stephano* νήριτος *&* νήρικος. *insula Acarnaniæ, quæ & Leucadia; & etiam mons Ithacæ, vide Plinium lib.*4. *cap.*1. *&* 12. *vbi docet etiam Zacynthum esse Ionij insulam.*

IN ACT. IIII.

Nunc Helena primò, fraude; mox apertè suadet Hecubæ & Andromachæ, Polyxenam vt sinant à Pyrrho immolari. priùs simulat nuptias: mox coacta, iurgio Andromachæ, verum fatetur: accurrit tandem Pyrrhus, & abducit regiam virginem, non reluctantem. mater ad arma muliebria confugit, diras & conuicia.

860 Illætabilis] *mæstus, tristis, luctificus, omnis expers lætitiæ. Virgil. lib.*3. murmur illætabile. *& lib.*12, oram illætabilem, *Statius lib.*5. *Thebaid.* pondus illætabile *dixerunt.*

862 Helena] *de Helenæ morte, & post mortē cum Achille nuptiis, aliisq́ nonnullis raris, adi Philostratum in vitâ Apollonij; Protei vaticinium apud Homerum Odyss.* δ'. *aut Dioscurorum apud Euripid. extremâ Helenâ, Isocratem in Encomio Helenæ sub fin. Leonicum lib.*2. *var. hist. cap.*31.

867 Fraudetur] *Primus Venet.* fallatur. *Moguntinens. & duo alij Veneti;* fidenter, *idq́ Daniel ait se in vetustissimo & antiquissimo Cod. reperisse, ego reperi;* fraudetur, *in aliis præter Moguntinens. Herbipolens. Basileens. Lugdunens. Liuiens. quod non video, cur non retinendum.*

873 Coniugium] *sic sumsit Propertius:* —— quæ viua sequatur Coniugium. *hoc est, coniugem.*

875 Petit] *Burdegal. membranæ;* vocat.

877 Thetys] *postea sequitur. hîc legendū;* Tethys. *deprauarūt Saxones.*

878 Suam vocabunt] *magnum id videbatur, ideo poëta ille in Lesbiacis, cuius fragmentum suprà dedi, ait Pisidicen sperasse futuram se Glaucæ Thetidis nurum:* ὄφρα νυός γλαυκῆς Θέτιδος πέλοι.

893 Totis] *in Basil. margine habetur;* nuda cutis.

896 Læta] *sic mei omnes codices, scripti, impressi: sed, inquiunt Critici, enorme & nimium hoc est, vt cum gaudio aspexerit pugnantes Paridem & Menelaum. satis si absque acri dolore. Enorme fateor, & nimium, vt aspexerit. sed, an propterea nimium, vt ab iratâ & hoste dicatur; vt improperetur ab enormiter læsâ mulierculâ? non tam illæ quid verū attendunt, quam quid dolor imperat. nil illis nimium, minora omnia quàm velint. docet experientia. quis conuiciis muliebribus frenum, quis modum imponat? nolim periculum facere, ne meo cum malo.*

901 Digni] *q.v.l.* dignè. 905 Iudice infesto] *magnum innocentiæ argumen-*

argumentum, vt & alia huius defensionis; quâ haut scio an quicquam neruosius, aut splendidius, in Helenæ defensionem, dici queat.

909 Seruitia] *seruitium propriè multitudo seruorum; seruitus conditio seruiendi: sed veteres (vt auctor est Carisius lib. 1.) Indifferenter seruitium etiam pro seruitute posuerunt. Virgilius;* Seruitio enixæ tulimus.

917 Teucris] *q.m.s.* Teucrũ, *nempe Eguian. paullo pòst Mog.* quç secuit.

919 Sin rapta] *sum, ait, innocens; quia non spontè Troiam veni, sed vi compulsa. quia non adulteri blandas persuasiones, sed Deæ Veneris mandata secuta sum, illius pollicitationem nolui falsam reddere. Vtrumque argumentum à Gorgiâ Rhetore sumtum; qui in Oratione pro Helenâ; culpâ vacuam docet: quia vel fortunæ imperio, Deorum iussu & Necessitatis nutu fecit ea quæ fecit, vel vi rapta, vel persuasa verbis, vel amore capta; singula deinde discutit, priora duo potissimùm, quæ hîc abutitur. Non (inquit) spotè Troiam veni, sed rapta à Paride; Paridis potiùs, quàm meo peccato. Nec tamen illius; qui datum sibi à Deâ munus, iure suo vindicauit. Dignus ille, cui tu, soror, ignoscas. Sed esto. mea tota culpa, meum facinus. quid te iudicem esse postulas? an vereris ne beneuolo iudice absoluar? non est quod metuas. idem mihi iudex, qui læsus, maritus adulterio lacessitus, Menelaus. illi futurum curæ, ne impunè abeat. hac sententia si;* iratum *legas, cum Moguntinens. Burdegalens. & Eguiano & aliis m.s. item cum Herbipol. Venetis, Paris. & Lugdunens. & aliis. Nescio vnde N. inuexerit;* irritum. *cui nec deest sententia. An tu, inquit, putas me futilem & cassum iudicem sortitam; qui iniuriam suam vel nolit, vel non possit vlcisci? &c.*

921 Iratum puta] puta. *sic omnes quos vidi, codices, & Priscian. docet lib. 15. de aduerb. significare, scilicet: vt hic sit nota irrisionis. Non malè tamen manusc. qui,* mea.

941 Polyxena] *tragœdiam Polyxenam scripsit Sophocles, vt citat Apollonij Scholiast. in lib. 2.*

944 Viden animus] *Euripides:*

Te quidem misera mater
Omnigeno luctu defleo;
Meam autem vitam, exitium, calamitatem
Non lamentor. cùm mî mortis obeundæ
Casus vitâ potior contigerit.

verba sunt Polyxenæ. porrò melius hîc Mogunt. Herbip. Venet. Lugdunens. Vide vt animus ingens lætus audierit necem.

946 Admoueri] *ornari, componi, discerni acu, cnasone, redimiculo ab ornatricibus, ciniflonibus, commotriis.*

958 In tot oscula] *vide sup. Thyest. 1022.*

976 Cassandra] *alio nomine dicta Alexandra, teste Pausaniâ in Lacon. Natarum Priami pulcherrima, si credimus Homero Iliad ν΄. nam cæcus ille idem, non idoneus formæ iudex, Iliad. ζ΄. hanc laudem tribuit Laodice, cui Triphiodorus astipulatur; de cuius Laodices impudicitiâ quædam ex Hegesippo lib. μιλησιακῶν α΄, narrat Parthenius cap. 16.*

970 Sedi-

970 Sedibus patriis] *corrupere Basileens. qui primi posuère*, patris; *quos Chemnicensis secutus.*

979 Breuis] *pro breuiter. sic suprà* prior, *pro prius; sæpè* serus, *pro serò & similia. porrò quòd ait nolenti obtigisse, sumtum à Nasone, qui* 13. *Metam.*

Nunc etiam prædæ mala sors: quam victor Vlysses
Esse suam nollet ——

980 Dirus] *Herbipolens. & Venet. Durus.*

981 Regibus reges] *sæpe sic ludit, vt supra;* Liber liberos Troas vide. *variant autem hoc loco excusi: secutus sum Lips. Herbipolens. Venet. Basileens. nam Lugdunens. addit;* haud. *malè. Moguntinens.* regem. *porrò sequentes versus mallem transponere:*

Quis arbiter crudelis & miseris grauis,
Quis tam sinister diuidit captas Deus?
Eligere, *&c.* *paullo tunc clariora.*

986 Armis Achillis] *quæ Vlyxi obtigere, iudicibus vel Græcis, iuxta Ouidium, Antipatrum, Asclepiadem, & Sophoclem; vel captiuis Troianis, iuxta Homerum, Q. Smyrnæum & alios.*

989 Spolium] *vestis corpori detracta,* spolium *dicitur; induta verò, à Saluiano lib.* 1. *de prouiden.* induuium *vocatur: Plinius id arbori accōmodat. Glossar.* spoliatorium ἀποδυτήριον *&* ἐνδυτήριον.

990 Tellus] *Ithaca.*

Num capit] *Moguntin.* nunc. *Lugdun. Basil. & Lipsiens.* num. *æquè bene Herbip. & Veneti,* non, *sine interrogatione.*

992 Sequentur] *Moguntin.* sequantur.

996 Interim hæ pœna] *Dæmonax philosophus felicem censebat, qui liber esset; liberum, qui nec speret aliquid, nec pertimescat; nihil illi sperandum vel metuendum, qui sciat cuncta, siue iucunda siue acerba, iuxta finem citò capere. Boëtius pulcrè:*

Nec speres aliquid, nec extimescas,
Exarmaueris impotentis iram:
At quisquis trepidus pauet vel optat,
Quod non sit stabilis suique iuris;
Abiecit clypeum, locóque motus,
Nectit, quâ valeat trahi, cathenam.

adde quæ dixi Herc. Oet. 928.

996 Sortem occupaui, præmium eripuit mihi] *sic omnes libri, obscura tamen verba, & arbitror mendosa.* Daniel *explicat; Sors mihi præmium eripuit, nempe mortem. quia mori mallem, quàm seruire seruitutem.* Bernardinus; *Voluissem potiùs sponte tecum abire, vt nocerem; quàm per sortem.*
» *vellem autem hoc, quia tunc omnes Troiani mihi essent obligati. Hoc amplius*
» *mihi placet, sed dicendum clarius. Interea vos (ait) morâ & exspectatione di-*
» *rarum, quas imprecari non desinam, cruciemini. Vellem sponte meâ, vos essem*
» *conuiciis & diris insecuta: vellem arbitratu meo, non sortis, Vlyxem maledictis onerare licuisset; proscindere, cōfigere licuisset iratæ linguæ telis. fuisset*

hoc

hoc mihi præmium miseriarum mearum. cœpissem hunc fructum ex tantâ calamitate. sed hoc præmium sors mihi eripuit, præoccupauit illa. sequar nunc Vlyssem & insequar; sed non spontè, non arbitrio meo. An ergo legendum: Sors occupauit, *&c. vel, an Synechdoche?*

1000 Reclude] *idem petit apud Euripidem:*

Me verò, deductam ad Achillis pyram,
Immolate, ne parcite ——

IN CHORVM.

Laudat illud dictum, Communia mala minus angunt: & quod vulgo dicitur, Solatium est miseris socium habere in pœnis; & agit deinde de profectione, & dispersione futurâ.

1010 Lenius luctus] *m. s. Burdegal.* lentius fletus. *non placet.*

1014 Patuisse] *Moguntinens.* placuisse. *non displicet. idem paullo post:* remoueto multum. *Porrò querentibus se solos esse miseros possit quis dicere, quod Epictetus querenti:* Méne igitur solum securi percuti? Quid ergo? velléstne (inquit) omnes securi percuti, ne consolatio tibi deesset? *Arrian. lib. 1. de vita Epicteti.*

1039 Et nihil] *multa olim fuêre diluuia. primum generale temporibus Noachi, de quo in sacris litteris Genes. 7. ad perdendam tollendamq́ ex orbe terrarum malitiam, vt ait Lactantius lib. 2. quod pulchrè describit Alcymus lib. 4. cetera peculiaria, primum in Aegypto, Promethei & Herculis tempore menstruum apud Diodorum lib. 1. secundum in Achaiâ & Atticâ bimestre, rege Attico Ogyge, Pausan. in Attic. & Diodor. lib. 6. Tertium in Thessaliâ ætate Deucalionis, quod integrâ hyeme durauit, Aristot. in Meteor. Virgilio in Georg. Ouidio, & ceteris poëtis; & de hoc noster, & ferè semper ceteri poëtæ intelligendi; etsi de eo loquantur, quasi generale fuisset. Quartum Pharonium in Aegypto imperante Proteo, de quo Lucanus lib. vlt.*

Tunc, claustrum pelagi, cœpit Pharum. insula quondam
In medio stetit illa mari, sub tempore vatis
Protheos; at nunc est Pellæis proxima muris.

Accuratissimam diluuij descriptionem inuenies apud Senecam lib. 3. Nat. quæst. cap. 27.

1041 Questum] *Moguntinens. Herbipol. & aliqui Veneti;* cætum.

1043 Tuba] *Euripides in Rheso:* Nam accinctos laboribus oportet Tyrrhenæ tubæ sonum exspectare. *& Heraclidis:* Signum dedit Tyrrhenica tuba. *vide Agamemn. versu 424.*

IN ACT. V.

Narrantur cædes Astyanactis & Polyxenæ, & Troades captiuæ, ad suos quæq́ dominos, rapiuntur.

1055 Dira] *Moguntinens. Herbipolens. Ven.* dura. *& in sequentibus, Basileens. in marg.* quid, *pro,* quod.

1060 Sua quemque] *Sophocles:* —— at ægritudinem

Hanc nemo vestrûm est æquè qui, vt ego, sentiat.
Namque omnium vestrûm dolor redundat huc.
Omnis me in vnum confluit, me ille, me
Excruciat, & neminem alium. animus meus
Vrbísque, vestrámque, & meam simul gemit
Vicem ——

1064 Seriem sedis] *habes vtramq; apud Ouidium lib. 13. Metam. sub fi.*

1068 Assueta Priamo] *hoc narrat Homerus Iliad. γ'. quæ porta Scæa dicta, quod ad sinistram esset, hoc est, Occidentem, vt explicui Thyest. 697.*

1075 Turre in hac] *Ouidius.*

Mittitur Astyanax illis de turribus; vnde
Pugnantem pro se proauitáque regna tuentem,
Sæpe vidêre patrem monstratum à matre solebat.

1085 Nefas] *sepulcri violati.*

1098 Non flet] *Ex illo Ouidij:*

At populus lacrymas quas illa tenebat,
Non tenet ——

1100 Vlysses] *De Vlyßis morte, hæc Sex. Empyricus cap. 16. contrà Mathematici quidam scribunt eum à Telegono filio per imprudentiam interemtum; alij à Laro, qui marinæ turturis stimulum immiserat, occisum; alij in equi formam mutatum. Sanè in Italiâ sepultum docet Aristoteles in Peplo, vbi illum collocat in Tyrrhenia;* ἐπὶ Ὀδυσέως, κειμένου ἐν Τυῤῥηνίᾳ: *quo peruenerat, postquam eum Neoptolemus, ne à cognatis occideretur, Cephalleniâ & Ithacâ cedere iusserat. vide Tzacium & Canterum in Lycophron. De perfidiâ in hospitē Æolum, & de parricidio, quo propriū ex Euippâ filiū Euryalum sustulit Vlysses, ex Philetâ & Sophocle Parthenius* ἐν ἐρωτικ. *c. 2. & 3.*

1112 Et ora] *quanta maiestas oris vel in puero Scamandrio fuerit, nescio quis apud Attium, inquit:*

—— abducite intrò. nam mihi
Miseritudine commouit animum excelsa aspecti dignitas.

Notas] *similitudinem patris exprimentia lineamenta.*

1113 Imam] *Mogunt.* vna. *in sequ. carmine, Mogunt. Herbip. & Veneti;* incursu. *Basileens. Lugdun. Lipsiens. & ceteri mei;* incussu.

1115 Cerbero pen. expresso] *Turpe visum Euripidi, hac in re cerebrum nominare, in Troadib.*

Quam studiosè coluit mater cæsariem
Sæpéque deosculata est; ex illâ patet
Confractis ossibus vulnus, ne turpia loquar.

sed nec ipse hoc alibi, nec alij refugêre. Euripides, in Cyclope:

Alterum verò correptum neruo extremi pedis
Illisit acuto asperæ cautis fragmini,
Cerebrúmque dispersit —— *Sophocles, Trachiniis:*
—— scissóque capite
Mistum cerebrum sanie per comas fluit.

Home-

Homerus Odyss. ι.

τῷ κέ οἱ ἐγκέφαλός γε διὰ σπέος ἄλλυδις ἄλλῃ
θεινομένου ῥαίοιτο πρὸς οὔδεϊ.

Profectò ei cerebrum per speluncam huc & illuc
Verberato flueret ad solum.

& Iliad. γ'.

ὧδέ σφ' ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέοι ὡς ὅδε οἶνος.

Sic ipsorum cerebrum ad terram fluat, sicut hoc vinum.

idem vsurpat Iliad. λ'. Iliad. ρ'. Iliad. υ'. Athenæus lib. 2. cap. 27. his addit Aristophanem & Philoclem. Sed & Lucanus lib. 9.

——— raptóque cerebro
Exsiccata cutis, putrísque effluxit ab alto
Humor. *Sidonius epist. vlt.*
Vt per abruptum boue concitato
Spargeret cursus lacerum cadauer,
Cautibus tinctis calidâ soluti
Pulte cerebri.

1120 Tumulúmque] *Achillis tumulum statuunt in Propontide Homerus Odyss. ω'. & in Peplo Aristoteles.*

1133 Face] *Moguntin. Herbipol. & Veneti*; modo.

1138 Magísque solito] *sic Philetum sub mortem formosiorem pingit Papinius, lib. 2. Siluarum:*

Attendit toruo tristis Rhamnusia vultu,
Ac primùm impleuítque thoros, oculísque nitorem
Addidit, & solito sublimius ora leuauit;
Heu misero lethale fauens ———

1143 Peritura laudant] *Moguntin. & alij codd. scripti, item Herbip. & Veneti*; perituram laudant. *rectissimè, si vnica litterula.* m, *tollatur. deterius Lugdun.* Vt peritura laudât. *Viderunt hoc alij, & reposuêre*; Perituram adulant. *fateor eleganti vocabulo, quo & Attius, & Lucretius vsi. ille:* Pinnatâ caudâ nostrum adulat sanguinem.
hic verò: Longè alio pacto gannitu vocis adulant. *& more Græco solet cum accusatiuo iungi, vt Turnebus notauit lib. aduers. 2. c. 9. sed mihi religio coniecturas meras, non fultas exemplarium auctoritate, si non cogat necessitas, recipere.* 1148 Miserentur ac mirantur] *sic Basil. Lugdun. Lipsien. & plerique m. s. Mogunt. verò, Herbip. & Venet.* Miserantur ac mirantur.

1150 Audax virago] *Ouidius:*

Fortis, & infelix, & plusquam femina virgo.

& mox verba eius animi plena ponit:

Vtere iamdudum generoso sanguine, dixit,
Nulla mora est. aut tu iugulo vel pectore telum
Conde meo. iugulúmque simul, pectúsque retexit. *&c.*

Veteres feminam etiam viram *vocabant teste Pompeio Festo; sicut & Hebræis* ISSA *femina,* Is *vir, Gen. 2.* à virâ virago; *quasi virum agens.*

 1153 Pyr-

dici locum in quo mortuus est combustus, quasi benè vstum: si in eodem loco sepeliebatur tunc vocari, sepulcrum; *sin alio loco*, vstrinam *dici. Sed Seruius ista distinctius. nam prodidit, propriè cadaueris cremationem, dici* bustum; *locum*, vstrinam; *operis exstructionem*, sepulchrum; *inscriptionem*, monimentum; *exstructionem lignorum*, rogum; *subiectionem ignis*, pyram; *apparatum mortuorum*, funus. *Verùm ista sæpè confunduntur. hîc* bustum *pro ipso sepulcro.*

Transierat furor] *vos adhuc à sepulcrorum violatione abstinueratis: & sanè Aristoteles hoc crimen grauissimum iudicat lib. περὶ ἀρετῆς, cap. de Iustitiâ: & sepulcrorum dirutores vel spoliatores, vt plurimum infelicissimè mortuos didici. Pyrrhum Epirotam mulier tegulæ iactu occidit, Strabo lib. 8. Plutarch. in Pyrrho; Sullam pediculi comedère, Serenus de re medicâ, Plinius lib. 7. & 26. Plutar. in Sullâ; Lysimachus ardentissimâ febri interiit, Pausan. in Atticis, Plutar. in Alexandro; Alexium Imp. fœdissimus hydrops præfocauit, Nicetas lib. 1. Annal. alij aliter periêre. Vide Guicciard. lib. 1. de Funerib. cap. 4.*

678 Amazon] *Penthasilæa.* Mænas] *Agaue, quæ Pentheum.*

683 Ignes] *vt cùm rates exussit.*

685 Gnatum] *Scamandrium, Nesum, Astyanactem. hæc enim tria eius nomina.* 696 Misero datur] *distinguebam;* Misero datur quodcunque fortunæ datur. *hoc sensu. quicquid miseris conceditur, fortunæ conceditur. illa vt in se collatum, fert acceptum, par pari relatura. Parce miseris, si vis tibi fortunam esse propitiam. sed melius Lipsius;* Miseræ datur quodcumque fortunæ, datur. *ab illis enim beneficiis, quæ in egenos, miseros, ærumnis oppressos conferũtur, beneficij nomen merentur. abest aucupij suspicio, abest spes retributionis.* 697 Coniugis] *Penelopes.* 701 Auum] *Laërtem.*

703 Exhibe gnatum] *iuridicum & sollemne vocabulum. vide D. de liberis exhibendis.*

706 Terror] *iam enim à Græcis metuebatur, Ausonius:*

Flos Asiæ, tantáque vnus de gente superstes
Paruulus; Argiuis sed iam de patre timendus,
Hîc iaceo Astyanax, Scæis deiectus ab altis.
Prô dolor! Iliaci, Neptunia mænia, muri
Viderunt aliquid crudelius Hectore tracto.

715 Funera] *sic Mogunt. & alij m. s. Quidam excusi;* vulnera.

717 Pueri] *Etymologias & gradus ætatum, sic ex Varrone tradit Censorinus in lib. de die Natali;* Varro quinque gradus ætatum æquabiliter putat esse diuisos: vnumquemque scilicet, præter extremum, in annos quindecim. itaque primo gradu vsque ad annum quartumdecimum PVEROS dictos, quod sint puri, id est, impubes: secundo, vsque ad tricesimum annum, ADOLESCENTES, ab adolescẽdo sic nominatos. In tertio qui erant, vsque quinque & quadraginta annos, IVVENES appellatos, eo quòd remp. in re militari possent iuuare. In quarto vsque ad sexagesimum annum, SENIORES vocatos, quod tunc primum

mum corpus senescere incipiat. Inde vsque in finem vitæ vniuiusque quinctum gradum factum; in quo qui esset, SENEX appellatur, quod ea ætate corpus senio laboret.

730 Sola] *non virtutes, sed ira & sæuitia.*

736 Pelasgæ] *non Thessalæ tantùm (etsi hæ propriè* Pelasgæ) *sed Græcæ omnes: sic enim, vt plurimum sumitur. In magnâ Græciâ Pelasgi dicebantur homines rusticani. Vide Victorium lib. 1. var. lect. cap. 10. De gente ipsâ, quædam Dionys. Halycarnaß. lib. 1.*

737 Luctus] *quædam membranæ;* metus.

738 An has ruinas] *Euripides:*

—— *μὴ τροίαν ποτὲ*
πεσοῦσαν ὀρθώσειν; —— númne olim Troiam
Subrutam instauraret?

743 Tractus] *raptatum curru, vet. poëta:*

Vidi, videre quod me passa ægerrumè.
Hectorem curru quadriiugo raptarier.

Virgilius & Latini poëtæ ter circũ muros Ily; Homerus lib. 22. & 24. Iliad. vsque ad naues, & postea ter circum Patrocli tumulum raptatum scribit.

745 Famulare] *iugum vocat famulare sicut alibi* turbam famularem, *Herc. Oetæo; sicut & Statius 2. Achilleid. & Tertullian. cap. 21. Apologet.* populum famularem.

749 Machinator] *hostes hostiles virtutes vitiis ascribunt. nam Vlysses non versipellis aut deceptor, sed prudens & consilio pollens fuit. vide Strabon. lib. 1. Aristidē in Isthmicâ, & Salisberiensem ex Darete lib. 1. Polycrat. c. 4.*

756 Virtus Vlyssis] *pulchrè laudat seipsum, laude & iudicio suorũ, mœrore & luctu hostium. vtrumque expresserat Attius in Philoctete:*

Inclyte, paruâ prædite patriâ,
Nomine celebri, claróque potens
Pectore, Achiuis classibus* auctor:
Grauis Dardaniis Gentibus vltor,
Laërtiade —— *adsui quartum versiculum ex Victorino; apud quem male quattuor versus in duos coaluerunt.*

* *Sic Victorin. & Salisberiensis ex Apuleio lib. 6 Polycra. ca. 18. sed mallem;* classibu* ductor.

758 Anchoras] *Anchoram putat Ephorus ab Anacharsi Scythâ inuentam; sed eâ diu prius vsi Argonautæ. vide Schol. Apollonij in lib. 1.* Legere anchoras *classicum vocabulum est, pro retrahere in nauem, & adducere.*

763 Arbitrio] *arbitratu, quantum & quomodo voles. solemnis formula.*

764 Fletus ærumnas leuat] *Iustin. lib. 8. Histor.* crescit dissimulatione ipsâ dolor: hoc altius dimissus, quo minus profiteri licet.

In Agamemnone:

Lacrymas lacrymis miscere iuuat,
Magis exurunt; quos secretæ
Lacerant curæ. iuuat in medium
Deflere suos. *idem confirmat Aristoteles lib. 9. ad Nicoma.*

765 O dulce pignus] *Euripides, Ὦ φίλτατε, &c.*

769 Me-

769 Medios] *iuuenis ab Hercule, expugnatâ Troiâ, Priamus hostium potitus; senex calamitatis & miseriæ omnis nobilissimum fuit exemplum; statam ætatem florens opibus, regno, liberis transegit.*

776 Lustri] *nam fiebant singulis quadriennijs expletis.*

777 Troici lustri] *si rectum hoc; Ludus Troianus vocabatur,* lustrum. *ambigo an legendũ;* Troici ludi. *describitur à Dione lib.43.48. & 51. & vocabatur* Troia, *vt Dion & Festus scribũt. erat equestris, & à nobilibus pueris peragebatur.*

779 Inter aras] *choreas ergo in ipsâ æde, Deorum in honorẽ Phryges ducebãt, vt & alij, quod etiã Socrates poëta significat apud Athenæũ li.14.c.12.*

780 Flexo cornu] *Tibullus curuam tibiam vocat, lib.2. eleg.1.* Obstrepit & Phrygio tibia curua sono. *puto fuit, qualis* corneta *vulgaris.* Phrygiam *vocat Tibullus, quòd sit inuentum Pelopis Phrygis, vt indicant Telestæ versibus mox citandis, & Statius lib.6. Thebaid. vide Herc. Fur. 854.*

Vide Celiũ lib. 9 antiq c.3. Scaligerum lib 1 artis poet. cap.9.

Concitos modos] *Harmoniæ Græcanicæ, & Asiaticæ quinque fuêre genera,* Doricum, Aeolicum, Ionicum, Phrygium, Lydium. *de Græcanicis illis tribus, fusissimè disseruit Heraclides, lib.3. de Musicâ, apud Athenæum lib.14.cap.10. De Barbaricis istis duobus, alij. Per Phrygiam, afflatos numine Ischiacos sanari, prodidit Theophrastus lib.1. de afflatu numinis. Addit Clemens Alexandri.* mixolydiam *&* mixo-Phrygiam, *& inuentores singularum nominat lib.1. Stromat. Aduerti Ionium etiam vocatum* Iasium. *hinc apud Apuleium lib.1. Floridorum sic legitur:* Tibicen quidam fuit Antigenidas, omnis voculæ mollis modulator, & idem omnis modi peritus modificator, seu tunc vellet *Æolium* simplex, seu *Iasium* varium, seu *Lydium* querulum, seu *Phrygium* religiosum, seu *Doricum* bellicosum. *Apud Martian. lib. vlt. vbi quindecim harmoniæ tropos numerat, quinque principales, & duos singulis cohærentes, mendosè legitur;* Iastius, *quemadmodum etiam apud Cassiodor. lib.2. Variar. ep. ad Boëtium:* Hoc totum inter homines quinque tonis agitur, qui singuli prouinciarum, vbi reperti sunt, nominibus vocitantur. *Dorius*, pudicitiæ largitor est, & castitatis effector. *Phrygius*, pugnas excitat & votũ furoris inflammat. *Æolius* tempestates animi tranquillat, somnumque iam placatis attribuit. *Iastius* intellectũ obtusis acuit, & terreno desiderio grauatis, cælestium appetentiam bonorum operator indulget. *Lydius* contra nimias curas animæque tædia repertus, remissione reparat, & oblectatione corroborat. *Lucianus in Harmonide, Phrygio modo tribuit sonum* ἔνθεον, *Lydio* βακχικὸν, *Dorio* σεμνὸν, *Ionio* γλαφυρόν. *Iccirco noster vocauit* concitos modos: *Propertius insanos, lib.2.*

Et Phrygis insanos cæditur ad numeros.

de his Telestas Selinuntius:

Primi apud Græcos inter bibendum in tibiis
Asseclæ Pelopis, matris montanæ
Phrygium cecinerunt modum;
Isti verò acutisonis citharæ cantibus

Lydium

Lydium hymnum personarunt. *Iidem ergo inuentores barbaricæ harmoniæ tam Lydiæ quàm Phrygiæ, vt Athenæus docet d. c. 10.*

781 Barbarica] *Phrygia. nam propriè Phryges dicti Barbari. Sophocles.* Πέλοπα βάρβαρον Φρύγα. *Catullus*:

Barbaráque horribili stridebat tibia cantu.

Prisco saltatu] *de quo tripudio Phrygio, Euripides*:

Libysque tibia, & Phrygiæ
Cantiones perstrepunt, at virgines
Alacri cum plausu pedum
Lætis dabant operam cantionibus.

vide Athenæum lib. 14. cap. 12. vbi de generib. saltationum fusissimè.

783 Flebilius aliquid Hectoris magni nece muri videbunt] *nónne à Bethyco, hoc poëta Burdegalensis sumsit? versus paullo antè retuli.*

790 Quid meos] *Euripides*:

Quid me manibus prehendis? quid inhæres peplis?

797 Talis] *ex Euripideis his*:

Nam me ceu catulum leonis, aut vt vitulam
Montibus alita misera miseram
E tuâ manu abstrahi aspicies.

803 Iugo] *sic recentiores codices excusi: at Moguntinens. manuscr. & impreßi Franconicus & Hadriani tres*; viro.

805 Sume nunc iterum] *nato, quem occidendum tradit, viuo iusta persoluit. seruabatur enim hic ritus; vt primo mortui Manes vocarentur; lotis tum manibus ossa legerent; lecta vino & lacte perfunderent; mox ventis cillanda & siccanda exponerent; siccata demum aromatibus & odoribus commixta in vrnam reponerent: reliquiis deinde lacrymas superfunderent. testes Propertius, Ouidius, Tibullus; qui vnus omnia confirmat lib. 3.*

Præfatæ ante meos Manes, animámque rigatæ,
    Perfusæque pias ante liquore manus:
Pars, quæ sola mei superabit corporis, ossa
    Incinctæ nigrâ candida veste legant:
Et primùm annoso spargant collecta Lyæo,
    Mox etiam niueo fundere lacte parent:
Post hæc carbaseis humorem tollere ventis,
    Atque in marmoreâ ponere sicca domo.
Illic quas mittit diues Panchaïa merces,
    Eöïque Arabes, diues & Assyria.
Et nostri memores lacrymæ fundantur eodem.
    Sic ego componi versus in ossa velim.

vide Guicchiardum lib. 1. de Funerib. cap. 7.

810 Quicquid hic cineris] *osculabantur cineres, & si quos alicubi restare opinarentur, ore scrutabantur, vt labris legerent. Ouid. lib. 3. Fastor.*

Térque vale dixit, cineres ter ad ora relatos
    Pressit, & est illis visa subesse soror.

IN CHORVM.

Ariolantur captiuæ Troades, & conijciunt quo quæque asportanda, & cui domino seruitura!

813 Quæ] *apud Euripidem ipsamet Hecuba quærit, ad quem angulum Thessaliæ, vel Phthiotidis, vel Cadmæi soli sit deportanda.*

814 Montes] *Othrys, Ossa, Olympus, alij.*

816 Phthie] *Phthiotis vna ex quatuor Thessaliæ partibus.*

819 Maris domitrix] *sic vocat propter Iasonem Argonautarum ducem; de quo in Medea:* —— mare qui subegit.

818 Trachyn] *malè quidam lib.* Trace. *non de Thracia sermo, sed de Trachyne. indicat res ipsa, indicat epithetum lapidosa. hoc enim sonat ipsum vocabulum.* 820 Gortyne] *Cretæ oppidulum à Gortyo Heroë vocatum dictum Gortyne, Gortyna, Gortys, & Larissa, teste Stephano.*

821 Frequens ruscis leuibus Methone] *Bernardin. legit;* rubis. *Equi. lib. habet;* rutis. *Herbipol. & Veneti;* riuis. *ceteri* ruscis. *quod retineo. Pro,* Methone, *legit Bernardin.* Meliboea: *& sanè Meliboea vrbs Thessaliæ Athenæo, vel litoralis potiùs (teste Herodoto lib. 6.) Magnesiæ; fuit patria Philoctetæ, de quo hic agitur. Lucanus:*

—— pretióque nefandæ
Lampadis Herculeis fortis Meliboea sagittis.

Methone Straboni lib. 8. Stephano, Dioni lib. 11. Pausan. in Messeniac. & Ptolomæo Messeniæ vrbs, à multis Græcis Mothone *nuncupata. Sed cùm subdat Seneca;* Quæ sub Oethæis, *&c. & constet Philoctetem Troiam secundò iisdem sagittis expugnasse, quibus prior Hercules; planè arbitror, vel hîc legendum;* ruscis Meliboea lentis. *vel si lectionem pristinam retines, dicendum Senecam putasse Philoctetem Methonensem, vel Methonem cum Meliboea confudisse.*

823 Troïæ] *scribendum* Troïæ *trisyllabum. nam alias i, vocalis esse desinit, sicut in* Aiax *&* Graius. *quod vt constet, iubent Terentianus & Victorinus scribi;* Troija, Aijax, Graijus, Aiio, *& similia.*

825 Olenos] *Elidis vrbs, quam initio paucis incolis habitatam testatur Hermesianax, apud Pausan. in Eliac. & Strabo scribit lib. 8. etiam suo tẽpore desertã fuisse; multa de ea Stephanus. Scholiastes Apoll. duas Olenos agnoscit.*

826 Pleuros] *sic omnes libri, miror tamen, & consensus scriptorũ aliorum suadet,* Pleuron. *sic enim Græci omnes* Πλευρών. *Statius* Meleagria Pleuron. *Silius:* —— regia Pleuron. *sic Ouidius & alij. Nota Ætoliæ vrbs, à quâ Strabo partem Aetoliæ, Pleuroniam dictam testatur. Helenam Lycophron Pleuroniam nominat. an ergo Aetola? aut in Argiuo agro Pleuron vlla, vnde id nominis sortita? putat Izacius, sed toto cælo aberrat. à proauo sic nominata. Helena Ledæ filia fuit. Leda Thestij, Thestius Agenoris, Agenor Pleuronis. vide Pausaniam in Laconicis.*

837 Sinuosa Trœsen] *litoralis Peloponesi ciuitas, Thesei patria, auctore Ouidio.* 838 Pelion regnum Protei] *De Proteo Licentius Hipponensis cecinit:* Protea namque ferunt veterum commenta Pelasgum;

Qui

Qui dum sollicitis non vult aperire futura,
Spumat aper, fluit vnda, fremit leo, sibilat anguis:
Captum aliquando tamen in munera parua volucrum.

Regnauit prius in Aegypto, post in Thessaliâ, vt indicat hîc noster, & Valerius Flaccus lib. 2. Argonaut.

Proteáque ambiguum Phariis referebat ab antris
Huc rexisse vias. *Euripides in Helena:*
Πρωτεὺς δ' ὅτ' ἔζη, τῆς δὲ γῆς τύραννος ἦν
Φάρον μὲν οἰκῶν νῆσον, Αἰγύπτου δ' ἄναξ.
Dum viueret Proteus, tyrannus finium
Istorum erat, rex Ægypti colens Pharum.

testatur & Nonnus in Schol. in D. Greg. Nazianzeni Orat. 1. contra Iulianum: sed rem totam explicat Izacius in Lycophron. Proteus, *inquit*, Ægyptius genere, Neptuni filius, ex Thraciâ in Phlegram Pallenes venit, ductâ Ægyptiâ puellâ Torone; ex qua sustulit Tmylũ & Telegonum; qui cùm hospites luctâ victos occiderent, offensus eorum inhospitalitate Proteus, à patre postulauit, vt rursus in Ægyptum sisteretur: quo impetrato, apertis à Pallene, sub ipso mari in Ægyptum vsque cuniculis, in antiquam patriam fuit reuersus.

829 Hic] *in Thessaliâ.* 830 Montis exesi] *ocris. sic Liuius Andronicus, quo fortè Seneca respexit;* Vt quem Chiro in Pelio docuit ocri.

831 Iam trucis] *naturâ enim & indole trux, ferus, iracundus. Dictys lib. 1. scribit primis adhuc adolescentiæ annis Achilli vim quandam inconsultam & efferam morum impatientiam fuisse. Philostratus lib. 2. & 3. Imag. Achillem puerũ pingit feroci facie, truci, magnanimoq́; vultu, vnde Ouidius canit:* Phillyrides puerum cytharâ perfecit Achillem,
Atque animos molli contudit arte feros.

Horatius in Arte poët.

Scriptor honoratum si fortè reponis Achillem;
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Iura neget sibi nata. nihil non arroget armis.

Chironem fuisse magistrum Herculis, Iasonis, Æsculapij, Castorũ & Achillis, in musicis, medicis, politicis tradunt Plutarchus in lib. de Musica, Xenophon in Hippar. Apollonius lib. 3. & 4. Pindarus in Pythic. item in arte equitandi iuxta Philostratum lib. 2. Imagin. cuius quod peritissimus esset, Centaurum creditum vult Tzetzes Chiliad. 7. hist. 94. Hermippus eum vocat κένταυρον σόφον *Centaurum sapientem, & auctor Titanomachiæ de illo;* ὥς πρῶτος οὗτος εἴς τε δικαιοσύνην θνητῶν γένος ἤγαγεν δείξας ὅρκους καὶ θυσίας ἱλαρὰς, καὶ σχήματα ὀλύμπου.

Primus & ad iustum duxit mortalia sæcla,

nimirum docens,

Iusiurandum, & sacra Deûm, cælíque figuras.

ita Clemens Alexandr. lib. 1. Stromat. censuit ergo legum, theologiæ, & astronomiæ inuentorem, hoc est, totius philosophiæ auctorem fuisse. verum

 exem-

etiam Salamina Aiacis; *quia in illâ Telamonius Aiax fuit natus, vt ex Aretade Cnidio Plutarch. in Parallel. meminit. de hac eadem est illud à Lucano dictum obscurißimè lib. 3.*

Trésque petunt veram credi Salamina carinæ.

quo loco, vt, quæ interpretes, mihi non placent; ita, quod mihi placeat, ipse non inuenio. Venit in mentem hanc Atticam Salamina veram *vocari solitam, ad distinctionem alterius Cypriæ, quam Teucer ædificauit, cùm hanc Salamina patrémque fugeret; & quæ ab eodem Horatio vocatur* ambigua. *Vt fortaßis apud Senecam debeamus reponere:*

Numquid Aiacis Salamina veram?

si non mauis Hypallagen dicere.

844 Calydona] *vrbem Aetoliæ, de quâ & apro vide Ouid.* 8. *Metam.*

845 Titaressos] *Titaressus (vt vocat Lucanus lib. 6.) vel Titaresius, vt Græci videntur malle, amnis Thessaliæ tam crassas habet aquas vt Peneo, cui influit, non admisceatur; sed olei instar supernatet, auctore homero Iliad. 2. & Lucano lib. 6. ideo vndas eius vocat segnes. Plinius lib. 4. cap.* 8. *videtur nonnullis vocare* Euroton, *Strabo* Eurotam, *Epytoma eius* Europum. *Homero aquas habet suaues. admiscetur Peneo, sed vix, vt patet ex Athenæo libro 2. cap. 2. causa, pinguedo iuxta Strabonem; leuitas, iuxta Athenæum & Plinium; fluit per Locros, quorum sunt vrbes, Bessa & Scarphe. apud Stephanum Heracleo Glauci F.*

Βησσάντε Σκαρφῆντε καὶ Αὐγείαν ἐρα.

alia etiam Bessa Phocidis, & alia Scharphæ Euboeæ. Scarphæ & Scharphia Eustathio eadem. Sed falli puto. nam vna est Scharphia Locrorum distincta à Scharphe, de quâ Pausan. in Corinthiac. & Achaic. alia Scharphia Bœotiæ; Straboni. Pylon senilem] *hoc addidit, vt de Nestoris Pylo intelligamus. sic Ouidius:* Nos Pylon antiquam Neleia Nestoris arua. *Homerus Odyss. γ΄. Pyli nomine omnem ditionem Nestori subditam comprehendit, Strabone teste. Homeri Scholiastes tres Pylos numerat, vnam Messeniæ, quæ regnum Nestoris, & Coryphasia: secundam Arcadiæ, Nestoris patriam, quæ & Leopreatica & Triphyliaca; tertiam Eleæ, propè Oleniam petram. Ego Senecæ & Ouidÿ loca de prima puto accipienda. Pausanias in Messeniac. non videtur tot Pylos agnoscere.*

848 Pharin] *Pharis vrbs Laconiæ Homero Iliad. 2. & Stephano: Pharæ, oppidum Achaiæ Laconum Colonia, teste Aemilio Probo in Conone; deducta fortè ab iis, qui Pharin incolebant.*

Pisam Iouis] *Elidis vrbs Pisa, Oenomao regnata semper singulari numero profertur, Pindaro, Straboni, Diodoro, Stephano, Lucano, Statio, Plinio, Martiano, dicta teste Schol. Pindari à Pisâ Endymionis filiâ. Sed Hetruriæ ciuitas multitudinis numero profertur,* Pisæ, *vt notat Pintianus in lib. 2. Melæ. cur ergo apud Nonium Attius Oenomao de Græcanicâ,*

Coniugium Pisis, patet eo te itiner tendere?

arbitror non fuisse Attiũ singularẽ, sed scripsisse; Pisæ. Coronis] *propter Olympia, quibus victorũ capita oleâ coronabantur, vt docebo in Agam. act. vl.*

853 Sparte] *Sparte semper pro vrbe ipsâ ponitur; Lacedæmon aliquando vrbem, aliquando totam prouinciam significat. Pausanias testatur Lelegem in Laconiâ regnasse, & ab eo Leleges dictos; huic quintum ordine Lacedæmonem Heroëm successisse; hunc Spartam Eurotæ fluminis filiam duxisse; & à se regioni nomen Lacedæmoniam, ab vxore vrbi, quam in eâ condiderat, Spartæ nomen indidisse. Spartiatas, sacræ litteræ testantur fuisse de stirpe Abraham 1. Machab. 12.*

855 Neritos] *Stephano* νήριτος *&* νήρικος. *insula Acarnaniæ, quæ & Leucadia; & etiam mons Ithacæ, vide Plinium lib.4. cap.1. & 12. vbi docet etiam Zacynthum esse Ionij insulam.*

IN ACT. IIII.

Nunc Helena primò, fraude; mox apertè suadet Hecubæ & Andromachæ, Polyxenam vt sinant à Pyrrho immolari. priùs simulat nuptias: mox coacta, iurgio Andromachæ, verum fatetur: accurrit tandem Pyrrhus, & abducit regiam virginem, non reluctantem. mater ad arma muliebria confugit, diras & conuicia.

860 Illætabilis] *mæstus, tristis, luctificus, omnis expers lætitiæ. Virgil. lib.3.* murmur illætabile. *& lib.12,* oram illætabilem, *Statius lib.5. Thebaid.* pondus illætabile *dixerunt.*

862 Helena] *de Helenæ morte, & post mortē cum Achille nuptiis, aliisq; nonnullis raris, adi Philostratum in vitâ Apollonij; Protei vaticinium apud Homerum Odyss.δ'. aut Dioscurorum apud Euripid. extremâ Helenâ, Isocratem in Encomio Helenæ sub fin. Leonicum lib.2. var. hist. cap.31.*

867 Fraudetur] *Primus Venet.* fallatur. *Moguntinens. & duo alij Veneti;* fidenter, *idq; Daniel ait se in vetustissimo & antiquissimo Cod. reperisse, ego reperi;* fraudetur, *in aliis præter Moguntinens. Herbipolens. Basileens. Lugdunens. Liuiens. quod non video, cur non retinendum.*

873 Coniugium] *sic sumsit Propertius:* —— quæ viua sequatur Coniugium. *hoc est, coniugem.*

875 Petit] *Burdegal. membranæ;* vocat.

877 Thetys] *postea sequitur. hic legendū;* Tethys. *deprauarūt Saxones.*

878 Suam vocabunt] *magnum id videbatur, ideo poëta ille in Lesbiacis, cuius fragmentum suprà dedi, ait Pisidicen sperasse futuram se Glaucæ Thetidis nurum:* ὄφρα νύος γλαυκῆς Θέτιδος πέλοι.

893 Totis] *in Basil. margine habetur;* nuda cutis.

896 Læta] *sic mei omnes codices, scripti, impressi: sed, inquiunt Critici, enorme & nimium hoc est, vt cum gaudio aspexerit pugnantes Paridem & Menelaum. satis si absque acri dolore. Enorme fateor, & nimium, vt aspexerit. sed, an propterea nimium, vt ab iratâ & hoste dicatur; vt improperetur ab enormiter læsâ mulierculâ? non tam illæ quid verū attendunt, quam quid dolor imperat. nil illis nimium, minora omnia quàm velint. docet experientia. quis conuiciis muliebribus frenum, quis modum imponat? nolim periculum facere, ne meo cum malo.*

901 Digni] *q.v.l.* dignè. 905 Iudice infesto] *magnum innocentiæ argumen-*

argumentum, vt & alia huius defensionis; quâ haut scio an quicquam neruosius, aut splendidius, in Helena defensionem, dici queat.

909 Seruitia] *seruitium propriè multitudo seruorum; seruitus conditio seruiendi: sed veteres (vt auctor est Carisius lib. 1.) Indifferenter seruitium etiam pro seruitute posuerunt. Virgilius;* Seruitio enixæ tulimus.

917 Teucris] *q.m.s.* Teucrû, *nempe Eguian. paullo pòst Mog.* quę secuit.

919 Sin rapta] *sum, ait, innocens; quia non spontè Troiam veni, sed vi compulsa. quia non adulteri blandas persuasiones, sed Deæ Veneris mandata secuta sum, illius pollicitationem nolui falsam reddere. Vtrumque argumentum à Gorgiâ Rhetore sumtum; qui in Oratione pro Helenâ; culpâ vacuam docet: quia vel fortunæ imperio, Deorum iussu & Necessitatis nutu fecit ea quæ fecit, vel vt rapta, vel persuasa verbis, vel amore capta: singula deinde discutit, priora duo potissimùm, quæ hîc abutitur. Non (inquit) spotè Troiam veni, sed rapta à Paride; Paridis potiùs, quàm meo peccato. Nec tamen illius; qui datum sibi à Deâ munus, iure suo vindicauit. Dignus ille, cui tu, soror, ignoscas. Sed esto. mea tota culpa, meum facinus. quid te iudicem esse postulas? an vereris ne beneuolo iudice absoluar? non est quod metuas. idem mihi iudex, qui læsus, maritus adulterio lacessitus, Menelaus. illi futurum curæ, ne impunè abeat. hæc sententia si;* iratum *legas, cum Moguntinens. Burdegalens. & Eguiano & aliis m.s. item cum Herbipol. Venetis, Paris. & Lugdunens. & aliis. Nescio vnde N. inuexerit;* irritum. *cui nec deest sententia. An tu, inquit, putas me futilem & cassum iudicem sortitam; qui iniuriam suam vel nolit, vel non possit vlcisci? &c.*

921 Iratum puta] puta. *sic omnes quos vidi, codices, & Priscian. docet lib. 15. de aduerb. significare, scilicet: vt hic sit nota irrisionis. Non malè tamen manusc. qui,* mea.

941 Polyxena] *tragœdiam Polyxenam scripsit Sophocles, vt citat Apollonij Scholiast. in lib. 2.*

944 Viden animus] *Euripides:*

Te quidem misera mater
Omnigeno luctu defleo;
Meam autem vitam, exitium, calamitatem
Non lamentor. cùm mî mortis obeundæ
Casus vitâ potior contigerit.

verba sunt Polyxenæ. porrò melius hîc Mogunt. Herbip. Venet. Lugdunens. Vide vt animus ingens lætus audierit necem.

946 Admoueri] *ornari, componi, discerni acu, cnasone, redimiculo ab ornatricibus, ciniflonibus, commotriis.*

958 In tot oscula] *vide sup. Thyest. 1022.*

976 Cassandra] *alio nomine dicta Alexandra, teste Pausaniâ in Lacon. Natarum Priami pulcherrima, si credimus Homero Iliad ν'. nam cæcus ille idem, non idoneus formæ iudex, Iliad. ζ'. hanc laudem tribuit Laodice, cui Triphiodorus astipulatur; de cuius Laodices impudicitiâ quadam ex Hegesippo lib. μιλησιακῶν ά, narrat Parthenius cap. 16.*

970 Sedi-

970 Sedibus patriis] *corrupere Basileens. qui primi posuêre*, patris; *quos Chemnicensis secutus.*

979 Breuis] *pro breuiter. sic suprà* prior, *pro prius; sæpè* serus, *pro serò & similia. porrò quod ait nolenti obtigisse, sumtum à Nasone, qui 13. Metam.*

Nunc etiam prædæ mala sors: quam victor Vlysses
Esse suam nollet ——

980 Dirus] *Herbipolens. & Venet. Durus.*

981 Regibus reges] *sæpe sic ludit, vt supra;* Liber liberos Troas vide. *variant autem hoc loco excusi: secutus sum Lips. Herbipolens. Venet. Basileens. nam Lugdunens. addit;* haud. *malè. Moguntinens.* regem. *porrò sequentes versus mallem transponere:*

Quis arbiter crudelis & miseris grauis,
Quis tam sinister diuidit captas Deus?
Eligere, *&c.* *paullo tunc clariora.*

986 Armis Achillis] *quæ Vlyxi obtigere, iudicibus vel Græcis, iuxta Ouidium, Antipatrum, Asclepiadem, & Sophoclem; vel captiuis Troianis, iuxta Homerum, Q. Smyrnæum & alios.*

989 Spolium] *vestis corpori detracta,* spolium *dicitur; induta verò, à Saluiano lib. 1. de prouiden.* induuium *vocatur: Plinius id arbori accõmodat. Glossar.* spoliatorium ἀποδυτήριον & ἐνδυτήριον.

990 Tellus] *Ithaca.*

Num capit] *Moguntin.* nunc. *Lugdun. Basil. & Lipsiens.* num. *æquè bene Herbip. & Veneti,* non, *sine interrogatione.*

992 Sequentur] *Moguntin.* sequantur.

996 Interim hæc pœna] *Dæmonax philosophus felicem censebat, qui liber esset; liberum, qui nec speret aliquid, nec pertimescat; nihil illi sperandum vel metuendum, qui sciat cuncta, siue iucunda siue acerba, iuxta finem citò capere. Boëtius pulcrè:*

Nec speres aliquid, nec extimescas,
Exarmaueris impotentis iram:
At quisquis trepidus pauet vel optat,
Quod non sit stabilis suique iuris;
Abiecit clypeum, locóque motus,
Nectit, quâ valeat trahi, cathenam.

adde quæ dixi Herc. Oet. 928.

996 Sortem occupaui, præmium eripuit mihi] *sic omnes libri, obscura tamen verba, & arbitror mendosa.* Daniel *explicat; Sors mihi præmium eripuit, nempe mortem. quia mori mallem, quàm seruire seruitutem.* Bernardinus; *Voluissem potiùs sponte tecum abire, vt nocerem; quàm per sortem.*
» *vellem autem hoc, quia tunc omnes Troiani mihi essent obligati. Hoc amplius*
» *mihi placet, sed dicendum clarius. Interea vos (ait) morâ & exspectatione di-*
» *rarum, quas imprecari non desinam, cruciemini. Vellem spontè meâ, vos essem*
» *conuiciis & diris insecuta: vellem arbitratu meo, non sortis, Vlyxem maledictis onerare licuisset; proscindere, cõfigere licuisset iratæ linguæ telis. fuisset*

hoc mihi præmium miseriarum mearum. cœpissem hunc fructum ex tantâ calamitate. sed hoc præmium sors mihi eripuit, præoccupauit illa. sequar nunc Vlyssem & insequar; sed non spontè, non arbitrio meo. An ergo legendum: Sors occupauit, *&c. vel, an Synechdoche?*

1000 Recludе] *idem petit apud Euripidem:*

Me verò, deductam ad Achillis pyram,
Immolate, ne parcite ——

In chorvm.

Laudat illud dictum, Communia mala minus angunt: & quod vulgo dicitur, Solatium est miseris socium habere in pœnis; & agit deinde de profectione, & dispersione futurâ.

1010 Lenius luctus] *m. s. Burdegal.* lentius fletus. *non placet.*

1014 Patuisse] *Moguntinens.* placuisse. *non displicet. idem paullo post:* remoueto multum. *Porrò quærentibus se solos esse miseros poßit quis dicere, quod Epictetus querenti:* Méne igitur solum securi percuti? Quid ergo? velléśne (inquit) omnes securi percuti, ne consolatio tibi deesset? *Arrian. lib. 1. de vita Epicteti.*

1039 Et nihil] *multa olim fuêre diluuia. primum generale temporibus Noachi, de quo in sacris litteris Genes. 7. ad perdendam tollendamq́ ex orbe terrarum malitiam, vt ait Lactantius lib. 2. quod pulchrè describit Alcymus lib. 4. cetera peculiaria, primum in Aegypto, Promethei & Herculis tempore menstruum apud Diodorum lib. 1. secundum in Achaiâ & Atticâ bimestre, rege Attico Ogyge, Pausan. in Attic. & Diodor. lib. 6. Tertium in Thessaliâ ætate Deucalionis, quod integrâ hyeme durauit, Aristot. in Meteor. Virgilio in Georg. Ouidio, & ceteris poëtis; & de hoc noster, & ferè semper ceteri poëtæ intelligendi; etsi de eo loquantur, quasi generale fuisset. Quartum Pharonium in Aegypto imperante Proteo, de quo Lucanus lib. vlt.*

Tunc, claustrum pelagi, cœpit Pharum. insula quondam
In medio stetit illa mari, sub tempore vatis
Protheos; at nunc est Pellæis proxima muris.

Accuratißimam diluuij descriptionem inuenies apud Senecam lib. 3. Nat. quæst. cap. 27.

1041 Questum] *Moguntinens. Herbipol. & aliqui Veneti;* cætum.

1043 Tuba] *Euripides in Rheso:* Nam accinctos laboribus oportet Tyrrhenæ tubæ sonum exspectare. *& Heraclidis:* Signum dedit Tyrrhenica tuba. *vide Agamemn. versu 424.*

In act. v.

Narrantur cædes Astyanactis & Polyxenæ, & Troades captiuæ, ad suos quæq́ dominos, rapiuntur.

1055 Dira] *Moguntinens. Herbipolens. Ven.* dura. *& in sequentibus, Basileens. in marg.* quid, *pro,* quod.

1060 Sua quemque] *Sophocles:* —— at ægritudinem

Homerus Odyss. ι.

τῷ κἀι οἱ ἐγκέφαλός γε διὰ σπέος ἄλλυδις ἄλλη
θεινομένου ῥαίοιτο πρὸς οὔδεϊ.

Profectò ei cerebrum per ſpeluncam huc & illuc
Verberato flueret ad ſolum.

& Iliad. γ'.

ὧδέ σφ' ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέοι ὡς ὅδε οἶνος.

Sic ipſorum cerebrum ad terram fluat, ſicut hoc vinum.

idem vſurpat Iliad. λ'. Iliad. ρ'. Iliad. υ'. Athenæus lib. 2. cap. 27. his addit Ariſtophanem & Philoclem. Sed & Lucanus lib. 9.

——— raptóque cerebro
Exſiccata cutis, putriſque effluxit ab alto
Humor. *Sidonius epiſt. vlt.*
Vt per abruptum boue concitato
Spargeret curſus lacerum cadauer,
Cautibus tinctis calidâ ſoluti
Pulte cerebri.

1120 Tumulúmque] *Achillis tumulum ſtatuunt in Propontide Homerus Odyſſ. ω'. & in Peplo Ariſtoteles.*

1133 Face] *Moguntin. Herbipol. & Veneti*; modo.

1138 Magiſque ſolito] *ſic Philetum ſub mortem formoſiorem pingit Papinius, lib. 2. Siluarum:*

Attendit toruo triſtis Rhamnuſia vultu,
Ac primùm impleuitque thoros, oculiſque nitorem
Addidit, & ſolito ſublimius ora leuauit;
Heu miſero lethale fauens ———

1143 Peritura laudant] *Moguntin. & alij codd. ſcripti, item Herbip. & Veneti*; perituram laudant. *rectiſſimè, ſi vnica litterula.* m, *tollatur. deterius Lugdun.* Vt peritura laudãt. *Viderunt hoc alij, & repoſuêre*; Perituram adulant. *fateor eleganti vocabulo, quo & Attius, & Lucretius vſi. ille:* Pinnatâ caudâ noſtrum adulat ſanguinem.
hic verò: Longè alio pacto gannitu vocis adulant. *& more Græco ſolet cum accuſatiuo iungi, vt Turnebus notauit lib. aduerſ. 2. c. 9. ſed mihi religio coniecturas meras, non fultas exemplarium auctoritate, ſi non cogat neceſſitas, recipere.* 1148 Miſerentur ac mirantur] *ſic Baſil. Lugdun. Lipſien. & pleriq; m. ſ. Mogunt. verò, Herbip. & Venet.* Miſerantur ac mirantur.

1150 Audax virago] *Ouidius:*

Fortis, & infelix, & pluſquam femina virgo.

& mox verba eius animi plena ponit:

Vtere iamdudum generoſo ſanguine, dixit,
Nulla mora eſt. aut tu iugulo vel pectore telum
Conde meo. iugulumq; ſimul, pectuſque retexit. *&c.*

Veteres feminam etiam viram *vocabant teſte Pompeio Feſto; ſicut & Hebræis* ISSA *femina,* Is *vir, Gen. 2. à* virâ virago; *quaſi virum agens.*

1153 Pyrrhus ad cædem piger] *Sophocles*:

Hic verò volens non volens, miseratus virginem
Animæ ferro meatus secat.

Ouidius autem:

——— ipse etiam flens, inuitusque sacerdos
Præbita coniecto rupit præcordia ferro.
Illa super terram defecto poplite, labens,
Pertulit intrepidos ad fata nouissima vultus.

de illâ cadente Euripides:

——— ipsa autem licet moriens,
Tamen sollicita est, vt decenter cadat,
Cælétque ea, quæ cælare conuenit
Oculos virum ——— *imitatus hoc Ouidius, omisit noster: sed de gemitu vicit Ouidium, ille tantùm Troës gemuisse refert; hic etiam hostes. De Corneliâ Vestali Plinius lib.* 4. *epist.* 11. *Euripidis versum retulit.*

1163 Abduxit statim] *sic o. l. quos vidi. sed Mar. Anton. Muretus ex coniecturâ reponit*; obduxit, *hoc est, absorpsit, hauriuit, ebibit. sic Cicero, sic alij. Vide Muretũ lib.* 9. *var. lect. c.* 10. *& Pet. Victor. lib.* 15. *var. lect. c.* 17.

1164 Tumulus] *noster vult in Troade ad bustum Achillis immolatam Polyxenam, vt Virgilius: sed Euripides in Chersoneso ad tumulum honorarium. vide Turneb. lib.* 11. *aduersar. cap.* 19. *de illâ Ausonius*:

Troas Achilleo coniuncta Polyxena busto,
  Malueram nullo cespite functa tegi.
Non bene discordes tumulos miscetis Achiui:
  Hoc violare magis, quàm sepelire fuit.

1168 Expuam] *Seneca lib.* 3. *de irâ cap. vl.* Iam ipsum spiritum expuimus, interim dum trahimus. *Lucretius lib.* 2. expuere ex animo rationem: *Martialis tussim dentes expuisse, dixit. Porrò hanc Hecubæ querelam, pulcriùs prosequitur Ouidius d. lib.* 13. *in fine*:

Nata, tuæ quid enim superest? dolor vltime matris
Nata iaces; videóque meum tua vulnera pectus, *&c.*

1170 An omnia? an me? sola mors votum meum] *sic plerique rectè. sed Herbip. & Ven.* An omnia? an méne solam? m.v.m. *non placet, vt nec quod postea Moguntin.* & Virginibus meis.

1173 Me solam times] *Ouidius*:

——— quo ferrea resto?
Quídve moror? quo me seruas damnosa senectus?
Quo Dij crudeles, nisi ut noua funera cernam,
Viuacem differtis anum? ———

COM-

COMMENT. IN AGAMEMNONEM.

ARGVMENTVM.

VIVVM Thyestes Atreum vlcisci non potuit, nunc excitatur ab inferis, & Ægistho persuadet, vt, quemadmodum Clytemnæstram ad adulterij consuetudinem pertraxerat, etiam in mariti cædem inducat. potitur votis impia vmbra. nam Agamemnonem, à Troiâ, victorem, domi reducem, in ipso conuiuio, sinuosâ sed imperuia veste irretitum, vxor & adulter occidũt, mox & Cassandram ab aris auulsam; Electram verò, quæ Orestem fratrem absconderat, carceri obscuro mancipant.

IN ACT. I.

Vmbra Thyestæ fungitur prologi vice.

4 Fugio inferos, superos fugo] *simile est illud Sidonij*:

——nec esculentam
Fletus pangimus ad dapes Thyestæ:
Fratris crimine, qui miser voratis
Viuum pignoribus fuit sepulcrum:
Cùm post epulas repentè flexis
Titan curribus occidens ad ortum
Conuiuam fugeret, diem fugaret.

Assiduus noster in hoc antithetico allusionis genere. Thyeste:

Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur sibi

Item: Quis influentis dona fortunæ abnuit?
Expertus est quicunque quam facile effluant.

Idem: Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens iacentem.
Nemo confidat nimium secundis,
Nemo desperet meliora lapsis.

Thebaide:

Quoties necesse est fallere aut falli à suis,
Patiaris potius ipse, quàm facias scelus.

& passim.

5 Pelopeæ] *sic Moguntin. & reliqui manusc. malè Lugdunens. & plerique impressi*, Pelopeiæ.

14 Trigemina] *Moguntinens. Herbipol. & Veneti*; tergemina.

15 Euinctus rotæ] *sic Eguian. Moguntinens. Herbip. Veneti, Basileens. Paris. Lugdunens. Lipsiens. & potest intelligi* euinctus, *hoc est, valde vinctus. nam, e, littera auget, vt euinco, edurus, & simil. vbi significat* per.

19 Exustus] *sunt qui*; exhaustus, *non malè.*

24 Quæsitor] *ex Virgilio*; Quæsitor Minos vrnam mouet.

31 Cœpi] *vix Delphicum oraculum iussit incæstum, vt ex eo nasceretur vindex futurus, cùm impauidus rui in amplexus natæ.*

33 Nata] *Pelopeia.* 32 Irem] *Mogunt.* Veni.

35 Auo parentem] *sic m. s. omnes, quos vidi, sic Lugdunens. & alij nonnulli; sed Veneti tres, Herbipolen. & quidam alij*; Auo nepotem. *quare non est, quod exclament, & intemperiem mutantium accusent, nihil à me quidem nec à Saxone Critico mutatum. à quo igitur? etenim sic legêre N., sic Daniel, sic Bernardinus; nimirum vt in m. s. suis inuenêre. solent enim, si quid mutarunt, indicare. Non tamen hoc mihi probatur. sed retineo*; Auo parentem. *nepotum namque meminit secundo versiculo; & hoc voluit: Genui, ex filiâ meâ, Aegysthum, qui mihi filius & nepos; cui ego, pater & auus. auus, quia ex filiâ; pater, quia genui: nam filiæ meæ, pater ego & maritus: Pelopeia Aegysthus, filius & frater: huic illa, mater & soror.*

36 Nocti diem] *sup. Thyeste actu 4.*

38 Post fata demum sortis incestæ fides] *sic ad vnum libri omnes. hac sententiâ: Aliquando tandem exitus docet verum fuisse oraculum Phœbi; quò responsum mihi, filium quem ex filiâ genuissem, iniuriarum mihi à fratre illatarum vindictam exacturũ. nunc fides oraculo, ab euentu; sed me mortuo, mortuo etiam Atreo fratre. igitur* post fata, *hoc est, post obitum vtriusque.* sortis incæstæ, *hoc est, oraculi suadentis incæstũ. apta hæc & germana planè.*

39 Rex ille regum] *sic vocant Cicero in epist. ad Familiar. & Auson. in Epitaphio*: Rex regum Atrides fraternæ coniugis vltor,

Oppetiit manibus coniugis ipse suæ.
Quid prodest Helenes raptum punisse dolentem;
Vindicem adulterij cùm Clytemnæstra necet.

Ductor ducum] *Ouidius, de eodem*:

——dux erat ille ducum.

hanc verò loquendi formam, vulgus Grammaticorum haut rectè capit: significat illa geminatio, nihil aliud quàm excellentiam eius quod geminatur, quasi dicas Regum potentissimum, vel ducum fortissimum aut nobilissimum. mutuati à Græcis Latini, sic enim isti δειλαία δειλαίων miserias miseriarum; *& Patres de Eucharistiâ* τελετὴ τελετῶν; *Dionys. Areop. & de Festo Dominicæ resurrectionis* ἑορτὴ ἑορτῶν. *Nazianzenus: Sed & hoc Græci ab Hebræis. nam Salomonis liber Cantica Canticorum, & Nahum 3. locustæ locustarum. & Apoc. 17. & 19. & 1. ad Tim. 1. c. 4. Dominus dominantium & Rex Regũ.* βασιλεὺς βασιλέων, κύριος κυρίων. *vel,* κύριος κυριευόντων, βασιλεὺς βασιλευόντων. *Salomonis* שִׁיר הַשִּׁירִים *Nahum*; כְּגוֹב גֹּבָי *quo loco Septuaginta simpliciter locustam,* ὡς ἀκρὶς. *& Chald. Paraphras. vermes locustarum.*

42 Post

42 Post bina] *sic quidam reposuêre, speciosè & scilicet ex historiæ fide. veteres tamen libri, & excusi ferè omnes ante Lipsiens.* post dena. *& vt hoc verum credam, facit addita vox* Phœbi. *nam solare lustrum, videtur vocari cursus solis annuus. quia decennio Troia expugnata. Ciuile quidem lustrum, post exactum quadriennium; de quo non potest intelligi locus: nec etiam ciuile illud lustrum satis concinnè vocetur,* Phœbi *lustrum. cur enim Phœbi? aut quid illi sol præstat?*

48 Causa] *necandi Agamemnonis, turbandæ domus Atrei.*

52 An deceat hoc te, respice. At matrem decet] *sic Lipsiens. Lugdunens. autem;* hoc te? respice an matrem. *& sic Mogunt. sed rectissimè tres Veneti & Herbipol.* rogas An deceat hoc te? respice ad matrem. decet. *ex matre enim & auiâ (quæ filium sibi & fratrem, patri ac marito peperit) natum; quid queat dedecere? ita est. pulcræ vitæ & probæ, stimulus ingens vera nobilitas. Veram voco, non terrenam hanc; quæ, vt non contemnenda, haut magni tamen æstimanda; sed illam veram, illam communem, illam certam: de qua egregiè Epictetus:* Si quis illud (*inquit*) sedulò cogitaret, se à Deo creatum, Deum patrem esse hominum: facilè nihil abiectum, atque vile admitteremus. Nunc quia ad alteram nostram originem, corporis scilicet, qua bestiis similes sumus, magis attendimus: fit quoque vt alij lupis similes fiant, infidi, insidiatores, noxiique; alij leonibus, agrestes, feroces, immanes; alij vulpeculis, maledici & subdoli. *hæc Arrianus lib. 1. dedict. Epictet. cap. 3. & 9.*

53 Noctis æstiuæ, &c.] *Dies naturalis æstate longior, hyeme breuior; contrà nox æstiua breuior, productior dies: sed ciuilis dies vtroque tempore duodecim horarum. Veteres itaque vt semper dies ciuilis duodecim horarum esset, hanc rationem excogitarunt, vt æstate diurnas illas horas extenderent, hyeme contraherent: & è contrariò hyeme extraherent nocturnas, contraherent diurnas, vt docet Paullus Manutius Comment. in epist. Famil. lib. 7. epist. 30. hinc intelliges illud Ouidij lib. 2. de Ponto in Aduersar. positum: hunc etiam locum Senecæ; qui miratur quod sit æstiua nox æquè longa atque foret, si esset hyberna. loquitur enim de naturali: vt & Propertius:*

Tu quoque qui æstiuos spatiosiùs exigis ignes
Phœbe, moraturæ contrahe lucis iter.

& Horatius; lib. 2. Sat. 6.

——seu bruma niualem
Interiore diem gyro trahit—— *hoc est breuiore.*

Boëtius verò partim de naturali die, partim de ciuili nocte intelligendus, dum canit: Tu frondifluæ frigore brumæ,
Stringis lucem breuiore rotâ.
Tu cùm feruida venerit æstas,
Agiles noctis diuidis horas.

55 Cadentes] *occidere iam parantes, quòd cursum suum complerint.*

56 Phœbum moramur] *impedimus ortum eius præsentiâ nostrâ, quam fugit.*

IN CHORVM.

Mediocrem fortunam cum excelsâ confert & præfert.

57 O regnorũ magnis fallax fortuna bonis] *idẽ dixit Eurip. in Ione:*

τυραννίδος δὲ τῆν μάτην αἰνουμένης
τὸ μὲν πρόσωπον ἡδὺ, τὰν δόμοισι δὲ
λυπηρά· τις γὰρ μακάριος, τίς εὐτυχὴς;
ὅστις δεδοικὼς, καὶ παραβλέπων βίαν
αἰῶνα τείνει;

Iucunda gestat ora, quam laudant nimis
Regia potestas: at molesta quæ latent.
Quis enim beatus, aut potens censebitur
Semper timore qui prematur, ne qua vis
Inimica vitam rapiat & regnum sibi?

59 Locas] *Etb. legit*, loco, *atq; ita Ven. & Herb.*

64 Libycis syrtibus] *Lucanus.*

Reppulit à Libycis immensum Syrtibus æquor.

66 Euxini] *hoc mare principiò propter accolarum inhospitalitatem, vel, (vt Theophilus tradit) latronum frequentiam ἄξενον dictum; postea operâ Herculis expurgatâ latrociniis regione, & accolarum animis, ceterarum gentium commercio aliquantulum emollitis, Euxinum, quasi εὔξενον nuncupatum, testibus Ouidio, Melâ, Theophilo, ceteris.*

70 Versat plaustra Bootes] *videtur enim quasi manu plaustrum regere, vt sæpe diximus. Anacreon:* στρέφεται ὅτ' Ἄρκτος ἤ κατὰ χεῖρα τὴν Βοώτου.
Cùm iam rotatur vrsa, circa manum Bootæ.

81 Fugiunt aulas] *non de nihilo est, quod aulæ vt impiæ, infidæ, impuræ audiunt. ferè enim tales. notum illud Lucani:* —— exeat aula
Qui volet esse pius —— *Exstat elegans libellus Antonij Gueuaræ Episcopi Modonedensis, de Aulæ vituperatione; qui, diuturnâ experientiâ multorum annorum, Syrtim illam nouerat.*

85 Sidunt] *Latinè Latina vox, etsi præteritum cogatur à* sedeo *mutuari, teste Prisciano lib. 10. Virgilius:* subsidunt vndæ. *Lucanus;* Sidentia passim corpora. *Statius:* —— summísque insiditur astris.

93 Nubibus ipsis] *supra Hippolyt.*

Admota ætheriis culmina sedibus
Euros excipiunt, excipiunt notos,
Imbriferumque corum.

96 Feriunt] *sic Hippol.* —— humida vallis
Raros patitur fulminis ictus.
Tremuit telo Iouis altisoni
Caucasus ingens, Phrygiumque nemus.

Herodotus: Vides vt prægrandia animalia, fulmine Deus ferit, nec finit insolescere, parua verò nihil lædit? vides vt magna semper ædificia, magnásque arbores huiusmodi fulminum tela percutiunt? Gaudet enim Deus eminentissima quæque deprimere, *&c.*

Phy-

Physiologicam causam inquirit Lucretius lib. 6.

Altáque cur plerumque petit loca? plurimáque huius
Montibus in summis vestigia cernimus ignis? *&c.*

99 Placet in vulnus maxima ceruix] *deligantur & eximuntur à reliquo grege pulcherrimi quique & maximè opimi boues: consule Macrobium lib.3. Sat.cap.5. Huc pertinent illa ex Nelei carmine, non ita pridem Criticorum industriâ rediuiua:*

Namq. nullum peius macerat humanum, quàm de mare sæuum.
Vires quoi sunt magnæ, topper confringent importunæ vndæ.

102 Modicis rebus, *&c.*] *pulchrè hæc Apollodorus Comicus:*

Habent perampla dona fortunæ metum,
Periculóque non carent prælustria,
Nec vlla celsa tuta sunt mortalibus;
Quæ euertere vel inuidia, vel tempus solet,
Felicitatis culmen vbi quis attigit.
At tutior mediocritas in omnibus,
Neq. mente deprimente sese ad humum nimis,
Neq. contra in altum sese offerente superbius.
Namque minus altè si quis è gradu cadat,
Celabitur facilè eius infortunium:
Ingentis at molis rüina ingens erit.
Nam rebus obstat inuidia prælustribus:
Subuertit & fortuna quos euexerit.

Apud Euripidem nutrix Medea;

κρεῖσσον ἔμοιγ᾽ οὖν, εἰ μὴ μεγάλως,
ὀχυρῶς τ᾽ εἴη καταγηράσκειν,
τῶν γὰρ μετρίων πρῶτα μὲν εἰπεῖν,
τοὔνομα νικᾷ, χρῆσθαί τε μακρῷ
λῷστα βροτοῖσι. τὰ δ᾽ ὑπερβάλλον-
τ᾽, οὐδένα καιρὸν δύναται θνατοῖς.
μείζους δ᾽ ἄτας, ὅθαν ὀργισθῇ
δαίμων, οἴκοις ἀπέδωκεν.
Iudice me libertas
Par, & vitæ æquatio præstat,
Séque assuescere legibus æquis,
Si non regifico splendore: at, at
Tuto consenuisse licebit.
Nam popularius æqui iuris
Primum est nomen, & experiundo &
Vsu longè præstabilius.

Prouerb. 17. Qui altam facit domum suam, quærit ruinam. *vt noster vertit ex Græcâ editione, non ex Hebræâ.*

103 Felix quisquis] *Euripides in Ione:*

δημότις δ᾽ ἂν εὐτυχής

ζῆν ἂν θέλοιμι μᾶλλον ἢ τύραννος ὤν.

Popularis autem mauelim feliciter
Traducere æuum, quàm tyrannidem assequi.

107 Legit] *minus bene Mogunt.* Ligat.

In act. II.

Queritur Clytemnæstra de marito, & meditatur illi exitium; dissuadet Nutrix & hortatur ad meliora: sed superueniens Ægisthus, rursus illam in præceps rapit.

114 Pudor] *fieri enim nequit, vt impudica non fueris, quantumuis postea pudicitiam colas. sed sanè deletur hæc nota, sequentis virtutis splendore. De virginitate verius dixisset: sed loquebatur mulier coniugata, multorum iam liberûm parens.*

115 Incita] *vtitur metaphorâ ab equis sumtâ; quos cùm currere volumus, frenum illis permittimus, vt prono, non erecto, collo inciti euolent. quare non placet Moguntini lectio,* excita. *falsum autem quod sequitur, sed personæ loquenti accommodatum.* 119 Impia] *Medea.*

122 Socio] *thalami, & pericli. sic illam paullo post Aegisthus sociã vocat.*

124 Soror] *Helena Paridem secuta.*

128 Licet ipsa] *vide Medeæ* 446.

129 Proin quid est] *sic Basiliens. Lugdunens. Lipsiens. Sed Moguntin. Herbip. Veneti, & Eib.* proinde quicquid est. *quo confirmatur vera Lipsij emendatio,* Proin quicquid est. *vt prima vox contrahatur in monosyllabam.*

130 Quod ratio nequit] *In Euripid. Alcestide Hercules:*

χρόνος μαλάξει, νῦν δ' ἔθ' ἡβᾷ σοι κακόν.

Tempus leuabit, quod recens nunc est malum.

141 Regimen] *clauum. hoc est, rectam rationem.*

143 Dedi] *Moguntinens.* dedam.

148 Perlucet omne] *Seneca lib. 1. de clement.* Alia est conditio eorum, qui in turbâ, quam non excedunt, latent; quorum & virtutes, vt appareant, diu luctantur, & vitia tenebras habent: vestra facta dictaque rumor excipit, & ideo nullis magis cauendum est, qualem famam habeant; quam qui, qualemcunque meruerint, magnam habituri sunt. *Et paullo pòst eundem Neronem compellans:* Tibi non magis quàm Soli latere contingit. multa contra te lux est, omnium in istam conuersi oculi sunt. prodire te putes, oriris. loqui non potes, nisi vt vocem tuam quæ vbique sunt gentes, excipiant. *Iuuenalis:*

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

C. Plinius in Paneg. Traiani; Habet hoc primum magna fortuna, quòd nihil tectum, nihil occultum esse patitur: principum verò non modò domos, sed cubicula ipsa, intimósque secessus recludit, omniáque arcana noscenda famæ proponit, atque explicat.

151 Quod metuit] *sic quidam, alij, vt Burdegalens. Basileens. Lipsiens.*

quod meruit. *item,pro*; obruit,*nonnulli*; obstruit. *item pro*; capienda,*habent*; rapienda. 154 Capienda] *in bellicis hoc consilium vtibile: non ad peccandum. Liuius,li.25.* In rebus asperis & tenui spe,fortissima quæque consilia tutissima sunt.

155 Coniugij nomen] *malo cum membranis Burdeg.* coniugis.

158 Equidem & iugales] *hoc fuit πρόσχημα Clytemnæstræ, quo velabat parricidij sui turpitudinẽ,vt etiã ipsamet inquiebat Electra apud Sophoclem:*

ἐπεὶ πατὴρ οὗτος σὸς ὃν θρηνεῖς ἀεί
τὴν σὴν ὅμαιμον μοῦνος ἑλλήνων ἔτλη
θῦσαι θεοῖσιν, οὐκ ἴσον καμὼν ἐμοὶ
λύπης ὅτ' ἔσπειρ', ὥσπερ ἡ τεκοῦσ' ἐγώ.

Quando parens iste tuus vllo quem sine
Fine,aut modo luges,sororem olim tuam
Solus Pelasgûm dedere sustinuit neci
Diisque immolare:non pari mecum iugo
Subactus is,dum gigneret; quo ego fui
Dum eniterer. *Euripides in Iphig. priore describit, quomodo Agamemnon, vt Iphigeniam posset immolare, Clytemnæstræ scripserit, se filiam Achilli despondisse,nuptias ad exercitum celebrari oportere, confestim eam mitteret. Fingitur autem morti erepta, Dianæ beneficio,vnde &* Sospita *dicitur Diana in veteri inscriptione*: ΑΡΤΕΜΙΔΙ ΑΥΑΙΔΙ ΚΩΤΕΙΡΙ.

162 Tyndaris Cæli genus] *Iuppiter ex Taigetâ genuit Lacedæmonem, qui Amyclum,qui Argæum,qui Oebalum,qui Tyndarum,qui Helenam & Clytemnæstram, quæ peperit Iphigeniam. Dictys lib.1. vel sanè Tyndaris, quia Tyndari filia putatiua, vera (vt poëtæ) Iouis filia, vel ex Ledâ vel Nemesi: nam sic Helenæ matrem vocat auctor Cypriacorum:*

Τοῖς δὲ μετὰ τριτάτην Ἑλένην τέκε θαῦμα βροτοῖσι
Τὴν ποτὲ καλλίκομος Νέμεσις φιλότητι μιγεῖσα
Ζηνὶ θεῶν βασιλῆϊ τέκεν κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης, *& quæ sequuntur apud Athenæum lib.8, cap.3.*

Natalis: Hinc Helena admiranda viris est tertia nata;
Quam Nemesis commista Ioui pulcherrima virgo
Cælicolûm regi peperit vi fortè coacta. *&c.*

165 Pelopeia] *rectè Mogunt.* Pelopea. *& mox*; sacrilego.

178 Indomitus] *sic Moguntinens. & Lipsiens. sed Lugdunens. & plerique excusi*; indomitis minis. *quod minus arridet.*

179 Ille solus[*Homerus*:
Calchas Thestorides augurum longè optimus,
Qui sciebat præsentia, futura,& præterita.

181 Relucentes rogi] *Homerus*:
Semper autem pyræ mortuorum incendebantur frequentes.

182 Græciæ] *Artemidorus*: Soli ex Boëotiis Thebani non bellarunt ad Ilium. *an falsò? cùm dicat Homerus*: Quique sub Thebis habitabant bene habitatâ vrbe. *sic olim credidi, & Artemidorum reprehendi. non meritò.*

ritò. agnosco errorem, malè intellecti Homerici loci, & imposuerat exemplar mendosum. Inuenerat Artemidorus, non ὑπὸ Θήβας, *sed* Υπόθηβας, *vt testatur Eustathius multos legisse, & parui oppidi nomē esse, Hypothebas: quos interfuisse testatur Homerus, non Thebanos. Tamen Iustinus lib. 28. solos Acarnanas scribit Græcis ad Troiam non iuisse suppetias: nec eos in Bœotiâ expressos inuenio.*

188 Hem] *Mogantinens.* en. *idem*; trophæa Troia.

193 Occupandum] *Varro Ephebo*: Crede mihi, plures serui dominos comederũt, quàm canes. Quod si Actæon occupasset, & ipse prius suos comedisset. *Iustinus*: Nec fecisse se, sed occupauisse insidias. *vsitatum verbulum Ciceroni.*

201 Perde pereundo] *elegantes sunt tales traductiones Ouidianæ, in ep. Didus*: Perdita ne perdam timeo, noceámve nocenti.

In epist. Deianiræ:

Huic victo victor nempe pudendus erat.

In epist. Cydippes:

Si lædis quod amas, hostem sapienter amabis:
Me precor, vt serues, perdere velle velis.

Idem: Verba quid exsultas tua si mihi verba dederunt.

203 Commori quî cum] *emendabam*; quo cum. *miror non intelligi. dicam planius*, commori quo cum velis, *hoc est, commori cum illo quem perire expetis. Locus ille epitomæ Liuianæ, docere id potuit, si consuluissent. Quod verò ipsi adferunt, nisi vitium operarum subsit, &* cùm mori, *mendosè excusum: nulli rei. si* commori *scripsêre, eadem sententia cum emendatione nostrâ: nisi quod non necessariò verba transponant pro lubito.*

210 Melior Aiax] *Homerus*:

Locrensibus autem dux erat Oileus velox Aiax,
Minor, non tantus quantus Telamonius Aiax,
Sed multo minor —— *minor robore, gloriâ, staturâ. Homerus Iliad.* β'. ρ'. ν. *& Odyss.* λ'. *forma & factis vno Achille deteriorem dicit, statura quoque maiorem. Et Pausanias in Attic. scribit tam vastum fuisse, vt genu patella puerilis disci magnitudinem æquaret. Vlysses Nasonis, vt detrahat hosti, Oileum vocat, Aiacem moderatiorem.*

213 Memnon] *consule de Memnone Q. Smyrnæum lib. 2. Memnon Auroræ & Tithoni F. pulcherrimus fuit (teste Homero Odyss. 11.) eorum qui Troianis auxilio venerant; ab Achille lanceâ confossus obiit. Pindarus Nem. 6.*

—— καὶ ἐς Αἰθίοπας
μέμνονος οὐκ ἀπονο-
στάσαντος, ἐπᾶλτο. βαρὺ
δὲ σφιν νεῖκος ἔμπεσ' Ἀχιλ-
λεὺς χαμαὶ καββὰς ἀφ' ἅρματα
φαεννᾶς υἱὸν εὖτ' ἐνάρι-
ξεν Ἀοῦς αἰχμᾷ
ἔγχεος ζακότοιο.

—— quin

——— quin & ad Æthiopes
Memnone non reuer-
so prosiluit. grauis
autem ipsis concertatio incidit cùm Achilles
in terram descendens ex curribus
illustris filium occideret Au-
roræ cuspide
hastæ iracundæ.

idem latius tradunt Ouid. lib. 13. Metamorph. & Philostrat. lib. 1. de imagin. sed homo leuis à se ipso dissentit. nam li. 6. vitæ Apollon. ad Troiam mortuum negat. Verùm Strabo lib. 13. in Troade sepultum affirmat. Ex Æthiopia profectum communiter omnes ferè consentiũt, Pausanias tamen in Phocaic. mauult Susis è Perside Ilium venisse. Cineres in aues Memnonides transformatas, fabulantur Ouidius, Plinius, & Ælianus. de statuâ & sepulchro mira sunt, quæ referunt Iosephus in antiquitat. Pausanias in Atticis, Tacitus Annal. lib. 2. & Plinius lib. 36. cap. 7. & antiqua commentaria in Iuuenalis Sat. 15.

213 Xanthus] *de hoc in Troad. actum. vide Homerum Iliad. φ.*

217 Rhesus] *qui ad amnem sui nominis fuit interfectus, in quem etiam se vxor Arganthona, desiderio mariti proiecit. Vide Parthenium Narration. suarum cap. vlt.* 218 Amazon] *de qua Virgilius:*

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthasilæa furens, mediísque in millibus ardet,
Aurea subnectens exertæ cingula mammæ
Bellatrix, gaudetque viris concurrere virgo.

Peltam sic describit Pierius Hieroglyph. lib. 42., vt circulus descriptus lineâ diametrali dissecetur: pars altera, quantum cubiti, manusque ministerio deseruiat, relinquatur: altera duobus à lateribus excauetur: ita vt in medio spatium sit insertando brachio, cuius hoc sit propugnaculum. extrema ad scuti marginem lunentur in cornua. Orbes illi duo hinc inde exemti, insertandæ si opus sit hastæ alter commodus, alter ad inspectandum inseruiat.

224 Comprime] *Lib. Eguian.* opprime.

233 Ægisthe] *nimis sæua primo congressu Clytemn. an adhuc hoc carmen Ægistho tribuendum?*

244 Quem pœnitet] *imò vera pœnitentia nobis Christianis culpâ planè liberat. c. magna. de pœn. d. 1. Concil. Trident. sess. 14. cap. 4.*

259 Nec regna] *Ouidius:*

Non bene cum sociis regna Venúsque manent.

Homerus: οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.
εἷς βασιλεύς.

Non bonum est multos esse, qui imperent, vnus sit imperator
Vnus dux. *Hanc causam esse voluit Musæus (teste Aristotele) cur aquila tres pullos excludens, duos deturbet nido, vnum educet.*

 261 Exci-

261 Excitas] *Moguntin.* incitas. *idem pro*; captam, *habet cum Herbipolens.* captas. *Venetus primus*; raptam.

263 Dominam] *matremfamiliæ. Plutarchus in Lycurgo scribit*; *Lacones vocasse vxores suas κυρίας. Menander:*

Me quidem, vt constat, habet vxor domina.

vtrumq; illic ingeminat; quemadmodũ virum dominum Ouid. in ep. Briseid.

Si mihi pauca queri, de te dominóque viróque
Fas est, de domino pauca viróque querar.

sic vsurpat idem in epist. Hippodamiæ. Hesychius: Dominas Thessali vxores vocant. *Epictetus*: Mulieres à viris post XIV. ætatis annum rectè dominæ vocantur. *Quinctilianus senior declamat.* 2. Tu facere potes occasionem vxor & domina. *vicissim sic mariti vel sponsi, domini*; *M. Brutus lib. de officio*; Itaque patresfamiliæ domini sumus. *Virgilius*:

——— connubia nostra
Reppulit, & dominum Æneam in regna recepit.

Ouidius in epist. Hermion.

Hæc tibi sub domino est Pyrrhe puella suo.

Idem: Tu dominus, tu vir, tu mihi frater eras. *Ad hunc locum maximè proprium, quod ex Plutarcho dixi. nam hîc loquitur Spartana.*

267 Det ille veniam] *Prosper Aquitanus*:

Det peccatori veniam peccator, & æquâ
Conciliet Dominum conditione sibi.

Idem iubet Saluator & Dominus IESVS CHRISTVS, *Matth. 6. & 16. Mar. 11. Idem Apostolus ad Ephes. 4. ad Coloss. 3. idem Ecclesiast. c. 28.*

268 Paciſci] *Seneca lib. 1. de Clementia*; Securitas securitate mutua paciscenda. 269 Haut noua] *quantumuis diu regina & regi nupta, regni & tyrannidis naturam nondum habes perspectam. Certè* noua *illis regnorum iura non erant.*

280 Fit nocens] *non inquiritur an innocens, sed fingitur esse nocens. vnde &* factum *crimen in Octau. pro* ficto. *corrumpunt, qui;* fit, *inuexerunt.*

294 Auctore Phœbo] *ad hoc oraculum refero illud Liuij in Aegistho, apud Nonium, in* Solemnitus, *sed castigatum*:

Solennitus à Deo tali lauder lubens.

porrò quod præcedenti versu dixit, & nepos. *explicat Sidonius:*

Non hic Tantaleam domum retexam,
Qua mixtum Pelopeia per parentem
Prolis facta soror, nouóque monstro
Infantem genuit (*sic lego*) patèr nepotem.

297 Quid Deos probro] *sic Sophocleus Philoctetes reprehendit Vlyssem prætexentem diuina*:

Οδ. Ζεύς ἐσθ᾽ ἵν᾽ εἰδῇς, Ζεὺς ὁ τῆς δε γῆς κρατῶν.
Ζεὺς, ᾧ δέδοκται ταῦθ᾽, ὑπηρετῶ δ᾽ ἐγώ.
Φιλ. Ω μῖσος, οἷα κἀξανευρίσκεις λέγειν,
θεοὺς προτείνων, τοὺς θεοὺς ψευδεῖς τιθείς.

VL. Iouis ista, si nescis, Iouis terra regitur
Arbitrio, auctor est rei huius Iuppiter,
Istius imperio obsequens facio hæc ego.
PHIL. Scelerate, túne hæc dicere? dolis tu, tuis
Mendaciis prætexere audebis Deos

301 Hæc vacat] *Moguntinen. Herbipolens. & Veneti*, hæc vacat regia viro. *si legas*; Hæc vacat Regi ac viro. *sensus, se viduam, viro solo, & quidem Regi nuptam, non admissuram viliores nuptias. viduas quidem* vacuas *&* vacantes mulieres *olim dictas, aliis obseruatum.*

302 Quæ inuita peccat, debet & culpæ fidem] *sic plerique lib. etiam m. s. nullo, quantum intelligo, sensu. æquè ex sensa lectio Herb. & Venetor.* Quæ inuita peccat, ostendit & culpæ fidem. *& cæci hic aliàs Lyncei, muti aliàs arguti: iuuat Moguntin. cod. qui*, Quæ iuncta peccat, debet & culpæ fidem. *quæ (ait) cum aliis facinus perpetrauit, socio culpæ fidem debet. non licet fide saluâ eum, quo cum scelesta fuit, deserere vel prodere. Secedamus ergo, & quod iuncti deliquimus, iunctis consiliis diluamus.*

IN CHORVM.

Canit Pæanem; qui partâ victoriâ Apollini cani consueuerat; initiò Apollini tantùm, teste Suydâ: postea tamen pæanas facti Marti & Diis aliis communes, adeo vt omne carmen quo Deorum, vel hominum etiam laudes continerentur, Pæan *dictum fuerit. Nam, teste Athenæo, Hermippus Cyzicenus Pæanes composuit in Antigonum & Demetrium, Pindarus in varios, vt tradunt Horatij interpretes.*

311 Coronat] *lauro, teste Apollonio, laurus enim Apollini sacra, propter Daphnem in laurum mutatam, vt narrat Parthenius cap. 15. & Diodoro Eleensi in elegiis, & Philarcho in histor.*

313 Innuba] *in citato Varronis fragmento mallem legere*; veteres puerascunt. 314 Stirps Inachia] *Inachi genus, virgines Argiuæ.*

315 Thebana manus] *sic quinque manusc. mei: sic ad vnum omnes excusi. & quid in hac lectione reprehendendum οὐ καταλαμβάνω.*

316 Erasini] *Erasini plures. vnus in Arcadiâ ex Stymphalo gignitur, qui aliquamdiu sub terrâ occultatus, rursus in Argiuo agro erumpit, de quo Ouidius libro 15. Metamorph. alius in Corinthiacum sinum illabitur. de quo Pausanias in Corinthiac. alius Eubææ propè Erythræam, alius Atticæ Straboni lib. 8. de Attico nostrum loqui opinor.*

317 Eurotam] *Eurotas Lelegis N. Mileti F.; cùm in Laconiâ stagnantem in campis aquam, alueo facto in mare deduxisset; quod fuit aquarum reliquum, in iusti amnis morem defluens, de suo nomine nuncupauit Eurotam. Pausan. in Laconic.*

322 Arcus victor pace relata Phœbe relaxa] *Moguntin.* Arcus vinculo Phœbe relaxa. *Herbip. & Veneti*; Arcus victor Phœbe relaxa; *quibus omnibus deest*, pace relatâ, *quod est in ceteris. delendum, nec ne? nescio. nam vt spurium sit vel germanum ἐνδέχεται καὶ οὐκ ἐνδέχεται. Apollo quidem*

dem cantaturus arcum soluere credebatur. Dionysius Perieget. ait eum, cùm se Delphos recipit, id facere: ἱστάμενος χρυσέης ἀναλύεται ἅμμα φαρέτρης. vinculum auratæ pharetræ soluit.

328 Lyra] *Lyram, citharam, chelim, barbytum, & phormingem solere confundi assentior, Polluci, Suidæ, Guarino, Budæo & aliis, & colligitur ex Homero in hymn. Mercurij & Odyss.8. Martiano lib. vlt. & aliis. Sed tamen illi oportet mihi vicissim assentiantur, propriè loquendo esse diuersa. nam ille ipse Martianus eodem lib. vlt. apertè chelim à barbyto, & à tetrachordo distinxit. Pausanias præterea in Attic. loquens de Memnonis statuâ,* τὰς κιθάρας ἢ λύρας, *inquit: & Anaxilaus apud Athenæum lib.4.*

ἐγὼ δὲ βαρβύτους, τριχόρδους, πηκτίδας
κιθάρας, λύρας, σκινδαψούς.

Et Euripides Phœnissis:

——— φορμιγγί τε
τείχεα Θήβας
τᾶς Ἀμφιονίας τε λύρας, *&c.* phormingis sono
Muros Thebarum,
Et Amphioniæ lyræ.

Prudentius etiam in Apotheo.

Quicquid casta chelis, quicquid testudo resultat.

Sunt qui differre velint ex Ammonio κιθάριν *&* κιθάραν, *hanc idem esse cum lyrâ, & ab ea eosdem* λυρῳδοὺς καὶ κιθαριστὰς *vocari; illam à lyrâ diuersam, & ab eâ* κιθαρῳδοὺς *tantùm dici. Sed amplio. D. Isidoro lyra citharæ species est lib.3. Orig. nam de citharâ cùm agit;* paulatim (*inquit*) plures eius species exstiterunt, vt psalteria, lyræ, barbita, phænices, & pectides, & quæ dicuntur Indicæ, & feriuntur à duobus, simul. *vbi suspicor reponendum ex Anaxilao, & Euripide,* phorminges, & pectides, & quæ dicuntur scindapsi. *fortè reiecerant, qui Festo crediderunt scindapsum nihili vocem esse, nec quicquam significare, qui error Dialecticorũ scholas occupauit, etiam Græcum Scholiastem Magentinum in lib. Aristot. de interpretat. quos refellit, vt videtis, Athenæus, refellit scholiastes Apollonij, & Homerus. De* σκίνδαψος, *ergo falsi; de* βλίτυρι *nescio an veri, nam etsi confirmet Laërtius lib.7. nam qui vtrumque affirmarat Suidas, idem Iubæ testimonio docet blityri* τῆς χορδῆς μίμησιν *esse, hoc est, vt vertit N. Chordæ imitationẽ; ego mallem accipere de tinnitu illo, quem percussæ fides, mox sponte edunt suâ, quasi subsilientes. addit Ammonius aliam vocem nihil significantem* κνάξ. *pro quâ Moguntin.* κνάξ, *sed hæc titiuillitio & tippulis leuiora.*

331 Chorda] *scribendum* corda, *si credimus Cassiodoro, qui à corde deducit;* quia (*inquit D. Isidorus*) sicut est pulsus cordis in pectore, ita pulsus cordæ in citharâ. Has primus Mercurius excogitauit: idem prior * in neruos sonum strinxit.

* Castigo: neruos in sonũ.

337 Pelion Ossa] *Antipater:* Non Ossæ Pelion imponens.

340 Regia Iuno] *alludit ad cognomen eius,* Regina.

Reginæ Iunonis supremæ coniugi templum. *ait poëta vetus.*

de

De Iunone Reginâ multa Liuius lib. 5. meminerunt etiam Cicero, Plinius, P.Victor. & Iuuenalis Sat. 12.

——niueam reginæ cædimus agnam.

Tua-turba Mycenæ] *Mycenas sunt qui dictas putent à quodam Myceneo Spartonis filio, quos Pausanias refellit: alij malunt, quia Perseus, qui eam à Cyclopibus curauit construi, humo ibidem fungum sustulerit, vnde repentè fonte scaturiente sitim depulit. nam fungus Ephippo apud Athenæum lib. 2. μύκης dicitur. sed quia hoc nomen capulo quoque conuenit, Nicander à capulo ensis Persei, eo in loco lapsi, deducit Mycenas, in Alexipharmac. Homerus Mycenes mulieris meminit; quam Oearum magnarum scriptor canit fuisse Arestoris vxorem, Inachi filiam, hæc plerisque videtur nomen vrbi indidisse. Vide Pausan. in Corinthiac. Mycenæ Iunoni sacræ & peculiares. ait antiquus poëta:* Dodone tibi Iuppiter sacrata est,

Iunoni Samos & Mycenæ diti:
Vndæ Tænaros æquorísque regi:
Pallas Cecropias tuetur arces;
Delphos Pythius orbis vmbilicum;
Creten Delia, Cynthiósque colles;
Faunus Mænalon, Arcadúmque siluas.
Est tutela Rhodos beata Solis;
Gades Herculis, tumidúmque Tybur;
Cyllene celeri Deo niuosa;
Tardo gratior æstuosa Lesbos.
Ætnææ Cererem nurus frequentant;
Raptam Cyzicos ostreosa Diuam;
Formosam Venerem Cnidos, Paphosque.

Ouidius 3. Fastor.

Pallada Cecropiæ, Minoïa terra Dianam;
Vulcanum tellus Hypsipilæa colit.
Iunonem Sparte, Pelopeïadésq. Mycenæ;
Pinigerum Fauni Mænalis ora caput.

Mars Latio venerandus erat. *Nam singulæ ciuitates suos quosdam Deos habebant; quos Tertullian. in Apologet. cap. 10.* proprios *vocat, & nonnullos cap. 24. enumerat:* Vnicuique etiam prouinciæ & ciuitati suus Deus est, vt Syriæ Astarte, vt Arabiæ Disares, vt Norici Belenus, vt Africæ Cælestis, vt Mauritaniæ reguli sui. *& paullo post:* Crustuminiensium Beluentinus, Narniensium Viridianus, Asculanorum Ancaria, Volsiniensium Narsia, Ocriculanorum Valentia, Sutrinorum Nortia, Faliscorum in honore est pater Curis.

342 Supplexque tui numinis Argos] *infrà act. 4.*

Argos iratæ carum nouercæ.

Creditur enim Iuno ibi nata, vnde & Argiua *Homero & aliis, eius effigiem refert Pausan. Argis illi Hecatombâ fiebat, vt prodiderunt Pindari Scholiast. Palæphatus in Incredibilib. & Hyginus in Fabulis. Refert Dionys. Halycarnass.*

carnaß. lib. 1. apud Phaliscos templum Iunonis fuisse persimile Argiuo, & vtrobique sacrorum ritus similes, & cultrices templi sacrificulas, & puellam innuptam, quam vocant Canephoron, sacrificium solitam auspicari, & choros virginum patrios hymnos canentium. Homerica Iuno:

Sunt mihi tres vrbes longè carissimæ
Argósque, Spartéque, & latis viis instratæ Mycenæ.

Pindarus vocat Argos, Iunonis domum. *Euripides ait;* per reginã Deam Argiuam. *& in Heraclidis:*

——— diis non inferioribus,
Socij vtimur, quàm Argiui, ô Rex,
Hisce enim Iuno præsidet, vxor Iouis:
Nobis verò Pallas.

344 Lauros Agamemnonias] *hoc ait, quia mos fuit, vt Ioui sic & Iunoni tropæa dicandi, vnde & à Lycophrone Iuno tropæa vocatur. malè hic Moguntin. Herbip. & Ven.* claros *pro;* lauros.

346 Multiforâ tibia buxo] *hanc describit Statius lib. 8. Theb. his verbis:*

Et moderata sonum vario spiramine buxus.

nam buxus ἁπλῶς tibia ex buxo. sic Claudianus:

Si buxos inflare velim ferale gemiscunt.

de variis tibiarum generibus & diuersitate consule Aristot. lib. 8. Polit. Theophrastum lib. 4. de causis plantarum, Pollucem li. 5. Onomast. Atheneum lib. 14. cap. 5. & 15. & Solinum in Polyhist. Cælium Rhodigin. lib. 9. cap. 7. & Iul. Scalig. artis poët. lib. 1. cap. 20. cum quo mihi de tibia inuentione non conuenit. ille Osyridi tribuit, ego aliis potius. nam Martianus Mineruæ, & Marsyæ lib. vlt. his verbis: Pythagoræi etiam docuerunt, ferociam
» animi tibiis aut fidibus mollientes, cum corporibus adhærere nexum
» fœdus animarum: membris quoque latentes interserere numeros non
» contemsi. Hoc etiam Aristoxenus, Pythagorásque testantur. Denique
» benignitate largissimâ sensim ipsam notionem meę obiectationis ape-
» rui. Nam fides apud Delphos per Deliacam citharam demonstraui:
» tibiæ per Tritonidem nostri comitem & Marsyam Lydium sonuerũt.
» calamos Mariandini & Aones in laudes inflauêre cælestium. Pandu-
» ram Ægyptios attemtare permisi. *quo loco vel ex Isidoro d. lib. 3.* Pandorium, *reponas, vel ex Martiano apud Isidorum,* Pandura *legendum: nisi dicas (quod vehementer suspicor verum)* Pandorium, *esse fistulæ seu calami pastoritij genus vt Isidorus apertè tradit;* Panduram *verò tympani genus, vtrimque membranâ extensâ coopertum, Hispanis adhuc hodie,* Pandero, *vocati. Quædam tibia,* Libys *dicta fuit; apud Nomades Libys adinuenit, vt ex Duri Samio docet Athenæ. d. cap. 5. Isidorus Phrygibus laudem tribuit.*
„ Tibias *(inquit)* excogitatas in Phrygiâ ferunt: has quidem diu funeri-
„ bus tantùm adhibitas: mox & sacris gentilium. Tibias autem appella-
„ tas putant, quòd primùm de ceruinis tibiis, cruribúsque hinnulorum
„ fierent: deinde per abusioné ita cœptas vocari etiam quę non de cruri-
„ bus ossibusq. fierent. *Buxeas tibias Phrygum inuentum esse Iuba prodidit,*

earumq̃

earumq; mentionem Sophocles, in tympanistis, & alibi facit, apud Athenæum lib. 4. cap. 24. Phrygibus autem inuentio tribuitur, non quia apud illos primò tibia sit reperta; sed quia Minerua inuentam propè Tritonida paludem, in Phrygiam abiecit; auctore Propertio lib. 2.

Hic locus est in quo tibia docta sones.
Quæ non iure vado Mæandri iacta natasti,
Turpia cùm faceret Palladis ora tumor.

& Plutarcho in Alcibiad. & Claudiano lib. 2. in Eutropium, quo loco nonnulla dixi. 350 Lampada iactant] in quamplurimis sacris & ludis sollemne fuit λαμπαδουχεῖν; idq; discurrendo & tradendo sibi inuicem lampades, vt in Panathenaicis, Vulcaniis, & Prometheis ludis, & in Mineruæ sacris, testibus Herodoto, in Vraniâ (qui à Persis acceptum morem scribit) Pausaniâ in Atticis (qui, cum plerisque, à Prometheo acceptum censet) Platone lib. 1. de repub. & Scholiaste Aristophan. in ranis; & Harpocratione in voce λαμπάδιον: aliquando continuò discurrentes facem ferebant, nec defatigati alteri tradebant, vt fiebat in sacris Eleusiniis in memoriam Cereris, quæ, duabus facibus in Æthnæ crateribus accensis, filiam quæsiuerat. Herc. Fur. ver. 300. ——— tibi multa fide

Longas Eleusi tacita iactabo faces.

Simile, quid voti damnatas Argiuas feminas in Iunonis honorem præstitisse, noster hoc loco significat.

350 Coniux candida tauri] Porphyrius apud Eusebium lib. 4. de præparat. Euang. cap. 4. refert Apollinis versus quos citaui in Oedipum.

352 Coniux tauri] iuuenca. Virgilius:

——— Iunoni cæde iuuencam. vide Seruium.

357 Matrona] omnes, iunior & senior. Melissus lib. de propriet. sermonis, matronam dici putauit, quæ semel; matremfamilias, quæ sæpius peperisset. sed hoc ab aliis meritò reijcitur. de hoc discrimine egêre Seruius, Nonius, & alij. omnium apertissimè Gellius lib. 18. cap. 6. Matronam (inquit) esse propriè quæ in matrimonium cum viro conuenisset, quoad in eo matrimonio maneret, etiamsi sibi liberi nondum nati forent: dictámq. esse ita à matris nomine, non adepto iam, sed cùm spe & omine mox* adipiscendo, vnde ipsum quoque matrimonium dicitur. Matrem autem familias appellatam esse eam solam, quæ esset in mariti manu mancipióque, aut in eius in cuius maritus manu mancipióque esset, quoniam non in matrimonium tantùm, sed in familiam quoque mariti, & in sui heredis venisset locum. Ex quibus verbis apud Seruium puto legi debere; quæ in familiam mariti, & sui heredis locum venisset. Festus, nec Viduam, nec quæ sine liberis sit, matremfamil. dici posse tradit. vtrumque falsum. Liberos enim non re requiri, sed spe sufficere, docent Gellius & Seruius. Viduam quoque hoc nomen retinere, si in familiam mariti & sui heredis locum venerat, patet ex iisdem, & apertius ex Vlpiano l. pronunciatum. 47. D. de verb. signific. & Cicerone, qui in Orat. pro Cælio, Clodiam viduam, vocat matremfamilias. Hos Nonium arbitror secutum, & propterea apud illum

*Mallem, adipiscendi.

additâ negatione censeo reponendum; etsi in mariti matrimonio non esset. Volunt ergo Seruius, & qui eum secuti, non omnem matronam esse matremfamil.; sed eas dumtaxat, quæ per coëmtionem, non verò vsu vel confarreatione, in matrimonium conuenerunt. de quo valde dubito. D. Isidori de hac re loca li. 9. Orig. cap. de coniugiis, & c. de affinitatibus illustrari debent A. Gellij verbis, & Seruij: alioquin vix queunt intelligi. vide Paulli Manutij Commentar. in Ciceron. Familiar. lib. 5. epist. 10.

359 Nexilibus] coronæ, vel sertæ, vel pactiles, vel sutiles, vel nexiles seu plectiles; ita vocata quod innectebantur, vel è ramulis aut surculis plectebantur, vide Turneb. lib. 18. aduersar. cap. 29. hîc de Oleaginis mentio. nam frondes hæ Palladiæ. Horatius:

Suntquibus vnum opus est intactæ Palladis vrbem
Carmine perpetuo celebrare, &
Vndique decerptæ frondi præponere oliuam

360 Coronis] nota significatio, qua hîc vsui: minus alia. nam vt Græcis ϛεφάνην, sic & Latinis coronam pro veste muliebri (suspicor crocottâ) poni, infrequens; vt apud Virgil. in Cyri:

Quæ prius in tenui steterat succincta coronâ.

Quæ de Etymo nominis prodidit D. Isidorus, ambigo an proba. nam lib. 19. Orig. cap. 30. Nomen (ait) coronæ hac de causâ vocatum; quòd initiò circum aras curreretur, atque ad imaginem circuitus, vel chori est formata & nominata corona:

362 Compote voto] citat hoc Priscianus, & tribuit Senecæ. ergo & hæc tragædia Senecæ.

370 Respuit] Moguntinens. respicit. vnde quis conijceret, despicit.

374 Et adhuc] vide sup. Herc. Fur. 389.

381 Cape dona] Sollemne verbum cape. vide Brisson. formulas pa. 37.

386 Lauream] Romani victoriâ partâ multis rebus laurum alligabant, vel præferebant, vel mittebant teste Plinio lib. 15. Nat. hist. cap. 30. præferebantur Imperatori laureæ virgæ & fasces laureati, Cicerone teste lib. 2. de diuinat. Capitolino in Gordiano, & Lazio lib. 2. comment. reip. Rom. cap. 4. mittebantur ad Senatum laureatæ litteræ, de quibus Capitolin. in Maximi. Marcellin. Cicero, Ouidius, & alij citati à Pierio lib. 50. Hieroglyph. & Lazio d. cap. 4. vbi docet has etiam vocatas tabellas laureatas. Sed & lictores lauro ornabantur, vt patet ex epist. Ciceronis ad Atticum. Mittebatur ad Senatum laurea in Iouis Capitolini gremio reponenda. nam Gethicæ laureæ Claudianus meminit, Pannonicæ Plinius Iunior, & confirmat Pacatus in Theodosij Panegyrico. Redimibantur hastæ lauro, vt docet Papinius, de pietate Abascantij lib. 5. Siluar.

Omnia nam lætas pila attollentia frondes.

vt expono, lauri. & ad hunc morem allusit hîc Seneca. Item signa militaria, ex illo Sidonij, *Atque suas ad signa iubet reuirescere lauros.*

docet Lazius lib. 7. comment. cap. 4. idem li. 9. cap. 19. docet de statuis & imaginibus Principum, ex Tacito & Cicerone: differebant autem hæ à statuis

&

& imaginibus illis, quæ in Actis secundæ Synodi Nicenæ nuncupantur lauratæ, *solitis ab Impp. mitti in prouincias, quas obire nolebant, vel non poterant l.1. vt publ.lætit. vel Consulat. &c. lib.12. Ornabantur præterea lauro* subsellia & tabernacula, *teste Lazio lib.9. cap.20. &* fores Cæsarij palatij, *quod videor deprehendisse in Consolat. ad Polyb. cap.36. Coronabantur etiam lauro* victrices naues, *nisi malè interpretor illud Propertij li.3. ele.23.*

Ecce coronatæ portum tetigere carinæ.

Quare mirandum non est, si pro ipso triumpho & victoriæ præmio, laurea *vsurpetur. Fuit denique laurus vt victoriæ, ita cuiusuis prosperitatis nota; adeò, vt qui insidias vel periculum aliquod effugerant, dicere solerent se laureum baculum gestare,* δαφνίνην φορῶ βακτηρίαν, *refert Suidas; quo fortaßis istud Senecæ referendum. nam euaserat Eurybates, de quo multa apud Homerum mentio, cum hero suo Agamemnone, naufragium. Porrò quod lauri genus triumphale fuerit, à Plinio petendum d.cap.30.*

IN ACT. III.

Narrat Eurybates reditum Agamemnonis, & irâ Palladis, doloq; Nauplij illatam Græcis cladem per naufragium. deinde parantur victimæ Diis, & conuiuium reduci marito: Adducuntur Troades captiuæ, & cũ iis Cassandra.

388 Delubra & aras cælitum] *postquam, quæ in aduersariis olim, edita; prodiit in lucem vtile & eruditum opus Bar. Brissonij de Formulis, vbi lib.1. pag. 40. multis hanc consuetudinem salutandi* Topicos *hos* Deos *cõfirmat; de quibus nonnulla Tertull. in Apolog. multa Lilius Syntagm.1. à pag.58. eò referendæ variæ inscriptiones antiquæ, vt* GENIO LOCI, NYMPHÆ LOCI *& similes.*

401 Frater] *quærit de Helenâ & Menelao. Menelaus vnà cum Helenâ, euasit quidem hoc naufragium, sed diu admodum in Ægypto, & aliis orbis partibus errauit; & tandem in patriam peruenit, vbi tamen fingunt non interiisse, sed viuum in beatorum insulas translatum, propter nobilitatem, & quia Iouis gener ductâ Helenâ, ita Homerus Odyss. δ'. Euripid. in Helena, & Aristot. in Peplo.*

408 Exiguas trahens] *paucas & malè multatas naues. de reliquis ait Liuius Andronic.* Partim errant, nequinunt Græciam redire.

412 Acerba fatu poscis] *sumtum hoc à Virgilio, vel Æschylo in Agamemn. vterque enim idem dixit. Equidem grauißimum plerique iudicarunt, mala præsentia, vel non bene cõposita, vel non planè depulsa dicendo refricare. Et videmus quàm grauatè ægri valetudinis & dolorũ suorũ causas iterent. Philæmon non dubitat eiusmodi molestiã ipsâ ægritudine molestiorẽ vocare:*

πολὺ μεῖζων ἐστι τοῦ κακῶς ἔχειν κακὸν
τὸ καθ' ἕνα πᾶσι τοῖς ἐπισκοπουμένοις
δεῖν τὸν κακῶς ἔχοντα πῶς ἔχει λέγειν.

417 Dubia plus] *rectè Tacitus lib.3. hist. tradit, nuncios qui clades occultant, stultâ dißimulatione, remedia potiùs malorum, quàm mala differre. Non enim, quod Oedipus ait, malorum ignorantia iners modò remedium est,*

sed prorsus nullum. quî medeare latenti noxæ? vbi sciueris, remedia quæres; & dum inuenis, calamitatis aliquod solatium sit (si Curtium audis lib. 5. hist. Alexandri) sortem tuam haut ignorare.

423 Regiâ vt fulsit rate] *signum flammæ: in cuius hodie locum bombardæ tonitru successit. Plurima priscæ nauigationis legum vestigia seruamus. sic, vt nisi regia nauis, vel quæ vice illius sit, discessus signum dederit, nulli reliquarum ancboras legere liceat. Item quod hodie, qui magis pij trierarchæ, sanctorum effigies in puppibus affigunt, & harum imaginum, seu, quos referunt, Tutelarium Diuorum nomina nauibus indunt: quem honorem falsis Numinibus suis Gentiles exhibebant, vt docet Nicephorus lib. 2. Eccles. hist. cap. 23. nam ea Numina in puppibus pingebant vel sculpebant, & iis naues dicabant, vnde petenda interpretatio poëtarum, quando de picturis vel cælaturis naualibus agunt. Horatij inprimis,*

Nil pictis timidus nauita puppibus
Fidit —— *præcesserat enim,*
Non tibi sunt integra lintea,
Non Dij, quos iterum pressa voces malo.

& illa Virgilij tertio Æneid. vbi nauium nomina, Pristis, Centaurus, *&c. & illa Silij lib. 14. fol. 361.*

Ardet nota fretis Cyane, *&c. vsque* Nec mora.

nam olim quidam Deorum, quidam fluminum, vrbium, ferarum nomina malebant & effigies. sic hodie Dianas, stellas, delfines, leænas, aquilas, cernas inter nostras triremes. Hæ sunt nauium Tutelæ, *παταίκοι παράσημα. de quibus Commentar. vetus in Persium. & Ouidius 1. Trist. eleg. 9.*

Est mihi, sitque precor flauæ tutela Mineruæ
Nauis, & à pictâ casside nomen habet.

In epist. Paridis:

Accipit & pictos puppis adunca Deos.
Quâ tamen ipse vehor, comitata Cupidine paruo,
Sponsor coniugij stat Dea picta sui.

Silius lib. 14.

Scuta virum, cristæque, & inerti spicula ferro,
Tutelæque Deûm fluitabant.

sic accipio illud Lactantij lib. 1. Diuinar. instit. cap. 11. de Ioue rapiente Ganymedem; aut nauis in quâ est impositus tutelam habuit in aquilâ figuratam; sicut taurum, cùm rapuit & transuexit Europam. *Seneca ep. 77.* Nauis bona dicitur, non quæ pretiosis coloribus picta est, nec cui argenteum aut aureum rostrum est, nec cuius tutela ebore cælata est. *Festus Pompeius*; Nauem quæ Iouis tutelam effigie tauri habuerit. *D. Luc. cap. vlt. Act. meminit nauis cui erat insigne Castorum παρασήμῳ Διοσκούροις. vbi Oecumenius*; Perpetuò moris est nauibus *(inquit)* potissimum Alexandrinis, ad proram dextrâ ac sinistrâ, huiusmodi esse picturas. ἔθος ἀεί πως ἐν ταῖς Ἀλεξανδρέων μάλιστα ναυσὶ πρός γε τῇ πρώρᾳ δεξιά τε καὶ εὐώνυμα γραφὰς εἶναι τοιαύτας. *Quæ eadem prorsus verba habes*

Mallem, aquilam figuratam, vel; in tutela hab. aquilam fig.

apud

apud Theophilactum ibidem: quare opinor esse Chrysostomi, à quo vterque. Valerius quoque Flaccus & Persius, apud Turnebum lib. 19. Aduersar. ca. 2. Arbitror omnem nauem alicui Numini consecratam dictam θεωρίδα, etsi peculiare id nomen certæ nauis Atheniensium, de qua Schol. Aeschyli, & Suidas & auctor adagior. in Nauis Salaminia. *nam Philostrato in Imagin. Bacchi nauis dicitur, θεωρὶς ναῦς & Aeschylus in Sept. ad Theb. sic appellat cymbam Charontis.* 424 Monuit] *sic plerique m. s. sed Moguntin.* euonit. *Herbipol.* emomit. *Veneti;* emouit. *Lugdunens.* emonuit.

Tuba] *meminit moris Euripides in Troad.*

——— ὀρθίαν ὅταν
σάλπιγγος ἠχὼ δῶσιν ἀρχηγοὶ στρατοῦ
πρὸς ναῦς Ἀχαιῶν.
——— cùm clangorem tubâ
Clarum dederint ductores exercitus
Ad naues Achæorum. *vide sup. Troad. 1043.*

425 Aurata] *cuius rostrum auratum. Aurei rostri etiam Seneca meminit epist. 77. decebat hoc nauem regiam. nam vulgus æratis vtebatur, vt docet Plinius, Vitruuius, Suidas: & has vocabant* naues æratas, *vt Cæsar li. 2. de Bello ciu.* puppes æratas, *vt Horatius;* puppes æneas, *vt Virgilius libro 9. æratæ ergo & auratæ, eædem quæ* rostratæ, *præfixo ære vel nudo vel inducto auro.* Ceratæ *aliæ, nempe cerâ & pice oblitæ. Rostratis Heroas vsos negant. Vide Ioan. Brodeum lib. 3. Miscellan. cap. 13.*

434 Lentare] *flectere, ducere. Virgilianum vocabulum.*

435 Nisu] *sic omnes v. l. scioli;* nixu, *substituunt: sed non hic tantùm, verùm & apud Lucret., Virgil., Horat., Flaccum, & Prudentium idem fecêre, inuitis m. s., vt docet Gifanius in Collectan. Lucretianis.*

437 Cærulum] *sic Moguntinens. Herbipolens. Basiliens. & Lipsiens. rectè. Aratus ait:* cæruleo seruatæ Oceano.

439 Tonsas] *palmulas, imas remorum partes, quibus aqua tunditur. Virgilius:* lento luctantur marmore tonsæ. *nisum ipsum remigantium expreßit Ennius:* Pone petunt, exin referunt ad pectora tonsas. *de his & plerisque nauis instrumentis, sic Lucretius:*

Sed quasi naufragiis magnis multísque coörtis,
Disiectare solet magnum mare transtra, guberna,
Antemnas, proram, malos, tonsásque natantis,
Per terrarum omnis oras fluitantia aplustra.

aliud Tonsillæ. *D. Isidorus lib. 19. cap. 2.* Tonsillæ vncini ferrei vel lignei sunt, ad quos in litore defixos nauium funes alligantur.

440 Fusúsque transtris miles] *plerique codices pro,* miles, *exhibent;* nauita. *æquè bene.* Transtra, *loca in quibus sedent remiges: spacium verò seu iter per quod ad remiges hortator solet accedere, quod à puppi ad proram protenditur; vt arbitror, ab ipsâ adhortãdi voculâ, dicebatur* Agæium. *Ennius;*

Transtra, forom, pontes, & agæïa longa replentur.

sic emendo apud Isidorum d. cap. 2. nam quod exstat, mendosum; sed & vereor argu-

argutum iri, quòd ita emendem: verùm Festo nitor.

Terras procul, quantum recedunt vela, fugientes. *Virgil. 2. Aeneid.*

Prouehimur portu, terræque vrbésque recedunt.

Videmus per axem visualem: ideo cùm hic mouetur, res visa videtur moueri. extenditur ille & longior fit recessu; ideo recedentibus, vrbes videntur recedere: accessu ad portum contrahitur axis seu radius, & fit breuior. ideo vrbes ipsæ videntur ad nos accedere & appropinquare. Vide Cardanum lib. 4. de subtilit. Toletum in lib. 2. de animâ. q. 16.

444 Hercæum] *Ouidius de Priamo:*

Cui nihil Hercæi profuit ara Iouis.

malè Moguntinens. Herbip. & Veneti; Herculeum. *primus hoc restituit Daniel. Vide Harpocrationem, & Pollucem, & quæ nos alibi.*

446 Transilit] *velocissimus enim Delfin. Attius:*

Sicut inciti, atque alacres rostris perfremunt Delfini.

de piscium istorum pronostico accipe, quæ ex Pacuuio Tullius lib. 1. de Diuinat. scribit, Achiuorum exercitum, & tot nauium rectores lætos piscium lasciuiam intuitos, nec tuendi satietatem capere potuisse: ad quem Pacuuij locum noster hic videtur respexisse.

451 Millesimam] *Aeschylus:* classem Græcorum mille nauium. *idem Eurip. Virgil. Propertius. sed Dictys naues autumat* MCCXCV.

453 Parent] *Herbip.* patent. 454 Peruicax] *Mogunt.* perspicax.

460 Suspecta varius] *Aratus:*

Siquidem obscuret nigricanti similis
Solem nubes; circum ipsam autem hinc inde
Radij interuoluti findantur:
Certè adhuc in Auroram impedimento indigus esses:
At si hic, *&c.* *Lucan. lib. 1. Pharsal.*
Multa quidem prohibent nocturno credere ponto.
Nam Sol non rutilas deduxit in æquore nubes
Concordésque tulit radios: noton altera Phœbi,
Altera pars borean productâ luce vocabat.
Orbe quoque exhaustus medio languénsque recessit,
Spectantes oculos infirmo lumine passus.

463 Murmur graue] *mugitus ille maris, taurino similis, ob quem Neptunum μυκτᾶν καὶ ταύριον vocabant, eiq́ taurum immolabant, de quo murmure quædam Aristot. in Meteor. ex eo verò quod additur,* collibus summis, *patet illum loqui de alio quoque murmure seu fremitu arborum & siluarum, de quo Virgilius* 10. *Aeneid.*

——flamina prima
Cùm deprensa fremunt siluis, & cæca volutant
Murmura, venturos nautis prodentia ventos.

465 Agitata ventis vnda venturis tumet] *Virgilius:*

——freta ponti
Incipiunt agitata tumescere——

Luca-

Lucanus: ——niger inficit horror
Terga maris: longo per multa volumina tractu
Æstuat vnda minax, flatuſque incerta futuri
Turbida testantur conceptos æquora ventos.

Sisenna lib. 3. *Historiar.* Subitò mare ſubhorreſcere, cæcúſque fluctus in ſe prouoluere. *M. Varro epist. ad Cæſarem*; Interea propè ad occidentem ſolem horreſcit mare. *quod ille ad verbū ferè à Pacuuio ſumſit, cuius verſum dedimus in Aduerſar. Cicero lib.* 1. *de repub.* vt ille qui nauigat, cùm ſubito mare cœpit horreſcere. *hoc eſt, intumeſcere. Cicero lib.* 1. *de Diuin.*

Atque etiam ventos demonſtrat ſæpe futuros
Inflatum mare: cùm ſubitò penitúſque tumeſcit,
Saxáque cana ſalis niueo ſpumata liquore
Triſtificas certant Neptuno reddere voces,
Aut denſus ſtridor cùm celſo è vertice montis
Ortus adaugeſcit ſcopulorum ſæpe repulſu.

Quem locum noſter videtur voluiſſe exprimere, nam omnia tria pronoſtica poſuit: ——tum murmur graue
Maiora minitans, collibus ſummis cadit,
Tractúque longo litus ac petræ gemunt:
Agitata ventis vnda venturis tumet.

ille celſo montis vertice, *hic* collibus ſummis; *ille* triſtificas voces, *hic* gemere *dixit*: *hic* longo litus de petræ tractu; *ille*, adaugeſcit ſcopulorum ſæpe repulſu. *Vegetius lib.* 4. *cap.* 41. *teſtatur Varronem in Naualibus iſta diligenter excoluiſſe.*

466 Stellæ] *Fabio teſte, ſunt qui putent dictas, quaſi ignis ſtillas. nam ex igne ſtellas putabant compoſitas Thales, Anaxagoras, Democritus, & Anaximander. conſule Theodoretum lib.* 4. *Græcan. affection. col.* 4.

466 Stellæ cadunt] *ſic legitur in cunctis libris, quos vidi. malunt alij ex vno codice,* latét. *quia verius. fateor verius* κατὰ λόγον: *non verius, ad ſcripturam Senecæ. Non ignorabat ille neque ſtellas, neque vllum cæleſte corpus, vel totum, vel per partes decidere, vt docet Ariſtoteles lib.* 2. *de cælo, & communius plerique volentes cæleſtia corpora naturâ ſuâ eſſe incorruptibilia, & quinctæ cuiuſdam eſſentiæ, ex patribus D. Dionyſius, D. Chryſoſtom. Didymus. & D. Baſilius, & Philo Iudæus, omnes etiam ferè cum D. Thomâ* 1. *p. q.* 66. *Theologi, & cum Ariſtotele plerique Peripatetici, in his Contarenus lib.* 5. *primæ philoſophiæ, Gab. Zerbus lib.* 8. *Metaphyſ. q.* 3. *Pernumia li.* 2. *philoſoph. & Eugubinus lib.* 10. *de perenni philoſoph. qui conatur illam Timæo & Platoni aſcribere, vt puto non verè. Sed* ſtellas *inquiebat, vulgi more, quòd accenſas quaſdam & emiſſas exhalationes, ſtellas tranſcurrentes vel decidentes vocare conſueuit. Ariſtoteles lib.* 1. *Meteor.* ἐὰν δὲ τὰ μήκη τῆς ἀναθυμιάσεως κατὰ μικρά τε καὶ πολλαχῆ διεσπαρμένα ᾖ, καὶ ὁμοίως κατὰ πλάτος καὶ μέγεθος, οἱ δοκοῦντες ἀστέρες διάττειν, γίνονται. At ſi exhalationis longitudines, per partes exiguas & frequentes, æqualíſque latitudinis & magnitudinis ſparſæ fuerint, ſtellæ fiunt, quæ videntur proſilire.

Deinde ſubdit earum ortum eſſe duplicem, ex accẽſione, & eliſione ſeu iactu. Ex accenſione fieri, cùm exhalatio quæ in longum multo magis, quàm in latum portenditur, non continuata, ſed in frequentes particulas ſparſa & diſſipata. Ex eliſione verò, quando exhalatio in aëre denſo concluſa, frigore denſante & cogente exprimitur. Ideo aliquæ, vt flamma *(inquit)* à lychno accenduntur, & aliquæ eliſione quadam, perinde ac è digitis nuclei iaciuntur, vt & in mare, & in terram, tam noctu, quàm die ac cælo ſereno cadere viſantur. Deorſum autem iaciuntur, quod denſitas quæ propellit, in inferum locum iaciat. καὶ γὰρ οὕτως ὡς ἡ ἀπὸ τοῦ λύχνου γίνεται. καὶ ἔνια διὰ τὸ ἐκθλίβεσθαι ῥιπτεῖται ὥσπερ οἱ ἐκ τῶν δακτύλων πυρῆνες, ὥστε καὶ εἰς θάλασσαν καὶ εἰς γῆν φαίνεσθαι πίπτοντα καὶ μεθ' ἡμέραν καὶ αἰθρίας οὔσης. κάτω δὲ ῥιπτεῖται, διὰ τὸ τὴν πύκνωσιν εἰς τὸ κάτω ῥίπτειν τὴν ἀπωθοῦσαν. *Fallitur ergo Plinius, dum, hæc male accepta imitans, ſcribit lib. 2. cap. 8. videri ſtellas decidere; quia, cùm humore alantur, aliquando nimium humidi alimenti hauriunt: & propter hanc redundantiam humoris, vis igneas ſtillas quaſdam accenſas expellit: ſicuti videmus in lampadibus olei accidere, propter liquoris igniti copiam. Sed ille falſò illo fundamento de alimento ſiderum, quod alibi refutaui, nititur. Philoſophatur etiam Ammianus lib. 25. hiſtor. de his ſtellis labentibus*; flagrantiſſimam facem cadenti ſimilem viſam, aëris parte ſulcatâ euanuiſſe exiſtimauit, horroréque perfuſus eſt: ne ita apertè minax Martis apparuerit ſidus. Erat autem nitor igneus iſte, quem διάϊσσοντα nos appellamus, nec cadens vnquam, neque terram contingens. Corpora enim qui credit cælitus poſſe labi, profanus meritò iudicatur, & demens. Fit autem hic habitus modis compluribus, è quibus ſufficiet pauca monſtrare. Scintillas quidam putant ab æthereo candentes vigore, parúmque porrectius tendere ſufficientes, exſtingui: vel certè radiorum flãmas iniectas nubibus denſis, acri ſcintillare contactu, aut cùm lumẽ aliquod cohæſerit nubi. Id enim in ſtellæ ſpeciem figuratum, decurrit quidem dum viribus ignium ſuſtentatur; amplitudine verò ſpatiorum exinanitum, in æſtum ſoluitur corpus, ad ſubſtantiam migrans cuius attritu incaluit nimis. *Subiungit deinde nonnulla ex Tarquitianis libris de rebus diuinis. Huiuſmodi traiectiones inter tempeſtatis prodigia numerant Arat. in Phænomen. Plinius lib. 18. cap. 35. & Virgilius 1. Georg.*

Vide Cælium lib. 11. antiq. lect. cap. 5.

Sæpe etiam ſtellas cælo impendente videbis
Præcipites cælo labi ——

& Lucanus: —— lapſa per altum
Aëra diſperſos traxêre cadentia ſulcos
Sidera —— *cur ergo putant hîc minus rectè legi;* cadunt, *quam* latent. *nimirum quia ſæpè tenebræ ſoli Criticorum offenduntur, & labuntur aliquando quantumuis clara in hoc freto coniectationis ſidera.* Cadunt *ergo* ſtellæ, *ſi de veris accipias, quia vt cecinit Lucanus:*

—— ſummis etiam quæ fixa tenentur
Aſtra polis, ſunt viſa quati ——

467 Cælum perit] *vocula*; &, *deest Moguntin. Herbip. & Venetis. has autem tenebras eleganter descripsit Pedo Albinouanus apud Senecam lib. 1. Suasoriar.* —— atque aliquis prorâ se dat sublimis ab alta

Aëra pugnaci luctatus rumpere * nisu, * Mallem visu.
Vt nihil erepto valuit dignoscere mundo;
Obstructo tales effudit pectore voces:
Quo ferimur? ruit ipse dies, orbémque relictum
Vltima perpetuis claudit natura tenebris.

nec minus, cuius cum eloquentiâ eruditio, cum eruditione sanctitas certabat, Gregorius Theologus; carm. de vitâ suâ.

—— καὶ στάσις τῶν πνευμάτων
ἔθρασε τὴν ναῦν, καὶ τὰ πάντ' ἦν νυξ μία
γῆ, πόντος, αἰθὴρ, οὐρανὸς ζοφούμενος·
βρονταὶ δ' ἐπήχουν ἀστραπῶν τινάγμασι,
καλοι, &c. —— cùm turbinis
Puppim repente vis quatit, nóxque omnia
Inuoluit vnà; non humus, non & fretum
Ætherve cerni, vel potest cælum, strepunt
Permixta densis fulgetris tonitrua, *&c. ita Billius.*

472 Aduersus Euro Zephyr.] *Homerus*:

—— omnes autem concitauit procellas
Omnium ventorum: nubibus autem operuit
Terram simul & pontum: ruit autem è cælo nox
Simul autem Eurúsq. Notúsq. incidit, Zephyrúsq. vehemens,
Et Boreas serenus ingentem fluctum prouoluens.

Ennius Annal. 17.

Concurrunt veluti venti, cùm spiritus Austri
Imbricitor, Aquilóque suo cum flamine contra
Indumari magno fluctus extollere certant.

Virgilius:

Diuersi magno ceu quondam turbine venti
Confligunt, Zephyrúsque Notúsque & lætus Eöis
Eurus equis. *Seneca lib. 8. Declamat.*

Subitò inhorruit mare, ac discordes in perniciem nostram flauere vẽti: demissa est nox cælo, & tantum fulminibus dies redditur: inter cęlum terrámque dubij pependimus. *Quæ de ventis ab Aristot. Theophras. Strabone, Vitruuio, Plinio, Vegetio & aliis tradita, congessit Rob. Valturius in lib. de re milit.*

475 Strymonius] *posuerat prius Zephyrum, sed nunc omittit, & eius loco Caurum ponit, quia procellosior & vehementior: Eurum retinet, quia sæuus & tenebricosus quodammodo, quare* nigrum *vocant. Secundus*; *ὁ μέλας οὖτ εὖρος ἐπόντισε. & Horatius*:

Niger rudentes Eurus inuertens mari,
Fractósque remos differat.

Boreas dictus Strymonius, non ab vrbe Thraciâ, sed à flumine Strymone, teste Stephano. Græcus poëta: Στρυμονίου βορέαο.

477 Manet in Austro] *non manet maris aut tempestatis aut procellæ dominium penes Austrum; deijcitur ille & deturbatur statim à possessione occupatâ. Puto nauticum vocabulum*, manere in Austro. *alludit ad naturam vtriusque venti. nam Notus pluuius est, ideo ait*; fit grauis nimbis, *&c. Auster sudificus, & aquas absumens.*

479 Nabathęa] *quod de contrariis ventis diximus, sic se habet. qui ex diametro oppositi, simul flare nequeunt; alter enim ab altero reprimitur: ceteri, nihil obstat, quo minus simul excitent tempestatem & mare turbent. sic Aristot. lib. 2. Meteor. cap. 6. Quod rectè monet Vicomercatus sic accipiendum; non quasi nullo modo simul spirare illi nequeant: id enim falsum esset, cùm Aquilone & Austro simul spirantibus, excitatâ inundatione Helice & Buris demersæ fuerint; & aliàs quoque experientia refragetur: sed quia flatus illi contrarij diu durare non possunt, necesse est alterum illorum alteri cedere.*

483 Atrum chaos] *hoc est, fuscum, obscurũ. non quod vllus color illi; sed quia nullus certus. sicut poëtæ* μέλαν ὕδωρ, *& Varro*, fluctum aquilum.

490 Excidunt ignes tamen] *Albutius in Senecæ Declamationibus.* Emicabant densis vbique nubibus fulmina, tempestates horridę absconderant diem, intumuerat mare iustis quoque nauigiis timendum. *Seneca*; Demissa est nox cęlo, & tantùm fulminibus dies redditur.

494 Prora prorę] *hoc ex Aeschyli Agamemnone sumsit.*

497 Sidit] cedit *Mogunt. placet quod Herbip. & Veneti.* sedit. *non à sedeo, sed à sido, hoc enim Priscianus dicit mutuari præteritum illius, cùm proprio careat. Pedo Albinouanus:*

—— Iam sidere limo
Nauigia, & rapido desertam flamine classem.

498 Decimus] *Euripides*: Ægęi maris vada
Vt fluctibus decumanis furant.

499 Omni decore] *vexillis & aplustris omnibus.*

501 Antemnas] *antemna à glossulis quibusdam dicitur* κέρας πλοίου. *sed minus rectè. nam illa verè lignum est decussatim malo appositum, à quo vela dependent: cornuum verò nomen, maximè apud Latinos solis extremitatibus antemnæ conuenit, vt patet ex Ouidio, Lucano, D. Isidoro: nec aliter capiendum illud Horatij, quicquid velint*; —— Sidonij cornua nautę.

502 Trunca] *non malè sic quidam, sed plures libri*; fracta. *perperam Mogunt* structura. 503 Audet] *quidam libri m. s.* audent.

Ars cessit malis] *ita quidam excusi, videtur ab N. intrusum, cui ego explicando multa olim in aduersar. sed præstat manusc. sequi & vett. excusos Venet. ac Paris. qui continent*; in magnis malis.

513 Pontus atque vndæ ferent] *detestabãtur hoc genus mortis, vt quod maximè, quia animam esse igneam & prorsus aquis exstingui putabant, sicq; se totos interire, vt ex Homero docet Synesius epist. 3. ideoq; Seruius li. 1. Aen. putat heroëm non mortem, sed mortis genus extimescere. vide Pet. Nannij Miscel-*

Miſcellanea lib.7. cui adde præter hunc Senecæ locum, alium Pedonis Albinouani: Séque feris credunt per inertia fata marinis
Tam non felici laniandos ſorte relinqui.
& Alexandri Aetoli in Apolline alium de demerſo in puteum aqua plenum Antheo: καὶ τὸ θ' ὁ μὲν ξείνων πολλὸν ἀποτόματος
ἤριον ὀγκώσει τό μιμορμένον. ἡ δ' ὑπὸ δειρὴν
ἀψαμένη, σύν τῷ βήσεται εἰς ἀΐδην.
Sicque ruit præceps hoſpes in exitium,
Infelix vndas tumulum ſortitus: at ipſa,
Collum fune ligans, huic comes Orcum adiit.
refert Parthenius cap.14. ex Ariſtotele & Mileſiacis.

Ignaua fortes fata] *optimum hoc. ſic Pedoni dicuntur,* inertia fata. *non aſſentior Moguntin. qui;* freta.

515 Pudenda] *hoc rectum ſine interrogatione. nec diſplicet cum interrogatione, quod Moguntinenſ. & Veneti:* Perdenda mors eſt? *mors ſine hoste, ſine vindictâ, iactura forti.*

517 Cladibus noſtris daret] *Paræmiam eſſe docet hanc locutionem Suidas, eamq́; vſurpauit præter citatos etiam Sophocles in Oed. Tyranno, & in Aiace, vbi ait:* Miſerandum eſt ipſis hoſtibus ſpectaculum.
non diſsimile illud: Laudaret faciem liuor quoque. *Sic Claudianus:*
—— lugenda Getis & flenda Sueuis
Hauſimus, ipſa meos horreret Parthia caſus. *nam Roma loquitur. eandem phraſim bis inuenio apud Dionyſ. Halycarnaſſ. lib.4. & 6. Orig. ſemel apud Saluianum lib.7. de prouidentiâ.*

524 Ecce] *vt in re inopinatâ, & admirandâ. ſic enim Cicero & Virgilius vtuntur, vt notat Aſconius Pedianus.*

Fulmine irati Iouis] *Virgilius:*
Ipſa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem
Diſiecitque rates, euertitq́ue æquora ventis.
Illum exſpirantem transfixo pectore flammas
Turbine corripuit, ſcopulóque infixit acuto.
huc reſpicit Seneca, & fingit fulmen à Ioue accepiſſe, quia Romani duos tantùm Deos fulminare putabant, interdiu Iouem, noctu Sumanum, teſte Plinio lib. 2. quibus confirmatur validè coniectura noſtra ſuperius indicata de fulgure Dio, & fulgure Sumano. ſuperius Herc. Oet. 852. vel ad maiorem & vehementiorem iracundiæ expreſſionem.

525 Haſta] *Grammatici, & Plato, in Cratylo, dictam innuunt* Παλλάδα, παρὰ τὸ πάλλειν δόρυ, *ab haſtæ vibratione. ideo Pauſanias in Attic. teſtatur haſtatam pingi. haſtam illi Homerus tribuit; & Claudianus tam longam, vt nubes ſuperet.*

526 Ægide] *Diodorus ſcribit Palladis clypeum contectum Aegide, hoc eſt, Amaltheæ capræ pelle fuiſſe, & in medio caput Gorgonis habuiſſe infixũ. Apollodorus quoque lib.2. Biblioth. & Albricus in lib. de Deor. imagin. volunt Meduſæ caput in medio clypei geſtaſſe. Nec repugnant Ouidius in Metamorph.*

tamorph. aut Virg. 8. Æneid., aut Bassus in Germanicum, aut Firmicus li. 2. astronom. cap. de Perseo; qui tradunt in pectore Diuæ Gorgona desecto vertentem lumina collo, *aptatam, hoc enim intelligo dictum, quia scutum pectori prætenditur. Aristides in orat. 2. scribit Palladem solam perpetuò armari Ægide & paternis armis vti. hoc est, Ægide & fulmine. propterea Maro:* Ægidáq. horrificam turbatæ Palladis arma. *vide Pier. lib. 16. Hierogl.*

528 Solus inuictus] *pulcrè hoc descripsit Cointus Smyrnæus lib. 15.*

534 Et Aiacem] *sic Moguntin. & Saxonica editio: rectè. alij;* Aiacis. *quomodo si partem secum Aiacis tulit,* Nil ille motus, *&c. nisi capillos fortè, aut exiguum quiddam.*

535 Ardua vt cautes] *ita Papinius 9. Thebaid.* —— hæret

Arduus Hippomedon, ceu fluctibus obuia rupes;
Cui neque de cælo metus & fracta æquora cedunt,
Stat cunctis immota minis; timet ipse rigentem
Pontus ——

540 Furibundum] *Mogunt.* furibundus. *Homerus hæc ita descripserat Odyss. δ'.* Αἴας μὲν μετὰ νήυσι δάμη δολιχηρέτμοισι.
Γυρῇσι μὲν πρῶτα Ποσειδάων ἐπέλασσε
πέτρῃσι μεγάλῃσι καὶ ἐξεσάωσε θαλάσσης.
καὶ νύ κεν ἔκφυγε κῆρα, καὶ ἐχθόμενός περ Ἀθήνῃ
εἰ μὴ ὑπερφίαλον ἔπος ἔκβαλε, καὶ μέγ' ἀάσθη.
φῆ ῥ' ἀέκητι θεῶν φυγέειν μέγα λαῖτμα θαλάσσης·
τοῦ δὲ Ποσειδάων μεγάλ' ἔκλυεν αὐδήσαντος
αὐτίκ' ἔπειτα τρίαιναν ἑλὼν χερσὶ στιβαρῇσιν,
ἤλασε Γυραίην πέτρην, ἀπὸ δ' ἔσχισεν αὐτήν
καὶ τὸ μὲν αὐτόθι μεῖνε, τὸ δὲ τρύφος ἔμπεσε πόντῳ.
τῷ ῥ' Αἴας τὸ πρῶτον ἐφεζόμενος μέγ' ἀάσθη,
τὸν δ' ἐφόρει κατὰ πόντον ἀπείρονα κυμαίνοντα.
ὣς ὁ μὲν ἔνθ' ἀπόλωλεν, ἐπεὶ πίεν ἁλμυρὸν ὕδωρ.
Aiax quidem in naue domitus est longos remos habente,
Ad Gyras quidem primùm Neptunus aduexit
Petras ingentes, & seruauit è mari.
Et sanè effugisset mortem, quantumuis inuisus Palladi,
Nisi impium dictum protulisset, & graue facinus patrasset.
Dixit, inuitis Diis, effugere ingentes fluctus maris.
Hunc Neptunus magnifica audiuit iactantem:
Statim deinde tridente arrepto manu forti
Percussit Gyræam petram, absciditque ipsam,
Et vnum quidē illic mansit & alterum frustum incidit mari:
Huic sanè Aiax primùm insidens valde læsus est,
Hunc ferebat per mare ingens vndosum.
Sic quidem ille ibi periit, postquam bibit salsam aquam.

Perisse volunt omnes poëtæ cum Homero: idem testatur Aristoteles in Epitaphiis, & vult in Mycono insulâ maris Aegæi sepultum. Verius tamen euasisse

ſiſſe naufragium, vt docet Timæus Locrus lib. 2. Hiſtoriar. qui ſcribit, poſt captam Troiam, multos Locrenſium naufragio ad Geræas petras interiiſſe, reliquos cum Aiace per ſummas difficultates & pericula tandem in patriam rediiſſe. Sed anno poſtea tertio, quòd eorum ditionē fames & peſtilitas ſimul inuaſerant, propter facinus ab Aiace cum Caſſandrâ nefariè patratum; oraculum conſuluere Locri, quibus reſponſum, debere Troianam Palladem ab illis per mille annos placari, miſſis ſortito quotannis Troiam duabus virginibus Locriis. Manſit illa conſuetudo diu poſtmodum, & Troiani virgines miſſas obuij capiebant & iugulabant, & iugulatas agreſtibus & ſterilibus lignis comburebant. ad bellum vſque Phocenſe retenta hæc conſuetudo & ritus. tunc demum ſacrificij vel impiæ crudelitatis potius immunitas Locrenſibus conceſſa. Timæus his verbis: μετὰ τῆς Τρόιας ἅλωσιν πολλοὶ τῶν Λοκρῶν περὶ τὰς γηρέας ναυαγησάντων ἀνῃρέθησαν. οἱ δὲ λοιποὶ σὺν Αἴαντι μόλις εἰς Λοκρίδα διεσώθησαν. φθορᾶς δὲ καὶ λοιμοῦ τὴν χώραν αὐτῶν μετὰ τὸν τρίτον ἔτος ἐχόντων, διὰ τὴν μίξιν ἀθέμιτον Αἴαντος τῇ Κασσάνδρᾳ, ἔχρησεν ὁ θεὸς, δεῖν εἰς ἔτη χίλια τὴν Ἀθήνην τὴν ἐν Ἰλίῳ ἱλάσκεσθαι, πέμποντας δύο παρθένους ἐπὶ κλήρῳ καὶ λοχήσει. καὶ μετὰ ταῦτα ἔθος ἦν τοῖς Τρωσὶ πεμπομένας προυπαντοῦσι καταχεῖν καὶ ἀναιρεῖν, καὶ τοῖς ἀκάρποις καὶ ἀγρίοις τῶν ξύλων καίειν. ὅπερ ἐποιοῦν μέχρι τοῦ Φωκικοῦ πολέμου. τότε γὰρ ἐπαύσαντο ταύτης τῆς θυσίας, μᾶλλον δὲ ἀσεβείας. *Qod Timæi Siculi fragmentum moneo, vt lector conferat cum Plutarchi, ex li. de Serâ numinis vindicta verbis, adductis in deſcriptione peſtis. vt Timæus Plutarchi, & hic illius viciſſim verba, ſatis, in re non cuiuis notâ, breuiter & obſcurè poſita, interpretetur.*

544 Et Hectorem] *quando, quæſo? nam Iliad. ν΄. ipſe cum Telamonio vix ægrè ſolum Hectorem ſuſtinet. mera iactatio, & apta furenti.*

546 Tandem] *ſic omnes libri quos vidi: nec ſententia inconcinna, etſi vehementior illa Criticorum emendatio*: Téne horream? Aliena inerti tela mittis dextera. Aliena, *fulmen Iouis. paullo antè*; Fulmine irati Iouis armata Pallas. 556 Fallax Caphareus] *Euripides in Helenâ.*

Multos prætereà ſublatam præferens facem
Flammeam, ad mari circumfluam
Euboeam, Græcos ſuſtulit
Vir vniremis, cùm Caphareis petris
Ægæique ſcopulis ſali,
Quaſſas illideret rates
Doloſo prælucens iubare. *vide ſup. Medeâ. 659.*

557 Alterna] *ad Euripum reſpicit.*

562 Lemnon] *nota Lemniarum crudelitas vel ex Valerij Flacci Argonauticis, & Apollonio, cuius Scholiaſt. lib. 1. à verſu 608. multa ex Myrtili lib. 1. Lesbicor. Theolyto, Cleone Curio, & Aſclepiade Myrleano.*

Et hinc Chalcida] *ſic legendum ex nonnullis manuſc. nam* Chalcis *Euripo vicina, ſæpè nominatur à noſtro, & verſus poſtulat. perperam Eguian. & Moguntin. Herbipolenſ. & Veneti*, &c hinc Calcedona. *Lugdunenſ. omiſſâ coniunctione*, hinc Calcedona.

563 Tar-

563 Tardam] *propter moram quam in eâ Græci traxêre.*

572 Voluntq. maria] *sic mei lib. o. præter Lipsienſ. qui malè;* voluuntq.

Cedit in luctum furor] *ſic Baſileenſ. Lugdunenſ. & Lipſienſ. perperam. rectè Burdegal. Moguntin. Herbipol. & Veneti;* cecidit in lucem furor. *procellæ inquit, detumuerūt, & ceſſare cœpit tēpeſtas, vt cœpit aurora illuceſcere.*

581 Cadat] *ſæpe hoc verbum victimis tribuit, vt ſup. chor. præcedente, & in Octau. & eſt ſollemne. vide Briſſon. lib. 1. de Formulis.*

585 Laurus quatit] *Moguntin.* lauros. *ſi ſup.*

Lauros Agamemnonias.

IN CHORVM.

Miſeriam ſuam, & quod non illâ nocte, qua Ilio extrema, cum ruente patriâ interierint, lugent; Ἰλίου ἅλωσιν narrant, & tandem Caſſandram arripit furor Phœbeius, & quæ Agamemnoni imminent vaticinatur.

585 Heu quàm dulce malum] *contra Euripides, vt loquenti perſonæ inſeruiat, etſi fateatur, omnibus inſitum vehemens vitæ tuendæ deſiderium, tamen ait infelicem vitam, felici morti præferendam. ibi Iphigenia loquitur, cui mors pœnæ, vita ſolatio; hîc Troades, quibus mors ærumnarum finis, vita miſeriarum aditus ait illa:*

τὸ φῶς τόδ' ἀνθρώποισιν ἥδιστον βλέπειν·
τὰ νέρθε δ' οὐδείς. μαίνεται, δ' ὃς εὔχεται
θανεῖν. κακῶς ζῆν κρεῖσσον ἢ θανεῖν καλῶς.
Aſpectus huius lucis eſt mortalibus
Dulciſſimus, verùm profunda Manium
Haud vllus eſt, qui concupiſcat cernere.
Neque mente ſanâ eſt quiſquis exoptat mori.
Male viuere autem ſatius, ac mori bene.

Sed veriora, quæ noſter. nam Iamblichus quoque cenſuit; Non eſſe vitam multa diuque agere, ſed bene & feliciter viuere.

586 Effugium] *hoc illud eſt, quod Perſeo Paulus Aemilius reſpondit, ipſi & ſeruitutē & ignominiam licere effugere, ſi vellet, qua de re plura iam dixi.*

Miſeros] *Moguntinen.* miſeras. *idem;* æternus. *ſed non placet.*

598 Non vrbe cum tota] *poſtulant numeri vt caſtigemus;* vrbe non totâ pop. cad. *Senſus eſt, pax caret cunctis belli incommodis: nihil eorū metuit. mox enumerat belli mala, quæ pax non timet. 1. ait non timet ciuium conuenticula, ne quid in publicam perniciem coitione factâ moliantur. 2. non timet victoris crudelitatem. 3. nec feras acies, aut ab hoſtili globo puluereas nubes excitatas. 4. nec timet neces ciuium cum totius reip. exitio coniūctas. 5. nec incendia vrbium ab hoſtibus excitata. 6. nec metuit indomitum bellū. ſolus* (aliò progreditur) *qui Inferos Maneſq; contemnit, &c. omnia perrumpet, cuncta illi cedent.* 599 Hoſtica muros] *igne hoſtili. ſic Prudent.*

Quem non fragor hoſticus.

Item: —— hoſtica quos iam
Damnatos cohibent ergaſtula.

Si

Si ausim transponerem versum vnum, atque legerem:

Non acies feras
Indomitúmve bellum
Puluereámque nubem
Motam barb. equi. cat. *&c.*
Perrumpet omne
Solus, *&c.*

603 Videt] *Schidæ Burdegalen.* adit.

606 O quàm miserum est nescire mori] *quia, vt dixit; mors malorum effugium & portus æternâ placidus quiete. Seneca consolat. ad Polyb. cap. 28.* Si velis credere altius veritatem intuentibus, omnis vita suppliciū est. *& statim;* In hoc tam procelloso & in omnes tempestates exposito mari nauigantibus, nullus portus, nisi mortis est. *multa in eandem sententiam eodem cap. & consolat. ad Martiam cap. 19. lib. de prouidentiâ sub fin. epist. 24, 26, 30, 36, 55, 71, 72, 78, 81, 83, & 100. Multa etiam Plutarch. in Consolator. ad Apollonium, & aliâ ad vxorem; & lib. 1. de Fortunâ Alexandri.*

608 Cùm Dardana tecta Dorici raperent ignes] *sic recentiores excusi: nam antiquiores;* raperetis. *m. s. quidam hoc confirmant;* in quibus, cùm Dardanica t. D. & aperetis ignes. *sic Moguntin.*

616 Saltu] *Herbip. & Veneti;* saltum. *Lucianus lib.* περὶ ὀρχήσεως *scribit Ilium inexpugnabile fuisse, donec Achilles (de ipso enim, nō de Pyrrho intelligendū) saltauit, post eius verò saltum, fuisse captū, direptū, solo æquatum.*

622 Molis immensę] *Izacius scribit Panopei filium Epeum equum Durium fabricasse; in quo quinquaginta, vel ter mille, vel, vt putat, viginti tres viri Græci ingressi latuerint. profunditatē significat Homerus, cùm ait mox ipsos in equum descendisse. Descripsit equū elegantissimè Triphiodorus plusquam triginta versibus. plerique poëtæ volunt equū fuisse, alij ex robore, vt Petronius; alij ex abiete, vt Virgilius & Propertius; alij ex corno, vt Pausanias in Laconicis. idem tamen in Corinthiac. prodidit non equū fuisse, sed machinam subruendis muris idoneam, quod Vitruuio non displicet. Sunt qui velint portam, cuius insigne pictus equus, ab Antenore Græcis apertam; sunt qui malint à Græcis equestri prælio victos Troianos, in eam calamitatem incidisse: nec desunt qui Græcos positis in Hippio monte insidiis, interceptóque Troianorum exercitu, in vrbem irrupisse contendant, vt videre est apud Vitruuium, Palephatum, Higynum, & Fulgentium.*

623 Fatale munus] *notat Seruius ter equorum gratiâ Ilium excisum vel expugnatum. primò, cùm Laomedon promissos equos Herculi non tradidisset: secundò per hunc equum ligneum: tertiò cùm Ilienses Cinnam* III. *Cos. in vrbem recipere abnuerunt. tunc enim equus valuis interceptus claudendi facultatem ademit. ideo putabant equum Troiæ fatalem. Lugdunens. Herbip. Ven. & Mogunt.* Danaumque fatale munus duximus nostra.

626 Conditos reges] *quos recensent Smyrnæus, Coluthus & Virgilius.*

628 Pelasgi] *De his, dictum alibi. vide Strabonem lib. 5. & lib. 13. Dionys. Halycarnass. lib. 1. & Thucidid. lib. 1.*

630 Murmur] tacitū, secretum, incertumq́, non vox, sed mussatio quædam. Percussit aures] verberauit. nam Stoicus, vt Archedemo in lib. de voce, Chrysippo lib. 2. Natural. Antipatro, & Diogeni apud Laërtium lib. 7. vox corporatum quid est; quia (inquiunt) omne quod facit & patitur corporatum: vox & sonus patiuntur. cùm à locis solidis & lænibus repelluntur vel refringuntur; faciunt cum auribus, vt ceræ annulus, imprimuntur. Idem censuit Epicurus, vt docet discipulus eius Lucretius lib. 4.

Principiò auditur vox & sonus omnis, in auris
Insinuata suo pepulêre vbi corpore sensum.
Corpoream quoque enim vocem constare fatendum est,
Et sonitum, quoniam possunt impellere sensum.

Contra Cyrenai & Pyrrhonici sonum nihil esse putabant, & Sex. Empyricus hoc conatur Platoni & Democrito tribuere lib. contra Mathemat. fol. 114. Peripatetici non perfectum, sed imperfectum quoddā corpus esse volunt, nempe qualitatem quandam sensilem ex violētâ corporum vel äëris collisione ac motu natā, nam nō est propriè motus ipse; sed motus, conditio est, sine quâ sonitus non ederetur, & hoc sensu à Platone in Timæo, & ab Aristotele li. 2. de animâ dicitur vox aut sonus, äëris plaga vel motus äëris resultantis. Quæ definitio prius placuit Archelao, si credimus Laertio lib. 1. Diogeni quoque Babylonio, in lib. de voce. Quod verò Themistius in lib. 2. de animâ, & alij Græci interp. Aristotelis censent, poëtas quando dicunt sonum, vocémve, aures pellere, ferire, &c. tunc sonitum & vocem pro percußione & plagâ sumi ab illis; hoc de iis tantùm poëtis recipio, qui Stoici vel Epicurei non sunt. hos enim potiùs credo loqui ex sectæ suæ disciplinâ. Videndus hac de re Aristoteles in prolixo illo & eleganti fragmento ex lib. de audibilibus περὶ ἀκουστῶν, quod nobis conseruauit Porphyrius commentar. in Musicen Ptolomæi, & exhibuit Fran. Patritius Venetus in Discußionib. Peripatet. De hac etiam äëris & auditus percußione, & de vocis magnitudine, perculsis & deiectis in Nemeæ stadium coruis, disputat Plutarchus in vitâ Quincti Flamin.

631 Pyrrhus] qui nesciebat fingere. sic enim apud Sopholem Vlyssem alloquitur: Quæ facta Vlysse audire animus horret, eadem
Patrare, morte acerbius duco.
Nihil fraude facere didici nec ego, neque quo satus
Sum patre Achilles. vi virum abducam, à dolis
Abhorreo. Ipse Euripideus Achilles, ait:
At ego educatus in ædibus viri iustissimi
Chironis, moribus insueui simplicibus.

633 Secura metu] Moguntinens. metus.

634 Gaudet tangere] ardet trahere equum. hoc studium & alacritatem Troianorum accuratè explicat Triphiodorus.

641 Festi patres] insolens hoc. mallem; festique patres.

644 Ignes] post rogo mandatum Hectorem. sic ignem pro rogo Horatius lib. 4. Od. 12. Nigrorúmque memor dum licet ignium.

647 Mœnia] muros. propriè tamen sunt murorum munitiones. Cæsar: ædif.

ædificata ab exercitu noſtro in muris mœnia. *vide Pimpontium in 2. Æneid. verſu 234.* 653 Vix exiguo ſanguine] *ſicut Ouidius:*

Exiguum ſenis Priami Iouis ara cruorem
Combiberat —— *nam ſenes fere ſanguine caſſi.*

Tingi] *alias*; tingui, *qua voce vtuntur Plinius & Tertullianus.*

666 Nobile carmen] *celebrat hoc carmen etiam Callimachus in λουτρ. Palladis.* 667 Querula edonis] *ſic Lipſienſ. & ſi bene commemini Baſileenſ. Moguntin. autem Herbip. & Veneti*; triſtis Edonis, *inuitis modulis*: *Lugdunenſ.* triſtis Ædon. *Bionis Epitaphio Moſchus*:

Neque adeo cecinit vnquam in rupibus luſcinia,
Nec tanto luctu queſta eſt in altis montibus hirundo;
Neque Halcyon deplorauit tanto dolore Ceycis interitum.

Homeri locum retuli Herc. Oet. ver. 199. Euripid. in Hecuba:

—— πάσας ὥς τ'
αἠδονος ςόμα
φθόγλας ἱεῖζα —— Omnes ſeu os luſciniæ voces emittens.

vtitur eadem comparatione Theognis, & in Trachin. Sophocles, item Oppianus & Smyrnaus relati à Guellio ad 4. Georg. ridicula quædam Pierius ex Ioanne Grammatico, lib. 22. Hieroglyph. de Philomelâ & Procne; *de quibus fragmentum illud vetuſtæ tragædia apud Victorinum:*

Struunt ſorores Atticæ dirum nefas.

669 Tectis ſiluis] *ſic Moguntinenſ. Herbip. Veneti, Baſilienſ. Lipſienſ. magis tamen ad verum Lugdunenſ.* Tectis ſummis. *in domo enim, & ſub ſummo tecto nidificant hirundines.*

Biſtonis] *Thracia. Philoſtephanus*: Βίςονες ἔθνος Θρακῶν, ἀπὸ Βίςονος τοῦ κίκονος. 675 Iſtrum cygnus] *Moſchus vbi ſuprà*:

Στρυμόνιοι μύρεσθε παρ' ὕδασιν ἄλλινα κύκνοι.
Strymonij cygni miſerabiliter lugete apud vndas.

has ſimilitudines pleraſq., quaſi remouens, callidè poſuit Papinius lib. 5. Silu.

Non ego quas fati certus ſibi voce canorâ
Inferias præmittit olor; nec rupe quod atrâ
Tyrrhenæ volucres voce prædulce minantur,
In patrios adhibebo rogos; non murmure trunco
Quod gemit & duræ queritur Philomela ſorori.
Nota nimis vati. quis non in funere cunctos
Heliadum ramos, lacrymoſaque germina dixit?
Et Phrygium ſilicem, atque auſum contraria Phœbo
Carmina —— *Lucretius de oloribus*:
Cùm liquidam tollunt lugubri voce querelam.

676 Halcyones] *in Octauiâ*: —— atque æquoreas
Vince Halcyonas. *Pacuuius in Teucro*:
Halcyonis ritu litus peruolans feror.

Has volucres earumq. luctum omnium elegantiſſimè olim deſcripſit Sappho, teſte Demetrio Phalerao in lib. de elocutione. comparationem earum vſurpa-

runt quoque Moschus, & Euripides. Femella Damar, masculus Cerylus vocatur, teste Pausaniâ, & Antigono Carystio, & Wottono, quibus non placet Cerylum ab Halcyone distingui, quod Aristoteli visum. Nidificant tempore hyemis, quod tempus, Halcydonia, *dicitur, durat fœtura diebus, vel septem iuxta Demagoram, vel nouem iuxta Philochorum, vel vndecim iuxta Simonidem, vel quatuordecim iuxta plerosque, septem ante brumam, septem à brumà. eo tempore mare sternitur & pacatur, postmodum rursus hiemat. hoc innuit Theocritus*: χ' ἁλκυόνες ϛορεσεῦντι τὰ κύματα τάν δε θάλασσαν τόντε νότον, τόντ' εὖρον. Halcyones sternunt fluctus & mare, & Notum & Eurum. *de naturâ & nidificatione illarum videndi Aristoteles lib. 5. de histor. anim. cap. 8. Plutarch. lib. quæ animal. magis rat. vtantur, Plinius lib. 2. cap. 49. & lib. 10. cap. 32. Wottonus lib. 7. de differ. animal. cap. 143. Quod ad fabulam, Hegesander & Izacius volunt, in eas mutatas fuisse septem Alcyonæi gigantis filias: pleríque malunt (vt noster) Ceycem regem Trachiniæ, & Alcyonem eius vxorem. vide Lucianum in Alcyone, & Ouid. lib. 11. Metamorph. Græci codices, quidam vocem aspero spiritu, alij leni afficiunt: mallem cum plerisq. minus hiare.*

676 Fluctu-plangente] *Lucretius lib. 2.*

Nec mare nec fluctus plangentes saxa crearunt.

682 Imitata] *fragmento Varronis citato in Aduersar. addendum existimo hunc quartum versiculum*:

Phrygios per ossa cantus liquida canit anima.

liquidam animam, Horatius liquidam vocem *dixit*: *& prius Lucretius* liquidas auium voces, *&* liquidum carmen citharę Ossa *verò vocat tibias ex ossibus fieri solitas, teste D. Isidoro. Hos Gallos etiam Seneca* semiuiros *vocat epist. 109.* Nęc aliter concitantur, quàm Phrygij solent tibicinis sono semiuiri, & ex imperio furentes. *Mulieres videtur vocasse Diogenes in Semele, apud Athenæum lib. 14. cap. 14.*

καὶ τοι κλύωμεν Ἀσιάδος μιτρηφόρους
Κυβέλας γυναῖκας παῖδας ὀλβίων Φρυγῶν,
τυμπάνοισι καὶ βομβοῖσι καὶ χαλκοκτύπων
βόμβοις βρεμούσας ἀντὶ χερσὶ κύμβαλων, *&c.*
Certè audiamus Asiadis mitras ferentes
Cybeles mulieres filias beatorum Phrygum
Cum tympanis & sonitibus & æreorum
Strepitu frementes manibus cymbalorum, *&c.*

Hi tamen semiuiri Phryges, Dindymenes vaga pecora, cicurabant sæuissimos leones, si Varroni credimus, in ὄνος λύρας, *scribenti*: Non vidisti simulacrum leonis ad Idem, eo loco, vbi quondam subitò cùm vidissent quadrupedem Galli, tympanis adeo fecerunt mansuem, vt tractarent manibus. *corruptissimè hæc apud Nonũ in* mãsuetè; *castigaui ex cõiecturâ.*

684 Turritę parenti] *Cybelli.* turrigeram *vocat Propertius li. 3. eleg. 16.* turritam *lib. 4. eleg. vlt. quia cùm Midæ ciuitas clausa esset, capite muros sublenauit, & ita fuit ingressa, vel quia,* primis turres vrbibus illa dedit: *ideo*

turri-

turriferâ caput est ornata coronâ. *prior causa ab Arnobio lib. 5. contra gent. posterior ab Ouidio in Fast. redditur.*

Laceret brachia] *sæuitiæ causam aßignat Ouid. 4. Fastor. nec in brachia tantum crudeles. Lactantius lib. 5. cap. 9.* qui virilia sua ferro metant, &c, id, quod est sceleratius, vt sint religionis antistites. *de Gallis enim loquitur: quod verò addit;* qui ne vitæ quidem suæ parcant, sed exstinguendas publicè animas suas vendant: *hoc ad liberos homines, munere gladiatorio operas locantes referendum.*

685 Buxum ferit] *buxeas tibias inflat, sic Statius, sic Claudianus, & alij;* buxi, *voculâ sunt vsi: buxo illi canebant, sed pinu pectora illidebant, & hoc Statius, Claudianus, Lampridius docent.*

686 Atym] *de Aty & Cybele, vide Ouid. li. 4. Fast. cuius fabula videtur profluxisse ex historiâ Stratonices & Cambali, quam narrat Lucian. in li. de Syriâ Deâ. vide Lilium Syntag. 4. Antiquæ inscriptiones geminant* t, Attis.

688 Quia vicere modum] *Apud Sophoclem Electra, dicentibus illam luctui modum adhibere debere, respondet:*

καὶ τί μέτρον κακότητος ἔφυ, φέρε.
At nostri rogo quis modus est mali?

689 Sacratas] *Apollini.* Infulas] *filamenta lanea, quibus Cassandræ caput velabatur; ex Festo.* Diripis] *quia promisso & fuso capillo vaticinabantur. Plautus:*

Hariolus fiam, capillum promittam.
Tibullus lib. 2.
Hæc cecinit vates, & te sibi Phœbe vocauit:
Iactauit fusâ sed caput ante comâ.

690 Miseris] *Albutius apud Senecam lib. 8. Declam. 1.* Magis Deos miseri, quàm beati colunt. *& postea;* Diligentiùs Dij coluntur irati.

703 Induit vultus] *mutata fuit in canem: confictam fabulam volunt Plautus in Menæchm. & Cicero 3. Tuscul. propter eius in Græcos maledicta & diras: quod significare voluit Ausonius, his versibus:*

Quæ regina fui, quæ claro nata Dymante,
Quæ Priami coniux, Hectora quæ genui,
Hîc Hecuba iniectis perij super obruta saxis:
Sed rabies linguæ me tamen vlta prius.
Fidite ne regnis, & prole, & stirpe parentûm,
Quicunque hoc nostrum σῆμα κυνὸς legitis.

Hæc Hecubæ Metamorphosis, & similes mutatorum in bruta vel dæmonum vindictâ, vel operâ magorũ, fuêre non veræ, sed præstigiosæ tantũ, & oculis hominum apparentes. læsâ namque fantasiâ illorum, qui se trãsformatos putabant, & aliorum delusis oculis, tales videbantur. Sic enim intelligenda, quæ de Lycanthropis, & aliis mutatis in iumenta, vel alia animalia prodiderunt, Clemens Roman. lib. 1. & 7. recognit. Nicephorus lib. 2. cap. 27. D. Isidorus lib. 8. Origin. cap. de Magiâ, Apuleius in Apologet., Lucianus in Lucio, Plinius lib. 8. cap. 22. Saxo in Danicâ histor., Olaus in Aquilonari, Guilhelm.

Tyrius in Histor. belli sacri, Campo Fulgos. lib. 8. exemplor. cap. 11. Vincentius Belluacens. lib. 5. speculi cap. 109. Trithemius in Histor. de Baiano Iudæo, Faius in Energumeno, & Fernelius lib. de abditis rerum causis. Nam verè dæmones virtute sua formam propriam & naturalem hominis in aliam transmutare non posse, & soli hoc Deo reseruatum, non est dubitandum. communis enim Theologorum schola hoc docet. cum D. Augustino lib. 18. de Ciu. Dei cap. 18. & lib. 3. de Trinit. cap. 7. & S. D. Thom. in quæst. disputatis q. de dæmon. & in 2. sent. d. 7. & D. Bonau. eadem distinct. a. 2. q. 2. num. 78. Albert. Magnus ibid. ar. 7. Sprenger in malleo maleficar. Spina q. de Strigib. Henricus Coloniens. tract. de Lamiis, Petrus Mamoreus in lib. de Sortileg. Fran. Victoria in relectione de arte magica circa fin. Alf. Castro lib. de iustâ hæret. punit. 1. c. 14. Binsfeldius de confess. maleficor. concl. 2. & 3. Nam quæ de hac re N. in Dæmonomaniâ, non satis securâ.

712 Leuat caput] *flexibile caput fanatici iactabāt. vnde Vinianus I.C.* Si seruus inter fanaticos non semper caput iactaret. *l. 1. D. de ædili. edic.*

715 Impatiens Dei] *Vates dicebantur* Deo pleni. *Imitatur Virgilianū locum 6. Æneid.*

At Phœbi nondum patiens, immanis in antro,
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse Deum, tanto magis ille fatigat,
Effera corda domans, fingitque premendo.

conatur enim excutere Cassandra cùm inquit:

Quid me furoris incitam stimulis noui, *&c.*

720 Cui bacchor furens] *ex Viuiano Vlpianus*: quamuis aliquis aliquando circa fana bacchatus sit, & responsa reddiderit.

724 Gemino sole] *Cur ebrij & enthei, quæ singula sunt, gemina sibi cernere videantur, vt apud Nicandrum in Alexipharm. Philostratum lib. 2. de vitâ Apollonij, & alios; causam reddunt Aristoteles sect. 3. problemat. q. 10. Lactantius lib. de opific. Dei cap. 9. Hieron. Fracastorius lib. de Intellectione fol. 193. Toletus lib. 2. de animâ. q. 16. de hac phrasi vide Muretum li. 7. var. lect. cap. 24.* 732 Ferrum Amazonium] *securim. Horat. lib. 4.*

——— Amazoniâ securi Dextras obarmet ——— *ipsi Clytemnæstræ videtur eam tribuere voluisse. nam cur Sat. 1. lib. 1. cecinit;*

——— at hunc liberta securi
Diuisit medium fortissima Tindaridarum;

nisi ad hoc Clytemnæstræ scelus respiciens?

733 Alta] *Moguntin. Herbipol. Veneti*; alia.

739 Frater] *Hector.* 744 Troile] *Ausonius*:

Hectore prostrato, nec Diis, nec viribus æquis
Congressus perij Troilus Æacidæ.
Raptatus bigis, fratris coniungor honori:
Cuius ob exemplum nec mihi pœna grauis.

750 Victámque] *meam, & Agamemnonis.*

765 Senex] *Tantalus.* 768 Mœstus] *propter pronepotis necem.*

770 Pa-

770 Pater] *tritauus. nam Dardanus genuit Erichtonium, hic Troem, Tros Ilum, Laomedontem Ilus, Laomedontis filius Priamus genuit Cassandram, Homerus Iliad.20. & Dionys. Halycarnass. lib.1. vide de Dardano Schol. Apollonij lib.1.ver.916.*

776 Coniuxque pariter] *multo sanè rectius cod. ille aliorum;* Et festa coniux. *obuiam enim produsse marito decet, lætitiam facie & ornatu vestium præ se ferentem; vt incautum opprimeret.*

In Act. IIII.

Furentis Cassandræ & Agamemnonis reducis colloquium; hic illam cum ceteris captiuis præmiserat in regiã, quasi donũ Clytemnæstræ, reipsâ pellicẽ.

784 Gelido latice] *putabat passam* λειποψυχίαν, *cui gelida adhibebatur, auctore etiam nostro lib.4. Nat. quæst.cap.13.*

789 Helena est] *non aderat ibi; sed furens Cassandra videt, quæ non erant. Helenæ impuri mores noti, rapta à Theseo, post nupsit Menelao; huius thorum reliquit, adulterum Paridem secuta. nec Paridi fida, sed in Ilio cum priuigno Corytho, Paridis & Oenones filio, commisit incæstum, iuxta Hellanicum in Troicis & Cephalonem Gergithium; vel cum proprio filio, iuxta Nicandrum, quem his versibus, hoc docuisse, censet Parthenius cap.34.*

ἠρίατ' ἐν ἀΐδαο κατοιχομένου κορύθοιο,
ὅν τε καὶ ἁρπακτοῖσιν ὑποδμηθεὶς ὑμεναίοις,
τυνδαρὶς αἰν' Ἀχέουσα κακὸν γόνον ἤρατο λέκτρω.

Hic tumulus Corythi, nuper qui missus ad orcum
Est, patrium obscuris thalamum fœdare hymenæis
Ausus, amore Helenes; genitus qui est ante bubulco.

Sed mihi videtur Nicander potiùs significare, genitum à Paride, cùm adhuc pasceret armenta patris, quo tempore Helenam nondum nouerat.

794 Nullum est periculum tibi. cas. at magnum tibi est] *sic Lugdun. sed ceteri omnes;* n.e.p. tibimet. *quod verò dixit:*

Mors mihi est securitas, *ab Ouidio est, qui:*
Mors mihi munus erit.

800 Ad quem triumphi] *Ioni deferebantur & dicabantur triumphalia spolia, Romæ* Feretrio, *in Græcia* νικηφορῷ; *de quo Liuius belli Macedonici lib. 2. & Spartianus in Hadriano: vel alludit ad Iouem* prædatorem, *cui pars aliqua prædæ debita, teste Seruio 3. Æneid. vel denique ad Iouem* τροπαῖον *seu* τροπαιοῦχον, *cuius mentio apud Plutarchum, Pausaniam & Aristidem. Sed & Romanis Iupiter* Triumphator, *de quo Iustus Lipsius, mihi & eruditionis (quæ cunctis nota, quibus litteræ non ignotæ) & pietatis & religionis Catholicæ ardoris, (qui mihi perspectus) nomine gratissimus, me monuit.*

In Chorum.

Canunt Argiuæ Pæanem Diis auxiliariis & patriis.

812 Geminauit] *duæ noctes in vnam coäluere, test. ib. Ouidio, & D. Hier. contra Vigilantium; vel tres, iuxta D. Gregor. Nazianzenum Orat. contra*

Iulia-

Iulianum, & in Orat. de festo luminum, Aristidem Orat. in Herculem, & Senecam li. de breu. vita cap. 16. Nouem, vt Clem. Alexandrinus, ita & Tatianus in Orat. contra Græcos. quare nugas sit opinor; qui Arnobium, solitum sequi Clementis traditiones; duabus noctibus substitutis, hac quidem parte, putans emendare, deprauauit. nam Clemens ait: Iuppiter ille tot cum Alcmenâ noctes libidini impendit. non enim illi libidinoso nouem noctes longæ. 815 Senis] *Tithonum, Laomedontis vel filium vel fratrem potiùs, Aurora rapuit, vt sibi maritus esset, & fecit immortalem; sed vita pertæsus, exuit hominem, induit cicadam. consule Hygini fabulas cap. 189. & 270. & Apollodorum lib. 3. Biblioth. & Lylium Syntagm. de Aurorâ. senectus huius Adagioni causa fuit. Et, si aduertistis, trium senum à Græcis commemoratorum, iam hac & præcedenti tragœdiâ Seneca meminit.*

826 Fulmineus] *rapidus. sic vtuntur: quia fulmen celerrimè decidit. ideo Pausanias putat Ptolomæum vocatum κεραυνὸν, vt docet fusè de hoc disserens Pierius lib. 43. Hieroglyph. suspicor Scipiadas ob eandem in bellicis exsequendis, & victoriis obtinendis velocitatem, more Græco, nuncupatos,* duo fulmina belli. *deciderat hic leo ex orbe lunæ. Nam Epimenides quoque inducit quendam dicentem, se ferum leonem, pulchricomæ lunæ genus, terribilem tuba, & fortem viribus, in Nemeam duxisse ad venerandam Iunonem.*

καὶ γὰρ ἐγὼ γένος ἐμμὶ σελάνας ἠϋκομόιο
ἃ δεινὸν φρίξασ' ἀπεσείσατο θῆρα λέοντα,
ἐς Νεμέειαν ἄγοισ' αὐτὸν διὰ πότνιαν ἥραν.

831 Morte fœcundum] *Hydram, quæ moriens augescebat, renatis duobus pro vno capitibus.*

833 Fratres] *simul natos vno in corpore tres fratres Iberos.*

840 Non pauit] *Lips. addidêre negationem; quæ in reliquis libris deest.*

842 Sæuis] *Moguntinens.* sæuum.

845 Spolium] *baltheum militarem, quem gerebant virgines illæ vnimammæ. Virg. Aeneid. 5.*

Alter Amazoniam pharetram, plenamq; sagittis
Threiiciis; lato quam circumplectitur auro
Balteus, & tereti subnectit fibula gemmâ.

Hippolytes ergo Hercules cum baltheo pharetram accepit, si vulgatam lectionem retinemus, rapi spolium & sagittas: *sed si malles emendari*; rapi spolium. & sagittis Nube percussa *&c. vt ex ipsis nubibus Stymphalidas sagittis petierit, tunc solum baltheum eripuit.*

847 Decidit] *quidam m. s.* cecidit. 851 Lamna] *sic Valer. Flaccus.*

——— iam pinus gracili dissoluere lamnâ.

852 Frigidus custos] *Draco, noxius & veneno plenus. sic Virgilius frigidum anguem vocauit.* 857 Colorem] *ipsa lux colorata non est, sed color sine luce cerni non potest, teste Aristotele lib. περὶ αἰσθήσεως, & Lucretio lib. 2. hoc sensu color luci à poëtis tribuitur; quia colores illa prodit, quos celant tenebræ.* 860 Totidem diebus] *decimo igitur die Hercules Troiam expugnauit, quod non memini alibi legere.*

IN

IN ACT. V.

Foris existens Cassandra prophetizat, & quæ intus gerebantur, absens, vt præsens, narrat. Fugit Electra, & absconso traditóque Strophio, paruulo Oreste fratre suo, se Cassandræ in arâ adiungit: sed inde ab adulteris detrahitur, iugulaturq́; Mænas Priameïa.

865 Vicimus victi] *poëta quidam;* —— victos vincere posse putet. *tales victorias Græci* Cadmæas *vocant: Latini,* pugnas Osculanas, *quâ adagione Festus ait significari victos vincere. Titinnius:*

Hæc quidem quasi osculana pugna est, non secus.
Quia hinc qui fugere impulsi, spolia colligunt.

nam spolia legere, victoriæ adeptæ signum.

871 Epulæ] *ipse Agamemnon Odyss. λ'. sic narrat:*

ὡς ἀμφὶ κρητῆρα τραπέζας τε πληθούσας
κείμεθ' ἐνὶ μεγάρῳ, δάπεδον δ' ἅπαν αἵματι θῦεν. *&c.*

vt circa crateras mensasque plenas iacebamus in ædibus, pauimentum autem totum sanguine maduit, *& cet. descripserat idem conuiuium in Aegistho Andronicus, vt patet ex fragmento:*

—— In sedes collocat se regias
Clytemnæstra iuxtim, tertias natæ occupant. *occisus ergo inter epulas; quæ reuerendæ sunt vel in Euxino ponto, inquit Marcellinus li. 30.*

885 Inun] *ideo hanc vestem vocant ἄπειρον, Sophocles in Polyxenâ. Euripedes in Electrâ, & Philostratus in Cassandræ imagine, vbi hanc cædem & conuiuium ornatè describit.*

887 Adigit] *Moguntin. Herbipolens. & Veneti;* agit.

888 At ille] *sic Herculem apro comparat Hesiodus in Scuto.*

892 Disiicere] *Moguntinens. Herbip. & Venetus;* Dissicere. *sed plerique m. s. & alij excusi;* disijcere. *& puto melius hic conuenire, quàm vetus illud & probum, Prisciano & aliis notum, paßim in Virgilij, Valerij, Ouidij, Prudentij & Lactantij membranis, à mercium istarum propolis inuentum.*

Hostem quærit] *apud Homerum ait:*

—— αὐτὰρ ἐγὼ ποτὶ γαίῃ χεῖρας ἀείρων
βάλλον ἀποθνήσκων περὶ φασγάνῳ ——

ceterum ego à terra manus sublatas iactabã moribundus ad gladium.

893 Bipenni] *Nonius:* Bipennis securis anceps & ex vtraque parte acuta. *Isidorus lib. 19. Origin. cap. 19. Securis* vocatur eo quòd eâ arbores succidantur, quasi *succurris.* item *securis*, quasi *semicuris*: ex vnâ enim parte acuta est, ex alterâ fossoria: hæc & apud veteres *penna* vocabatur; vtramque autem habens aciem *bipennis.* nam, *bipennis* dicitur, quod ex vtraque parte habeat acutam aciem, quasi duas pennas. *pennum* autem antiqui acutum dicebãt: vnde & auium pennæ, quia acutæ. & ecce nomen quod reseruauit antiquitatem, quia veteres dicebant, *pennas*, non *pinnas. Hæc ille. ex quibus primùm animaduerto veteres anceps ferrum, adiectiuè vocasse* bipenne, *& sic sumi à Varrone, quem Nonius citat;* Ferens (*inquit*) ferream humero bipennem securim. *sicut & in illo eiusdē Var-*

ronis; Quarum bipennis fulminis plumas vapos Perussit—— *Secundò nostras hallebardas verè bipennes esse. nam Vegetius quoque lib. vlt.* Bipennis, securis est, habens ex vtraque parte latissimũ & acutissimum ferrum. *Tertiò dissentire D. Isidorum à Fabio, nam Fabius, vt vulgò legitur, videtur opinionem illam refellere, his verbis*; Nec miretur, cur ex *scamno* fiat *scabellum*; aut à *pinna*, quod est acutum, securis vtrimque habens aciem, *bipennis*: ne illorum sequatur errorem, qui quia à pennis duabus hoc esse nomen existimant, *pinnas* auium dici volunt. *lib. 1. cap. 5. vbi legendum puto*; pennas auium dici volunt. *vt Fabius censuerit, pennas dici non debere*; *sed* pinnas.

894 Colla taurorum] *Agamemn. Odyss. λ'. se tauro immolato comparat.*

896 Librat] *Egnianus*; vibrat. 897 Habet] *videtur prouerbium sumtum à ludo gladiatorio. Prudentius in Psychoma.*

Hoc habet, exclamat victrix regina. supremus
Hic tibi finis erit——

901 Fodientem adiuuat] *sic in huius auxilij vindictam apud Sophoclem Electra Oresti auxiliatur:*

OR. Ego quidem oculis pallio
Obiecto, matrem aggressus sum,
Ensem in ceruicem adigens.
EL. Ego autem hortatu tibi institi
Simúlque adiutaui gladium.

910 Furabor] *tegam. nam fures rem tegunt, vnde furari & clepere, idem quod tegere. vide Thebaid. ver. 470.*

914 Strophius] *malè Lugdun.* Strophilus. *nam Anaxibia soror Agamemnonis Criso marito Strophium hunc peperit; cuius alius Strophius ex Pylade nepos fuit. Pausanias in Corinthiac. Scholiasti Apollonij fons quidam Thebanus στροφίν.*

915 Elea inclytus palma] *palma ponitur aliquando pro ipsâ victoriâ, quod plebeculæ litterariæ non ignotum est: aliquando pro palmæ arboris ramusculo, qui in victoriæ signum dabatur (cuius ritus causam reddidit ex Aristotele & Plutarcho Pierius lib. 50. Hieroglyph.) in Olympiis quidem palmæ ramus cum oleaginâ coronâ. quod non*

Difficile est ratione docere & vincere verbis.

Apuleius de Olympionicâ; Ibat tertius (*inquit*) attollens palmã auro subtiliter foliatam. *Vitruuius li. 9.* Athletis, qui Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea vicissent, Græcorum maiores ita magnos honores instituerũt: vti non modò in conuentu stantes cum palmâ, & coronâ, ferant laudes, *&c. coronam in capite, palmam manu ferebant. innuit Seneca; paulo post*:

Cape hoc decorum ludicri certaminis
Insigne frontis; læua victricem tenens
Frondem virenti protegat ramo caput,
Vt ista donum palma Pisæi Iouis
Velamen eadem præstet atque omen tibi.

Et de hoc ramo putarim intelligendum illud Virgilij 3. Georgic.

Seu quis Olympiacæ miratus præmia palmæ.

& Horatij Od.1. lib.1.

Sunt quos curriculo puluerem Olympicum
Collegiſſe iuuat, metáque feruidis
Euitata rotis, palmáque nobilis, *&c.*

& lib.4. Od.2. ——— quos Elea domum reducit
Palma cæleſteis ——— *& Propertij*:
Eſt quibus Eleæ concurrit palma quadrigæ.

denique Statij lib.10. Theb.

Natus ad Elæas melior qui ſurgere palmas.

Eoſdem Pindarus ſignificat aureâ quoque coronâ inſignitos: ſed auream eo loco arbitror vel pro foliatâ auro, vel pro pulcrâ, & glorioſâ poſitam.

920 Electra] *de hac ita ſcribit Ælianus lib.4. ποικίλης ἱϛορίας.* Xanthus auctor carminum, qui fuit legatus Steſichori Himeræi, dicit Electram Agamemnonis filiam antea non eſſe appellatã hoc nomine, ſed Laodicen. Poſtquam verò de medio ſublatus eſt Agamemnõ, & Ægiſthus vxorem accepit Clytæmneſtram, regnúmque gubernauit, ipſam caruiſſe coniugali lecto, & in virginitate conſenuiſſe. Quamobrem ἠλέκτραν Græci eam nominarunt, quòd expers mariti vixerit, & lectum coniugalem non cognouerit.

930 Poſcunt fidem ſecunda, at aduerſa exigunt] *amico felici non niſi gratuita fides reddatur; amico afflicto & oppreſſo planè debita, quam non prece impetrare, ſed ſuo iure exigere poßit. Apud Euripidem Oreſtes ait:*

——— τοὺς φίλους.
ἐν τοῖς κακοῖς χρὴ τοῖς φίλοισιν ὠφελεῖν
ὅταν δ' ὁ δαίμων εὖ διδῷ, τί χρὴ φίλων,
ἀρκεῖ γὰρ αὐτὸς ὁ θεὸς, ὠφελεῖν θέλων
——— amicos in malis
Prodeſſe amicis conuenit. nam quàm diu
Fortuna ridet, quidnam amicis eſt opus?
Solus fauentis ſufficit ſortis fauor.

932 Inſigne frontis] *Oleaginam coronam, teſtibus Ariſtotele, Pindaro, Plutarcho: conſuetudinis cauſam reddit Pierius lib.53. Hieroglyph.*

933 Protegit] *lego*; protegat. *ex Eguiano, in quo*; proteguat.

934 Et iſta] *malo*; vt iſta domum.

944 Et ſigna] *totum carmen deficit Moguntin.*

950 Quo more] *Virgines Græcas rarò in publicum prodiiſſe intelligimus etiam ex Euripide, apud quem cùm in Oreſte rogaſſet Electram Helena, vt pro ſe capillorum inferias & libamina offerret ad Clytemnæſtræ ſepulcrum; illa verò moneret vt Hermionam potius filiam ſuam eò mitteret, ſi ſic ipſamet Græcorum conſpectum formidaret; reſpondet Helena, honeſtum non eſſe virgines cœtus ſequi:*

εἰς ὄχλον ἕρπειν παρθένοισιν οὐ καλόν.

D. Hieronymus scribens ad Christianam virginem, ei præcipit, Nunquam exeat foras, ne inueniant eam, qui ciuitatem circumeunt, ne percutiant, vulnerent, auferantq́ pudicitiæ theristrum & nudam in sanguine derelinquant. Nec ipsas quidem maritatas discursatio inutilis vnquã decuit: οἰκουρία *semper laudata ab omnibus, & à D. Paulo. Ascribam vetus epigramma Italicum Fabricæ marmori insculptum, quo mater familias laudatur, quod cùm illi & pedes ad vagandum, & lingua suppeteret ad garriendum, voluntas defuit.*

Hospes quod deico paullum est, asta & pellege.
Heic est sepulcrom haud pulcrum pulcrai feminai,
Nomen parentes nominarunt Claudiam:
Suom mareitum corde deilexit souo:
Gnatos duos creauit, horunc alterum
In terra linquit, alium sub terrâ locat.
Sermone lepido, tùm autem incessu commodo
Domom seruauit, lanam fecit. dixi. abei.

Matronis Romanis olim in primâ domus parte ἐν τῷ προθύρῳ *stare licebat, & per totam domum vagari; non Græcis, quæ in parte tantum interiore versabantur domus, quo nemo nisi cognatus accedebat,* quę (*inquit Cornelius Nepos*) Gynæconitis appellatur: *de quâ multa Vitruuius lib. 6. cap. 10. Pars ædium altera, in quâ viri degebant,* Andronitis *nominatur, à Laërtio in Diogene Cynico, & Xenophonte in Oeconom. Vide Lambinum in Præfat. Æmilij Probi.*

Virgo] ἐμφατικῶς. *nam Græci* παρθένον *nominant,* ἀπὸ παρὰ θέσιν τῇ μητρὶ, *quod apud matrem custodita manere debeat. contra Chaldæis scortum placuit vocare, foras prodeuntem* בָּרָא נַפְקָא *quod meretriciũ sit foris vagari.*

952 Natam tuam] *Peleus apud Euripidem in Andromacha:*

——— imitantur enim
Materna probra. & id videte mihi ô proci
Bonâ prognatas matre vt ducatis filias.

Et Hebræis notum Adagium, Qualis mater, talis filia: *de quo multa Dauid Cimbi, ad Ezech. cap. 16. Iuuenalis:*

Scilicet exspectas vt tradat mater honestos
Atque alios mores, quàm quos habet? vtile porro
Filiolam turpi vetulæ producere turpem.

953 Pietatem doces] *Moguntin. Herbipol. Veneti*; eia tandem doces.

954 Animos viriles] *idem tribuit Electræ soror eius Chrysothemis apud Sophoclem in Electrâ:*

ποῖ γάρ ποτ' ἐμβλέψασα, τοιοῦτον θράσος
αὐτή θ' ὁπλίζῃ, κἄμ' ὑπηρετεῖν καλεῖς.
οὐκ εἰσορᾷς; γυνὴ μὲν, οὐδ' ἀνὴρ ἔφυς·
Qua freta tandem spe ipsâ tam temerariâ
Te audaciâ armas, atque me in periculi
Consortium vocas? parum te feminam
Expendis esse, non virum satam.

957 Et esse demens] *Ibidem:* σθένεις δ' ἔλαττον τῶν ἐναντίων χεροῖν.

Viribus

Viribus hostibus longè & potentiâ imparem.

958 Nobis? *repetit dictum ipsum Clytemnæstræ.*

959 Indomita] *turpe enim verbis cum eo contendere, quem reipsâ coërcere valeas. hoc ait apud Sophoclem in Aiace:*

ἄπειμι καὶ γὰρ αἰσχρὸν, εἰ πυθοιτό τις,
λόγοις κολάζειν, ὧ βιάζεσθαι παρά.
Abſcedo. nam quæ turpitudo, velle eum
Sermone castigare, qui cogi potest.

960 Regina frangam] *mira hic varietas lectionis. notat Lipsius in vno suo manusc. deesse multa, hoc modo:*

Regina frangam. citius interea mihi
Edissere vbi sit gnatus. *& addit alia illa esse frigidula, esse & quæsita. Mihi videntur aptißima iurgantibus mulierculis, quæ non tam quid decet, vel rationi consentaneum est; quàm quod impotens ira in buccam protrudit, effutiunt. Quare non tollenda penitus, sed suo loco reponenda sunt, vt habentur in Moguntin., vnius præterea litterulæ transpositione, cuncta concinnanda, hoc pacto:*

EL. Nobis? quis iste est alter Agamemnon tuus?
Vt vidua loquere. vir caret vitâ tuus.
CLYT. Indomita posthac virginis verba impiæ
Regina frangam citius. interea mihi
Edissere vbi sit natus, vbi frater tuus?
EL. Exiit —— *Sensus: cùm Clytemnæstra quæsiuisset, quomodo illa putaret, se duobus parem esse, & vteretur voculâ istâ;* Nobis. *parum memor interfectum à se maritum, & adulterum, non maritum, adesse: Respondit Electra; quid, ais,* Nobis? *quis iste alter tuus maritus. occidisti maritum tuum, & tam citò tibi alium iunxisti? iacet cæsus vir tuus. vidua es. vt vidua loquere: non vt iuncta viro.* CLY. *non immemor sum me viduam· sed memor etiam, reginam. quam nequeo animi tui ferociam, materno iure flectere; frangam sceptro, domabo malo, idq́ citius, quàm verbis tecum velitando. licentia tua conuiciandi, neque frenum neque modum admittit vllum. Interea, hoc vnum quæro, vbi, &c. Retineo igitur;* Nobis. *transpono versiculum secundum ex Moguntin. muto;* tu, *in* vt, *ex coniecturâ. malo cum reliquis;* posthac, *quam cum Lipsiensib.* post hæc. *& cū omnibus aliis;* frangam citius, *quam cum eodem Saxonico lib.* mitius. *cetera confirmant omnes m. s. vt olim in Aduers.* 966 At iratæ] *membranæ Burdigal.* iniustæ.

972 Peractum] *restat vt impuratam manum sanguine maritali, filiali cruore abluas. tunc facinus patrasti, nunc eris misericors. ablue ergo cruorem illum meo sanguine. non placet, quod Mogunt.* paratum.

973 Obsoletam] *male Moguntinens. Veneti, & Herbipolens.* absoletam. *hinc Tertulliano,* obsoletare manum sanguine.

983 Aut animam] *sic Lucretius dixit,* vitam reddere.

991 Rudis est tyrannus] *Chrysothemis apud Sophoclem in Electrâ:*

οὐ γὰρ θανεῖν ἔχθιστον, ἀλλ᾽ ὅταν θανεῖν

χρῄζων τις, εἶτα μηδὲ τοῦτ' ἔχῃ λαβεῖν.

Neque graue mortem cenſeo, ſed cùm mori
Deſideras, non poſſe te illud aſſequi.

quibus ſimilia quædam exſtant apud Euripidem in Hippol. & ideo Troad. ait Pyrrhus: Mortem miſericors ſæpe pro vitâ dabit. *vide Herc. Fur. 511.*

996 Vt inquietam virginem] *putarem ἀταξίαν, quæ in præcedentibus fuit, aliquo modo componi; ſi poſt hunc verſiculum ponantur ſex illi, qui ſuperius habentur, poſt 983. hoc modo*

—— fratrem reddat aut animam ſtatim
Abſtruſa cæco, *&c.*

& legatur, illic quidem:

—— fratrem reddat aut animam ſtatim.
EL. Concede mortem, *&c. hic verò:*
Vt inquietam virginem carcer domet:
Abſtruſa cæco carcere, & ſaxo, exigat
Æuum, per omnes torta pœnarum modos.
Inops, egens, incluſa, pædore obſita,
Vidua ante thalamos, exſul, inuiſa omnibus,
Æthere negato, ſerò ſuccumbet malis:
Referre, quem nunc occulit, forſan volet.

1000 Præcedam] *Mogunt.* præcedens.

1001 Perferre] *Putabant veteres, animos hominum ſeparatos à corporibus, cùm ad Elyſium veniebant, ſuos agnoſcere, ſermones conferre, & quæ hic gererētur nunciare. Hinc apud Ciceronem lib. 2. de Orat. illud L. Craſſi:* Brute quid ſedes? quid illam anum nunciare patri vis tuo? quid illis omnibus, quorum imagines duci vides? quid maioribus tuis? quid L. Bruto, qui hunc populum dominatu regio liberauit? quid te facere? cui rei? cui gloriæ, cui virtuti ſtudere? *& Pyrrhus apud Virg. 2. Æneid.*

—— Referes ergo hæc, & nuncius ibis
Pelidæ genitori, illi mea triſtia facta
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.

Sed hæc gentilium commenta. Nos arbitramur verius, mortuos naturaliter, & cognitione ordinariâ non cognoſcere quæ viuentes agunt, nec ſollicitos eſſe de rebus noſtris, ſicut erant quando nobiſcum in vitâ verſabantur, quod tradunt Origines lib. 2. in epiſt. ad Rom. & D. Auguſtin. lib. de curâ pro mort. cap. 13. Beatos tamen alio modo ea cognoſcere conſtat poſſe, ſiue ex reuelatione illis factâ, vt inſinuat. D. Auguſt. d. operis cap. 15. & D. Thom. 1. p. q. 89. a. vlt. ad 1. ſiue ea videntes in Deo. in verbi enim lucidiſſimo ſpeculo intuentur omnia, quæ ad illos queunt pertinere, ex ſententia D. Gregorij lib. 12. Moral. cap. 13. & D. Thom. d. ar. vlt. certè ſanctos videre & intelligere quid agamus, & nos precibus ſuis iuuare, docent omnes patres, etiam Origines li. 8. cont. Celſum, homil. in Num. & in Ioſue, D. Gregorius Nazianzenus Orat. in Athanaſ. D. Auguſtin. d. operis cap. 15. & 16. Hieron. contra Vigilant.


Vide etiam D. Thom. in addit. 3. p. q. 72. a. 1.

&

& ceteri paßim, & ex sacris litteris non difficulter comprobatur, quicquid aduersarij ganniant, garriant, grunniant. Sed hæc aliunde latiùs petenda. Mei instituti est, insinuare duntaxat, & lectores paulatim à ludicris istis poëtarum, ad seria diuinæ Scripturæ excitare, & assuefacere, sanisq́ opinionibus puerorum nudas mentis tabulas imbuere. Cur si licet illis perfidiam suam inspargere, nos salutari antidoto non medicemus?

1008 Furibunda] *sic Euripides Cassandram vocat* Baccham, *Virgilius Furentem lib. 2. Æneid. eum tamen furorem laudat effusè Plato in Phædro.*

Veniet] *dictum hoc ex illâ veterum opinione, de qua olim tam multa in Aduersar. Ideo huiusmodi morientium minas, quasi fanatico quodam spiritu prolatas, diligenter auribus aucupabantur, & memoriâ retinebant, vt annotarunt Seruius, Donatus & alij citati à Guicchiardo lib. 1. de funer. & lib. 2. cap. 2. vbi illa etiam adducit, quæ tot annis prior ego in Aduersar. Addo nonnulla reperiri apud D. Gregor. Magnum lib. 4. Dialog. cap. 26. & Fran. Petrarch. lib. 1. rerum senilium. epist. ad Boccatium.*



COM-

Priſcianus lib. 10. docet à C. Cilnio Mecænate poëma conſcriptum, cui nomen, *Octauia*, & ex illa fragmentum hoc adducit; *Pexiſti capillum naturæ muneribus gratum.* Sed illa Octauia de qua ibi alia à noſtrâ, vt alibi oſtendi. Hanc *Octauiam*, Iul. Scaliger lib. 1. Poët. cap. 8. *Neronem* vocat, contra librorum fidem, contra rationem: quid enim hîc Nero patitur tragœdiâ dignum? Senecæ illam eſſe, docent libri omnes, quotquot vidi. Nec ante hoc æuum quiſquam, quod ſciam, negauit. Senioris tamen vel philoſophi eſſe non poſſe, adeò mihi firmum ſemper & certum; vt eâ potiſſimum de causâ, ceteras philoſopho quondam ademerim, ne hanc illi cogerer adſcribere: quod neceſſariò conſequi putabam, cùm omnes decem vnius ſcriptoris arbitrarer. Nunc, comperto errore, reliquas philoſopho reſtitui; hanc vnam nondum. Quæ etſi multo illis aliis inferior, nec ſatis idonea; quæ, vt claſſici ſcriptoris, in ſcholis iuuentuti prælegatur; non tamen prorſus indigna, priuatâ curâ & ſtudio. Sed cuius iſta Senecæ? certi nihil habeo, ſed coniecturam, mihi probabilem, donec quiſpiam certiora. Vixit temporibus Traiani & Hadriani, poeta quidam Annæus Florus, opinor ille, qui iocosè in Hadrianum, & in illum iocoſius Imp. Hadrianus: hunc Cariſius citat aliquando quidem; *Florus ad Hadrianum*, aliquando; *Annæus Florus ad Hadrianum*: quem ego vix dubito Hiſtoricum illum eſſe, qui vulgo L. Florus vocatur, Camertis, Vineti, & Stadij labore illuſtratus; quem cum membranæ nonnullæ nominent *L. Annæum Senecam*; veriſimile mihi fit, vocatum fuiſſe; *L. Annæum Senecam Florum.* Si patiantur Critici, me quidem iudice *Octauiam* ille domum ducere, & ſibi vindicare poterit. Sed hoc dictum, non quaſi κριτικὸν quiddam vel ὁριστικὸν, ſed vt ἐνδεικτικὸν & ὑπομνηστικὸν duntaxat.

ARGVMENTVM.



CLAVDIVS primis nuptiis Meſſallinam duxit: vltimis Agrippinam, quæ ex Domitio Neronem pepererat. Neroni à Claudio deſponſa fuit Octauia Meſſallinæ & Claudij filia. Nunquam cõcordes aut beneuoli coniuges vixerunt; multis odiorum fomites ſuggerentibus. Tandem Neroni, cum votis ſuis, liberè potiundi Poppæa (quam efflictim deperibat), eamq. in vxorem ducendi, Claudiâ repudiatâ, obſtare populi fauorem videret; qui ſummo ſtudio Octauiam in ſolio & coniugio Neronis tueri contendebat; populi impetum multorum cæde repreſſit, Octauiam in Pandatariam deportari, & denique ibidem necari iuſſit.

IN ACT. I.

Flebiles hic actus querelas Octauiæ, & nutricis allocutionem continet.

4 Eia age] *Moguntin. etiam*; age tot tantis. *quod recepto hiatu placet. Herbipolenſ. & Veneti*; age tot annis. *Hinc Baſileenſ. hoc correcturi*; eia age tantis. *Lugdunenſ.* age tot tantiſque.

7 Alcyonas] *vide Agamemn. 676.*

8 Pan-

8 Pandionias] *Lusciniam & hyrundinem. confer has Octauiæ, cum querelis Electræ Sophocleæ:*

ἢ τεκνολέτειρ' ὥς τις ἀηδὼν
ἐπὶ κωκυτῷ τῶν δὲ πατρώων
πρὸ θυρῶν ἠχὼ πᾶσι προφωνεῖν.
Non aliter quàm amissis pullis
Daulias ales
Tristes fundam gutture cantus,
Vt noti tandem omnibus
Resonent patrias gemitus ad fores.

Virgil. Qualis populeâ mœrens Philomela sub vmbrâ
Amissos queritur fœtus; quos durus arator
Obseruans, nido inplumes detraxit: at illa
Flet nocte, ramóque sedens miserabile carmen
Integrat, & mœstis latè loca questibus implet.

Aristophanes, in Ranis:

δὴ χείλεσιν ἀμφιλάλοις,
δεινὸν ἐπιβρέμεται
Θρηΐκια χελιδὼν,
ἐπὶ βάρβαρον ἑζομένη πέταλον
κελαδεῖ δ' ἐπίκλαυτον ἀηδόνιον
νόμον, ὡς ἀπολεῖται,
κἂν ἴσαι γένωνται.
Iam labris loquacibus
Graue resonat
Threicia hirundo,
Supra barbarum sedens solium.
Canit autem luctuosa aëdoniam
Legem, quod perit,
Etsi æqualia suffragia sint.

12 Si quis remanet sensus in vmbris] *sic Seruius Sulpitius apud Ciceronem;* si quis inferis sensus est. *dubitauit etiam Isocrates, in Orat. Aegyneticâ, & in Euagorâ; & Cicero lib. 15. epist. 16. ad Familiar. & videtur hæc formula prisca in hac re fuisse: quod multis ex Ouidio, Cicerone, Senecâ, & aliis ostendit Brisson. lib. 8. de Formulis fol. 841. Contra Virgil. Aeneid. 6. affirmat apud inferos memoriam & suorum affectus manere agens de Dido. Quid dicendum? altioris quidem hoc indagationis. sed verius videtur. Animam à corpore separatã, vim vegetatricem & sensitiuam, earumq; simulacra, & habitus ipsâ separatione deperdere; non tamen habitus & simulachra voluntatis aut intellectus, præter illos qui statui beatorum vel damnatorum repugnant. Amant ergo, & intelligunt animæ à corpore seiunctæ. Vide D. Thom. 1. par. q. 89. a. 5.*

16 Vulnera vidi] *Messalina cùm frustrà ferrum pectori ac iugulo admouisset, à tribuno tandem confossa interiit.*

27 Britanni] *Incertus ille poëta in Aduersariis:*

Conſpectu deuicta tuo Britannia Cæſar.

ſic enim legendum. nam quod paßim in inſcriptionibus & nummis vocatur GERMANICVS,*propter leuiculas victorias à ducibus eius partas, ſit more iam tunc ab Impp. recepto. Vnica namq; Claudij expeditio in Britanniam. Nec repugnat prima ſyllaba, quod olim credidi. Nam communis illa. plerique corripiunt: ſed producunt non pauci. Lucretius lib.6.*

Nam quid Britannis cælum differre putamus.

Iuuenal. Sat.5. neque Britones vnquam.

Martialis lib.11. Quam veteres braccæ Britonis pauperis ——

In m.ſ. ſæpe, Britto, *&* Brittannus. *Græci pleriq; βρεττανὺς vocant. de hac victoria Seneca in ludo Claudij: cuius verſus mallem reduci ad dimetros, hoc modo:*

Fundite fletus, edite planctus,
Fingite luctus, reſonet triſti
Clamore forum: cecidit pulcrè *&c. deinde*
Ille Britannos vltra noti
Litora Ponti, & cæruleos
Scuta Brigantas dare Romuleis
Colla cathenis iuſſit, & ipſum
Noua Romanæ iura ſecuris
Tremere Oceanum.

Vbi ſignificat Brigantum ſcuta cæruleo colore non minus tincta fuiſſe, quàm corpora. Scotobrigantas, *quos inuehunt, non admitto. ſi nota illa gens Senecæ; non omiſiſſent Plinius, non Solinus, non ceteri ſcriptores diligentißimi, ad Ammianum vſq;, quem primum habent antiquitatis ſuæ teſtem Scoti, lib.20. & 27. antiquiorem paullo Claudiano, quem illi primum vocant. malè. nam & Prudentius Claudiano ſenior aliquanto meminerat; etſi parum laudabili encomio; eò tamen reſpiciens, quo eodem tempore D. Hieronym. Meminêre victoriæ iſtius etiam Mela lib. 3. cap.6. etſi Claudiũ, quo imperante ſcribebat, non nominet; Suetonius in Claudio, Beda lib.1. Anglicæ hiſt. Hector Boëthus Scot. hiſt. lib.3. & Galfridus Monomutenſis lib.1. hiſt. Britonum commentitiæ narrationis auctor.*

30 Coniugis, heu me, Pater inſidiis] *hoc etiam in Atridæ nece exaggerat Chorus Sophoclis:*

τάκεις ὧδ' ἀκόρεστον οἰμωγὰν,
τὸν πάλαι ἐκ δολερᾶς ἀθεωτάτας
ματρὸς ἁλόντ' ἀπάταις Ἀγαμέμνονα,
κακᾷ τε χερὶ πρόδοτον.
Sine fine patrem fraudibus impiæ
Implicitum matris Agamemnonæ, ac
Turpi ploras dextrâ proditum.

32 Tyranno] *in malam partem. nam de Nerone.*

39 Paruit liber diu] —— iuſſit & ipſum
Noua Romanæ iuſſa ſecuris
Tremere Oceanum. *inquit Philoſophus Seneca.*

40 Ora

40 Ora Tanais] *De Tamesi, quæ olim scripseram, illa scio me sibi vindicantibus non debere, neq. hoc nomine consponsionem quinquagenariam recusarim. Describitur hoc flumen accuratè à Laonico Calchondilâ. lib. 2. histor. Turcicæ: Stephanus* Tamesim *vrbem & flumen Italiæ, vel suo, vel librarij errore maximo, prodidit. Sed fateor aliena ab hoc loco disputatio de Tamesi. assentiendum magni Critici castigationi;* En qui Britannis. *quis enim non intelligit, minimo negotio, exesâ superiore parte litteræ B. & secundo n. inferius clauso; natam deprauationem* oritanais? *coniecturam ergo illam non satis elaudandam vnquam puto. fruge repertâ, glandem desero, fluuiumq. illū, qui ex diuidiculis nō ex sacro ortus in Senecæ agrū influebat, quoniā auspicatò transiri nequit, penitus vindicāti cedo, vel potiùs è memoriâ exarescere sino.*

41 Ignota tantis] *viderunt alij vitium, & emendarunt;* Ignota & ante class. texit freta. 45 Soror] *Octauia.* 46 Ira] *Herbip. & Veneti:*

Illa coacta tegere crudelis viri,
Quem secreta refugit —— *mendosè. sequor Criticos distinctione iuuantes:* Ira c. tegere. crudelis viri secreta refugit.

51 Mutat] *sic Herbip. Veneti & Lipsiens. & m. s. multi; Mogunt.* inmittit. *Lugdun.* mittit. *vult Octauiam non sequi, sed negligere consilia sua. dolor enim vindictā & vltionē spirare cogebat; vel odiū saltem & discidiū fouebat.*

58 Electra] *sumtum à Sophocle, apud quem ipsa Electra mœrere affatim & deflere miserias suas cupiens; Niobes adfert exemplū, eamq. laudatis prius mœstis illis aniculis, felicem prædicat, cui, quantum libuit, flere licuerit:*

ἀλλ' ἐμέγ' ἁ στονόεσσ' ἄραρε φρένας,
ἃ Ἴτυν αἰὲν Ἴτυν τ' ὀλοφύρεται,
ὄρνις ἀτυζομένη Διὸς ἄγγελος.
ἰὼ παντλάμων
Νιόβα, σὲ δ' ἔγωγε νέμω θεὸν,
ἅτ' ἐν τάφῳ πετραίῳ
αἰαῖ δακρύεις.
Sed mihi mœsta placet auis
Iouis altifremi nuncia
Quæ plorans Ityn,
Ingeminat Ityn.
Eheu Niobe misera,
Diuis te immortalibus æquo;
Quæ perpetuis tumulum saxeum
Lachrymis irrigas.

64 Prohibet lugere timor] *acerbum hoc & crudele. Cicero in Pisonem;* Quis hoc fecit vllâ in Scythiâ tyrannus, vt eos quos luctu afficeret, lugere non sineret? mœrorem relinquis, mœroris aufers insignia. eripis lacrymas, non consolando, sed minando.

69 Magni resto nominis vmbra] *similia sunt illa Laberij:*

Sepulcris similis nil nisi nomen retineo. *Propertij lib. 2.*
Non ego sed tenuis vapulat vmbra mea.

Lucani de Pompeio senescente lib. 1.

—— ſtat magni nominis vmbra:
Qualis frugifero quercus ſublimis in agro
Exuuias veteres populi, ſacratáque geſtans
Dona ducum, nec iam validis radicibus hærens.

hinc ergo acceptum, vt Ouidianum illud 5. *Faſtorum*:

Nunc ſum elapſa rogi, flammis, & inanis imago,
Hæc eſt ex illo forma relicta Remo.

Virgilianæ Didus dicto reſpondet.

71 Ceſſat] *q. v. l.* ceſſas. *interrogatiuè.*

77 Qui me ſtygias] *ſic Electra Sophoclis*:

ἀλλ' οὐ μὲν δὴ λήξω θρήνων
συγερῶν τε γόων, ἔς' ἂν
λεύσσω παμφεγγεῖς ἄστρων
ῥιπὰς, λεύσσω δὲ τόδ' ἦμαρ. ——

Nunquam diri finem gemitus
Nec lacrymarum faciam,
Dum rutilantia cernam ſidera,
Dum iubar iſtud ſplendidum
Sum viſura diei.

affirmant ambæ ſe quamdiu vixerint in luctu futuras.

88 Superbos humileſque] *hoc eſt, omne genus hominum. ſed labat verſus: legerem ex coniecturâ*; ſuperos homineſque ſimul. *contemtor (ait) Deorum hominúmque.*

89 Capit] *non valet ſe continere, nec moderari habenas influentis fortunæ. Lucretius*: Nec capere irarum fluctus in pectore poſſunt.

99 Toleranda quamuis] *hoc dicere voluit; non eſſe huiuſmodi mala ſua, quæ cuiuſquam patientia pati, aut tolerantia tolerare queat. ne tempus quidem mederi poſſe, ſed morte duntaxat emoritura: ceſſaturum dolorem, cùm eſſe quod doleat deſierit. quare, meo iudicio, feliciter caſtigant*; quæuis.

100 Triſti] *amara, acerba.*

105 Crimen] *nullius criminis conſcia ſimuler. nullum meæ neci crimen prætexatur. nam adulterij cum Anyceto inſimulabant.*

113 Morte] *gaudebat morte, quia ſors eius ipſi per mortem Britannici obtigerat. nam niſi Britannicum Nero occidiſſet, imperij partem, quæ Britannici ſors, non fuiſſet adeptus.*

117 Modo facibus armat] *Credebant veteres, vmbras iniuſtè occiſorum redire, & nocturno tempore homicidas vexare ac perſequi. vnde Virgiliana Dido Æneid.* 4.

Omnibus vmbra locis adero, dabis improbe pœnas.

& Platonis auctoritate confirmatur lib. 1. *de legib. & à Plutarcho in Cimone, exemplo puellæ à Pauſaniâ necatæ; & Caligulæ, in Suetonij Auguſtâ hiſtoriâ; & Rufini, apud Claudianum: & nonnulla hanc in rem Marſilius Ficinus li.* 16. *de immortal. animar. cap.* 5. *Quid? in hoc defunctorum erga*

occi-

occisores odium multi celebratissimum illud, quod traditur cadaueribus accidere; vt si propius accedat vel pone transeat occisor, intra certum tempus, vulnera rursus sanguinem fundere incipiant, vt fuit obseruatum à latrunculatoribus frequenter admodũ, vt referunt Iuris interpretes, Nauizanus in Siluâ Nuptiali, Boërius in decision. Casonus lib. de indiciis, Paris de Put. Angelus. Marsil. & alij relati à Magio lib. 3. Miscellan. 5. Et fuit olim testatus de Euphorbi cadauere Homerus in Iliad. Non tamen satis aptè, vt ex iis quæ præcedunt, & subsequuntur apparet, eò trahunt ista Lucretij lib. 4.

Namque homines plerumque cadunt in vulnus, & illam
Emicat in partem sanguis, vnde icimur ictu;
Et si cominus est, hostem ruber occupat humor.

De viuis enim loquitur, vbi præsens anima sanguinem ipsum impellit & agit in eam partem. Sed quid in mortuo fluxus istius causa esse potest? an relicta aliqua ab animâ recedente in læsis membris hostilis odij vestigia, & antipathiæ notæ, quæ successu temporis euanescant? an Deus id detegendæ noxæ gratia fieri constituit? an quid aliud latentis, & ab ipsâ cadaueris formâ, aut illâ aptitudine, seu relatione, quam anima absens, cum corpore suo retinet, energia mirificum hunc effectum producit? digna certè quæstio, quæ exerceat ingeniosos & doctos; conati iam ex Theologis Henricus & Aegydius Roman. in Quodlibet. Ioan. Maioris in 4. d. 15. & Sibillanus Peregrinar. quæstion. 13. ex Iurisconsultis, Magius d. cap. 5. Ex medicis Thadæus Florentinus in Isagogen Ioannit. Ioan. Langius epist. 40. & Leuinus Lemnius lib. 2. de occult. nat. miracul. Philosophi denique, Gaudentius Merula lib. 4. Memorab. cap. 18. & Galeottus Martius lib. de doctrinâ promiscuâ cap. 22. A vero propius abire crediderim eos, qui ad antipathiam confugiunt; cuius alias quoque monstruosas penè effectiones complures scimus, quas eleganter non exiguo volumine complexus Hieron. Fracastorius. Citantur lit. & plures à Magio

132 Iustæ] *vera vxoris; ad distinctionem concubinæ, quam quis non habet animo vxoris.*

137 Emergere vndis] *Moguntinens.* emerge vndis, *vt sit hiatus.*

140 Genitámque fratris coniugem captus sibi] *historia veritas compellit me castigare;* Gnatámque fratris coniugem captam sibi. *alij reponunt;* Genitámque fratre. *eodem sensu.*

141 Face] *vide Med. 27.*

148 Factus reus] *conieceram olim in aduersar.* criminis ficti reus. *quod alij postea sibi adscripserunt. occupent præoccupata: non imitabor mores eorum, qui nugas istas veris amicitiis præponunt. Nec muto, quod olim quoque plus placuit;* facti reus *sic enim vetus ille scriptor in Cyri:*

Aëriásque facit causam sibi visere turres. *hoc est, prætexit & fingit. sic Ausonius, in libris incorruptis:*

Bucula sum celo genitoris facta Myronis
Aerea; nec factam me puto, sed genitam.

Facere artificis est, gignere naturæ. eo respicit Ausonius; quem nollem hic doctus Xanto vitiasset. Alius quoq; oculatissimus homo in Tibulli m.s. peropti-

mis inuênit lib. 4. Crimina non hæc sunt nostro sine facta dolore. *pro;* ficta. *nec debuit, non excudi.*

149 Intrauit hostis] *Nero. sed Moguntin. de ipsâmet Octauiâ;* Intraui hostis. *male. nam loquitur nutrix.*

161 Polluit Stygia face] *sic etiam loquitur inf. ver. 588.*

162 Iura naturæ] *nam patrui nuptiis ad omne flagitium exercita, ardore retinendæ potentiæ, eousque immanitatis prouecta fuit, vt se temulento filio comtam & ad incæstum paratam obtulerit; & commissum facinus; nisi Senecæ astu disiectum, fuisset, vt ex Cluuio & ceteris, vno Fabio Rustico dissentiente, Tacitus commemorat.*

167 Sidus orbis] *Poßidonius:*

οὗτός τοι Ῥώμης ὁ μέγας ξένε πατρίδος ἀστὴρ
Μάρκελλος κλεινῶν Κλαύδιος ἐκ πατέρων.

Claudius hic Romæ quondam memorabile sidus
Marcellus, patrum stirpe satus veterum.

Commentar. antiquus in Iuuenal. legitur, Locustam, nobilem veneficam, à Nerone increpitam, quod Britannico lentum venenum parasset, tam efficax dedisse, vt antequam Britann. poculum exhauriret, in conuiuio Neronis expiraret. qua de re citatur ibidem fragmentum Turni Aurunci, ex Satyris, quod ita recenseo; Et quæ Cæsareas soboles horrenda Locusta
Occîdit, curis dum liberat arte Neronem.

169 Cui lacrimas dedit] *nam ignaram necis, ægerrimè tulisse scribit Cornel. Tacitus.* 170 Cum rogis artus tuos] *Fuit ergo combustus; non tamen exprimitur in Campo Martio, an alibi; puer adhuc, &* IVVENTVTIS PRINCEPS, *vt ex quodam Numismate didici.*

171 Membráque & vultus Deo] *Homerus:*

Oculos atque caput similis Ioui fulminatori,
Marti verò ventrem, pectus autem Neptuno.

Rufinus in Epigramm.

Oculos habes Iunonis, Melite, manus Palladis,
Mammas Veneris, talos Thetidis.

His comparationibus abstinendũ monet ipse Lucianus in li. ὑπὲρ τῶν εἰκόνων.

198 Volucer cupido] *Moscho dicitur* pennata auis. *Proclo,* immortales, alati celebrantur amores. *Orpheus ait;* Iucundum, magnum, gratum cantamus amorem, Arciferum, alatum, celerem, flammísq. potẽtem.

206 Fulsit] *Moguntin. & Burdegalens.* fluxit. *vide inf. ver. 765.*

207 Sidera Lædæ] *Dioscori, Castores; quos significare duo hæmisphæria, & hoc Homerum indicare dicentem:*

Alternísque alias vicibus viuunt, aliásque
Mortem obeunt, æquum Diis nanciscuntur honorem.

& pileos eis imponi, & stellas superponi, ad significandam hæmisphæriorum constitutionem, scribit Sextus Empyricus lib. 8. cont. Mathemat.

209 Heben] *Hebe, Priscis Ganymeda dicebatur, eo quod nectar Diis funderet. huic Phlyasij multos honores exhibebant, eumq; maximũ quòd qui ad*

ad Hebes aram confugiebant, omnium criminum veniam consequebantur, teste Pausaniâ in Corinthiac. icciircò ante Ganymedæ templum compedes & cathenæ captiuorum suspendebantur: ipsa pingebatur formosæ puellæ habitu, veste variegatâ, floribus coronata. Iuuentutis namque Deam credebant, & Diis ipsis Senium auertere, auctoribus Agratio, Ouidio, & Strabone lib.8. item Philostrato in imagine Atlantis. Venerabiles Dij, qui nisi Hebe pocillaret, sicut vestimentum veterascerent. Iunonis & Iouis filia fuit, & Herculi fratri, ad matris exemplum, nupsit, vt referunt Homerus 11. Odyß. Pindarus 7. & 10. Isthm. Hesiodus in Theogon. Euripides in Oreste, & Pausan. in Attic. vide Vincentium Chartarium li.2. de Deor. imag. & Liliũ Syntag.10.

212 Obsequium] *comitas, cultus, & obseruantia. superius:*

Vince obsequendo potius inmitem virum.

oportet enim maritum vxor colat, obseruet, eiq; obediat & obsequatur. vt enim serui ad ministerium, sic ad officium vxor habetur. Seneca lib.3. de benefic. Sunt enim, qui ita distinguant. quædam beneficia esse; quędam officia, quædam ministeria. Beneficium esse, quod alienus det. (alienus est, qui potuit sine reprehensione cessare) officium esse filij, vxoris,* earum personarum, quas necessitudo suscitat, & ferre opem iubet. Ministerium esse serui, quem conditio sua eo loco posuit, vt nihil eorum quæ præstat imputet superiori. *Obsequium ergo, vxoris officium.*

* *Sic membr. Burgdegal. sine coniunctione.*

213 Altæ, pressusque dolor] *sic Lipsiens. melius ceteri;* altè pressusque dolor. *sic Maro, altum dolorem corde premere.*

230 Vidimus] *ex fide historiæ dictum. nam Tacitus* XIV. *Annali. de his temporibus agens;* Inter quæ *(inquit)* Cometes effulsit: de quo vulgi opinio est, tanquam mutationem regis portendat. *& Seneca li.7. nat. quæst. cap.17.* nec hunc, qui sub Nerone Cæsare apparuit, & cometis detraxit inuidiam, illi similem fuisse, qui sub necem D. Iulij Veneris ludis genitricis, circa vndecimam horam diei emersit. *& cap.21.* Sex enim mensibus hic, quem nos Neronis principatu lætissimo vidimus, spectãdum se præbuit, in diuersum illi Claudiano circũmactus. Ille enim à Septentrione in verticem surgens, Orientem petiit, semper obscurior: hîc ab eadem parte cœpit, sed in Occidentem tendens ad meridiem flexit, & ibi se subduxit oculis. *& cap.29.* Intra sextum mensem dimidiã cæli partem transcurrit hic proximus, à Septentrione motus sui initium fecit & per Occidentem in Meridiana peruenit, erigensque suum cursum obstituit. 232 Qua plaustra] *in Septentrione.*

236 Minantur] *nam Cometes credebatur nunquam impunè videri. Pontanus in Meteor.*

Ventorum quoque certa dabunt tibi signa cometæ,
Illi etiam bellis motus, feráque arma minantur,
Magnorum & clades populorum, & funera regum.

238 Irata tellus] *Hesiodus:*

Ast vbi Titanes è cælo expulit Iuppiter
Minimum natu peperit filium Typhonem terra magna

Tartari

Tartari in amore per auream Venerem.

239 Hostis Deum] *Euripides:*

Hostis Deûm, cunctique humani generis.

248 Nero ipse diuo Domitio genitus] *ingenitâ Claudiæ genti (auctore Cornelio) superbiâ, exprobrat Neroni natales. non ortum ex Claudiâ vel Iuliâ gente, quæ Imperatoriæ; sed irrepsisse, & vt spurium stolonem insertum in meliorem stirpem, genitum Cneio Domitio Ahenobarbo; cui non quadrat,* Diui, *prænomen: sed vult illud nec Neroni conuenire: ideo legendum opinor;* Nero iste Diuus, *ironicè. vel;* Nero iste, Cneio Domitio. *Moguntinens. & Veneti habent;* Nero diuo Dom. gen. pa. *sed claudicat versus.*

253 Violenti] *Moguntin.* violentam. *hinc Herbip. & Veneti,* violenta. *deprauatè.* 259 Genitricis] *Messallinæ.*

260 Legum] *quæ non permittunt eodem tempore duos maritos habere. de portentosa fœditate Messallinæ Iuuenalis Sat. 10. Plinius lib. 10. cap. 63. Tacitus, Sueton. & Sex. victor.*

267 Trusit] *Moguntin. etiam Herbip. & Veneti;* traxit.

270 Manes parentis néve sollicita] *credebant Manes nimio planctu & luctu offendi. ideo sup. Herc. Fur.*

——— planctu iubes
Sentire fatum? parce ——— *Tibullus:*
Tu manes ne læde meos, & parce solutis
Crinibus, & teneris Delia parce genis.

Sollicita. *offende, molesta. sup. Medea:*

Aliâ sedens tellure sollicita Deos.

286 Virginitas] *virginitas in matrimonium allata, quam non ineptè in maritatâ sponsi exigunt: commendant hanc sacræ litteræ & eius à parentibus sponsæ vestigia seruari iubebant: hanc ereptam imputant Neroni. quare non est cur hunc versum expungant.*

288 Ducis] *Claudij Imperatoris.*

292 Martis genus] *propter Romulum & Remum Martis ac Iliæ filios Romæ conditores. consule Liuium lib. 1. Dionys. lib. 1. & Plutarchum in Romulo, varia tradentes.*

295 Virgo] *virginia. narrat Dionysius lib. 11. & Liuius lib. 3.*

Dextera] *castigo ad legem numerorum;* dextrâ.

301 Nata Lucreti] *nota Lucretiæ, Tricipitini Lucretij filiæ Collatini vxoris mors ex Dionys. lib. 4. Plutarcho in poplicola, Liuio lib. 1. & Ouid. lib. 4. Fastor.*

305 Parentis] *Seruij Tullij Regis optimi minor natu filia, narrant Liuius lib. 1. & Ouid. 6. Fastor.*

307 Rogos] *non caruit rogo, sed sollemni sepulturæ ritu & monumento. docet Dionys. Halycarnass. lib. 4.*

308 Hoc quoque] *conferatur hic chorus cũ initio lib. 14. Annal. Taciti.*

311 Misit] *nam nauis ita composita fuit ab Anyceto, vt eius pars in ipso mari artificiosè soluta, in mare Agrippinam effunderet. auctor Tacitus.*

312 Por-

312 Portus] *Baulos. id villæ nomen: Misenum promontorium inter & lacum Baianum, flexo mari alluitur. ita Tacitus, Xiphilinus, & Martialis. primùm ab Herculis bobus ibi stabulatis,* boälia, *mox* boauli, *tandem* bauli, *teste Seruio.* 329 Ardens ira] *at Tacitus docet Agrippinam silentio & dissimulatione crimen transmittere conatam.*

362 Satelles] *Anycetus libertus classis apud Misenum præfectus, & pueritiæ Neronis educator, vnà cum Herculeïo trierarcho, & Oloarito centurione classiario missus ad matrem Neronis occidendam.*

365 Ministrum] *Oloaritum, Tacitus vocat.*

370 Per fera tristem vulnera] *multis vulneribus confossam, per singula spiritum tradit emisisse, ex eorum sententiâ, qui confossos vulneribus, nõ per os, sed ipsa vulnera exhalare animam putabant: illi videlicet, qui animam esse ipsum sanguinem credebant, quos Aristoteles in libb. de animo refellit.*

IN ACT. II.

Introducitur Philosophus Seneca sæculi sui mala commemorans: & incassum monens, *vt ait Sidonius*, suum Neronem. *Nam impius Imperator, respuit sana consilia & proximum diem, nuptiis cum Poppæâ, destinat.*

375 Melius latebam] *Burdegalens. membranæ;* iacebam.

376 Rupes maris] *scopulosa enim est Corsica, & præfractis rupibus aspera. Cl. Claudianus:* —— cęcis vitatur Corsica saxis.
Seneca de consolat. ad Elbiam; deserta loca, & asperrimas insulas Sciathum & Seriphum, Gyaram, & Corsicam pete. *& cap. 8. vocat Corsicum mare* impetuosum; *ipsam insulam* spinosum atque aridum saxum. *& in epigr. de suo exilio, dicit se* scopulo infigendũ, *quod in Corsicam mitteretur.*

379 O quàm iuuabat] *Lactantius li. 6. docet philosophos studiosè in cæli contemplatione versari solitos, & veram in eâ voluptatem oculorum posuisse;* Aiunt multo esse præclarius & homine dignius, cælum potiùs, quàm cælata intueri, & hoc pulcherrimum opus intermicantibus astrorum luminibus, tanquam floribus adornatum, quàm picta, & ficta, & gemmis distincta mirari. *Stoici fuêre huic contemplationi quasi affixi, vt præ se ferebant: quibus mundus quiddam vndique perfectum, omnia vndique complexum, nec quicquam esse quod non insit in eo (nam Deos, mundi partes putabant) hominem natum ad mundum imitandum, contemplandumq́, vt disserit Lucilius Balbus apud Ciceronem lib. 2. de nat. Deor. Ipse Seneca hoc sibi ardentissimum fuisse studium, talemq́ vitam, qualis hic describitur, narrat epist. 65. & consolat. ad Elbiam cap. 9. & vlt.*

Quo nihil maius] *Seneca de consolat. ad Elb. cap.* 8. Mundus hic quo nihil maius, neq; ornatius natura rerum genuit: animus cõtemplator, admiratórque mundi, pars eius magnificentissima, *&c.* Parens natura] *Deûm pater Iuppiter. nam Senecæ* Natura *summus Deus est. Lactantius docet lib. 2. cap. 9. ita scribens;* Melius igitur Seneca omnium Stoicorum acutissimus, qui vidit nihil aliud esse naturam, quàm Deum. *Ergo* "
(inquit) *Deum non laudabimus, cui naturalis est virtus? nec enim illam di-* "

» *dicit ex vllo. Imò verò illum laudabimus: quamuis enim naturalis illi sit, sibi*
» *illam dedit. quoniam Deus ipsa natura est. Cùm igitur ortum tribuis naturæ,*
» *ac detrahis Deo; in eodem luto hæsitans versurā solues Geta. à quo enim mun-*
» *dum fieri negas, ab eodem planè fieri mutato nomine confiteris. Hæc Lactan-*
tius ex Senecâ. Ipse Seneca fusius mentem suam explicat lib. 4. de benefic. cu-
ius verba adscribam fideliter, vt in membranis Burdegal. inueni. nam vulgò
aliter leguntur; Quid enim aliud est Natura, quàm Deus, & diuina ratio toti mundo & partibus eius inserta? Quoties voles, tibi licet aliter hunc auctorem rerum nostrarū appellare, & Iouem illum Optimum ac Maximum ritè dices, & Tonantem & Statorem; qui non (vt Historici tradiderunt) ex eo quòd post votum susceptum acies Romanorum fugientium stetit, sed quòd stant beneficio eius omnia, stator, stabilitórque est. Hunc eundem & Fatum si dixeris, non mentieris. nam cùm Fatum nihil aliud sit, quàm series implexa causarū, ille est prima omnium causa ex qua ceteræ pendent. Quæcunque voles nomina ei propriè aptabis, vim aliquam effectúmque cælestium rerum continentia. Tot appellationes eius possunt esse, quot munera. Hunc & Liberum patrem, & Herculem, & Mercurium nostri putant. Liberum patrem, quia omnium parens sit; à quo primum inuenta seminum vis est consultura per voluptatem. Herculem, quia vis eius inuicta sit, cúmq. lassata fuerit operibus editis, in ignem recessura. Mercurium, quia ratio penes illum est, numerúsque & scientia. Quocunque te flexeris ibi illum videbis occurrentem tibi. nihil ab illo vacat. opus suum implet. Ergo nihil agis ingratissime mortalium; qui te negas Deo debere, sed Naturæ. quia nec natura sine Deo est, nec Deus sine naturâ: sed idem est vtrumque. nec distant, nisi officio. *& paullo pòst*: Sic nunc Naturam voca, Fatum, Fortunam. omnia eiusdem Dei nomina sunt variè vtentis suâ potestate. *idem, sed breuius, perstringit lib. 2. Nat. quæst. cap. 46. veris pauculis multa falsa permiscens. Trismegistus in sacro sermone*; ὁ θεὸς καὶ νοῦς καὶ φύσις. Deus & mens & natura. *Quare cùm Orphici illi veteres, & Pythagorici, & Stoici, & Platonici, idem esse Naturam & Deum censerēt, & Deum vt omnia continere, sic etiam implere cuncta sentirent; omnium entium generibus, & formis, & indiuiduis, Naturæ nomen accommodarunt, vt licet videre apud Trismegistum, Hippocratem, Ocellum, Timæum, & Platonem. Et sanè recentiores etiam nonnulli, non satis propriè & distinctè loqui videntur; cùm nolunt, quando de efficientiâ aut creatione agimus, Naturam à Deo distingui; sed nunc locus non est accuratiùs eos refellendi. Semper Deus naturæ auctor est, & Dominus, & Natura pars ipsarum rerum creatarum, à suo distincta creatore. Manichæi duas naturas affirmabant, vnam Dei, alteram nec Dei, nec ex Deo; regnum lucis & regnum tenebrarum, teste D. Augustino lib. 2. de moribus Manichæor. cap. 3 & li. 2. de sermone Domini in monte, & lib. contra epist. fundamenti cap. 24. & huius malæ natura, quinque alias naturas, vt idem D. Aug. docet, ibid. cap. 28. & bonam quidem illam dicebant esse ipsum Deum, vt tradit D. Augustinus lib. de naturâ*

[Margin, beside "sata fuerit operibus editis": *Sen: Deū vult igne periturū.*]

[Margin, beside "tonem. Et sanè recentiores": *Fran. Georgius Harmoni mūdi cā.tu. 1. lib. 1. cap. vii.*]

boni

boni contra Manich. cap. 41. *vt hic quoque deprehendamus hæreticos hoc delirium, quâ Naturæ dominum cum Naturâ confundunt, ab antiquis philosophis mutuatos: Nec eum, qui propriè loqui velit, hæc nomina temerè cõfundere debere. Rectè enim D. Augustin. d. lib. 2. de moribus Manichæor. cap.* 2. Nam & ipsa natura nihil est aliud, quàm id quod intelligitur in suo genere aliquid esse. Itaque vt nos iam nouo nomine, ab eo quod est esse vocamus essentiam, quam plerumq; substantiã etiam nominamus: ita veteres, qui hæc nomina non habebãt, pro essentiâ & substantiâ, naturam vocabant. *& statim*: cùm in Catholicâ dicitur omnium naturarum atque substantiarum esse authorem Deum, *&c. & lib. 7. de Trinit. sub finem*: veteres, qui Latinè locuti sunt, antequam haberent ista nomina, quę non diu est quod in vsum venerunt, id est essentiam, vel substantiam; pro his naturam dicebant. *Auctor lib. de spiritu & animâ c.* 42. Natura siquidem est quædam vis & potentia diuinitus rebus creandis insita: quæ vnicuique rei omne suum tribuit esse. *hoc est, perfectionem vltimam essentiæ: Quæ quatenus ex eâ aliquid proprium nascitur*, naturâ; *quatenus definitione explicatur*, quidditas; *quatenus per eam & in eâ res existit*, essentia *vocatur, vt rectè Fonseca in lib. 4. Metaph. cap. 2. Hanc & alias naturæ significationes tradunt Aristoteles li. 5. Metaphys. cap. 4. D. Thomas 3. p. q. 2. a. 1. & Boëtius in lib. de duabus naturis; quem fusè explicat addens reliquas naturæ significationes, Bened. Pererius lib. 7. de rerum Natural. Princip. cap. 1. post Themystium & simplicium.*

A temporibus Augusti, vt patet ex Fabio.

381 Cursus] *De Sole veterum sententias coäceruauit Stobæus lib. 1. Eclog. Phys. cap. 24. De Lunâ cap. 25. de reliquis astris cap. 26.* Cursus *vocat perpetuum iter per Zodiacum.*

382 Mundique motus] *ordinatissimam illam rerum omnium circumactionem: de quâ Seneca lib. 4. de benefic.* quomodo mundi officium est circumagere rerum ordinem; quomodo solis loca mutare, ex quibus oriatur, in quæ cadat.

Alternas vices] *necessitatem & vicissitudinem oriendi occidendiq. subuereor ne hæc verba*; Solis & cursus sacros, mundique motus, *alicunde irrepserint, legendumq. sit*; Cælum intueri, solis alternas vices. *sed nihil ex contextu reieci. quia coniecturas liberas, sed Criticorũ manus legibus ligatas esse oportet, ne quid ex solâ coniecturâ delere, eradere, expungere audeant.*

Qui sese nescit] *mundus vel potius æther. omnes quidẽ libri, vel sic continent, vt Lipsien. & pleri m. s. vel*; Qui se senescit, *vt Moguntin. Veneti, Herbipolens. Basileens. & Lugdunens. quod germanum reor; non quia satis purũ, sed quia in hac tragœdiâ multa non pura. hoc est, qui suis viribus, nullo extrario corrumpente corrumpit & consumit seipsum: qui veterascit in se. sic Psal. 101.* Omnes (*cæli*) sicut vestimentum veterascent. בַּבֶּגֶד יִבְלוּ, *quod confirmat paraphrasis Chaldæa, & παλαιωθήσονται. LXX. D. Hieron.* atterentur. *Si veterascent, quomodo igitur stulti Rabbini quidam volunt mundum in perpetuum duraturum; quod stultè eos colligere ex Genes. 8. cap. & pacto ibi à Domino cum Noacho inito, notat Hieron. ab Oleastro. Cùm tamen*

*pactum illud ad solum interitum per diluuium, sit referendum, vt docet Eucherius lib.*1. *in Genes.* Ipsum signum (*ait*) in aquâ & in igne ostenditur: quia ex parte est cæruleus (*scilicet arcus cælestis*) & ex parte rubicundus, quia vtriusq; iudicij testis est, vnius videlicet facti, & alterius faciendi. Quod testamentum posuit Deus inter se & homines, atque omnem animam viuã, ne perdat eam diluuio, arcũ qui apparet in nubibus, *&c. & mox de mundi senio, sic scribit*: sex ætatibus finiendus est hic mundus. cuius prima ætas fuit ab Adam vsque ad diluuium, quæ rectè infantiæ comparatur, &c. *Dixerat autem paullo antè, sextam ætatẽ* senium *vocari. D. Chrysostomus idem refert ad diluuium, cuius verba habes in Cathenâ Lipomani, ipse quoque Lipomanus sic exponit. Sed & alij quoque multi veterum, vt Hipparchus, Columella, & Varro, censuerunt diuturno æui senio cæli statum ac qualitatem mutari. qua de re multa Hieron. Magius lib.*1. *de mundi exustione cap.*3. *&* 10. *& lib.*2. *cap.*6. *& nos alia ver.*390.

In cæcum chaos] *omnia corpora συγκεχυμένα, confusa, composita, & in vnum quasi conflata; in eadem, ex quibus coäluerunt, resoluenda asserebant: ex chaö igitur, seu indigestâ potius eius mole (vt scribit Ouid.*1. *Metamorph.) ortum mundum, in Chaös iterum ait rediturum. Propter hanc omnium in elementa sua resolutionem, Ægyptij mundum figurâ serpentis caudam suam deuorantis, significabant. Vide Pierium lib* 14 *Hieroglyph.*

386 Casurus iterum] *dixerat idem Lucanus lib.*1.

—— sic cùm compage solutâ
Secula tot mundi suprema coëgerit hora,
Antiquum repetens iterum Chaos; omnia mixtis
Sidera sideribus concurrent, ignea pontum
Astra petent: tellus extendere litora nolet,
Excutietque fretum. fratri contraria Phœbe
Ibit, & obliquum bigas agitare per orbem
Indignata, diem poscet sibi: totáque discors
Machina diuulsi turbabit federa mundi.

Exstitere de ortu mundi variæ philosophorum sententiæ, sed de illis nunc non agendum. Seneca enim de interitu loquitur. De quo, non conueniunt philosophi. Eorum præcipuas sententias sic paucis complectitur Arnobius lib. 2. Mundum, quidam ex sapientibus existimant, neque esse natum, neque vllo tempore periturum: immortalem nonnulli, quamuis eum conscribant esse natum & genitum. tertiis collibitum dicere est, & esse natum & genitum, & ordinariâ necessitate periturum. *Quarum prima Aristotelis est, altera Platonis, tertia Epicuri; Est & Stoicorum hæc tertia, item Anaximenis, Anaximandri, Anaxagoræ, Archelai, Democriti, Leucippi, & Empedoclis. Primæ sententiæ auctores vt Xenophanes, Parmenides, Melissus, Philolaus, Aristæus Ocellus; antiquus adeo scriptor, vt Plato, & Archytas in Ocelli tantum Nepotum ætatem inciderint, (vide epist. Platonis & Archytæ, inter opera D. Ambrosij, & eum in hoc & plerisque secutus fuit Aristoteles, censebant ex naturâ sua mundum esse huiusmodi; Plato verò*

cum

cum suis ex Dei tantum placito permansurum, vt docet Stobæus in Eclog. phys. lib. 1. ca. 24. Nos finem per incendium imminere mundo credimus; quod & veteribus plerisq; persuasum fuit, vt Sibyllæ lib. 3. Oraculor. apud D. Augustin. lib 18. de Ciuit. Dei. & Hystaspi apud Iustinum martyrem apolog. 2. & Sophocli apud eundem in lib. de Monarch. & innominato poëtæ apud Clement. lib. 5. Stromat. Mundum inquam vel exurendum secundùm illas partes, quæ diluuio fuere demersæ, iuxta Primasium & Anselmum; vel duo elementa consumenda, duo relinquenda, iuxta Bedam; vel elementa omnia exurenda, & ipsos etiam cælos superiores, iuxta plerosque, vt docet Magius li. 2. de mundi exustione cap. 6. & 7. vel iuxta D. August. non modica pars inferiorum orbium, vna cum superioribus exustionis expers futura, lib. 20. de Ciuit. cap. 18. Nondum hoc, quo ad cælos satis definitum; nisi quod mundus exurendus, vt renouetur in meliorem faciem. Non enim amplius cælum postea mouebitur; & elementa mutabilitate cui nunc subiacent, carebunt, expertia quoque futura qualitatum corruptibilium, quibus nunc sunt prædita, licet illorum substantia eadem sit futura: quæ D. Augustini d. lib. 20. cap. 16. Primasij in Apocal. D. Hieron. D. Thomæ, Ludolfi, & communior sententia est. Vide Magium lib. 4. de mundi exust. cap. 4. & 5. & Eugubinum lib. 10. de perenni philosophia. Nollem verò quenquam existimare, vt video nonnullos; quoad hanc Ecpyrosim veteres philosophos nobiscum sensisse. eo quòd Ecpyroses quædam illis notæ. Multiplex enim discrimen est. Illis enim huiusmodi exustiones, non vna sed frequentes; nobis vna. illis certis temporibus & determinatis: nobis incertum planè tempus. illis necessariæ, & à naturalibus caussis: nobis, ex Dei beneplacito, & liberâ Dei voluntate. illis mutui cataclysmi, & ecpyroses: eluuio nobis iam præterita, restat sola exustio. Illis post talem vicissitudinem, semper alius & alius futurus mundus; nobis vnus idemque. Plerique tamen illorum mundi æternitatem tuentes, has exustiones admittebant, & ad æternitatem hoc ipsum pertinere credebant, mundum recoquentes vt Medea Æsonem. Facilè hoc patebit, si dicta gentilium adscripsero. Hermes itaque Trismegistus in lib. de Mundo, Deum ad amouendam mundi senectutem, & scelera hominum vindicanda, nunc cataclysmum, nunc exustionem inducere censet. Plato in Tymæo, ex Ægyptiorum sententiâ, idem refert; quod illi nimirum à Trismegisto acceperant. Chaldæi caussam futuri incẽdij, & excidij mundi, referebant in concursum quorundam calidissimorũ astrorum. Aristoteles insinuat eandem vicissitudinẽ per κατακλυσμὸν seu mundi hyemem, & ἐκπύρωσιν mundi æstatem, lib. 1. Meteor. & voluit certis annorum curriculis & siderum traiectionibus contingere: lib. tamen 2. negat ex eo mundi interitum, sed durationem potius sempiternam, colligi. Eusebius eandem sententiam tribuit Heraclidi & Empedocli; Athenagoras, Stoicis. Fuit sanè Senecæ, qui lib. de Consolat. ad Martiam scribit: inundationibus quicquid habitatur obducet, necabitque omne animal orbe submerso, & ignibus vastis torrebit incendétq; mortalia. Et cùm tempus aduenerit, quo se mũdus renouaturus exstinguat, viribus ista se suis cædent, &c. & lib. 3. Nat. quæst. Arsura enim terrena omnia contendit, quando

Vide D. Thom. in 4. d. 47. q. 2. & opusc. 60. cap. vlt.

omnia sidera, quæ nunc diuersos agunt cursus, in cancrum conuenêre. *& eodem lib. sæpius. Epictetus quoque mundum conflagraturum, etiam ipsos Deos inquiebat, apud Arrianum lib. 3. cap. 13. Apuleius in Trismegisto:* malignitatem omnem vel alluuione diluens, vel igne consumens. *Ouidius lib. 1. Metamorph.*

Esse quoque in fatis reminiscitur adfore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cæli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

Iul. Firmicus lib. 2. Astrolog. Tercentum mille annorum maior apocatastasis per ecpyrosim, aut per cataclysmum fieri consueuit. *Item:* tunc ergo ecpyrosim cataclysmus sequitur. *apertius Censorinus de die Natali:* Præterea annus, quem Aristoteles maximum potiùs, quàm magnum appellat; quem Solis & Lunæ vagarumque quinque stellarum orbes conficiunt; cùm ad idem signum, vbi simul quondam fuerunt, vnâ referuntur. cuius anni hyems summa est κατακλυσμὸς, quam nostri diluuionem vocant: æstas autem ἐκπύρωσις, quod est mundi incendium. nam in his alternis temporibus mundus, tum exignescere, tum exaquescere videtur. *Hoc ergo Stoicis visum, & sic omnia putabant interire & renasci. Renasci quidem, vt paullo pòst, inquit,* rursus vt stirpem nouam Generet. renascens, melior —— *cadere enim post hanc deflagrationem noua de cælo semina, quibus hominum genus instauretur, vt disputat Stoicus ille apud Ciceronem in lib. de Nat. Deorum; & fortè referendum eô illud Maronis:* Iam noua progenies cælo demittitur alto. *Seneca lib. 3. Nat. question. in fine:* Nec ea semper vndis licentia erit, sed peracto exitio generis humani, exstinctisque pariter feris, in quarũ homines ingenia transierant; iterum aquas terra sorbebit. terra pelagus stare, aut intra terminos suos furere coget, & reiectus è nostris sedibus in sua secreta pelletur Oceanus, & antiquus ordo reuocabitur. Omne ex integro animal generabitur, dabiturque terris homo inscius scelerum, & melioribus auspiciis natus. *adscripsi ex fide membranarum Burdegalensium. Similia Plinius lib. 7. cap. 16. cui tamen mundus æternus, similia Macrob. lib. vlt. in Somn. Scipion.*

386 Nunc adest mundo dies supremus ille] *extremum mundi diem, qui in astrorum concursum reijciebant, vt Chaldæi, Ægyptij, Pythagoræi, Stoici, Aristoteles, & citati philosophi omnes, illi quoque definitum tempus eius se posse prædicere putabant, sicut Berosus, Plato, Plinius, Seneca d. lib. 3. cap. 29. & alij; nempe post annum magnũ, seu maximum: quos refellit Aegidius Columnius Roman. tract. de prædestinat. & præscien. cap. 2. Alij confugerunt ad Hebraicam illam traditionẽ, de sex millibus annorum, ex quodam Heliâ, non Thesbite; quam refutarunt præclarè, Genebrard. in Chronic. & Hier. Magius lib. 3. de exust. mundi cap. 16. Certum enim Catholicis esse debet, à nullâ * purâ creaturâ, nec horam, nec diem, nec tempus illud sciri posse; quia tempus illud pater posuit in suâ potestate, Act. 1. vt docet D. Augustin. lib. 18. de Ciuit. Dei, & epist. 78. ad Hesychium, & in Psal. 6. & Primasius in*

* *Dico, purâ creaturâ, quia quod nec Angeli, nec Apostoli sciuerunt, Christus Domi nus sciebat; non tamen vt aliis indicaret, vel eos scire faceret.*

in Apocal. & sacra scripturæ est omnino consentaneum. Ipsa tamen mundi fini vltima tempora sciri posse ab hominibus multi existimarunt, & in his Magius lib.3.cap.16. Ex qua sententiâ, orta est illa communis multorum opinio; cuius etiam vestigium hic apertum in poëtâ; suis temporibus finem illum instare. Ex quibus quidam indefinitè. Non longè iam abesse, vt Amadeus in suâ Apocalypsi. & quidam Ioan. Monachus, quem reliquisse orat. de occasu mundi, & de venturo mundo nouo testatur Bar-Cepha p. 1. S. Vincentius Ferrerius & multi patres. Quorum plerosque nihil aliud arbitror voluisse, quàm quod Apostolus dixit, fines seculorum in nos deuenisse 1. Cor. 10. & quod D. Ioannes ait, Nouissimam horam venisse. 1. epist. cap. 2. hoc est, vltimum tempus, seu seculum, seu ætatem, quæ à Christi aduentu cœpit adesse, vt exponunt Ambros. in d.cap. 10. & D. Augustin. in lib. 83. quæstion. & epist. 80. ad Hesych. Et, si temporis spacium à condito mundo ad Christi vsque aduentum, cùm eo quod ad D. Ioannis, vel etiam patrum illorum ætatem, imò & nostram effluxit compares, quãtulum est istud? vt ponderat Oecumenius post Chrysostomum, ad locum illum D. Ioannis. Præterea voluêre hoc modo excitare homines, ad piè & religiosè viuendum, fugienda vitia & virtutes amplectendas, ab incertitudine diei incertæ, & semper imminentis, quæ Apostolorum mens fuit, non ignorantium suis diebus iudicij diem non futurum, vt censet D. August. d.ep. 80. vtq; Hieron. Sedulius, Theodoretus, Ambros. & communiter omnes in 7. & 10. cap. 1. ad Cor. ferè interpretantur. Et hoc voluisse D. Chrysostom. apertissimè colligitur ex Homil. 21. super Matth. & Hom. 33. & 38. in Ioan. item Hom. 34. & 48. oper. imperfect. D quoque Basilium ex Hom. 2. in Psal. 7. patet, vt & D. Cyrill. Hierosolymitanum Catechesi Mystagog. 15. & D. Nyssenum orat. in 6. Psal. ex iis quæ alibi tradiderunt, commendantes irremissum huius diei metum atque memoriam. quod idem voluere D. Hilarius lib. 9. de Trinit. ferè extremo, & in Psal. 118. & Cano. 26. in Matth. Ambros. lib. 5. de fide cap. 8. & super Psal. 118. ser. 3. & 7. Leo 1. Ser. 5. de ieiunio 7. mens. D. Gregorius in Hom. erũt signa. & D. Bernardus Ser. 3. de vigil. natiuit. & ep. 64. Igitur frustrâ nituntur qui tempus istud præsciri posse existimant: & præclarè scripsit Venerabilis Beda cap. 6. de ratione temp. Omnes quidem Sanctos horam aduentus Domini diligere, ac vt propè sit desiderare: sed eos satis periculosè agere; qui eam propè esse aut longè, putare, aut prædicare præsumunt. Multoq; magis vituperandos illos; qui annum ipsum ad certum calculum reducere tentarunt. cùm tamen, vt ait D. Augustin. lib. 18. de Ciuit. cap. 53. Deus omnium de hac re calculantium digitos resoluerit, & quiescere iusserit. Quod enim Apostolis quærentibus noluit indicare, nec aliis reuelabit. vnde omnes illi, qui tempus hoc voluerunt numerare; hactenus falsiloqui sunt inuenti. *post quam D. Augustini sententiam, à Theologis plerisque cum D. Thom. in 4. d. 43, receptam, & huiusmodi vanorũ augurum infelici coniectatione cõprobatam, mirari satis nequeo; nunquam deesse noua temeritatis auctores. Circa Domini annum 1200. Abbas Ioachim certum annorum numerum definiuit, teste Tritthemio: de quo D. Thom. ait, illum non prophetico spiritu, sed*

con-

coniecturâ mentis humanæ de futuris aliqua vera prædixisse, & in aliquibus deceptũ fuisse. Circa annum 1300. quidam Ioannes Parisiensis ordinis Prædicatorij, cuius liber flammis traditus fuit, mundi finem coniecit in annum 1569. Arnoldus de Villanoua, futurum voluit circa annum 1326. Vbertinus à Casali Franciscanus lib. de septem statibus Ecclesiæ, ferè in idem tempus cum Arnoldo consensit. Telesphorus quidam Eremita in lib. de magnis Ecclesiæ tribulationibus, certum quid de tempore illo, ex vanißimis personati cuiusdam Cyrilli, Merlini, & Danduli vaticiniis; quibus etiam nitebatur Vbertinus; se tradere finxit. Mox post annum 1400. visus id nonnullis velle D. Vincentius Ferrerius, quadam epist. de Antichristi natiuitate, etsi mihi de illâ epist. nihil certi sit: facilius crediderim de Manfredo quodam Vercellensi, de quo post Antoninum, id refert eiusdem ordinis Hieron. Vielmius, lect. 6. in 1. cap. Genes. Petr. de Halyaco in tract. de concordiâ astronom. veritatis & narration. histor. obtrudit annum 1789. Nicolaus Cusanus, longâ disputatione incidit in annum 1700. prorogandum tamen diuinâ clementiâ, in annos pauciores triginta quinque; in lib. de diebus nouißimis. Ioannes verò Picus Mirandulanus se putat ex Cabalâ & numeris, diem deprehendisse, conclusione 9. & in quæstionibus, ad quas per numeros responsurus erat loco 38. & incidit supputatio illius in annum 1994. Post annum 1500. Cardanus Mediolanens. lib. 2. de varietate, scripsit anno Christi nati 1800. futuram magnam in lege Christi mutationem: fortaßis ad Antichristi aduentum respiciens. Et paullo antè Francis. Meletus, sub Leone 10. ediderat, Quadriuium temporum prophetatorum; quo voluit diem iudicij futurum intra annum 1530. & 1540. ex cuius delirio forte Lutheranus ille Pseudopropheta vaticinium suum hauserat; quo miseris Germaniæ rusticis persuasit, ne agros colerent, vt narrat Ioan. Cochlæus lib. de Actis Lutheri. Quare cùm videamus plerosq; omnes manifesti mendacij damnatos; quid de Pico, Cardano, Cusano, & Haliacensi, quorum dies non venit, aliud exspectandum? maximè cùm rationes illorum omnes friuolæ, & plumis leuiores sint, vt ostendit Vielmius d. lect. 6. cuius in hac quæstione ventilandâ diligentia iubet me manum de tabulâ tollere; ne actum agam: neque hæc ipsa fuissem adscripturus, nisi meminissem annis superioribus multos hæreseωn sectatores, in vulgus sparsisse, per Germaniam, vbi tunc Moguntiæ degebam, Criticum hunc annum esse, vnum ex denario aliquem anni 1580. vsque ad 1590. qui iam impendet. Certè hoc proniores esse debemus ad ignoscendum poëtis, si falsò cecinerunt adesse diem illum: & ideo retineo; adest.

De his vide D. Antonini 3 p. summ. hist. tit. 21. & seq.

389 Vt quondam] *Ætates mundi describunt Oracula Sibyllarum Hesiodus in ἔργ. Virgil. lib. 1. Georg. Ouid. lib. 1. Metamorph. Aratus & Germanicus in Phænom. hîc, noster auream; post, versu 400. argenteã; deinde 401. æream; denique 410. ferream describit. Porrò quæ de Saturni regno, & eius æui hominibus, & noui mundi ortu scribuntur, eorum interpretatio à Platone, in Ciuili petenda.*

390 Iuuenis] *Ipsum mundum homini conferebant veteres; & huius imitatione, florentis & marcescentis ætatis nomina illi tribuebant. Origenes*

tract. 28. in Matth. Sicut ægrotant corpora ante mortem eorum, qui vim non extrinſecus patiuntur: & quemadmodum in omnibus per infirmitatem fit via, ad ſeparandum animã à corpore ſuo: ſic talis ac tanta creatura mundi, cùm corrũpi cœperit, quaſi initium habens & finem, neceſſe eſt ante corruptionem, vt langueat, *&c. D. Gregorius Homil. 1. ſuper Euang.* Sicut in iuuentute viget corpus, forte & incolume manet pectus, toroſa ceruix, plena ſunt brachia; in annis autem ſenilibus ſtatura curuatur, ceruix exſiccata deponitur, frequentibus ſuſpiriis pectus vrgetur, virtus deficit, loquentis anhelitus verba * intercidit; nam etſi languor deſit, plerumque ſenibus ipſa ſua ſalus ægritudo eſt: ita mundus in annis prioribus, velut in iuuentute viguit, ad propagandam humani generis prolem robuſtus fuit, ſalute corporum viridis, opulentiâ rerum pinguis. At nunc ipſâ ſuâ ſenectute deprimitur, & quaſi ad vicinam mortem, moleſtiis crebreſcentibus, crebriùs vrgetur. *D. Ambroſius lib. de bono mortis cap. 10.* Defecit multitudine generationis, hoc ſeculum; tanquam vulua generantis, & tanquam ſeneſcens creatura, robur iuuentutis ſuæ, velut iam marceſcente virium ſuarum vigore deponit. *& cap. 21. in D. Lucam:* Quia in occaſu ſeculi ſumus, præcedunt quædã ægritudines mundi. ægritudo mundi eſt fames, ægritudo mundi eſt peſtilentia, *&c. D. Cyprianus tract. 1. contra Demetrianum;* canos videmus in pueris: capilli deficiunt, antequam creſcant: nec ætas in ſenectutem deſinit, ſed incipit à ſenectute: ſic in ortu adhuc ſuo ad finem natiuitas properat. ſic quodcunque nunc naſcitur mundi ipſius ſenectute degenerat: vt nemo mirari debeat, ſingula in mundo cœpiſſe deficere; cùm totus ipſe iam mũdus in ſenectute ſit, & in fine. *Item:* Illud primo in loco ſcire debes, ſenuiſſe iam mundum; non illis ſtare viribus quibus prius ſteterat, nec vigore & robore eo valere quo antea præualebat: *& cùm id elegantiſſimè partium mundi exemplis comprobaſſet, ſubdit:* Putáſne tu tantam poſſe ſubſtantiam ſeneſcentis rei exiſtere, quantâ priùs potuit nouellâ adhuc & vegetâ iuuẽtute pollere? *&c. multa enim ſunt, & talia, vt cùm illa lego, mei me pigeat, quòd tam ſero ad ſacram iſtam virorum ſanctiſſimorum eloquentiam deguſtandam animum adiecerim.*

* Leg. interciperit. vel intercidit.

397 Communis vſus] *nullius tunc labor erat, quare nec vllius proprietas, ſed commune dominium, communis vſus eorum, quæ ſpontè tellus cuiuis volenti ſuppeditabat, vt docent Aratus & Ouidius. Virgilij quoq; carmen ſic intellexit Seneca ep. 91. Quare nequeo Lactantio aſſentiri, de Virgiliano illo:*

Nec ſignare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat. in medium quærebant —— *ita ſcribenti lib. 5.*

Quod poëtæ dictum ſic accipi oportet, non vt exiſtimemus nihil omnino tunc fuiſſe priuati, ſed more poëtico figuratum; vt intelligamus * tam liberales fuiſſe homines, vt natas ſibi fruges non includerent, ſed pauperes ad communionem proprij laboris admitterent. *Scimus quidem poſt lapſum, ſemper tellurem, pro ſudore vultus humani fruges protuliſſe, & cuique ceſſiſſe, quæ ſuo labore & induſtriâ perceperat: ſed illam interpretatio-*

* Sic legendum.

tationem contendo à Maronis mente prorsus alienam. sequitur enim:
——— nulli subigebant arua coloni. *Item:* ——— ipsaque tellus
Omnia liberius nullo poscente ferebat. *Sed versabatur fortaßis ante Cælij oculos primorum Christianorum in commune mobilia bona cōferentium, de quâ apud D. Lucam Actor. 4. liberalis caritas: à quâ quàm nunc procul!*

398 Et ipsa tellus] *Hesiodus:*

Fructum autem ferebat fertile aruum
Spontè suâ multúmque & copiosum.

400 Alia sed soboles] *argentea ætas, de quâ Hesiodus:*

δεύτερον αὖτε γένος πολυχειρότερον μετόπισθεν
ἀργύρεον ποίησαν ὀλύμπια δώματα ἔχοντες
χρυσέῳ οὔτε φυὴν ἐναλίγκιον οὔτε νόημα
Secundum inde genus multo deterius postea
Argenteum fecerunt cælestium domorum incolæ,
Aureo neque naturâ simile neque intellectu.

401 Tertium] *Hesiodus æreum vocat* χαλκεῖον, *& bellorum ei initia tribuit. credo quia initiò arma ærea.*

402 Sanctum tamen] *initiò: sed quod mox degenerauit: vel poßis ad Heroas referre, quibus quartam ætatem tribuit Hesiodus, sed magis placet prior interpretatio, de tertio genere.*

405 Rete vel calamo leui] *quod de lectionis varietate olim dixi in Aduersariis, dicere volui in omnibus m.s. quæ tunc videram legi:*

——— fluctibus tectos graues
Extrahere pisces rete, vel calamo leui
Decipere volucres crate: ceruos aut leues
Tenere laqueo, premere subiectos iugo, *&c.*

& sic etiam in excusis quibusdam, sed non omnibus haberi, etsi in omnibus inueniantur omnino illa verba, quæ N. sustulit: in ceteris, aliqua varietas est. M.s. Aquitanici quibus sum postea vsus eadem verba habent. Mogun. autem:

——— reti vel calamo leui:
Decipere volucres crate, calamos queant leui
Tenere laqueo. *Herbip. & Veneti,*
——— reti vel calamo leui:
Decipere volucres crate aut leui
Tenere laqueo ——— *Lugdunens. & alij quidam:*
Extrahere pisces rate, vel calamo leui,
Decipere volucres crate vel calamo aut leui
Tenere laqueo. *Sed in margine;*
——— crate, ceruos aut leues, *&c.*

Vides, quid inscitia cum audaciâ queat? voluit ergo hoc dicere tantum, studium tunc summum fuisse brutis insidias tendere, hominibus abstinere: vel inquit tauros aratro iugabant; vel ceruorum velocitatem plagis morabantur; vel aues craticulâ decipiebant; vel pinguiusculos pisces & abdomine graues, retibus & leui lineâ extrahebant. duarum ergo piscationum meminit, nam

quod

quod Lugdunens. de, rate, *nihil est. mendosè ;à, pro; e, excusum. retiariæ, & hamotrahoniæ meminit Plato in Parmenide.* Calamo leui] *calamus non significat hic sagittam ; vt apud Virgilium :* Vulnera dirigere & calamos armare veneno. *sed piscatoriam cannam , de quâ Theocritus Idyll.22,* ἐκ καλάμων δ᾽ ἐπλάνον κατέσειον ἐδωδάν. *vide Herc. Eur.154.*

405 Laqueo] *etiam laqueis teneri maiores feras docet Hip. ver.44.* Alius raras portare plagas, Alius teretes properet laqueos. *omne id quo feræ illaqueãtur, laqueus. quare & casses, laquei. cur non æquè sic, ac viscũ fugarum, & lineam compedem? Sed & apud Senec. lib.3. de irâ; laqueis artantur feræ.*

408 Vulnere] *Mog.* voucre. *an ergo,* vomere? *vt est in Lugdun. marg.*

410 Interius] *Moguntinens. Herbipol. & Veneti;* interior.

412 Eruit ferrum graue] *Herodotus primam ferri inuentionem Scythæ cuidam ascribit; alij ex Idæis Dactylis vni. Thraces primi gladios incuruos, Illyrij peltam, Amycus cæstus, Canos clypeum, Noropes gens Norica ferri purgandi artem excogitarunt. ita Clemens Alexand. lib.1. Strom. Cassiodor. lib.1. varior. scribit* pugnam *dictam, quod principiò pugnis homines cõflixerint: postea à Belo gladium ferreum inuentum, & inde* bellum *nuncupatum.*

422 Luxuria] *nouissimam mundi ætatem, bonorum omnium sterilem, sed vitiorum fœcundissimam futuram diuinum eloquium testatur Matt.10. & 24. Lucæ 18. 1.Timoth.4. 2.Timoth.3. & sancti Patres nõ omiserunt, duorum duntaxat ascribam verba. D.Cyprian. lib. de simplicitate Prælator.* Adimplentur quæcumque prædicta sunt, & appropinquante iam sæculi fine, hominum pariter ac temporum probatione venerunt; & magis aduersario veniente, error fallit, extollit stupor, liuor incendit, cupiditas excæcat, deprauat impietas, superbia inflat, discordia exasperat, ira præcipitat, *&c. D.Hippolytus Episcopus & Martyr. lib. de consummat. mundi, scribit vltimâ eius ætate; omnes suo arbitratu victuros, non legibus, filios manus iniecturos in parentes, ab vxore virum neci tradendum, à viro rursus coniugem capitali iudicio ream peragendam; dominos in famulos futuros inhumanos; seruos erga dominos animo contumaci; senis canos neminem reueriturum; iuuenilis formæ neminem miserriturum: diuinas ædes, priuatarum domorum instar habendas; Ecclesias omnibus locis subruendas: hostis illius cantica vbique decantanda. Post stupra, adulteria, periuria, sortilegia, incantationes magnæ curæ & studio cunctis fore.* In summa (*inquit*) ex iis qui Christiani videntur, tunc exsurgent falsi prophetæ, falsique apostoli, homines impostores, corruptores, malefici, mentientes alius in alium, adulteri, stupratores, rapaces, auari, periuri, detractores. Pastores fient quasi lupi; monachi expetent quæ sunt mũdi: diuites, animum expertem misericordię induent: pauperi non succurrent Principes, potentes miserationes abiicient, iudices iustum auferent ex iusto, muneribusque excæcati iniustitiam probabunt. διὸ πάντες τῷ ἰδίῳ θελήματι ἐμπεριπατήσουσι· καὶ τὰ τέκνα τοῖς γονεῦσιν ἐπιβαλλοῦνται χεῖρας· γυνὴ τὸν ἴδιον ἄνδρα παραδώσει εἰς θάνατον, καὶ ἀνὴρ τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐπὶ κριτήριον ἄξει ὡς ὑπεύθυνον· δεσπόται ὡς τοὺς ἰδίους δούλους ἀπάνθρωποι αὐθεν-

σήσονται, καὶ δοῦλοι πρὸς τοὺς δεσπότας ἀνυπότακτον διάθεσιν περιβαλοῦνται. πρεσβυτέρου πολιὰν οὐδεὶς αἰδεσθήσεται, καὶ νεωτέρου κάλλος οὐδεὶς οἰκτηρήσεται· οἱ ναοὶ τοῦ θεοῦ ὡς οἶκοι ἔσονται, καὶ καταστροφαὶ τῶν ἐκκλησιῶν πανταχοῦ γενήσονται. αἱ γραφαὶ καταφρονηθήσονται, καὶ τοῦ ἐχθροῦ τὰ ᾄσματα πανταχοῦ ἐξᾴσουσι. πορνεῖαι, καὶ μοιχεῖαι, καὶ ἐπιορκίαι. καὶ ἐπαοίδιαι, καὶ μαντεῖαι ὀπίσω τούτων σφοδρῶς καὶ προθύμως ἐξακολουθήσουσι. καὶ καθόλου ὑπὸ τῶν δοκούντων εἶναι χριστιανοί, τότε ἐγερθήσονται ψευδοπροφῆται, ψευδαπόστολοι, γόητες ἄνθρωποι, φθοροποιοὶ, κακοποιοὶ, ψευδόμενοι κατ' ἀλλήλων, μοιχοὶ, πόρνοι, ἅρπαγες πλεονέκται. ἐπίορκοι, κατάλαλοι. οἱ ποιμένες ὡς λύκοι γενήσονται. οἱ μοναχοὶ τὰ τοῦ κόσμου ποθήσουσιν. οἱ πλούσιοι ἀσπλαγχνίαν ἐνδύσονται· οἱ ἄρχοντες πτωχοῖς οὐ βοηθήσουσιν, οἱ δυνάσται οἰκτιρμοὺς ἀποβαλοῦνται οἱ κριταὶ τὸ δίκαιον ἐκ τοῦ δικαίου ἀροῦσι, καὶ τοῖς δώροις ἐκτυφλούμενοι, ἀδικίαν ἐπισπάσονται. *Num hi alij sunt, quam hominum ætatis nostræ mores? quos ipsa quoque Sibyllarum oracula graphicè exprimunt: adscriberem, nisi vererer tædium adferre festinantibus.*

423 Cui vires dedit] *mirè enim augescunt vitia, si cōsuetudine nutriantur, erroreq; foueantur. nam quod assueuimus, vix relinquerè possumus; quod putamus fieri debere, vel decere, vel saltē licere, deserere non facilè volumus.*

425 Sæculo] *ætate* graui. *quia vergens, & deprimens tanto tot flagitiorum pondere: quod quàm graue bonis, vel in alto videre, sciunt qui boni, qui Christianæ caritatis micam aliquam possident.* Sæculum. *hîc nullum annorum numerum significat: aliàs centum annorum numerum, quemadmodum &* generatio, *l. an vsusfructus D. de vsufr. & l. legatum D. de vsuf. legat. sæpe tamen accipitur pro tempore triginta annorum, vt Græcorum* γενεὰς *sumi docent Polybius lib. 4. & Eustathius in Homerum, & alij.*

433 Abscissum caput] *hoc ait, quia reipsâ Centuriones cæsorum capita ad Neronem retulêre, quibus Nero crudelissimè illusit, auctore Tacito lib. 14. Annal. Præfectus autem, quem hic alloquitur, non est Burrus Afranius, iam veneno sublatus, teste Tacito lib. 12. & Suetonio in Nerone cap. 35. sed alter è duobus, qui Burro, more antiquo, successerunt, Fenius Rufus, vel Ophonius Tigillinus; &, vt opinor, hic potiùs, quia validior in animo Principis, teste Cornelio lib. 14. Præfectus prætorio hic erat, hoc est, præfectus aulæ, vt multis docet Pet. Faber lib. 1. Semestr. cap. 1.*

434 Castra confestim petam] *militum vocandorum gratiâ. tunc ergo habitabant Prætoriani milites in castris Prætorianis, à Tiberio in extremâ vrbis parte constitutis, vt ex Dione, Tacito, Suetonio docent Onufrius, Lazius, Faber. De his Castris sic legitur in Commentar. vet. Iuuenal. Sat. 10. (vbi illa Iuuenalis* domestica castra *vocat, quia in vrbe)* iuxta aggerē primus castra posuit Seianus, id est, super Diocletianas; quæ dicta sunt castra prætoria. *& in Sat.* XI. A Suburrâ frequentissimâ regione, migrare ad Diocletianas vbi solitudo est. *habebant tamen stationem in ipso palatio, & more militari excubias singuli vicissim tribuni agebant, vt docet Tacitus lib. 6. ideo infrà versu 774.*

Onufr. in Vrbe Rom. Lazius lib. 6. comm. Rom. c. 1. Pet. Fab. d. c. 1.

Quicunque miles tectis exsultat Ducis,

Defen-

Defendat aulam —— *hic verò, ne quenquam à Statione Palatinâ abducat, ad castra properat præfectus, vt inde mittat, qui Neronis imperium exsequantur.*

443 Cùm faciam Deos] *cùm ipse illos indigetem & consecrem, cuius apotheosis ritum ex Herodiano & Dione proponunt Pierius lib.* 19. *Hieroglyph. & prolixius Guicchardus lib.*1.*de Funerib.cap.*13.*quibus addi poterũt hæc Iunioris Plinÿ, in Panegyr.* Dicauit cælo Tiberius Augustum, sed vt maiestatis numen induceret; Claudium Nero, sed vt irrideret; Vespasianum Titus, Domitianus Titum; sed ille, vt Dei filius, hic vt frater videretur. Tu sideribus patrem intulisti, non ad metum, *&c. Vnde patet, cur Nero dicat*, cùm faciam. *patet etiam primum Augustum à Tiberio in Deorum numerum relatum. ideo postea dicet, ver.* 523. Pietate gnati factus eximiâ Deus. *id veteres* diuinare *vocabant: si verè Gloss. Græco Lat.* ἀποθεῶ diuino. *Videtur autem* faciendi *verbum hac in re solẽne & Brissonianis formulis addendum. sic enim etiam Herc. Furente dixit:*

—— hæc quæ cælites
Recepit, & quæ fecit, & (fas sit loqui)
Fortasse faciet ——

sic Manilius lib. 4.

Iam facit ipse Deos, mittitq. ad sidera numen. *vt & Iuuenalis, de fortuna: & Vulcatius inferius citandus. Id alÿ* dare Deos *dicunt. Valerius Maximus initio operis*, Deos enim reliquos accepimus, Cæsares dedimus. 446 Leuis est Dea] *Aureum illud Publÿ*; Fortuna vitrea est, tunc cùm splendet frangitur.

449 Iacentem] *remissum, lenem, mansuetum, clementem. sequens* τὸ, inursum, *videtur suadere, vt hîc legatur*; placentem. *sed nihil muto. En duo tibi, Odium, & Contemptus, exitia Principum. scopuli naufragiis regnorum infames. alterum illud prius semper tyrannis adesse, sed posterius rarius, sed longè maiorem ad euersionem habere vim docet Aristoteles lib.* 5. *Polit.c.* 10. *Inefficax ferè odium, nisi contemtus accedat. Qui odit, optat noua, non audet: qui contemnit, quia non metuit, aggreditur contemtum, solio deturbat, & solo calcat. hoc Nero significare voluit.*

450 Ferrum tuetur] *Xenophon*; Quare; quòd etiam te, Cambyses, minime latet; non est aureum hoc sceptrum, quod regnum seruat; sed amici fidi, sceptrum sunt regibus fidissimum, maximeque tutum. Verùm ne putes homines nasci naturâ fidos; omnibus enim iidem fidi conspicerentur, quemadmodum etiam alia quæ naturâ gignũtur, omnibus conspiciuntur eadem: sed fidos oportet sibi vnusquisque faciat; quorum acquisitio nullo modo fit vi, sed beneficentia potius. *Herodiani Marcus*; Neque enim, aut pecuniæ vis tyrannidis luxuriam explere, aut stipantia satellitum agmina tueri principem possunt: nisi illi ipsi, quos regas, animum imperanti, beneuolentiámque accommodent. Quippe ij demum diu tutóque imperant, qui non metum ex crudelitate, sed amorem ex bonitate, ciuium suorum animis instillant. neque

enim quos seruire necessitas coëgit, sed quos obtemperare sua quemque voluntas adegit, ij sunt in agendo patiendóque à suspicione omni assentationéque vacui, & nunquam imperia detrectant, nisi violenter imperioséque sint habiti. Est autem difficile in maximâ licentiâ moderari sibi, quasique frenos imponere cupiditatibus. *Plurima in eandem sententiam Dion iuniori Dionysio consulit apud Plutarchum in Dione: &*
" *Aemilius Probus, postquàm narrasset hunc ipsum Dionem, non tam suis co-*
" *pijs, quàm odio tyranni fretũ maximo animo duabus onerariis nauibus quin-*
" *quaginta annorum tyrannidem, quingentis longis nauibus, decem equitum,*
" *centum peditum millibus munitam, aggressum, adeo facilè perculisse, vt post diem tertium quàm Siciliam attigerat, Syracusas introierit; pro coronide addit;* Ex quo intelligi potest, nullum esse imperium tutum nisi beneuo-
" lentiâ munitum. *Cicero lib. 2. de Offic.* Rerum (*inquit*) omnium, nec ap-
" tius est quicquam ad opes tuendas, quàm diligi, nec alienius, quàm ti-
" meri. *Elegantissimè noster lib. 1. de clementiâ cap. 12.* Interim hoc quod
" dicebam clementia efficit, vt magnum inter Regem tyrannúmq; dis-
" crimen sit, vterque licet non minus armis valletur: sed alter arma ha-
" bet, quibus in munimẽtum pacis vtitur, alter vt magno timore magna
" odia compescat. Nec illas ipsas manus, quibus se cõmisit, securus aspi-
" cit. Contrariis in contraria agitur. Placido tranquilloq; Regi fida sunt
" auxilia sua, quibus ad communem salutem vtitur: gloriosúsque miles,
" publicæ enim securitati dare operam videtur, omnem laborem libens
" patitur, vt parentis custos. at illum acerbum & sanguinarium, necesse
" est grauentur stipatores sui. *& cap. 13.* Non potest habere quisquã bo-
" næ ac fidæ voluntatis ministros, quibus in tormentis, & eculeo, & fer-
" ramentis ad mortem paratis vtitur; quibus non aliter quàm bestiis ho-
" mines obiectat, omnibus reis noxior ac sollicitior, vt qui homines
" Deosq; testes ac vindices facinorum timeat. *cap. 19.* Errat enim si quis
" existimat tutum esse ibi Regem, vbi nihil à Rege tutum est. sed securi-
" tas securitate mutuâ paciscenda est. Non opus est instruere in altum
" editas arces, nec in ascensum arduos colles emunire, nec latera mon-
" tium scindere, multiplicibus se muris, turribúsque sepire. Saluum Re-
" gem in aperto clemẽtia præstabit. vnum est inexpugnabile munimen-
" tum, amor ciuium, *&c. Vereor enim ne me delectatio, quam huius auctoris lectione capio, longius abripiat, & nimium multa ascribere cogat. Nil sapit, cui Seneca non sapit.*

452 Cæsarem] *negat Ioachim. Fortius, Cæsarem à cæso matris vtero dictum, sed defendit etymon commune Misaldus centu. 1. memorab. aphor. 100. & ego repperi etiam apud Spartianum in Aelio Vero:* Cæsarem (*inquit*) vel ab elephanto, qui linguâ Maurorum, *cæsa* dicitur, in præliocæso, eum qui primus sic appellatus est, doctissimi viri & eruditissimi putant dictum: vel quia mortuâ matre ventre cæso sit natus, vel quod cum magnis crinibus sit vtero parentis effusus, vel quod oculis cæsiis, & vltrâ humanum modum viguerit.

456 Despectus ensis] *eum innuit, quem Imperatores in signum summæ potestatis gerebant, de quo ex Senecâ, Suetonio, Tacito, & Dione Pet. Faber d.lib. 1. cap. 3. hunc, inquit, contemnunt, quia rarò stringitur; nondum in ceruices nobilium promiscuè sæuit. faxo; ne contemnant amplius iussa mea: vt quod volo velint, quod nolo nolint quoque. Latuisse hunc ensem volunt Critici; & nunc minari, detegendum. quomodo, tot interfectis, latuit? an fortè tectus vaginâ tot necauerat? paucos interemisse se Nero putabat: plures minatur. Omnes, quos vidi, codices;* despectus. *& statim se* contemtum *vocat.*

464 Ense] *rectè. nam viri nobiles tam tum gladio, securi ignobiles feriri solitos, docet idem Faber cap. 4. Nec satis rectè, qui contrà nituntur.*

465 Carum] *v. l.* & carum.

471 Hæc summa virtus] *clementia: in cuius laudem integrum Senecæ opus ad Neronem.*

471 Petitur hac cælum via] *Arrianus*; Sed pergite vt cœpistis Macedones & socij. viros enim fortes & labores ac pericula non recusantes, præclara & illustria facta sequuntur: eaque demùm vera & solida voluptas est; si cùm vixeris honestè, mortuus immortalē gloriam posteritati relinquas. An ignoratis Herculem progenitorem meum, nunquam ad tantam gloriam venturum fuisse, vt in Deorū referretur numerum, & ex homine Deus haberetur; si vel Tirynthi, vel Argis, vel in Pelopōneso, aut Thebis segnis sedisset? Quin etiam ne Dionysi quidem; qui Deus Hercule maior habitus est; exigui labores memorātur. *Tertullianus in Apologetico testatur, maledicti genus fuisse, si quis ante ἀποθεώσιν Imperatorem vocasset Deum. Multos tamen Imperatores, vt Caligulam, Domitianum, & alios, hoc nomen vsurpasse, vel ab inuitis, memini. M. Antoninus Imp. Faustinæ vxori in hæc verba scripsit*: Non enim est quicquam, quod Imperatorem Romanum melius commendet gentibus; quàm clementia. hæc Cæsarem, Deum fecit: hæc Augustum consecrauit: hæc patrem tuū inprimis Pij nomine ornauit. *citantur à Vulcatio, in Cassio. Seneca in Ludo de morte Claudij*. Principes pietate & iustitiâ Dij fiunt. *quæ tamen omnia desunt in membran. Burdegalens. Cicero lib. 1. de legib.* & illos, quos in cælo merita collocauerunt, Herculem, Æsculapium. *&c. Et lib. 2. de Nat. Deorum*: Suscepit autem vita hominum, consuetudóque communis, vt beneficiis excellentes viros in cælum famâ & voluntate tolleret. hinc Hercules, hinc Pollux, *&c. prolixè hac de re Lactantius lib. 1. cap. 15.*

479 Nutúque] *Moguntin. Herbipolens. & Veneti*; Nutuíque.

480 Inuidia] *Si vulgatam plurium lectionem tuearis; sensus erit: victam pio totius reip. consensu inuidiam. Senatum Neroni, vt digniori, cessisse: nec minori affectu iudicium Senatus secutos reliquos. hunc consensum vt exprimat, suum cuique ordini decenter attribuit; votum plebi, fauorem equestri ordini, iudicium patribus. Alij tamen suggerunt:*

Inuidia t. v. consensu pio
Cessit. Senatus, Equitis accensus fauor.

Plebísque

Plebísque votis, atque iudicio Patrum
Tu pacis auctor ——— *Pro;* accensus, *quod ceteri Lugdunens.* assensus, *idem habet;* votis, *& sic Moguntinens. Herbip. & Venet. Omnes tamen, quos vidi codices, habent,* Plebísque v. est atque iudicium patrum, *vel;* Plebísque v. a. iudicium patrum est. *vt quod sequitur;* Tu pacis, *&c. à praecedentibus non pendeat: sed nunc, blandimentis illum aggrediatur.*

484 Orbem tu sacra specie regis] tu, *deest multis libris, & Eibius omisit. Herbip. & Veneti;* specie sacrâ. *Moguntin.* orbem sapientiâ sacrâ. *Sanè istud;* specie, *me offendit; sed non habeo, quod substituam.*

485 Patriæ parens] *Seneca lib. 1. de clementiâ;* Hoc, quod parenti, etiam Principi faciendum est: quem appellauimus PATREM PATRIÆ, nō adulatione vanâ inducti cetera enim cognomina honori data sunt. Magnos, & Felices, & Augustos dicimus, & ambitiosæ maiestati quicquid potuimus titulorum congessimus; illis hoc tribuentes. Patrem quidem patriæ * appellauimus, vt sciret sibi datam potestatem, quæ est temperantissima, liberis consulens, suaque post illos reponens. *Agit de hoc nomine, quasi in liberâ repub. degeret. Nam tunc meritis tantùm deferebatur. vnde illud:*

* Sic membr. Burdigal.

Roma PATREM PATRIÆ Ciceronem libera dixit.

Sed translato in Monarchas imperio cessit dignitati, & simul cum imperio in successores à Senatu initio imperij deferendum migrabat. Testem producam Plinium Iuniorem in Panegyr. Traiani, sic loquentem: At tu etiam nomen PATRIS PATRIÆ recusabas. quàm longa nobis cum modestiâ tuâ pugna? quam tardè vicimus? Nomen illud, quod alij primo statim Principatus die, vt Imperatoris & Cęsaris receperunt: tu vsque eo distulisti, donec tu quoque beneficiorum tuorum parcissimus æstimator, iam te mereri fatereris. Itaque soli omnium contigit tibi, vt PATER PATRIÆ esses, antequam fieres.

486 Quicquid excelsum] *consilium Periandri. Aristoteles 5. Polyt. cap. 10.* ex quo fonte consilium Periandri Thrasybulo datum manauit, spicarum supra alias eminentium mutilatio, & quasi decurtatio, perinde quasi ciues excellentes semper de medio tollere oporteat. *Sed exstat epistola Thrasybuli, qua hoc ipsum Periandro suadet, & apertè consiliũ suum explicat.* Tu ergo (*inquit, vt D. Ambrosij vtar interpretatione*) sic facito, siquidem tyrannidem tutò tenere cupis, atque in ea constabiliri. Ciuitatis Principes tolle, siue illi amici, siue inimici videantur: quippe tyranno amici quoque sæpe suspecti sunt.

490 Ciues] *Moguntin. Herbip. & Veneti, & Eibius;* viros.

498 Ille qui metuit pia] *Seneca lib. 1. de Clementia:* Hæc Augustus senex, aut iam in senectutem annis vergentibus. In adolescẽtiâ caluit, arsit irâ, multa fecit ad quæ inuitus oculos retorquebat. *& paullo post:* Fuerit moderatus & clemens, nempe post mare Actiacum Romano cruore infectum: nempe post fractas in Siciliâ classes, & suas, & alienas: nempe post Perusinas aras, & proscriptiones. *His dictis nunc Nero*

Sen-

Senecam inuadit, proprio illum, quod dici solet, gladio: propter hæc similia Ausonius ait illum sæuitiam Neronis armasse.

505 Exposita] *Ciceronis, L. Paulli & aliorum, qua de re Cornelius Seuerus disertissimè, lib. 1. Suasoriar. senioris Senecæ:*

Oráque magnanimûm spirantia pæne virorum, *&c.*

511 Philippi] *vel, iuxta Ptolomæū vrbs vicina Thraciæ, vel ipsius Thraciæ iuxta Plinium; vel Thessaliæ, iuxta Ouidium, Florum & Seruium: vel, quod certum omnino, Macedoniæ, teste D. Lucâ Act. 16. ad Stridonem fluuium à Philippo condita. Theodoretus totam prouinciam, Macedoniæ partem, censet Philippos dictam, eiusq; metropolim Thessalonicam fuisse; sed vereor ne falsò. nam 1. Thessal. cap. 2. distingui videntur Philippi à Thessalonicâ, & apertiùs Act. 17. vbi à Philippis, Amphipolim, & Apolloniam, & inde Thessalonicam D. Paulus proficiscitur: & cap. 16. apertè scriptum;* inde Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ ciuitas colonia. *&, ne vocem,* ciuitas, *sic dici putes, vt Latinè veteribus, ciuitas Treuirensium, ciuitas Heduorum, &c. in Græco; ἐκεῖθέν τε εἰς Φιλίππους, ἥτις ἐστὶ πρώτη τῆς μερίδος τῆς Μακεδονίας πόλις κολώνια. In campis Philippicis pugnatum à Cassio & Bruto, contra Octauium & Antonium. Qui putant in iisdem à Cæsare & Pompeio acie decertatum, quãuis vti queant auctoritate Virgilij, Ouidij, Lucani; falluntur tamen. nam Pharsalici, qui exitiales Pompeio, à Philippicis, qui Bruto, magno absunt interuallo. Vide Glarean. in annot. ad lib. 1. Lucani.* 512 Cædentes] *sic N. alij;* cedentes. *malè. ait ciues à ciuibus sæpe necatos in mari. parum tamen Latinè.*

517 Ægyptus] *incæstam vocat, quia nupta soror fratri, Cleopatra Ptolomæo. de Ægypto, scribit Apollonij Scholiastes in 4. veteres dissensisse. nam quosdam Asiæ, alios Libyæ ascripsisse. litem Dionysius Alexandrin. dirimit. nam tradit Nilum diuidere Asiam ab Africâ; & ab occasu quidem Africam, ab ortu Asiam esse. pars ergo Aegypti maior, quæ citra Nilum, ad Mauritaniam, Africa; quæ vltra Nilum minor, ad Arabiam, Asia: & hoc manifestè conuincunt, quæ de Pellusio postea subiungit. Atque ita concilio scriptores, qui modò Asiæ, modò Africæ annumerant.*

538 Quod] *quia decreuit ira vlciscendum contemtum hunc mei; quæsiui vxorem me dignam, & inueni.*

539 Inueni] *sic o. l. præter Lugdun. qui;* inuenit. *scilicet dolor.*

541 Ferox] *Pallas.* 542 Probitas] *videtur desumtum ex Aristotele lib. 2. Oeconom. vbi docet in vxore, animi quàm corporis dotes esse laudabiliores: quâ de re etiam Lucianus ἐν εἰκόσι.*

546 Omnes in vnam] *de Poppæa Tacitus;* Huic mulieri cuncta alia fuere, præter honestum animum. quippe mater eius suæ ætatis feminas pulchritudine supergressa, gloriam pariter & formam dederat. opes claritudini generis sufficiebãt. sermo comis, nec absurdum ingenium modestiam præferre, & lasciuiâ vti. rarus in publicum egressus, idque velatâ parte oris. *Comment. vetus tradit hanc adeo diligentem colendæ formæ fuisse, vt eam in exsulium quinquaginta asinæ sint subsecutæ, quarum*

lacte candorem corpori conciliabat. Inuentrix etiam medicamenti, quod ab eâ Poppeanum, de quo Iuuenalis Sat. 6.

550 Cæli tyrannum] *de eodem Anacreon.* Hic verò Deûm dynasta. *Menander*; Amor præ Diis omnibus pollet robore. *Sophocles*; Ille enim imperat, & Deos quasi frenat.

551 Freta] *nam Nereides ibi figit, Tethym, Thetidem, ipsum Neptunum; de cuius amoribus & lasciuiis Ouidius in epist. Heronis.*

552 Ditísque] *in Proserpinam, vide Claudian.*

554 Arcúsque] *quomodo? an facem arcu iaculatur? miror non exuri neruum. Ebibius legit*; Artúsque, *hoc est, manus.*

557 Otio] *otio & luxu nutriri amorem docet Alexander Aphrodis. in Problemat. & alij citati à Lilio Syntagm. 13. & Tiraquello in legibus connubialibus.* Otio *addit* lætæ fortunæ bona: *quod verißimum. nam se comitari solent. quoniam fortuna secunda, nisi labore distrahbaris, negligentiam gignit, otij matrem. Cato quadam oratione,* Scio fortunas secundas neglegentiam prendre solere: quod vti prohibitum irem, quod in me esset, meo labori non parsi.

560 Hanc esse] *Hæc Neroni non Senecæ tribuenda olim monui. sequentia non videntur mendi expertia.*

564 Qui truces] *Argentarius*:

Quid video in gemmâ hac? Amor est, auriga leoni
    Insidet, & frenis ora superba regit.
Vna manus flagro cædit; moderatur habenas
    Altera. nulla magis signa placere queant.
Sed metuo immitem puerum. Mortalibus ægris
    Quid faciet qui sic corda ferina domat?

566 Iugétque] *nonnulli m.s. & vet. impreßi*; iungátque.

567 Vix sustinere] *emendaui hunc locum in Aduersar. & video idem probari postea aliis: sic etiam Eguian. Moguntinens. & Veneti. malè autem Lugdunens. Basileens. & Lipsiens.*; Deus. *pro*, dolor.

570 Maiora] *multa sibi populus permitti vult, quæ Principi tamen ipse non permittit. Seneca consolat. ad Polybium cap. 26.* Cæsari quoque ipsi, cui omnia licent, propter hoc ipsum multa non licent. *nam rectè Tragicus,* Οὐ τοὺς κρατοῦντας χρὴ κρατεῖν; ἃ μὴ χρεών. Non licere ea imperantibus, quæ fas non est fieri. *Theodahadus rex apud Caßiodor.* Cùm possit omnia, profitetur persuasum animo suo, sola sibi licere laudanda. *Apuleius quod ad hunc Senecæ locum lib. 1. Florid.* Tantum habet vilitas excusationis, quantum dignitas difficultatis.

571 Furor] *Moguntin. & Veneti, cum Eguiano*; Fauor.

576 Negare] *assentior corrigenti*: Necare. *In sequenti carmine, Herb. & Veneti*; remittat. *sed ceteri excusi cum meis m.s.* permittat. *vide quæ suprà Hipp. ver. 135. dicta.*

579 Carpit tamen] *cùm enim (teste Thucydide 1. hist.) præsens imperium semper subditis graue sit; multum operæ pleri ponunt, vt queant*

humili

—— humili læsisse veneno *detractionis* summa. Nec *ferè volunt*, impositos vnquā ceruice volenti Ferre duces; *vt ait Parthenopæus vates.*

586 Cùm] *pro* quandò, *per*, qu. *scribendum, distinctionis causså, voluit Cæcilius vindex, vt in illo Ennij*: Cassiodorus lib. de Ortho graph.

Cùm legionibu' quum proficiscitur Induperator.

Huic Curtius Valerianus assentitur. Sed Annæus Cornutus, apud Caßiodorum, semper. Q. recipit, etiam cùm præpositio est; & Iulium quendam laudat eius sententiæ suffragatorem; quem puto non esse Iulium Cæcilium vindicem, cùm dissentiat: fortè, Cæsar est.

586 Diem] *videtur intercidisse chorus; vel alium in locum irrepsisse.*

IN ACT. III.

Prodit ex inferno Agrippina, & dirum finem filio impio, ipsiq; Poppææ minatur; cui eadem in somnis dormienti per visum apparent. Deinde Octauiæ querelis excitati Romani sæuiunt in statuas Poppeæ.

592 Vertet] *vt nuptialis fax mutetur in funebrē & feralē. Mog.* vertat.

595 Nox] *idem tradit Tacitus. Lugdun. & alij nonnulli*; Vox.

596 Comitum] *Crepereij Galli, & Aceroniæ.*

602 Intra penates] *in villâ Augustâ lacus Lucrini.*

604 In nomen] *titulos, nomen, memoriam damnare conabatur.*

606 Mortis metu] *Minatur mortem iis, qui nomen vel titulos meos non eraserint; qui mei memoriam coluerint. Vel*, mortis metu; *quia timet se tutò regnare non posse, quamdiu mei memoria parricidium eius in memoriam reuocabit; non laturis impij & prophani parricidæ imperium.*

611 Tumulúmque gnati, poscit auctorem necis] *Claudius, inquit, apud inferos exprobrat mihi necem suam, & necem filij Britannici; & petit occidi Neronem auctorem duplicis parricidij. hic sensus lectionis huius, quæ quorumdam m. s. est. Basiliens. & Lipsiensium: Alij, vt Herbipol. Veneti, & Lugdunens.* —— fatum mihi, Tumulúmque nasci poscit auctorem necis. *mendosè. Moguntin.* Fatum mihi, Tumulúmque, Vlcisci p. a. necis. *sententiâ congruâ. imputat (inquit) mihi, necem, & tamdiu, ne mors innotesceret, dilatam sepulturā (quod Suetonius narrat) vtriusq; sceleris pœnas me à Nerone exigere, postulat. Sed huic lectioni versus ratio repugnat.*

626 Sceleribus] *suppliciis, quæ debentur sceleribus tantis.*

633 Meus occidisses] *an nunc occidet alienus? an quia malus, non tuus? recipe lectionem m. s. Moguntini*; Mecum occid. *mihi commortuus, nec supplicia perferres in inferno, nec vllo terrore perturbareris. Fuit hæc opinio Gentilium de infantium vmbris. vnde sup. habuimus:*

His datum solis, minus vt timerent
Igne prælato releuare noctem. *vbi dicta quædam.*

640 Coniunx] *cum N. in secundâ syllabâ scribi placuit Velio Longo; sed*, coniux, *sine N. tuebatur Nisus Grammaticus antiquiss.*

642 Festo] *propter nuptias Neronis & Poppeiæ.*

648 Mortem] *sic Moguntinens. sed retineo*; vel morte.

656 Socerum diri miserãda viri, Potes hæc demens sperare memor?] socerûm, & ; hæc *omnes libri, quos ego vidi. alij restituunt alia. nihil muto. sensus: Quid tu vitam tibi polliceris? potésne huiusmodi sperare, demẽs, quoties recordaris Claudij patris mei, qui ex me Socer Neroni ; & Appij Silani, qui pater Iunij Silani, mihi desponsi ; quos ambos Nero sustulit? eum qui talis in soceros; clementiã vsurum arbitraris in te, quam præcipuè odit. Distulit te in ipsum nuptiarũ cum Poppæiã diem. cæderis victima coniugij: vt olim Silanus Iunior, sponsus tuus, tuis ne fieret Hymenæis potens. sanè sup. 145. victimam hunc Silanum vocauit.* 665 Claudia] *Octauia Claudij F. sic illam vocat frequenter, propter gentis Claudiæ nobilitatẽ ; quæ ante Imp. Tiberium Consulatibus* XXX. *Dictaturis V. Censuris.* VII. *Triumphis.* VI. *Ouationibus* II. *fuit illustris, teste Suetonio, in Tiberio.*

679 Affigat humo] *Eguian. lib.* affligat. *probè. sic inf.* 789. ara fulgens ora Poppeæ gerens Afflicta vulgi manibus. *Lucretius lib.* 2.

Præterea quamuis animantem grandior ictus,
Quam patitur natura, repentè adfligit ———

Horatius : ——— adfligit humo diuinæ particulam auræ.
quod qui Latinum negant, in Latium ablegandi. Idem Horat.

Aut alius casus lecto te adflixit. *Silius lib.* 1.
Adfligunt proni squallentia corpora terræ.

Suetonius, de Domitiani statuis; solo affligi videret: *quod de iisdem Plinius iunior* ; iuuabat elidere solo superbissimos vultus. *Item* : imagines eius detrahi, & affligi solo iuberet.

IN ACT. IIII.

Narrat Poppea nutrici somnium, quod illa vanâ interpretatione conatur eludere. Chorus formam Poppeæ laudat, & furorem Romanæ plebis narrante nuncio, dira minatur plebi.

686 Madent] *plerique v. l.* manant.

690 Culpa Senecæ] *an potius insimulat Senecam mortis Agrippinæ, quæ vna maximè his nuptiis obstabat (vt ex Taciti Historia patet) qua sublata de medio, Senecam fecisse viam, & aditum quasi amori Neronis ac Poppeæ aperuisse, significat? an denique, quod fieri solere Plutarchus scripsit, discipuli delicta in magistrum retorsit? quod Ausonium fecisse comperior, in „ Gratiarum actione pro Consulatu, his verbis* : Diues Seneca, nec tamen „ consul, arguetur rectiùs, quàm prędicabitur, non erudisse indolem Ne- „ ronis, sed armasse sæuitiam.

691 Maximum numen Venus] *vis scire, quam magnum, quamq́; san-* „ *ctum numẽ. audi Firmicum Christianum cap.* 10. Audio (*inquit*) Cyniram „ Cyprium templum amicæ meretrici donasse, ei erat Venus nomen: ini- „ tiasse etiam Cypriæ Veneri (*sic legendum*) plurimos, & nouis consecra- „ tionibus deputasse: statuisse etiam, quicũque initiari vellet, secretè Ve- „ neris sibi tradito asse, manum mercedis nomine Deæ daret. Quod se- „ cretum quale sit, omnes taciti intelligere debemus : quia hoc ipsum „ propter turpitudinem manifestius explicare non possumus. Bene ama-

tor

tor Cinyras meretriciis legibus seruit: consecratæ Veneri à sacerdotibus suis stipem dari iussit, vt scorto. *In quibus verbis, putem, paucis mutatis, castigari debere:* Secreto Veneris sibi tradito, assem in manum, mercedis nomine, Deæ daret. *Idem fœdissimos ritus docet, quibus Assyrij suæ Veneri faciebant, cap. 4. Arnobius autem lib. 4. contra Gent.* Quis à rege Cyprio, cuius nomen Cyniras est, ditatam meretriculam venerem, Deorum in numerum consecratam? *cui consentit Theodoret. lib. 3. curation. Græcar. affection.* Maximum *ergo* numen.

Bion: Magna quidem Venus. *Theocritus:* Venere ex magnâ.

Sophocles: Magnum sanè robur Veneris,

Semper refert victoriam. *Ita, quando non vult nec conatur homo resistere. Nam qui vult, cum Dei gratiâ, vincit.*

693 Thura] *de more aquæ & ignis adhibendorum in nuptiis natum, vt* aquâ & igne accipere *dicatur quis, quam matrimonio sibi coniungit. l. Seruio Sempronio §. Virgini, D. de donat. int. vir. & vx. Varro apud Nonium, si rectè recenseas, confirmat morem, lib. 2. de repub.* Cõtra nouo marito cùm ignis è foco in titione ex felici arbore, & in aquali aqua allata essent. *& Lactant. lib. 2. Instit. cap. 10.* ideoque à veteribus institutum est; vt sacramento ignis & aquæ nuptiarum fœdera sanciantur: quod fœtus animantium calore & humore corporentur atque animentur ad vitam. *Sollemnem fuisse ab Romuli æuo probat Dionys. lib. 2. antiq. Roman. alludit Ouidius lib. 4. Fastorum.*

An, quod in his vitæ causa est, hæc perdidit exsul?
His noua fit coniux. hæc duo magna putant.

Vide Fest. Pompeium in voce Facem.

695 Aras mero] *Sacrificantes vinum è paterâ aris, vel prunis, vel thuri dato, superfundebant: ideo ritè hic datio thuris vini libationi præmittitur. Vide Brisson. lib. 1. Formular. fol. 30. & seq.*

697 Læta omina] *malè vnus cod. antiq.* agmina. *loquitur de omnibus nouæ Augustæ bene precantium. de quibus acclamationibus nuptialibus diximus sup. Medeæ 58. de his etiam Tacitus Annal. 15.* Iam Senatus (*inquit*) vterum Poppeiæ commendauerat Diis, votaque publicè susceperat; quæ multiplicata exsolutaque, & additæ Supplicationes, templúmque Fecunditati, *&c. Initio quoque anni pro salute Principis vota à Sacerdotibus & magistratibus nuncupabantur, de quibus ex Horatio, Plinio, Suetonio, Tacito, Lazius lib. 2. Commentar. cap. 5. Fiebant & acclamationes faustæ initio imperij (vide Lazium li. 9. cap. 2.) etiam in adoptionibus Imperatorum, & nominis Patris-patriæ vel Augusti, aut similium datione, vt ex intimâ antiquitate docet plurimis Pet. Faber lib. 1. Semestr. cap. 14. Suspicor idem in nuptiis eorum factum, & solemnem illum versúm præmissum,* Quod bonum, felix, faustum, fortunatúmque sit; *quem Cicerone teste lib. 1. de diuinat., rebus omnibus præfabantur. Hæc,* fausta omina, *à Suetonio in Caligula,* fausta nomina, *vocari notatum iam aliis. videndus de ominibus huiusmodi Brissonius lib. 1. de Formul. à pag. 100.*

706 Confusa-noctis metu] *Ouidius*:

Nec minus hesternæ confundor imagine noctis.

715 Sparsa] *Scio sanguineas inferorum thedas, & scio sanguineas fingi umbras violenta morte sublatorum. sed quia alterum mox epithetum tribuitur Agrippinæ*, sæua: *ideo hic mallem* sparsam.

719 Diducta] *non malè. sed Mogunt.* subducta. *& sic etiam Eguian. sed plerique v. l.* diducta.

725 Crispinus &] *sensus constat: vix carmen. & vereor ne quid mendi lateat. nam quidam lib.* Festinus. *Mogunt. Herbip. & Veneti*, Pristinus. *in Basileens. margine*; pristinos.

726 Mea] *nona scilicet illa, quæ apud inferos nacta. mallem*; meus, *si quis lib. confirmaret. suum vocat Neronem.*

734 Quæcumque] *Nonnus dicit*; somnum esse exemplar operis peracti. qualia enim quis interdiu perfecit, talia noctu cernit. Bubulcus dormiens cornutos agit boues in pascua. Retia venatoris oculus somnians videt: Terræcultores autem quiescentes aratro terram subigunt. *De Ennio & Homero idem confirmat, testimonio Ciceronis, Plutarchus in Hannibale; & eo fortaßis sensu dictum ab Ennio*:

Nec quisquam σοφίαν, Sapientia quæ perhibetur
In somnis vidit prius, quam sam discere cœpit.

quia scilicet nisi interdiu illam animo verses, somnianti fantasia non obijciet. vndè Adagio, Anus quod volt somniat. *D. Gregor Nazianzenus*: Somnia cùm curas referant nocturna diurnas. *exstat huic rei locus insignis apud D. Ambros. lib. 1. de Virginib. in principio ferè. & non desunt, qui eo sensu*
Eccles. 5. *interpretentur illud à diuino Spiritu dictatum*: Multas curas sequuntur somnia. *Neque mirandum, cùm insomnium Aristoteli nihil sit aliud, quàm affectio & opus interni sensus, ex asseruatis in sanguine & spiritibus vitæ imaginibus; quibus liberius & diligentius mens intendit, quàm interdiu, vtpote solutior & magis vacua à perturbationibus, & curis, & laboribus diurnis. Ideo Herodotus*: Consueuerunt (*inquit*) ipsa somniorũ visa plerumque frustrari, ob ea quæ quis interdiu mente agitauit.

749 Tuus] *rectius quidam*; tuo.

751 Numen Deum] *similiter in Ranis Aristophanis postquã Æschylus narrauit terribilem somnij speciem sibi oblatã, mox fluuiâ aquâ parat expiationem*: Ω νυκτος κελαινοφανὴς
ὄρφνα, τίνα μοι δύςηνον
ὄνειρον πέμπεις ἐξ ἀφανοῦς,
Αΐδα πρόσπολον
ψυχὰν ἄψυχον ἔχοντα
μελαίνας νυκτὸς παῖδα
φρικώδη δειναν ὄψιν
μελανονεκυείμονα,
φόνια φόνια δερκόμενον
μεγάλους ὄνυχας ἔχοντα.

ἀλλα'

ἀλλά μοι ἀμφίπολοι λύχνον ἅψατε
κάλπισί τ' ἐκ ποτάμων δρόσον ἄρατε.
θέρμετε δ' ὕδωρ
ὡς ἂν θεῖον ὄνειρον ἀποκλύσω.
ἰὼ πόντιε δαῖμον,
τοῦτ' ἐκεῖν'. ἰὼ ξύνοικοι
τάδε τέρατα θεάσασθε.

O noctis nigræ
Tenebra, quod mihi infelix
Somnium mittis ex latenti,
Infernum ministrum,
Animam inanimatam habentem
Nigræ Noctis filium,
Horridum grauem aspectum,
Nigrâ mortui veste,
Crudeliter, crudeliter aspicientem,
Magnos vngues habentem,
Sed mihi famulæ lucernam accendite.
Vrnis ex fluuiis rorem eleuate.
Calefacite autem aquam,
Vt diuinum somnium abluam.
Heu marine Deus,
Hoc illud, heu cohabitantes,
Hæc Monstra videte.

vbi etiam Neptunus ponitur, vt Deus somniorum malorũ medicus, seũ auerruncus. Romani aliter expiabant. vt statim docebo. Sacrificabant autem, vt ex Plauto colligitur, Ioui prodigiali, qui fortaßis Sophocli dicitur Ζεὺς ἀλεξήτωρ, *malorum depulsor; Luciano, in somnio,* τεράστιος *Hesychius* τεραστίους θεοὺς *agnoscit, qui ab auertendis & depellendis malis etiam* ἀλεξίκακοι, ἀποπομπαῖοι, ἀποτροπαῖοι *&* σωτῆρες *à Græcis; à Latinis Auerrunci, Auerruncani, & Tutani, vt docet Varro, & Depellentes vocabãtur, de quibus Lilius Syntagm. 1. Hi fuere, teste Luciano,* Iupiter; *Aristophane,* Apollo; *Platone, Varrone & Lactantio,* Hercules; *nauigantibus verò,* Castores, *vt Clemens Alexandrin. in* προτρεπτ. *scribit. Budæo, in commentar. etiã* φρύξιοι *dicuntur. Sanè dæmones somnia & morbos immittere, & expiationibus lustrationibúsq. placari, Laërtius tradit in vita Pythagoræ. Tibullus li. 1. eleg. 5.*

Ipse procuraui ne possent sæua nocere
Somnia, ter sallsa deueneranda mola. *scilicet matutino tẽpore. Papinius lib. 9. Thebaid.*

Ante diem gelidas ibat Ladonis ad vndas
Purgatura malum fluuio viuente soporem. *& subiungit id fieri solitum ter mersis in aqua crinibus. Ouidius in epist. Herus:*

Nec minus hesternæ confundor imagine noctis,
Quamuis est sacris illa piata meis.

Tibul-

Tibullus rursus lib. 3. eleg. 4.

At natum in curas hominum genus omina noctis,
Farre pio placant & saliente sale.

Ex quibus omnibus colligo Romanos somnia expiasse mola salsâ; Græcos verò & Barbaros, ablutione viui fluminis. nam & apud Apollonium lib. 4. Circe summo mane terrores nocturnos aquâ sumtâ expiat. ideo Senecam & Tibullum de Romanorum expiatione, Ouidium verò & Papinium de Græcanica loqui censeo; atque ita intelligenda, quæ Lactantius lib. 2. cap. 15. & Cælius Rhodigin. lib. 1. cap. 23. & seqq. & lib. 27. cap. 27. scripserunt. Ad pacatum verò quietumq́; & terrore vacuum somnum impetrandum, eisdem Diis linguas comburere solitos, docent Scholiast. Apollonij & Pierius lib. 33. Hieroglyph. Apud Delum Briso Dea somniorum præses & interpres colebatur. Vide Athenæum lib. 8.

753 Terrorq; in hostes] *ergo non tantùm auersabantur visum nocturnum, sed etiam hostibus imprecabantur, vt apud Euripidem Hecuba. itaque Alcmena postquam triste somnium narrauit apud Moschum in Megarâ, ait:*

——— τὰ δὲ πάντα πρὸς Ευρυσθῆα τρέποιτο
οἴκου ἀφ' ἡμετέροιο.———
——— sed hæc omnia ad Eurysthea vertantur.
A domo nostrâ. *Vide Brisson. lib. 1. de Formul. pag. 124.*

754 Precibus adora] *sollemnis formula* precibus adorare. *Brissonius docet eodem lib. 1.*

755 Manet] *Moguntinens. Herbipol. Veneti.* maneat. *improbè.* Manet, *procul eat, vanus sit, diffluat. Tibullus:*

——— quicquid triste timemus,
In pelagus rapidis euehat amnis aquis.

758 Ledæ] *Thestij filia, iuxta Lucilium, qui apud Nonium;* Thestiados Ledæ; *item Eurip. in Iphig. Aulidensi, Theocritum in Dioscoris, Apollodorum lib. 3. Biblioth. & Higyn. in fab. cap 77. non Thyestæ, vt vel auctor Commentar. in Ausonium, vel (quod arbitror) operæ, quamuis accurati & diligentis typographi Milangij. vide Troad. 862.*

766 Fluxit] *sic primi m. s. mox alij per errorem;* fulxit. *inde deniq; quidam;* fulsit. *Pindarus Pith. 12. ait Perseum Danaës filium, ex auro sponte fluente, natum:* υἱὸς Δανάας, τὸν ἀπο-
χρυσοῦ φαμὲν αὐτόῤῥυτου
ἔμμεναι ——— *Euagrius Diaconus in vita D Antonij:* ille in Dianæ fluxit sinum, ipse amator & pretium. *castigo;* in Danaës. *nec aliter legas in Græcis D. Athanasij codicibus. Alius autem est (vt hoc obiter moneam) Euagrius iste à Græco historico. nam tempore hic recentior: Diaconus autem Theodosij senioris tempore vixit, & tres libros de vitâ sanctorum Monachorum, quos in Ægypto vidit, conscripsit; quos vidi Burdigalæ in bibliothecâ Collegij societatis Iesu, perantiquis characteribus in membranis descriptos, satis eleganti, licet nudo stylo: in quorum lib. 3. se à Narbonâ in Ægyptum nauigasse scribit, & Bethleemi D. Hieronymum conuenisse. dignus*

scriptor,

ſcriptor, qui lucem aliquando aſpiciat. alius omnino ab illo cuius feruntur à nonnullis Patrum vitæ. ſed ad rem redeo. P. Sabinus in epiſt. Paridis:

Imperat ille Deus, cùm vult in cornua tauri;
Cùm vult in pennas* deſtruit ille Iouem.
Non foret in terris tanto miranda decore
Tindaris, heu, flammis nata puella meis:
Si ſua non cycno mutaſſet Iuppiter ora;
*Fluxerat in Danaës aureus ante ſinum,
Piniferámque Iden falſus luſtrauerat ales,
Inter Agenoreas conſtiteratque boues.

**Emenda diſtrahit, vel, detrahit.*

Hoc videtur imitatus Euagrius.

Statius, in Epithalamio Stellæ:

Falſus huic pennas, & cornua ſumeret æthræ
Rector, in hanc verò cecidiſſet Iuppiter auro.

C. Sollius Sidonius:

—— cui Iuppiter eſſet
Delia, taurus, olor, ſatyrus, draco, fulmen, & aurum.

Fabulam Lactantius explicat lib. 1. *Inſtit. cap.* 11. Danaën violaturus Iuppiter, aureos nummos largiter in ſinum eius infudit. hæc ſtupri merces fuit. at poëtæ qui quaſi de Deo loquebantur, ne auctoritatem creditæ maieſtatis infringerent, finxerunt ipſum in aureo imbre delapſum: eâdem figurâ quâ imbres ferreos dicunt, cùm multitudinem telorum, ſagittarúmque deſcribunt. *Atque hoc ſanè non obſcurè ſignificauit Lyræ Latiæ princeps Horatius.*

774 Quicumque tectis] *quotquot in Palatio ſtationem habent.*

775 Aulam] *Prætorium, Palatium.*

776 Trepidi cohortes] *Tigillinus & Rufus metu pauidi, pauidos etiam & cunctantes Prætorianos, qui in caſtris (vt dixi) degebant, non tam adducunt, quàm vi trahunt. Poſſis etiam per* præfectos *intelligere tribunos prætorianos, quibus ſingulis mille milites parebant. lege Fabri Semeſtria, li.* 1. *c.* 3.

777 Præſidia ad vrbis victa] *ad cohortes vigilum; quas Auguſtus ſeptem conſtituerat, vt binas quæq; vrbis regiones tueretur l. 3. D. de offic. præfec. vigil. de quib. Statius lib.* 1. *Silu. in Sotir.* *Vide Fabrum, c. 5. d. lib. 2.*

Ergo alacres quæ ſigna colunt vrbana cohortes.

Tiberij tempore tres tantùm erãt, cùm Prætoriæ plures eſſent: poſt Tiberium rurſus aucta vrbanæ, vt ex Tacito, qui apertè Prætorias ab vrbicis diſtinxit, docet Lazius lib. 6. Comment. cap. 1. *Has vrbanas cohortes nunciat victas: & iis ſuppetias ire latum Prætorias, quæ in caſtris erãt; quin iam propinquas eſſe conſternato populo; qui licet videat illas inſtructis ordinibus ſigna inferre, reſiſtit tamen, nec metu cedit: ſed magis ac magis furore accenditur.*

783 Claudiæ Diui] *Octauia Neronis.*

788 Aut ara] *in aris non ſculpebantur Auguſtarum ora, quod quidem nunc ſciam. Moguntin.* Aut auro fulgens ora. *pulcrè ſi carminis norma patiatur. concinno igitur;* Auróve fulgens. *omnes, ait, ſtatuæ Poppeæ imaginẽ referentes; ſiue marmoreæ, ſiue aureæ eliduntur in ſolo, & conculcantur.*

Bernardin. videtur legisse; aut ære. *quod sibi tamen alij ascribunt.*

791 Diducta laqueis] *nullum vidi codicem, qui non*, diducta *nec muto. nam etsi statuis altioribus soliti restem inijcere, atque ita detrahere: sæpe tamen per partes diffringebantur, & diffracta membratim huc illuc in varia loca laqueis trahebantur. & vidimus vtrumque hisce temporibus ab Iconomachis Belgij nostri fieri.*

793 Quæ timor recipit meus] *apposite hæc tribuunt choro interloquenti, & admiranti ad mira ista, & non præuisa. Legebant*; quæ timor reticet meus. *quæ me timor vetat eloqui: tam impia sunt & contumeliosa in Principem.*

794 Parant populi, nisi iræ] *distingue*; parant, populi nisi iræ, *&c. nisi permittat Poppæam iratis ciuibus. mallem quoque*; coniugem tradat nouam.

804 Læsi tristes] *mallem, ex coniecturâ*; cæsi.

IN ACT. V.

Iubet Nero Octauiam deportari in Pandatariam.

814 Olenta] *rectè monet Marmita, hic incipere quinctum actum.*

823 Exstinguat] *Cæsellius & Papirianus orthographi docent verba, quæ ab S. incipiunt, cum præpositione*, Ex, *composita, S. litteram retinere, vt* exstinguo, exspecto, exsulto.

837 Nutu] *Moguntin.* nutui.

838 Quem] *Tigillinum, cui Nero propter morum similitudinem amplius fidebat, quàm Fenio Ruso.*

839 Castris] *Prætorianis. nam præfectus prætorio, dicebatur etiam castrorum præfectus, vt hic & apud Herodianum lib. 3. & 5.*

842 Audisti] *obtemperasti, & mandata es exsecutus. sic enim sumitur*, audire, *vt & ἀκούειν.*

Miles ducem] *auget crimen. quia militaris disciplinæ vinculum, promtâ & fidâ constat obedientiâ. nec ferè grauius vllum militare delictum censetur contumaciâ erga ducem. l. omnes. 6. D. de re milit.*

844 Impio ferro] *tu quod Nero iustissimum vult videri, in os illi voces impium? opinor castigandum*; Cecidere motus impij ferro duces. *hoc enim ad vtriusque mentem. Vidit hoc etiam Raphelengius.*

846 Coniugem caram] *sic omnes mei libri. at vnus ille Lipsij*; tantam. *quod probant. miror. melius alterum, & magis exaggerat dolorem Neronis. si quid mutandum; mallem* sanctam, *quàm*, tantam. *sic sup.* —— sanctos coniugis vultus meæ. *verum, vt dixi, cur mutemus, quod probum?*

853 Ne parcat] *sic omnes, præter Lugdun. qui*; peccet. *nec male.*

861 Quis concitare potuit. PRÆ. Haud quenquam reor.

NE. Mulier, *&c.*] *solus Moguntinens. præit veram lectionem:*

NE. Qui concitare potuit. PRÆ. Haud quenquam, *&c. sic loquuntur*; PRÆ. *quis queat concitatum plebis iratæ furorem placare?* NE. *qui valuit concitare.* PRÆ. *Non arbitror seditionem factam hortatu cuiusquam, sed subitâ quadam consternatione.* NE. *Non ita est. sed mali auctor mulier; cui mala mens, malus animus, &c. simpliciora hæc fateor, sed puto veriora. certè nixa auctoritate librorum.*

862 De-

862 Dedit natura] *de muliere Simonides Amorgynus:*

Neminem beneficiis demeretur: sed illud spectat.
Et hoc quotidie consultat secum
Vt malum aliquod facinus, idque maximum edat.

866 Quæ tam sera damnatam premit diu nocentem] *Omnia ego ab illis*, Mulier cui, *&c. Neroni tribuo. inuehitur in muliebrem malitiam. hæc (ait) non nisi timore & pœnâ frangi potest. Et pœna quidem iam diu debita Octauiæ, nimis serò damnatæ: sed licet sera pœna, nunc saltem illam premat. Hæc mens; verba menti respondebunt optimè, si legas:* —— quæ tam sero damnatam, premat diu nocentem.

868 Interim] *Moguntinens. Herbipolens. & Veneti*; interimi. & sanè postea interimi iussa.

875 Fleuit] *prosequitur finem multorum, quibus aura popularis exitio: pestilens ventus, si vacua cerebro capita, aut mentes ambitione atque superbiâ turgidas, subeat. Adscribam verò siue M. Ciceronis, siue Cornificij verba, quæ ad chori huius interpretationem faciunt ex lib. 4. ad Herennium, vbi de* ANNOMINATIONE *agens, sic scribit:* Plura nomina casibus commutatis ita facient ANNOMINATIONEM: Tiberium Gracchũ rempub. administrantem prohibuit indigna nex, diutius in ea commorari. C. Graccho similiter occasio est oblata; quę virum reip. amantissimũ subitò de sinu ciuitatis eripuit. Saturninum fide captum, maiorum natu perfidia, vita priuauit. Tuus, ô Druse, sanguis, domesticos parietes, & vultũ parentis adspersit. Sulpicio, cui paulloante omnia concedebant, eum breui spatio, non modo viuere, sed etiam sepeliri prohibuerunt. *His enim omnibus funestus P. R. fauor fuit. Porrò pro*; Gnatos, *Herb. & Ven.* Gracchos.

878 Lingua claros] *Q. Mucius apud Ciceronem lib. 1. de Orat. Omnium se, quos meminit eloquentissimos, excepto Crasso & Antonio audisse, ait, Tib. & Caium Sempronios: mox etiam illos disertos vocat, & omnibus vel naturæ, vel doctrinæ præsidiis ad dicendum paratos.*

879 Legibus acres] *fuere enim multarum patriciis timendarum legum auctores. nam Velleio teste, legibus suis ciuitatem largiebantur omnibus Italis, diuidebant agros, vetabant quenquam ciuium plus D. iugeribus possidere, constituebant portoria, nouis coloniis prouincias replebant, iudicia ad Equites à Senatu transferebant, plebi frumentum dari instituebant; nihil immotum, nihil tranquillum, nihil in eodẽ statu relinquebant. Nec est quod mireris* leges *dici, quæ tantum* Plebi scita *erant. nam neque hoc Liuio, neque aliis probatis scriptoribus insolens est; nec caret ratione. Quia quo tempore Gracchi rempub. vexabant, iam ante multos annos lege latâ fuerat sancitum, vt Plebiscitis etiam Patricij tenerentur: quam legem, quia prius à L. Valerio Potito, & M. Horatio Barbato coss. rogatam, postea Q. Publilius Philo Dictator, & post Publilium etiam Q. Hortensius Dictator, renouauit, ideo illam Dionysius, Horatio & Valerio; Liuius, Publilio; Gellius, Hortensio tribuit; Pomponij quoque, I.C. locus l. 2. D. de orig. Iuris, in exemplar. excusis, & calamo exaratis, modò Horatiam, modò Hortensiam præfert.*

880 Te quoque leuis] *M. Liuius Drusus trib. pleb. conatus Senatum cum plebe in concordiam reducere, iudicia vt æquâ parte penes Senatum & Equites essent, lege tulit. vnde in Senatus, qui ad se illa in solidum transferri malebat, odium incurrit, incertumq́; à quo, domi suæ fuit interfectus. testantur Liuius lib. 70. & seq. Appianus lib. 1. Seneca siue quis alius, in lib. de consolat. ad Martiam capite 16. & libro de tranquillitate vitæ ad Paulli. Porrò,* leuis *ad mentem probum, & in m. s. omnibus: sed versus claudicat. ideo primus Badius reposuit;* leuir, *quem secuti Lugdunens. Basileens. autem maluêre;* lenis, *quos secutus N. præter mentem Octauiæ, quæ crudelem potius fortunam censet. Opinor castigandum;* Te quoque Liui, simili letho.

881 Fortuna] *vulgi more fortunæ cuncta tribuit, quem morem grauiter arguit Plinius lib. 2. cap. 7.* Inuenit sibi ipsa mortalitas numen quo minus etiam plana esset de Deo coniectatio. Totò quippe mundo & locis omnibus, omnibúsque horis, omnium vocibus Fortuna sola inuocatur, vna nominatur, vna accusatur, vna agitur rea, vna cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conuiciis colitur. Volubilis à plerisque etiam cæca existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum fautrix. Huic omnia accepta, omnia feruntur expensa, & in tota ratione mortalium sola vtramque paginam facit: adeóque obnoxię sumus sortis, vt sors ipsa pro Deo sit; quâ Deus probatur incertus.

Alludit ad Pacuuij versus quos Cicero refert.

881 Fasces] *non quidem lictorij fasces, tribuni enim lictore carebant, auctore Plutarcho in Problemat. sed ipsa magistratus dignitas. fuit enim tribunus plebis magistratus, vel inuito Plutarcho, vt ex Cicerone, Sallustio, Asconio, & aliis docet Paullus Manutius in Comment. lib. 1. epist. ad famil. ep. 7. sic fasces sumsit sup. ver. 672.* 889 Possis] *optimè Moguntin.* —— flentem, miseram Cernere possunt. 894 Fortuna iubet] *Eguian. Mog. Herbip. Veneti;* regina. 895 Si mihi] *hîc & mox;* si *ponitur pro,* siue & seu. 898 Cur] *ambigebant veteres, an* Quur *scribendum, sed, teste Curtio Valeriano, vsus obtinuit, vt,* Cur *scribatur.*

919 Nec sibi quicquam] *Euripides in Ione;*

Sursum deorsumque
Agimur rebus modo prosperis, modo afflictis.
Mutantur autem flatus. *Bathon in Æth© olo:*
Aduersa tibi, cùm sis homo, sors ingruit.
Est nempe monstrum perpetua felicitas.

Vitam, gloriam, formam, cetera huius vitæ bona, fluxa, incerta, precario tantùm concessa mortalibus, vt docet Venantius Fortunatus lib. 7. de miraculis D. Martini, iis versib. qui etiam lib. 3. de vitâ hominũ referuntur, quẽ nobis scriptorem mutilum, quàm integrũ edere Basileenses maluerunt: sed vtinam hunc solum scriptorem, non alios multos simili perfidiâ lacerassent Catholicæ Ecclesiæ, & sacræ antiquitatis hostes. Porrò locus iste ab Eibio citatur hoc modo: Nec sibi quisquam spondere potest
Firmum & stabile, pérque casus
Voluitur varios, *& c. planè mẽdosè. Lugdun. etiam* per quęcasus.

ceteri

ceteri pleriq; perquàm. *latet aliquid mendi. nam Veneti quoque habent,* quisquam, &; voluitur. 936 Iulia] *à Claudio pulsa in exilium. Tacitus lib.14.* 939 Genitrix] *Messallina.* 945 Cui] *Agrippina Claudij vxor.*

946 Non funesta] *sic omnes ferè libri, nec mutandū. interrogatoriè dictum, non negatoriè. N. ex margine Basileens. primus (puto) inuexit,* Num.

951 Me quoque tristes] *fingebatur Octauia mitti in exilium propter adulteriū cum Aniceto, & cum tibicine quodam Alexandrino, & delictum insuper abacti partus. falsa & cōmentitia omnia:* Paucis autem interiectis diebus (*vt ait Tacitus*) vinculis restringitur, venęque eius per omnes artus exsoluuntur: &, quia pressus pauore sanguis, tardius labebatur, præ feruidi balnei vapore enecatur. additúrq. atrocior sæuitia, quod caput amputatum latúmque in vrbem, Poppæa vidit. *De Octauiâ accipio, quod Nicephorus lib. 2. hist. Eccles. c. 37. scribit Neronem eò crudelitatis processisse, vt matrem, fratrem, & coniugem ferro sustulerit. nam Popoæā inuitus calce necauit.* 960 Tandē Phariæ] *sic omnes excusi, & m.s. Vaticanus quem semel tantùm inspiciendi mihi Romæ otiū fuit, & alij m.s. Belgici tres. Moguntin.* tandē variæ. *Eguian.* tandem phare. *quæ ambo ex illo priore deprauata constat.* Phariæ, *si retines, duplex occurrit explicatio. Vna, quòd iussu Neronis se in Aegyptum mitti credebat, vt ait Bernardin. nec mirum, si consternata muliercula Pharum, pro Pandatariâ intellexerit, vel etiam quia nauis fortè Alexandrina, quâ deuehebatur; vel mortem sibi ominata, à Pompeij nece, & oraculo illo Sibyllino apud Lucanum lib. 6.*

Haud equidem immeritò Cumanæ carmine Vatis
Cautum, ne Nili Pelusia tangeret ora
Hesperius miles. *& clarius apud Dionem li. 39. Altera* Phariam terram *dici ipsam Pandatariam, vicinam Capreis, vbi fuisse Pharum, Suetonius & Papinius testantur. Non ignota mihi Pharus Siciliæ, & Siciliā olim solitam diuidi, in Siciliam citra Pharum, & vltra Pharū; & Neapolitanum regnum, cuius Pandataria portio, Siciliam citra Pharum dictam, scio. sed hæc diuisio, opinor, diu post Neronis ætatem cæpit, rectiusq́; diceretur Sicilia citra & vltra fretum. Fuit & alia Pharus, Dalmatiæ opposita, Straboni; quæ Ptolomæo & aliis Pharia, hodie Lisna. Fuit & Hispaniæ quædā, teste Aethico, & Strabone lib 3* Pharum, *quasi φανὸν dici, vult Egesippus lib. 4. ipsius rei vsu, eo quòd longè à nauigātibus conspiciatur. De huiusmodi lumine, mira quædam & paucis cognita Beniamin Iudæus in itinerario, penè extremo. Tertullianus lib. de pœnitentia extremo, Reges illustria pœnitentiæ exempla vocat duos* humanæ salutis Pharos. *Ingeniosa tamen est Critici optimi coniectura, qui reponit;* Panotatariæ. *ad fidem historiæ.*

968 Sæuæ virginis] *Dianæ. respicere videtur ad ista Lucretij lib. 1.*

Aulide quo pacto Triuiai virginis aram
Iphianassai fœdarunt sanguine fœdè
Ductores Danaum —— 969 Triuiæ] *cur sic dicta Diana? Vide Varronem li. 6. de ling. Lat.* 972 Maurorū] *nouum non est Afros omnes, Mauros dici. Africæ portia Aegyptus, saltem quæ cis Nilū in Aegypto*

Busyris hospites immolauit, de quo Minucius in Octauio: Tauris Ponticis & Ægyptio Busyridi ritus fuit hospites immolare. *de quo etiam D. August. lib. 18. de Ciuit. c. 12. Eusebius, Diodorus, Ouidius, Statius, Claudianus, &c. &,* Quis illaudati nescit Busyridis aras? *Fuit in Africâ Antæus, qui hospites luctâ victos necabat. Fuit in Aegypto Heliopolis, in qua Manethos testatur, tres quotidie homines Iunoni immolatos, vt ex illo referunt, Theodoretus lib. 7. curat. Græcan. affect. & Eusebius lib. 4. præparat. Euangel. qui paullo pòst etiam testatur in Lybiâ, non minus quàm in Arabiâ, puerum necari solitum, & sub arâ sepeliri. Quis verò credat Heliopolitanos, ciuibus potius quàm alienigenis litasse? citò illis defuturi ciues, si tres quotidie immolandi. Pœni etiam humanam hostiam vel Herculi iuxta Plinium; vel potius Saturno immolarunt, initio quidem liberos proprios, postea verò alienos, vt colligitur ex Sanchoniatonis, Dionysij, & Diodori verbis ab Eusebio relatis; & quia ἁπλῶς puerorũ, vt August. lib. 7. de Ciu. Dei cap. 9. & Orosius li. 4. vel etiam absolutè humanæ hostiæ meminere, vt ex Pescennio Festo Lactantius lib. 1. cap. 21. Theodoret. lib. 7. & Tertullianus in Scorpiaco; qui significat etiam suâ ætate occultè perseuerasse hunc morẽ, etsi Tiberius crucifixis sacerdotib. eum sustulisset: Augustus primùm ciuibus interdixerat; vetuerat Tiberius reliquis; &, si Suetonio credimus, Claudius: Sed crudelitas ea demũ Hadriano Imp. toto penè orbe, publicè saltem, cessauit. in cuius fortè gratiam hic noster L. Annæus Florus Seneca meminit Africæ. Imò Tertullianus non de Pœnis tantùm, id ait; his verbis:* Scytharũ Dianam aut Gallorum Mercurium, aut Afrorum Saturnum, hominũ victimâ placari apud sæculum licuit. *Quid ergo? an non in Africa hospites vulgò immolati; si non à Pœnis (hoc enim facilè fatear) certè à Busyride? certè ab Heliopolitis? De Tauris tamen notius id, non diffiteor. testantur Ecclesiastici scriptores, quos retuli, & præterea Clemens Alexandrin. in Protrep. & Euripides cum poëtis ferè omnibus. aptius etiam hoc loco: quia Aulidis & Iphigeniæ meminit, cuius sors Octauiæ in votis; & quo illã chorus à ventis ferri desiderat. Triuiæ namq. in Africa, talis ara nulla. An ergo recipiemus ingeniosam illã coniecturã Lipsij;* Taurorum Barbara tellus? *fidenter reciperẽ, si vel vnum exemplar faueret. nunc me timidũ dici, vel superstitiosum perfacilè patior, cum vulgata lectio, quod ostendi, explicari non incõmodè posit. Moguntino totum carmen deest, Et sanè suspicor intrusum ab aliquo. Addiderim istud Iuuenalis Sat. xv.*

—— Mæotide sæuior ara Ægyptus —— *quia scilicet Tauri homines immolabãt; Aegyptij occisos epulabantur. sic Seneca iste Maurus vel Tauris Romanos ait crudeliores, quia Romani ciues, hostes illi vel hospites necabant. Ad locum istũ Iuuenalis de sacris Tauricis multa vetus Scholiastes cui Thoantis nomen reddendũ, ibi deprauatum, & notandũ fragmentum istud Sallustianum;* Namque omnium ferocissimi ad hoc tempus Achæi atq. Tauri sunt, quod quantum coniicio locorũ egestate rapto viuere coacti. *adde collectis aliorũ labore, & de his Achæis Periegetem cõsule.*

977 Hospitis] *peregrinorum & aduenarum.*

978 Ciuis] *crudelior Roma Afris, & Aulidensibus. illi peregrinos immolant:*

imolant: Remi nepotes, ciuicis victimis Deos placant. Ciuis *enim legitur in Eguiano & Moguntino & ceteris m.s. & in Lugdunen. sed Veneti, Herbip. Basileens. & Lipsiens. legunt*; cuius: *quod recipi nequit, nisi interrogatoriè legas*; cuius gaudet Roma cruore? *nempe filiæ Imperatoris sui. Sed ne sic quidem placet. nam ciuis peregrino opponitur.*

VALE LECTOR, *quisquis es: & his fruere, quæ tibi conscripsi; grassante anno* 1586. *sæuissimâ peste, Burdigalæ; quando per quartanæ febris molestias licebat; quæ me anno tunc integro tenuit, & à grauioribus Theologiæ, philosophiæq; studiis, ad leuiora hæc auocauit; vt aliquo bono proximorum tempus transigeretur, & nũc anno* CIↃ. IↃ.LXXXIX. *Louanij subseciuis horis recognoui: vt verissimè & aptissimè cum Terentiano, queam, absoluto Commentario, dicere;*

Forsitan hunc aliquis verbosum dicere librum
Non dubitet: forsan multo præstantior alter
Pauca reperta putet, cùm plura inuenerit ipse:
Deses & impatiens nimis hæc obscura putabit.
Pro captu lectoris habent sua fata libelli.
Sed me iudicij non pœnitet. hæc bene vobis
Commisi; quibus est amor, & prudentia iuxta,
Et labor in studiis semper celebratus inhæret:
Vos sequar: in vestro satis est examine cautum.
Hæc ego conscripsi bis senis mensibus æger
Pendebam ambiguum trutinâ sub iudice corpus,
Alterutrum nutans, & neutro pondere sidens.
Nam neque mors auidè nigros pandebat hiatus,
Nec vitam forti retinebant stamine Parcæ.
Sic varios tam longa dies renouando dolores
Duxit ad hoc tempus, semper sine fine minando:
Quom potui tamen obrepens incœpta peregi,
Quo vitæ dubius vel sic vixisse viderer;


imò potius tibi, cui nequibam aliter, vel sic, prodessem. Ignosce igitur mihi, quæ peccata comperies; quæ rectè scripta Deo tribue datori bonorum omnium, cui laus & gloria in sæcula sæculorum. Denique quicquid à me dictum, scriptum, dicetur, scribetur; totum id Sacræ Romanæ, Catholicæ & Apostolicæ, Ecclesiæ censuræ atque iudicio subdo, subijcio: quam mihi mentem quæso, Deus Opt. Max., vti hactenus tribuisti, perpetuam vt esse velis.

FINIS.

INDICES TRES,

SYNTAGMATIS

Tragœdiæ Latinæ.



TYPOGRAPHVS
LECTORI S.

VT *commodior tibi fiat & fructuosior vsus* SYNTAGMATIS *huius, tres indices curaui concinnandos.*

Primus RERVM & VERBORVM Grammaticus *ea complectitur quæ ad* POESIM, HISTORIAM, *& scribendi dicendique præcepta, omnem denique* ANTIQVARIAM *pertinent.*

Secundus totus CRITICVS, *continens scriptorum omnis generis nomina, quorum locis vel explicationis Lux vel correctionis Medicina adminiculatur.*

Tertius ceteris dignitate præstantior & emolumentis ad DIVINAE *& humanæ* PHILOSOPHIAE *viam, hoc est, veram* SAPIENTIAM *prælucet, suggerens* MATHEMATICA, PHYSICA, MORALIA & THEOLOGICA, *quorum in vniuerso opere mentio facta. Vale.*

INDEX PRIMVS,

GRAMMATICVS, ORATORIVS, POETICVS, & HISTORICVS.



Har-

Seneca

T.

V.

X.

FINIS INDICIS PRIMI.



INDEX SECVNDVS
CRITICVS
Locorum in variis auctoribus correctorum vel explicatorum.

INDICVLVS TRAGICORVM, quorum fragmenta collecta, correcta, conlucata.

PARTE PRIMA.

Mino-

FINIS.

INDEX, RERVM ET VERBORVM PARTIS I. SYNTAGMATIS.

B.

C.

Cæli


Expecto-

Hip-

Lacta-

Q.

Sortes



LECTOR S.

PRo *bellariis Orchestricis breue apophoretum degusta; cui non plausum, sed veniam peto; trilingue, trisyllabûm, trilitterum vno in nomine*, ERRORES. *pars mei; qui crebris lituris, adnotamentisq́; nebulas offudi; pars prali, quod prafestinâ, me vrgente, properatione non cacos (vt aiunt) sed maculosôs catulos effudit. Vt, vt est: dona, non damna. prudentia fuerit, notare & agnoscere; sedulitatis corrigere & recognoscere; comitatis & clementia, misereri & ignoscere. Notani, non omnes, quid opus planè conspicuos? sed pracipuos; qui meâ taciturnitate vel transitione tuâ, moram adferre, & nauigio litterarium hoc aquor desiderij velis expansis sulcanti remoram possent adfigere. cur culpes; qui malum comiter pisciculum ostendit, vt tollas? cur damnes Pharon, intempestâ in nocte claris ignibus caca vada & abruptos fluctibus ac ano scopulos illustrantem? cur vulnerum irascaris medico; qua fugiente autographi atramento typographi medicinam fugerunt? tuam quoque fortassis, nisi, quem subiunxi*, Indiculus *praeiret. Nunc tibi facilè sanare; si vis vti, & qua legis probè capere. Negligis, & mauis carpere petulcè ac subsannare? licet, non moror, ad hanc mensam non inuito, nec inuito beneficium obtrudo. tantùm obtendo contra liuoris hirrientem caniculam, hoc triplicis canina littera textu scutum horridum, non mutum; sed oblatrans, & garrulum qualis Argûs carina compages.*

Constat vocula ר Latino, ρ Græco, & ר Hebraico.

ERRORES PARTIS PRIMÆ.

IN Prefationis margine corriges

אֲשֶׁר אֶהְיֶה

Pagina 1. *verf.* 19. & 21. τραχήλων. *verf.* 31. ἵνα *ver.* 33. ἦδον.

Pag. 2. *ver.* 15. dare censebitur. 23. ἡδυσμένῳ-ἰκέτου.

Pag. 3. *ver.* 34. προφάσεις.

Pag. 5. *ver.* 33. σιτίων. 34. ἐπίπονον. 35. λυπηρὸς. *sunt & alij leuiusculi.*

Pag. 6. *ver.* 1. τέθνηκε. 3. τίς ἐστι. 4. κατέμαθε. 17. docuere togatas. 32. paucis capite ex obseruatis.

Pag. 10. *ver.* 31. σύστασιν. 32. ἀπηγορευμένον. *idem error est ver.* 36.

Pag. 11. *ver.* 35. præterea reddes.

Pag. 16. *ver.* 6. παραστάτης.

Pag. 19. *ver.* 17. θεολογεῖν. 18. χρεία 23. εἴρηται.

Pag. 25. *ver.* 16. de quo prius. *Theophilus* apud.

Pag 28. *ver.* 3. Turanius.

Pag. 31. *in marg. lin.* 8. Sophilogij.

Pag. 53. *ver.* 12. ἄπλα. 14. οἷς. 32. redeat sæuitia.

Pag 58. *ver.* 19. culcita. 38. Serenum.

Pag, 61. *ver.* 16. Marcia. 38. consolatorium.

Pag. 63. *ver.* 24. Maximum.

Pag. 70. *ver.* 7. disciplinis inimica. In

Pag. 73. *ver.* 8. συσημαντικὸν. *ver. vlt.* pallidi.

Pag. 74. *ver.* 19. Hephæstion. 34. Philelias.

Pag. 75. *ver.* 34. διθυραμβώδεσι.

Pag 77. *ver.* 4. *à fine*, Lyaci.

Pag. 78. *ver.* 27. ἰαμβίζειν.

Pag. 90. *ver.* 7. Carystos.

Pag. 91. *ver.* 38. Eguiano.

Pag. 94. *ver.* 14. Antiopa.

Pag. 95. *ver.* 14. præstolaras. 23. Chiron.

Pag 98. *ver.* 6. *à fine*, lachrymæ.

Pag. 99. *ver. vlt.* procede gradum, proferre pedem Nitere.

Pag. 107. *ver.* 9. per mœna.

Pag. 109. *ver.* 12. illicitè.

Pag 111. *ver.* 7. insomniâ.

Pag. 114. *ver.* 14. exortu.

Pag. 117. *delendus primus asteriscus.* *.

Pag. 121. *ver.* 21. Mane. expedibo factum. mihi, quod contra rogo, respondeas.

Pag. 123. *ver.* 14. terrigena graditur, Quadrupes tardigrada, agrestis.

Pag. 131. *ver.* 14. altispicem.

Pag. 133. *ver.* 4. flori.

Pag. 134. *ver.* 12. pigrent.

Pag. 153 *tollatur primus pagina asteriscus* *. *& ver.* 24. *legatur* satisfandis.

Pag. 154. *ver. à fine.* 4. Argiuûm.

Pag. 161. *ver.* 26. noster. Lasciuum.

Pag. 163. *ver.* 24. vtrumque.

Pag. 165. *ver.* 25. πόλιν. *ver.* 26. μετεώρων.

Pag. 168. *ver.* 20. epicrocum-πολυωγής.

Pag. 177. *ver.* 6. *à fine* steterit.

Pag. 183. *ver.* 20. Phrygiam. *ver.* 36. φωλάδα.

LOCA

LOCA SCRIPTORVM in hac ſecunda parte elucidatorum in Aduerſariis.

Primus numerus paginam, ſecundus denotat verſum.

INDEX
RERVM ET VERBORVM
PARTIS II. SYNTAGMATIS.

Prior numerus paginam, posterior versum denotat.



Achil-

Aequor

Descri-

Audire

B.

C.

Coma

E.

F.

G.

H.

Hercu-

Horri-

I.

Immane

L.

M.

Murex

N.

Platæa

 colit

Prodere

Q.

R.

S.

T.

Verba

Vnio.



INDEX ERRATORVM
PARTIS SECVNDÆ.

LECTOR BENEVOLE S.



VANTVM *moles operis, tantum numerus* erratorum *crescit. mentiri nequit illud* VERITATIS; In multiloquio peccatum non defuturum. *Verborum sunt errores, plurium plures: non tot mẽtis, quot linguæ; nec linguæ tam multi, quàm librorum. nam illius, dicentis tantum; istorũ, dicentis & alieni: suos habet auctor, suos operæ & præla. huiusmodi sunt quos damus, non mentis: optimâ dedimus; quo tu melior, hoc meliore par est hæc à te capi. Non mirère, si multi. duæ namque partis huius secundæ partes, & quasi volumen duplex;* CONTEXTVS *&* ADVERSARIA. *Vtramque gratius mihi, vtilius tibi; si ad exemplar istud recenseas, priusquam legas: plus tamen tua interest, mea quoque; si non prætermittas* SENECAE *contextum emaculare. huic desudat labor noster, huic deseruit hæc qualis qualis ingenij fœtura. Vale.*

ERRATA CONTEXTVS SEV
VERSVVM SENECAE.

Pag. 17. *ver.* 364. cessit Pontus, &c.
Pag. 26. *ver.* 1. profundum,
Crimini, &c.
Pag. 27. *ver.* 9. rigens,
Et omne.
Pag. 33. *ver.* 19. furit, vt iussus, ignis.
Pag. 34. *ver* 13. peperit. placuit.
Pag. 35. *vers.* 25. fidus, dolens
Concurre.
Pag 40. *ver.* 20. *delendæ sunt semilunulæ marginales. quia nulla hic moralis sententia. hoc & aliàs admissum: sed & aliquando prætermissæ, vbi apponendæ erant. facilè deprehendes.*
Pag. 47. *ver.* 28. cæli pinna quæ.
Pag. 48. *ver. à fine.* 3. asello.
Pag. 53. *ver.* 15. cæcus Furor.
Pag. 55. *ver.* 26. quis est liber.
Pag. 63. *ver.* 40. ferox.
Pag. 65. *ver.* 1050. *reponendum in margine* 1055. *nam numeri perperam adscripti versibus.*
Pag 67. *ver.* 15. gnarum, seque. Felices.
Pag. 69. *ver.* 30. qui Sphingis.
Pag 72. *ver.* 8. luci abstulit: Mors me antecessit. aliquis. *ver.* 9 tulit: sed nunquid. *ver.* 5. *à fine paginæ.* spernitur pacti fides.
Pag. 77. *ver. à fine.* 3. patiare potius.
Pag. 79. *ver.* 9. Egêre.
Pag. 85. *ver.* 14. retrò lacus.
Pa. 97. *ver.* 18. diuisit agros arbiter populis lapis.
Pag. 103. *ver.* 5. mortis intentans metum Ferro.
Pag. 106. *ver.* 10. vastoque.
Pag. 109. *ver.* 10. Nãtura.
Pag. 110. *ver.* 8. obisse.
Pag. 112. *ver.* 21. vulnere infelix.
Pag. 115. *ver.* 2. viro. Quid. *ver.* 4. Nouercâ. condere.
Pag. 127. *ver.* 6. Ac iusta sæuâ.
Pag. 130. *ver.* 26. bellicus.
Pag. 133. *ver.* 9. Alcidæ.
Pag. 152. *ver.* 30. Genitore coram?
Pag. 155. *ver.* 22. tantum red I.
Pag. 159. *ver.* 16. miseræ.
Pag. 164. *ver.* 32. Eurystheus.
Pag. 168. *ver.* 28. deprẽndit quies.
Pag. 173. *ver.* 8. illita Abiectus, *deleto puncto intermedio.*
Pag. 178. *ver.* 7. Sisyphia.
Pag. 186. *ver.* 15. discussa.
Pag. 188. *ver.* 2. Giganta crede.
Pag. 201. *ver.* 23. feriatque granis.
Pag. 203. *ver. à fine* 10. cessit, ex oculis abit.
Pag. 207. *ver. vlt.* deceptor domini.
Pag. 213. LECTOR, *Aduerte ab huius paginæ ver.* 1. *cunctos marginales numeros hoc pacto castigandos.* 340. Alternis. 345. Non vestis. 350. Quem non. *& sic deinceps. ne mireris Indicum in quibus verum numerum sequor, numeros à mendoso contextu discrepare.*
Pag. 214. *ver.* 2. Admotis.
Pag. 213. *ver.* 5. loco.
Pag. 239. *ver.* 20. præludens tuis.
Pag. 249. *ver.* 10. *à fine,* VLY. Animosa.
Pag. 251. *ver.* 1. AN. Quid. *ver.* 33. Mænas entheo siluas.
Pag. 252. *numerus paginæ emendandus* 225. *pro,* 252.

Pag.

*Pag.*256.*ver.*2. Pilon an senilem.
*Pag.*263.*ver.*16 subitus recep à.
*Pag.*270.*ver.*13. obtutu stupet.
*Pag.*29:.*ver.*13. Natæ.
Pag 292 *ver.*14. iugum.
Pag 295.*ver.*12. domum.
Pag. 308. *hic etiam omnes numeri versuum huius paginæ in margine notati sunt mendosi. corrige, si lubet.*

ERRATA IN ADVERSARIIS

COMMISSA.

Pag 7. *lin.*7. vel de Pace seu Concordiâ, vel de Venere *lin.*39 ἀνασχέτως.
*Pag.*8.*lin.*10. Castore.
*Pag.*13.*lin* 1. Zetes & Calais. *lin.* 34. τηΰγετα.
*Pag.*14.*lin* 48. εἶναι.
*Pag.*17.*lin.*. αὔτα.
*Pag.*18. *lin.*o. *a fine*, facerique.
Quâlibet. insidias.
Pag. 19 *lin.* 30. De Orat. *lin.*22. ἀν.
Pag 24 *lin* 18 ᾔον
*Pag.*25.*lin.*27. Α'ϊδος.
Pag. 8.*lin.*4 ἐπαφηρως.
*Pag.*31.*lin.*20. contectæ. Nominat. *lin à fine*, 4. Scholiasten.
*Pag.*33.*lin.*15. antecurrens. *lin.* 30 ἠγασμένη.
*Pag.*42.*lin.*31. τοῖσι.
Pag 45.*lin.* 8 Λαΐδ'. *lin.*33. λουτρὰ.
Pag 52. *lin.*43 μελιχρήτῳ.
*Pag.*53.*lin.*14. ὀξεῖῃ ὑλακῇ.
*Pag.*63.*lin.* 4. ἄρθρα.
*Pag.*81 *lin.*18 *pro*, Senecam philosophum, *repone*, Senecam patrem. *lin.*28. αὔτα.
Pag 88. *lin.*47 ἔλκει.
Pag 94 *lin.*21. *pro*, 490 *repone*; 390.
*Pag.*97. *lin.*19. plurimum. *lin.*42. sub dio. nam vt Paulius Festi.
*Pag.*99.*lin.*17. Egnian.
Pag. 100. *lin.* 31. tibi coniux.
Pag 101 *lin.*20 *pro*, 461. *repone*, 641.
Pag 102 *lin.* 7. *à fine*. Persicâ violentus vndâ.
Pag 103.*lin.* 56. εἶχμι.
Pag 104.*lin.*14. Illæ vt. *lin.* 5. *à fine*; Α'ρκαδες.
Pag 106 *lin.*13. ζυγοστατεῖν.
*Pag.*113.*lin* 4. *à fine*, *pro* Diana, *repone*, Pallas.
*Pag.*118.*lin.*15. *à fine*; Scholiastæ.
*Pag.*122.*lin.*6. *à fine*. *pro*, lætitia, *repone* mæstitia.
*Pag.*124 *lin* 45. κλαθυζα.
Pag 126 *lin.*4. ἰδεῖν.
*Pag.*130.*lin.*28. Sipyli.
*Pag.*146.*lin.*21 ἐπιφέροντι.
*Pag.*147.*lin.*31. in arua ruina.
*Pag.*149.*lin.*2. ἐνοήσατε.
Pag. 150.*lin.*32. tectum interpretor.
Pag. 151. *lin.* 6. *à fine*. iuxta l. Qui tacet. D. de reg. iur.
*Pag.*152.*lin.pen.* legimus, hoc modo quo edi curauimus.
Pag 155.*lin.*15. litora.
Pag. 156 *lin.* 11. μίνας *lin. à fine* 4. iubare spirat. *sic libri quod melius quàm*, iubâ respirat. *omnino mallem ex coniecturâ*, iubâ spirat: *vel sanè* iubâ expirat. *lin* 11. *à fine*, languificosque.
*Pag.*157.*lin.*33. Εὐβοεῖς
Pag. 164. *lin.* 38. *versus citati sunt more Elegiaca scribendi.*
Pag 165.*lin.*14. Calcagnino. *lin.*51. γόης καὶ φαρμακεύς.
Pag 166 *lin.*54 πορθμεὺς.
*Pag.*168.*lin.*23. κιττίον.
*Pag.*169. *lin.*14 *pro*, in Agamemnone, *rescribe*, mox paucis interpositis.
*Pag.*170.*lin.*27. οἴχεται.
*Pag.*178. *lin.* 8. in me.
Pag 188 *lin.* 11. πάντα.
Pag. 190.*lin.*14. δακών.
Pag 193.*lin.*47. ὁ δ' ἴτυς. *lin. à fin*, 4. *pro* Seneca senior; *repone* Seneca philosophus.
*Pag.*195.*lin.*8. δρυὸς. *lin.* 5. *à fine*, funibus.
Pag 205 *lin.* 1 *à fine*, obtemperare debere.
*Pag.*210 *lin. à fine.* 2. Epitomâ Ostentarij.
*Pag.*214.*lin.* 5. κίνησιν
*Pag.*215.*lin.*39 ἀνδρῶπὸς ἀκίνδυνον.
*Pag.*220 *lin.* εἰδεῖν ὄλβιον. *lin.* 31. μηδένα. *lin.*32. εὐτυχεῖν.
*Pag.*225.*lin.* 10 *à fine*, miram quandam.
*Pag.*228 *lin* 6. Mizaldum.
*Pag.*229.*lin.*12. Atreus.
*Pag.*233.*lin.*7 *à fine*, Atratinum.
*Pag.*234.*lin.*37. tepidum rubenti. *Herodoti.*
Pag..237.*lin.*48. εὑρών.
*Pag.*238. *lin.* 37. τόξοις.
*Pag.*241 *lin.* 16 λυμήνασαι. *lin.*32. Triphiodorus.
*Pag.*247.*lin.* 10. ἑκών.
*Pag.*249 *lin.*11. *à fine*, fide.
*Pag.*250.*lin.*17. alloqui.
Pag 252. *numerus paginæ mendosus*, 225. *pro*, 252.
*Pag.*260 *lin.* 48. ἰσήμηνεν.
*Pag.*266.*lin.* 14 ἄλλον
*Pag.*278 *lin.*48 βαλεῖν.
*Pag.*281.*lin.*36. ἐν φύσεις. *lin.*45. τοὺς.
Pag. 282. *lin.* 39. Guc.bus. *lin.*4. *à fine*, Gallos qui.
*Pag.*284 *lin.* 18. ἐνδεεῖς.
Pag 289 *lin.*18. Pisander.
*Pag.*290 *lin* 48. τοὺς δικαστάς.
*Pag.*296.*lin.*38 ἀπλοσίερον περίθεσται.
*Pag.*307 *lin.*29. φίλην ὤσεν.
Pag. 309.*lin.*7. μεγάλα *lin.*9. μεγάλη. *lin.*57. βουκόλος.
*Pag.*311 *lin* 5. ἱερῶ κάρη ἐπιφαιδρύνουσαι.
Pag 314. *lin.*26. ἐν ἐκταγκας.

INDEX SCRIPTORVM QVORVM LOCA HAC III. PARTE

Vel lucem explicatione, vel medicinam castigatione accipiunt.

LECTOR S.

Numerus vnicus paginam denotat: sed vnâ sæpe paginâ frequentiùs scriptor idem iuuatur.

EX SACRA SCRIPTVRA.

EX CONCILIIS ET CANONIB. ECCLESIAE.

EX PATRIBVS ANTIQVIS, GRAECIS.

EX PATRIBVS LATINIS.

LA-

EX POETIS SCHOLASTICI

EX COMMENTARII

IN POETAS LATINOS.

EX GRAMMATICIS ET AN

TIQVARIIS ET RHAPSODIS,

GRAECIS.

LATINIS.

TER-

TERTIÆ PARTIS
INDEX RERVM ET VERBORVM.

Numerus vnicus paginam notat.

Allu-

Arabia

B.

C.

Carche-

Chaos

Dru-

Equus

Genus

H.

Hercules

I.

Ira

Lami

M.

Mundi

O.

Ordiri

Parcæ

Rituа-

Q.

R.

Roi-

Seru

T.

Tin-

Troiani

V.

FINIS.

LTIMAM veniam peto, & præmium spondeo; diuinum quid. ait bonus sanè poëta,

„ *Sis pius imprimis. nam, cùm vincamur in omni*
„ *Munere, sola Deos æquat* CLEMENTIA *nobis.*

non proportione æqualitatis, sed imitatione virtutis. nam lumen illud radiatum Ecclesiæ totius (*Augustinum dico*) Dei, ad quam homo creatus, imaginem in culpis proximorum ignoscendi prompta mente exquisiuit. Vt ergo Phœnix Italiæ sui æui cecinit;

„ *Maior in erratu bonitatis gloria nostris,*
„ *Et dare non dignis res magè digna Deo.*

ita tuæ bonitatis gloria ad erratorum nostrorum numerum excrescet. Quare noli hanc laudis & humanitatis vberiorem messem fastidire; vt metas, ERRORES (en) OBLIVIIS cumulaui, solidè meis: nam obliuiorum partem nullam aliis imputo, nisi vnius aut alterius verbuli semel ac iterum prætermissi.

ERRATA ET PRÆTERMISSA PARTIS TERTIÆ.

Pag. 14. *lin.* 28 *pro*, libellis; *corrige*, labellis.
Pag. 15. *lin.* 41. πᾶσιν.
Pag 19. *lin.* 8. *pro*, Iouēs *scribe*, one.
Pag 20 *lin.* 20. γυναῖκες.
Pag 14. *lin.* 1. κοκκοτὸν, ὀσφραδήκῃ.
Pag. 31. *lin.* 23. χαλαπαῖς.
Pag. 33. *lin.* 31. Priscianus Lydus, *sublato commate intermedio.*
Pag. 24. *in margine*; genua comprimit arctâ gerâ.
Pag. 35. *lin.* 20. τ' σωμὸν. *lin.* 36. Δισκελίων. *lin.* 38. ὁ δ' αὖ τίκτ.
Pag. 36 *lin.* 15. δῶμα. *lin.* 25 ἰάπτεται τὸ ἐνδοθι.
Pag. 41. *lin.* 7. αἰ. — ᾶς. *lin.* 8. περάσαι.
Pag. 42. *lin.* 18 ἡ ιερὶς, αἰγίλωψ, ἀλίφλοιος. *lin.* 11. *à fine*, Anaxilas.
Pag. 48. *lin.* 7. *à fine*, Ex Euripide.
Pag. 49. *lin.* 1. Spartæ origo.
Pag. 50. *lin.* 42. προτιθεῖς.
Pag. 55 *lin.* 9. cete exultantia.
Pag. 58. *lin.* 29. μυχαῖτειο.
Pag. 64. *lin.* 2. πόλιων.
Pag. 69. *lin.* 24. prælucet.
Pag. 74. *lin.* 13. πίλεται *lin.* 18. νυκτὸς μεγαλοκελάπτω.
Pag. 76. *lin.* 22. ἀγλαὸς υἱός *lin.* 23. ταύτῃ — δίω. *lin.* 24. δ' ἄκειν ἄπασαν. *lin.* 26. αὐτὸς ἵκοιτ', ἢ ἐξ αὐτῆς ὅτις. *lin.* 27. ᾠνός.
Pag. 81. *lin* 44. ἀθρήσας θεὺς.
Pag. 84. *lin.* 20. in finem libri reiicere. sic tum
„ (LECTOR) putaui. nunc quia moles libri
„ nimium turget, detraxi mutatâ sententiâ.
„ statui collectam ex veteribus LOIMOGRA-
„ PHIAM premere; quę commodius per
„ se liber.
Pag. 87. *lin.* 3. πλαυμυχίδθυσαλιδακτυς.
Pag. 89. *lin.* 18. ἦμιν. *lin.* 19. ἢ ὅπω.
Pag. 98. *lin.* 23. ioli noscere Oedippo.
Pag 95. *lin.* 37. παίδων γένος. — κὶ τῆς.
Pag. 97. *lin. vlt.* harum.
Pag. 100. *lin.* 23. κριθαῖς. *lin.* 35. πελώτας.
Pag. 102. *lin.* 16. καθ' ἐξοχήν.
Pag. 106. *lin.* 17. Phurnutus.
Pag. 108. *lin.* 44 αἰνὰ κλυτὴν ἀφραίνοντες.
Pag. 115. *lin.* 12. tutelarem; quem Iuno honorauit concessâ Naxiis puerperis breuioris partûs prærogatiuâ.
Pag. 117. *lin.* 41. ἕνα.
Pag. 120. *lin.* 4. πλωτὸν, ἱερανίωνα.
Pag. 125. *lin.* 15. τὸ, vt. *lin.* 36 δυναμένω.
Pag. 128. *lin.* 8. Αἴγυπτος.
Pag. 130. *lin.* 34 ἤρησιν.
Pag. 132. *lin.* 16. ndei meæ. *lin.* 30. μὰ τοὺς θεοὺς. *lin. vlt.* vita decurrens viâ.
Pag. 134. *lin.* 1. araneæ telam.
Pag. 136. *lin.* 32. κατάστασις. *lin.* 33. σοφίας.
Pag. 141. *lin.* 41. μήτηρ παντων δήμητηρ π. ελοδότειρα.
Pag. 145. *lin.* 2. φίλος. *lin.* 40. κόρος κόρην, ἄτιζα.
Pag. 157. *lin* 1. δῆμος τῆς Ἀττικῆς, *lin.* 5. ἐξ ἐμπορίας — ἀνθρώπων.
Pag. 164. *lin.* 6. εἶναι. — Βλαβοτερὰς ἐκ τοῦ σοῦ.
Pag. 165. *lin.* 32. narrare: fuit, cùm.
Pag. 166. *lin.* 4. Antoninum. *lin.* 31 καὶ ταῦρος.
Pag. 170. *lin.* 13. θαλάσσας τε. *lin.* 14. ἐκπυροφαίνουσα.
Pag. 177. *lin.* 7. δύναιτ' ἄν. *lin.* 8 οἱόν τε, εἰς ἔργα τε ἐμπεσεῖν.

Pag.178. hoc D.Hieron.
Pag.179.lin.15. ἄρτιμοι.
Pag.186.lin.28. φανεῖται.
Pag.193. lin.7. à fine. Siculus lib. 4. quia Bacchus.
Pag.196 lin.8. καταβᾶσα.
Pag 197. lin.23. reuersus iuuenis Hipp.
Pag.204.lin.27 περιστέλλουσιν αὐτά.
Pag.205 lin.10. τύχη ἐβουλία.
Pag.211.lin.17. Amphitruone.
Pag.212.lin.40. εἰρωνικῶς.
Pag 226 lin.24. μιμαστὰ καθεζόμενος δ' ἐδόκουν.
Ibid.lin.6.à fine ad Dominum peruen.
Pag.231 lin.14. θημῶνα φυλάσσει.
Pag.233 lin.35 ἀλλὰ μάντις ἤδη.
Pag.235.lin.2. spiculo venatorio. lineâ 19. Bembinatis.
Pag.236 lin.19. βελτίους.
Pag.238 lin.19 τίκτουσιν καὶ θνηταὶ θεοῖς.
Pag.238 lin.20. Leucothea.
Pag.240 lin.14 θανόντες.
Pag.245 lin.5. à fine, ternio opponitur.
Pag 248. lin.30. latus vnum angustius; bas.op. t.l. angustius alterum illud quod.
Pag..249.lin.4. à fine. Hier. Vide & Cælij Calcagnini; cuius in lib. *de talorum, tesserarum, & calculorum ludis* (nunc demum nactus fui) comperi quædam nobis etiam notata, quædam non animaduersa. lege, & compone cum nostris: videbis quæ ad ludi intelligentiam aptiora.
Pag.254. lin. 20. ἱερῶν. lin. 22. θαῦμα πεπλοῦσι. lin.27. ἐπέλεισε. lin. 28. ὁ λάφος - τοῖ σκῶπες.
Pag.257.lin 19. Regamẽ] Moguntin.
Pag.259.lin.23. Panitici. lin.5. à fine cap. 3. &, vt malo nodo malum cuneum immittam, ex ipsis Nouantibus hæreticis id contendunt Thom. Erastus *in Furnio*, Lamb. Danæus *Dialog. de Sortiariis*, & Ioan. Bodinus *lib. de Dæmonomaniâ*. hîc quoque regnum eorum diuisum.
Pag.260.lin 25. δία, ζῆνα ἀθήνα.
Pag.264.lin 10 à fine, ac deprauari.
Pag.289. lin. 12. *Herculea.* A M P. *quo.*
Pag. 291. lin. 30. antiquos; *Cælum, Iouem, Hec*; pro iisdem solitos. rectissimè.
lin.36. cælo fulgente.
Pag.292.lin.16. θνητῶν τ' ἀνθρώπων. lin.18. κόπων. 19. ἱερόν. 24. ἄμφω λαχόντα.
Pag.293.lin.1. κασιγνήτοιο.
Pag.296.lin.35. ἠ' ἀσέβεια.
Pag.297.lin.vlt. Sichor שִׁחֹר. alibi שִׁיחוֹר.
Pag.298.lin.21. Vineti edit. lin.28. Elauer.
Pag.299 lin.26. apud Ciceron.
lin. 34. confessus.
Pag.303.lin 33. τοῦτόγε - ἦν - καὶ τοῦ.
lin. 34. προαίσχύνης.
Pag. 304. lin.5. βορρᾶς. μέσης. καικίας In margine autem perperam impressæ duæ lineę decussatæ : sed ea quæ in latum protenditur ab Oriente ad Occidentem debuit recta esse, scamnatim ducta, vt monui in contextu. tali pacto.

Pag.305. lin.5. à fine, Ioacho.
Pag.306.lin 27. τῷ - εἰσάγῃ.
lin.30. ἐκλογχάνει.
lin.33. τινὰς ἐγίνετο.
lin.34. μέγαν.
Pag.308. lin.37. auricoloria.
lin.penult. rapiunt tactu.
Pag.310.lin.11. Grammaticus, Schol.
lin.29. leguntur in libb.
Pag.312. lin.21. νυμφόληπτοι.
Pag 316 lin.9. hoc enim. *dele*, enim.
Pag.317.lin.4. in Aduersariis, & vt.
Pag.320.lin.1. ὅτις - παρακαθήκην.
Pag.322.lin.26. ignis ista locum.
Pag.325.lin.5. γίγνεται μυστικός.
Pag.327 lin.16. Apotheo.
lin.23. Eguian.
Pag.328 lin.24. Dionysius de Serum.
Pag.330.lin.7. σαλπίσωσι.
Pag.332. lin.18. καὶ τὴν ἕω.
lin. 28. se isti alius.
lin.32. נִין & מָגִין.
Pag. 333.lin.2. ἵσπατο ἰώζων. lin.20. alas.
lin 33. νυκτιβόῳ.
Pag.335 lin.vlt. perdant.
Pag. 339.lin.33. οὗς - ἐπώνυμα.
Pag.355.lin.1. χαρίεις - ἦ.
lin.12. αἰτία - ἐν ξυντελοῦσι.
Pag.356. ἐπαύσατο.
Pag.371.lin.5. φέμενδ' οὔτις.
lin.14. אֲרָנִי.
Pag.377.lin.38. χρηστός.
Pag.378 lin.2. τὸν χρηστόν.
Pag 379.lin.33. ἐξαπατῶν.
Pag.380. lin.22. εἰ αὐτῷ - τύχοι.
lin.25. ἐπιδέσηται.
lin. 32. Hispaniarum prælatus.
Pag.386.lin.17. in; *ad nona*, alij.
lin.36. Badius.
Pag.387 lin.à fine 4. Statius.
Pag.391 lin.10. *in margine*, Albulæ.
Pag 395. lin.19. *alta patris.* sic è contrario stagnum Gennezareth (quod describit Egesippus lib. 3. de Excid. Hierosol. cap. 26) *stagnum* vocatur Luc cap. 5. alibi verò, *mare* dicitur. Matth. 14. Mar. 6. & Ioan. 16. quia ventis agitatus vt maria crebrò procellosus.
Pag. 397. lin. 3. Dacos, lin. 19. pecuniâ possit. sed & Salomon Eccles. 10. *pecuniæ obediunt omnia*; siue, vt alij legunt, *pecunia obtinet omnia*. sensu eodem.
Pag.400. lin. 9. motus viuentium.
Pag.403.lin.37. est, cur nondum.
Pag. 405. lin. 12. lib. vlt. ad.
Pag.408. lin. à fine, 8. Scholasticus.
Pag.410. lin.23. ἀναπνεῖν. lin.26. pro, leniter, repone, leniter. lin.36. יִשָּׁכֵב. lin.38. יָשָׁב.
lin.42. χαρακλίοις.
Pag.412. lin.12. οἴου.
Pag.413. lin.1. πασῶν.
Pag. 415. lin.5. Phædone (de quo mox) Ptolomæus.

 lomæus.

lomæus. lin.14. χιονιμένη. lin. 17. רקע.

Pag.418. lin.4. quem glossæ.

Pag.419.lin.11. pollentis. lin.24. τεῖχ@.

Pag.421.lin.3. Sinon.

Pag.422.lin.25 νῦν — θυσίαισι. χεφοῖσι.
lin. 27. ὑμετέραν.

Pag.431.lin.14. εὐδομένα. lin.16. ἐποκλείσασα.

Pag 432.lin..25, zezes.

Pag.434.lin.1. Iudicum.

Pag 438.lin.3. ἠράσσατο. lin.4. φεύγειν.
lin. 11. Caunus amauit. lin.12. auctam.

Pag 441.lin.2. εἶναι. lin.16. ἀμιγής, καὶ ἀπαθής.
lin.35. ἀληθές.

Pag.442. lin.39. οὐκ ἔτι. lin.43. εὐσεβής.
lin.44. καταθανών.

Pag.443. lin.1. ψυχαὶ — γαίας. lin.2. ναίουσι.
lin.33. λεληθότα.

Pag 444. lin.9. τὸν θεὸν λεληθέναι — ὕστερον.
lin.33. βίοτης. lin.34. θνητός.

P[...]. 445. lin.34. vt Deus in suo.

Pag.447.lin.5. natura rei.

Pag.451.lin.1. lethum.

Pag 452.lin.à fi.9. Nemesius, pro, D.Nissenus.

Pag.456.lin.9. Hecatho.

Pag.461. lin 8. quit. lin. 32. hæc significatio
,, placuit vulgatę versionis auctori.nam Sap.
,, c.3 vertit, nec in die agnitionis allocutionem πα-
,, ραμύθιον in Græco, hoc est solatium. & cap.
,, vlt. allocutione enim desiderij ascendit ortygome-
,, tra, hoc est pro consolatione ipsorum. Græ-
,, cè, εἰς γὰρ παραμυθίαν ἀνέβη αὐτοῖς, &c. alibi
,, quoque; erit allocutio cogitationis & tædij mei.
,, Denique Ivdicvm cap.11.in fine; & plan-
,, gant filiam Iephte, &c. Hebræa vox לְתַנּוֹת
,, significat etiam consolari. quare Pagninus
,, & quidam vertere, ad alloquendum filiam
,, Iephte, &c.

Pag. 463. lin.12. ὀρθώνοι.

Pag.464 lin.13. Phrygium sonum.

Pag.469. lin.14. pro crassas, mallem, pingues.

Pag.470. lin.34. ὄφεα νοῦς.

Pag. 472. lin. 25. hæc pœna. lin.vlt. configere.

Pag. 474. lin.7. seriem cædis] lin. 19. Mathema-
ticos: quidam. lin.34. cerebro pen.

Pag.478.lin.31. Clytemæstra.

Pag.481. lin 44. δημότης δ' ἀντυχής.

Pag.483. lin.4. à fine, præterita. de Auguriorum
,, verò generibus, quid in iis naturale, quid
,, superstitiosum, egregiè (alibi hoc ponere
,, sum oblitus) disserunt Conradus Wimpena
,, à Fagis opere de Diuinatione, & Augustinus
,, Marius lib. cui titulus, Bvbo Marianvs.

Pag.484. lin.39. ἀπανοσώσαντ@ ἰπαλτο.
lin.41. ἀφ' αἱμάτων. — αὖς.

Pag. 487. lin.19. Pæanes. lin.25. ex Diodoro.

Pag.488. lin.11. ἐγὼ δὲ βαρβάρους. lin.33. tamen
qui vtrumque. lin.37. Magentio.

Pag.489 lin.3. Reginæ.

Pag.490.lin.1. Faliscos.

Pag. 493. lin. 38 μεῖζον ἐστι.

Pag.495.lin.11. ἠχὼ — ἀρχηγοί.

Pag.497.lin.7. à fine, stellas cadere inquiebat.

Pag.499.lin.12. νὺξ μία.

Pag 501. lin.5. ἀπὸ σώματ@ — μεμορμένον.

Pag.502. lin.21. ὑπερφίαλον. lin.25. γόγαιον
— αὐτήν.

Pag. 503.lin.5. τὴν μίξιν.

Pag.504. lin.8. sic sup. lin. 19. τὸ φῶς —
τὰ πέρα — μαίνεται δ' ὃς τύχῃσι —

Pag.507. lin.15 ἀηδονὸς σέμα Φθογγὰς ἱεῖσα.
lin.27. αἴλινα κύκνοι.

Pag.511.lin.18. αἰδασκατοιχομένων — ὑμεναίοις.

Pag. 513. lin. 9. Osculana. lin. 11. signum.
,, Huc potest referri Delphicum Oraculum
,, apud Gemisthum Plethonem in fine lib. 2.
,, Victum, flere: sed, eum qui vicit, obiuisse.
lin. 12. τραπέζαισι — κειμεν.
lin. 21. Inuij]

Pag.517.lin.6. μὴ βιάζεσθαι παρά.

Pag.522. lin. à fine. 6. Agamemnona.

Pag.528.lin.33. Virginia.
lin. 36. Poplicola.

Pag.531.lin.21. simplicium.

Pag.532.lin.à fine 4. Aristæus & Ocellus.
lin.2. à fine, Ambrosij) & eum.

Pag.538.lin.vlt. lineâ.

Pag.539.lin.27. legibus; filios.
lin 42 ἐμπεριπατήσασι — ἐπιβαλοῦσι.

Pag.547. lin.5. in Cùm tollatur accentus.]

Pag. 549. lin. 6. Venerem.
lin.29. Ominibus.

Pag.550.lin.39 ἔχοντα.

Pag. 552. lin. 18. εἶχον.
lin.35. αὐτοψύχου.

Pag.557. lin. à fine, 7. Pandotariæ.

Euge (Lector) finem habes Syntagmatis,
Indicum & Errorum.

Omnia hæc Societatis Iesv *more bono & legitimo prodeunt Superiorum permissu.*

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPI II. Hispaniarum Regis gratia & priuilegiis cautum ac sancitum est, ne quis, cuiuscunque status, ordinis, aut conditionis fuerit, citra voluntatem Ioannis Moreti, Typographi Antuerpiensis, veterum, nouorum, aliorumque probatorum auctorum opera, olim à Christophoro Plantino P.M. eiusdem Moreti socero excusa, scholiis, notis, aut commentariis aucta vel emendata, siue etiam deinceps augenda vel emendanda, vllo modo imprimat, aut alibi impressa in Regiæ M^tis ditiones importet, venaliáve habeat. Qui secus faxit, confiscatione librorum, & graui pœna multabitur: vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, XVI. Maij, M. D. XCI.

Signat.

S. De Grimaldi.

Et in Consilio Brab.

I. de Buschere.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Viduam, & Ioannem Moretum.
M. D. XCV.